6
34 N
18

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
16. 2

8 1.9.
S. G. 9
8 E 5

Digitized by Google

Google

# ANTONII
# DE ESCOBAR
ET
# MENDOZA
E SOCIETATE
IESV

In Euangelia ſanctorum & temporis Commentarij.

Digitized by Google

Google

# ANTONII DE ESCOBAR ET MENDOZA VALLISOLETANI

SOCIETATIS IESV THEOLOGI

Et nunc in Regio Salmanticenſi Collegio Concionatoris,

## *AD EVANGELIA SANCTORVM & Temporis Commentarij Panegyricis moralibus illuſtrati.*



LVGDVNI,

Sumptib. PETRI PROST.

*M. DC. XLII.*

Digitized by Google

Digitized by Google

# AD
# DEIPARENTEM
## OPERIS EXORDIVM.

TE, ô Virgo beatiſſima, fluminis Euangelici tertiam vitalem Arborem tertio volumine celebro, profante Sponſo, *ipſa eſt lignum vitæ his, qui apprehenderint eam.* Prou. 3. & Richardo Laurent. lib. 2. de laud. Virg. interpretante, *Maria eſt lignum vitæ, cuius fructus eſt vita gratia, & gloria.* Verum reliqua Volumina non poſſunt à tuo reſpectu recedere. Si enim ſunt ligna vitalia, Mariæ non dubito condienda ſuauitate. Ioachimus Abbas ad illud Apocalypſeos: *Signum magnum apparuit in cælo: mulier amicta ſole, & in capite eius corona ſtellarum duodecim.* Cap. 12. luminaria duodecim ſigna Zodiaci, Solis per totidem menſes domicilia interpretatus. Quod ſi Sol diuinitatis per menſes ſingulos duodecim vitalibus lignis (de quo inferius) ſuccum miniſtrat, duodecim ſigna fulgentiſſima Deiparæ reſdicit, vt è tam benefico aſpectu benigniſſimi Solis vis Arbores duodecim dulciſſimos impellat in partus. Vnde ligna ipſa Marianam referunt dulcedinem, vti Maria ſit non iam Arbor vitæ ſingularis, ſed duodecim vitalium lignorum paradiſus, vniuerſæ vitæ exhibens magiſteria. Profectò ex altera ripa fluminis primum lignũ vitale *Chriſti vita* Te refert cæleſtis Regina, cuius ſola vitalitas potuit viuentium Parentem eniti. *Chriſti ſolemnia* lætiſſima ex tè ducunt exortum, quam à væ immunem peccati, totam cantabilem Rupertus expreſſit. Tertia Arbor *Deipara* quid tuum non offert? ſi autem tuum, hominum neceſſariò prodibit in vitam. *Apoſtoli* lignum, ſuauiſſimum tuum refert magiſterium, dum à Patribus Apoſtolorum Magiſtra vocitaris. *Religionum Parentes*, germen illuſtre Te influente exortum, te protegente fructibus ſtipatur. *Angeli* autem *Martyres, Confeſſores, ſacræ Fœminæ* vberrima plantatio à te Angelorum

gelorum

gelorum Imperatrice pluſquam Martyri, ac ſanctitudinis collegio (vti Epiphanius aiebat) dulcorem ebibit. Iam verò cum ex altera Fluminis ripa Euangelici, ſex alia ligna vitalia obiiciũtur, *Chriſti Miracula* te cœleſte reuera ſignum, maximumque prodigium (idem ſic Epiph.) referunt: *Colloquia* te Dei vocem dulciſonam, ſeu ſponſam alloquentem: *Sermones* te ſponſi labia: *Parabolæ* te Spiritus Sancti linguam, Richardo auctore, cõcelebrant. Ieſu *Prophetiæ* te Prophetiſſam, adnotante Hierony. venerantur. Nunquid Filij tui *Perſecutiones*, aliquid imitantur tuum? Totam pacificam fideles experimur, totam te ſuauiſſimam vel Ieſu hoſtes venerantur, Proculdubio tamen Chriſti anima vi amoris effecta in perſecutionibus acto Filio vulneraris. Hoc igitur cœleſtis Dominatrix, haud eſt munificentiæ opus, ſed ſeruitutis monumentum. Tibi non opera mea dico, ſed tua eſſe profiteor. Vnde cum ſingula duodecim volumina hominibus adſcripſero, non vt mea, ſed vt tua ex pono accipienda, veneranda, efferenda. Arbor vitalis es *his, qui apprehenderint eam.* Ego licet immundis manibus apprehendo, dum cuncta mea opera nunquam de tuis laudibus conticeſcunt. Vnde videar tibi (loquar cum citato Richardo) *illud dicere, quod Angelo dixit Iacob Gen.* 32. *Non dimittam te, niſi benedixeris mihi*: Vti ſcilicet apprehenſio mea, quæ tibi piiſſimæ non pariet faſtidium, mihi cedat in vitam, & me vitali effecto tibi exſurgat in gloriam.

*Permiſſio*

*Permiſſio R. P. Prouincialis Societatis IESV.*

EGo Ildefonſus del Cano Societatis IESV in Prouincia Caſtellæ Præpoſitus Prouincialis, poteſtate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Patre noſtro Mutio Vitelleſchi Præpoſito Generali, facultatem facio, vt operis inſcripti *In Euangelia Sanctorum & Temporis commentarij, illuſtrationes, moraléſque obſeruationes circa Litteram:* Authore Patre Antonio de Eſcobar Valliſoletano noſtræ Societatis Theologo, Tractatus de Chriſti vita & ſolemniis eiuſdem Societatis grauium, doctorumque hominum iudicio approbati, typis mandentur. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus Valliſoleti in noſtro Diui Ambroſij Collegio die 22. Octobris. Anno 1634.

ILDEFONSVS DEL CANO.

## *APPROBATIO.*

IOANNES CLAVDIVS DEVILLE in Sacra Theologia Doctor, in Eccleſia ſanctæ Crucis huiſce ciuitatis Cuſtos, & in hac Diœceſi Lugdunenſi Vicarius Generalis ſubſtitutus; fidem facimus Nos hoſce in *Euangelia Sanctorum Commentarios, Authore R. Patre Antonio de Eſcobar & Mendoza Valliſoletano è Societate Ieſu,* vidiſſe, euoluiſſe; inque iis nihil Catholicæ & orthodoxæ fidei, ſanæ Patrum doctrinæ boniſque moribus diſſonum comperiſſe: ſed Opus eruditione ſingulari, materiarum varietate, ſtylo nitido & ſuaui conſpicuum, prælo & luce publica ad Concionatorum maximum commodum, digniſſimum. Lugduni Prid. Id. April. M. DC. XLII.

DEVILLE.

## *APPROBATIO.*

NOS BENEDICTVS PVYS Magiſter in Theologia, Caput Capituli, & Canonicus inſignis Eccleſiæ Collegiatæ S. Nicetij Lugdunenſis, & Viceſgerens in Officialatu Primatiali Galliarum fidem facimus, in hoc primo volumine operis R. P. Antonij de Eſcobar & Mendoza, in Euangelia Sanctorum, omnia ſana eſſe & quæ multum Chriſti alumnos iuuare poſſunt. Datum Lugduni apud S. Nicetium die 15 Aprilis anno Domini 1642.

BENEDICTVS PVYS.

FACVLTAS

# Facultas R.P. Præpoſiti Prouincialis Societatis Ieſu in Prouincia Lugdunenſi.

IOANNES GAYET Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunenſi, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis Hērico III· 10. Maij, 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. à Lũdouico XIII. nunc Regnante 14. Februarij 1611. conceſſum quo bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiuſdem Societatis hominibus, compoſitos abſque ſuperiorum permiſſione imprimāt, Petro Proſt Bibliopolæ Lugdunenſi, vt librum cui Inſcriptio eſt, Antonij de Eſcobar & Mendoça Valleſolitani Societatis IESV, ad Euangelia Sanctorum &c. Comentarij ad ſex proximos annos imprimere ac liberè diuendere poſſit. Datum Lugduni 10. Aprilis anni 1642.

IOANNES GAYET.

LECTORI

# OBSERVATIO
# PROOEMIALIS
## PANEGYRICA CIRCA HVIVSCE OPERIS INSTITVTVM.

*Vbi & Euangelium laudibus effero, & Euangelij diſpoſitionem duodecim mei operis Voluminibus ſectam enuncio.*

1 *Inſtituti operis difficultas.*

QVatuor Euangeliſtarũ choro, cuius concordia diſcors, prudens Lector, Ieſu, & Deiparæ magnalia, Diuorũ geſta, ac pro temporis inſtantia cœleſtẽ defluẽtem doctrinam celebritatis reſonat apparatu, non ſine periculo conor adſcribi. Vtinam tanquam anſeri inter olores mihi interſtrepere nõ contingat. Nec enim leuiter me ſuſpicio vellicat, an rubrica temeritatis attammet, quod eoſdem prorumpam in auſus, vbi iam non ſolum enim improba difficultate, ſed etiam cum acerrimo aliorum ingenio colluctari neceſſe eſt. Etenim licet eaſdem laudationis chordas oberrem, nefas eſt, eiſdem numeris indulgere; ne tibi faſtidium, mihi prouocem damna pudoris. Verum nebulam ſuſpicionis facilè abſterges, vbi noſtris te permiſens Comentarijs, quæ non ſolum panegyrica amœnitate frondeſcunt, ſed etiam litteræ ſuccum miniſtrant. Sic enim flore luxuriant, vt etiam fructu curuentur. Videris namque, vt idem ſemen, diuerſo ſi ſpargatur in agro, quàm diuerſa emergat in germina: & licet idem laudationis ſcopus mihi alijſque contigerit, quàm diſtinctos iterim in concentus, quam variè delicietur auditus, vbi tam diuerſa vox accommodatur ad cantus.

2 *Hinc Angelis panegyricus ſermo. Gen. 1*

Non prius ſupremus Opifex mundum de pigritia inanitatis eduxit, quam Angelorũ creationi diſpenſauit arbitrium. Simul enim formoſitas vniuerſi feſtinabat in lucem, ſimul Angelorum cœtus illius aderat ſpectaculo, ne Molitor ille diuinus, dum operatricem manum ſeptẽ ſpargatur indies nullo mulceretur elogio, ſed potius laudationis ad numeros mundi concentus formaretur. Nõ aliter igitur ire iuuat in modos, dum melior orbis nectitur meliore compagine, & vinculo maritatur æterno. Iam noua dies plenam laxatur in lucem, Chriſti videlicet fulgor enubilat, greſſu rutilat, myſterijs fulget nuſquam noctis paſſurus inertiam. Iam Eccleſię Firmamenta ſubſidunt, quæ Apoſtolico ſuboixa ſubſidio nunquam ſoluentur in ruinam. Emicant Religionum Parentes Eccleſiæ Proceres, qui velut noua germina nouos fœcundantur in fructus qui nuſquam pruinæ, nuſquam ætatis iniuria triſtentur. Iam cœlo geminatur iactatia lucis. Hinc enim Angelorum, Confeſſorum, ſacrarúmque Fœminarum lumẽ apparet; illinc Martyrum ſtilla cruoris meliorem transmigrat in ſtellam, nouóſque vibrata radios diuino ſcintillat ardore. Iam cum volucribus pennatus ſermo Dominicus Colloquijs, Prophetijs, Sermonibus, Parabolis vber cœleſtia profundit arcana. Iam cum primo viro Chriſtus parens nouus exſurgit, melioris paradiſi florum nempe miraculorum, fructuum patientiæ (dum perſecutionibus agitur) cultor egregius. Denique naturæ Dominus Virginis anguſtatur in thalamum; & quaſi ſacratiſſimo requieſceret in Sabbato, nouem in menſes dilatauit anguſtias. Huic reformationis arbitrio noſtra obſequitur harmonia, quæ licet Angelicæ dulcedinis æmula non poſſit, imitatrix eſſe contendet. Harmoniam dixi, Panegyrico enim ſermone & Sanctorum effero laudes, & Seruatoris magnalia concelebro. At Panegyricos iollè morales compello, quia ſic geſtis Dominicis Diuorumque præconio dant operam, vt ſimul noſtris moribus ſalubria exhibeant documenta.

Verùm qui meam in hoc Opere mentem, conſiliúmque volet aſſequi, perpendat velim mecum ſacerrimum illud Hieroglyphicum Sã- *Hieroglyphicum ſacrum operis fundamentum.*



Digitized by Google

ctiſſimo Euangeliſtæ Ioanni diuinitus reuelatũ, nobiſque exinde in Apocalypſeos tum vigeſimo ſecundo tum etiam quarto capite pulchrè propoſitum, his verbis: cap. 22.

Hieroglyph.

*Oſtendit mihi fluuium aquæ viuæ ſplendidum tanquam cryſtallum, procedentem de ſede Dei & Agni In medio plateæ eius, & ex vtraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim, per menſes ſingulos reddẽs fructum ſuum.*

Circa auguſtiſſimam hanc Dei ſedem ſpectare liceat myſtica illa quatuor Animalia, prout nobis in quarto eiuſdem Apocalypſeos capite obijciuntur.

*Et in circuitu ſedis quatuor animalia, plena oculis antè & retrò. Et animal primum ſimile leoni; & ſecundum animal ſimile vitulo, & tertium animal habens faciem quaſi hominis, & quartũ animal ſimile aquilæ volanti.*

Sacro huic Hieroglyphico tota Operis huius moles innititur. Singula quatuor capitibus ſequentibus expendo.

## CAPVT I.

### *Flumen aquæ vitalis è Dei ſede Euangelium.*

Vbi illa adnoto, quæ ſic Euangelio conueniunt, vt ei cum reliquis ſacris voluminibus ſint communia.

4. *Euangelium flumen lætificans.* Haym. Ansb. Orig.

OStendit (aiebat Apoſtolus) *mihi flumium aquæ viuæ.* Quẽ equidem Haimo, & Ansbertus prædicationẽ Euangelij interpretatur. Eſt igitur Euangelium fluuius è beatiſſimo Dei throno egrediens *lætificans* quidem, vti Dauid cecinit, *ciuitatem Dei.* Euangelium namque quid niſi bonum nuncium hominum præcordia lætitia complens ſalutari? Origenem Præf. in Ioan. audite: *Tempus iam eſt, accuratius exquirere, quid vox Euangelij ſignificet; & quare Euangelium volumina hæc vocitentur? Eſt igitur Euangelium oratio quæ bonam, & conuenientem rationi rerum annunciationem continet, quæ lætam reddit auditorem, propter vtilitatem, ſimul ac ab ipſo admiſſa fuerint, quæ nunciantur. Vnumquodque enim Euangelium continens res nunciatas vtiles credẽti, et qui à ſe illud non reiecerit, cum pro ſuo iure afferat vtilitatem, iure optimo etiam lætitiam affert, dicens ſalutarem aduentum ad homines, & propter homines Primogeniti omnis creaturæ, nempe Ieſu Chriſti.*

Profectò Euangelicus fluuius lætificans *à ſede Dei* promanat, vel quia diuinum & humanum Ieſum profert, vel quia ex Dei throno, ſiue veteri lege, atque ex Agni domicilio, ſeu lege noua commendabilis apparet. Quædam enim Euangelij laudes cum veteris inſtrumenti ſcriptis, alijſq; cannonicis voluminibus ei communia reperiuntur, de quibus in præſenti. Oſtendo igitur fluminis huiuſce à Dei ſede profectum, ſiue Euangelij communia cum lege præconia concelebro. 5. *A Dei ſede profluit.*

Eximia profectò Euangelij dignitas à primo & principali eius Auctore, & conditore Deo, vti Trident. & Florent. Concilia atteſtantur. Vnde D. Aug. 11. de Ciu. c. 3. *Deum aſſerit Scripturam primo quidem per Prophetas, ſecundo per ſe ipſum, tertio per Apoſtolos condidiſſe.* D Greg. l. 4. Epiſt. c. 84: *Quid eſt* (inquit) *Scriptura ſacra, niſi quædam epiſtola omnipotentis Dei ad creaturam ſuam?* Et D. Irenæ, lib. 4 cap. 22. concedens Euangelium veteri teſtamento longe præſtantius eſſe, *Vt lumen maius minori, aqua copioſior minus abundanti, & copioſior gratia ſuperat exiguam,* hoc tamen aſſerit non efficere, vt alius ſit Deus vtriuſque conditor, vt Marcionitæ alijque Gnoſtici confingebant. 6. *Euangelij Auctor Deus.* Auguſ. Greg. Iren.

Haud diſſimilem Euangelij excellentiam à lumine, ac reuelatione peto. Traditum enim, ac cognitum Spiritus ſancti afflatu. Hinc Apoſtolus: *Notum vobis facio Euangelium, quod euangelizatum eſt a me; quia non eſt ſecundum hominem: neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, ſed per reuelationem Ieſu Chriſti.* Galat. 1. *Deus,* inquit Auguſtin. 18. de Ciuit. cap. 41 *per ſacros Scriptores locutus eſt, & quæ in ipſis dicta, & prohibita ſunt, hæc non ora humana, ſed ordenſa diuina fuderunt.* Sacra etenim Scriptura, iuxta Patrum definitionem, eſt doctrina de rebus diuinis, non humano more, ſed diuinitus Spiritu ſancto profundente, ad noſtram doctrinam conſcripta. 7. *Reuelatione accepimus.* Gal. 1. Auguſt.

Illuſtrem prætere à Euangelij præſtantiam à veritatis certitudine ſumo. Ideo Euangelium *verbum veritatis* à Paulo vocitatur, Eph. 1. Euthym. ad Pſalm. 39. Euangelium, ait, *Veritatem appellari eo, quod eam contineat, haud falſitatem & errorem.* Iren. lib. 3. adu. hæreſ. cap. 11. *Tanta,* inquit, *eſt circa hæc Euangelia firmitas vt ipſi hæretici teſtimonium reddant ei, & ex ipſis egrediens vnuſquiſque eorum ſuam conatur confirmare doctrinam.* Vnde Auguſt lib. 1. de morib. Eccle. cap 29. *In Euangelio falſum aliquid eſſe ſcriptum: quid hoc ſacrilegio magis impium reperiri poteſt? quid iſta voce impudentius? quid audacius? quid ſceleratius? ſimulacrorum cultores, qui Chriſti etiam nomen oderunt, nunquam hoc aduerſus ſcripturas auſi ſunt dicere.* 8. *Certiſſima veritatis.* Eph. 1. Euth. Iren. Auguſt.

Prærogatiuam aliam Euangelij ex medijs conſidero. Euangelica namque doctrina teſtimonijs haud probatur humanis, naturalibus rationibus minimè perſuadetur, nec ornatui verborũ innititur. D. Ambroſ. epiſt. 63. *Negant,* ait, *plerique noſtros ſecũdum artem ſcripſiſſe, nec nos obnitimur: non enim ſecundum artem ſcripſerunt: ſed ſecundum gratiam, quæ ſuper omnem artem eſt. Sed tamen ij, qui de arte ſcripſerunt, de eorum ſcriptis artem inuenerunt, & condiderunt commẽta artis, & magiſteria.* Porrò qui ſermo diuinã deceat ſcripturam D. Auguſtin. lib. 12. Confeſ. c. 26. expreſſit. *Talis,* inquit, *eloquendi facultas,* 9. *Haud humanis probatur* Ambr. Auguſt.

*iſque*



Digitized by Google

*iſque modus texendi ſermonis adeſt, neque illis,qui*
*nondum queunt intelligere, tanquam excedentia*
*vires ſuas dicta recuſent.* Sed quanta ſimul Euā-
Dion. gelicæ puritas orationis! Dionyſius Alex. apud
Euſeb.l.c.20. *Euangelium non modo abſque vllo*
*orationis vitio, ſed etiam ſumma cum verborum*
*elegantia,maximo ſententiarum pondere, & con-*
*cinna diſpoſitione perſcriptum eſt; tantum abeſt,*
*vt vox aliqua barbara,aut ſolœciſmus,aut impe-*
*ritus & rudis ſermo in eo reperiatur.* Quemad-
modum igitur doctrina Euangelica eſt diuina
& ſupernaturalis:ita etiam diuinum & ſuper-
naturale medium,quod eſt fides, requiritur,vt
Iſa.7. ipſa intelligatur,iuxta Iſaiam,*Si nō credideritis,*
Hier. *non intelligetis,*c.7.ſecundum LXX. vti D.Hie-
ron. adnotauit.Probatur autē Euangeliū Chri-
ſti,Apoſtolorum,aliorumq; diuorū miraculis,
martyrijs,actionibuſque fidelium,omnium de-
nique populorum aſſenſu confirmatur.

10\. *Infallibiliter omnia Euangelica cōplebuntur.* Similem Euangelij præſtantiam eius ineui-
tabilitas oſtentat. Proculdubio etenim eueniēt
quæcunque aſſeuerat, ſiue bonis præmia præſ-
cribat,ſiue improbis flagella minitetur, *Cœlum,*
Mat.24. inquit veritas, *& terra tranſibunt: verba autem*
August. *mea non præteribunt.* Matth. 24. Ad hæc Augu-
ſtin.in Pſalm. 39.*Omnia,quæ prædixit Dominus*
*noſter, partim facta cognoſcimus; partim futura*
*ſperamus,cuncta tamen complebuntur; quia veri-*
*tas hæc dicit. Attende ſcripturas noſtras, ſi ali-*
*quid fefellerunt,ſi aliquid dixerunt,& aliter acci-*
*dit quam dixerunt. Neceſſe eſt, vt vſque in finem*
*ſic fiant omnia,quemadmodum dixerunt.*

11\. *Euangelij vtilitas.* Magnam denique Euangelij dignitatem ad
vtilitatem pertinere reor. Omnis enim Scriptu-
ra diuina eſt tota,& ſecundū omnes ſuas clau-
ſulas,etiam minimas particulas admodum vti-
litatis coruſcans fulgore: nec quidquam in ea
abundans,otioſum, aut aridum reperitur. Vn-
de Apoſtolus: *Omnis Scriptura diuinitus inſpi-*
*rata vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad*
*corripiendum,ad erudiendum in iuſtitia, vt per-*
*fectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtru-*
2.Tim.3. *ctus.*2.Tim.3.D. Baſil. Epiſ. 79. ex ſe oſtendit,
Baſil. quam vtilis Euangelij lectio; *quoniam in virum*
*alium per eam mutatus eſt.* Et hom. 10. Exam.
affirmat *per Euangelia nos ad Dei ſimilitudinem*
*effingi*; aſſeriteque vel verbum in Scriptura ſa-
cra otioſum reperiri, *intolerandam prorſus, &*
August. *grauem eſſe blaſphemiam.* Teſtor D. Auguſt.
tandem 8.conf.c.12.*Concitus redij ad eum locum,*
*vbi ſedebat Alipius: ibi enim poſueram codicem*
*Apoſtolicum inde ſurrexeram, arripui,aperui &*
*legi in ſilentio capitulum, quò primo coniecti ſunt*
*oculi mei:Non in comeſſationibus,& ebrietatibus.*
*Rom.13.Nec vltra volui legere,nec opus erat. Sta-*
*tim quippe cum fine huius ſententiæ quaſi luce ſe-*
*curitatis infuſa cordi meo, omnes dubitationis te-*
*nebræ diffugerunt.* Quid magnum referam Au-
tonium ex Euangelij recitatione non in alium
virum,verùm in Angelum immutatum? Lege
D.Athanaſ.in eius vita, Auguſtin.citat.&
Hieronym. Sacras percurre hiſto-
rias,ſi vnica linea cordis im-
mutati alicuius non effi-
ciat mentio-
nem.



## CAPVT SECVNDVM.

### *Flumen aquæ vitalis Euangelium ex Agni Tabernaculo.*

### Vbi proprias Euangelij laudes enuncio.

PORRO Euangelij fluuius *à ſe-* 12. *A Sede Agni fluuius.*
*de Agni* profluebat. Quædam
etenim ſic propriæ ſunt Euange-
lij commendationes, vt à veteri
teſtamento nouum diſtinguant,
debeantque præcipuè vt à Ieſu immediatè pro-
cedentes Eccleſiam replere voluptate.

Primam igitur propriam Euangelij excellen- 13. *Immediatus Euangelij Auctor Chriſtus.*
tiam ex immediato eius auctore collegi. Media-
tus enim auctor veteris ac noui Teſtamenti v-
nus Deus,& Spiritus Sanctus. At verò imme-
diati auctores veteris Teſtamenti ſunt Prophe-
tę;Euangelij autem Agnus Ieſus. An non ex par-
te legiſlatoris lex Euangelica Moſaicam per-
fectione,dignitateque ſuperat? Audite Paulum:
*Multifariam,multiſque modis olim loquens Deus*
*patribus in Prophetis:nouiſſimè diebus iſtis locu-*
*tus eſt nobis in Filio,quem conſtituit hæredem v-*
*niuerſorum,per quem fecit & ſecula.* Hebr.1 Ideò Heb.1.
hinc Trid.ſeſſ. 4. Euangelium commendauit. Trid.
*Euangelium Dominus noſter Ieſus Chriſtus Dei*
*Filius proprio ore primum promulgauit.* Vnde D. Baſil.
Baſil ho.16.*Omnis*,inquit,*Euangeliorū vox reli-*
*quis omnibus Sancti Spiritus præceptis eminentior*
*eſſe dignoſcitur; quod in alijs per Prophetas ſer-*
*uos:in Euangelijs autem ipſe per ſe Dominus nos* Theoph.
*eſt allocutus.* Theophy.in c.8.ad Hebr. Chriſtus
noui Teſtamenti conditor? *Ergo Teſtamentum*
*hoc noſtrum præſtat.* Quid Paulus? *Quantò &*
*melioris Teſtamenti mediator eſt.* Vndenam me-
lioris: *Oſtendit*,ait,*quemadmodum nouum Teſta-*
*mentum.id eſt Euangelium verè ſit potius, cuius*
*& largiter,& mediator ſit Chriſtus.* Et D. Hie- Hier.
ron.l.1.adu.Pelag. *Tu nos Manichæos vocas legi*
*Euangelium præferentes: & non intelligis ſtulti-*
*tiam tuam impudentiæ copulatam. Aliud eſt dam-*
*nare legem, quod Manichæus facit: aliud legi præ-*
*ferre Euangelium,quæ Apoſtolica doctrina eſt. In*
*illa enim ſerui,in hoc præſens Dominus loquitur.*

Deinde ex modo, quo exhibitum eſt Euan-
gelium ſingularis excellentia deſumitur, quam 14. *Modus, quo prolatum.*
pulchrè Chryſoſtom,deſcripſit fatus hom. 1.in Chryſ.
Matth. *Diſcamus, quemadmodum vetus lex pro-*
*mulgata ſit: quemadmodum & nouum conditum*
*ſit Teſtamentum. Poſt Ægyptiorum profectò*
*perniciem in eremo, in monte Sina, fumo & igne*
*aſcendente de monte,& tuba terribiliter inſonan-*
*te,& tonitruo crebrius comminante, & coruſcante*
*fulgure, & Moyſe in ipſam caliginem nubis in-*
*trante vetus lex data eſt. In nouo verò non ita.*
*Neque enim in eremo, neque in monte, non cum*
*fumo, & caligine, non cum tenebris & procellis:*
*ſed ſumente initium die, in domo ſedentibus cun-*
*ctis, multa cum manſuetudine vniuerſa fiebant.*
An non celſior nobis lex amoris apparet? Mox
poſt deſcenſum è monte vbi legem acceperat
Moſes iubet leproſum à caſtris deturbari Num.
5.At deſcendens è monte Ieſus, vbi legem tu-
lerat leproſum ab infectione liberauit. Matt.8.
id quod memorans in Euangelij decus maius

Chryſ. *Vide* (inquit hom. in illud Apoſt. *cū ſubiectu fuerint illi omnia*) *quantum diſcrimen inter veterem legem, nouamq; gratiam Moſes cum ex monte deſcendiſſet, primum legem tulit, mundans vt leproſi caſtris excederent. Chriſtus verò è mōte deſcendens protinus leproſum mundat. Ille morbidos eliminat, hic curam eorum agit. Vterque in montem aſcendit, ille vt acciperet, hic vt duret.*

15. *Euangelij præcones* August. Primi Euangelij præcones eius adhuc peruulgant excellentiā. *Euangelij* (inquit Aug. lib. de conſe. c. 1.) *primi prædicatores Apoſtoli fuerunt: qui Dominum ipſum, & Saluatorem Ieſum Chriſtum etiam praeſentem in carne viderunt. Cuius non ſolum ea, quæ ex ore eius audito, vel ab illo ſub oculis ſuis operata, dicta, & facta meminerant, verum etiam quæ, priuſquam illi per diſcipulatum adhæſerāt, in eius natiuitate, vel infantia, vel pueritia diuinitus geſta, & digna memoria, ſiue ab ipſo, ſiue à parentibus eius, ſiue à quibuſlibet alijs, certiſſimis indicijs, & fidelibus teſtimonijs requirere, & cognoſcere potuerunt: impoſito ſibi munere, generi humano annunciare curarunt.* An non Apoſtoli Prophetis antiquis excellentiores fuēre, & ex ipſo prophetiæ dono (ſemper ad loquendū Domino per Euangelij promulgatores præparato) & ex miraculorum excitatione, & ex dono linguarum, & ex vberiori myſteriorum cognitione, & ex conſecrādi Euchariſtiam, abſoluendi à peccatis, ordinandique miniſtros poteſtate, & ex proferendi veritatē efficacitate, & energia? Quis dubitet ex tantis promulgatoribus maximum Euangelio ornamentū increſcere?

16. *Legem vt excedat?* Gal. 3. & 4. Quid quod Euangelium ſe ad legem habeat, vt perfectū ad imperfectū, & finis ad medium? Data eſt enim olim fidelibus lex minus perfecta, qua exerceri poſſent, & ad plenè perfectā excitari. Hinc Paulus: *Lex pædagogus noſter fuit in Chriſto* Gal. 3. & cap. 4. *Quanto tempore hæres paruulus eſt nihil differt à ſeruo: ſed ſub tutoribus eſt. Ita & nos, &c.* Ad quæ Orig dial. de fid. *Vt mulier cum puerū peperit, non perfectū ei cibum adhibet; ſed ei lac præbet, deinde maioribus firmioribúſque alimentis vtitur. Lac* (inquit *Apoſt.*) *vobis potum dedi, non eſcam. Sic etiam Deus Leges hominibus pro ucceſſione & incremēto dedit, Adæ vt puero; alias Noe; alias Abraham; alias Moyſi; aliā q; per Euangelium, ex progreſſu, profectuq; mundi incipientis, creſcentis, atq; perfecti, cum id quod perfectum eſt, id eſt Euangeliū, perfecto reſeruaſſet.* Tertul. adu. Hermog c. 20. *Euangelium veteris eſt inſtrumenti ſupplementū.* D. Epiph hær. 8. *Rectè proceſſiſſent Iudæi in legis doctrina: ſi Chriſtum ſuſcepiſſent, à pædagogo, lege videlicet ipſis prædicatum, & annunciatum.* Et D. Hieron l. 1. adu Pelag *Euangelium*, inquit, *à lege in hoc diſtinguitur, eique præfertur, quod in lege initia, in Euangelio autem perfectio ſit; in illa operi fundamenta iaciuntur; in hoc fidei, gratiaque culmen imponitur.*

Orig.

Epiphan.

Hieron.

17. *Sol. & veritas Euangelium* 1 Cor. 10. Hieron. Sol iam, & veritas tibi ſit Euangeliū, lex autē vmbra Solis, figura veritatis. Paulus: *Vmbrā habebat lex futurorum bonorum; non ipſam imaginē rerum.* Hebr. 10. *Omnia enim illis in figura contingebant* 1. Cor. 10. D. Hier l. adu. Pelag. ideò legi præfert Euangeliū, *quod in illa ſint vmbra, ipſa autem in hoc veritas.* Et Epiſt. 11. ad Aug. *Pro vmbris & imaginibus veteris inſtrumēti, veritas per Ieſum facta eſt* Epiph. hær. 8 *Figura in lege fuerunt, veritas autē in Euangelio.* Et D. Cyprian. de Nat. c. 1. *Nec iam*, inquit, *in manibus Prophetarū ſimilitudines, & ænigmata inuoluuntur: ſed Angelorū ſibilo, & hominū ſtylo, & euidentis rerū iudicio, & conſonant ſimul promiſſa & data, vmbriſq; remotis, lex & Euangelia ſunt vnita.*

Epiph.

Cyprian.

18. *Promiſſa implet.* Aliam hinc Euangelij dignitatem expendo. Impleta enim in Euangelio ſunt, quæ in lege promittuntur. Vnde illud, *Lex, & Prophetæ vſq; ad Ioannem, ex eo regnum Dei euangelizatur.* Luc. 16 Alcuin apud Cat. D Thom. *Scire debetis omnibus diuinæ Scripturæ paginis merito Euāgelicum excedere auctoritatem; quia quod lex, & Prophetæ futurum pronunciarunt, hoc redditum, atque completum in Euangelio demonſtratur.* Ideò Clemens P. l. 1. Conſt. Apoſt. c. 6. affirmat Euāgeliū eſſe complementū legis, & Prophetarum.

Luc. 16. Alcuin.

19. *Semper durat* Hebr. 8. Pulchra en Euangelij prærogatiua. Semper durat, cum lex iam effluxerit. Paulus. *dicendo nouum, veterauit prius.* Hebr. 8. Vidiſti apud Ieſum transfiguratum Moyſem, & Eliam colloquentes? Porrò vnus & alter receſſere, commorante Ieſo: *Neminē viderunt niſi ſolū Ieſum.* Matth. 17. Cauſam reddit pulchrè Theophyl. Luc. 9. *Quia vſque ad tempus quoddam apparebant lex, & Prophetæ, ſicut eo loco Moyſes, & Elias; deinde Chriſtus ſolus, prætereuntibus illis apparuit. Nunc enim Euangelium ſeruatur, legalibus abolitis.*

Matth. 17. Theoph.

20. *Euangelij perfectio puritas, ſanctitas* Eximiæ præterea excellentiæ loco perfectio, puritas, ac ſanctitas Euangelij ponderanda occurrit. Aſſerit Apoſtolus *melioris teſtamenti ſponſorem factum eſſe Ieſum.* Hebr. Saluian. l. 1 ad Eccl. *Non eſt, quod fugiendum ſibi nunc quiſqua ad legem putet: Vetera etenim tranſierunt, facta ſunt omnia noua. Plus tunc indulgentiæ, & plus licentiæ: tunc eſus carnium prædicabatur, nunc abſtinentia: tunc in omni vita ieiuniorum pauciſſimi dies, nunc quaſi vnum ieiunium vita omnis: tunc luſis vltio ſuppetebat, nunc patientia: tunc iraſcentibus lex miniſtra erat, nunc aduerſaria; tunc accuſatori gladium porrigebat, nunc charitatem: tunc etiam carnalis illecebræ lex indulgebat, nunc Euangelium nec aſpectum: tunc corporea voluptates habebant quandam licentiam, nūc iubentur etiam oculi cuſtodire cenſuram: tunc ad multas vxores recipiendas vnius mariti torum lex dilatabat, nunc etiam ad vnam excludendam caſtè affectus deuotione conſtringit. Supereſt enim, ait Apoſt vt qui habent, &c.*

Hebr. 7. Saluian.

21. *Diffluit benignitate.* Theoph. Quod ſi lex illa plena erat terroris ſeu conſtringendo, ſeu minando: Euangelium diffluit conſolatione. *Quia miniſtrat* (cum Thoph. loquor) *vitam, imo ſpiritum, qui vitam præbet; nec ſolum nos à pœnis eximit ſed iuſtos etiam reddit.* Hæc ad Pauli ſententiam, qua *miniſtratio mortis, & damnationis* lex vocitatur. 2. Corinth. 3 Quam illud lene, quam lætum, & facile! *Iugū*, inquit Dominus. *meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Matth. 11. Id quod ſic voluit Orig. tract. 24 *Corporalia legis mandata ſecundum literam onera ſunt grauia, & alligationes non leues; ſicut Petrus teſtatur in Actib. Apoſt. Spirituale autem Chriſti onus eſt leue. Ideo & Dominus ad eos, qui legis mandatis corporalibus erant grauati, dicit, Venite ad me, qui laboratis, &c. Onus autē leue Euangelium eſt, quod eſt lex ſpiritualis.*

Matth. 11. Orig.

22. *Euangelij efficientia.* Quid de admirabili Euangelij efficientia attexam? Profectò Euangeliſtæ ignobiles, pauci infirmi mundi idola euerterunt, comminuerūt homines ad rerum ſpecie quidem abſurdarū,

impoſ

impoſſibilium credulitatem adduxerunt; mores omnino humaoi dicam, an brutalitate preſſi cordis commutarunt, vt è leonibus agni, è ſerpẽtibus columbæ, ex terricolis Angeli exurgerent. Piaculum ducerem, ſi integram pulchrã Chryſoſtomi clauſulam non tranſcriberem. *Peragrarunt* (inquit ad gent.) *Apoſtoli orbem terrarum: & infirmum inuenientes, ad ſanitatem reduxerunt; & in ruina poſitum ad ſtabilitatem reuocarunt, non arcum tendentes, nõ ſagittas mittentes, non pecunias largientes, non eloquentia cõfidentes; erant nudi ſeculo, ſed induti Chriſtum; pauperes, ſed diuites; pecunia indigentes, ſed Regnum cœlorum poſſidentes. Peragrarunt vniuerſum orbem terrarum oues ſimul cum lupis. Quis vidit? quis vnquam paſtor oues mittit in medio luporũ? At Chriſtus oues miſit ad lupos, & vulnerata à lupis non ſunt, ſed magis lupi ad ouium manſuetudinem conuerſi ſunt. Mira virtus erat, piſcatorem, publicanum præceptis mortuos ſuſcitare, morbos expellere, mortem abigere, philoſophorum linguam mutam facere, Rhetorum ora cõſtringere, apud Principes, & Reges verſari; barbaris, Græcis, & vniuerſo humano generi imperare. Nam & hoc illi verbo perfecerunt.* Oti duorum hoc verbum committerut ſi Theodoreti ſententiã expediero. *Perſica* (inquit l. 9. de cur. Græc. affect.) *nationes, quæ iampridem Zarada legibus regebãtur, matrum, ſororum, filiarum connubijs commixtæ, remque iuſtiſſimam arbitrantes id quod erat facinus iniuſtiſſimum, audita piſcatorum lege, & accepta, Zarada leges vt iniquitatem maximam conculcarunt; Euangelicámque protinus temperãtiam complexa ſunt. Quique prius edocente illo, didicerunt mortuorum corpora canibus depaſcenda, volucribuſque porrigere, nunc iam cum ceperunt in Chriſtum credere, ab huiuſmodi immanitate abhorrent, & mortuos ſuos terra infodiunt. Cumque præſentia cuncta irrideant, cogitare magis gaudent, quæ non videntur. Has itaque nouas leges acceperunt à promulgatoribus Galilæis. Quique non timuerunt Romanorum potentiam, ſeſe vltro crucifixi hominis imperio ſubdiderunt.* Plura Hieron. 2. cont. Iouin. Niceph. 1. hiſt. cap. 22. Ambr. lib. 6. epiſ. 41. & alij.

Chry.

Theod.

23. Verum ſi Euangelij neceſſitatem contẽplemur, ſine lege Moſis multos olim iuſtificatos, & ſaluatos fuiſſe lego apud Auguſt. 18. de Ciu. c. 47. *Homines, ait, quoſdam non terrena, ſed cœleſti ſocietate ad veros Iſraelitas ſuperna ciues patriæ pertinentes etiam in aliis Gentibus fuiſſe negare non poſſumus. Quia ſi negaret aliquis, facilè conuinci poſſet de ſãcto, & mirab. viro Iob, qui nec indigena, nec proſelytus, id eſt aduena populi Iſrael fuit: ſed ex gente Idumæa genus ducens, ibi ortus, ibidẽ mortuus eſt.* Quis autẽ nouæ legis tẽpore quẽquã abſque Euangelio ſaluari poſſe aſſerat, Domino ſante, *Prædicate Euangeliũ omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit ſaluus erit, qui vero nõ crediderit, cõdẽnabitur.* Mat. 16.

*Euangelij neceſſitas*
Auguſt.

34. Adde Euangeliũ amoris, nõ timoris exiſtere. D. Aug. ſer. 23. de verb. Apoſt. *Lex veteris teſtamenti cuſtodia timorẽ habebat, noui teſtamẽti donum eſt charitas.* Et li. 1. de morib. Eccleſ. c. 28. *Diſciplina quæ animi medicina eſt, in duo diſtribuitur, coercitionẽ, & inſtructionẽ, coercitio timore, inſtructio vero amore perficitur. In his duobus Deus ipſe duobus teſtamentis vetere, & nouo diſciplina nobis regulã dedit: quãquam enim vtrũq; in vtroq; ſit, præualet tamẽ in veteri timor, amor in nouo, quia ibi ſeruitus, hic libertas ab Apoſtolis prædicatur.* Ideò Apoſtolus veteris teſtamẽti filios ancillæ, Euangelij autem de libera vocat exortos. Gal. 4.

*Lex amoris Euangelij.*
Auguſt.

25. Accedunt Euangelij præcelſæ promiſſiones. *Melius enim ſortitus eſt miniſteriũ* (loquor cũ Paulo) *quanto melioris teſtamenti mediator eſt, quod in melioribus repromiſſionibus ſancitum eſt.* Heb. 8. Ad quę D. Chryſ. ho. 1. in Epiſt. ad Rom. *Non venit triſte quiddã renũtians, veluti Prophetæ accuſationes, crimina, imprecationes: ſed Euãgelia, firmorũ, & immutabiliũ bonorũ theſauros infinitos.* Accedit Theoph. in Ioa. 3. fatus: *Vetus lex promittebat eos, qui in illa Deo placebãt, implẽdos lõgitudine dierũ: Euãgeliũ autẽ non tẽporariã vitã largitur, ſed æternã. & indiſſolubilem.*

*Euangelij promiſſiones.*
Hebr. 8.
Chryſ.
Theop.

26. Iam verò ad Sacramenta & ſacrificia Euangelica veniamus. Omnia illa, quæ legis erant Chriſtum venturũ ſignificabant: quæ verò nũc habemus, gratiã per Chriſtũ nobis collatã denotant, & loco plurimorũ legis antiquæ ſacrificiorũ vnicum nouæ legis datũ Crucis ſacrificiũ. D. Aug. cont. Fauſt. c. 13. *Prima Sacramẽta, quæ obſeruabantur, & celebrabantur ea lege, prænuntiatiua erant Chriſti venturi; quæ cum ſuo aduentu Chriſtus impleuiſſet, ablata ſũt; & ideò ablata, quia impleta. Nõ enim venit ſoluere legẽ, ſed adimplere. Et alia ſunt inſtituta virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, tãquã iuſtitia fidei reuelata, & in libertatẽ vocatis Filiis Dei, iugo ſeruitutis ablato, quod duro & carni dedito populo congruebat.* Et D. Iſidor. l. de 2. diffet. ſpirit. diff. 8. *Illic eſca animaliũ immundorũ prohibetur; hic in corpore Chriſti, id eſt in ſanctis ſuis non admittitur. Illic pecoribus immolatis carnis & ſanguinis hoſtia immolabãtur; hic ſacrificiũ carnis & ſanguinis Chriſti offertur, quod per illa animalia ſignificabatur. Illic ex carne agni Paſcha celebratur; hic Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, qui eſt verus agnus immaculatus.*

*Euangelij ſacrificia & Sacramenta.*
Auguſt.
Iſido.

27. Vnde non mirum præcelſum honorẽ fuiſſe vbique Euangeliis ſanctis exhibitum. Põderat Ioſeph. 12. Ant. c. 22 quãta reuerẽtia habita quęcunq; ſacræ Scripturæ volumina, & merito, ſi iuxta D. Aug. l. 2. de ſer. Dom. in mõ. *Scriptura diuina Patris teſtamentum.* Et Conc. 2. in Pſal. 90. *Literæ à Deo nobis ex cœlo miſſæ quibus ad benè viuendum excitamur.* Euangelio autem plus honoris exhibendum; nam pro materiæ diuerſitate maior quibuſdam libris debetur pię aliis reuerentia. Hinc Barnabas Apoſt. Euangelium à Matthæo compoſitum ſua manu deſcripſerit, & ſecum ad pectus ſuũ voluerit ſepeliri, Cedreno authore. Ideò Cõſtantinus Euãgeliorum volumina vnionibus & pretioſis lapidibus ornari fecit; inque magno tẽplo digna poſuit admiratione, eodem ſcriptore in Comp. hiſt. ad annũ 22. Cõſt. Et Platonicus quidam Euangelij Ioannis initium aureis literis cõſcribendum, & per omnes Eccleſias eminentiſſimis in locis proponendum eſſe dicebat, quemadmodum D. Aug. 10 de Ciu. c. 29. affirmat. Quid quod reuerentiæ causâ Euãgelij lectionem ſtãtes audiamus? vti D. Aug. ho. 26. adnotauit. Quod ſi cauſam Tertulliani perpẽdas, *nõ de geniculis, ſed ſtantes adoramus eo quod geniculuaris habitus in orãdo velut pœnitentis ſit; qui verò ſtãs adorat, tanquã iam veniam cõſecutus gratias agit.* Tã enim gratia diffluẽs Euangeliũ,

*Honor Euãgelio exhibitus*
Ioſeph.
Auguſt.
Cedre.
Auguſt.
Tert.

vt quodammodo audiri nequeat à peccatore: ipſumque præconium ſalutare ſic homines excitet ad pœoitentiam, vt prima lectionis Euangelicæ ſyllaba nos gratia donatos ſortiatur auditores.

28. Denique Euangelium non vni ſpeciatim populo vti lex, ſed omnibus mundialibus anounciatur. Chriſtus ideo Apoſtolis, *Docete*, inquit, *omnes gentes*. Matt. 28. *Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangeliũ omni creaturæ*. Mar. 16. Hinc Aug. epiſt. 78. Euangelium antè mundi terminum vbique edocet prædicandum. Et D. Chryſ. hom. 2. epiſt. ad Rom. omnibus aſſerit eſſe commune, inſtar cœli, Solis, Lunæ Elemẽtorum. *Euangelij, ait, prædicatio communis omnibus propoſita eſt: quæ quidem nec dignitates differentiam, nec generis excellentiam, nec aliud quidquam id genus nouit. Quod enim in Sole, Luna, terra, mari, cæteriſque Deus fecit, non diuitibus quidem ac ſapiẽtibus plus partiens, maiorẽque copiam faciens: ſed æqualẽ omnibus vſumfructũ proponens: id & in ipſa Euangelij prædicatione fecit.*

*Euangelium omnibus annunciatum.* Mat. 28. Mar. 16. Chryſ.

## CAPVT TERTIVM.

*De quatuor iuxta fluuium animantibus.*

### Vbi de Euangeliſtis nonnulla prælibo.

29. IVxtà Euangelicum flumen quatuor animantia, hominem nempe, aquilam, leonem, & bouem modò inſpiciamus. Quę enim primò Ezechieli, deinde Ioanni ſunt oſtẽſa animalia quatuor Euangeliſtas ſignificare, & Patres teſtantur, & populi voces inclamant, & ipſi muti parietes vociferantur. Sic Iren. 3. adu. hær. c. 11. Theophilus Antioch. 5. Allegor. German. in ter. Eccleſ. theoria. Ambroſ. l. 10. in Luc. & alij quamplurimi. Ferè omnes Matthæo faciem hominis, leonis Marco, Lucæ bouis, & Ioanni Aquilæ tribuunt. Cauſam ex Patribus eiſdem acceptam ſic cecinit Sedulius.

*Quatuor animalia Euangeliſta.* Iren. Theop. Germ. Ambroſ. Sedul.

*Hoc Matthæus agens, hominẽ generaliter implet;*
*Marcus vt alta fremit vox per deſerta leonis;*
*Iura Sacerdotij Lucas tenet ore iuuenci;*
*More volans aquila verbo petit aſtra Ioannes.*
*Quatuor hi proceres, vna te voce canentes,*
*Tempora ceu totidem, latum ſparguntur in orbem.*

30. Profectò ſic propria à cæteris diſtincta eſt facies ſingulorum, vt tamen eædem quatuor facies ſingulis coniunctæ aſpiciantur. Quibus Propheta, & conſenſum inter ipſos Euangeliſtas, & diuerſitatem indicauit. In quo autẽ conueniant, & in quo differant audi Tertul. 4. adu. Marc. c. 2. *Viderit enim ſi narrationum diſpoſitio variauit, dummodo de capite fidei conueniat.* Et Aug. epiſ. 80. *Non diſcrepant Euangeliſtæ rebus, ſi alius aliquid dicit, quod alius tacet; aut alio modo dicit; magis autem collata inuicem iuuant, vt legẽtis intellectus regatur.* Et ſer. 11. de verb. Dom. *Nunquid propter nonnullam verborum diuerſitatem receditur ab eiuſdem veritate ſententiæ? Nãque alia cauſa eſt, cum Euangeliſtæ eadem, non eodem modo dicant, niſi vt indè diſcamus res verbis, non rebus verba præponere: nihilque aliud in loquente quærere niſi veritatem, propter quam inſinuandam verba promuntur.*

*Conſenſus & diuerſitas Euangeliſtarum.* Tert. Auguſt.

31. Huiuſmodi autem concordia diſcors ex Euangeliſtæ cuiuslibet ſcopo, materia, & intentione maximè eluceſcit. Matthæus etenim præcipuè commendat regiam in Chriſti humanitate dignitatem; Marcus propheticam; Lucas Sacerdotalẽ; & Ioannes diuinam. Omnes quidem Euangeliſtæ circa Chriſtum verſantur, diuerſa tamen eſt eorũ principalis intentio. Chriſtus enim duplicem naturam habet, diuinam ſcilicet & humanam. Ideò poteſt conſiderari in quantum eſt homo, idque tripliciter, primò in quantum eſt homo deſcendens ex Regibus, Prophetis, & Patriarchis, queis de Meſſia erant effectæ promiſſiones; hæc intentio Matthæi. Vel in quantum eſt homo Rex, aut Propheta; hæc intentio Marci. Vel in quantum eſt homo Sacerdos; hoc Lucas intendit. Poteſt etiam conſiderari vt eſt Deus, cuius expreſſio principalis eſt intentio Ioannis, D. Aug. 1. de Conſ. cap. 2. *Matthæus ſuſcepiſſe intelligitur incarnationem Domini ſecundum ſtirpem regiam, & pleraque ſecundum hominum præſentem vitam & facta, & dicta eius. Marcus eum ſubſecutus tanquam pediſſequus, & breuiator eius videtur. Lucas autem circa ſacerdotalem Domini ſtirpem, atque perſonam magis occupatus apparet. Tres tamen iſtè* (c. 4.) *in his rebus maximè diuerſati ſunt, quas Chriſtus per humanam carnem temporaliter geſſit. Porrò autem Ioannes ipſam diuinitatem Domini, qua Patre eſt æqualis, intendit, eamque præcipuè ſuo Euangelio commendare curauit.*

*Scopus ſingulorum.* Auguſt.

32. Verum & lingua, & ſtyli differentia non diſſoluit vnionem. Matthæi Euangelium ab ipſo Hebraicè ſcriptum, reliqua verò Græcè, conſtanter affirmat Hieronym. præf. in Euang. & ſæpè alibi, cui ſubſcribit Auguſt. 2. de Conſ. c. 66. Quod ad ſtyli differentiam attinet, Baſil. hom. 16. in Ioan. audite. *Ioannes tonitrui filius in ſermonis magnitudine, & ſententiarum grauitate primas obtinet.* D. Hieron. *Ideò elegants ſermone Lucas procedit, vt eloquentiam quandam ſecularem redolere videatur.* Nec id mirum cum & Philoſophus, & Medicus, ac proinde Græci fuerit ſermonis peritiſſimus, *Lucas* (ait Pater Epiſt. 123.) *inter omnes Euangeliſtas Græci ſermonis peritiſſimus fuit; quippe Medicus, & qui Euangelium Græcis ſcripſerit.*

*Lingua, & ſtylus Euangelij.* Hieron. Auguſt. Baſil. Hieron.

33. Quid ais, Euangeliſtas ad ſcribendum Euãgelium permouerit? Euſeb. 3. Hiſt. c. 18. *Euangeliſtas fama eſt neceſſitate quadam adductos, ſe ad ſcribendum contuliſſe.* Huiuſce autem neceſſitatis cauſæ quædam communes. Prima ex Hieronym. *Ad fidei confirmationem.* Secunda ex Theoph. *Vt auditores, quibus Euangelium prædicauerant, in ſcripis haberent, quæ viua voce loquẽtes Apoſtolos audierant.* Tertia ex Alberto: *Vt non ſolum ijs hominibus, qui tunc ſuperſtites, ſed poſteris relinquerent.* Quarta ex Chryſ. *Ne hæreſum mendacijs Chriſtiani deciperentur.* Quinta ex Theoph. *Ne Chriſti fidelium mores peſſundarentur.* Sexta ex Auguſt. *Vt ex Euangelij ſcripti lectione rationabilem conſolationem, vel deſolationem capiamus.*

*Quid excitarit Euangeliſtas ad ſcribendum.* Euſeb. Theop. Albert. Chryſo. Theop. Auguſt.

34. Quaſdam autem proprias ſingulis Euangeliſtis cauſas obiectas fuiſſe à Doctoribus accipio. De Matthæo Chryſoſtom. hom. 1. *Matthæus accedentibus his, qui ex Iudæis Chriſto crediderant, & rogantibus, vt quæ verbis docuiſſet,* hæc

*Cauſa propria cuiuſuis* Chryſoſ.

Digitized by Google

*hæc eis in literis ſeruanda dimitteret; Hebræo di-*
Euſeb. *citur Euangelium ſcripſiſſe ſermone* Euſeb. 3. hiſt.
c. 18 *Matthæus cum iam antea Hebræis verbũ
Dei prædicaſſet, ſimul ac in animo habuit ad a-
lias gentes proficiſci, Euangelium ſuum patrio
ſermone conſcripſit. Et quod illis, à quibus deceſ-
ſit, non deeſſe, dum præſens apud eos erat in ſcrip-*
Euſeb. *tis videbatur.* De Marco vero ſic Euſeb. 6. hiſt.
cap. 11. *Illud autem, quod ſecundum Marcum
inſcribitur, talem cauſam habuiſſe fertur. Cum
Romæ Petrus verbum Dei prædicaret, & Spiritus
Sancti inſtinctu Euangelium exponeret, multos
qui præſto aderãt, Marcum magnopere obſecraſ-
ſe ferunt, vt ea, quæ fuiſſent ab illo prædicata, ſcri-*
Chryſoſ. *ptis mandaret.* De Luca verò ita D. Chryſ. hom.
1. in Matth. *Lucas cauſam ponit, propter quam
venerit ad ſcribendum; vt habeas, inquit, eorum*
Euthy. *verborum, &c.* Et Euthym. prol. in Matt. *Lucas
cauſam addit, cur Euangelium conſcripſerit, di-
cens ad Theophilum ſe hoc propter ipſius certitu-
dinem facere.* De Ioanne denique hæc ſcribit
Hieron. Hieronym. de ſcrip. *Cum legiſſet Ioannes Mat-
thæi, Marci, ac Lucæ volumina: probauerit qui-
dem textum hiſtoriæ, & vera eos dixiſſe firmaue-
rit.* Videns autem quod primi tres præcipuum
illud reſuſcitati Lazari miraculum (loquor cũ
Nicephor. 2. hiſt. c. 45.) ſuprema Saluatoris
morituri præcepta, ſpecialiſſimam diuinitatis
Ieſu expreſſionem non attigiſſent: ſatis cauſæ
habuiſſe videtur, *Cur ad tria illa Euangelium*
*Vbi ſcripſerint* *ſuum adderet.* Profectò Matthæus in Iudæa E-
Hieron. uangelium ſcripſit, auctore Hieronym. de ſcri-
Papias. ptor. Marcus Romæ, Doctore Papia à Hiero-
Iſido. nymo citato. Lucas in Achaia degẽs, iuxtà Hie-
ronym. Ioannes autem Aſiam cum illuſtraret,
ſi danda fides Iſidoro 6. Etymol.

35. *Euangelij voluminum encomia.* Denique quatuor Euangeliſtarum volumi-
num plura apud Patres encomia perlegi. Mat-
thæi namque Euangelium omnium primum
Damia. eximio recenſetur elogio Damian. ſerm. de S.
Matth. *Inter omnes ſanctos, qui cæleſti gloria de
triumphato mundo victoriæ titulos intulerunt,
Beatus Matthæus mihi videtur inſignis, atque
conſpicuus, & quendam inter eos dignitatis obti-
nere primatum, atque vt clarius dicam, nemo poſt
Chriſtum eſt, cui magis debeat ſancta vniuerſalis
Eccleſia. Nam quod mundus viuit, hæc eſt cau-
ſa, quia lux nobis Euangelica coruſcauit. Conſtat
autem, quia primus omnium Matthæus Euange-
lium ſcripſit. Quia igitur ad ſecundum Euange-
lium deſcribendum primus iſte prorupit, ſcriben-
dis cæteris Euangeliſtis viam præceſſor aperuit, &
tanquam dux vexillum ſequentibus prætulit. Illi
ergo debemus Euangelium, quem Euangelicæ nar-
rationis conſtat intuliſſe principium; & quem a-
liorum nouimus primum, non ambigimus inter eos
cuiuſdam priuilegij tenere primatum.* Verũ Mar-
ci volumen plus cæteris Ieſu gloriam protra-
Ado. xit. Nam teſte Adone die 25. April. *Euangeliũ
quanto tardius cæteris Marcus inchoauit, tan-
to in longiora ſcribendo tempora porrexit. Ab
initio namque Euangelicæ prædicationis, quæ per
Ioannem facta fuit, cœpit; & ad illud vſque tem-
pus narrando peruenit, quo Apoſtoli idem Euan-
gelij verbum totum prædicando diſſeminauere per
orbem.* Proh Euangelij D. Lucæ fulgor, cuius in
in penna ſanitas, ſiquidem Medici ſapientiſſimi
manu exaratum accepimus! Ad hæc D. Petrus
Damia. Dam. ſerm. de S. Luca. *Si diligenter attendimus,
quia medicus eſt ille, qui ſcribit, nil aliud in illa
reperimus hiſtoria niſi duntaxat animarum lan-
guentium medicinam. Humanæ quippe conuerſa-
tioni quaſi quandam rectitudinis lineam tendit, &
per eam nos quaſi ſemitam dirigit: vt ſicut pri-
mitiuam Eccleſiã vixiſſe perpendimus, in quan-
tum facultas ſuppetit, & ipſi viuere ſtudeamus.*
Iam Aquilæ Ioannis Euangelium alis colloca-
tum aſpectans D. Auguſt. l. 4. de Conſ. c. 10. Aug.
clamat: *Sicut aquila in his, quæ Chriſtus ſubli-
mius locutus eſt, immoratur, nec in terram quo-
dammodo, niſi rarò deſcendit.* Quid Euangelio
Ioannis verius? quid ſuauius? *Hoc ipſum Euan-
gelium Ioannis* (inquit Pater) *quam multò am-
plius erigit ad contemplationem veritatis, tanto
multo amplius præcipit de dulcedine charitatis.*

---

## CAPVT QVARTVM

### *De duodecim vitalibus ex vtraque fluminis ripa arboribus.*

### Vbi de totius Euangelij diſpoſitione.

EX *vtraque* (denique Ioannes) *par-
te fluminis lignum vitæ afferens fru-* 36. *Duodecim Arbores duodecim tractatus Euangelij de Sanctis ac de Tempore.*
*ctus duodecim, per menſes ſingulos
reddens fructum ſuum.* Lignum
quidem vitale ex vtraque fluuij
ripa, vel vnus Chriſtus eſt, qui bis duodecim
fructus per menſes ſingulos affert, ſeu ab In-
carnatione ad ſepulchrum, ſiue à Reſurrectio-
ne vſque ad Baſilicæ dedicationem. Vel ſi ſe-
cundum quoſdam apud vtramque ripam plura
ligna vitalia, ex Adami autem ſententia, duo-
decim ligna viſebantur, & vnumquodque duo-
decim per mẽſes fructus afferebat: idem adeſt
Saluator duodecim arborum vitalium radici-
bus ſuccum immittens, dum ex parte altera
fluminis (ſeu Euangelicæ prædicationis) San-
ctorum ſolemnia profert; altera verò decurren-
tis myſteria Temporis exhibet: hinc iugem, ac
continuam cùm propriorum geſtorum, tùm
quam habet in electis Deipara, Apoſtolis, Re-
ligionum Parentibus, Angelis, Martyribus,
Confeſſoribus, ſacriſque Virginibus fructifi-
cationem oſtentat; illinc fructum Arbor Do-
minica ſuo reddit in tempore, dum Miraculo-
rum, Perſecutionum, Colloquiorum, Sermo-
num, Prophetiarum, Parabolarumque ſuccos
feſtinat offerre. Porrò vna Arbor Ieſus *ex vtra-
que parte fluminis*, ideſt, tam in Euangeliis de
Sanctis, quàm de Tempore *per menſes ſingulos*
deguſtatur. Siue enim Euangelium Sanctorum
præcinat laudes, ſiue Temporis myſteria con-
cinat, Dominicus fulgor oculato in Sole figu-
ratus, Solis in morem duodecim men-
ſium percurrit domicilia. Ex-
primo iam totius Euan-
gelij diſpoſitio-
nem.

* * *

¶ 4 EVAN

# EVANGELIA
## DE SANCTIS.

37. *Prima Arbor, ſeu tractatus de Chriſti vita.*

### *Seu ſex vitales Arbores ex altere fluminis ripa.*

### Lignum vitale, Chriſti vita.

*Duodecim fructus.*

| | | |
|---|---|---|
| I. | Verbum Incarnatũ. | *Decēb.25.* |
| II. | Natiuitas Chriſti. | *Decemb.25.* |
| III. | Natiuitas Paſtoribus reuelata. | *Decemb.25.* |
| IV. | Circunciſio Chriſti. | *Ian.1.* |
| V. | Nomen Ieſu. | *Ian.1.* |
| VI. | Epiphania. | *Ian.6.* |
| VII. | Transfiguratio. | *Aug.6.* |
| VIII. | Paſſio Chriſti in Horto. | *Mobil.* |
| IX. | Paſſio ex Caypha. | *Mobil.* |
| X. | Paſſio apud Pilatum. | *Mobil.* |
| XI. | Paſſio Crucis. | *Mobil.* |
| XII. | Chriſti Funera. | *Mobil.* |

38. *Secunda de Chriſti ſolēnis.*

### Lignum vitæ, CHRISTI Solemnia.

*Duodecim fructus.*

| | | |
|---|---|---|
| I. | Chriſti Reſurrectin. | *Mobil.* |
| II. | Chriſti reſurgētis Manifeſtatio. | *Mobil.* |
| III. | Chriſti Aſcenſio. | *Mobil.* |
| IV. | Chriſtus mittit Spiritum Paracl. | *Mobil.* |
| V. | Chriſtus emittit Spiritum Lucē | *Mobil.* |
| VI. | Chriſtus emittit Spiritum Vitā. | *Mobil.* |
| VII. | Chriſtus Trinitatis myſterium reuelat. | *Mobil.* |
| VIII. | Euchariſtica Menſa. | *Mobil.* |
| IX. | Crux Chriſti inuenta. | *Mai.3.* |
| X. | Crux Chriſti exaltata. | *Sept.14.* |
| XI. | Crux Chriſti triomphans. | *Iul.16.* |
| XII. | Dedicatio Baſilicæ Saluatoris. | *Nob.6.* |

36. *Tertia de Deipara.*

### Arbor vitæ, DEIPARA.

*Duodecim fructus.*

| | | |
|---|---|---|
| I. | Maria Innupta. | *Ex Hiſtor.* |
| II. | Maria Nupta. | *Ex Hiſtor.* |
| III. | Maria Vidua. | *Ex Hiſtor.* |
| IV. | Mariæ Conceptio. | *Decemb.8.* |
| V. | Mariæ Natiuitas. | *Sept.7.* |
| VI. | Mariæ Præſentatio. | *Nouemb.21.* |
| VII. | Mariæ Annuntiatio. | *Mart.25.* |
| VIII. | Mariæ Viſitatio. | *Iul.2.* |
| IX. | Mariæ Expectatio. | *Decemb.18.* |
| X. | Mariæ Purificatio. | *Febr.2.* |
| XI. | Mariæ Aſſumptio. | *Aug.15.* |
| XII. | Dedicatio Mariæ ad Niues. | *Aug.5.* |

### Lignum vitæ, APOSTOLI.

40. *Quarta de Apoſtolis.*

*Duodecim fructus.*

| | | |
|---|---|---|
| I ¶ | *Apoſtolorum Principes* | |
| *Pars* | 1. Petrus & Paulus. | *Iun.29.* |
| *Pars* | 2. Petrus ſpeciatim. | *Iun.29.* |
| *Pars* | 3. Particulatim Paulus. | *Inn.3.* |
| *Pars* | 4. Pauli conuerſio. | *Ian.25.* |
| *Pars* | 5 Barnabas Pauli. | *Iun.11.* |
| II. | Mathias. | *Febr.24.* |
| III. | Marcus. | *April.25.* |
| IV. | Philippus & Iacobus, | *May.1.* |
| *Pars* | 2. Philippus ſingulariter. | *May.1.* |
| *Pars* | 3. Sigillatim Iacobus. | *May.1.* |
| V. | Iacobus maior. | *Iul.25.* |
| VI. | Bartholomæus. | *Aug.24.* |
| VII. | Matthæus. | *Sept.21.* |
| VIII. | Lucas. | *Octob.18.* |
| IX. | Simon & Iudas. | *Octob.28.* |
| *Pars* | 2. Simon præſertim. | *Octob.18.* |
| *Pars* | 3. Iudas ſpecialiter. | *Octob.28.* |
| X. | Andreas. | *Nouemb.30.* |
| XI. | Thomas. | *Decemb.21.* |
| XII. | Ioannes. | *Decemb.27.* |
| *Pars* | 2. Ante portam Latinam. | *Maij.6.* |

### Lignum vitæ, Religionum Parentes.

41. *Quinta de Religionum Fundatoribus.*

*Duodecim fructus.*

| | | |
|---|---|---|
| I. | Benedictus. | *Mart.21.* |
| *Pars* | 2. Ægidius, | *Sept.1.* |
| II. | Bernardus, | *Aug.20.* |
| III. ¶ | *Alij Monachorum Duces.* | |
| *Pars* | 1. Antonins. | *Ian.17.* |
| *Pars* | 2 Baſilius. | *Iun.14.* |
| *Pars* | 3. Hieronymus. | *Sept.30.* |
| *Pars* | 4. Bruno. | *Octo.6.* |
| *Pars* | 5. Romoaldus. | *Febr.7.* |
| IV. ¶ | *Auguſtinani.* | *Aug.28.* |
| *Pars* | 1. Auguſtinus. | *May.4.* |
| *Pars* | 2. Monica. | *Sept.10.* |
| *Pars* | 3. Nicolaus Tolent. | *Febr.16.* |
| Pars | 4. Martinus Can Legion. | |
| V. | Norbertus Præmonſtratenſium. Præſul. | *Iun.6.* |
| VI. | *Prædicatores.* | |
| *Pars* | 1. Dominicus. | *Aug.4.* |
| *Pars* | 2. Thomas Aquin. | *Mart.7.* |
| *Pars* | 3. Petrus Mart. | *April.29.* |
| *Pars* | 3. Catherina Senen. | *April.29.* |
| VII. ¶ | *Seraphici.* | |
| *Pars* | 1. Franciſcus. | *Octob.4.* |
| *Pars* | 2. Stigmata. | *Sept.17.* |
| *Pars* | 3. Meus Antonius Paduenſis. | *Iun.13.* |
| *Pars* | 4. Bonauentura. | *Iul.14.* |
| *Pars* | 5. Clara. | *Aug.12* |
| VIII. P | *Redemptores.* | |
| *Pars* | 1. Nolaſcus S. Mariæ de Mercede Rector. | *Ian.29.* |
| *Pars* | 2. Ordinis SS. Trinitatis magnalia. | |
| IX. ¶ | *Carmelus.* | |
| *Pars* | 1. Elias. | *Iul.20.* |
| *Pars* | 2. Thereſia Diſcalceatorum Parens. | *Octob.15* |
| X. | Franciſcus de Paula B. Mariæ | |

de

Digitized by Google

de Victoria Magiſter. *April.2.*
XI. Petrus Alcantara Diſcalceatorum Fundator. *Octob.19.*
Ioannes de Dios pauperum patens. *Mart.8.*
XII. *IESVITÆ.*
*Pars.* 1. Ignatius Societatis Ieſu Sigoifer. *Iul.31.*
*Pars* 2. Franciſcus Xauier Indorum Apoſtolus. *Decemb.2.*
*Pars* 3. Franciſcus Borgia Gandiæ Dux. *Octob.1.*
*Pars* 4. Ludouicus Gonzaga Caſtellonis Marchio. *Iun.21.*
*Pars* 5. Paulus,Didacus,Ioannes Martyres Iaponenſes. *Febr.5.*

42. *Sexta de Angelis, Martyribus, Confeſſoribus, Fœminis.*

## Lignum vitæ, Angeli, Martyres, Confeſſores, Fœminæ.

### *Duodecim fructus.*

I. Angeli.
*Pars* 1. Michael. *Sept.29.*
*Pars* 2. Angelus Cuſtos. *Octobr.1.*
II. Ioannes Baptiſta. *Iun.24.*
*Pars* 2. Ioannis Decollatio. *Aug.29.*
III. Stephanus. *Decemb.26.*
IV. Innocentes. *Decemb.26.*
V. ¶ *Martyres.*
*Pars* 1. Laureotius. *Aug.10.*
*Pars* 2. Vincentius. *Ian.22.*
*Pars* 3. Sebaſtianus. *Ian.20.*
*Pars* 4. Blaſius. *Febr.3.*
*Pars* 5. Chriſtophorus. *Iul.24.*
VI. Ioſephus. *Mart.19.*
VII. Ioachimus. *Mart.20.*
VIII. ¶ *Confeſſores reliqui.*
*Pars* 1. Martinus. *Nouemb.11.*
*Pars* 2. Nicolaos. *Decemb.6.*
*Pars* 3. Ildefonſus. *Ian.23.*
*Pars* 4. Iſidorus. *April.4.*
*Pars* 5. Rochius. *Aug.16.*
*Pers* 6. Ludouicus. *Aug 25.*
*Pars* 7 Iſidorus. *May.15.*
IX. ¶ *Virgines.*
*Pars* 1. Catharina. *Nouemb.25.*
*Pars* 2. Lucia. *Decemb.13.*
*Pars* 3. Agnes. *Ian.21.*
*Pars* 4. Apollonia. *Febr.9.*
*Pars* 5. Vrſula,& Sociæ. *Octob.21.*
X. Anna. *Iul.26.*
XI. Magdalena. *Iul.22.*
XII. Omnes Diui. *Nouemb.1.*
*Pars* 2. Defuncti fideles. *Nouemb.2.*
*Pars* 3. Depoſitio Defuncti.
*Pars* 4. Anniuerſarium defunctorum.

---

43. *Septima de Miraculis Ieſu.*

# EVANGELIA de Tempore.

### *Siue ſex arbores ex ripa fluminis altera.*

## Lignum vitæ, IESV Miracula.

### *Duodecim fructus.*

I. Trãsfiguratio. *Dom.2.Quad.& Sab.prac.*
II. ¶ *Maris prodigia.*
*Pars* 1. Nauicula. *Dominic.4.poſt Epiph.*
*Pars* 2. Ambular Ieſus ſupra mare. *Sabbat.poſt Ciner.*
*Pars* 3. Piſcium captura. *Dominic.4.poſt Pent.*
III. Claudi apud Templũ. *Fer.3.poſt.Dom 1.*
IV. ¶ *Caci videntes.* *(Quadrag.*
*Pars* 1 Cæcus Iericuntinus. *Quinquageſima.*
*Pars* 2. Cæcus natus. *Fer.4.poſt.Dominic.4.*
V. ¶ *Leproſi mundati* *Quadrag.*
*Pars* 1. Leproſus adorans. *Dominica 3.poſt Epiph.*
*Pars* 2. Decem Leproſi. *Dominica 3.poſt Pent.*
VI. ¶ *Paralytici ſanati.*
*Pars* 1.Paralyticus apud Piſcinam. *Fer.6.poſt Dominic.1. Quadrag.*
*Pars* 2. Paralyticus in lecto. *Dominica 18.poſt Pent.*
VII. Socrus Simonis. *Fer.5.poſt Dominicã 3.*
VIII. ¶ Muti & ſurdi. *(Quadrag.*
*Pars* 1. Diabolus mutus. *Domin.3.Quadr.*
*Pars* 2. Surdus & mutus. *Domin.11.poſt.Pẽt.*
IX. Hydropicus. *Domin 16.poſt Pent.*
X. Reguli Filius. *Dominic.20.poſt Pent.*
XI. Aqua io vinum. *Dominic.2.poſt Epiph.*
XII. ¶ Panis multiplicatio.
*Pars* 1. Quinque panes. *Domin.4.Quadrag.*
*Pars* 2. Septem panes. *Dominic.6.poſt Pent.*

## Lignum vitæ, IESV Perſecutiones. 44. *Octaua de Perſecutionibus.*

### *Duodecim fructus.*

I. Ieſus à Leuitis tentatur in Ioanne. *Dominic.3.Aduentus.*
II. Ieſus ſignum cui contradicitur. *Dominic.inf.oct.Natiu.*
III. Tentatur à diabolo. *Domin.1.Quadrag.*
IV. Tẽtatur à Phariſæis ex Adulteræ iudicio. *Sabb.poſt Dom.3. Quadrag.*
V. Ieſum Iudęi extra ciuitatem deturbant. *Fer.2.poſt Dom.3. Quadrag.*
VI. Miniſtri à Principibus immiſſi apprehẽdere accedunt Saluatorem. *Fer. 2. poſt Dom.5. Quadrag.*
VII. Querimoniæ Iudæorum de non lotis Diſcipulorum manibus. *Fer.4.poſt Dom. 3.Quadrag.*
VIII. Murmur Iudæorum in Ieſum Scenopagiæ ſolemni. *Fer. 3. poſt Dom. 5. Quadrag.*
IX. Conciliũ Iudæorum. *Fer.6.poſt Domini.5. Quadrag.*
X. Iudæ murmuratio. *Fer.2.poſt Dominic. Palm.*
XI. Tollunt Iudæi lapides vt Ieſum percutiant. *Dom.in Paſſione.*
XII. Lapidibus eũdem Encęniorum die conantur impetere. *Fer.4.poſt Dom.5. Quadrag.*

## 45. Lignum vitæ, IESV Colloquia.

*Nona de Colloquiis.*

*Duodecim fructus.*

I. Colloquium cum Diſcipulis Ioannis. *Dominic. 2. Aduentus*
II. Cum Doctoribus Ieroſolymæ. *Dominic. inf. oct. Epiph.*
III. Cum Samaritana. *Fer. 6. poſt 3. Dominic. Quadrag.*
IV. Cum Iudæis apud templum flagellans mercatores. *Fer. 2. poſt Dom. 4. Quadrag.*
V. Cum Phariſæis apud Gazophylacium. *Sabb. poſt Dom. 4. Quadrag.*
VI. Cum Iudęis feſto mediante. *Fer. 3. poſt Dom 4. Quadrag.*
VII. Cum Philippo, & turba. *Sabb. poſt Dom. 5. Quadrag.*
VIII. Cum Diſcipulis de triumpho Ieroſoſolymitano. *Dom. in Palmis.*
IX. Cum Diſcipulis poſt Reſurrectionem. *Dominic. in Albis.*
X. Cum Phariſæis capere eum in ſermone procurantibus. *Dominic. 22. poſt Pent.*
XI. Cum Centurione. *Fer. 5. poſt Cineres.*
XII. Cum Chananæa. *Fer. 5. poſt Domin. 1. Quadrag.*

## 46. Lignum vitæ, IESV Sermones.

*Decima de Sermonibus.*

*Duodecim fructus.*

I. Sermo de Ieiunio. *Fer. 4 Cinerum.*
II. De Doctrina cum operibus. *Fer. 3. poſt Dom. 2. Quadrag.*
III. De Prælatorum humilitate, ſeu pedum ablutione. *Fer. 5. in Paraſceu.*
IV. De Pœnitentiæ Baptiſmo ex ore Ioannis. *Domin. 4. Aduentus.*
V. De Iuſtitiæ nouæ legis abundantia. *Dominic. 5. poſt Pent.*
VI. De duplicis domini incompoſſibilitate. *Dom. 14. poſt Pent.*
VII. De dilectione inimicorum. *Fer. 6. poſt Cineres.*
VIII. De Correctione fraterna. *Fer. 3. poſt Dom. 3. Quadrag.*
IX. De bono Paſtore. *Dominic. 2. poſt Paſcha*
X. De duobus magnis Mandatis. *Dominic. 17. poſt Pent.*
XI. De Oratione. *Dominic. 5. poſt Paſcha*
XII. De Oratione rurſum. *Fer. 2 3. & 4. Rog.*

## 47. Lignum vitæ, IESV Prophetiæ.

*Vndecima de Prophetiis.*

*Duodecim fructus.*

I. Iudicij Ieſus exhibet ſigna. *Dominic. 1. Aduentus.*
II. Deſcribit Iudicium. *Fer. 2. poſt Dom. 2. Quadrag.*
III. Signo Ionæ exhibito, ſuam mortē prædicit. *Fer. 4 poſt. Dom. 1 Quadrag.*
IV. Impœnitētiā Iudæorum præſignat. *Fer. 2. poſt Dom. 2. Quadrag.*
V. Mortem rurſum proloquitur Ieroſolymam ſcandens. *Fer. 4 poſt Dom. 2. Quadrag.*
VI. Diſceſſum poſt modicum minitatur. *Dominic. 3. poſt Paſcha.*
VII. Spiritum Sanctum promittit. *Dominic. 4. poſt Paſcha*
VIII. Paracleti iterum præclamat aduentum. *Dom. inf. oct. Aſcenſ.*
IX. Exitium præuidet Ieroſolymæ. *Domin. 9. poſt Pent.*
X. Abominationem deſolationis prænunciat. *Dom. 24 poſt Pent.*
XI. Falſorum Prophetarum deſcribit irruptionem. *Dom. 7. poſt Pent.*
XII. Futuram paſſionem Diſcipulis præſentat. *Dominic. in Quinquag.*

## Lignum vitæ. Ieſu Parabolæ. 48.

*Duodecima de Parabolis.*

*Duodecim fructus.*

I. Nuptiæ filij Regis. *Dominic. 19 poſt Pent.*
II. Regis Debitor. *Dominic. 21. poſt Pent.*
III. Epulo. *Fer. 5. poſt Dominic. 2. Quadrag.*
IV. Villicus. *Dominic. 8. poſt Pent.*
V. Cœna magna. *Dominic. inf. oct. Corporis Chriſt.*
VI. Publicanus. *Dominic. 10 poſt Pent.*
VII. Sinapis. *Dominic. 6. poſt Epiph.*
VIII. Semen. *Dominic. in Sexageſ.*
IX. *Pars* 1. Vinea. *Fer. 6. poſt Dominic. 2. Quadrag.*
*Pars* 2. Vineæ operarij. *Dominic. in Septuageſ.*
X. Zizania. *Dominic. 5. poſt Epiph.*
XI. Incidens in latrones. *Dom. 12. poſt Pent.*
XII. ¶ *Peccatorum conuerſio.*
*Pars* 1. Prodigus. *Sabb. poſt Dominic. 2. Quadrag.*
*Pars* 2. Ouicula. *Dominic. 3 poſt Pent.*

Igitur præmiſſa Euangelij totius diſpoſitione inſtituti mei operis corpus iuxta Arborum vitalium numerum duodecim cupio (faueat ſi Numen vitæ ſuperſtiti) in Tomos partiri, ſingularumque Arborum duodecim fructus totidem libris celebrare. Cuilibet Euangelicæ lectioni breuis Paraphraſis aſſidebit, poſtea calamus explicationis in liberum ſoluetur excurſū, ita vt quæ faciant ad mores, nonnullas quandoq; illuſtrationes interſerat. Tandem obſeruationes longiores panegyricas, quæ, aut Sanctorum gloriæ, aut Myſteriorum commeodationi ſubſeruiant, Morales quidem, quæ aut flagella motum in improbos contorqueant, aut probis virtutum conſoueant nutrimenta ex viſceribus literæ pullulabunt. Huius mentis in ſubſidia veniunt ſacræ Paginæ teſtimonia, quæ non leuiter S.S. Patrum ſuffragia muniunt. Vni autem curæ ſemper intentus, ne aliena tranſcribam, ſed proprium quale quale, peculium expromā. Nec ſactotum ferculorum apparatui deerunt Ægyptiorum vaſa equidem aurea, & argentea, id eſt ex humanis literis petitæ ſententiæ. Nam vt vna dulcedo omnium non facit ad guſtum; ita neceſſe eſt, vt ſcripta ſaporis diuerſitate condiantur. 49.

*Diſpoſitio eadem mei operis.*

DE

Digitized by Google

# DE SANCTIS MENSIVM ORDINE SYLLABVS.

## *IANVARIVS.*

1. CIRCVMCISIO. *tom.1.lib.4.*
6. Epiphania. *tom. 1. lib. 6.*
17. Antonius Abb. *tom.5.lib.3.*
20. Sebaſtianus. *tom.6.l.5.*
21. Agnes. *tom. 6.l.9.*
23. Ildefonſus Archiepiſc. Tolet. *tom.6.lib.1.*
25. Conuerſio Pauli. *tom 4.lib.1.*
25. Petrus Nolaſcus. *tom.5.lib.8.*

## *FEBRVARIVS.*

2. Purificatio B. M. *tom.3.lib.10.*
3. Blaſius. *tom.6.lib.5.*
5. Paulus, Ioãnes, Didacus, Martyres Societ. Ieſu. *tom.5.lib.12.*
7. Romualdus. *tom.5.lib.3.*
9. Apollonia. *tom.6.*
24. Matthias Apoſt. *tom.4.lib.2.*
26. Martinus Canonicus D. Iſidori Legion. *tom. 5.lib.4.*

## *MARTIVS.*

1. Angelus Cuſtos. *tom.6.l.1.*
7. Thomas Aquinas. *tom.5.lib.6.*
8. Ioao de Dios. *tom.5.lib.11.*
19. Ioſephus Confeſſ. *tom.6.l.6.*
20. Ioachimus Confeſſ. *tom 6.lib.7.*
21. Benedictus. *tom.5.l.2.*
25. Annunc. B.M. *tom.3.lib.7.*

## *APRILIS.*

2. Franciſc. de Paula. *tom. 5.l.10.*
4. Iſidor. Arch. Hiſpal. *tom.6.l.8.*
25. Marcus Euang. *tom.4.l.3.*
29. Petrus Mart. *tom.5.lib.6.*
29. Catharina Senenſ. *tom.5.l.6.*

## *MAIVS.*

1. Philippus, & Iacobus Apoſt. *tom.4 lib 4.*
3. Inuentio Crucis. *tom.2.lib.9.*
4. Monica *tom 5.l.4.*
6. Ioan. ante portam Lat. *tom.4.l.12.*
15. Iſidorus Agricol. *tom.6.l.8.*

## *IVNIVS.*

6. Norbertus Confeſſ. *tom.5 l.5.*
11. Barnabas Apoſt. *tom.4 l.1.*
13. Antonius Pad. *tom.5.l.7.*
14. Baſilius. *tom.5.lib.3.*
21. Gonzaga è Societ. Ieſu. *tom. 5. lib.12.*
24. Ioannes Baptiſt. *tom.6.lib.2.*
29. Petrus & Paulus Apoſt. *tom.4.l.1.*
30. Pauli commemor. *tom. 4. l.1.*

## *IVLIVS.*

2. Viſitatio B. M. V. *tom.3.lib.8.*
14. Bonauentura. *tom.5.l.7.*
16. Triumphus Crucis. *tom.2.lib.11.*
20. Elias. *tom.5.l.9.*
22. Magdalena. *tom.6.lib.12.*
25. Chriſtophorus. *tom.6.l.5.*
25. Iacobus Apoſt. *tom.4.l.5.*
26. Anna. *tom. 6.lib. 10.*
31. Ignatius Societ. Ieſu fundator. *tom.5.l.12.*

## *AVGVSTVS.*

4. Dominicus. *tom.5.lib.6.*
5. Dedicat. ad Niu. *tom.3.l.12.*
6. Transfiguratio. *tom.1.l.7.*
10. Laurentius. *tom.6.l.5.*
12. Clara. *tom.6.l.6.*
15. Aſſumptio B. M. *tom.3.l.11.*
15. Rochius. *tom.6.l.8.*
20. Bernardus. *tom.5.lib.2.*
24. Bartholomæus Apoſt. *tom. 4.lib.6.*
25. Ludouicus Rex Franciæ. *tom.6.l.8.*
28. Auguſtinus. *tom.5.lib.4.*
29. Ioannis decollat. *tom.6.lib.2.*

## *SEPTEMBER.*

1. Ægidius Abb. *tom.5.l.1.*
8. Natiuitas B. M. *tom.3.l.5.*
10. Nicolaus Tolent. *t.5.l.4.*
14. Exaltatio Crucis. *tom.5.lib.7.*
17. Stigmata B. Franc. *tom.5.l.7.*
21. Matthæus Apoſt. *tom.4.lib.7.*
29. Michaël Arch. *tom.6.l.1.*
30. Hieronymus. *tom.5.lib.3.*

## *OCTOBER.*

1. Franciſcus Borgia è Societ. Ieſu. *tom.5.l.12.*
4. Franciſcus Conf. *tom.5.l.7.*
6. Bruno. *tom. 5. lib.5.*
15. Thereſa de Ieſu. *tom.5.lib.9.*
18. Lucas Euang. *tom.4.lib.8.*
19. Petrus Alcant. *tom.5.l.11.*
21. Vrſula cum Sociis. *tom.6.l.9.*
28. Simon, & Iudas Apoſt. *tom.4.l.9.*

## *NOVEMBER.*

1. Omnes Diui. *tom.6.l.12.*
2. Commemoratio omnium fidelium defunctorum. Depoſitio defuncti. Anniuerſarium. *tom.6.l.12.*
11. Martinus Epiſc. *tom. 6.l.8.*
21. Præſentatio B.M. *tom.3.l.6.*
25. Catharina virg. *tom. 6.l.9.*
30. Andreas Apoſt. *tom. 4.lib.10.*

DECEM

## *DECEMBR.*

2. Franciſcus Xauier è Societate Ieſu. *tom.5. lib.* 12.
6. Nicolaus Epiſc.*tom.6.l.8.*
8. Conceptio B. Mariæ. *tom.3.l.4.*
13. Lucia virg.*tom 6.l.9.*
18. Expect. B.M. *tom.3.l.9.*
21. Thomas Apoſt.*tom.4.lib.11.*
25. Natiu. Ieſu. *tom.1.l.2.*
26. Stephanus.*tom.4.lib.12.*
27. Ioannes Apoſt. *tom.4.lib.12.*
28. Innocentes. *tom. 6. lib.4.*

## *FESTA MOBILIA.*

Reſurrectio.*tom.2.lib.1.*
Reſurgentis apparitio I V. *tom.2.l.2.*
Reſurgentis apparitio V. *tom.2.l.3.*
Aſcenſio.*tom.2.l.3.*
Spiritus Sanctus Paraclet. *tom.2. lib.4.*
Spiritus Sanctus Lux. *tom. 2. l.5.*
Spiritus Sanctus Vita.*tom.2.lib.6.*
Trinitas. *tom.2.lib.7.*
Euchariſtia.*tom.2.lib.8.*
Paſſio. *tom.1.lib.8.9.10.11.12.*

IN

Google

# IN DOCTISSIMOS, ET ACVTISSIMOS EVANGELIORVM COMMENTARIOS

R. P. Antonij de Eſcobar & Mendoza Societatis Ieſu:

*SIVE*

In duodecim vitales arbores ab eodem plantatas, rigatas, auctas cum alluſione

AD ILLA VERBA APOCALYPSEOS 21.

*Oſtendit mihi fluuium aquæ viuæ procedentem de Sede Dei, & Agni: & ex vtraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim.* Vide Obſeruationem Proœmialẽ cap. 4.

## FEDERICVS SCOTVS

EIVSDEM SOCIETATIS.

ANTONIVS (bone lector ades) tibi flumina, ripas,
Fructibus oſtendo Ligna onerata ſuis.
Hîc viridis, marcenſque & florida ſurgit IESV
Planta, tibi variis conſpicienda modis. Duplex lignum vitale Chriſti vita, eiúſque ſolemnia.
Illic bis ſenus ſpecioſæ eſt paſtus oliuæ, Lignum vitæ Deipara.
Seu platani, vere quæ propè degit aquas. Lignum vitæ Apoſtoli.
Blandus Apoſtolica dependet ab arbore fructus,
Duritiem ponit iam quoque Petra ſuam.
Vtpote pomorum PETRVS prior agmina ducit,
Quorum ſat toto notus in orbe ſapor.
Stipitis an memorem benedicti tempus in omne
Fructum? Qui ſemper qui BENEDICTVS erit. Lignum vitæ Religiorum parentes.
Quàm gratus, dulcíſque fuit, quámque vtilis Orbi,
Vnus pro reliquis LOYOLA teſtis adeſt.
Pergito, quam cernis, variis pulcherrima ramis
Arbor, & erecta eſt ordine ſexta ſuo. Lignum vitæ Angeli, Martyres, Confeſſores, Virgines.
Hîc omnes quicumque ſacri ſunt fulmina belli,
Angelicuſque ſedent, virgineuſque chorus.

*Ex ripâ fluminis altera.* Flumina ne paueas, humilem preme ſtrennus vadam,
Quò modò veniſti ripa videnda tibi eſt.
*Lignũ vitæ, Ieſu miracula.* Obſtupeo! Quibus è ramis? quæ pendula ſigna
Proſpicio. Solùm quæ decuere Deum.
Hæc reſerant aurem, linguamque in verba reſoluunt;
Lætaque quos facit hæc percipit illa ſonos.
Erectus ſequitur mirantia lumina greſſus,
Attonitoſque trahunt hæc modò cæca pędes.
*Lignũ vitæ, Ieſu perſecutiones.* Ecce ſtat oppoſitis hoſtilis frondibus arbor,
Mala cui tot ſunt, quod tua Chriſte mala.
Porro quàm dulce eſt, tria ligna ſequentia dicent,
*Ligna vitæ, Ieſu colloquia, ſermones, parabolæ.* Audire & Dominum, cum Dominoque loqui.
Arbor, quæ ſupereſt, venturum proſpicit æuum,
Noſque ſequuturis poma legenda tenet.
*Lignũ vitæ, Ieſu Prophetiæ.* Nec fruſtra obregitur denſâ ſpiſſiſſima fronde,
Huius enim fructus pars bene magna latet.
Sat ſat fructiferos hortos iam vidimus, inquis,
Quale ſit hoc medium flumen, & vnde rogas?
Hoc eſt, quod placidas ſinuoſo margine ripas,
Fingens, fertilibus nutrit, & vrget aquis.
Hæc MENDOZA tuo docto voluuntur ab ore,
Hæc ſunt ingenij viua fluenta tui.

ANTONII

# ANTONII
# DE ESCOBAR
ET
# MENDOZA
## VALLISOLETANI
SOCIETATIS IESV,

Et nunc Regalis Salmanticenſis Collegij Concionatoris,

*AD EVANGELIA SANCTORVM*
*Commentarij Panegyricis moralibus illuſtrati.*

## VOLVMEN I.
LIGNVM VITALE, CHRISTI VITA.



LVGDVNI,
Sumpt. PETRI PROST.

*M. DC. XLII.*

Digitized by Google

Digitized by Google

ADMODVM

# R. P. NOSTRO MVTIO VITELLESCO

## SOCIETATIS IESV PRÆPOSITO GENERALI.

IAM Pridem in votis habeo *Admodum R. Pater*, apud Euangelij è Ieſu Agni throno procedentis fluenta reſidere,duodecímque nō tam ſingulares vnius Ligni fructus, quàm vitales arbores contemplari, vbi ex altera quidem ripa Sanctorum gloriam, ex altera verò Temporis Eccleſiæ decurſum vberrima virtutum fructificatione refertum intueor. Aggreſſus dein Commentariorum, ac Obſeruationum penicillo & pulchritudinem, & vbertatem arborum exprimere, neceſſarium mihi obſequentiſſimo filio, in tuæ paternitatis abire reſpectum. Ita ſuadente Marullo.

*Scilicet eſt olim vis rerum in ſemine certa,*
*Et referunt animos ſingula quæque Patris.*

Elucet ſanè vis tua quaſi in ſuo ſemine,meo in Opere, quod quidem tāti Patris animum referre quis dubitet? Mentem expendam. Profectò opus inſtitutum *In Euangelia Sanctorum, & Temporis*, Societatis noſtræ tuæ filiæ chariſſimæ adumbrat imaginem. Dum enim Sanctorum ſolemnia occurrunt,Chriſti trophæa nobis domeſtica, qui Ieſu quàm ſedulò poſſumus, militamus. Neque Deiparæ gloria aliena, cuius auſpiciis nata Societas,cuius præconio tota viſa incumbere. Quid referam Apoſtolos? Apoſtolicam conditionem ſi minus aſſequitur, ſed tota anxia ſequitur Societas. Religionum Patriarchas quid non referat, quando Patriarcha noſter à ſingulis edidicit, vnde Religionem ſuam inſtitueret? Angelorum,Martyrum, Confeſſorum, Virginum encomia dum diuulgo,mihi aro,mihi occo:cādidat enim Societas Virginibus, Martyribus rubet,Confeſſoribus nitet,qui omnes Angelicæ inhiarūt puritati. Dum autem Temporis ſacra obiiciuntur, Euangelica *Miracula* Ieſu illud proferunt inſtitutum,quod plurimos Eccleſiæ Annalibus adiicit Thaumaturgos. *Perſecutiones* Chriſti incrementa Societatis memoranr,ſi agrorum in morem imbribus,niuibúſque feſtinauit ad germina. Saluatoris *Colloquia*

*quia* Societatis circa proximorum ſalutem negotium proclamant. Denique *Prophetiarum* ænigmata, *Parabolarum* verſutiæ, *Sermonum* ſacramenta, quibus Chriſtus ſic lucem obtulit, vt in ipſo ſplendore de maieſtate caligare videantur, merito Religioni noſtræ attribuentur, cuius vnica cura tot vigiliis, tam aſſiduis lucubrationibus, tot editis voluminibus obſcura pandere, ſecreta aperire, & occulta ſincere manifeſtare. An non duodecim Arborum in ſemine vis certa tui? num non ſingula quæque operis noſtri animum referunt Parentis Societatis? Si ergo opus totum eſt Ieſuita, tibi ſoli nuncupandum, qui ſapientiſſima gubernatione tua tot familiæ Ieſu glorias promouiſti, eximióque amplitudinis, & virtutis incremento geminaſti. Fateor, moleſtum tuis humeris pondus adhibeo, dum ſub luce tua tot in lucem errata diuulgo, Comico præcinente, *Patrem eſſe plurimum habet moleſtiæ, ſi tutanda quæque errata nati.* Attamen parentis hoc onus graue quidem, ſed neceſſarium. Iam coram tanto ſacrarum literarum Doctore, Concionatore egregio, & de operis ruditate recedēs conquererer, & de paruitate formidarem; ſi correctionis neceſſitas non me potius pelleret ad Magiſtrum; & Scriptura, circa quam mea verſantur Commentaria, memoriæ illud non ferret Auguſtinianum: *In hoc rerum genere nec maioribus induidendum, nec de minoribus deſperandum.* Præcipuè cum ex Menandri ſententia *Grata parenti, vel parua filij.* Benigniſſimè igitur paterna clementia dum opus meum tuum ambit auſpicium, hoſpitium mendicat, poſcítque clientis iure patrocinium: excipe hoc, qualecumque eſt, noſtræ voluntatis officium, exiguum per ſe licet, ſed ex magno tamen affectu tui obſeruandi profectum, ex quo potiſſimum, non ex rerũ ipſarum magnitudine, vel Societatis Ductor Ieſus aſſolet oblata ſibi munera æſtimare. Te ipſe quam plurimos annos Societati noſtræ, mihíque incolumem ſeruet.

*Antonius de Eſcobar & Mendoça.*

PANE

Digitized by Google

# PANEGYRICORVM MORALIVM

## SYLLABVS.

*Dominici vitalis ligni duodecim fructus.*

Fructus primus.

### FRVCTVS PRIMVS.

*Verbum Incarnatum.*

1. PANEGYRICVS PRIMVS

EX HVMANA CHRISTI NATVRA.

*Lib. 1. ſect. 1. Num. 29. pag. 7.*

OBSERVATIO I. Verbum Euangelicum æterno Verbo affine. *Vbi de prædicationis laudibus. n.26. pag. 7.*

OBSERVATIO II. Verbum fungens Dei ſocietate quid niſi Deus eſſet? *Vbi bonæ ſocietatis commoda, praua imcommoda recenſentur num. 35. p.8.*

OBSERVATIO III. Verbum diuinum eadem opera molitur ac Pater. *Vnde colligo parentum ac filiorum opera aſſimilari. n. 44. p. 9. & 10.*

OBSERVATIO IV. Peccatum ſine Verbo factum. *Id redigit homines in nihilum. n. 51. p. 11.*

OBSERVATIO V. Omnia iuſto vita ſunt, quia in ipſo Deus, in quo vita ſunt omnia, commoratur. *Diligenti etenim Deum omnia cedunt in bonum. n. 59. p. 12.*

OBSERVATIO VI. Spiritualis lux vita eſt animorum. *Vbi cœleſtis magiſterij neceſſitas ad viam ſpiritus percurrendam oſtenditur. num. 68. pag. 13.*

OBSERVATIO VII. Verbi lux in erroris mediis tenebris emicat. *Diuina namque miſericordia inter noſtra crimina amplius elucefcit. n. 75. p. 14.*

2. PANEGYRICVS SECVNDVS

EX PRÆCONIO.

*Lib. 1. ſect. 2. num. 26. pag. 17.*

OBSERVATIO I. Ioannes miniſter Euangelicus à Deo aſſumptus immittitur. *Quia Prælati, ac concionatores, adſumendi, immittendi, non vltro ad munus prægreſſuri. num. 26. p. 17.*

OBSERVATIO II. Quod Ioannes in contemplatione loquitur, hoc poſt contemplationem euulgat. *Quia conuerſationis qualitas ex orationis exercitamento dimanat. n. 33. p. 18. 19.*

OBSERVATIO III. Fide admodum dignum vnius Ioannis ſanctiſſimi teſtimonium. *Vbi oſtendo homines iuſtos in teſtes adſumendos non ſceleratos n. 39. p. 19. 20.*

PANEGYRICVS TERTIVS. 3.

EX CHRISTI ADVENTV.

*Lib. 2. ſect. 3. num. 53. pag. 26.*

OBSERVATIO I. Tam verborum humanitate exutum, quàm Chriſtum lucem eſſe confirmo. *Homines vtique dirigentem, illuſtrantem, accendentem, gloriam ſuam Deo in noſtram effundente vtilitatem à n. 53. p. 26.*

OBSERVATIO II. Homo ex terra in mundum, ſiue ex nihilo in nihilum adueniens. *Quia cuncta nihil mundialia. numero 75. pag. 29.*

OBSERVATIO III. Data hominibus poteſtas circa adoptionem in ſtatu gratiæ. *Vbi de Baptiſmi ac Pœnitentiæ lauacro n.90. pagina 31.*

OBSERVATIO IV. Poteſtas hominibus circa adoptionem conſummatam in ſtatu gloriæ. *Vbi de virtutum pennis à Domino dirigendis. n. 98. p. 32.*

PANEGYRICVS QVARTVS. 4.

EX INCARNATIONE

*Lib. 1. ſect. 4. num. 28. p. 36.*

OBSERVATIO I. Incarnationis Verbi cauſas recenſeo, & confirmo. *Ac ſimul hominum ægritudinibus ſpiritualibus pharmacopolium præparo n. 28. p. 36.*

OBSERVATIO II. Incarnati Verbi hoſpitium hominis præcordia. *Vbi de diſpoſitione ad Chriſtum in Euchariſtia excipiendum, receptioniſque digna fructu. n. 70. p. 43.*

OBSERVATIO III. Vidimus Ieſum vnigenitum à Patre, ex ſtella, ex Angelis, ex Pa-

ex Paſtoribus, ex Simeone, ex Gabriele, ex Virgine, ex Patre ipſn, & Spiritu ſanctn. *Vbi de fulgore iuſti nunquam non ſeſe reſerante. num. 89. p. 45. 46.*

OBSERVATIO IV. Gratia & veritas cum Ieſu pariter incedunt. *Quia iuſti plerumque veraces, mendaces peccatores. numero 97. pag. 47.*

---

Fructus ſecundus.

## FRVCTVS SECVNDVS.

### *Chriſti Natiuitas.*

5. ### PANEGYRICVS PRIMVS

#### EX ORBIS DESCRIPTIONE.

*Lib. 2. ſect. 1. num. 31. pag. 53.*

OBSERVATIO I. Orbis deſcribitur, vt vnuſquiſque ciuis iuxtà facultatem cenſum, ſeu tributum Cæſari exhibeat. *Nec enim tributa æqualiter à diuitibus ac pauperibus exigenda. n. 31. p. 53.*

OBSERVATIO II. Paci tutandę iuſtè Auguſtus tributa præſcribit. *Id enim quod ad ciuium vtilitatem à Rege exquiritur, Regis eſt: non tam datur, quàm debetur, n. 38. p. 55.*

OBSERVATIO III. Omnes deſcribi ſiue nullum à communis legis nbſeruatinne eximi, pacis argumentum. Quia ab innbedientia legis ( ſiue à crimine ) bella ducunt exnrtum. n. 44. p. 56.

OBSERVATIO IV. Mundnm tunc Chriſtus inuiſit, cum homines pace colligabantur. *Quia vbi pax, ibi Dominus amat ſibi hoſpitium præparari. n. 51. p. 57.*

6. ### PANEGYRICVS SECVNDVS

#### EX MARIÆ AC IOSEPHI Profeſſione,

*Lib. 2. ſect. 2. num. 16. pag. 60.*

OBSERVATIO I. Obediens edictn Ioſephus aſcendit in Bethleem. *Quia cæca obedientia ſemper ad eleuatiſſimum thronum eleuatur. n. 16. p. 60.*

OBSERVATIO II. Inſeph quia de domo Dauid, promptius edictn obediuit Augusti. *Obedientia enim quaſi adnata nobilibus num. 23. pag. 61.*

OBSERVATIO III. Maria edicto coacta ſe tradit in viam. *Vt doceat fœminas è domo non egredi niſi præcepto, aut neceſſitate exactas. n. 29. p. 62.*

OBSERVATIO IV. Pueri Ieſu iter agenti exemplū Marię prægnantis leuia reddidit onera. *Vbi de exemplo Præſulum leges rigidas dulcorante. n. 34. p. 63.*

### PANEGYRICVS TERTIVS. 7.

#### EX PARTV VIRGINEO.

*Lib. 2. ſect. 3. num. 30. pag. 67.*

OBSERVATIO I. Vnigenitus Patris Marię Ptimngenitus Chriſtus exnritur. *Vt nos fratres ſuos Deique filios efficiat. n. 3n. pag. 67.*

OBSERVATIO II. Filium ſuum parit Maria, qui ex Virgine exortus ſe Dei Filium eſſe manifeſtat. *In Virginitatis fœcundiſſimæ commendationem. n. 38. p. 68.*

OBSERVATIO III. Mirifica faſciarum. *Vbi quam mirabiles humilitas præſentet effectus. à n. 43. p. 69.*

OBSERVATIO IV. Dei inclinatio, vt iacentes elenet hnmines. *Principis enim eſt abiectis ſubditis manum porrigere. n. 49. p. 70.*

OBSERVATIO V. Stabulum ac Præſepium cœln eleuatius. *Vbi oſtendo gaudium hominibus non à ſublimi loco, ſed ex Dei ſocietate profluere. n. 53. p. 70.*

OBSERVATIO. VI. Puer vitalis panis in præſepin apponitur, vti bruta conuertat in hnmines. *Vbi de Euchariſtia mores immutante. n. 59. p. 71.*

OBSERVATIO VII. A pueritia diſce cum Ieſu in via natn, effecto via, quidqnid vir aux ſenex præſtare velis. *Vbi de virtute à cunabulis. n. 66. p. 72.*

### PANEGYRICVS QVARTVS. 8.

#### EX ANGELO APVD PASTORES.

*Lib. 2. ſect. 4. num. 26. pag. 76. 77.*

OBSERVATIO I. Præcipuè Paſtnribus natum Ieſum Angelus euulgat. *Quia à mundo deſpecti, & paruuli ſpecialis affectus ſinu à Domino excipiuntur. numero 26. pag. 76. 77.*

OBSERVATIO II. Futurum populo gaudinm magnum ex Ieſu natalitin indicitur in ſignum ſaluatinnis. *Ex rerum enim ſpiritualium contemplatione ſpeciali affici lætitia magnum eſt prædeſtinationis documentum. num. 36. pag. 78.*

OBSERVATIO III. Faſciæ & præſepium halant Deitatem. *In paupertatis ad diuinorum contemplationem accommodatiſſimæ præconium. n. 42. p. 79.*

OBSERVATIO IV. De communi præſepio Angelus ſignum exhibet. *Vt panis dominicus communi in menſa appoſitus nunquam menſa communis defecturam abundantiam commendet, in Eleemoſynæ præconium. n. 48. p. 8n.*

OBSERVATIO V. Natalis Ieſu non Phariſæis, ſed Paſtoribus reuelatnr. *Vbi de verſutia malo, ſynceritatis bono, Parentum exercitamentis à fideli imitandis, ſocio æquali eligendo, Prælatiſque à Domino ſpecialiſſimè edoctis ad regimen exhibeo documenta. n. 54. p. 81.*

9. PANEGYRICVS QVINTVS.

EX HYMNO ANGELICO.

*Lib. 2. ſect. 5. num. 12. pag.* 88.

OBSERVATIO I. Natiuitatem Chriſti noſtræ decet gratitudinis modulatio. *Vnde oſtenditur, profuſis gratiis cuiuſuis Dei beneficij nos proſeqni debere natale, à num.* 12. *pag.* 88.

OBSERVATIO II. Cœleſtis militiæ fortiſſimum præſidium. *Vnde de belligerantibus aduerſum hominum hoſtes cuſtodibus Angelis. n.* 21. *p.* 89.

OBSERVATIO III. Pacem Angeli euulgaturi militari babitu pugnaces deſcendunt. *Quia vera pax & materials & ſpirituali bello acquiritur. n.* 26. *p.* 90.

OBSERVATIO IV. Dei gloria eſt, homines pace colligari. *Vbi de bello pacis, ſeu de potentiſſimo pacis præſidio. n.* 35. *p.* 91.

OBSERVATIO V. Angeli pacem hominibus concinentes, ſimul eos potiri gloria affirmant. *Quia vbi pax, ibi gloriam neceſſe eſt commorari. n.* 40. *p.* 92.

OBSERVATIO VI. Pax volontate bona conſeruanda eſt. *Niſi enim charitas defectnū proximi multitudinem operiat, pax ablegabitur. n.* 49. *p.* 93.

OBSERVATIO VII. Eleemoſyna bonæ volontatis Angelico bymno celebratur. *Tua enim bona voluntate, oratione, cōpaſſionis affectu inopes ſatiātur. n.* 54. *p.* 93.

OBSERVATIO VIII. Exortus Ieſus bomioes Angelis reddens amicos diſſidiū abſtulit. *Vbi de Angelorum, & hominum commercio. n.* 61. *p.* 94.

---

Fructus tertius.

# FRVCTVS TERTIVS

*Paſtores Bethleemitici.*

10. PANEGYRICVS PRIMVS.

EX IPSORVM DELIBERATIONE.

*Lib. 3. ſect. 1. num. 15. pag. 99.*

OBSERVATIO I. Tranſeunt neceſſario Paſtores, vt Ieſum apod Bethlemum inuocantur. *Mundialia namque contemnenda ab eis, qui aut vita ſpirituali hareſcere, aut Euchariſtiam curant excipere. numero* 15. *pag.* 99.

OBSERVATIO II. Quonam modo Paſtores Verbum factum xſpexerint? *Vbi de operum locutione. n.* 28. *p.* 101.

11. PANEGYRICVS SECVNDVS.

EX PASTORVM ADVENTV.

*Lib. 3. ſect. 2. num. 17. pag.* 104. 105.

OBSERVATIO I. Deipara diſcit à Paſtoribus. *Nam ſapiens humilis vel à Ant. de Eſcob. & Mendoz.* de Sanctis Tom. I. *rudibus ſumit documenta. n.* 17. *p.* 104. 105.

OBSERVATIO II. Chriſtum non deſides, ſed feſtinantes ac ſoliciti inueniunt. *In diligentia, ad ſalutem, commendationem. n.* 22. *p.* 105.

OBSERVATIO III. Paſtores puerum Ieſum feſtinantes requirunt, quia ardenter amant. *Dilectionis namque effectus diligens obſeqnium eſt. n.* 30. *p.* 106.

OBSERVATIO IV. Exultant Paſtores de totius mundi ſalute. *Quia Prælatorum eſt, omnium ſubditorum ſaluti inuigilare. n.* 38. *pag.* 107.

OBSERVATIO V. Quam prudens Mariæ ac Ioſepho ſimul prælibat obſequium qui Ieſu inueniendo dat operam. Vbi de B. Ioſephi potentiſſima interceſſione. n. 44. pag. 108.

OBSERVATIO VI. Conſeruans, & conferens verba Deipara. *Vbi de Taciturnitatis laudibus. n.* 51. *p.* 106.

OBSERVATIO VII. Maria mirabili ſileorio oris clauſtra cuſtodiens virginalis pudicitiæ clauſulam commendat. *Quia ſilentium virginitati affine. n.* 56. *p.* 110.

OBSERVATIO VIII. Præmiſſa Prophetarum lectione, Maria ſedulæ meditationi committit myſteria cuſtodienda. *Vbi ante Orationem lectio præmittenda illuſtratur. num.* 62. *p.* 111.

PANEGYRICVS TERTIVS. 12.

EX PASTORVM REDITV.

*Lib. 3. ſect. 3. num. 9. pag.* 113.

OBSERVATIO I. Paſtoribus è grege diſcedentibus celer ad oues tutandas reditus iodicitur. *Contra Epiſcopos aulicos. n.* 9. *p.* 113.

OBSERVATIO II. In Natiuitate Ieſu (videntibus Paſtoribus) parua magnis, humilibus copulantur auguſta. *Vt in hominibus diuinitas eluceſcat. n.* 18. *p.* 115.

OBSERVATIO III. Concinentium gratitudo Angelorum Paſtores gratitudinem edocuit. *Quia virtus vnius alios ad eiuſdem allicit exercitamenta. n.* 31. *p.* 117.

OBSERVATIO IV. Paſtorum fingere neſcientium de nato puero meritò ab omnibus fides adhibetur. *Vbi de patria mendacij aula, veritatis tugurio. n.* 38. *p.* 118.

---

# FRVCTVS QVARTVS. Fructus quarut s.

*Circunciſio.*

PANEGYRICVS PRIMVS 13.

EX TEMPORIS CIRCVNCISIONIS Conſummatione.

*Lib. 4. ſect. 1. Num. 10. pag.* 121.

OBSERVATIO I. Tranſacta hebdomade ſeculari dies æternitatis eluceſcit. *Quia caro & ſpiritus, ſeculum & ſnperi vna in ſede*

*minime commorantur. n. 10. p. 121.*

OBSERVATIO II. Circunciſio incidit figurato reſurrectionis die. *Monens, ne à peccato ſurgentes rurſum moriamur. numero 16. pag. 122.*

OBSERVATIO III. Dum vita eſt incerta, ſeo pœnitendi varium propoſitum, oon adeſt ſpirituali Circuocíſioni opportunitas. *Quia volubilitas obeſt pœnitentia. numero 22. pag. 123.*

OBSERVATIO IV. Carnis ac ſpiritus circunciſionem eum reſurrectionis memoria Ieſus copulauit, quia quidquid iu circunciſione amittis, io reſurrectioue recipies. *Vt reſurrectionis memoria efficax ad ardua quaque reddatur, n. 27. p. 123.*

OBSERVATIO V. Actionis Dominicæ circumciſionis intẽtio totum opus ſub initio effecit conſummatum. *Quia feruens operis inchoatio quaſi perfectio eſt. n. 34. p. 125.*

OBSERVATIO VI. Vt circunciſus Puer nos omnibus donet, impatiens conſummationis temporis oſtentatur. *Quia munificentia diuina inſcia mora. n. 42. p. 126.*

OBSERVATIO VII. Ieſus antè diei terminationem circunciſus illico curauit à ſe peccati indicamenta proiicere. *Quia ſpiritualis vir fama ſiniſtram notulam à ſe procurat dimoueri. n. 49. p. 127.*

OBSERVATIO VIII. Docet Puer maturè circunciſus pœnitentiæ maturitatem. Nam *( ſi fieri poſſet ) pœnitentia eodem tempore peragi deberet, ac peccatum. numero 60. pagina 119.*

OBSERVATIO IX. Circunciſio propera Ieſû ante præcepti anguſtias cogit nos, vt debito tempore prõmpte obediamus. *Quia Principe pluſquam obſeruatore legis ſubditus iuſtius obſeruator exiſtit. n. 66. p. 130.*

OBSERVATIO X. Circunciſionis Ieſu peretogatotia, ſiue ex abundantia maturitas cogit nos ad operum huiuſmodi exercitamenta. *Quia opera ex abundantia in Praſule ſubditorum exigunt imitationem. n. 72. p. 131.*

14. PANEGYRICVS SECVNDVS

Ex CERTITVDINE, ET AMBIguitate Circuncíſionis.

*Lib. 4. ſect. 2. num. 36. pag. 138.*

OBSERVATIO I. Quaſi per tráſennam magis innuit, quam exprimit Euangeliſta Ieſo circunciſionem. *Vt proximorum delicta haud eſſe ponderanda edoceat. num. 20. p. 135.*

OBSERVATIO II. Expreſſe aſſerit Lucas Puerum fuiſſe circunciſum, dum eum Ieſum appellatum affirmat. *Quia vocari Ieſum, Idem eſt ac vulnerari. n. 26. p. 136.*

OBSERVATIO III. Mirum eſſet, ſi ſeſe circoncíſionis vulneri negaret, qui pro nobis eſt infans effectus. *Quia priori beneficio nobis praſtito, quaſi debitor Deus alterius conferendi. n. 35. p. 138.*

OBSERVATIO IV. Impeccabilis Ieſu hodie ex vulnere circunciſionis peccator apparet. *Ediſce hinc apparentiis viſibilibus fallibilibus ſape non eſſe fidem impendendam. num 41. pag. 139.*

PANEGYRICVS TERTIVS. 15.

Ex Circvncisione Crvcis.

*Lib. 4. ſect. 3. num. 8. pag. 142.*

OBSERVATIO I. Percuſſus infans pro delictis alienis, vt uos ad propriam caſtigatiooem moueat. *Maxima enim vis exempli. n. 8. p. 142.*

OBSERVATIO II. Ieſus peccator apparens celat diabolo diuinæ filiationis ſacramentum. *Quia peccator non Dei, ſed diaboli filius. n. 13. p. 143.*

OBSERVATIO III. Docet Ieſus circunciſionem liuguæ ad luxuriei infrænationem. *Quia intemperantia lingua & luxuries pariter aſſolent incedere. n. 19. p. 143.*

OBSERVATIO IV. Omnimoda hominis ſpiritualis circuncíſio ex Ieſu. *Vbi de mortificationis neceſſitate. n. 25. p. 144.*

OBSERVATIO V. Sapiens conſiliarius Ieſus circunciſioni traditur, ne paruolos ſcandalizet. *Quia ſapientis eſt, remouere ſcandali occaſionem, inſipientis autem anſam ſcandalo prabere. n. 38. p. 146.*

OBSERVATIO VI. Puer circunciditur, vt communitatis bona commendet, ſingularitatem damnet. *Bonorum enim fons communitas, malorum ſingularitas ſcaturigo eſt. n. 46. p. 147.*

OBSERVATIO VII. Aptè hominum Princeps legi ſubditorum obtempetat. *Vt leuiora reddat onera eorum, eiſque laborantibus emolumento maximo aſſimiletur. numero 56. pag. 149.*

OBSERVATIO VIII. Circunciditur, circunciſionem de medio ablaturus. *Quia Princeps & magiſter ſe ſe debent ſubditis aſſimilare, & lapſui obnoxios profiteri. numero 66. p. 150.*

OBSERVATIO IX. Circunciditur Chriſtus, vt Deitas indiuiſibilis, quæ in toto ſaluatoris corpore continetur, minori in particula includatur, exiguę noſtræ capacitati amplius accommodanda. *Vti Dei immenſitas in Eucharistia hominum exilitati parens pradicetur. n. 71. p. 151.*

OBSERVATIO X. Legi circunciſionis paret Ieſus, vt eam à Deo vtiliter inſtitutam fuiſſe confirmaret. *Quia Princeps legi parens eam firmius ſtabilit. n. 77. p. 152.*

OBSERVATIO XI. Circunciſus Ieſus famulantem aduentui ſuo circunciſionem honore cumulauit. *Quia antiqui famuli non ſolum ære, ſed & honoribus munerandi ſunt. num. 83. p. 153.*

OBSERVATIO XII. Circunciſionis legi Princeps Ieſus ſubiicitur, vt prælapſi Legiſlatoris, ſeu Principis gubernationem approbare videatur. *Prudentes enim Magiſtratus, pracedentis non taxare debent gubernationem. numero 89. p. 154.*

OBSERVATIO XIII. Onere experto circunciſus Ieſus ab eius obligatione ſubditos abſoluit. *Vt edoceat Praſules prius*

onus

*onus ſubditis imponendum eleuare. numero* 95. *pag.* 155.

16. PANEGYRICVS QVARTVS.

EX ÆTATE PVERILI.

*Lib.* 4. *ſect.* 4. *num.* 7. *pag.* 157.

OBSERVATIO I. Ieſus puer circumciſioni traditur. *Inſtituendæ pueritiæ exprimens neceſſitatem. n.* 7. *p.* 157.

OBSERVATIO II. Circūciſus Puer ſuis Ieſuitis puerorum inſtitutionem committit. *Vbi de rectè inſtituenda iuuentutis norma. n.* 37. *pag.* 161.

OBSERVATIO III. Puer circonciſus nos edocet ægritudini libidinis medendum, priuſquam illius motus erumpant. *Vbi de caſtitate à parentibus in filiis generanda. n.* 62. *p.* 165.

OBSERVATIO IV. Oſtendit Ieſus puer circuncißioni traditus puerilem ætatem aptiorem, ad regulare inſtitutum ineundum. *Vbi de adoleſcentia virtuti litanda. numero* 73. *pag.* 167.

OBSERVATIO V. Ieſus ſe effectum puerum adhuc circuncidi patitur, vt ipſa puerilis ætas propter nos adhuc minorari videatur. *Vbi de Deo ſe hominum capacitati accommedante. n.* 80. *p.* 168.

Fructus quintus. FRVCTVS QVINTVS.

*Nomen Ieſu.*

17. PANEGYRICVS PRIMVS.

EX NOMINIS IMPOSITIONE.

*Lib.* 5 *ſect.* 1. *num.* 36. *pag.* 175.

OBSERVATIO I. Ieſus circunciſionis die nomen nouum acquirit. *Nemo enim pœnitentia alter effectus, malam priorem famam exuit. n.* 36. *p.* 175.

OBSERVATIO II. Dum in homine ſpiritualiter circunciſo minuitur voluptas carnalis, in creſcit poſteritas. *Vbi de puritate coniugali fœcunditatis parente. n.* 45. *p.* 176.

OBSERVATIO III. Saluus Dux appoſitè pro aliorum ſalute decertat. *Vbi de Euangelico miniſtro propria prius ſaluti incumbente. n.* 51. *p.* 177.

OBSERVATIO IV. Quare hodie Ieſus ſub peccatoris habitu appareat? *Vbi de Euangelico miniſtro ſub ſeculari aut materiali myſtice indumento proximis ſalutari. numero* 66. *pag.* 179.

OBSERVATIO V. Ieſu nomen minime inane. *Contra vanam nomenclaturam. n.* 78. *p.* 181.

OBSERVATIO VI. Perfectiſſimè Ieſus nominis implet ſignificationem. *Vbi de nomine illuſtri operibus egregiis complendo. n.* 89. *p.* 183.

OBSERVATIO VII. Quare nomen Ieſu fuerit cum vulnere copulatum? *Vbi de illuſtribus cognominibus ſine operatione mendacibus. n.* 103. *p.* 185.

OBSERVATIO VIII. Nomen Ieſu inuocaturis puritas neceſſaria. *Vbi de diuini nominis ore proferendi reuerentia. numero* 115. *pag.* 187.

PANEGYRICVS SECVNDVS 18.

EX MAGNALIIS NOMINIS IESV.

*Lib.* 5. *ſect.* 2. *num.* 1. *pag.* 188.

OBSERVATIO I. Ieſu Nomen oleum effuſum. *Vbi de Præſule ſui inſumptione lucente, paſcente ſubditos, ac medicamen adhibente n.* 1. *p.* 188.

OBSERVATIO II. Ineffabilis Ieſu nominis dulcedo. *Vbi de cæleſtium ſuauitate. n.* 19. *p.* 191.

OBSERVATIO III. Nomen Ieſu cognomina Chriſti complectans. *Vbi de inuocatione diuini nominis, ſiue orationis potentia. n.* 32. *pag.* 193.

OBSERVATIO IV. Nomen Ieſu ſuper omne nomen Cœleſtibus, Terricolis, ac Infernis venerabile. *Vbi de mundialium bonorum inanitate. n.* 56. *p.* 196.

FRVCTVS SEXTVS. Fructus ſextus.

*Epiphania.*

PANEGYRICVS PRIMVS 19.

EX MAGORVM PROFECTIONE.

*Lib.* 6. *ſect.* 1. *num.* 34. *p.* 206.

OBSERVATIO I. In diebus Herodis tyranni Chriſtus adeſt ſubditos liberaturus. *Solius enim Dei, ſanctos ab iniqui Principis liberare tyrannide. n.* 34. *p.* 206.

OBSERVATIO II. Rex Chriſtus in noſtro imperans corde nunquam non excludit tyrannum. *Nec enim iuſtus poteſt duobus dominis inſeruire. n.* 48. *p.* 208.

OBSERVATIO III. Si Reges Ieſu adoratores, conuenienter Magi, ſiue ſapientes appellantur. *Quia inepti ad imperium Principes incipientes. n.* 55. *p.* 209.

OBSERVATIO IV. Magi accepta à Ieſu epiſtola, eum quæſituri proficiſcuntur. *Deus enim ad peccatores longius recedētes inſpirationū epiſtolas immittit, vt reuocet n.* 62. *p.* 210.

OBSERVATIO V. Magi Spiritus ſācti velociſſimis alis collocati iam citò venire potuerunt. *Dei enim effectus ad ſalutem hominū velociſſimi. n.* 65. *p.* 211.

PANEGYRICVS SECVNDVS. 20.

EX MAGORVM CONSTANTIA.

*Lib.* 6. *ſect.* 2. *num.* 13. *pag.* 214.

OBSERVATIO I. Quam conuenienter natus Ieſus gentilibus (tunc im-

probis ) illicò manifeſtatus eſt. *Vbi parentum cura circa filios ſingulos cõmẽdatur. n. 13. p. 214.*

OBSERVATIO II. Cùm Magi à Iudæis exquirũt conſiliũ, illuminanti fulgore priuantur. *Vt edocearis probos tibi conſiliarios ſemper adhibere. n. 18. p. 215.*

OBSERVATIO III. Magi cœleſtem Regem requirentes nulla poſſunt corripi formidine. *Nam qui Deum quærit ab omni formidine liberatur. n. 26. p. 216.*

OBSERVATIO IV. Dum Magi Regem futurum conſiderant iudiciali hærentem throno, non timent præſentem. *Vbi de ſalutari Iudicij finalis formidine. n. 30. p. 217.*

OBSERVATIO V. Magi miraculoſè ab ſtella ducti crediderunt fore, vt à nullis hoſtibus impeterentur. *Deus enim ex vnius beneficij collatione ad alterum conferendum accingitur. n. 37. p. 218.*

OBSERVATIO VI. Rex natus Chriſtus. *Vbi probi Regis exprimo proprietates. num. 47. pag. 220.*

## 21. PANEGYRICVS TERTIVS.
### Ex MAGORVM STELLA.

*Lib. 6. ſect. 3. num. 36. pag. 227.*

OBSERVATIO I. Per ſtellam Magi edocentur, vt ex eorum mundiali exercitio ſalutarem cœleſtis Magiſter eliceret doctrinam. *Vbi edoceris ex mundiali ſermone ſalutaria ipſi ſeculari loquenti elicienda à te documenta n. 36. p. 227.*

OBSERVATIO II. Magi docẽtur per ſtellam, vt veritatis doctrina audientium capacitati accõmodaretur. *Prudentis enim ac ſubtilis concionatoris prædicatio captum ſequitur auditoris. n. 34. p. 226.*

OBSERVATIO III. Stella Magorum ſpiritus ſancti vmbra. *Vbi de mirabilibus Paracleti effectibus. n. 48. p. 229.*

OBSERVATIO IV. Stella Magorum Deipara. *Vbi de Dei genitricis erga nos munificentia. n. 54. p. 229. 230.*

OBSERVATIO V. Stella Magorũ Chriſti paupertas. *Vbi de religioſa paupertate ſeculares alliciente. n. 62. p. 231.*

OBSERVATIO VI. Stella Magos ſeduxerat, ſtella duxit ad ſalutem. *Vt edoceamur proprio mucrone hoſtes ſpirituales configendos. n. 68. p. 231. 232.*

## 22. PANEGYRICVS QVARTVS.
### Ex HERODIS AC IEROSOLYMÆ Turbatione.

*Lib. 6. ſect. 4. num. 21. pag. 237.*

OBSERVATIO I. Herodes & quia Rex, & tyrannus in Ieſu conſpectu turbatur. *Quia maior poteſtas maiori timori ſubijcitur. n. 21. p. 237.*

OBSERVATIO II. Turbatus Herodes, quia Magos noui Regis præcones neceſſario ſequitur iudicij formido. *In Euãgelici ſermonis contempteres. n. 28. p. 238. 239.*

OBSERVATIO III. Docent Herodem Magi muneribus exhibitis, Iudicem emolire. *Vbi de eleemoſyna apud nouiſſimũ tribunal præſidio. n. 34. p. 239.*

OBSERVATIO IV. Turbatur Ieroſolyma audito noui Regis aduentu. *Quia induratus peccator ex conſuetudine, odit medicamẽ. num. 41. p. 240.*

OBSERVATIO V. Turbato Rege Herode ſubdita Ieroſolyma incidit in turbationem. *Principum enim exemplum ciues ſequũtur. num. 48. p. 241.*

OBSERVATIO VI. Sacerdotum circa Domini natalitia non fidelis reſponſio. *Vbi edocentur concionatores indignis cœleſtia arcana non reuelare, ignorãter ſilere, ſcripturæ teſtimonia minime truncare. n. 53. p. 242.*

## PANEGYRICVS QVINTVS. 23.
### Ex MAGORVM IN BETHLEEMVM miſſione.

*Lib. 6. ſect. 5. num. 26. pag. 248.*

OBSERVATIO I. Conuenienter ſuadet Herodes Magos diligenter, ſiue ſæpe de Ieſu interrogare. *Qui enim ſæpe grauiter deliquit ſæpe curat affectuosè pœnitere. num. 26. pag. 248.*

OBSERVATIO II. Magi iubentur interrogare *de Puero*, non de viro. *Vbi maturitas pœnitentia commendatur. n. 31. p. 249.*

OBSERVATIO III. Magi ad annunciatum ſaluatorem accedentes neceſſariò Herodi Satanæ renunciant. *Nec enim in vna ſede Deus & diabolus, virtus & voluptas commorantur. n. 37 p. 250.*

OBSERVATIO IV. Herodis in vrbe via cœleſtis operitur, Chriſti pauperis aperitur in domo. *Vbi diuitias taxo, paupertatem extollo. n. 44 p. 251.*

OBSERVATIO V. Magna valde Magorum lætitia, Ieſum ſtella oſtendente. *Cœleſtia enim bona magna valde magnam valde excitant voluptatem. n. 53. p. 252.*

## PANEGYRICVS SEXTVS. 24.
### Ex MAGORVM OBLATIONE.

*Lib. 6. ſect. 6. num. 20. pag. 257.*

OBSERVATIO I. Reges erãt proculdubio, qui procidẽtes Infãtẽ adorant. *Quia humilitas Regibus cognata. n. 20. pag. 257.*

OBSERVATIO II. Magi præmiſſis orationis, ac eleemoſynæ muneribus vacuos taxant adoratores. *Muneribus enim præcedentibus orans, exorat. n. 29. p. 258.*

OBSERVATIO III. Myſtica Ieſuitarum oblatio. *Vbi trium religioſi inſtituti votorum perfectionem expendo, Paupertatis fortiſſima, caſtitatis Angelica, Obedientia cadaueris magnalia recenſeo. n. 36. p. 259.*

## PANEGYRICVS SEXTVS. 25.
### Ex MAGORVM REDITV.

*Lib. 6. ſect. 7. num. 14. pag. 265.*

OBSERVATIO I. Deum Magi de reditu interrogant. *Vbi mentalis eorum oratio plena fructibus illuſtratur. n. 14. p. 265.*

OBSERVATIO II. Per aliam viã Magi reuertuntur. *Vbi de pœnitentia effectibus. n. 34. p. 268.*

FRVC

Fructus ſeptimus.

## FRVCTVS SEPTIMVS.

*Transfiguratio.*

26 ## PANEGYRICVS PRIMVS.

EX DISCIPVLORVM ABDVCTIONE.

*Lib. 7. ſect. 1. num. 22. p. 276.*

OBSERVATIO I. Perfecta Diei Transfigurationis ſolemnis obſeruantia. *Vbi de Feſtorum cultu. n. 22. p. 276.*

OBSERVATIO II. Tres ſolummodo Diſcipulos Dominus ad Transfigurationis ſecretũ admittit. *Vbi de ſecreto amicorum paucis, hoſtium nulli communicando. n. 35. p. 278.*

OBSERVATIO III. Ob Iudæ conſortium Apoſtolorum plures ad Transfigurationis gloriam non aduocantur. *Quia vnus improbus ſocius pluribus iuſtis exitialis eſt. n. 44. p. 279.*
38.

OBSERVATIO IV. Petro, Iacobo, & Ioanni dignioribus præmia potiora Dominus preparauit. *Quia in communitate virtute præſtantior ſingulari gratia eſt à Prælato proſequendus. n. 51. p. 280.*

OBSERVATIO V. Præſtantes meritis Apoſtoli ad montis ardua loco præmij à Domino deducuntur. Quia labores intellectu præditis præmia potius exiſtunt. *n. 57. p. 221.*

27. ## PANEGYRICVS SECVNDVS

EX TRANSFIGVRATIONIS MYSTERIIS.

*Lib. 7. ſect. 2. num. 18. pag. 283.*

OBSERVATIO I. Petro, Iacobo, & Ioanni in monte conſtitutis Ieſus eleuatior apparet. *Perfectioribus etenim auguſtiora myſteria reuelantur. n. 38. p. 283.*

OBSERVATIO II. Transfigurantur Ieſus, vt oſtendat qualis futura gloria beatorum poſt reſurrectionem. *Vt eos ſpe præmij imminente labores ad legis obſeruationem alliciat. n. 23. p. 284.*

OBSERVATIO III. Hodie Ieſus illa oſtenditur forma, qua iudicij tempore eſt obijciendus. *Vbi recti iudicis exprimuntur proprietates. n. 30. p. 285.*

OBSERVATIO IV. Chriſtus transfiguratus corpus humanum non dimiſit. *Qui ad ſpiritum tranſlatus es, adhuc inter homines debes perſiſtere. n. 43. p. 287.*

OBSERVATIO V. Chriſtus transfiguratus eſt in oratione. *Quia orationis exercitamentum efficit hominem in alterum mutari. n. 44. p. 288.*

OBSERVATIO VI. Ante illos tranſfiguratur Chriſtus, in quorum conſpectu deformatus inceſſit. Vt doceat peccatores pœnitentiam peragere coram illis, qui teſtes criminum extiterunt. *n. 55. p. 252.*

OBSERVATIO VII. A Diſcipulorũ cœtu abſtractus Ieſus non omnino ſolitarius, ſed coram tribus transfiguratur. *Quia Prælatus vel ad ſpiritualia exercitamenta eleuandas debet ſuæ innocentiæ teſtes adducere. n. 62. p. 290.*

## PANEGYRICVS TERTIVS. 28.

EX TRANSFIGVRATI HABITV.

*Lib. 7. ſect. 3. Num. 14. pag. 293.*

OBSERVATIO I. Non ſola facies Ieſu ſed totum corpus ſplendore coruſcat. *Vt edoceat perfectam pœnitentium transformationem. n. 14. p. 293.*

OBSERVATIO II. Transfiguratus Ieſus ſolis radios emittit. *Vt doceat verũ pœnitentem debere inimicos proſequi dilectione. n. 20. p. 294.*

OBSERVATIO III. Transfiguratus Ieſus niuea oſtentat indumenta. *Vt edoceat externas veſtes internam transformationem, ſeu conuerſionem manifeſtare. n. 25. p. 295.*

OBSERVATIO IV. Chriſtus ſicut ſol Diſcipulis ſicut ſol rutilantibus apparet. *Quia princeps iuxta capacitatem ſubditi ei munera debet exhibere. n. 30. p. 296.*

OBSERVATIO V. Sol hodie conſiſtens in obedientis ſimulacrum Ieſum aſpectat. *Quia obediens Deum aſpicit imperantem. n. 36. p. 296.*

OBSERVATIO VI. Veſtimenta ſua id eſt iuſtos Chriſtus non vult in terra claritate donare. *Sed quæ iuſti videntur tenebræ, lux eſt; quæ autem iniuſti lux apparet, tenebræ exiſtunt. n. 42. p. 297.*

## PANEGYRICVS QVARTVS. 29.

Ex Moyſi & Eliæ oſtenſione.

*Lib. 7. ſect. 4. num. 26. pag. 301.*

OBSERVATIO I. Duplex ſol in Taboris vertice conſpicitur. *Quia increatus ſplendor non obſcurat humanum. n. 26 p. 301.*

OBSERVATIO II. Moyſis & Eliæ aduentum non viderunt Apoſtoli. *Quia concionatoris, aut publicum munus adminiſtrantis initia ſupprimenda, nemo enim propheta in patria ſua. n. 31. pag. 302.*

OBSERVATIO III. Transfiguratus Ieſus inter viuum & mortuum oſtenditur. *Spiritualis enim vita mortis memoria conſeruatur. n. 37. p. 303.*

OBSERVATIO IV. Ex locutione Moyſes & Elias maximæ eſſe authoritatis dignoſcuntur. *Quia ex verbis quis magnus, aut paruus habetur. Dei verba faciens Deus putaberis, Diabolus eius iteus idiomate. n. 42. p. 303.*

## PANEGYRICVS QVINTVS. 30.

EX TRIBVS TABERNACVLIS.

*Lib. 7. ſect. 5. num. 21. pag. 306.*

OBSERVATIO I. Errat Petrus volens diu permanere non præmiſſa Dei volũtate. *Quia felicitatis perſiſtentia ex obediẽtia, ſeu diuinæ voluntatis executione. n. 21. p. 309.*

OBSERVATIO II. Errat Petrus Ieſum Dominum appellans, & pro libito de conſtruendo tabernaculo deliberans. *Vbi de propria voluntate Dei imperium euertere procurante. n. 25. p. 307.*

OBSERVATIO III. Erat Petrus, curans Chriſto mateciale tabernaculum exædificare, *Homines enim iuſti præcordia Deo præparant quietis domicilium. n.* 30. *p.* 308.

31. PANEGYRICVS SEXTVS.

EX PATRIS TESTIMONIO.

*Lib. 7. ſect. 6. num.* 19. *pag.* 311.

OBSERVATIO I. Laboranti Petro, & oon laboranti æternum tabernaculum obijcitur. *Quia iuſti labores dulcedine diffluentes minime ſunt labores vocitandi. n.* 19. *p.* 311.

OBSERVATIO II. Nubes obumbrans illuſtratur. *Edocens quidem prauam conſuetudinem in partes ſecandam, vt per partes facilius repellatur, quæ tota ſimul difficillimè vincitur. n.* 24. *p.* 312.

OBSERVATIO III. Chriſtus dum gerens peccatoris perſonam ad Deum reuertitur, ab ipſo excipitur, & honoratur. *Vt oſtendat pœnitentiam non ſolum peccatorem Deo reconciliare, ſed & præteritam criminum infamiam abolere. n.* 30. *p.* 313.

OBSERVATIO IV. Solus Ieſus à tribulatis Apoſtolis ſubleuator aſpicitur. *Quia ſolus Deus ſaluator verus alienis periculis affert opem, minimè mundiales. n.* 35. *p.* 314.

OBSERVATIO V. Viſionem Chriſtus imperat obuelari ſilentio. *Vt doceat reuelationes minimè euulgandas. n.* 40. *p.* 315.

---

Fructus octauus. FRVCTVS OCTAVS.

*Paſsio Ieſu in horto.*

32. PANEGYRICVS PROOEMIALIS CIRCA OOMINSCAM PASSIONEM.

Dominicæ paſſioois accerbitas, hominum compaſſio. *Vbi de peccatis Dei interfectoribus deplorandis.* lib. 8. mox poſt paraphraſim. num. 1. pag. 317.

33. PANEGYRICVS PRIMVS.

EX IVDÆ PRODITIONE.

*Lib. 8. ſect.* 1. *num.* 15. *pag.* 326.

OBSERVATIO I. Contra proditoris auaritiam. *Plane ſtultam & cæcam. n.* 15. *p.* 326.

OBSERVATIO II. Tunc diſceſſit Apoſtolus Iudas, quando peccatrix acceſſit Magdalena. *Contra Religioſum, aut ſacerdotem delictis maculatum. n.* 24. *p.* 327.

OBSERVATIO III. Iudas Diabolus. *Ergo & mendax, & promittens quod minime valet adimplere. n.* 29. *p.* 328.

OBSERVATIO IV. Veteri in teſtamento viginti argenteis, in Euangelio triginta Chriſtus venditur. *At gratis tam cæleſte bonum accipiendum. n.* 40. *p.* 329.

OBSERVATIO V. Triginta argenteis venditur Ieſus, vt eius pretioſus inceſſus oſtendatur. *Vbi de pretioſis iuſtorum greſſibus. n.* 45. *p.* 330.

PANEGYRICVS SECVNDVS 34.

EX ORATIONE.

*Lib. 8. ſect.* 2. *num.* 16. *pag.* 333.

OBSERVATIO I. Ieſo oratio illuſtratur. *Vbi quomodo oporteat orare pluribus oſtenditur. n.* 15. *p.* 333.

OBSERVATIO II. Pugnaturus Ieſus ſe munit oratione, vt tribus Apoſtolis oſtendat, quibuſnam ſit eis viribus innitendum. *Oratio enim neceſſarium aduerſus hoſtes viſibiles ac inuiſibiles munimentum. n.* 84. *p.* 340.

OBSERVATIO III. Poſtulat Ieſus calicem à ſe tranſire, vt ſerui antiqui curam agat. *Seruus etenim veteranus non facile è domo dimittendus. n.* 95. *p.* 342.

PANEGYRICVS TERTIVS. 35.

EX SVDORE.

*Lib.8. ſect.* 3. *num.* 17. *p.* 344.

OBSERVATIO I. Quælibet dominici ſudoris guttula ſanguinis globus globo mundiali ſufficiens. *Sed vni homuncioni præſtatur. n.* 17. *p.* 344.

OBSERVATIO II. Ex ingenei patiēdi gaudio ſanguiois hic ſudor duxit exortū. *Vbi de lætitia patiendi pro Deo. n.* 24. *p.* 345.

OBSERVATIO III. Ioauditus hic ſudor ignei amoris effectus. *Vbi de vera dilectionis indicamentis. n.* 30. *p.* 346.

OBSERVATIO IV. Voiuerſum Eccleſiæ corpus Ieſus ſudore ſanguinis diluebat. *Tam pretioſam puritatem conſeruare procura. n.* 37. *p.* 347.

PANEGYRICVS QVARTVS. 36.

EX IVDÆ OSCVLO.

*Lib. 8. ſect.* 4. *num.* 8. *pag.* 349.

OBSERVATIO I. Stultè Iudas procurat diſſimulare proditionem. *Vbi de ſtulto peccatore, cuius inſcitiæ pœna æterna reſpondet. n.* 8. *p.* 349.

OBSERVATIO II. Statim reprobus Iudas irruit in oſculom illico damoandus. *Agiles enim ad flagitia ſignum præferunt damnationis. n.* 15. *p.* 350.

OBSERVATIO III. Pacis inſtrumento tam hominibus ſalutari abuſus Iudas, illico damnatur. *Contra ſacrilegos cōmunicantes indignè, aut templi deturpatores. n.* 22. *p.* 350.

OBSERVATIO IV. Num ſalutare Iudæ oſculum illud extitiſſet, ſi addidiſſet amplexum, id eſt perſeuerantiam? *Nam virtuoſa exercitamenta a peccatore non deſeri, reuerſionis eſt ſignum. n.* 30. *p.* 352.

OBSERVATIO V. Ieſus in actione externa cum oſculante Iuda, non in affectu conueniebat. Ad eorom qui neceſſariò degunt cum impijs, documentum. *n.* 35. *p.* 352.

37. PANEGYRICVS QVINTVS.

EX PETRI GLADIO.

*Lib.8.ſect. 5. num. 19. p. 356.*

OBSERVATIO I. Iubet Ieſus Diſcipulos acquirere gladios, ſed non vt hoſtes percutiant. *Illud enim fideli glorioſum, quod potens vindicari, abſtineat à vindicta. n. 19. p. 356.*

OBSERVATIO II. Percuſſit Petrus Malchum, quia gladium ad manum habebat. *Occaſio enim peccandi ad manum potentiſſima. n. 28. p. 357.*

OBSERVATIO III. Qui alium gladio occidit gladio perit. *Quia peccatum gladius animum internecans. n. 32. p. 358.*

OBSERVATIO IV. Petrus iubetur in locum ſuum gladium adducere, vt tractent fabrilia fabri. *Nec enim ingerendus ſum muneri, quod non didici. n. 37. p. 358.*

38. PANEGYRICVS SEXTVS.

EX COMPREHENSIONE.

*Lib.8. ſect. 6. num. 6. p. 360.*

OBSERVATIO I. Principes, Magiſtratus, & ſeniores perſonaliter ad Ieſu comprehenſionem progrediuntur, ex crudelitate vileſcentes. *Ira namque ac crudelitas Reges ſeruos efficiunt. n. 6. p. 360.*

OBSERVATIO II. Chriſtus apud hortum, non apud templum, vbi docebat, illigatur. Libertatem innuens prædicationis, & templi reuerentiam. n. 10. p. 361.

OBSERVATIO III. Magnū Chriſto properanti ad paſſionem & mundi redemptionem opprobrium vi comprehēdi. *In noſtra pigritia ad Dei obſequium reprehenſionem. n. 18. p. 362.*

---

Fructus nonus. FRVCTVS NONVS.

*Paſſio Ieſu ex Caypha.*

39. PANEGYRICVS PRIMVS

IN IESVM PATIENTEM apud Caypham.

EX IVÆDORVM CALVMNIIS.

*Lib.9. ſect. 1. num. 6. pag. 365.*

OBSERVATIO I. Iudices hi teſtes effecti, & actores, populo vniuerſo exitiales. *Contra improbos Iudices. n. 6. p. 365.*

OBSERVATIO II. Principes iniqui requirunt falſos teſtes, falſi teſtes Principibus aſſident iniquis. *Vbi enim iniqui Proceres, falſi teſtes reperiuntur. n. 9. pag. 366.*

OBSERVATIO III. Ieſu innocentiam nec falſa teſtimonia poterant obſcurare. *In eorum leuamen, qui falſis teſtimoniis agitantur. n. 12. p. 366.*

OBSERVATIO IV. Quærentes falſum teſtimonium in mediis falſis teſtibus non inuenerunt. *Quia teſtis falſus nec à peruerſis iudicibus creditur. n. 17. p. 367.*

PANEGYRICVS SECVNDVS 40.

EX SILENTIO

*Lib. 9. ſect. 2. num. 13. pag. 370.*

OBSERVATIO I. Tacente Ieſu, eius opera vociferabantur. *Quia ſilentibus nobis, Deus noſtras vocales efficit actiones. n. 13. p. 370.*

OBSERVATIO II. Tacente Ieſu, eum Pater protegebat. *Silentium enim noſtrum Deum ad noſtram protectionem excitat. n. 19. p. 370. 371.*

OBSERVATIO III. Silentium Ieſu innocentiam apertè manifeſtabat. *Quia de natura ſilentij, veritatem aperire. n. 25. p. 371.*

OBSERVATIO IV. Silentium Diuinitatis Ieſu præco. *Nec enim humana virtus inter calumnias obticere. n. 30. p. 372.*

OBSERVATIO V. Tacebat inibi Ieſus in iudicio nouiſſimo reſponſurus. *In patientia, ac ſilentij diuini horrorem. numero 34. pag. 372.*

PANEGYRICVS TERTIVS. 41.

EX ALAPA.

*Lib. 9. ſect. 3. num. 15. pag. 375.*

OBSERVATIO I. Alapa percuſſus Ieſus non præbuit alteram maxillam diuerberandam, quia primum vulnus abunde hoſtium crudelitatem exatiauiſſe videbatur. *Opprobrium enim vincit quorumlibet vim tormētorum. n. 15. p. 375.*

OBSERVATIO II. Patientia Ieſu idem ac alteram præbere maxillam. *Nam patientia perfectiſſimum opus. n. 20. p. 376.*

OBSERVATIO III. Suſtinens alapam patienter Ieſus ſe ſanctiſſimum oſtendit. *Perfectiſſimum namque, patienter iniurias ſuſtinere. n. 24. p. 376.*

OBSERVATIO. IV. Dum Ieſus ſe puerum reſpondendo dulciter oſtendit, ſe virum fortiſſimum manifeſtat. *Nil enim magis robuſtum, quam minime vindicari. numero 28. p. 377.*

OBSERVATIO V. Si non alteram maxillam præbuit percuſſori Ieſus, alteram alapam impegit. *Patientia enim verberat inimicū. n. 32. p. 377.*

OBSERVATIO VI. Reſpondit Ieſus percuſſori, non vt conqueratur de propria iniuria, ſed de iniuriantis incommodo. *Te etenim delinquendo læſiſti. numero 37. pag.* 378.

PANE-

42. PANEGYRICVS QVARTVS.

EX FACIEI OBVELATIONE.

*Lib.9.ſect.4.num.* 12.*pag.* 380.

OBSERVATIO I. Tota Ieſus noctè percutitur, imò æternùm quodammodo paſſus eſt. *Vbi de hominibus, accepta iniuria, ſeneſcentibus. n.* 12. *p.* 380.

OBSERVATIO II. Quam immanes in Ieſum, qui eius oculos velari, eiuſque prophetiam inanem eſſe exiſtimabant! *In peccatores à Dei conſpectu fugientes. numero* 18. *pag.* 381.

OBSERVATIO III. Quàm graue Ieſu, prophetare, ſe à Iudæis eſſe vulneratum. *Nil enim Deo grauius, quam hominem ſpecialiter beneficiis donatum recedere, & deperire. numero* 22. *p.* 382.

43. PANEGYRICVS QVINTVS.

EX PETRI NEGATIONE.

*Lib.* 9. *ſect.* 5. *num.* 16. *pag.* 385.

OBSERVATIO I. Excidit Petrus, vt cadentibus miſereatur ex his, quæ paſſus eſt. *Nam Prælatus ex infirmitate propria ſcit & infirmis miſereri. n.* 16 *p.* 385.

OBSERVATIO II. Petrus tepiditate laborans à timore corripitur, vt abnegeт Magiſtrum. *Quia tepiditas ſpiritualem virum deturbat. n.* 22. *p.* 386.

OBSERVATIO III. Semel abnegans Petrus, deinde, & tertio ſe grauioribus criminibus illigauit. *Quia multiplicatione peccatorum obſtinatior delinquẽs ſæpe grauiora perpetrat. num.* 27. *p.* 386.

OBSERVATIO IV. Excuſatum quodammodo habeo Petrum, qui in domo Cayphæ abnegauit. *Minus enim grauiter delinquit, qui cadit in pugna. n.* 33. *p.* 387.

OBSERVATIO V. Foras egreditur Apoſtolus, quia in domo Cayphę pœnitentiam agere nequibat. *In peccandi enim occaſione haud agi poteſt pœnitentia. numero* 37. *pag.* 388.

OBSERVATIO VI. Petrus obuelato capite deplorat. *Pudentem commendãs peccatorem. num.* 43. *p.* 389.

OBSERVATIO VII. Petrus trinam negationem trino amoris affectu compenſauit. *Virtutum enim exercitamentis flagitiorum habitus abolendus eſt. numero* 50. *pagina* 389.

FRVCTVS DECIMVS. Fructus decimus.

*Paſſio Ieſu apud Pilatum.*

PANEGYRICVS PRIMVS 44.

EX IVDÆ POENITENTIA.

*Lib.*10.*ſect.*1.*num.*13.*pag.*394.395.

OBSERVATIO I. Accuratior pecuniæ Iudas cuſtos, quam ſui. *In auaros animi contemptores. num.* 13. *p.* 394. 395.

OBSERVATIO II. Sacrilegus Iudas à ſua conſcientia, ſententia propria condemnatur. *Sacrilegium enim durior conſcientia tortor, quam mors. numero* 19. *pag.* 395.

OBSERVATIO III. Iudas auaritię fune ſuffocatus. *Quia ipſa auari ſupplicium n.* 23. *p.* 396.

OBSERVATIO IV. Congruit pœna Iudæ flagitio. *Sæpe peccato pœna reſpondente. n.* 28 *p.* 396.

OBSERVATIO V. Inanis Iudæ pœnitentia. *Vbi de confeſſionis bona, ac ficta proprietatibus. n.* 35. *p.* 397.

PANEGYRICVS SECVNDVS. 45.

EX HERODIS ILLVSIONE.

*Lib.* 10. *ſect.* 2. *num.* 9. *pag.* 402.

OBSERVATIO I. Pilatus & Herodes in conſpectu Dominicæ Paſſionis in amicitiam copulantur. *Paſſio enim Ieſu conglutinat auerſos. n.* 9. *p.* 402.

OBSERVATIO II. In ſplendenti ac pretioſa veſte illuditur Ieſus. *Contra pretioſum profanerũ ſacerdotum indumentum. num.* 13. *pag.* 403.

OBSERVATIO III. Herodes illudens Ieſum rectè ſui nominis, quod ſyluester ſonat, impleuit ſignificationem. *Plerumque enim aliorum irriſores ſtulti. numero* 18. *pagina.* 403.

OBSERVATIO IV. In candido veſtimento Ieſus Euangelicæ Virginitatis martyrium præſignauit. *Quando enim Virginitas non martyr occubuit. numero* 22. *pagina* 404.

OBSERVATIO V. Coit amicitia inter Herodem & Pilatum, vt vnanimes Ieſum perſequerentur. *Diſcordes enim frequenter peccatores ad detractionem iuſtorum vnanimes. numero* 26. *pag.* 405.

46. PANEGYRICVS TERTIVS.

EX BARABBÆ DIMISSIONE

*Lib.* 10. *ſect.* 3. *num.* 11. *pag.* 407.

OBSERVATIO I. Laudabiliter Iudæi ex Ægyptiis vinculis liberati vincti cuinſdam liberatione Paſcbalem ſolemnitatem colebant, *Ea enim gratitudo apprime commendatur, quæ moremgerit beneficÿ. n.* 51. *p.* 407.

OBSERVATIO II. Maxime ſupplicio Barabbas à vinculis abſoluitur. *Nam hic ſolui reum, reprobationis eſt ſignum. n.* 18. *p.* 408.

OBSERVATIO III. Ingenti beneficio Chriſtus vinculis illigatur. Quia hîc inſontem premi, ſignum eſt prædeſtinationis. *n.* 23. *p.* 408.

47. PANEGYRICVS QVARTVS

EX PILATI ABLVTIONE,

*Lib.* 19. *ſect.* 4. *num.* 7. *pag.* 410.

OBSERVATIO I. Pilatus cecidit ab ſpe liberandi Ieſum, quia cognoſcebat illum per inuidiam traditum. *Inuidia enim non parcit. n.* 7. *p.* 410.

OBSERVATIO II. Abluit Pilatus manus, ſed non culpam. *Nam præſes cedens timori intus contaminatur. n.* 13. *p.* 411.

OBSERVATIO III. Peruerſè iudicauit Pilatus, quia ipſe non videbat quod videndum Iudæis prædicabat. *Vbi de iudice Dei iudicium aſpecturo. n.* 19. *p.* 412.

48. PANEGYRICVS QVINTVS.

EX FLAGELLIS.

*Lib.* 10. *ſect.* 5. *num.* 14. *pag.* 415.

OBSERVATIO I. Verbera Ieſu ex auaritiæ crudelitate effluxere. *At nihil immanius auaritia. n.* 14. *p.* 415.

OBSERVATIO II. In Pilato & militibus omnes Ieſum diuerberanerunt dæmones. *Malleus vtique iuſtorum. n.* 19. *p.* 415. 416.

OBSERVATIO III. Vapulauit Ieſus vſque ad Iudaicæ crudelitatis, & inuidiæ ſatietatem. *At Iudæi nonne immaniſſimi Dominici ſanguinis profuſores? n.* 23. *p.* 416.

OBSERVATIO IV. Patientiſſimus Ieſus voluntatis paternæ memor erat, vt illigari, & flagellati permitteret. *Vbi quam paternis legibus illigemur? n.* 29. *p.* 417.

OBSERVATIO V. Quodammodo Ieſus ignorabat fore, vt poſſet diuerberari. *Vbi de humana incrementis malitia id audentis, quod Dei quodãmodo fugit cognitionem. n.* 34. *p.* 418.

OBSERVATIO VI. Ingens admodum flagellationis opprobrium, quod Deus patiens redditor quodammodo puniuit ex parte, priuſquam machinaretur. *Vbi de diuina erga peccatores tolerantia. n.* 39. *p.* 418.

OBSERVATIO V. Numerus flagellorum Ieſu quodammodo peccatoris verberum numerum adæquauit. Vbi de multiplici flagello peccatorum. *n.* 44. *p.* 419.

OBSERVATIO VI. Ex petra dominica flagellis contuſa oleum noſtri medicaminis effluxit. Vbi de mirabili Dei benignitate. *n.* 48. *p.* 420.

PANEGYRICVS SEXTVS 49.

EX SPINIS.

*Lib.* 10. *ſect.* 6. *num.* 10. *pag.* 422.

OBSERVATIO I. Dum iacet Ieſus iniurijs affectus tunc calamo illo ſcribit noſtra crimina punienda. *Vbi quam ſpectata Dei medÿs in flagitÿs tolerantia. n.* 10. *p.* 422.

OBSERVATIO II. Spinis punctus Dominus calamo vulneratus, Dux eſt patientia mundum debellans. *Vbi de patientiæ triumpho. n.* 13. *p.* 422. 423.

OBSERVATIO III. Mundialis Regni pungentes curæ ex ſpinis Ieſu *Vbi de onere prælatura. n.* 18. *p.* 423.

OBSERVATIO IV. Mundialis principatus inanitas ex Ieſu arundine. *Contra ambitioſos. n.* 23. *p.* 424.

OBSERVATIO V. Ieſus peccatorum noſtrorum ſpinas ſuper venerabile caput conſumpſit omnino. *Vbi reciduum in crimina reprehenditur. n.* 30. *p.* 425.

OBSERVATIO VI. Chriſti regnum ſpineum ſubditis omnino ſalutare. *In laborum encomium. n.* 35. *p.* 425. 426.

PANEGYRICVS SEPTIMVS. 50.

EX ECCE HOMO.

*Lib.* 10. *ſect.* 7. *num.* 6. *pag.* 428.

OBSERVATIO I. Tot tantiſque Ieſu doloribus nullum aptius nomen excogitari potuit, quam Homo. *Vbi de noſtra humanitatis ærumnis. n.* 6. *p.* 428.

OBSERVATIO II. Ieſum hominem id eſt virilem labores oſtentant. *Quia viros efficit laborum tolerantia. n.* 10. *p.* 428.

OBSERVATIO III. Non iam Homo opprobrijs actus, ſed patientiæ corona redimitus Saluator apparet. *Vbi de patientia regno. n.* 16. *p.* 429.

---

FRVCTVS VNDECIMVS. Fructus vndecimus.

*Paſsio Crucis*

PANEGYRICVS PRIMVS. 51.

EX CRVCIS BAIVLATIONE.

*Lib.* 11. *ſect.* 1. *num.* 11. *p.* 434.

OBSERVATIO I. Grande Ieſu crucis baiulatoris ſpectaculum. *Vbi pÿ, impÿque vis affectus adnotatur. n.* 11. *p.* 434.

OBSERVATIO II. Crux in humeris Ieſu nos donat & armis, & triumpho. *Vbi de dominici auxilij neceſſitate. n. 20. p. 435.*

OBSERVATIO III. Sibi Ieſus crucem baiulat, ſic fertur ad labores, ac ſi propriæ vtilitati, non alienæ operam exhiberet. *Vbi quam patiens inter labores, qui ſe ſibi fructificare conſiderat. n. 30. p. 437.*

52. PANEGYRICVS

SECVNDVS.

Ex cyrenæi coactione.

*Lib. II. ſect. 2. num. 9. pag. 439.*

OBSERVATIO I. Simon ſeo obediens portat crucem Ieſu. *Quia obediens cum omnino à quocumque liberat cruciatu. n. 9. p. 439.*

OBSERVATIO II. Non ſolus Ieſus baiulat crucem, ſed nos requirit coadiutores. *Vbi de baiulanda crucis neceſſitate. n. 15. p. 440.*

53. PANEGYRICVS

TERTIVS.

Ex svffixione.

*Lib. II. ſect. 3. num. 14. pag. 442.*

OBSERVATIO I. Ieſus medius inter latrones in crucem adigitur, vt eis ſimilis haberetur. *Id enim reputaris, quod ille cui adhereſcis. n. 14. p. 442.*

OBSERVATIO II. Quam amabilis hominibus Ieſu crucifixi ſpecies! *E cruce etenim peccatores allicit. n. 17. p. 443.*

OBSERVATIO III. Horribilis impœnitentibus Ieſu cruci ſpecies affixi. *Quia nunquam Deus magis iudex, quam cum amplius benignus. n. 23. p. 444.*

OBSERVATIO IV. Ieſu clauorum encomium. *Vbi de Paſſionis memoria fidelium præſidio, vitiorum infranatione. n. 28. p. 444.*

OBSERVATIO V. Ieſu vulnerum commendatio. *Vnde Fidei, ſpei, & charitatis ſtabilimentum exhibeo. n. 36. p. 445.*

54. PANEGYRICVS

QVARTVS.

Ex crvcis titvlo.

*Lib. II. ſect. 4. num. 9. pag. 448.*

OBSERVATIO I. Prudenter Pilatus prius ſcripſit mente quod mox calamo ſcripſit, ne ſententiam delere cogeretur. *Edocens iudices pronunciandam reis ſententiam digerere. n. 9. p. 448.*

OBSERVATIO II. Nullum tam puſillum regnum, cuius Ieſus non dignetur Rex appellari. Quia vel vnus homo fideliter ſubditus Ieſum Regem conſtituit. *n. 14. p. 449.*

OBSERVATIO III. Sufficiens cauſa mortis Ieſo, Regem eſſe. *Idem enim eſt Regem eſſe, ac pro ſubditis morti addici debere. n. 20. p. 449.*

PANEGYRICVS 55.

QVINTVS.

Ex nvditate.

*Lib. II. ſect. 5. num. 14. pag. 452.*

OBSERVATIO I. Ieſu cruci addictus conſequenter veſtimenta deponit. *Crucis enim comes Caluaria ſed temporariorum exigentia. n. 14. p. 452.*

OBSERVATIO II. In Ieſo ineffabilem noditatem encomium. Vbi de tortura verecundiæ. *n. 19. p. 453.*

PANEGYRICVS 56.

SEXTVS.

Ex impio latrone.

*Lib. II. ſect. 6. num. 5. pag. 455.*

OBSERVATIO I. Nec arti furandi confidas poſt malum latrouem qui vſque ad mortis anguſtias profers pœnitentiam. *Hac enim difficillima agonizanti. n. 5. p. 455.*

OBSERVATIO II. Miſerrimus latro, qui è cruce deturbatur in tartarum. *Vbi de duplici peccatoris impœnitentis inferno. n. 12. p. 456.*

OBSERVATIO III. Vno latrone improbo pereunte, Deo quaſi omnes filij Adæ periere. *Quia mirum in modum Deus vel vnicum æſtimat hominem. num. 19. p. 456.*

OBSERVATIO IV. Famam boni malus latro videtur deturpare. *Vnde edoctus prauos ſocios effugias ex eorum moribus, bonus licet, iudicandus. n. 28. p. 457.*

PANEGYRICVS. 57.

SEPTIMVS.

Ex latrone beato.

*Lib. II. ſect. 7. num. 10. pag. 460.*

OBSERVATIO I. Arte furandi bonus latro regnum cœlorum acquiſiuit. *Vbi de regno cœlorum vim patiente, & à violentis rapiendo. n. 10. p. 460.*

OBSERVATO II. Latro Ieſum Regem eſſe cognouit, quia eum pro inimicis exorantem audiuit. *Regalis enim virtus inimicis benefacere. n. 16. p. 461.*

OBSERVATIO III. Bonus latro tenens dexteram confitetur, dum alter apud ſiniſtram perit obduratus. *Vbi de bona, aut praua ſocietatis vi. n. 26. p. 462.*

OBSERVATIO IV. Latro infimi gradus à Deo adſumitur, vt latro ſupremi ordinis magis taxetur, & diſcerpatur. *Vbi prauum*

*Religio*

*Religioſum, aut Clericum vel mundiales confundant delinquentes. n.* 29. *p.* 462.

OBSERVATIO V. Innocens, pœnitens, & impœnitens neceſſario cruciferi. *Vbi de laboribus ſubeundis à bonis feliciter, miſere à prauis. n.* 32. *p.* 462.

58. PANEGYRICVS

OCTAVVS.

Ex siti.

*Lib.* 11. *ſect.* 8. *num.* 13. *pag.* 465.

OBSERVATIO I. Ieſus noſtra ſitit peccata. *Vbi quam pium humili nos cū confeſſione potare. n.* 13. *p.* 465.

OBSERVATIO II. Ieſus ſua ſitit tormenta. *Vbi quam impium, additis flagitiis tormenta adiicere patienti. n.* 24. *p.* 466.

59. PANEGYRICVS

NONVS.

Ex morte.

*Lib.* 11. *ſect.* 9. *num.* 11. *pag.* 469.

OBSERVATO I. Chriſtus exaltata voce expirat, nos exili. *Iuſtus enim eleuat vocem moriturus, peccator obmuteſcit num.* 11. *pag.* 469.

OBERVATIO II. Aoxit Ieſus vocem migraturus. *Edocens nos moribundos eleuatiori adfectu Deum exerare debere. numero* 17. *p.* 470.

OBSERVATIO III. Ioclinato Ieſus capite ex parte Matris accumbit. *Edocens morituros ad potentem interceſſorem confugere. n.* 20. *pag.* 470.

OBSERVATIO IV. Inclinat caput, vt peccatores alliciat. *Benigniſſimus quidem pracipue è Cruce ſaluator. n.* 25. *p.* 471.

Fructus duodecimus. FRVCTVS DVODECIMVS.

*Chriſti funera.*

60. PANEGYRICVS

PRIMVS.

Ex creatvrarvm motione.

*Lib.* 12. *ſect.* 1. *num.* 11 *pag.* 474.

OBSERVATIO I. Velum ſcinditur, vt à Iudæis fidelium ex gentibus diuiſionem oſtentet. *Vbi de prauis ſociis fugiendis. num.* 11. *p* 474.

OBSERVATIO II. Terra contremiſcit, delicti Iudæorum pondus immenſum non ſuſtinens. *Vbi de peccati pondere. numero* 16. *pag.* 475.

OBSERVATIO III. Petræ ſcinduntur, vt obmuteſcentibus hominibus, fiant veritatis præcooes. *Nunquam enim non Veritas prodit in lucem. n.* 19. *p.* 475.

OBSERVATIO IV. Monumenta reſerantur, vt iouuant mortem à Dominica morte interemptam. *Vbi de infirmis mortis iaculis. n.* 22. *p.* 476.

PANEGYRICVS 61.

SECVNDVS.

Ex lancea.

*Lib.* 12. *ſect.* 2. *num.* 23 *pag.* 479.

OBSERVATIO I. Milites ioſideles mortuum Ieſum vulnerare non audent. *Contra pœnoſa Hebdomada profanatores. num.* 13. *p.* 479.

OBSERVATIO II. Non permiſit Ieſus ſua oſſa vulnerari, ne filij percuterentur. *Vbi de parentum pietate. numere* 28. *pagina* 479. 480.

OBSERVATIO III. Lanceæ encomium. *Vbi de vulnerato charitate ſponſe, ſponſa ſanguine diluta, nuptiiſque celebratis. numero* 33. *pag.* 480.

PANEGYRICVS 62.

TERTIVS.

Ex sepvltvra.

*Lib.* 12. *ſect.* 3. *num.* 18.

OBSERVATIO I. Myſtica ſepultura Ieſu. *Vbi de recipienda Euchariſtia norma. n.* 18.

OBSERVATIO II. Diues Ioſeph Dominico corpori ornando dat operam. *Quam laudabiles diuitia qua templis exornandis impenduntur. n.* 26.

OBSERVATIO III. Ex corpore Dominico ant pretio redempto aut gratia exhibito taxantur auari Iudices, aut ſacerdotes. *Quos valdè dedecet auaritia. n.* 29.

OBSERVATIO IV. Cum Ieſu ſepeliamur viuentes, vt vitâ donemur ſtabiliori. *Vbi de mortificationis exercitamentis. n.* 34.

OBSERVATIO V. Sepultus cum Chriſto hoſtes inuincibiles omnioo ſuperabis. *Vbi de operibus à fideli nunquam non exhibendis. n.* 38.

PANEGYRICVS 63.

QVARTVS.

Ex Deiparæ martyrio & luctu.

*Lib.* 12. *ſect.* 4. *num.* 9.

OBSERVATIO I. Martyriū Deiparæ ex dilectiooe in Ieſum. *Vbi de amoris tortura. n.* 9.

OBSERVATIO II. Martyrium Deiparæ ex idemtitate cum Ieſu. *Vbi de parentum ac filiorum quaſi vna eſſentia. n. 16.*

OBSERVATIO III. Martyriũ Deiparæ præſtantiſſimum, quia ipſa erat anima Ieſu. *Vbi de ſpiritualibus vulneribus corporea mirum in modum ſuperantibus. n. 22.*

OBSERVATIO IV. Martyriũ Deiparæ, quia non audiuit, ſed vidit horribilem Filij necem. *Vbi quam ſaucient oculis obiecta mala. n. 32.*

OBSERVATIO V. Luctus Deiparæ relictæ in valle lacrymarum poſt Ieſum. *Vbi de dariſſima amicorum diuiſione. n. 39.*

OBSERVATIO VI. Luctus Deiparæ Filio innocentiſſimo, pulcherrimo, & ſapientiſſimo orbatæ. *Vbi quam graue parenti bono filio priuari. n. 44.*

OBSERVATIO VII. Luctus Deiparæ aſpectu ſuo Filium vulnerantis. Compaſſio enim dilecti patientis vulnerat amantem. numero. 48.

OBSERVATIO VIII. Luctus Deiparæ loco Ieſu matris effectæ fidelium, peccatorum. *In maximum delinquentium ſolatium numero. 53.*

ILLV-

Digitized by Google

# ILLVSTRATIONVM
# MORALIVM
# QVARVMDAM,
## QVÆ QVIDEM
## COMMENTARIIS
## LITERALIBVS INTERSERVNTVR INDEX.

### EX LIBRO PRIMO
### DE VERBO INCARNATO.

Illuſtratio 1. PLuribus vtitur Euangeliſta, vt Ioannes homo purus habeatur. *Vbi de Ioannis Baptiſtæ excellentia.* ſect. 2. numero 6. pag. 15.

2. Quàm aptus Ioannes, vt teſtimonium de lumine ferret. *Vbi adhuc de Baptiſtæ excellentia.* ſect. 2. nom. 21. pag. 17.

3. Creationis beneficium homioum exigit gratitudinem. *Contrà ingratos ſupplicio affectos.* ſect. 3. num. 19. pag. 22.

4. Cum Verbi incarnati fit memoria, procidat omnis creatura. *Vbi de reuerentia circa Ieſu humanitatem.* ſect. 4. num. 24. pag. 36.

### EX LIBRO TERTIO
### DE PASTORVM ADORATIONE.

5. SAlutis negotio ſeduli paſtores incumbunt. *Vbi diligentia circa ſpiritualia commendatur.* ſect. 1. numero. 4. pag. 97. 98.

### EX LIBRO QVARTO
### DE CIRCVNCISIONE.

6. NVllus Circuncifioni locus aſſignatus. Vbi Confeſſionis facilitatem exprimo. ſect. 2. nom. 9. p. 133.

### EX LIBRO QVINTO
### DE NOMINE IESV.

7. SI inchoaoti Dei obſequium nomen imponitur, iuſtè priuatur nomine, qui à diuino obſequio recedit. *Vbi de peccatore nomine carente.* ſectio 1. numero 6. pagina 171.

8. Nomioa eorum, qui ſpirituali circuncifioni tradiri caſtitatem colunt, in cœlis ſcribuntur. *Vbi de gloria caſtitati præparata.* ſect. 1. numero 14. pagina 172.

### EX LIBRO SEXTO
### DE EPIPHANIA.

9. NAtus in Bethleem Ieſus. *Quia de more iuſtorum ſemper eligit quod ſibi vilius, & vtilius nobis.* ſect. 1. numero 3. pagina 202.

10. Aptè naſcitur io Bethleem domo paois Ieſus, qui panis futurus erat. *Id enim filius aſſolet eſſe, quod domus vbi educatur.* ſect. 1. n. 8. pag. 203.

11. Aptè in Bethleem domo panis naſcitur, qui leges laturus eſt in Ieruſalem. Quia Princeps prius ſuos debet paſcere, quam legibus onerare. ſectio 1. numero 12. pagina 203.

12. Quem alienigena adorat Chaldæa, patria perſecutionibus afficit Ieroſolyma. Pluris enim Deus ſæpe à ſecularibus, quam à ſacerdotibus habetur. ſect. 1. numero 41. pag. 206.

12. Magi ante quam ex faſciarum, præſepiſque vilitate Chriſtum Deum cognoſcerent, ſunt confeſſores effecti. *Vbi de humilitate, ac paupertate Deum manifeſtante.* ſect. 2. n. 4. pag. 212.

13. Magi taxant Iudæos, quod ſint amentiores boue, & aſino Deum reuerentibus. *A brutis (heu) humanus ediſcat.* ſect. 2. num. 10. pag. 213.

14. Non quod magis rutilat, magis fulgidum eſt. *Aduerſus Hypocriſim.* ſect. 3. numero 4. pag. 222.

15. Ex eo quod ſtella Magorum voluntati ſeruiebat, benè arguitur Angelum fuiſſe. Vbi de Angelo cuſtode ſe ſe hominum rectæ voluntati accommodante. ſect. 3. oumero 12. pag. 223.

16. Stella Magorum nunc ſpiritualiter videtur ab iis qui virginitatem colunt. *Vbi de cœleſti virginitate.* ſect. 3. n. 26. p. 225.

17. Quid ſignificet, *In principibus Iuda* ſiue *millibus. Vbi de prælati ac ſubditi identitate.* ſect. 4. numero 17. pagina 236.

18. Herodes Rex clam magos aduocauit. *Quia Rex conſequenter ſecreti cuſtos.* ſect. 5. n. 4. p. 245.

19. Herodes inter deuotionis obſequia facilius aduerſus Ieſum gladium exacuit. *Contra hypocriſim crudeliſſimam.* ſect. 5. n. 14. p. 246.

20. Puer cum ſola Maria inuentus eſt, abſente Ioſepho. *Ut tollendi ſuſpicionis occaſiones documentum exhiberet.* ſect. 6. n. 6. p. 254. 255.

21. Magi illuſtres Regis nati præcones, quia quod viderant peruulgarunt. *Vbi de non credendis proximi delictis, quæ non videntur, licet audiantur.* ſect. 7. n. 10. p. 264.

## EX LIBRO SEPTIMO.

### De Transfigvratione.

22. TRansfigurandus cum Ieſu ſex dierum opera tranſcendat. *Vbi de pœnitente mundi illecebras declinaturo.* ſect. 1. n. 4. p. 273.

23. Poſt ſex miſericordiæ opera transfigurationis ſedes ſtabilitur. *Vbi de nunquam non ſedente miſericorde.* ſect. 1. n. 8, p. 274.

24. Claritas Transfigurati dos gloriæ non erat. *Quia gloria cæleſtis fulgor nunquam intermoritur.* ſect. 3. n. 6. p. 291. 292.

## EX LIBRO OCTAVO.

### De passione Iesv in horto.

25 EXcidit Iudas vnus è duodecim. *Admonens vnius caſu haud ſocios affici ignominia debere.* ſect. 1. n. 4. p. 325.

26 *Docet Ieſu voluntatem hominis, etiam retrahente appetitu, Deo ſubyciendam.* ſect. 2. n. 12. p. 333.

27 Quotiens orat ſanguinem emittit. *Vt oſtendat orationem ex ſanguine efficacem exiſtere.* ſect. 3. n. 3. p. 343.

28. Simon bene interrogauit, ſed malè non expectauit reſponſionem. *Veri enim obedientis eſt, interrogare, & expectare donec & reſpondeatur.* ſect. 5. n. 4. p. 354.

## EX LIBRO NONO.

### De Iesv passione ex Caypha.

29. TAcet Ieſus, ne coram indignis diuinum eloquium profunderetur. *In concionatorum documentum.* ſect. 2. n. 5. p. 369.

30. Percuſſa facies Ieſu, vt à facie noſtra ruboris dedecus auferatur. *O quantus nobis ex crimine rubor.* ſect. 3. n. 5. p. 374.

31. Tunc cum cædebatur Ieſus, percutientium vulneribus medebatur. *Quia bonum pro malo à iuſto reddendum.* ſect. 4. n. 9. p. 380.

## EX LIBRO DECIMO.

### De passione Iesv apvd Pilatvm.

32 IVdæ acquiſita iniuſtè pecunia nec poſſeſſori deſeruit, nec à Deo accipitur. *Nam malè parta diuitiæ ſacris inutiles, & profanis.* ſect. 1. n. 6. p. 393.

33. Iudeos Romani artius beneficijs ſeruituti illigabant. *Nam beneficia ſeruos efficiunt.* ſect. 3. n. 3. p. 406.

34. Pilatus rectè Procurator, non iudex aſſeritur, quia voluntati ſubditorum ſeruiebat. *Contra iudices non iudices.* ſect. 4. n. 5. p. 410.

35. Pilatum omnino dedeceret proprijs manibus vulnerare ſaluatorem. *Quia indecens valde, ſubditos à præſule vulnerari.* ſect. 5. n. 3. p. 413.

## EX LIBRO VNDECIMO.

### De passione crvcis.

36. VNitas fidelium in indiuiſa inconſutili tunica fulgurabat. *Contra vnionis perturbatores.* ſect. 5. n. 9. p. 451.

## EX LIBRO DVODECIMO.

### De Chriti fvneribvs.

37. DEiparæ iuxta crucem conſtantia. *Vbi quam rectè lacrymæ cum fortitudine agglutinentur.* ſect. 4. num. 4.

# AD
# LECTOREM.

DVODECIM Arborum vitalium Apocalypſeos, quæquidem flumen è Dei Agnîque Throno profluens hinc inde ex vtraque ripa coronant, en Lignum primum totius cœleſtis paradiſi caput, cunctorum germinum præſes, omnium fructuum Eccleſiæ parens, nempe Christvs Dominvs. Hoc germen nobiliſſimum per anni clauſulam duodecim fructibus ſtipatum offertur:

Verbi enim Incarnatio.
Natiuitas.
Hæc Paſtoribus reuelata.
Circuncifio.
Nomen Ieſu,
Epiphania.
Transfiguratio.
Paſſio in Horto.
Paſſio ex Caypha.
Paſſio apud Pilatum.
Paſſio Crucis.
Paſſique Funera.

Dulciſſimum fidelium guſtui ſuccum miniſtrant. Vt Malum mirabili refertum abundantia non iam inter ligna ſyluarum, verùm inter Paradiſi germina caput attollat. Huiuſmodi igitur duodecim fructus libri totidem exornabunt.

ANTONII

# ANTONII DE ESCOBAR ET MENDOZA,

è Societate Ieſu,

# IN EVANGELIA SANCTORVM,

*VOLVMEN PRIMVM.*

## LIGNVM VITALE: CHRISTI VITA.

*DVODECIM FRVCTVS.*

VERBVM, per quod omnia, factum vnum ex omnibus, vitalis ligni (auctore Ambroſio apud Lipomanum) præparatur imagine. *In medio*, ait, *Paradiſi eſt lignum vitæ, illud ſcilicet lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, cuius folium non defluit, quia totus in eo fructus exuberans, id eſt, Chriſtus Dominus.* Hic vitæ fidelium duodecim in tempore ſuo menſium decurſu fructus varios interſerit. Verbum etenim collium æternorum cedrus, lilium iam conuallium exoritur, vt montana miſericordiæ oliua paſtoribus appareat in campis. Circumciſionis vulnere ſaucio puero, pretioſiſſima priori myrrhâ diteſcit Eccleſia. IESV ille nomine decoratur, vt Vitalis arboris medica folia homini iam ſanando conuertat in fructum. Principibus equidem populi Gentilis malum Punicum fructuum præſes ſub mortalitatis cortice purpureas celſi dominatûs genas oſtendit. Certè Solis perſtringens luminare, transfiguratur, vt de pomis fructuum Solis repleat fideles. Cypri denique botrus Horti, Caiphæ, Pilati, Crucis, mortíſque prælo cellariis Sponſæ ſuauiſſimum excedit in merum. En tibi ex altera parte fluminis lignum vitæ ipſius Chriſti vitam progerminans; ex altera in ſequenti Volumine eiuſdemmet myſteria poſt ſepulchrum germinabo.

# LIBER PRIMVS.

# VERBVM INCARNATVM.

## Paraphraſis, Commentariique Literales ad Caput primum Ioannis:

*PANEGYRICI MORALES CIRCA literam in Verbi incarnationem.*

## PROLVSIO.

*Dominici vitalis ligni Fructus primus.*

VERBVM Æternum non quidem fructum, ſed fructuum præſidem, apud vmbroſum montem ſeu paterni ſinus, ſeu prophetici latibuli venerari licebat. Iam *factum caro, habitauit in nobis*; ac veluti primus Dominicæ arboris fructus in campo Euangelico apparet, vt dicat Bernardus, *Quid quæris, ô homo, Verbum in Verbo, quod iam caro factum præſto eſt oculis? Iam de latibulo egreſſum eſt ad oculos, iam de monte vmbroſo, & condenſo proſiliuit in campum.* Sic ille.

---

### IOANN. CAP. I.

*Verſ.* 1. IN principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.

2. Hoc erat in principio apud Deum.

3. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt.

4. In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum.

5. Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.

6. Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes.

### PARAPHRASIS.

Verſ. 1. & 2. *Antequàm hæc vniuerſitas cæleſtium ac terreſtrium conderetur, iam cum æterno Patre Verbum erat æternum: ſic prodibat à Patre, vt nunquam à Patre diſcederet: ſic erat indiuulſæ naturæ cum Patre, vt iuxta perſonæ proprietatem eſſet apud Patrem: nec ſic Patri adhærebat, vti accidens ſubſtantiæ; ſed Deus erat ex Deo, Deus erat in Deo, Deus erat apud Deum ob communem vtriuſque naturam Diuinitatis. Duos per omnia pares nulla res diſcernebat niſi proprietas gignentis & naſcentis.*

3. *Nec conditum eſt Verbum à Patre, ſed per hoc ſibi coæternum Pater condidit vniuerſa, quæ facta ſunt: ſiue inuiſibilia, ſiue viſibilia, per idem gubernat vniuerſa, non velut inſtrumento vtens, aut miniſtro; ſed vt eiuſdem virtutis Filio, vt omnia per Filium ex auctore Patre prodirent.*

4. *Vt fons eſt vitæ omnibus, ſic magnum eſt mortalium mentibus luminare.*

5. *Sol hic corporeus non elucet omnibus, ſuas habet vices; hæc cæleſtis lux ſuâ genuinâ vi in craſſiſſimis mundi tenebris emicat, ſeſe omnibus offerens, vt æternæ viam ſalutis aſpiciant: quanquam mundus peccatorum ſordibus obcæcatus, noluit aſpectare fulgorem.*

6. *Porrò non contentus Dominus tot Prophetarũ oraculis, tot Legis vetuſtæ figuris veluti ſuum præludere aduentum: denique immiſit virum omnibus Prophetis excellentiorem, cui nomen Ioannes.*

7. Hic

7. Hic venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum.

7. *Hic in hoc delectus, ac miſſus eſt à Deo, vt teſtimonium de illo lumine diuino perhiberet, quod humano corpore tegebatur; vt omnibus modis ſeſe in omnium hominum credulitatem inſinuaret, non quòd qui Deus eſſet, & Patris præconio prædicatus eſt, opus haberet hominis teſtimonio.*

8. Non erat ille lux, ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine.

8. *Promiſerat Iſaias, Chriſto veniente, lucem eximiam iis, qui verſabantur in tenebris, exorituram. Vnde priùs quàm Ieſus miraculis inclaruiſſet, multi Ioannem lucem illam eſſe ſuſpicabantur: verū Ioannes non erat illa ipſa vera lux; ſed lucis præco.*

9. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

9. *Erat quidem Ioannes lucerna ardens pietate, lucens vitæ ſanctimoniâ; non autem illa lux vera. Chriſtus autem erat illa vera lux ſemper profluēs à Deo Patre, omnis fonte luminis; vnde quidquid in cælis, & terris emicat, radios mutuatur; qua quidem lucem impertit cunctis hominibus in huius mundi tenebras prodeuntibus.*

10. In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit.

10. *Lucebat & tunc hoc magnum luminare in mundo virtutibus, doctrinâ, miraculis; ſed tanta mentium caligo, vt mundi opificem mundus non cognoſceret; tenebris namque aſſuetus abhorrebat à luce.*

11. In propria venit, & ſui eum non receperunt.

11. *Illud magis mirandum, quod cùm peculiariter ad ſuam gentem aduenaſſet, cui tot Prophetarum oraculis Meſſias fuerat promiſſus, ab illis receptus non eſt, quibus ſeruandis ſpecialiter venerat.*

12. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.

12. *Sed quamuis ex gentibus pariter, ac Iudæis plerique, qui mundum magis quàm Deum diligebant, hanc lucem ſint auerſati: tamen non fuit illius otioſus aduentus. Nam credentibus in eū quiſcūq; cōtulit poteſtatē, vt per Baptiſmū inſiti Chriſto Dei naturali Filio, fierēt & ipſi filij Dei adoptione.*

13. Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri; ſed ex Deo nati ſunt.

13. *Hoſce etenim filios Deus agnoſcit, non qui per corporeum ſemen vel Abrahæ filij naſcuntur, ſed qui per fidem & Baptiſmum exoriuntur è Deo Regni cæleſtis heredes. Nouæ enim generationis auctor Ieſus omnes ad eandem dignitatem regenerat; vt depoſitâ peccati ſeruitute, per fidem & gratiam fiant Dei filij, & Regni cæleſtis heredes.*

14. Et Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, (& vidimus gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti à Patre) plenum gratiæ, & veritatis.

14. *Nec mirum, ſi homo transformatur quodammodo ad diuinæ naturæ conſortium, cùm Verbum Diuinum ſeſe ideo demiſerit: vt noſtram carnem, hoc eſt, mortale corpus ex Virgine aſſumeret: duo quadam diſſimilia coniungens in ſeſe, Deum, & hominem. Conuixit nobiſcum mortale quidem corpus circumferens, ſed minimè diuinâ carens maieſtate. In edendis enim miraculis, in doctrina cæleſti promenda, vidimus diuinam illius gloriam, planè dignam vnigenito Dei Filio, gratia pleno, ac veritate.*

---

# SECTIO PRIMA.

# CHRISTI DIVINA NATVRA.

## *TEXTVS.*

*Verſ.* 1. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbū. 2. Hoc erat in principio apud Deum. 3. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt. 4. In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum. 5. Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.

## *COMMENTARIVS LITERALIS.*

### §. I.

*Verbi antiquitas reuelatur.*

1. *Cur Moyſes de Verbi antiquitate, &* IN *principio erat Verbum.* ] Liceat cum Tertulliano affirmare Euangelium eſſe *Inſtrumenti veteris ſupplementum.* Nam Moyſes in principio Deum Verbo ſuo omnia condidiſſe euulgans, Verbi huiuſce antiquitatem, qualitatem, & naturam non expreſſit. Hæ etenim (vti *perfectione nihil.* Tertul. adu. Hermog.

ait Toletus) verimres populi capacitatem ſuperantes Euangelicæ perfectioni erant reſeruatæ.

2. *Verbum.*] λόγος Græcè ſignificat verbum, ſermonem, orationem, rationem, virtutem, formam, definitionem, peccatū, opus, & alia huiuſmodi. D. Hilar. Cyprian. & Tertull. legunt, *In principio erat ſermo.* D. Auguſt. tract. 118. illud Ioannis 13. *Sermo tuus veritas eſt*, exponit de Filio, de quo dictum eſt: *In principio erat Verbum.* Apud antiquos Doctores modò vnum, modò alterum, eodem tamen ſenſu, reperitur ob Græci vocabuli ſignificationis varietatem. Conuenientiſſimum omnium eſt nomen Verbi, quod Latina Eccleſia communiter retinet.

Græcè Verbum *multipliciter*
Auguſt.

3. Verbum pertinet ad locutionem, ſeu ſermonem, quem tria perſonarum genera ex Sacris habere didicimus, Deum ſcilicet, Angelum, Hominem; irrationalis namque naturæ, ſi quando vocem protulit humanæ ſimilem, propriè loqui non eſt, ſed ſonum quemdam humano ſimilem proferre. Locutio communis duplex, exterior, quæ ſenſibili voce fit; interior, quæ intra cor hominis exercetur. Angelus ſimili præditus locutione, externâ, quando ſuâ ſpirituali virtute in aure, ſeu intra auditum, aut imaginationem audientium voces efformat; internâ autem, dum loquitur intra ſe ſuo intellectu. Deus autem etiam externam habet locutionem, quam non corpore (ſicut neque Angelus) exercet, quia incorporeus eſt; ſed ſuâ virtute aut in hominis animis format, aut in exteriori medio, vt ſenſibiliter exaudiatur. Sic apud Matthæum: *Hic eſt Filius meus dilectus:* Cap. 3. & 17. & ſæpè Adæ, Patriarchis, & Prophetis. Ex qua locutione exteriori neceſſariò colligitur Dei interna locutio; nec enim extra ſe loqui poſſet, niſi intra ſe loqueretur, *Ego dixi: Filius meus es tu.* Pſalm. 2. Nemini extra ſe dixit Deus: *Filius meus es tu*; quia nemo extra Deum eſt Dei filius verus, & naturalis. De interno igitur Dei Verbo loquitur Ioannes dicens: *In principio erat Verbum.*

*Verbum internum & externū Dei, Angeli, hominis.*
Matth. 3. & 17.
Pſalm. 2.

4. *In principio.*] Quid eſt igitur Verbum eſſe in principio? Num Verbum eſſe in Patre? Sic Origenes, Cyrill. Auguſt. *Quod dictum eſt*: hic ait l. 6. Trin. cap. 2. *In principio erat Verbum; in Patre erat Verbum intelligitur.* Num Verbum eſſe in ſapientia, quæ eſt principium creaturarum? Sic Orig. *Intelligamus neceſſe eſt ſermonem in principio, id eſt, in ſapientia ſemper eſſe.* Num Verbum eſſe ante omnia? Sic Auguſt. *In principio dictum eſt Verbum, ac ſi diceret, ante omnia. In principio.* (Interlin.) *omnium creaturarum, vel temporum, cùm inciperent omnes creaturæ, vel tempora, iam erat Verbum.* Adhærent Beda, Chryſoſt. Carthuſ.

*Quidnam Verbum eſſe in principio?*
Auguſt.
Orig.
Interlin.

5. Mea interpretatio eſt, Ioannem appellare principium, quando quod factum eſt, eſſe incepit, & ante quod nihil factum eſt. In hoc itaque principio *Verbum erat.* Si Verbum tunc incepiſſet, dicendum fuerat: In principio factum eſt Verbum. At dictum: *In principio erat*, quaſi ante omne principium creaturæ ſemper exiſtens. Hæc eſt Verbi æternitas. Si enim aliquando incepit, in priocipio non erat; quod enim in principio erat, ipſo principio antiquius eſſe neceſſum eſt. Mecum ſentiunt Auguſtin. D. Thom. Ambroſ. Nazianz. Caietan. & Hilar. 2. de Trinit. fatus: *Meus Piſcator vicit omne principium, erat enim, quod eſt, neque tempore aliquo concluditur, vt cœperit, quod erat potius in principio, quàm fiebat.* In principio itaque erat Verbum æternum.

*Auctoris placitum.*

*Erat.*] Cur non dixit: *Fuit?* Reſpondet D. Thom. *Præteritum perfectum ſignificat aliquid extitiſſe, & eſſe iam determinatum, & iam defuiſſe. Præteritum imperfectum ſignificat aliquid fuiſſe. & non eſſe adhuc determinatum, nec defuiſſe, ſed adhuc manere.* Conſentit Caietan. Quare autem Ioannes *Verbum erat* quater repetit? *In principio erat Verbum, Verbum erat apud Deum, Deus erat Verbum, Erat in principio.* Vt confunderet Arrianos affirmantes fuiſſe aliquando tempus, quando Verbum non fuiſſet. *Verbum* (inquit Ambroſ. tract. de ſym.) *ab æterno erat, erat, erat, erat. Hæreticus igitur, qui Verbum non eſſe blaſphemat, errat, errat, errat, errat.* 6.

*Cur non dixit; Fuit?*
D. Thom.
*Cur toties repetit,* Erat Verbum?
Ambroſ.

## §. II.

### *Subſtantiæ Verbi quædam differentiæ deſcribuntur.*

EXiſtentiâ Verbi expoſitâ, quaſdam velut ſubſtantiæ Verbi Ioannes apponit differentias. *Et Verbum erat apud Deum.* In primis, Verbum apud Deum erat, non quidem tanquam res adiacens, aut inhærens, ſed velut aliquid ſubſiſtens ab eo ipſo, cuius Verbum erat, diſtioctum. D. Auguſtin. 5. de Trinit. cap. 4. *Nihil eſt accidens in Deo, quia nihil eſt mutabile, aut amiſſibile.* Nec etiam erat ab ipſo Deo ſeiunctum, aut ſeparatum; intellectuale namque verbum, ab intellectu, cuius eſt verbum, non ſeiungitur. 7.

*Verbum ſubſiſtens.*
Auguſt.

Deinde, Verbum hoc non erat ſolitarium, ſed ad Deum ipſum referebatur, cuius erat Verbum; ſine dicente enim verbum eſſe non poteſt. Hinc perſonarum diſtinctio adnotatur. *Quomodo enim* (ait Cyrill.) *quod vnum omninò eſt, ipſum apud ſe ipſum eſſe intelligeretur?* Apud Deum, id eſt, apud Patrem; quia Verbum ex Patre procedit. Tertullian. *Sermo apud Patrem, non Pater apud Sermonem eſſe dicitur. Dicitur eſſe apud Deum, tanquam Verbum apud producentem, tanquam Filius apud Patrem.* 8.

*Verbum non erat ſolitarium.*
Cyrill.
Tertull.

Præterea *Apud Deum.* Noo extra Deum, ſicut ſunt creaturæ, ſed intra ipſum, & in ipſo. Impiè Arriani Verbum extra Deum eſſe affirmarunt; contra quos D. Fulgent. 3. ad Monim. *Sic eſt Verbum apud Deum ſicut eſt in mente verbum, ſicut in corde conſilium.* 9.

*Verbum non extra Deum.*
Fulgent.

*Apud Deum.* Deus Verbum apud Deum dicitur, noo eſſe Verbum hoc ſicut verba noſtra prolata demonſtratur. Nam quæ exterius proferuntur, tranſeunt, at Verbum illud permanet ſemper à Deo indiuiſum. Ita Hilar. 2. de Trinit. *Apud Deum.* Significatur aut Verbum hoc ſicuti verbum, quod Deus eſt ad Prophetas locutus; quibus ſæpè: *Audite verbum Domini.* Hoc enim extra Dei ſubſtantiam eſt, & creatum quid, finem, & principium habens; at Verbum illud *Apud Deum* eſt, nempe intra Dei ſubſtantiam, & ipſamet Dei natura. Sic Epiphan. hæreſ. 93. *Apud Deum.* Quandam æqualitatem Verbi cum Deo ipſo demonſtrat. Nyſſen. hom. de fid. *Apud Deum ſignificat, quod nihil deſit Filio in comparatione Patris: cum toto namque Deo totum ſimul conſideratur Verbum. Nam ſi quid Deo deeſſet in ſua magnitudine, vt non poſſet apud totum Deum eſſe, prorſus neceſſe eſſet, vt exiſtimaremus, abſque Verbo eſſe eam Dei partem, quæ Verbo ſuperior eſt, ac maior. Cum tota igitur Dei maieſtate Verbi* 10.

*Patris quædam adnotationes circa Verbum.*
Hilar.
Epiphan.
Nyſſen.

maieſtas

*maieſtas ſimul conſideratur, & locum non habet in diuinis doctrinis, vt maius vel minus dicamus.* Hæc ille.

## §. III.

### *Natura, & ſubſtantia Verbi manifeſtatur.*

11. *Verbum increatum.* Interlin. Theoph. Baſil.

ET *Deus erat Verbum.* In primis Ioannes hac clauſulâ Verbum Deum eſſe, & naturam increatam habere pronunciat. Interlin. *Ipſe Filius erat Deus; ne dicatur eſſe cum Deo, & non Deus.* Theophylact. *Oſtendit vnam naturam Patris, & Filij; eſt enim vna Deitas.* Baſil. *Excludens accuſationem blaſphemantium: Quid eſt Verbum? Reſpondet: Deus erat Verbum.*

12. *A Patre procedens.*

Secundò, tacitè innuit Verbum ſic eſſe vnius, & eiuſdem ſubſtantiæ cum Patre, vt ſit ab ipſo procedens. Ea enim de cauſa cùm dixiſſet, *Verbum erat apud Deum*, articulum poſuit, nempe, *apud ipſum Deum*, vt iotelligeremus Patrem & Deum, à quo Verbum procedit. Quando autem dixit, *Et Verbum erat Deus*, remouit articulum à Deo; non vt inæqualitatem naturæ ſignificaret, (quod impiè Arriani intulêre) ſed vt proceſſionem ipſius inſinuaret. Quia licet Verbũ ſit Deus, & eiuſdem ſubſtantiæ cum eo, apud quem eſt, ab eo tamen producitur. Deus de Deo, idem quidem cum Patre, ſed procedens à Patre, habens eamdem ſubſtantiam, ſed quam Pater à nemine, Verbum à Patre accipit.

13. *Quare Filius Dei Verbum dicatur?* Baſil.

Rogas, quare Filius Dei *Verbum* dicatur? D. Baſilius quatuor reddit cauſas. Primam, vt Filium Dei mente Patris productum ſignificetur. Secundam, vt ſignetur Filium Dei ſine motn proceſſiſſe. Tertiam, quia imago eſt genitoris totum in ſe genitorem oſtentans, ſicut verbum noſtrum totius cogoitionis noſtræ imaginem refert. Quartam, vt conſubſtantialitas ad Patrem ſignificetur; Verbum enim manet intra ipſam mentem producentem. Eadem ferè Nazianzen. Primam & præcipuam, & propriam appono. Filius enim vocitatur Verbum, quia ab æterno procedit ex mente Patris, vera imago, & notitia ipſius. Id quod non latuit Auguſtin. 7. de Trinit. cap. 1.

14. *Quare Ioannes hoc ſit vſus vocabulo*

Inſtas, quare Ioannes in præſenti non Filij, ſed Verbi nomine vſus fuerit? Reſpondeo, quia ſtatim per hoc Verbum omnia effecta eſſe annuntiaturus erat. At expreſſior, & ſignificantior eſt iſta veritas: Per Verbum facta ſunt omnia, quàm: Per Filium. Quia illâ locutione ſignificatur facta eſſe cum conſilio, & cum ſapientia, & ſine labore ac difficultate: quia verbo facta ſunt. Item, quia connectebat Ioannes (vti innuimus) nouum veteri Teſtamento, in hoc autem verbo cuncta feciſſe Deum, narratum eſt. Hinc dubiationi cuidam occurrenti fit ſatis: Cur non à natura Verbi, ſed quaſi ab eius qualitate orſus ſit Ioannes? Non enim dixit: *Verbum erat Deus*, ſed: *In principio erat Verbum.* Effectum id itaque, vt initium Euangelij illi antiquo veteris Inſtrumenti reſponderet exordio, *In principio creauit Deus cælum & terram*, Geneſ. 1.

*Cur Ioannes exorſus non à Verbi natura?*

Geneſ. 1.

## §. III.

### *Primus Verbi ſtatus deſcribitur.*

15. *Variæ Patrũ expoſitiones.* Orig. Cyrill. Theophyl.

HOc erat in principio apud Deum. Variæ ſunt Patrum expoſitiones. Prima Origenis & Cyrilli. Hoc Verbum, qui Deus erat, erat illud idem, quod erat in principio, & erat apud Deum. Secunda Theophyl. alios dicentis ſic eſſe fabulatos: ſi Deus erat Verbum, ſeparabit ſe aduerſus eum, apud quem erat: vt igitor hoc remoueat, dicit Euangeliſta: *Hoc Verbum erat in principio apud Deum.* Quaſi diceret: nulla eſt timenda ſeparatio, cùm ſemper fuerit ſumma coniunctio. Ambroſ. & Baſil. conteſtantur. Tertia Hilarij, vt vnitas Dei declararetur. Cùm enim dictum eſſet; *Deus erat Verbum*, vt vnitas Dei ſeruaretur, adiunxit: *Hoc erat in principio apud Deum.* Quarta quorundam, repetitionem eſſe quamdam exiſtimantium. Plura mitto.

Hilar.

16. *Auctoris expoſitio.*

Sic expono. Hoc Verbum in principio, antequàm quidquam factum eſſet, *erat apud Deum.* Id eſt, tantùm erat apud Deum, nimirum, nondum carnem ſuſceperat, nondum ſe manifeſtauerat; ſed erat ſolummodo apud ipſum Deum abſconditum, inuiſibile, & non manifeſtum; neque ad quidquam aliud referebatur, quàm ad Deum ipſum, à quo procedebat. Alibi Ioannes, *Annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis.* 1. Ioann. 1. Ac ſi diceret: Quod tantùm apud Patrem erat ab æterno, inuiſibile, & occultum, poſtea nobis manifeſtatum eſt, & in carne apparuit. Adnotat Toletus particulam excludentem: *Solùm* ſeu *Tantùm* huic ſententiæ tacitè apponi. *Hoc Verbum in principio erat tantùm apud Deum, non autem apud nos.*

1. Ioan. 1.

Tolet.

## §. V

### *Secundus Verbi ſtatus exponitur.*

17. *Verbi ad creaturas cõuerſio.*

OMnia per ipſum facta ſunt. Secundum ſtatum Verbi explicat Ioannes, quando non tantùm apud Patrem erat, ſed ad creaturas etiam ſe cœpit conuertere. *Omnia.* Huius vocabuli plus, quàm par eſt, Macedonius vim extendit. *Omnia per ipſum facta ſunt; igitur Spiritus Sanctus factus eſt. Nam vox, Omnia, includit vniuerſa.* Ambroſ. Nazianz. Cyrill. & Chryſoſt. reſpondent, non abſolutè omnia eſſe facta, aliàs & ipſe Pater factus eſſet. Sed omnia, quæ facta ſunt, per ipſum ſunt facta. Spiritus autem Sanctus factus non eſt. Heracleota Valentini familiaris, Origene auctore homil. 2. arctius, quàm veritas poſtulabat vocabulum, *Omnia* contraxit, extendens ad ſenſibilia iſta ſolummodò, quæ per Verbum eſſe facta affirmabat.

Orig.

18. *Auctoris loci interpretatio.* Auguſt. Interlin.

Vera expoſitio eſt, Per hoc Verbum Pater omnia fecit viſibilia, & inuiſibilia. D. Auguſtin. *Quæcumque naturaliter facta ſunt, omnis omnino creatura, ab Angelo vſque ad vermiculum per Verbum facta ſunt.* Interlin. *Omnis creatura viſibilis, & inuiſibilis, omnis forma, omnis compago, omnis concordia partium.*

19. Cur nun dixit, *Omnia ab ipſo facta ſunt?* Num quia Verbum Patris miniſter, aut inſtrumentum

*Quare non dixit omnia ab ipſo facta?* Clem.

ad creationem? Minimè. Nam ſi Clemens Alexand. exhortat. ad gent. & alij Verbum appellent Patris inſtrumentum, non propriè inſtrumentum intelligunt, vbi aliquid innuinit inæqualitatis; ſed id aſſerunt, videlicet Patrem eſſe primam Trinitatis perſonam, Filium verò ſecundam, per quam omnia condidit prima; quia potentiam creandi illi communicauit. Num quia Verbum quaſi idea eſt Patris, & exemplar, quo mundum condiderit? Interpretatur ſic D. Auguſt. 6. de Trinit. c. 10. *Verbum perfectum eſt, cui non deeſt aliquid, & ars quædam ſapientis Dei, plena omnium rationum viuentium; ibi norit omnia Deus, quæ fecit per ipſum.* Faciliùs dixerim cum Maldonato ideo *per* appoſitum, quia de Verbo loquebatur, cui nomini melius præpoſitio *per* quam *à* conueniebat.

August. Maldonat.

20. *Vera lectio.* *Et ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt* ] Hîc terminanda ſententia, deinde noua inchoanda. *In ipſo vita erat.* Sic legunt Chryſoſt. Theophyl. Nazianz. Ambroſ. & plures ex recentioribus. Senſus facilis. Omnia per ipſum facta ſunt, nihilque omnino eſt eorũ, quæ facta ſunt, quod ſine ipſo: id eſt, quod non per ipſum factum ſit. Interpretantur in hunc modum Ambroſ. Hieronym. Chryſoſtom. Theophylact. & alij quàm plurimi.

21. *Particula Nihil exponitur.* Enimverò tam Hæretici, quàm Catholici variè expoſuêre particulam, *Nihil.* Hæretici creaturas ſenſibiles, & mundum hunc viſibilem ſignificari ſine Verbo effectum affirmant. Catholici diabolum, aut peccatum ſignari arbitrantur. *Sine ipſo factum eſt nihil*; id eſt, Diabolus, quantum ad malitiam. Sic D. Baſil. *Sine ipſo factum eſt nihil*, id eſt, peccatum. Ita D. Auguſt. Quia, vti ait Fulgent l. 1. Mon. *illius Deus vltor eſt, cuius auctor non eſt.* Plura in Panegyrico. Omnes hæ expoſitiones à D. Hieronymo violentæ meritò vocitantur.

Baſil. Auguſt.

## §. VI.

### *De hominis, quæ in ipſo Verbo effecta eſt, reparatione.*

22. *Quid vitæ nomine?* Chryſoſt. IN *ipſo vita erat.* ] Chryſoſtom. homil. 4. *vitæ* nomine ſignari aſſerit virtutem ipſam Verbi; quæ non per compoſitionem ipſi ineſt, ſed per ſimplicitatem eſt ipſummet Verbum, quâ quidem virtute cuncta creat, conſeruat, & gubernat. D. Cyrill. lib. 1. cap. 6. *vitam* rerum omnium creatarum durationem, & permanentiam eſſe dicit, quæ ab ipſo Verbo eſt, D. Auguſt. tract. 1. *vitam* ipſammet Verbi ſubſtantiam exponit, quæ vita eſt. Omnium enim creaturarum idea eſt ipſa eſſentia diuina: omnia namque creata ſunt vita in Deo; quâ ratione ideæ dicuntur eſſe in Deo: idea autem eſt ipſa eſſentia, & vita Dei. D. Ambroſ. 3. de fid. cap. 3. & Athanaſ. 3. de hum. *vitam* ſpiritualem, quæ per gratiam eſt, interpretantur. Recentiores aliqui *vitam* viuentium exponunt, Verbum enim iis, quæ viuunt, vitam præſtat. Ex Clemente Alex. hæc ſententia habuit exortum. *Verbum*, ait, *quod erat apud Deum, doctor apparuit. Verbum per quod omnia ſunt fabricata, & quod cum eo, qui finxit, vitam ſimul præbuit, vt opifex; bene viuere docuit, cùm apparuiſſet, vt magiſter; vt poſtea ſemper viuere ſuppeditaret, vt Deus.* Plura Doctores.

Cyrill. Auguſt. Ambroſ. Athanaſ. Clem.

23. *Auctoris placitum.* Adhæreo Ambroſio, & Athanaſio. Vita enim hæc, quæ in Verbo eſſe dicitur, eſt quâ homo viuit ſecundùm Deum, quæ equidem fit per gratiam, & per gloriam æternam conſummatur; ad quam profectò etiam nobis elargiendam Verbum caro factum eſt.

24. *Loci expoſitio.* A rerum itaque omnium creatione, quæ per Verbum perfecta eſt, ad reparationem hominis, quæ in ipſo Verbo eſt facta, deſcribendam ſe Ioannes conuertit. *In ipſo vita erat.* Non tantùm per Verbum Deus omnia fecit, ſed etiam in eodẽ Verbo vitam ſpiritualem, cœleſtem, & æternam eſt operatus. Homo enim, quem Deus per Verbum creauerat, ſe ipſum, omnémque poſteritatem peccato contaminauit, animo æternæ mortis, ac corpore reo. Hunc ergo in ipſo Verbo viuificare voluit; vt eodem Verbo, per quod omnia facta erant, homo, qui omnia quodammodo complectebatur, ex Gregorij ſententia, ad vitam reuocaretur. Alibi exprimit Ioannes, *Vitam æternam dedit nobis Pater, & hæc in Filio eius eſt.* 1. Ioann. 5 Id eſt, huius æternæ vitæ, Filius, qui Verbum nunc dicitur, auctor eſt,

1. Ioann 5.

25. *Verbum hominum lux.* *Et vita erat lux hominum.* ] Id eſt, Verbum, in quo vita erat, lux erat hominum ad vitam; ſe etenim hominibus manifeſtauit, & ſplendentes radios, vt ab omnibus agnoſceretur, & per huiuſmodi cognitionem vitâ donarentur & gratiæ, & gloriæ, ſparſit. An non homines à Verbo per fidẽ ſunt vitam conſecuti? Ideo Verbum lux erat hominum; omne enim, quod manifeſtatur, lux eſt. *Ego ſum lux mundi.* Ioann. 8. Tam ſcilicet eorum, qui meam carnem præceſſêre, quàm eorum, qui ſecuti. Sic exponit Toletus.

Ioann. 8.

26. *Cur non dixit vitam lucem eſſe creaturarum ſiue Angelorum?* Cur autem non dixit, *Et vita erat lux creaturarum?* Reſpondet D. Auguſt. *Pecora non illuminantur hac luce, quia non habent rationales mentes.* Et Theophyl. *Verbum erat lux non ſenſibilis, ſed ſpiritualis, quæ animam illuſtret.* Si ſpiritualis lux, quare non *lux Angelorum?* Quia hominum, non Angelorum causâ Euangelium ſcribitur, vti adnotat Rupertus.

Auguſt. Theoph. Rupert.

27. *Quænam tenebræ? Homines ignorantes.* *Et lux in tenebris lucet.* ] Quænam hæ tenebræ? Res ſenſibiles, quæ non intelligunt, Caietanus. Humana natura, Origenes. Verbi mortalis, & paſſibilis caro, Nazianzenus. Lumen rationis, Origenes. Mors, & error, Chryſoſtom. Homines ſedentes in vmbra mortis, Theophyl. Sentio cum D. Auguſtino tenebras in præſenti hominum mentes ſcelerum oppletas caligine vocitari. *Homines*, ait, *propter peccata tenebræ ſunt. In his tenebris Verbum lucet. At illæ lucem Verbi non comprehenderunt. Quemadmodum homo cæcus Solis lucem non comprehendit à qua totus ambitur, & comprehenditur.*

28. *Tenebræ lucẽ inter ipſas emicantem non comprehenderunt.* Nyſſen. *Et tenebræ eam non comprehenderunt.* ] Nyſſen. orat. de Nat. *Puritas in noſtris ſordibus verſatur, ſordes verò puritatem non attingunt, quemadmodum ait Euangelium, Quod lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Expendo ſic totam ſententiam. Verbum, quod lux erat hominum, etiam nondum carne ſuſceptâ, viſibile tandem apparuit, & ſuſceptâ carne, emicat. Aliis verbis expreſſit Ioannes, *Vita æterna manifeſtata eſt, & vidimus, & teſtamur, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis.* 1. Ioann. 1. Vitam manifeſtam eſſe, & apparuiſſe dicit nunc Euangeliſta: *Et lux in tenebris lucet.* Erat, quando lux inuiſibilis, & ſpiritualibus oculis per fidem ſolummodo cernebatur:

1. Ioan. 1.

nebatur: at iam lucet, & etiam à corporeis oculis capitur. Attamen non omnes ex iis, qui in tenebris commorabantur, venientem Ieſum, & lucentem agnouerunt, nec eius ſalutarem doctrinam accepêre, vitio quidem ipſorum. En tenebræ, quæ lucem illam emicantem minimè cognouerunt. *Lux*, inquit Dominus, *venit in mundum, & dilexerunt homines tenebras magis quàm lucem.* Ioann. cap. 3. Ioann. 3.

# IN VERBVM CARNE INDVTVM,

## Panegyricus primus Moralis circa Literam.

## EX HVMANA CHRISTI NATVRA.

### *OBSERVATIO I.*

Ad illa verba:

*In principio erat Verbum.*

Verbum Euangelicum æterno Verbo affine.

*Vbi de prædicationis laudibus.*

29. CVR non dixit: In principio erat Rex, Creator? An vt innuat quanti æſtimet Dominus Verbi diuini vocabulum? Proh Euangelici ſermonis excellentia! cuius
Nazianz. Dei Filius inſignitur appellatione. Nazianzen. Carm. Nico.

*Nam neque nominibus cùm multis ipſe vocetur,*
*Vllum aliud nomen, quàm Verbi gratius audit.*
*Auribus arrectis & tu mea percipe verba.*

Ac ſi diceret, Aures attentas exhibe verbo ſacro, quod à me profunditur, cuius excellentia tanta, vt Deus voluerit Verbi vocabulo exprimi. Nec vllum poſſet inuenire quod Filij Dei naturam ſignaret ac Verbum. *Percipe* itaque (ait Pater) *verba mea*, æterni equidem Verbi imaginem, eius vim exprimentia.

30. A Filij Dei ſeu æterni Verbi operibus, ſumo
*Verbum æternum omnium conditor; ſermo ſacer omnia operatur.* documenta. Ioannes, *Omnia per ipſum*, id eſt, Verbum, *facta ſunt*, cap. 1. *Dixit* enim *Deus, Fiat lux, &c.* Geneſ. 1. vbi Auguſt. *Si requiras, quomodo facta ſit lux, firmamentum, &c. audias, Verbo Dei æterno.* Æterno itaque Verbo cuncta cœleſtia ac terreſtria excitantur. Profectò ex verbi, ſeu ſermonis Euangelici prolatione fiet tibi quidquid ex ſpiritualibus, aut temporariis expeteris.
Ioann. 1. August.
Origen. Exod. 16. Expendens Origen. illud: *Guſtus eius*, id eſt, Mannæ, *quaſi ſimila cum melle.* Exod. 16. ait: *Feſtinemus & nos cœleſte Manna ſuſcipere: iſtud enim Manna, prout vult quiſque ſaporem reddit in ore eius. Audi Dominum dicentem ijs, qui accedunt ad ſe; Fiat tibi ſecundùm fidem tuam.* Hic Verbi æterni ſermo: *Fiat lux, fiat firmamentum, &c. Et en ergo ſi verbum Dei, quod in Eccleſia prædicatur, totâ fide, totâ deuotione ſuſceperis, fiet tibi ipſum verbum quodcumque volueris.*

31. Compone iam æterni Verbi effectus cum ſacri ſermonis fructibus. *Dixitque Deus, Fiat lux,*
*Verbū æternum & ſermo ſacer.* quæ quidem homines in vmbra mortis conſidentes conſolatione afficiat. *Fiat firmamentum,* quod perceptam iam ab homine lætitiam ſtabiliendo adaugeat. *Congregentur aquæ, quæ ſub cœlo ſunt, in locum vnum, & appareat arida*, ſiue cordis humani fluctus, iracundiâ ſedatâ comprimantur. *Germinet terra herbam virentem*, vt (ex Baſilij ſententia) herbæ Medicæ futuris hominum ægritudinibus præparentur. *Fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem, & noctem, & ſint in ſigna, & tempora.* Geneſ. 1. Suis vtique temporibus Sol, Luna. Stellæ humanæ inopiæ proferant fructus. Annon huiuſmodi Verbi æterni ſpirituales, temporariique effectus à ſacro ſermone quotidie percipimus? Omnia equidem nobis à ſacro ſermone donantur proſante: *Fiat tibi, ſicut vis.* Egregium do Origenis citati teſtimonium: *Fit tibi verbum*, ſacérve ſermo, *quodcumque deſideras. Si tribularis, conſolatur te, dicens: Cor contritum, & humiliatum Deus, non ſpernis.* Fiat lux. *Si lætaris pro ſpe futura, cumulat tibi gaudia, dicens: Lætamini in Domino, & exultate iuſti.* Fiat firmamentum. *Si iracundus es, mitigat te, dicens: Deſine ab ira, & derelinque indignationem.* Congregentur aquæ. *Si in doloribus, ſanat te, dicens: Qui ſanat omnes infirmitates tuas.* Germinet terra herbam. *Si paupertate conſumaris, conſolatur te, dicens, Suſcitans de terra inopem.* Fiant luminaria. *Sic ergo Manna verbi Dei reddit in ore tuo ſaporem quemcumque volueris.* Sic ergo ſacri ſermonis effectrix potentia æterno omnium molitori Verbo aſſimilatur.
Baſil. apud Lipom.
Origen.

Pergit Ioannes, *In ipſo vita erat lux hominum.* 32.
cap. 1. Verbum enim æternum ægrotantibus hominibus vitam præbet illuminando. Sol etenim iuſtitiæ exoritur omnium languorum perficiens ſanitatem. *Orietur vobis timentibus Sol iuſtitia, & ſanitas in pennis eius.* Malach. 4. Verbum enim, quod erat apud Deum, ipſum eſt lumen in ægrotantium medicamen. Annon ſermo Euangelicus Medicum luminare? Audi D. Ambroſ. Præfat. ad Pſalm. 45. *Loquere, Domine Ieſu, Verbum tuum medicina eſt, verbum tuum lumen eſt; tu loqueris, & culpa lauatur.*
*Verbū æternum lux ſanans: ſermo ſacer & lucet, & ægrotantibus medetur.*
Malach. 4.
Ambroſ.

Illud de æterno Verbo admirabile, de quo Euangeliſta, *Et verbum caro factum eſt, & vidi-* 33.

*Verbũ æternum videtur magis, quàm auditur, ſermo ſacer aſpicitur.* Ioann. 1. Ambroſ.

*mus gloriam eius.* Ioann. 1. Ait D. Ambroſ. ad cap. 20. Exod. *Vox non videtur, ſed auditur; vox enim quid eſt, niſi ſonus? At in Euangelio non vox, ſed illud, quod voce præſtantius eſt, Verbum videtur. Vnde Ioan. 1. Can. cap. 1. Quod fuit ab initio, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtra contrectauerunt de Verbo vitæ. Non enim prolatiuum verbum, ſed ſubſtantiale ſignificatur. Verbum illud, quod caro factum eſt. Non vulgare verbum, ſed illud cœleſte, cui Apoſtoli miniſtrarunt. Non enim ſolùm viderunt Verbum ſecundum corpus, ſed etiam ſecundum Verbum.* Id eſt, ſpiritualibus oculis ſunt Verbum æternum contemplati. Vnde adiicit: *Iudæi autem non viderunt, quia non videbant in ſpiritu; obcæcatum enim erat inſipiens cor eorum* Ex meote igitur Ambroſij hoc æterno Verbo ſingulare, quod oon tam audiatur, quam videatur. Profectò ſacer ſermo Verbi ſubſtantialis imago, quia oculis etiam percipitur. Inſonat aliquando cœleſtis vox, legem prædicationémque Euangelicam adumbrans. *Cunctus autem populus videbat voces*, Exod. 20. Num ſermo hic Verbum æternum? Minimè, ſed Dei verbum externum ex aeris percuſſione, de quo in Commentario. Quonam modo igitur vox externa videtur magis, qoàm auditur? Num quia verbum ſacrum illa vociferatiooe adumbratum, inde æterno Verbo aſſimilatur, quod interioris mentis obtutu percipitur? Ita planè. Ex eodem Ambroſ. confirmo: *Vox non videtur, ſed auditur. Verum altiſſimo ingenio voluit declarare Moyſes, quia vox Dei*, ſiue ſacer ſermo, *videtur; interioris enim mentis videtur obtutu.*

Exod. 20.

Ambroſ.

34. Denique Ioannes: *Et Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis*, cap. 1. Nam & menſæ Eucharisticæ Verbum caro factum inhæret, & ab hominibus abſumitur. (Quod ad cap. 6. Ioannis confirmaui.) Haud aliter verbum ſacrum à nobis pectore excipitur. Vnde quemadmodum æterno Verbo ſub Euchariſtia præmiſsâ diſpoſitione, ſeu animi ablutione dignum præparamus domicilium: ita quodam modo præcordia ad ſacri ſermonis receptionem dignè ſunt præparanda. Afficitur ſupplicio horribili, qui ſine candido indumento inire nuptiale conuiuium fuerat auſus. *Quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem?* Matth. 22. Quid ſi indignè accepturus ſermonem ſacrum eiuſdem comminationis gladio percutiatur? Elegans accipe Origenis teſtimonium ad illud Exod. 19. *Sanctifica illos hodie, & cras; lauéntque veſtimenta ſua, & ſint parati in diem tertium.* Vt ſcilicet ſacram vocem exciperent. *Si quis eſt*, ait Doctor, *qui ad audiendum verbum Dei conueniat, audiat, quod præcipit Dominus: Sanctificatus venire debet, ad audiendum verbum, lauare debet veſtimenta ſua. Si enim ſordida huc detuleris veſtimenta, audies & tu, Amice, quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem?* Illud expende, *Audies & tu.* Ac ſi diceret. Non ſolùm indignè excipiens Verbum æternum audiet: *Quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem?* ſed & qui indignè ſacrum excipit ſermonem, eâdem quodammodo comminatione percutietur.

*Verbũ æternum dignè pectore excipiendũ. ſermo ſacer dignum requirit hoſpitiũ.* Ioann. 1.

Matth. 22.

Origen. Exod. 19.

## OBSERVATIO II.

### Ad illa verba:

### *Et Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.*

### Verbum fungens Dei ſocietate, quid niſi Deus eſſet?

*Bonæ ſocietatis commoda, prauæ incommoda recenſentur.*

PARTICVLA illa: *Et Deus erat Verbum*, quare ſuperaddita? Reſpondet Caietan. *Ne intelligeremus æternum Verbum eſſe quidem apud Deum, nõ tamen eſſe Deum. Ad hoc excludendum, ſubiunxit, quod Verbum erat Deus. Ita Verbum erat apud Deum, quod etiam erat Deus.* Placet. Attamen aſſerere auſus fuerim, nullatenus quodammodo dubitare potuiſſe de Verbi diuinitate, licet non ſubiunxiſſet Euangeliſta, *Et Deus erat Verbum*, quia iam præmiſerat, *Et Verbum erat apud Deum.* Poterátne Verbum apud Deum diu commorari, licet per impoſſibile Deus non eſſet, & non io eamdem cum illo qoodammodo eſſentiam conuerti? Hinc cape documentum. Id proculdubio exiſtes, qnod eſt ille, cui perſeueranter adhæres. 35.

*Licet Verbũ Deus non eſſet, mutaretur quodammodo in Deũ beneficio aſſiduæ ſocietatis?* Caietan.

## CAPVT I.

### *Deo hæreſcens quaſi Deus exſurgit.*

TAntus Dei erga creaturas amor, vt eas conatus quodammodo fuerit diuinâ eſſentiâ cõdecorare. Proh conuerſionis huiuſce difficultas? Quonam modo creatura naturam induet Creatoris? Ea certè eſt ſocietatis efficacia, vt poſſit creatura ad diuinum eſſe certo modo eleuari. Qoid igitur Deus? *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Geneſ. 1. Nempe hærebat creaturis, vt beneficio ſocietatis eas quodammodo in Creatorem commutaret. Acutè Rupert. *Hic nempe*, Spiritus Sanctus, *ferebatur ſuper aquas, & ſuper aridam, quæ ſub aquis latebat. Quia videlicet magno ſuper creaturam ſuam Creator affectu ducebatur. Vt quia non poterat eſſe* creatura, *vt ipſe, qui creauerat, tales tamen ex ea faceret formas, in quibus Creatori coniungeretur, conuiueréque, & conregnaret creatura.* Preme verba proxima, *Creatori coniungeretur.* Non poterat eſſe creatura vti Deus ipſe, qui creauerat. Vode, vt quodammodo eſſe poſſet creatura Deus, Cooditor fecit creaturam Creatori coniungi. *Creatori coniungeretur.* Quidnam ergo ex huiuſmodi coniunctione, & ſocietate? *Conuiueret, & conregnaret creatura.* Ea eſt enim ſocietatis vis, vt id fiam quodammodo, quod exiſtit ille, cui coniungor. Quia ergo ooo poterat creatura eſſe Deus, ipſi Deus adhæret, vt creatura Deo dignos producat effectus, ab ipſo eleuata Conditore. 36.

*Spiritus Sanctus hæret creaturis, vt eas quodammodo mutet in Deum.*

Geneſ. 1.

Rupert.

Haud etenim deſunt, qui huiuſcemodi ſpiri- 37.
tum

*Aqua Spiritus S. hærens in admirabilem & dignã Deo efficientiam eleuatur.*
Geneſ. 1.
Theod.

tum ſuper aquas volatu innui. afferant virtutem aquis communicatam ad delictorum ablutionem. Communicatam, inquam, in figuram Baptiſmi inſtituẽdi, vt attigit Strabus. Fatur Theodoretus: *Aquarum naturam viuificabat Spiritus ſanctus, vt Baptiſmi gratiam iam deſcriberet.* Magnæ equidem documentum poteſtatis, aquas ad tam incredibilem efficientiam eleuari. At hoc illi præſtatut ob Spiritus ſancti ſocietatem, cuius vis incredibilis non viuentem creaturam ad vitales, ſupernaturaléſque excitauit effectus.

*Ioannes Ieſu ſocius quaſi naturalis Virginis filius.*
Ioann. 19.

38. Chriſtus diſceſſurus, ſic de Ioanne parenti, *Ecce filius tuus.* De parente autem diſcipulo, *Ecce mater tua.* Ioann. 19. Num Ioannes Virginis mutatur in filium? Poťius dixerim eum, qui iam antea fuerat Deiparæ filius effectus, tunc & Virginis filius & Ieſu frater publicari. Nam qui adoptatus in filium, ſeu ſocium Chriſti inſeparabilis ipſius comes extiterat, quodam modo factus fuerat Ieſus, cui ſocius hæreſcebat. Vnde Dominus Ioannem, Mariæ filium proferebat. Arnold. *Vices filij naturalis filius accipit adoptiuus, & transfunditur in miniſtrum filialis affectus: formatúrque & firmatur in ambobus pietatis vnica gratus, concorſque complexus.* Ac ſi diceret, complexus Ieſu & Ioannis, ſeu indiuiſa ſocietas transfuſa eſt quodammodo in naturalem filiationem.

Arnold.

*Ioſue ſocius Moyſi quaſi Deus.*

39. Moyſi quaſi Deo effecto naturæ dominatori inſeparabiliter Ioſue hæreſcit. Quonam fructu? Profectò factus eſt id quod ſocius oſtendebatur. An illi diuina quodammodo poteſtas? Leges pelago ſcribit? Ioſue, quaſi Deus Stellis imperat. D. Ambroſ. lib. 2. Offic. cap. 2. *Ioſue ſancto Moyſi indiuiduus adhærebat? Vnde factum eſt, vt qui fuerat ſocius conuerſationis, fieret ſucceſſor poteſtatis. Vterque vltra humanam proceſſit conditionem, ille mari, hic cœlo imperauit.* Mirum fuiſſet, ſi quaſi Dei comes aſſiduus quaſi Dei opera nõ proferret.

## CAPVT II.

### *Dæmonis ſocius quaſi dæmon euadit.*

*Qui diabolo hæret, diabolus reputatur.*
Geneſ. 1.

40. HInc conſequentet habes, eum, qui Diabolo copulatur, ei effici ſimilem. Plaſmatis quinta die volatilibus, piſcibus eductis Deus *benedixit, dicens: Creſcite, & multiplicamini.* Geneſ. 1. Cùm autem conſtet animantia terreſtria, quę ſexta die condita ſunt, non ſimili fuiſſe à Domino benedictione donata: quæſtio ſuboritur, Cur natantia, & volatilia benedictionem accipiunt, non autem terreſtria animanťa? *An ideo,* inquit Strab. *fortè animalibus ſexta diei non benedixit Deus; quia inter ea erat & ſerpens, cui poſt paululum erat ipſe maledicturus?* Serpens à Diabolo aſſumitur in hominum ruinam. Vnde ſerpens quaſi diabolus meritò reputatur, quia diaboli extitit ſocius. At ſerpenti cuncta terreſtria animantia coniuncta, ſerpentes quodammodo habentur coram illo, qui proximum videt Diaboli ac ſerpentis conſortium, vnde eiuſdem maledictionis quodammodo gladio percutiuntur.

Strab.

*Is reputor qualis ille, cui ſocius adiungor.*

41. Profectò reliqua animantia ſerpentia non erant, ſed ſerpentis ſocietate quaſi æſtimabantur à Domino ſerpentes. Vt ſcilicet te iuſtum, & modeſtum à ſociis morum effrænatorum amoueat, ne ab hominibus ſocio ſimilis habearis. Iam contemplatus es, queis terreſtria bruta afficiantur doloribus, queiſnam calamitatibus infeſtentur? Rogas, quare natantia non eiſdem ægritudinibus pergrauentur? Num quia terreſtria homini ægrotanti ſubiiciuntur: vnde eiſdem ac homo laboribus defatigantur; ne ſeruus potiori conditione frueretur? Non inficior. Sed crediderim conuenienťius, hæc animantibus incommoda accidere ex maledictæ terræ ſocietate. Alcuin. *Quare,* inquit, *terreſtria animantia plus maledictionis habent, quàm aquatilia?* Sic dirimit quæſtionem. *Quia plus de maledicta terra viuunt.* Conuiuunt terrâ maledictâ? Quaſi maledicta & illa reputantur. Nec enim facilè eximeres animanťa à maledictionis ſuſpicione, ſi conuiuentia aſſiduè maledictâ terrâ intuereris.

Alcuin.

Mittitur Adoleſcens Prodigus ad porcorum ſocietatem: *Miſit illum ille,* cui hæſerat, *in villam ſuam, vt paſceret porcos.* Luc. 15. vbi Chryſolog. ſerm. 1. *Pietatis refuga deputatur porcis, porcis addicitur.* Mox adiicit Textus: *& cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis, quas porci manducabant.* Cur Dominus huiuſce auctor parabolæ, vt famem hominis exprimeret, non dixit: *Et cupiebat implere ventrem ſuum de pane, & nemo illi dabat:* ſicut Propheta populi famem crudeliſſimam obiiciens fatur: *Paruuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.* Profectò eo ipſo, quod Dominus aſſeruiſſet Adoleſcentem porcorum hæſiſſe ſocietati, quaſi tenebatur eum vti porcum è ſociis vnum reputare; quia qui porcis viuebat, quomodo porcis non conuiueret? Vnde miſeriã extremam huiuſce infelicis Adoleſcentis depingens Chryſolog. ait: *Quàm crudele miniſterium, quia neque conuiuit porcis, qui viuit porcis.* 42.

*Prodigus hærens porcis, quaſi vnus ex illis reputatur.*
Luc. 15.
Chryſolog.

Sed priuſquàm à parabola diſcedamus, habes in præſenti argumenti confirmationem, nempe haberi, reputari, imò in diabolum quodammodo conuerti, qui Diabolo adhæret. *Adhæſit,* inquit Dominus, *vni ciuium regionis illius, & miſit illum in villam ſuam, vt paſceret porcos:* Lucæ capite decimoquinto. Ad quem locũ Chryſologus Ciuem Luciferum, porcos autem dæmones reliquos eius aſſeclas interpretatur. *Adhærebat,* inquit, *Primario regionis illius, à quo mittebatur, vt paſceret porcos, id eſt, dæmones.* Annon Luciferi miniſterium dæmones ſubditos ducere, gregem immundiſſimum gubernare? Quonam modo igitur Adoleſcens miſer dæmones recturus immittitur? *Adhæſit* equidem Primario, duci, Lucifero. Et quomodo Principi dæmoniorum hærens ſocius, non dæmoniorum primarius euaderet? Adhærens itaque Deo vnus cum eo ſpiritus efficeris, Diabolo autem admiſtus, quid non quaſi diabolus habearis? 43.

*Prodigus hærens dæmonũ Principi diabolus primarius emergit.*
Luc. 15.
Chryſol.

## OBSERVATIO III.

### Ad illa verba,

### *Omnia per ipſum facta ſunt.*

### Verbum Diuinum eadem opera molitur, ac Pater:

### *Vnde colligo parentum ac filiorum mores aſſimilari.*

NVm Verbum alienæ voluntatis reputas adminiſtrum, quia dicitur, *Per illum facta ſunt,* 44.

*ſunt*, & non ab ipſo? Minimè equidem, additur enim, *Et ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt.* Sic Theodorus Mopſueſtenus apud Corder. cat. in Ioann. *Manifeſtè autem oſtendit, illud, Per ipſum, non propter eius miniſterium appoſitum eſſe, ſed propter comparationem. Et vt nihil eorum, quæ facta ſunt, ab ipſius fabricatione eximeretur, ſubdit, Et ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt. Quomodo enim*, Cyrill. ait, *aliter intelligeremus illud, Pater meus vſque modo operatur, & ego operor?* Ioann. 5. Profectò enunciaturus Ioannes Patris ac Filij inſeparabilem operationem, diſertiùs ſcripſiſſet, *Omnia per Verbum, & Patrem facta ſunt*. Non fuit neceſſum Patrem exprimi operatorem, cùm Verbum Deum eſſe oſtendiſſet. Nam ſi Verbum, quod Deus eſt, opera moliebatur, Pater, qui Deus eſt, neceſſariò debebat eidem molitioni incumbere. Præterea myſticè Euangeliſta edocet ita parentum ac filiorum opera ſimilia, imò eadem reputari: vt exprimens Filij operationem, operationem Patris expreſſiſſe videretur.

Theod.

45. *Ieſus ſe probat æterni Patris Filium ex operum ſimilitudine.* Matth. 11.

Filius ipſe aſſeuerat: *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo*. Matth. 11. Ac ſi diceret, Clarè oſtendam me æterni Filium Parentis. In cuius probationem adducere potueram eiuſdem Patris teſtimonium inclamantis, *Hic eſt Filius meus dilectus*. Matth. 17. Sed non minùs efficaciori vtar argumento: *Omnia mihi tradita ſunt à Patre*. Id eſt, per me omnia molitus eſt. *In principio creauit Deus cælum & terram.* Geneſ. 1. Hugo Cardin. *In principio, id eſt, in Filio. Omnia* namque *per ipſum facta ſunt. Omnia* itaque mihi tradita ſunt à Patre, dum per me *dixit, & facta ſunt*. Parentis in me relucent actiones. Ergo ſi eadem opera Filij ac Patris, me Dei Filium apertè confirmo. D. Paſchaſ. 6 in Matth. *Ne ſolum*, inquit, *ſimplex confeſſio intelligatur nominum, Hic eſt Filius meus dilectus. Ne fortè intelligamus quaſi ſit nuncupatiuus Filius, propterea adiecit, Omnia tradita ſunt mihi à Patre* ſiue, per me Verbum, quod eram apud eum, omnia facta ſunt. Et quonam modo operum ſimilitudo non me Æterni Patris Filium oſtentauit?

Hugo.

Paſchaſ.

46. *Eadem quodammodo voluntas, eadè patris ac filiorum operatio.*

O quàm eadem quodammodo in humanis patris ac filij voluntas! quàm non altera operatio! Cùm ſaltans Herodiadis filia Regi laſciuo placuiſſet, Herodes ait: *Pete à me, quod vis.* At illa genitrici, *Quid petam?* Cui mater, *Caput Ioannis; cùmque intraſſet cum feſtinatione ad Regem, petiuit dicens, Volo, vt protinus des mihi in diſco caput Ioannis.* Marc. 6. Voco ad quæſtionem, cuiuſnam eſſet hęc voluntas deprauata, num matris, an filiæ? Filiæ non. Nec enim voluit eligere quid vellet, ſed matri dereliquit optionem. *Quid petam?* Fuit igitur parentis. Attamen filia ait, *Volo, vt des mihi caput Ioannis.* At non veracius dixiſſet, Vult mater mea? Si igitur voluntas illa erat genitricis, quare filia ſibi arrogans, ait, *Volo, vt des?* Profectò quia eadem parentum, ac filiorum voluntas reputatur quodammodo, vnde quaſi non vera Herodiadis filia appareret, ſi non eâdem voluntate, eâdem nefariâ actione inquinaretur, ſi eâdem non accenderetur rabie, adeò, vt non quaſi matris internuncia, ſed quemadmodum eodem iræ veneno infecta, ſuam Regi de occidendo Ioanne voluntatem exprimeret. Attigit Iuuencus lib. 2.

Marc. 6.

Iuuenc.

*Illa ſed horrenda ſeruans ſcelera impia matris,*
*Vrget Ioannis caput à ceruice reuelli.*

*Seruans*, inquit, *ſcelera matris*. Vti ſcilicet filia Herodiadis oſtenderetur. Hiſpanicè explico, *Hya de madre.*

47. *Opera Filij Cham eadē ac parentis quodammodo.* Gen. 9. Ambroſ.

Ebrius Noe nudus in tabernaculo oſtentatur. *Quod cùm vidiſſet Cham pater Chanaan, verenda ſcilicet patris ſui eſſe nudata, nunciauit duobus fratribus ſuis foràs.* Geneſ. 9. Vbi requiro, cur memoratur Cham pater Chanaan, ſi tunc temporis ex grauiſſimorum Patrum placito exortus non erat? Reſpondet D. Ambroſ. *Chanaan natus non erat, addit tamen nomen filij, vt pater filij nequitiâ grauaretur.* Et quonam modo poſſet pater filij nequitiâ pergrauari, ſi Chanaan nulla hic flagitia recenſentur, ſolummodò eius nomine memorato? Equidem, vt opera nefaria Chanaan obijciantur, ſatis fuit Moyſeni affirmare, Cham parentem habiturum. Ac ſi diceret, Chanaan nefarius exiſtet probabiliter, qui è nefario parente habebit exortum. Vnde appoſitè Ambroſius aſſerit ſolo futuri filij nominis obiectu parentem filij nequitiâ pergrauari, dum ex paterni criminis conditione qualis (ex frequenti experimento, non ex infallibilitate) futurus filius cognoſcebatur.

48. *Parentis, ac filij quaſi vnica eſſentia.* Gen. 1. Ambroſ.

Non equidem miror actiones parentis ac filij eaſdem reputari, ſi parens ac filius quaſi vnica inſeparabilis eſſentia: *Producant*, inquit Dominus, *aquæ reptile*. Geneſ. capite primo. Ad quem locum Diuus Ambroſius: *Quàm bona*, ait, *mater ſit aqua, etiam hinc conſidera: Tu ô homo, docuiſti abdicationes patrum in filios, ſeparationes. Diſce ergo ab aqua, quæ ſit parentum, & filiorum neceſſitudo. Viuere piſces ſine aqua non queunt, nec à ſui parentis conſortio ſeparari, quin moriantur illicò, quia quod nobis eſt ſpiritus, illis eſt aqua.* Neceſſitudo ergo parentis & filij talis eſt. Haud poteſt quodammodo filius ſine parente viuere, quemadmodum piſcis ab vndis abſtractus illicò deperit, quaſi eſſentiâ vnicâ coaleſcerent.

49. *Abraha, & Iſaac quaſi vna voluntas.* Gen 22. Paſchaſ.

Eadem denique parentis ac filij quodammodo voluntas oſtenditur. Iſaac à patre in montem iugulandus adducitur, vbi ad gladium vſque eius exequitur diſpoſitionem, Geneſ. 22. D. Paſchaſ. ad Pſalm. 44. *Audi Iſaac quomodo exequitur patris oblationem vſque ad gladium, & vſque ad ignes; nam etiam vſque ad mortem non refugit, non reluctatur, non contradicit.* Quomodo non contradicit? An quia pater ei cœleſte imperium aperuit? Minimè, ſed quia eo ſolùm, quod filius erat, quodammodo vnicâ ſe præditos voluntate oſtendere videbatur.

50. *Filia Iephte patris voluntatem ideo parit.* Paſchaſ.

Quin & Iephte filia vulneri exitiali obiicit colla, quia parens voluntate præibat. Audi eundem Paſchaſium: *Occurrit tibi filia Iephte, quæ ne fruſtraretur paternum votum, ſe in mortem obtulit, quia pater aperuerat os ſuum, quæ non ſolùm non refugit, verum adhortatur patrem.* Etſi enim ætas immatura eam ad amorem vitæ excitaret, viſa ſibi, non poſſe quodammodo à vulnere abſtrahi, dum patris voluntatem prolatam agnouit. Vnde non ſolùm ſeſe non offerri, verum & vult occidi, & ore effundit verba ad vulnus excitantia, quia audierat patrem labiis filiæ necem effudiſſe.

## OBSERVATIO IV.

### Ad illa verba :

### *Et ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt.*

### Peccatum ſine Verbo factum.

### *Id redigit homines in nihilum.*

51. Anſelm.

Diuus Anſelmus lib. Soliloq. cap. 5. *Nihil aliud eſt malum, quàm priuatio boni; ſicut nihil aliud eſt cæcitas, quàm priuatio luminis. Malum itaque nihil eſt, quia ſine Verbo factum eſt, ſine quo factum eſt nihil.* De malitia quidem, non de phyſica actione, cui malitia ineſt, intelligo. Profectò peccatum, quod nihil eſt, hominem redigit in nihilum. Vnde ſic locum expendo. *Quod factum eſt*, per ipſum, id eſt, hominem, *ſine ipſo*, id eſt, ab ipſo per lethale crimen recedente, *factum eſt nihil*, ſeu ad nihilum redactus eſt. Do hanc mentem D. Anſelm. fanti: *Quoties à bonis deuias, à Verbo te ſeparas. Hoc eſt, quod ait, ſine ipſo, quia ipſum eſt bonum. Et ideo nihil efficeris; quia ſine Verbo es, ſine quo factum eſt nihil: quod factum per ipſum eſt.*

52. *Nihil fit homo cùm delinquit.* Pſalm. 72. Auguſt.

Hinc Iob peccatoris agens perſonam: *Redactus ſum in nihilum*. cap. 30. & peccatorum exprimens miſeriam; *In nihilum*, ait, *redacti ſunt*. cap. 16. Dauid conteſtatur: *Imaginem eorum ad nihilum rediges*. Pſalm. 72. Eos, inquam, qui Conditoris præ ſe ferebant imaginem, in nihilum rediges, dum eos permittis lethali crimine inquinari. Nam (vti D. Auguſtinus tract. 1. in Ioann.) *Nihil fiunt homines, cùm peccant.*

53. *Homo lethaliter delinquens, tenebra ſiue nihil.* Epheſ. 5. Gen. 1. Sinait.

*Eratis*, inquit Paulus, *aliquando tenebræ*, Eph. 5. Id eſt, eratis peccatores. Et quare tenebræ vocitantur? Quia tenebræ nihil ſunt, haud ſunt factæ, minimè inter Dei opera computantur. At peccatum ſine ipſo factum eſt. *Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*. Geneſ. 1. Vbi Anaſtaſ. lib. 1. exam. *Cur*, quærit, *ante lucem poſuit tenebras? Deinde cùm prius poſuiſſet tenebras, quomodo non dicit, quonam modo illæ conſtiterint tenebræ?* Sic autem diſſoluit quæſtionem: *Eſt perſpicuum quod tenebræ ſunt ſymbolum peccati. Increatum eſt autem peccatum, & minimè conſiſtens. Quomodo enim aquæ caliginem habent ex propria eſſentia: ita etiam homo proprio, & non creato propoſito ſuâ ſponte facit, & procreat peccatum.* Erant igitur homines tenebræ aliquando, quia tenebrarum inſtar, nihil ſunt per peccatum effecti.

54. *Deus requirit vbinam ſit Adam, vt poſt delictum ab eſſentia, & ab exiſtentia deturbatur.* Gen. 3. Lyran.

Poſtquam Adam ſeſe delicto inquinarat, ſic Conditor: *Adam, vbi es?* Geneſ. 3. Difficilis locus. Videtur enim Deum, aut immenſum negare, aut ignorantiæ notâ inurere. Deus immenſus quomodo abſens poteſt abeſſe à loco vbi Adam cõmoratur? Deus ſcientiæ infinitæ, quonam modo, vbinam ſit præuaricator, ignorat? Vel ſi noſcit, vbinam latitat, quare vti ignorans interrogat? Reſpondet Lyranus: *Non ex ignorantia eſt quæſtio; ſed vt ex reſponſione Adæ conuenientiùs fiat increpatio.* Rectè quidem, ſed non exhaurit Doctor difficultatem. Conuenientiùs dixeris ſub ſpirituali ſenſu Adamum per tranſgreſſionem in nihilum fuiſſe redactum, adeò vt Deus infinitæ ſapientiæ, vbinam ſit quodammodo ignoret, nam quod non eſt, minimè ſcitur. Item Deus immenſus locum, vbi Adam commoretur, non occupat; quia ad nihilum redactus, neceſſariò deturbatur à loco, ab vbicatione deiicitur. Erat ô Adam, quando eras, & loco circumſcriptus obiiciebaris; per peccatum (myſticè) eſſentiam ſimul & locum amiſiſti. Ad hunc ſenſum Alcuinum allicio fantem: *Non vtique ignorando quæſiuit, ſed increpando admonuit, vt attenderet, vbi eſſet & vnde cecidiſſet.* Vbi erat? Vbicatione potiebatur: at ad nihilum deturbatus, ſine vbi. Vnde cecidit? Ab eſſe creato in nihilum excidit per tranſgreſſionem. Alcuin.

55. *Delinquens neſcit; quia ibi nõ adeſt, vbi delinquit.* Pſalm. 72. Bernard.

Appoſitum Dauidicum carmen: *Ad nihilum redactus ſum, & neſciui*. Pſalm. 72. Per delictum equidem nihil ſum effectus, *& neſciui*. Num ignorantiâ defendere peccatum intendis, ac ſi diceres: Ignorans feci? Num carpere delinquentium conaris inſipientiam, peccatoris agens perſonam; quia *omnis peccans ignorans*? Verùm D. Bernard. de trip. cohær. vincul. altiorem rimatus ſenſum, ait: *Verè ad nihilum, id eſt, ad peccatum redactus ſum, & neſciui, quia non fui ibi.* Quonam modo ſi peccaſti, *ibi* non fuiſti? Quia eo ipſo, quod peccatum committerem, ibi non eram, meâ tunc eſſentiâ, & vbicatione quodammodo amiſſâ. Cùm itaque peccarem, *ibi* non aderam, *vbi* non circumſcribebar per delictum redactus in nihilum.

56. *Poſt peccatũ, opus nos ad Conditoris manus rurſũ efformandos recurrere.* Iac. 1. Hugo.

Opus eſt equidem, vt rurſum peccator ad manus recurrat Conditoris, vt inter creaturas valeat adnumerari. Deſcribens Iacobus hominis regenerationem, ſiue recreationem per gratiam, profatur: *Voluntariè genuit nos*, Chriſtus, *verbo veritatis; vt ſimus initium aliquod creaturæ eius*. cap. 1. Ad quem locum Hugo Cardin. *Genuit*, inquit, *nos, prædicato Euangelio, vt ſimus ab ipſo creati, vt ſimus aliquod initium, id eſt, ab ipſo initiati, per gratiam.* Nam cùm per peccatum quodammodo ſimus in nihilum acti, per gratiæ ſpiraculum, ad inchoationem eſſentiæ ſpiritualis redimus. Pulchrè D. Bernard. 5. de conſid. cap. 10. *Peccato redacti in nihilum, iteratò creati ſumus; vt ſimus initium aliquod creaturæ eius.* Bernard.

57. *Vti ſal infatuatum peccator tendit ad nihilum.* Pſal 106. Caſſiod. Bruno. Nyſſen.

Egregiè Dauid, *Effuſa eſt contentio ſuper Principes, & errare eos fecit in inuio, & non in via.* Pſalmo centeſimo ſexto. Caſſiodorus: *Contemptio.* Quidnam contemptio? Exponit acutè Diuus Bruno: *Vt qui Dominum contempſerunt, ipſi contemnerentur. Contempti ſunt, vt ſal infatuatum.* Annon infatuatum ſal, *ad nihilum valet vltra?* Contemnentes Deum rediguntur in nihilum. Vnde Nyſſeo. Orat. 1. lectio congruentior ad argumentum, *Effuſa eſt annullatio ſuper Principes. Non is*, adiicit, *qui ab eo, quod eſt, excidit, & ad nihilum deflectit, in nihilum quoque conuerti rectè dicitur.*

58. *Iob iuſtus in in loco aderat, quia erat.* Iob. 1. Chryſoſt. apud Comitol.

De ſanctiſſimo Iob Textus, *Vir erat in terra Hus nomine Iob, & erat vir ille ſimplex*. cap. 1. Vbi Septuag. *Erat homo verus ille.* Chryſoſt. *Improbi enim ſunt falſi homines, non ſecus quàm picti.* Expende particulam illam: *Vir erat in terra.* Exiſtentiæ locus iuſti Regis meritò memoratur. Laudabilis etenim ex vbicatione vir obiicitur, quia loco circumſcriptus, verâ potitur eſſentiâ, vitali ſcilicet ſpiraculo fruens inter creaturas annumeratur, à quarum conſortio delinquens deturbatur, amittens ſimul eſſentiam, & locum.

OBSER

## OBSERVATIO V.

### Ad illa verba:

### *In ipſo vita erat.*

### Omnia in iuſto vita ſunt, quia in ipſo Deus, in quo vita ſunt omnia, commoratur.

### *Diligenti etenim Deum omnia cedunt in bonum.*

59. Chryſoſt.

AD quem locum D. Chryſoſtomus apud Corder. *Si vita nobis effulſerit, ſolutum iam eſt mortis imperium. Quod igitur de Patre dictum eſt, de Filio etiam propriè dicitur, quoniam in ipſo viuimus.* Viuimus vtique in ipſo, quia ipſe in nobis commoratur. Vnde ſolutim mortis imperium, haud poteſt vllus mortis ſtimulus iuſtum vulnerare. Nam cùm nihil adſit Verbo, quod vita non ſit, huiuſmodi adeò iuſto, cuius præcordia inhabitat, communicat effectum, vt à nullis mortis euinci vulneribus, à nullis poſſit incommodis defatigari, ſuperari. Num ex aduerſitate deprimetur, aut ex proſperitate eleuabitur? Minimè. Omnia apud iuſtum vitalia ſunt; quia *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*

60. *Verbo in nobis manente adeſt lux ad mortis, ac tribulationis tenebras abigendas.* Theod. Cyrill.

In cuius robur, præmitto illius veritatis confirmationem: *In ipſo vita erat, & vita erat lux hominũ.* Ac ſi diceret, Nõ ſolũ viuit ipſum, omniáque, quæ apud ipſum, vitalia ſunt; ſed vita hæc in morem lucis emergit, vt homines illuminet, & faciat omnia eis eſſe vitalia. Theodorus Mopſueſtenus: *In ipſo vita erat, quoniam vim viuificam facit ſcaturire, ita vt non ſolum viuat ipſum, verum etiam aliis vitam præſtet.* Et Cyrill. *Verbum in omnibus exiſtit vita, in iiſdem etiam eſt lux, illuminans ea.* Loquitur Doctor de hominibus iuſtis, queis equidem omnia vitalia; quia in omnibus vitalis Verbi rutilat ſplendor. Nec mortis iam vmbra poteſt in tanti fulgoris ſiſtere conſpectu.

61. *Nulla nocebit aduerſitas, ſi in nobis Dei Spiritus commoratur.* Ezech. Hugo.

Tribulationes irruant, ipſa fortunæ volubilitas impugnatura accedat. Haud nocebit aduerſitas, ſi Verbum occupet humani pectoris domicilium; quia ſi in Verbo vita, vita noſtri incola cordis Verbi receptaculi. Myſticè Ezechielis locum cap. 1. interpretor: *Quocumque ibat ſpiritus, illuc eunte ſpiritu, & rotæ pariter eleuabantur; ſpiritus enim vitæ erat in rotis.* Rotas haſce Hugo Cardinalis fortunæ volubilitatem exponit. *Eſt rota temporalis rota fortunæ.* Vbi Spiritus Dei adeſt, licet apud rotam temporis ſeu fortunæ volubilem conſtituatur, ibi vitalis motus. Quid igitur mortis imperium redolens, vbi Dei Spiritus habitator exiſtit?

62. *Nulla tribulatio intra nos, ſi in nobis adſit Deus.*

Quàm confidenter Paulus omnes tribulationes euocat ad certamen! Nam cùm præmiſiſſet: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum:* ſubiungit: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio? An anguſtia? An fames? An nuditas? An periculum? An perſecutio? An gladius? Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei.* Rom. 8. Caietan. *A charitate Dei actiua, hoc eſt, à charitate Dei erga nos; & eſt ſermo de ſeparatione totali.* Quaſi diceret: Nulla poterit tribulatio nobis aliquod nocumentum adferre, quod inferat mortem, dum minimè poſſit nos à Deo ſeparare; Deo namque nobis hærente, vita ſtabilis eſt. (Rom. 8. Caiet.)

Illud expende: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* Rom. 8. Omnes hinc aduerſus præfatam Pauli ſententiam obiectiones ablegantur. Dei enim dilectoribus omnia vitalia ſunt; queis Verbo ſocio fruuntur, in quo vita. D. Anſelm. *Dilectoribus Dei omnia ſimul fiunt in bonum; quia in bonum vertuntur illis omnia, quæcumque ipſis accidunt: non ſolum illa, quæ appetuntur vt ſuauia, ſed etiam illa, quæ vitantur vt moleſta.* Adnota particulam: *Dilectoribus Dei omnia ſimul fiunt in bonum. Simul*, inquam; ſiue ſociâ Dei dilectione, quæcumque accidunt incommoda minimè nocent, quia ſimul cum Deo in nobis commorante vitalia redduntur. 63. *Omnia in benũ iuſtis.* Rom. 8. Anſelm.

Quare exiſtimas mortem aduerſum te conſurgentem victoriæ decantare trophæum? Quia, Deo abſente, (apud quem vita) accurris ad certamen. Adam & Eua mortifero hoſtis iaculo ideo interempti, quia quodammodo Deus peregrinari à paradiſo oſtentabatur, dum poſt vulneratos homines quæritat, vbinam ipſi commorarentur? Maneat apud nos Verbum, in quo fons vitalis, cuius equidem irrigatione mortiferum lignum vitales parturiet effectus. *Fluuius egrediebatur de loco voluptatis, ad irrigandum paradiſum.* Gen. 2. Ad quem locum appoſitè D. Ambroſius fatur: *Eſt paradiſus anima. In ea eſt ſpiritus tanquam Adam, & ſenſus tanquam Eua. Conſidera autem quæ habeat anima iſta ſubſidia. In ea eſt fons ad irrigandum paradiſum, id eſt, Dominus, de quo ſcriptum eſt: Quoniam apud te eſt fons vitæ. Hic fons facit, vt lignum ferat fructum in vitam.* Nec enim mortis imperium, vbi Verbum, in quo vita commoratur. 64. *Cibum mortiferum Dei ſocietas vitalem reddit.* Gen. 3. Gen. 2. Ambroſ.

Aliâ Iſaias expendit metaphorâ idem argumentum: *Cælum*, ait Dominus, *mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum.* cap 66. Quæ Verba exponens Origen. ad Gen. 1. inquit: *In his, quorum conuerſatio in cælis eſt, ſedeo, & requieſco; in iis autem, qui terrenum propoſitum gerunt, vltima pars prouidentiæ meæ inuenitur, quod in pedum appellatione figuraliter indicatur. Efficientur autem ipſi ſedes Dei facti prius cæleſtes, Qui etiam dicunt, Suſcitauit nos, & ſedere etiam fecit nos in cæleſtibus.* Pondera verbum illud: *Suſcitauit nos.* Num mortuos? Ita planè. Nam qui Verbo non hærent, ſub mortis poteſtate deputantur. Eleuati itaque ad Verbi ſocietatem ſuſcitantur, à mortiſque imperio auferuntur; quia apud Dominum vitæ fons. *In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum.* 65. *A Deo abſtracti ſub mortis imperio.* Iſa. 66. Origen.

Olim Ægyptij mortis tenebris offundebantur, dum iuſti luce fruebantur vitali, quia vbi Deus commoratur, ibi vitæ fons ſcaturit, vt in eius lumine lumen videamus. *Vbicumque habitabant filij Iſraël lux erat.* Exod. 10. In quam ſententiam D. Bernard. ſerm. 72. in Cant. *Quemadmodum*, inquit, *olim omni populo caligante per vniuerſam Ægyptum, ſolus in mediis tenebris clara videbat populus Iſraël, id eſt, videns Deum; ſic inter filios tenebrarum in mortis caligine fulgebunt iuſti, & videbunt.* Quia videlicet Deum videns apud præcordia 66. *Nunquam nõ iuſti apud Deum vitali luce perfruuntur.* Exod. 10. Bernard.

cordia commorantem, tantâ luce donatur: vt minimè à mortis tenebris poſſit offundi.

67. Finem imponat D. Chryſoſt. huiuſce argumenti confirmator: *Nihil aliud*, inquit, *tam moleſtum eſt, quàm Deum habere offenſum. Id ſi abſit, non afflictio, non inſidiæ, non alia res vlla moleſtiam afferre poteſt rectè ſapienti. Sed quemadmodum exigua ſcintilla ſi in profundam aquam immergas, potius extinxeris: ita quamuis magna animi deiectio, ſi in bonam incidit conſcientiam, perit, facilèque euaneſcit.* Pende illud: *Potius extinxeris.* Quid mirum mortis potentiam nullatenus poſſe iuſtum ſuperare: ſi vniuerſi labores iuſto id ſunt, quod exigua Oceano ſcintilla.

*Omnia mortis præſidia iuſto, quaſi Oceano ſcintilla.*
Chryſoſt. homil. 1. in 2. ad Cor.

## OBSERVATIO VI.

### Ad illa verba:

### *Et vita erat lux hominum.*

### Spiritualis lux vita eſt animorum.

### *Vbi cæleſtis magiſterij neceſſitas ad viam ſpiritus percurrendam oſtenditur.*

68. VERBVM vitam hominum exiſtere Ioannes affirmat, mox huiuſmodi vitam lucem hominum eſſe oſtendit. Eo etenim, quo vita eſt hominum, & lux eſt. Diuus Cyrillus, *Eâ ratione, quâ Verbum in omnibus vita exiſtit, viuificans nimirum ea, quæ vitam accipiunt: eodem modo in iiſdem etiam eſt lux illuminans.* Quos enim vitâ donat ſpirituali, lucis dirigit magiſterio, ſine quo quonam modo ſpiritualis vita poteſt conſiſtere?

Cyrill. lib. 1. cap 7.

69. Deſumo à corporea luce documentum. Ægrè vita ſine corporea luce ſtabilitur. Sanctus Tobias inclamat: *Et nunc Domine, ſecundùm miſericordiam tuam fac mecum, & præcipe in pace recipi ſpiritum meum. Expedit enim mihi magis mori, quàm viuere.* Cap. 3. Quanam, ô vir patientiſſime, calamitate fatigaris, vt mortem reddat expetibilem, nec tantâ pungentem acerbitate? Captus corporeâ luce ſum, ſine qua vix quidquam vitale ſiſtere valet. Philo lib. Reſip. Noë, *Multi*, inquit, *viſu amiſſo, vitam etiam vltrò abiecerunt; exiſtimantes mortem malum eſſe cæcitate leuius.*

*A luce priuari grauius morte.*
Tob. 3.
Philo.

70. Aquas quaſi mortuas creatas fuiſſe ſacra indicat Hiſtoria. Vndenam colligis huiuſcemodi indicamentum? Textus ait: *Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.* Geneſ. 1. Erant tenebræ? Lux aberat? Ergo in aquis vita non erat, quia lux vitam ſequitur, mortem tenebræ comitantur. Subiicitur: *Et ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Ibid. Id eſt, ſuper aquas incubans, gallinæ viuificantis oua referebat imaginem, vti adnotat D. Hieronym. Quæris, cur Spiritus ſanctus depingitur recubans ſuper aquas? An non vt eas calefaceret, & viuificaret, auis in morem, ne perirent? Ita planè. Nam cùm lux non adeſſet, cùm tenebris aquæ offunderentur, ni Spiritus calefaceret, ac foueret illas, prorſus quodammodò deperirent. Illuſtrat Alcuinus: *Quid eſt*, rogat, *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas?* Et reſpondet, *Ad viuificandum materiam.* Quaſi ſola aquarum materia mortua ſubſiſteret, dum vitalis lucis abeſſet informatio.

*Aqua ſine luce quaſi mortua.*
Gen 1.

71. Si rutilans aqua, ſi clarus liquor quaſi incompletus, ſeu informis ſine lumine apparet: qualem exiſtimas ſeſe terram oſtendiſſe? *Terra autem erat inanis & vacua.* Geneſ. 1. Aliter, *Inuiſibilis, & incompoſita.* Profectò incompoſita erat, hoc eſt, nondum quodammodo extiterat compoſitum, quia *inuiſibilis*, id eſt, quia nondum aderat forma lucis. Sic Alcuin. *Inuiſibilis erat propter obſcuritatem, incompoſita propter deformitatem.* Quia ſcilicet ſine luce non ſolùm emortuum cadauer, ſed quodammodo ſine vlla forma incompleta, incompoſita cernebatur.

*Terra ſine luce quaſi materia ſine forma, ſine vita.*
Gen 1.
Alcuin.

72. In cuius gratiam voco ad quæſtionem: Quonam die fuerint Cœlicolæ creati? Iob ex ore Dominico, *Cùm facerem ſtellas, laudabant me omnes Angeli.* Cap. 38. Hinc aliqui colligunt, Angelos eodem die, quo ſtellæ, fuiſſe excitatos. At Theodoretus ſimul cum cœlo & terra factos fuiſſe opinatur. *Hic*, inquit, *conſiderandum, ſtellas, quarta die vna cum Sole, & Luna in firmamento poſitas, Angelos verò ſimul cum cœlo & terra creatos eſſe.* Inſto: Si creati ſpiritus ſimul cum terra, cur non artificem laudibus, vſquedum quarta adeſſet dies, extulêre? Annon triplicis diei opera digna præconio? Profectò non debuit (in Conditoris maiorem commendationem) opus laudibus celebrari, donec vltimâ manu appoſitâ, perficeretur. Vniuerſa quidem quaſi incompoſita, incompleta vſque ad lucis productionem. Nondum viuebat mundus, dum lucis ſpiritus aberat. Factâ luce, informatur quodammodo materia, viuit vniuerſus.

*Vſq; ad creationē lucis quaſi incompleta, & ſine vita omnia creata.*
Iob. 38.
Theod.

73. Proh ſpiritualis lucis ad ſpiritualem vitam neceſſitas! Si corporeæ lucis abſentiâ à materialibus corporibus vita ablegatur, ſine ſpirituali lumine quomodo ſpiritualis vita conſiſtet? Appoſitè Dauid: *Apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Pſalm. 35. Ac ſi diceret, Omnia ſpiritualia bona, queis ſpiritualis vita conſiſtit, apud te ô Domine. (*In ipſo* namque *vita erat.*) At huiuſcemodi ſpirituali vitâ donandi, *videbimus lumen.* Nec enim ſine luce poterit quis dignoſcere, num ab Spiritu ſancto illuminetur, an ab Angelo tartareo ſub lucis Angeli ſpecie, ementito lumine, perſtringatur. Egregiam do Diui Brunonis ſententiam: *Quoniam apud te eſt fons vitæ: id eſt, tu es, & apud te eſt origo omnium ſpiritualium bonorum. Fons vitæ, doctrina Dei, qua anima viua eſt. At lumen Chriſtus eſt, in quo videbimus lumen, id eſt, Spiritus ſancti illuſtrationem.* O quot animæ periêre ob huiuſce luminaris abſentiam. Tartareæ coruſcationi fidem adhibuêre; quia ſpiritualis luminis abſentiâ, non dignouerunt, verùm à fonte vitali illuſio illa haberet exortum, quam falsò Spiritus ſancti illuminationem putauerunt.

*E Chriſto vita, ac ſimul lux ſpiritualis hominis dimanat.*
Pſalm. 35.
Brun.

74. Indigent ſtrictiori iure huiuſcemodi luce, qui recenter à mundiali diluuio, vbi tot obruuntur peccatores, ad pœnitentiæ, ſpiritualiſque vitæ Arcam ſeſe receperunt. Vix apprehenderunt pœnitentiæ tabulam, & iam, tranſacto periculo, æſtimant ſe apud eleuatiſſimos Armeniæ montes commorari, faſtigiúmque contemplationis attigiſſe. Te miſerum ob lucis defectum deperiturũ! Noe Deus: *Feneſtram facies in ea.* Geneſ. 6. Hieronymus. *In Hebræo habetur: Meridianum facies.*

*Præcipuè neceſſaria huiuſmodi lux, ſine directione inſpirantibus poſt vitam ſecularem.*
Gen 6.
Hieron.

*Quod manifeſtius interpretatus eſt Symmachus, Dilucidum facies Arca.* Vita etenim ſpiritualis, poſt carnis viam corruptam tranſactam, illuminatione indiget, lumine, imò innumeris luminibos opus habet. Caietan. *Mandat Deus, vt prouideat Noe de lucerna illuminante Arcam*, vbi viuentia animantia ad ſalutem emergunt. *Nec intelligo vnam dumtaxat; ſed Hebræo more multitudo lucernarum vocatur luminare.* Multitudine equidem lucernarum indiges quiſquis ſpirituali vitæ operam nauas, tunc ſpecialiter, quando ſeculari voluptuoſæ vitæ (ſeu veraciùs morti amariſſimæ) nuncium remittis.

*Plura lumina neceſſaria incipientibus ſpiritualiter viuere.*
Caietan.

## OBSERVATIO VII.

### Ad illa verba:

### *Et lux in tenebris lucet.*

### Verbi lux in erroris mediis tenebris emicat.

### *Diuina namque miſericordia inter noſtra crimina ampliùs elucéſcit.*

75. Hugo.

EXPONIT Hugo Cardinalis: *Lucet in medio erroris. Ad quod etiam ſignificandum, mediâ nocte natus eſt.* Lux etenim diuinæ miſericordiæ inibi elucet amplius, vbi hominum elamitat miſeria. An ſic, ô Beatorum felicitas, in ſupernis Dei miſericordia ſplendeſcit, ac in hac valle lacrymarum vbi miſeria viget, vbi homines tenebris offunduntur?

76. *Plus lucet lux miſericordiæ, vbi miſeria tenebræ.* Pſalm. 56. Auguſt.

Apprimè Pſalmiſta: *Quoniam magnificata eſt vſque ad cælos miſericordia tua, & veritas tua vſque ad nubes.* Pſalm. 56 vbi eleganter D. Auguſt. *Illud fortè videbatur fuiſſe dicendum: Magnificata eſt vſque ad cælos veritas tua, & vſque ad nubes miſericordia tua.* Quare? Quia lux miſericordiæ haud poteſt inter beatitudinis cœleſtis fulgores lumen emittere. At in mediis nubium tenebris mirabiliter ſpleodeſceret, vti videre eſt in fulgetris nubium tenebricoſarum cæcitatem illuminantibus. Inibi ergo miſericordiæ emicat magis luminare, vbi adeſt caligo peccatorum. Præſtat ex Auguſtiniano ore percipere: *Etenim in cælo Angeli laudant Deum, videntes ipſam ſpeciem veritatis ſine vlla caligine viſionis, vident, diligunt, laudant, non fatigantur. Ibi veritas. Hic autem in noſtra miſeria vtique miſericordia. Miſero enim præbenda eſt miſericordia. Non eſt opus miſericordiâ ſurſum, vbi nullus eſt miſer.* Illam particulam expende: *Sine vlla caligine.* Nam miſericordiæ lux *in tenebris lucet.*

77. *Amplius Dei miſericordia dignoſcitur, vbi tenebræ.*

Deum Moyſes apud rubum in luce viderat, poſtmodum autem in monte conſtitutus, eundem in caligine aſpexit. *Moyſes autem acceſſit ad caliginem, in qua erat Deus.* Exod. 20. Vbi quærit Nyſſen. *Quid ſignificat, quòd in caligine Moyſes Deum proſpexit? Contrarium enim id videtur quodammodo primæ viſioni. Nam tunc in luce, nunc in caligine Deum videt.* Num Deum in luce aſpiciens, eum clariùs dignouit? Reſpondet Pater acutè Moyſem priùs in lumine, poſtea autem in tenebris Deum vidiſſe; *quia mens eius ad maiora, & perfectiora* procedebat. Tunc equidem perfectius Deum intuebatur, quando tenebris circumdatus apparebat. In tenebris namque tot criminum populi, cui lex ſcribebatur, Dei miſericordia pulchrius fulgurabat; Quia *lux in tenebris lucet.*

*peccatorum multiplicantur.*
Exod. 20.
Nyſſen.

78. *Voluit Deus plurimos eſſe homines, vt plures haberet quos illuminaret.* Gen. 2.

Cur non dixit *in caligine* ſingulariter, ſed *in tenebris?* Aonon quia pulchrior Dei miſericordia apparet ſuper multitudine peccatorum? Parum vnus peccator, ſiue peccatoris vnius caligo tantæ luci. *Non eſt*, inquit Deus, *bonum hominem eſſe ſolum. faciamus ei adiuterium ſimile ſibi.* Geneſ. 2. Potius, ô Domine, bonum, hominem ſolum permanere; malum, eum vxore donare, quæ totam progeniem ad exitium adducat: Proh Dei miſericordia! Non ſatis tantæ lucis immenſitati fuit adeſſe vnum hominem, cuius fortè delinquentis, caliginem poſſet illuminare. Ac ſi diceret Deus, Non eſt bonum mihi, hominem eſſe ſolum, plurimos efficiam, quibus infinita miſericordia parcens, magis innoteſcat. D. Ambroſ. *Quid eſt, Domine, mulierem, quæ cauſa fuit peccati, & incentiuum viro, vt caderet, approbas, & reprobas virum, qui fortè non caderet, ſi ſolus eſſet? Maluit Deus plures eſſe, quos ſaluos facere poſſet, & quibus donaret peccatum.*

Ambroſ.

79. *In medio deſperationis miſericordia emicat.* Hugo.

Porrò Hugo Card. adhuc miſericordiæ inter peccatorum tenebras ſplendorem commendans, ait, *Lux in tenebris lucet. Id eſt in medio deſperationis.* Quæ quidem caligo tartareas tenebras vincit cæcitate. Ibi cùm non habebam miſer, vnde medicamen ſperarem ob mei cordis duritiem, lux diuinæ munificentiæ mentis tenebras ablegauit. *Vnde*, pergit Card. in Ecclef. 51. *Vita mea appropinquans erat in inferno deorſum, circumdederunt me vndique tenebræ peccatorum, & non erat, qui adiuuaret; quia omne lumen extinctum erat. Memoratus ſum miſericordiæ tuæ Domine, quoniam eruis ſuſtinentes te.* Tunc magis enituit miſericordiæ luminare, cùm, tenebris peccatorum præualentibus, omne lumen erat extinctum.

Eccl. 51.

80. *Lux miſericordia nō ablegat humanam naturā ſed delet atramentum ſeu tenebras peccati.* Gen. 7. Ambroſ.

Obiicio, Deum omne genus humanum obruentem: *Delebo*, inquit, *omnem ſubſtantiam, quam feci, de ſuperficie terræ.* Gen. 7. Tunc profectò horribiliores Ægyptiæ caliginis tenebræ peruolabant, quia *omnis caro corruperat viam ſuam.* Quonam modo igitur plus elucet miſericordiæ luminare in tenebrarum cæcitate, ſi indignationis fulmine peccatores magis percutit, quàm lumine inaurat? Profectò deletio illa non tam hominis erat, quàm tenebrarum. Eleganti ſimilitudine exponit Ambroſius, fatus, *Pulchrè dicit, Delebo. Tanquam literarum apices, qui delentur ſine imminutione tabularum. Atramentum deletur; ſed lignum manet. Delentur elementa, vt ſcribantur plerumque meliora. Delebo, inquit, corruptelam carnis, vt ſcribam incorruptionem.* Tenebricoſi itaque atramenti fit per lucem miſericordiæ vtilis ablegatio.

SECTIO

Google

# SECTIO SECVNDA.

# VERBI PRÆCONIVM.

## *TEXTVS.*

*Verſ.* 6. Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes. 7. Hic venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illũ. 8. Non erat ille lux, ſed vt teſtimoniũ perhiberet de lumine.

## *COMMENTARIVS LITERALIS.*

### §. I.

### *Ioannes à Deo immiſſus.*

1. *Ioannes Verbi præco. Chryſoſt.* F*VIT homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes.* ] Appoſitè Ioannes ad Ioannem deſcendit à Verbo. *Ordine,* inquit Chryſoſt. *procedit Ioannes ad ipſius Verbi præconem, & nuncium, & eodem, quo ipſe, nomine appellatum venit.*

2. *Contextus ſententia.* *Fuit homo miſſus.* ] Dixerat Euangeliſta tenebras lucem non comprehendiſſe, Iudæi cæcitate laborantes, ſiue generaliter obcæcati peccatores Chriſtum nõ cognouerunt, nec fidẽ eius prædicationi adhibuêre. Exponit autẽ in præſenti, Deum ea media adhibuiſſe, quibus illi & credere, & cognoſcere potuiſſent. Miſit etenim hominem, Ioannẽ nomine, cui hoc à Domino munus iniunctum, populum præparare, ac de Chriſto reddere teſtimonium. Dicit itaque huiuſmodi hominem à Deo immiſſum, vti eius commendet teſtificationem.

3. *Origenis error.* Origenes huiuſmodi excitat quæſtionẽ: *Si miſſus eſt, ergo præceſſit Ioannes antequàm in mundum veniret.* Quonã modo etiam immitti poterat, ſi nõ exiſteret antequàm mitteretur? Ex quo argumẽto ipſe inductus eſt, vt crederet Ioãnẽ inter cælicolas adnumerari. Aliã tamen tradit ſolutionẽ, nempe Ioannis animã à cælo in corpus immiſſam iuxta errorẽ illorum, qui cenſent animas extra corpora in cælo præceſſiſſe, & inde in corpora demitti. De fide equidẽ, animas hominũ minimè ante corpora eſſe creatas, ſed tũc fieri, quãdo corporibus vniuntur. Verùm neq; hac ratione eius dubitatio ſolueretur. Nã ſi qui mittitur debet præcedere in termino, à quo immittitur; cùm homo immiſſus Ioannes dicatur, debuit homo priùs apud cælum commorari, quàm immiſſus eſſet. At anima nõ eſt homo, nec dicitur anima miſſa, ſed homo miſſus; neceſſe ergo eſſet hominẽ eſſe in cælo, vt inde poſſet emitti. Num affirmat animas eſſe homines ſecundùm Platonem tradentem formas rerum eſſe totam naturam. Vanum id Ariſtoteles oſtentauit.

4. *Reſponſio Auctoris.* Reſpondeo igitur: Quando factus eſt homo nõ dicitur immiſſus, nec Euangeliſta dicit factum eſſe Ioannem, ſed miſſum, quia factum ſupponit hominem, & natum. Quid quærẽdi ad miſſionem termini locales, dum ſufficiat, hominem, qui ex ſe huiuſmodi munus non habebat, à Deo ad id munus inſtitui? Mitti igitur à Deo Ioannem, idem eſt, ac Ioannem inſtitutum eſſe à Deo, vt tale munus exequeretur; ſicuti Prophetæ, quando ij inungebantur, vt quæ à Deo edocti erant, populis annuntiarent, immitti dicebantur.

*Cui nomen erat Ioannes.* ] An non alij eodem nomine inſigniebantur? Ita planè. Attamen celebre nomen ex miraculis iam inde à natalitio, & per antonomaſiam illum magnum Baptiſtam ſignificabat. Porrò Ioannis nomen myſterio plenum; cùm idem ſignificet ac *Dei gratia.* Illum etenim, qui gratiæ eſt auctor, indicare veniebat. 5. *De Ioannis nomine.*

### §. II.

### Pluribus vtitur verbis Euangeliſta, vt Ioannes homo purus habeatur.

### *Vbi de Ioannis excellentia.*

MVlti Ioannem Meſſiam fuiſſe, Deum, Chriſtúmque Deum & hominem, aut Angelum exiſtimarunt. Ad hoſce errores ſubmouendos, plura verba, noranter, Euangeliſta exhibet: *Fuit homo miſſus à Deo, Non erat ille lux.* Singula percurro, & expendo. 6. *Ioannis excellentia.*

*Fuit.* ] D. Cyrillus animaduertit Euangeliſtam, dum de Verbo loquitur, vſum eſſe verbo *Erat:* dum autem de Ioanne, verbum *Fuit*, appoſuiſſe. In illo dicit inſinuari Verbum factum non eſſe, ſed æternum; in hoc autem Ioannem, vt alios homines, eſſe factum. 7. *Præcauet ne Ioannes æternus habeatur. Cyrill.*

*Homo.* ] Dixerat Malachias: *Ecce ego mitto Angelum meum.* Cap. 3. id eſt, Ioannem. Cuius tanta puritas, tanta à corporeis egeſtatibus ex ieiunio, ac nuditate abſtractio, vt verè Angelicus ſpiritus quidam habitus fuerit. Vnde errauit Origenes Ioannem aſſerens non hominem naturâ, ſed vnum ex Angelis extitiſſe. Quas excogitationes fidei aduerſarias Euangeliſta debellat, fatus, *Fuit homo.* Id quod põderans D. Cyril. Ord. ait: *Videtur Euãgeliſta admodũ cautè, ac ſecurè loqui, non ſimpliciter dicendo,* Fuit: *ſed addendo,* Homo. *Per hoc euertens temerariã quorumdam opinionem dicentium Baptiſtam non verum naturâ hominem, ſed aliquem è numero cæleſtiũ Angelorum extitiſſe, qui humano corpore vteretur, & ad prædicãdum à Deo eſſet miſſus.* 8. *Curat ne Angelus reputetur.*

Sed quare à Propheta Angelus appellatur? Profectò nomen hoc officij eſt, non naturæ, quia Chriſti aduentum nunciaturus aduenerat. *Angelus enim,* adiicit Pater, *officij potiùs nomen eſt, quàm ſubſtantiæ. Sic ad Iob alius poſt alium Angeli ſiue nuncij accurrunt, multiplices ipſi calamitates annunciantes. Angelus igitur Baptiſta Domini voce nuncupatus fuit, non quod naturâ* 9. *Cur Angelus appellatus? Cyrill.*

*ſuâ Angelus eſſet; ſed quia ad annunciandum miſſus, & clamandum: Parate viam Domini.* Quâ ratione Chriſtus etiam Angelus teſtamenti ab eodem eſt Propheta appellatus, & homines in Apocal. Angeli nuncupantur.

10. **Oſtendit Ioannem Chriſtum nō eſſe, aut Verbum miſſum. Ammon.**

*Miſſus.* ] An non Verbum à Patre miſſum? Ergo Ioannes Verbum? Minimè. Dixit enim Euangeliſta: *Homo miſſus.* Ergo Ioannes Chriſtus; quia ſimiliter Chriſtus homo miſſus eſt. Audi Ammonium: *Ipſe etiam Dominus appellatus eſt miſſus, vt qui de ſinu Patris quodammodo ſemotus ad noſtram paupertatem ſeſe demiſerit.* Reſpondeo Euangeliſtam non immiſſum Ioannem ſignificaſſe. Vocem namque *Homo* ſine articulo poſuit, vt in Græco textu apparet; ne homo, vt alter Chriſtus putaretur, qui homo ſimul & Deus.

11. **Affirmat lucem veram, id eſt, Chriſtum non eſſe. Cyrill.**

*Non erat ille lux.* ] Cur hanc præmittit negationem Euangeliſta? D. Cyrill. *Nonnulli propter ſingulares eius prerogatiuas ipſum eſſe Chriſtum ſuſpicabantur. Idcirco itaque hæc ait, vt radicitus errorem iſtum euellat.* Vberiùs idem Pater: *Ioannes tanto virtutum excelluit numero, vt cùm ad ſummã eam humana iuſtitia perueniſſet: maximam de ſe admirationem hominibus concitarit. Vnde factum eſt, vt nonnulli Chriſtum fuiſſe putarent, ac ideo interrogatus etiam fuiſſe ſcribitur: An eſſet Chriſtus? Quod Euangeliſta non ignorans, vt & hunc errorem euellat, & auctoritatem eius quanta eſſet, oſtendat, neceſſario ſubiunxit: Non erat ille lux. Quomodo enim magnus ille non fuit, aut quomodo auctoritati eius credendum non erat, qui tanto cumulo virtutis præfulſit, vt lux ipſa à nonnullis crederetur?*

12. **Quonam modo Ioannes lux erat, & non erat? Cyrill. Auguſt.**

*Non erat lux.* ] Annon omnis iuſtus lux in Domino? Ita equidem. Et Cyrill. Ioannem lucem eſſe affirmat: *Verumtamen & ipſe quoque lux erat.* Ammonius: *Tametſi quoque Ioannes, & Sancti lux ſunt.* Reſpondet D. Auguſt. *Non erat lux, & erat lux. Non erat lux increata, & omnium rerum creatrix; ſed erat lux creata, & emanans ab increata.* Cyrill. *Erat lux per participationem, ſicut etiam omnes Sancti.*

## §. III.

### *Chriſtus Ioannis vſus eſt teſtimonio.*

13. **Ioannis miſſio.**

*HIc venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine.* ] Priora verba miſſionem Ioannis à Deo, hæc autem finem eiuſdem miſſionis exponunt. Immiſſus enim fuit Ioannes, vt teſtimonium de luce, nempe Chriſto Domino perhiberet: oſtendendo, & ſignificando populo Iudæorum, eum eſſe verum Meſſiam.

14. **Quare Ieſus Ioannis teſtimonio vtitur? Auguſt.**

Ad quæſtionem adfero: Quare Chriſtus huiuſmodi de ſe teſtimonium à Ioanne voluit exhiberi? Quatuor cauſas ex Patribus collegi. Primam Auguſt. tract. 35. fantis: *Venit Chriſtus contemnendus & honorandus; venit negandus, & confitendus. Talis ergo venit, vt oporteret ei lucernam teſtimonium perhibere. Numquid opus erat, vt Ioannes tamquam lucerna perhiberet teſtimonium diei, ſi dies ipſe ab infirmitate noſtra poſſet videri?* Secundam tradit idem Auguſt. ſerm. 20. de Sanct. *Iudæi errauerunt à ventre, id eſt, à lege, quæ Chriſto grauida erat, ideo venit, vt teſtimonium perhiberet Ioannes de lumine. Vt mundo ignorantiæ nocte poſſeſſo lumen ſalutis oſtenderet, & quaſi inter denſiſſimas delictorum tenebras ſplendidiſſimum Solem iuſtitiæ lucis ſuæ radio demonſtraret.* D. Chryſoſt. hom. 5. tertiam attigit cauſam, dum ait, *Vt ſui homines per eum crederent.* Quaſi diceret; Chriſtus venit, ex parte Dei ſe ipſum Filium Dei prædicãs; voluit Deus, vt ex parte Iudæorum, qui credituri erant, vnus etiam eſſet, qui redderet teſtimonium. Habuerunt ergo Iudæi etiam ex parte ſua teſtem omni fide digniſſimum. Quartã denique ex Origene homil. 5. *Vt teſtimoniorum eſſet abundantia.*

D. Cyrill. alteri præbet manum quæſtioni: *Euangeliſta neceſſariò ſubiunxit: Non erat ille lux, ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine.* Num innuit Ioannis teſtificationem fuiſſe neceſſariam? Minimè. Nam idem Pater lib. 2. c. 149. profatur: *Nullius hominis teſtimonio ſibi neceſſario opus fuit, cùm à ſplendore ſignorum, & gloriâ Deus naturâ demõſtraretur.* Profectò neceſſarium ideo fuit Ioannis teſtimonium, quia prædictum erat per Prophetas ipſum venturum, & cùm prophetam recipiamus, neceſſarium fuit eius teſtimonium. Quanquam non ſic prædictum eſt futurum, quaſi Chriſti grauiſſimo teſtimonio aliquid Ioannes addere potuiſſet. Verba autem præmiſſa Cyrilli: *Euangeliſta neceſſariò ſubiunxit, &c.* non ad teſtimonium neceſſarium Ioannis, ſed ad neceſſariam Euangeliſtę cautionem, efferenda; ſcilicet ne Ioannes vera lux ab hominibus haberetur. 15. **Num fuerit neceſſarium Ioannis de Chriſto teſtimonium? Cyrill.**

## §. IV.

### *Num particula,* Per illum, *ad Ioannem ſit, an ad Verbum referenda?*

17. **De Græco pronomine illum.**

*VT omnes crederent per illum.* ] *Illum,* αὐτοῦ Græcè eſt in caſu gignendi, & ideo cõmunis generis, qui & neutro & maſculino poteſt accõmodari. Vnde & poteſt & ad lumen, ſeu Verbum, & ad Ioannem. *Vt omnes crederent per illud,* nempe Verbum, lumen, ſeu Chriſtum aut *per illum* ſcilicet Ioannem. Theophylactus refert ad lumen, ſeu Verbum carne indutum: *Vt omnes* (ait) *crederent in lumen, & Chriſtum.* At Cyrillus, Chryſoſtomus, & reliqui Græci ac Latini Doctores referunt ad Ioannem, qui fuit miniſter, per quem Iudæi credere debuerunt.

18. **Finis teſtimony Ioannis. Tolet. Ioann. 4.**

Finem itaque Euangeliſta teſtimonij Ioannis exponit: Vt omnes per illum crederent; nempe vt eſſet medium quoddam, per quod Chriſtum cognoſcerent, & illi fidem adhiberent. Haud dictũ, Toletus adnotat, *Vt crederent in illum*; quia Ioannes non erat, in quem credendum; ſed per quem credẽdum erat in Chriſtum. De Samaritana: *Multi crediderunt propter verbum mulieris.* Ioann. 4. Id eſt, per Samaritanam fœminam in Ieſum credidêre: ſic per Ioannem crediderunt in Chriſtum.

19. **Quidnã particula, Omnes, ſignificet? Orig.**

*Vt omnes crederent.* ] Omnes, inquam, quibus miſſus eſt. Miſſus etenim Ioannes ſoli populo Iudæorum. Num omnes Iudæi credidêre? Minimè; ſed ipſorum fuit culpa: cùm omnibus fuerit immiſſus, & neceſſariam omnibus credendi rationem exhibuerit. Sic Origenes apud Cord. *Vt omnes crederent, quantum videlicet in ipſo erat, etſi non omnes crediderint.* Expendit exemplo: Neque enim ſi non omnes Solis lumen excipiant, confeſtim quis dixerit, non idcirco Solem oriri, vt omnes illuminet. Mens ſiquidem mittentis erat, vt *omnes crederent.*

20. **Seruus de Domino exhibet teſtimonium. Chryſoſt.**

Ad hæc D. Chryſoſtomus exclamat: *Quid hoc? ſeruus Domino teſtimonium perhiberet? Quando igitur ipſum non ſolùm à ſeruo teſtimonium accepiſſe: verum etiã ad ipſummet ſeruum veniſſe videris,*

vtique

*vtique non tantùm præ exceſſu mentis, ſtuporéque deficies, verùm etiam ſi vertigo, perturbatióque perſeuerent, ad te idem, quod ad Ioannem dicit, Sine modo ſic enim decet implere omnem iuſtitiam.*

## §. V.

### *Quàm aptus Ioannes, vt teſtimonium de lumine ferret.*

### *Vbi adhuc de Baptiſtæ excellentia.*

21. *Omnio de Ioanne. Luc. 3.* NON *erat ille lux, ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine.*] Multi, vt innuimus, Ioannem fuiſſe Meſſiam, & Chriſtum exiſtimarunt. *Exiſtimante populo, & cogitantibus omnibus in cordibus ſuis de Ioanne, ne fortè eſſet Chriſtus, &c.* Luc. 3. Ad hunc errorem ſubmouendum, & ſententiam priorem confirmandam, adiunxit Euangeliſta, Non erat ille lux: ſed venerat, ſeu immiſſus fuerat, vt teſtimonium perhiberet de lumine.

22. *Admirabilis Ioannis ſanctitas.* August. Admiranda prorſus ſanctitas Ioannis, homines alliciens, vti Chriſtus haberetur. Plura ſuperiùs dedimus, queis adde Auguſt. ſerm. 23. de ſanct. ſanctem. *Tantæ fuit ſanctitatis, vt Chriſtus credi potuiſſet.* D. Gregorius conteſtatur.

23. *Lux non erat Ioannes illa, quæ illuminat omnem hominem.* Chryſoſt. Ammon. Tolet. Ioannes equidem (vt ſuprà innuimus) lux etiam erat. Chryſoſt. *Ipſe quoque lux erat.* Ammon. *Ioannes & ſancti lux ſunt.* Matth. 5. *Vos eſtis*, Ieſus Apoſtolis, *lux mundi.* Quare igitur in præſenti lux eſſe negatur? Quia hic comparatus eſt Chriſto. De Ioanne etenim, & Apoſtolis Chriſto collatis verum eſt dicere: Non erant illi lux illa. Ammon. appoſitè: *Tametſi Ioannes, & ſancti lux ſint, tamen non ſunt illa, de qua Theologus hic agit, quæ eſt Chriſtus lux per naturam; Sancti namque per gratiam lucem acceperunt. Quocirca de Chriſto dicit, Erat lux vera.* Tolet. fauens, ait, *Non abſolutè dicitur, Non erat lux, ſed cum articulo, Non erat ille lux, illa nempe, de qua dictum, Erat lux vera.* At tanti viri veniâ, articulus *ille*, parum refert huic expoſitioni. Si dixiſſet, *Non erat illa lux*, ad rem maximè reſpectus huiuſce articuli pertineret, ſine quo etiam illa vera interpretatio, Non erat lux illa, *quæ illuminat, &c.*

*Sed vt teſtimonium perhiberet de lumine.* Profectò Ioannis teſtimonio debuêre Iudæi fidem præſtare. A Deo enim immiſſus ad huiuſmodi munus, habuit à Deo neceſſaria, vt dignus fide inueniretur. Tria quidem teſtem dignum fide conſtituunt; ſcientia (nemn quod ignorat, teſtificatur:) fidelitas; opinio & auctoritas. Omnia hæc in Ioanne præſtantiſſima. 24. *Triplex teſtis fide digni conditio.*

Num ſcientiâ floruit? Ioannes Prophera, & plusquam Propheta ſcientiâ diuinâ plenus apparuit. Ammonius, *Ioannes maior eſt cæteris Prophetis.* Num fidelitate enituit? Pro veritate, quam liberè Regi loquebatur, dum ipſum arguebat, mortem ſubiuit. Non ex dubia traditione, ſed ex iis quæ aut à Deo audierat, aut ipſe viderat, teſtimonium ferebat. Idem Ammon. *Ipſe verò cùm vidiſſet eum, & propter ſigna, quoniam ipſe eſt, credidiſſet, venit, ex iis, quæ & audiuerat, & viderat teſtimonium perhibere.* Num claruit auctoritate? Fuit equidem tanta Ioannis auctoritas apud Iudæos, vt Chriſtus putaretur. Nec vanè huiuſmodi comparata auctoritas, quam & Scripturæ prædictio, *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.* Malach. 2. & eius mirabilis conceptio; & ipſius vitæ innocentia egregiè confirmabant. D. Cyrill. innocentiæ vim expendens, ait, *Quomodo auctoritati eius credendum non erat, qui tanto cumulo virtutis præfulſit, vt lux ipſa à nonnullis crederetur.* De oraculis autem Prophetarum adiicit, *Iſte à Deo miſſus fuit, qui meritò propter piarum eminentiam exercitationum omnem Iudæam in ſui admirationem raperet, quique Sanctorum oraculis Prophetarum fuerat prænunciatus.* Sic ille. 25. *Quàm dignus fide Ioannes.* Ammon.

---

# IN VERBVM CARNE INDVTVM,

# Panegyricus II. Moralis circa Literam.

## EX PRÆCONIO.

## *OBSERVATIO II.*

### Ad illa verba:

### *Fuit homo miſſus à Deo.*

### Ioannes miniſter Euangelicus à Deo aſſumptus immittitur.

### *Quia Prælati, ac Concionatores aſſumendi, immittendi; non vltrò ad munus progreſſuri.*

26. CONGRVE' immittitur, qui concionatoris munere functurus apparet. Neque enim ſacer miniſter iniunctum munus obit niſi à Deo aſſumptus hominibus præponatur.
Cyrill. D. Cyrill. cat. Græc. *Fuit*, inquit, *Euangeliſta miſſus à Deo. Etenim conueniebat oſtendere Baptiſtam non motu proprio ad teſtimonium de Saluatore perhibendum prodiiſſe; ſed in hoc Dei Patris voluntati morem geſſiſſe.*

Paulus haſce requirit in Euangelij Miniſtro conditiones: *Omnis Pontifex ex hominibus aſſum-* 27.

Ant. de Eſcob & Mendoza, de Sanct. Tom. I.

*Miniſter ſacer aſſumendus.* Heb 5. Caietan.

*ptus pro hominibus conſtituitur in his, quæ ſunt ad Deum.* Heb. 5. Ad quem locum Caietan. *Habes,* inquit, *tres conditiones requiri ad propriè Sacerdotem. Prima, quod ſit aſſumptus. Secunda, quod ſit pro hominibus conſtitutus. Tertia, quod offerat ſacrificia.* Non erit igitur *propriè* Sacerdos, ſeu ſacer miniſter, qui ſeſe ingerit prædicationi, aut cuilibet Sacerdotali muneri, ſi primò eſt aſſumendus, qui *propriè* munere fungitur Sacerdotali.

28. *Quodammodo Sacerdos aut cōcionator non eſt, qui ſeſe muneri ingerit.* 1. Pet. 2.

Quodammodo Sacerdos non es, qui haud electus ad ſacrum munus aſcendiſti. D. Petrum audite: *Vos autem genus electum, Regale Sacerdotium, gens ſancta.* Et paulò ſuperiùs: *Ad quem accedentes & ipſi tanquam lapides viui ſuperædificamini domus ſpiritualis in Sacerdotium ſanctum.* 1. Pet. 2. Manifeſtum eſt, (vti aduertit Caietan.) ad Chriſtianum populum hunc dirigi ſermonem. Vnde anſam arripientes Hæretici conati ſunt oſtendere, quemlibet de populo Chriſtiano propriè Sacerdotali munere fungi. Porrò quidquid ſit de loci expoſitione, oſtendam nullatenus, licet ad Chriſtianum populum ſermo dirigatur, Petrum de toto Chriſtiano populo loquutum fuiſſe. Huiuſmodi vtor argumento. Sacerdos ſiue ſacer miniſter aſſumi à Deo ex hominibus debet; nam *ex hominibus aſſumptus* à Petro prædicatur. At ſi vniuerſus Chriſti populus Sacerdotali nitêret dignitate, omnes quaſi Baptiſmi hæreditario iure Sacerdotio fungerentur; vnde minimè à Deo ex hominibus in Sacerdotes aſſumerentur; quippe cùm nulli eſſent reliqui Chriſtiani, ex quibus aſſumi potuiſſent. Pulchrè Caietan. *Vt contentioſi, & proterui conuincantur, perſpice, & clarè intuere, hunc ſenſum (ſcilicet quod quilibet de populo ſit Sacerdos) deſtruere ſe ipſum. Nam ſi ſic Chriſtianus populus habet dignitatem Sacerdotis, vt quilibet ſit Sacerdos propriè loquendo, ſequeretur de neceſſitate, quod nullus Chriſtianus eſt Sacerdos; quia Sacerdos eſt aſſumptus, nulli ſunt ex quibus aſſumitur.* Pende illud: *Sequeretur ex neceſſitate, quod nullus Chriſtianus eſt Sacerdos.* Quare? Quia nullus Chriſtianus poſſet eligi, aut aſſumi in Sacerdotem. At tam neceſſaria conditio ad Sacerdotium electio, & aſſumptio, *vt ſequeretur, quod nullus Chriſtianus eſt Sacerdos, quia Sacerdos eſt aſſumptus.* Qui te igitur ſacro concionandi ingeris muneri, concionator haud *propriè* es; quia ſacer miniſter aſſumendus eſt. Nam ſicut Sacerdos non eſt, qui non aſſumitur, Sacerdotalia munia quaſi non obit, qui more ſacerdotali non aſſumitur.

Caietan.

29. *Periculoſum non miſſum prædicare.* Oſe. 1. Ribera.

Periculoſum equidem non miſſum cathedram ſcandere. *Verbum Domini quod factum eſt ad Oſeam.* Oſee 1. Et quando non veri Prophetæ à Domino excitantur? Noſtri id ſapientiſſimi Riberæ teſtimonio confirmo: *Notandum*, inquit, *quomodo tam Oſeas, quàm reliqui Prophetæ domi lateant, nec verbum Domini ad eos fiat. Hoc fecit etiam Ioannes Baptiſta. Contra feſtinantes ad egrediendum non vocatos, ſeu miſſos à Domino ait Iacobus: Nolite plures magiſtri fieri, fratres mei, ſcientes, quoniam maius iudicium ſumitis. Cap. 3. Quaſi diceret: Ne exeatis ad docendum, niſi mittamini.* Illud pondera: *Hoc fecit Ioannes.* Latebat etenim apud deſertum, à quo ad prædicationis munus educitur. Ammon. *Miſſus eſt Ioannes à deſerto, in regionem habitatam, vt populis Chriſtum prædicaret.* Neq; enim plerumque Chriſtum prædicat (ſed ſe ipſum) qui non miſſus ſuggeſtú aſcendit.

Ammon.

Zelo, inquis, animorum ſalutis exardeſco, virtutibus, Deo dante, me præditum inuenio: non miſſus ſermonem profundam? Minimè. Nec enim Iſaias temerè, florens virtutibus, ac zelo feruens progreditur, ſed immitti poſtulauit. *Ecce ego*, ait, *mitte me.* Cap. 6. Quæ quidem verba apprimè D. Hieronym. expendit fatus: *Propheta non temeritate, & arrogantiâ propriæ conſcientiæ ſe ire promittit; ſed fiducia, quoniam purgata ſunt labia eius, & ablata iniquitas, mundatúmque peccatum. Veniat ad te vnus de Seraphim, & tangat carbone labia tua, & auferat iniquitatem tuam; ſed nec tunc ire tibi licet; ſed offerre te, vt mittaris, cùm pura conſcientia, & amore proximorum flagrans voluntas ad eundum inuitat.* 30.

*Etiamſi zelo, ac virtutibus polleas, haud miſſus, non progrediaris.* Iſa. 6. Hieron.

Tacebat Ioannes apud deſertum latitans. Quid magis à concionandi munere alienum, quàm ſilentium? Imò quid magis propinquum? Illud enim ipſum virum confugere ad latebras, optima diſpoſitio eſt, vt à Domino concionatum immittatur. *Tempus tacendi, & tempus loquendi.* Eccl. 3. At ſi diceret, Tunc tempus loquendi inſtat, quando taciturnitati opera datur. Excogitauit D. Hieronym. Ier. 1. *Diſcamus nos*, inquit, *non loqui, vt ad loquendum ora reſeremus; ſileamus certo tempore, vt ex diſcipulis efficiâmur magiſtri.* Quaſi illud ipſum tacere, ſit nos effici magiſtros, ſiue ad ſpiritualis magiſterij munus aduocari. 31.

*Qui vult immitti, taceat, lateat.* Eccl. 3. Hieron.

Ex verbis Ammonij: *Miſſus Ioannes, vt populis Chriſtum prædicaret*, adnotaui, haud prædicari Chriſtum ab iis, qui non miſſi concionandi munus exercent. Cuius rationem exhibeo. Quia miſſo concionatori adnatum eſt mittentis gerere negotium. Si à Domino immiſſus prædicas, Domini mittentis, cuius nuncius eligeris, cauſam peragesſ; ſi autem te ipſum emittis, tuammet cauſam pertractabis. Eleganter D. Chryſoſtomus: *Cùm à Deo Ioannem miſſum audis, nihil iam humanum ab ipſo proferendum putes. Non enim quidquam ſuum, ſed mittentis vniuerſa proloquitur, quare & Angelus, ſiue Nuncius appellatur. Eſt autem officium nuncij nihil de ſe dicere.* Sed Dei mittentis ſolius cauſam peragere. 32.

*Qui immittitur, Dei negotium agit, qui non miſſus prædicat, propriā pertractabit cauſam.* Ammon. Chryſoſt. homil 6.

## OBSERVATIO II.

### Ad illa verba:

*Hic venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine.*

### Quod Ioannes in contemplatione loquitur; hoc poſt contemplationem euulgat.

*Quia conuerſationis qualitas ex orationis exercitamento dimanat.*

DESCENDIT à Verbo in Verbum Euangeliſta, vti aiebat Chryſoſtomus. Ioannes vox: *Ego vox clamantis in deſerto.* Ioannes igitur Euangeliſta noſter aquilæ in morem ad Verbum aſcendit, vbi Diuinitatis contemplatus arcana, è faſtigio contemplationis ad hiſtoriæ vallem deſcendit, vt alterum 33.

Digitized by Google

terum Ioannem vocitantem obiiceret. *Ecce*, Ori-
Origen. gen. ait, *aquilam de ſublimi monte Theologiæ leui volatu deſcendentem in profundiſſimam vallem hiſteriæ, de cælo vtique ſpiritualis mundi pennas altiſſimæ contemplationis relaxantem.* O quàm vtile meditationis exercitium ad quæque narranda! Ab otioſis quidem verbis abſtinebit, qui ſedulæ dedit operam meditationi. Rarò orationi, ac meditationi addictus inanibus ſermocinationibus pro-
Cyrill. funditur. Vnde D. Cyrillus appoſitè aſſerit Euangeliſtam *neceſſario* adiecisse Ioannem immiſſum, *Vt teſtimonium perhiberet de lumine.* Nec enim poſt contemplationis exercitamentum Euangeliſta non neceſſariam, ſeu inutilem narrationem attexeret.

34. *Neceſſe eſt te poſt orationē loqui quodā modo, quod in oratione mētis linguā locutus es.* Exod. 30. Beda.

Poſt contemplationem aut tacebis, aut vtiles ſermones effundes. De thymiamate ſic Dominus: *Vret thymiama ſempiternū coram Domino.* Exod. 30. Quid ſempiternum thymiama? Beda myſticè per thymiama orationis ſeu meditationis exercitium intelligit, quod quidem ſempiternum vocitat, quia verba illa animo perutilia, quæ in oratione coram Domino profunduntur, debent poſt orationem eâdem rectitudine proferri. Pulchra Doctoris ſententia: *Thymiama orationis debet eſſe ſempiternum; quia neceſſe eſt, vt animus poſt orationem ad otioſa verba ſine ficta non diuertat, ſed in eodem ſe vigore deuotionis, quem in oratione ſuſcepit, etiam finita oratione, cuſtodiat.* Pondera verbum illud: *Neceſſe eſt.* Quia vix quodammodo poteſt quis feruenter orationi incumbere, & poſt orationem inutilia verba proferre. Nam quæ orans animus loquitur, ea poſtea lingua aſſolet euulgare. Verba inutilia ſonant? Non vulgare ſignum, mentem in oratione fluitantium cogitationum inquietudine laboraſſe.

35. *Anna poſt meditationē ſubmiſſè locuta.* 1. Reg. 1. Lyran.

Adhibet Doctor Annæ exemplum: *Iuxta exemplum*, ait, *Anna, de qua orante dictum eſt: Vultúſque eius non ſunt amplius in diuerſa mutati.* 1. Reg. 1. Quid eſt vultus non mutari in diuerſa? Reſpondet Lyranus: *Quia paſſiones iræ, quæ mutant faciem in diuerſos colores, receſſerunt ab ea ex interiori conſolatione gratiæ.* Fructus igitur orationis fuit faciem Annæ non fuiſſe amplius in diuerſa mutatam, ſiue non ampliùs contra Phenennam irâ accenſa verba protuliſſe. *Porrò Anna* (ait Textus) *loquebatur in corde ſuo, tantúmque labia illius mouebantur, & vox penitus non audiebatur.* Quare Anna exorans tam ſummiſſâ vtitur voce, quæ ante orationem aduerſus Phenennam vociferans, tot tragœdias excitabat? Quia orationis efficacia labia edocebat vocem & affectum ita moderari: vt poſt orationem inutilia vociferantis fœminæ verba non exaudirentur. En verborum orationis, & ſermonis poſt orationem prolati affinitas.

36. *Adam poſt cōtemplationem locutus Eccleſiæ hiſtoriam.* Gen. 2. Hugo.

Nullum non ad ſalutem, ad veritatem conferens verbum poſt orationis exercitamentum. *Immiſit Dominus ſoporem in Adam.* Geneſ. 2. Hugo Cardinalis ecſtaſim huiuſmodi ſoporem interpretatur. Poſt contemplationem itaque quænam verba profert Protoplaſtus? *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea.* Quid poſt contemplationem cum ſupremo locutus Opifice niſi Eccle-
Auguſt. ſiæ hiſtoriam euulgaret? D. Auguſt. apud Lipom. egregiè: *Ad hoc ecſtaſis miſſa eſt ſuper Adam, vt ipſius mens particeps fieret tanquam Angelicæ curiæ, & intrans ſanctuarium Dei, intelligeret nouiſſima. Vnde euigilans*, attende, *tanquam prophetia plenus, eructauit magnum illud Sacramentum, quod Apoſtolus commendauit.* Nam qui cum Angelis fuerat conuerſatus, quid niſi de Angelico ſeu puriſſimo Ieſu & Eccleſiæ coniugio loqueretur? Taxo hinc ſpirituales viros, qui poſt meditationis exercitium legendis, aut narrandis profanis fabulis incumbunt. Quid mendacibus verbis cum ſummæ veritatis contemplatione?

Olim *Leuitæ non ſunt recenſiti inter filios Iſrael.* 37. *Viro orationis ſtudioſo adnatū, Dei verba profundere.*
Num. 26. Ad quem locum Origenes, *Iſti ſunt*, in- Num 26.
quit, *omnes, peruigiles in ſeruitio Dei excubias gerunt, & qui ſortem inter cæteros non quærunt, vel accipiunt, ſed neque in terra eſt cor eorum. Ipſe Dominus eſt ſors eorum, & hæreditas.* Quid plura? *ſemper hi in Domino, & in verbo eius delectantur.* Origen.
Nam qui orationi peruigilat, haud inutilibus, impudicis, mendacibus verbis poteſt delectari.

38. *Iacob poſt orationē verba mendacia minimè effudit.* Gen 28. Gregor.

Fugiens Iacob *tulit de lapidibus, &c. Et ſupponens capiti ſuo dormiuit.* Gen. 28. Vbi D. Gregor. 5. Moral. cap. 21. *Iacob ad caput lapidem poſuit, & obdormiuit; & ſcalam vidit. In itinere dormire, eſt in hoc præſentis vitæ tranſitu à rerum temporalium amore quieſcere. Vnde ſponſa, Ego dormio, & cor meum vigilat; Quia ſancta mens, quo ſe à ſtrepitu corporalis concupiſcentiæ comprimit, eo veriùs interna cognoſcit.* Et quonam fructu meditationi vacat? Euigilans clamat, *Verè Dominus eſt in loco iſto & ego neſciebam.* Ibid. Quæritur, Num Iacob mēdacij ſit arguendus. *Non enim*, ait Pater, *dubitabat illic eſſe Dominum.* Si cognoſcebat immenſum inibi Dominum commorari, quonam modo mētitus non eſt, affirmans ſe Dei præſentiam ignoraſſe? *Et ego neſciebam* Profectò credendum non eſt tantum virum poſt contemplationis ſomnum vel leuiter verbo contra veritatem deliquiſſe. Vnde in verum ſenſum curat Doctor ſententiam Patriarchæ adducere, fatus, *Non dubitabat illic eſſe Dominum, antequam dormiret, ſed quia tunc perfectius eum didicit, ignoraſſe ſe illum perhibuit.* Ita Gregorius.

## OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

*Non erat ille lux, ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine.*

### Fide admodum dignum vnius Ioannis ſanctiſſimi teſtimonium.

*Vbi oſtendo, homines iuſtos in teſtes aſſumendos, non ſceleratos.*

DIXIMVS teſtimonium Ioannis fide maximè dignum, quia & ſapientis, & veri, & iuſti. Pondero neceſſariam ad ferendum teſtimonium iuſtitiam, ſeu ſanctitatem. Voco ad quæſtionem, cur verba illa: *Non erat ille lux* Euangeliſta interpoſuerit? Reſpondeo, vt oſtenderet Ioannem adeò eſſe ſanctitate conſpicuum, vt poſſet homines ad dubitationem adducere; num ille lux vera exiſteret. Iuſto, quànam id Euangeliſta vtilitate adiecit? Profectò ideo Ioannes extulit Baptiſtæ fulgorem, quia in teſtimonium venerat, vt de vero lumine teſtimo- 39.


nium

nium perhiberet. Talis itaque eſt teſtis adductus pro veri luminaris coruſcatione, vt Chriſtus, Sólque verus ab hominibus eſt exiſtimatus. Quid non Iudæi tanto viro fidem adhibere debuiſſent? Appoſitè D. Cyrill. *Quomodo auctoritati eius credendum non erat, qui tanto cumulo virtutis præfulſit, vt lux ipſa à nonnullis crederetur?* Vitæ equidem ſanctitas maximè confert ad teſtimonij firmitatem.

Cyrill.

40. *Ioannis teſtimonium ſupra montem ſanctitatis pulchrum.* Nahum 1. Auguſt.

Propheticum illud quadrat argumento: *Ecce ſuper montes pedes euangelizantis, & annuntiantis pacem.* Nahum 1. Ad teſtimonium Euangelicum refero, à ſanctiſſimis viris ſupra perfectionis montem conſtitutis exhibitum. O quàm dignum fide! Annon Ioannes totius ſanctitatis verticem attigit celſiſſimum? Imò ipſe eleuatiſſimus ſanctitudinis mons, cuius frontem veri Solis fulgor illuminauit, vt ipſe hominum oculis referret. D. Auguſt. *Ad hoc*, inquit, *erectus eſt mons Ioannes, vt prior radios excipiat, & oculis tuis nunciet.* Et quiſnam verior luminis nuncius, quàm celſus mons, cuius verticem illico exortus fulgor inaurat?

41. *Circulus veritatis vectes ſeu teſtes vitæ odorifera innectuntur.* Exod 25. Beda.

Olim Dominus Moyſi quatuor circulos aureos facere imperauit: *Facies*, adiecit, *vectes de lignis Sethim, qui ſemper erunt in circulis.* Exod. 25. Vbi Beda: *Quatuor circuli aurei quatuor ſunt Euangeliorum libri, qui meritò aurei ſunt propter claritatem ſapientiæ, qua fulgent. & meritò circulis comparati, quia æterna eſt ipſa Dei ſapientia, quam prædicant. Vectes autem*, qui circulis innectuntur, *ſancti ſunt Doctores.* Et quonam modo circulus aureus niſi vecti ſethino conueniret? Requiritur etenim vitæ ſanctitas ad doctrinæ Euangelicæ, veritatiſque teſtificationem. D. Gregor. 2. p. Paſt. cap. 11. apprimè confirmat argumentum: *Vectes de lignis Sethim fiunt qui eiſdem ad portandum circulis inſeruntur, quia Doctores velut imputribilia ligna quærendi ſunt, qui ſanctæ Eccleſiæ veritatem denuncient.* Commendabile namque ex ore puro teſtimonium.

Greg.

42. *Chriſti teſtificatio, & Euangelij euulgatio ex paradiſo ſanctitatis exoritur.* Gen 2. Rupert.

Iam inde ab exordio Euangelicus fulgor rutilabat: *Fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradiſum, qui inde diuiditur in quatuor capita* Geneſeos 2. ad quem locum Rupert. *Chriſtus Dominus & fons paradiſi dicitur, & eſt, & in quatuor Euangelia manifeſtatur, & prædicatur* Profectò & fluminis Ieſu notitia, & Euangeliorum euulgatio à loco voluptatis, à paradiſo virtutum, & ſpiritualium exercitationum floribus ac fructibus conſito deriuatur. Annon Ioannes paradiſus, qui *cùm propter vitæ ſanctitatem*, loquor cum Cyrillo, *tum propter piarum eminentiam exercitationum, omnem Iudæam in ſui admirationem rapuit? Iſte à Deo miſſus fuit*, vt teſtimonium de lumine perhiberet.

43. *Peccator haud in teſtē adducendus,* Dan. 13.

Proh! peccatorum teſtimonia quàm indigna credulitate! Danielis vnius teſtificatione ſenes populi iudices dictum malorum morti addicuntur, Suſanna duorū flagitioſorum teſtimonio condemnata innocēs apparet. Cur ita? Calliditas peccatoris haud apta ad perſuadendum, meritò innocentiæ ſingulari teſtimonio fides adhibetur. Diſcite, ô iudices, calliditatem peccatoris ad tribunal minimè adducendam, ſi aliunde poſſit ferri iudicium. Mendacium etenim callido adnatum peccatori. Delinquentibus hominibus, Adam interrogatus fuit, Eua vocatur ad examen. Ad quæſtionem Alcuinus adſert, *Quare non eſt interrogatus ſerpens?* Reſpondet, *Quia Diabolus de illo, & per illum fuerat operatus, ideo dicitur ei, Super pectus tuum gradieris, & terram comedes. Siquidem in peccatore calliditas nequitiarum eius indicatur.* Non aptus ad ferendum de veritate teſtimonium vitæ fœditate correptus, nequitiâ obtenebratus. Alibi pluribus confirmo.

Gen. 2.

Alcuin.

# SECTIO TERTIA.

# CHRISTI ADVENTVS.

## *TEXTVS.*

*Verſ.* 9. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. 10. In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit. 11. In propria venit, & ſui eum non receperunt. 12. Quotquot autem receperunt eum dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius. 13. Qui non ex ſanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.

## *COMMENTARIVS LITERALIS.*

### §. I.

### *Num lux in præſenti Verbum, an Chriſtus?*

1. *Antiqui, & recentiores de Verbo exponunt ſententiam.*

IN *Mundo erat, &c.*] Miro conſenſu tam antiqui, quàm recentiores de Verbo antequàm caro fieret, hunc locum interpretantur. Origenes, Chryſoſt. Auguſt. Theodor. Beda, Theophyl. Euthym. Rupert. Caietan. Hugo, Tolet. Barrad. Ianſen. & alij quàm plurimi, locutum aiunt de Verbi diuinitate Ioannem, quâ antequàm in mundum veniret, in mundo, & vbique erat, omnia implens, omnia ſuſtinens, omnia gubernans; potuiſſeque cognoſci ab hominibus

ex

ex ipſa cognitione, ac contemplatione rerum, quia *cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum.* Pſalm. 18. & à magnitudine ſpeciei, & creaturæ cognoſcibiliter poterat Creator omnium videri. Sap. 13. *Inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* Rom. 1.

Pſalm. 18. Sap. 13. Rom. 1.

2. *Huius communis ſententiæ fundamenta.*

Rationem autem duplicem reddunt. Alij, vt doceret Ioannes nunquam ſtetiſſe per Verbum, quò minùs omnem ſemper hominem illuminaret, cùm ſemper in mundo fuiſſet, nunquam non emicaſſet. Alij, ne & ipſum videretur cum mundo factum eſſe. Innuit eam expoſitionem imperfecti temporis verbũ *Erat*, quo ſemper antè vſus fuerat, cùm æternitatem ſignificabat. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Dicturus enim fuiſſet: In mundo fuit, ſicut paulo poſt dixit: *In propria venit, & habitauit in nobis*; ſi de eius in carnem aduentu locutus fuiſſet.

3. *Auctoris ſententia de Chriſto totum locum exponit.*

Enimverò cùm, auctoritate remotâ, Ioannis premo ſententiam, non poſſum non ſentire Euangeliſtam per anticipationem de Verbo facto iam carne eſſe locutum. Hiſce moueor rationibus. Primò: Eodem contextu, eodem teoore, ac proinde eodem ſenſu ait: *In mundo erat*, quo ſtatim adiicit: *In propria venit*. Cùm autem dicit: *In propria venit*, ex communi eorum Doctorum conſenſu, de aduentu in carnem loquitur. Ergo & cùm ioquit, *In mundo erat*, loquitur de ipſius in carne conuerſatione. Obiicis Priùs dicendum erat, veniſſe in propria, deinde io mundo fuiſſe, ſi de eius in carne vita loqueretur. Obiiciam & ego: Si in mundo priùs erat, quomodo in propria venit? Theologicè Ioannes plus quàm ſubtiliter loquebatur. Deinde cùm addit: *Et mundus eum non cognouit*, planè mundi taxat cæcitatem, quod cùm potuerit, & debuerit Verbum ſui auctorem agnoſcere, errore obcæcatus minimè cognouerit. Ante Incarnationem autem non video, qoonam modo aut potuerit, aut debuerit Verbum mundus agnoſcere. Potuit quidem (vt ioquit Paulus) Deum ex ipſa rerum conditione dignoſcere: at Verbum, id eſt, perſonam Filij minimè potuit. Theologorum enim conſtans placitum, vnum quidem Deum ex rebus effectis poſſe cognoſci, Trinitatem autem perſonarum nullatenus poſſe ex rebus effectis reuelari.

*Vnum fundamentum.* *Alterũ fundamentum.*

4. *Oppoſitæ ſententiæ rationes infirmãtur.*

Prætetea rationes à Doctoribus adductas infirmas exiſtimo. Vnam quidem, quia ſatis probauerat Ioannes per Verbum noo ſtetiſſe, quò minùs homines illuminarentur, cùm dixit: *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Alteram autem, quia Euangeliſta non curabat his verbis oſtendere Verbum non fuiſſe cum mundo factum, quod ſatis iam oſtentarat dicens: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Nec magis firmam arbitror rationem ex temporis imperfecti ac perfecti differentia aſſumptam. Ioannes enim cùm de Verbo iam carne facto ageret, hac de cauſa potiùs imperfecto vſus eſt: *In mundo erat*, vt ſignificaret non ad momentum modò temporis apparuiſſe, quod poterat præteritum verbum indicare; ſed diu in mundo cum homioibus fuiſſe verſatum, quod appoſitè imperfecto præterito declaratur. Ac ſi diceret: In mundo verſabatur, & eum mundus non cognouit. Eum, inquam, non *id*, aut *illud*, quia de Chriſto, non de increato lumioe, aut Verbo ab humanitate nudo loquebatur.

5. *Et authoritate confirmatur.*

Profectò omnium Doctorum conſenſus, ex eo, quia omnium, magis quàm quia probabilior ſententia me traheret, niſi legiſſem Maldonatum contrarium pluribus confirmantem. Cuius mihi auctoritas ſapientiſſimi viri ſofficeret. Attamen vt vtrâque manu teneam, ex antiquitate inueni patrooos, & D. Gaudentium tract. 12. fantem; *Etenim humanum genus, vt derelicto Deo, ipſum Satanam per ſimulachra coleret manu facta, principatum violenter tenuit, & exercuit tyrannidem in tantum, vt aduenientem verum Principem ſuum non cognoſceret mundus, ipſius quippe diaboli præſtigijs obcæcatus. Nam in mundo erat Chriſtus, vt Euangeliſta teſtatur, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit.* Eo quonam modo, ex Patris ſententia, mundus taxetur, quod Chriſtum ad ſe in carne venientem non dignouerit. Et Theodorum Mopſueſtenum dicentem: *De Domino Chriſto rectè ſubiunxit: In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit. Vt declararet illud: Venientem, dictum eſſe propter eius manifeſtationem.* Sic ille apud Corderium.

Maldon. Gaudent. Theod.

## §. II.

### *Chriſtus lux vera omnem hominem illuminans.*

6. *Contextus.*

ERAT *Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Expendit amplius Chriſti, ac Ioannis comparationem, declarans eum non fuiſſe lucem illam veram, quæ illuminat omnes homines.

7. *Senſus verborum.*

*Erat lux.*] Cur imperfecta oratio? Nec enim adiicit, quiſnam illa lux vera fuerit. Senſus non eſt, fuiſſe lucem aliquam veram, ſed aliquem alium præter Ioannem fuiſſe veram lucem, nimirum Chriſtum. Chriſtus enim quamuis non nominetur, intelligitur en ipſo, quod de ipſius, Ioanniſque comparatione Euãgeliſta loquebatur. Sed quare innominatum præteriit? Quia maiorem vim & gratiam habet oratio.

8. *Quonã modo Chriſtus lux vera vocitatur.*

*Lux vera.*] Et quonam ſenſu Chriſtus lux vera vocitatur? Reſpondeo eodem ſenſu veram lucem dici, quo lux appellatur. Non propriè, ſed metaphoricè lux dicitur, etiam metaphoricè vera lux vocatur. Quia quod facit lux iſta vera in corporibus, ille verius in animis efficit. Annon vitis vera appellatur Ioann. 15. quòd veriùs quàm vitis palmites, eos, qui in ſe credunt, nutriat, atque ſuſtentet? Nonne cibus verus compellatur, Ioan. 6. quòd veriùs, quàm corporeus cibus corpora, nutriat animum.

Ioann. 15. Ioann. 6.

9. *Quonam lumine Ieſus illuminet homines?*

*Quæ illuminat omnem hominem.*] Quoniam lumine? Num naturali lumine rationis? Ita D. Cyrill. lib. 1. cap. 9. & Iunilius in a. Geneſ. Hoc aiunt homines à Chriſto illuminari, quia huiuſmodi luminis omnes ſunt participes. Non dubium quin de ſpirituali lumine ſit intelligendum, de gratia, fide, vtrâque illâ, de qua dixerat: *Et vita erat lux hominum.* Sic Cyprianus, Auguſtinus, Chryſoſtomus, Maximus, Beda, Theophylactus, Euthym. Maldonatus, Toletus, Barrad. aliique interpretantur.

10. *Omnem hominem.*] Quonam modo omnem hominem vera lux illuminat, ſi plurimi obruti tenebris remaneant? Reſpondet D. Auguſtinus Enchir. cap. 102. *Illuminat omnem hominem venientem in*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

*in hunc mundum, non quia nullus eſt hominum, qui non illuminetur; ſed quia niſi ab ipſo nullus illuminatur.* Ac ſi diceret: Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem, quicunque illuminatur. Seu erat lux, à qua quicumque lucem habent, lucem
Cyrill. accipiunt. D. Cyrill. ſic ſoluit ex prædictis. Verbum illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum lumine rationis, omnibus enim hominibus rationis lumen impertit. Nam ſi homo eſt, rationis luce rutilat. Iunilius conteſtatur.

11. *Auctoris placitum.* Chryſoſt. Ambroſ. Faciliùs affirmo Chriſtum omnem hominem illuminare, propterea quod paratus eſt ad fidei, ac gratiæ lumen omnibus elargiendum, ſi flagitiorum impedimenta remoueant. D. Chryſoſt. *Illuminat omnem hominem, quantum in ipſo eſt: Si qui autem ad huius lucis radios mentis oculos dirigere noluerunt: non ex luminis natura, ſed malitia ſua in malitia perſtiterunt.* Ambroſ. lib. 2. de Cain: *Omnibus opem ſanitatis Chriſtus detulit, vt quicunque perierit, mortis ſuæ cauſas ſibi adſcribat, qui curari noluit.* Item, *Qui pereunt, ſuâ pereunt negligentiâ.* Alibi nobiſcum & Auguſtinus
Auguſt. tract. 12. ſenſit: *Quantum in medico eſt, ſanare venit ægrotum; ipſe ſe interimit, qui præcepta medici ſeruare non vult.*

12. *Varia lectio.* Auguſt. *Venientem in hunc mundum.*] Sic effert Auguſt. ex Græco: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* At lectio noſtra accommodatior.

13. Cyrill. Quæſtio ſuboritur: Vndenam homo in hunc mundum adueniat? Nonnulli (auctore Cyrillo) ex hiſce verbis malè intellectis delirantes collegêre, animas hominum ante corporis habitaculum apud cœlicolas extitiſſe: tamen turpi cogitatione alterius vitæ cupiditate, ad peiora delapſas, corporibúſque veluti carceribus, Deo iudice, incluſas, vt cupiditas illa reſtringeretur. Voluit enim (inquiunt) Creator, vt animæ experimento diſcerent, quàm ſit amarum, bonum contemnere, & ad peiora declinare. Lege apud eundem Cyrillum,
Sixtus. ac Sixtum Senenſem lib. 5. annot. 85. ridiculi huiuſce erroris refutationem. Porrò alij (teſte Auguſtino) non magis aptè inferunt ex Ioannis ſententia, hominem mox vt venit in mundum, in lucémque editur externam, ante Baptiſmum à Verbo luce internâ illuminari. Num eiuſmodi illuminatio rationis vſus? Inepti certè homines fuêre, & experientiæ oſores indicantis apertè, infantes, etſi rationem habeant, illius tamen vſu carere.

14. *Auctoris reſponſio.* Noſtra itaque expoſitio eſt, hominem in mundum venire, non propterea quod ex cœlo anima profluat in corpus; ſed quia totus homo in hoc mundo naſcitur, & apparet, in quo non aderat, antequàm gigneretur. At à Ioanne minimè affirmatur, à Chriſto omnem hominem venientem in hunc mundum, illuminari mox, vt in mundum ingreditur; ſed abſolutè omnem hominem illuminare, nempe tempore congruo, diuinis Sacramentis, cæteriſque omnibus rebus adhibitis, quæ opus ſunt illuminationi.

15. *Myſtica hominis Patria.* Cyrill. Quòd ſi myſtica placent, quærenti ex quanam regione homo veniat in mundum? reſpondebo: ex regione, quæ nihil appellatur, paupere, ignobili, deſertâ, incultâ, ſterili, miſerâ, rebus cunctis egente. Inibi neque vllum degit animans, neque repit vermiculus, neque vernat arbor, neque ſeges germinat, neque vel herba vilis exoritur. D. Cyrillus ad hæc: *Homo ex nihilo ad eſſe producitur. Locus enim quaſi quidam creaturarum confingitur ipſum Nihil; à quo modo quodam profectæ creaturæ locum, vt ita dicam, eſſendi acquirunt.* Panegyrico confirmabo.

## §. III.

### *Chriſtus in mundo habitans, mundíque conditor, à mundo non cognitus.*

*IN mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit.*] Suprà ſententia hæc ferè iam expoſita. Chriſtus quidem lux erat, omnem hominem venientem in hunc mundum illuminans; in mundo verſabatur, inter manus eum mũdus habebat, & recipere, ac tenere noluit. 16. *Chriſtus lux.*

*Et mundus per ipſum factus eſt.*] Num hæc addita particula, quia dixerat; *In mundo erat,* tamquam creatura, párſque vna mundi in mundo fuiſſe putaretur? Sic Auguſtinus, Cyrillus, Theophyl. Exiſtimo tamen hoc à Ioanne adiectum, vt oſtentaret mundi ingratitudinem, qui cùm per Chriſtum fuiſſet effectus, ipſum tamen non agnouiſſet. Quo ſenſu enim mox dixit; *In propria venit, & ſui eum non receperunt,* eodem nunc ſatum opinor: *Et mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit.* 17. *Cur hæc addita particula?*

*Et mundus.*] Quater in præſenti Ioannes mundum nominauit. Tribus equidem primis locis pro tota creatarum rerum vniuerſitate mundus accipitur. At hoc vltimo loco non ſic, ſed pro hominibus, qui cùm cognoſcere Chriſtum debuiſſent, non cognouerunt. Exponunt ſic D. Auguſt. Cyrill. Chryſ. Beda, Theophyl. Euthym. Profectò cum Chryſoſtomo, Beda, Euthymio, & Theophylacto adnoto, nec pro omnibus mundum aſſumi, ſed pro iis tantùm, qui mundana ſapiunt qui enim diuina ſapiebant, Chriſtum recepêre. Mundus itaque vocantur non Apoſtoli, reliquíque Chriſtum recipientes; ſed Phariſæi, & cæteri, qui eum recipere noluerunt. Hi enim mũdus aſſolent vocitari. Cap. 3. 8. 15. 16. & 17. & Epiſt. 1. cap. 2. Appoſitè quidem Maldonatus pro omnibus hominibus accipit mundum; non quod non aliqui cognouerint, ſed quod maior pars non cognouerit, & ex maiore parte mundus dicitur non cognouiſſe. Quemadmodum ſtatim; *Et ſui eum non receperunt.* Et tamen ex ſuis aliquos recepiſſe conſtat ex hiſce: *Quotquot autem receperunt.* Quam exponendi rationem probabiliorem exiſtimo, Ammonio apud Cord. confirmante, *Mundum hic vocat homines, ſic à parte ſua maiori mundum denominans.* 18. *Quidnam mundi vocabulo in præſenti ſignificatur? Sententia probabilis.* *Probabilior.* Maldon. Ammon.

## §. IV.

### Creationis beneficium hominum exigit gratitudinem.

#### *Contra ingratos ſupplicio affectos.*

DIximus proximè ſententiam illam, *Et mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit,* adiectam, vt mundi ingratitudinẽ ſuum Conditorem non recipientis, & dignoſcentis reprehenderet. Notanter D. Chryſoſtomus ait, *Mundus eum non cognouit, Dominum videlicet, &* Conditorem *ſuum.* Profectò magnum ingratitudinis 19. *Ingratitudo mundi ſuum non dignoſcentis Conditorem.* Chryſoſt.

dinis documentum Deum Creatorem obliuiſci, creationis beneficium æternâ memoriâ non colere.

20. *Tam magnum creationis beneficium quàm magnus homo.* Gen. 1.

*Faciamus*, inquit Deus, *hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Geneſ. 1. Tam magnum hoc beneficium, quàm magna creatura Dei referens imaginem. Quantum igitur tanto Conditori pondus gratitudinis debeatur? Id expendit D. Bernard. ſerm. 14. in Pſalm. *Qui habitat*, dum ait, *Agamus fratres, gratias factori noſtro, quod nobis praſtitit, quod nos ipſi ſumus. Cogita autem qualem te fecit; ſecundùm corpus egregiam creaturam; ſecundùm animam magis, vtpote imagine Creatoris inſignem, rationis participem, capacem beatitudinis. Porrò ſecundùm ambo ſimul pra cateris creaturis maximè admirandam. Itaque tam magnum donum hoc eſt, quàm magna res eſt homo.* Et quonam modo de tanto beneficio aſſiduas laudes non profundis?

21. *Terra vacua, vt homo ſe gratum Conditori exhibeat.* Gen. 1. Chryſ.

Quare exiſtimas terram inanem, & vacuam fuiſſe creatam iuxta illud: *Terra autem erat inanis & vacua.* Gen. 1. Vt de reddendis gratiis Conditori mox exortus eſſes ſolicitus. D. Chryſoſt. *Ex terra facti ſumus, terra noſtra patria eſt, ſed inanis, & vacua nobis demonſtratur, ne beneficia terra ipſi imputes, ſed ei tribuas, qui eam ex nihilo creauit.* Tanti ponderis erat, hominem ob creationis beneficium Deo gratias offerre.

22. *Creatori ingratus Adã.* Gen. 1. Rupert.

O quàm ingratus hominum parens! *Factus eſt homo in animam viuentem.* Gen. 1. Oportuerat effectum magis in animam concinentem, ſicut Angeli mox poſt creationem concinuêre, vti ſeſe gratos oſtenderent Conditori. Rupert. exitiale hominis ſilentium miratus, ait: *Notandum quàm pertinaciter homo primus à Creatoris laude mutus perſtitit, qui in obſtinatis labiis ab omni gratiarum actione abſtinuit. Nullas ei gratias egiſſe dicitur, nec quidquam quod laudem Dei reſonaret, locutum fuiſſe, nec vllum gratia verbum in ore eius fuiſſe Scriptura teſtatur.* Microcoſmos itaque ſiue mundus minor, eum per quem factus eſt, non cognouit.

23. *Quia Creatori ingratus, excidere permittitur.* Rupert.

Quid mirum grauiſſimo ſupplicio fuiſſe affectum? Miſerrimum hominis caſum contemplare, pondera omnium creaturarum Principem adeò fœminæ addictum indulgentiæ, vt tranſgredi Dominicum præceptum non formidarit. Geneſ. 3. Vndenam talis cordato vecordia? Quid non audeat ingratus Creatori? Rupert. ad hæc? *Qui ergo gratiam Dei non cognouit, non mirum, quod peccauerit, & quod peccatum ſuum non agnoſceret, quia res vicina eſt.*

24. *Æterna conditori laudes debentur.* Iſa. 61. Rupert.

Profectò tantum eſt Creationis beneficium, vt Conditor in æterna hominum laude verſari deberet. Vnde Iſaias: *Qui reminiſcimini Domini, ne taceatis.* Cap. 62. Ad creationis munus refert Rupert. Geneſ. 1. Ac ſi diceret; *Qui reminiſcimini Domini* Conditoris, ſiue qui ob creationis beneficium laudes Deo impertiri conamini, *ne taceatis*, hoc eſt, interminabili gratiarum actione die, noctéque laudes profundite. Iſaias dicit: *Ne taceatis. Quomodo autem fiet hoc? Sequitur, Tota die ac nocte non tacendo, ſcilicet laudare nomen Domini. Primi Parentes Deum non inuocauerunt, nec vllum pia confeſſionis verbum de ore eorum ſonuit.* Quàm ingrati, ſi beneficium creationis non vnâ tantùm laudatione, ſed interminabili præconio die, ac nocte proſequendum eſt!

25. Annon præſtantiſſimum beneficium Abrahæ à Domino exhibitum, cùm eum hominum ſanctiſſimorum parentem conſtituit, Chriſtique patrem aſſignauit? *Multiplicabo*, inquit Dominus, *te vehementer nimis.* Quid Abraham? *Cecidit Abraham pronus in faciem.* Geneſ. 17. Vbi D. Chryſoſt. *Quâ figurâ indicauit gratitudinem.* Sed veſtigandum quamnam gratitudinem Patriarcha excidens in faciem, ſiue terram facie contingens, oſtentauit? Profectò præ ſe tulit Abraham eam gratitudinẽ, quæ beneficio creationis debetur. Nam, eodem Chryſoſtomo auctore, *Terra eſt nutrix, & mater noſtra, ex ea ſiquidem facti ſumus.* Facies itaque terræ hærens gratitudinis gratiâ profitetur animum gratum ob creationis beneficium. Dum igitur Abraham huiuſmodi habitu corporis indicat gratitudinem, Deo ſimilia profatur: O Domine, tam me beneficio communis fidelium paternitatis, ſpecialiſque Ieſu neceſſitudinis obæratum inuenio, vt nullatenus dignas perſoluam gratias, niſi eam gratitudinem exhibuero, quæ pro creationis munere debetur.

*Quia Abraham fit Dei Filij Parens, reddit gratias, qua Deo conditori debentur.* Gen. 17. Chryſ.

26. Id quod ampliùs elucidabo, ſi oſtendero beneficio creationis duplex præſtantiſſimum aliud munus agglutinari, redemptionis ſcilicet, & ſanctificationis. *Faciamus*, inquit Deus, *hominem.* Gen. 1. Verbum illud, *Faciamus*, apertè beatiſſimam Trinitatem innuit hominis exædificationi incumbentem. Audi Rupertum: *In illo talium perſonarum Patris, & Filij, & Spiritus ſancti non tam ſenatu, quàm ſoliloquio venerando vnaquaque perſona ſuam operis partem de nobis ſuſcepit. Pater ait, Ego illos creabo. Filius, Ego redimam. Spiritus ſanctus, Ego ſanctificabo. Atque ita communi totius Trinitatis conſilio dicitur: Faciamus hominem.* Quid plura? O quàm actio gratiarum tam immenſo muneri neceſſaria! Pergit Pater, *Laus ergo* (adnota conſequentiæ vim ex præmiſſis) *ſapientia Creatoris, honor gratia Liberatoris, gratiarum actio pietati Illuminatoris; & adoratio vniuerſa creatrici omnium Trinitati. Repleatur os noſtrum laude, vt tantam eius magnitudinem tota die decantemus.* Pulchrè planè.

*Beneficio creationis haret redemptionis, & ſanctificationis munus.* Gen. 1. Rupert.

27. At verò, ne tibi in mentem ſubeat totam beneficij vim inuiſibiliter emicare ſpiritui, oculis etiam corporeis muneris creationis ſcintillæ coruſcant. Annon poſtquàm Deus inquit: *Faciamus hominem*: adiecit illico: *Subiicite terram, & dominamini piſcibus, &c.* Gen. 1. Quæ quidem è cordato gratitudinẽ extorquent. Do D. Bernard. apud Lipom. fantem: *Agamus gratias factori noſtro, quòd nobis dedit omnia. Vnde poſtquam dixit Scriptura: Faciamus hominem ad imaginem &c. ſtatim addit: Et ſubiicite terram, &c. Cæleſtia autem elementa in vſus creaſſe nos ante docuerat, cùm facta memorantur, vt eſſent in dies, & annos. Conſidera igitur, quanta largitus eſt ad ſuſtentationem, quanta ad eruditionem, quanta ad conſolationem, quanta ad correptionem, quanta etiam ad delectationem.* Plura Pater.

*Dum beneficio creationis donamur, mundi ſimul Reges efficimur.* Gen. 1. Bern.

## §. V.

### *Quid, Ieſum in propria veniſſe?*

28. IN *propria venit, & ſui eum non receperunt.* D. Auguſt. per *Propria* mundum exponit, qui opus eſt Verbi, & cuius Dominus Verbum eſt. D. Cyril. Populum Iudæorum vult accipi. Vtramque Theophyl. expoſitionem amplectitur. *Et ſui.* Per ſuos autem Auguſt. Theophylact. & Gregor. Iudæos

*Patrum expoſitiones.*

Iudæos accipiunt. Exponit ſic Auguſt. *Venit in propria*, id eſt, in bunc mundum per carnem aſſumptam, & Iudæi, qui ſui erant, non cognouerunt eum. Cyrill. autem, & Theophyl. ſic, *Venit in propria*, id eſt, in populum Iudæorum, *& ſui*, id eſt, Iudæi eum non cognouerunt.

29. *Auctoris ſententia.* Ego equidem vtrumque Doctorum placitum complexus, ſic expeodo ſententiam. In mundo aderat per carnem aſſumptam, & cùm mundi eſſet exædificator, Creatorem ingratiſſima creatura non ſuſcepit. Quid dico, Creatorem creatura? ſi in propria, id eſt, in populum Iudæorum venit Redempter, ſpecialiter, oues, quæ perierant de Iſraël, quæſiturus, & ſui ſpecialiſſimo amore & beoeficio obærati Iudæi tantum amatorem, benefactorem tantùm minimè dignouerunt.

30. *Expenditur.* Appoſitè igitur *propria* vocitat, & *ſuos* appellat populum illum Iudaicum, qui erat populus Dei, cui fuerat Verbi promiſſus aduentus, qui ipſum expectabat, qui in ipſum futurum credebat, qui ipſum lege, ſacrificiis, ceremoniis, annis plurimis figurabat, cui tot Propbetarum vaticiniis erat pręnunciatus.

31. *Lectionis varietas.* Græcè explicatiùs legitur: *In propria venit, & proprij eum non receperunt.* Vel: *In ſua venit, & ſui eum non receperunt.* At ſenſus nullibi variatur.

## §. VI.

### *De poteſtate hominibus credentibus exhibitâ, vt filij Dei fierent.*

32. *Triplex Dominici aduentus finis.* Cyrill. QVotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.] Tres aduentus Verbi fines D. Cyrill. adnotat, ſcilicet peccatum abolere, mortem deſtruere, filios adoptionis efficere. Attamen ſolius tertij Ioannes facit memoriam; duplicis aliùs vim facilè inſinuans.

33. *Quinam Ieſum recipientes.* Chryſoſt. *Quotquot autem receperunt.*] De queiſnam recipieoribus Chriſtum loquatur? D. Chryſoſt. homil. 9. Siue nobiles, ſiue ignobiles, ſiue Iudæi, ſiue Barbari, & Gentiles, & quicumque ſint, qui Chriſtum receperunt, & recipient, eos in adoptionem filiorum mancipari adnotat.

34. *Senſus ſententia.* Senſus autem ex Patris mente talis eſt. Venit in propria, & ſui eum non receperunt, venit autem, vt Dei filios ſe efficeret recipientes. Si quos ergo inuenit, qui eum reciperent, his dedit poteſtatem filios Dei fieri. Inuenit certè ex Iudęis multos. Nam cùm dicitur à Iudaico populo non fuiſſe receptum, non ſiogulos de populo intelligas; ſed maiorem partem, à qua totus populus denominatur. Maiori itaque, ſiue (vt expoſuimus) populo Iudæorum Ieſum Meſſiam non recipiente, ad alios, qui eum receperunt, illis relictis, conuerſus eſt, iuxta illud Act. 13. *Vobis oportebat primum loqui Verbum Dei, ſed quoniam repellitis illud. & indignos vos iudicaſtis æterna vita, ecce conuertimur ad gentes.* Conſonat illa apud Lucam Parabola. Nam excuſantibus ſe à cœna illis, qui inuitati Iudæos adumbrant: dictum, *Exi in plateas, ac vicos ciuitatis, & pauperes, ac debiles, & claudos introduc huc.* cap. 14. Quæ quidem Iudæorum reprobatio, ac vocatio Gentium, auctore Cyrillo, in præſenti haud obſcurè innuitur.

Act. 13.

Luc. 14.

35. *Cur non dixit: Dedit poteſtatem* *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.*] Cur non dixit: Dedit eis, qui Chriſtum receperunt, filios Dei eſſe, ſiue, *Fecit eos filios Dei*: Sed *Poteſtatem dedit eis filios Dei fieri*? Quaſi non ſtatim ac eum receperunt per fidem, Filij Dei ſint; ſed poteſtatem habeant, vt Filij Dei fiant. Nouem rationes ab Auctoribus aſſignantur. *Prima.* Quamuis recipientes Chriſtum filij Dei ſtatim ſint, tamen neceſſaria eſt cuſtodia, & vigilantia, vt conſeruentur, ne acceptam donationem filij amittant. Dicuntur ergo habere poteſtatem filios Dei fieri; quia etiamſi tunc, dum Chriſtum recipiunt, filij Dei ſunt: tamen ſub eorum ineſt poteſtate hanc filiationem habere, & conſeruare. Non placet; quia Euangeliſta, *dedit* (inquit) *poteſtatem filios Dei fieri*, non conſeruari. Ex Theophylacto accepi.

*filios Dei eſſe, ſed fieri.* *Prima reſponſio.* Theoph.

36. *Secunda.* Theoph. *Secunda.* Per recipientes catechumeni intelliguntur, qui fidem habent ante Baptiſmum, per quem gratia adoptionis exhibetur. Hi ergo per fidem nondum regenerati ſunt, nec filij effecti, donec ſacrâ vndâ diluantur. Habent itaque credentes poteſtatem ſuſcipiendi Baptiſmum, & per eum renaſcendi. Ex eodem Theophylacto tranſcripſi.

37. *Tertia.* Theoph. *Tertia.* Per huiuſmodi poteſtatem intelligimus adoptiooem perfectam filiorum, quæ in gloria datur. Sunt equidem in hoc ſeculo filij, adhuc tamen minùs perfectè adoptati, Vnde dictum, recepiſſe poteſtatem filios Dei fieri, quia id nondum conſecuti ſunt. Conſonat Paulus: *Intra nos gemimus, adoptionem filiorum expectantes.* Rom. 8. Cùm tamen Apoſtoli in hoc ſeculo filij Dei extiterint adoptione. Non exhaurit difficultatem. Loquitur enim Ioannes de prima filiorum adoptione, quam Ieſum recipientes accipiunt; de qua cùm nondum quidquam dictum eſſet, non erat cur de futura adoptione loqueretur. Adhuc ex Theophylacto.

38. *Quarta.* Chryſoſt. *Quarta.* Significatur motus liberi arbitrij; ſic enim homo adultus fit Dei filius, vt liberò arbitrio concurrat, ad credendum, vt fiat filius Dei. Sic Chryſoſt. homil. 4. At minus appoſita reſponſio Euangeliſtæ verbis. Poteſtas enim arbitrij præcedit arbitrium. Attamen hîc dicitur huiuſmodi dari poteſtas, vt fiat filius Dei, cùm dicendum fuiſſet: Poſuit in poteſtate eorum filios Dei fieri.

39. *Quinta.* *Quinta.* Hæc particula appoſita, vt hominum filiatio diſtinguatur à Verbi filiatione. Noſtra quippe adoptionis eſt, Verbi verò naturæ: noſtra poteſtatis; Verbi, proprietatis, Deum namque nos filios habere, poteſtatis eſt, quia voluit efficere; at habere Verbum filium, eſt proprietatis, & naturæ ipſius Dei. Ita Ambroſius, & Auguſtinus.

40. *Sexta.* *Sexta.* Hæc poteſtas eſt gratia, vt ſint filij, ex gratia non ex natura. Vera planè doctrina, ſed ad eam ſignificandam, ſufficit verbum *Fieri.* Verbum enim non eſt factum filius Dei, homo autem filius fuit; quia Verbum eſt naturâ filius, homo autem adoptione, & gratiâ. Ex Athanaſio, cui Cyrillus adhæret.

41. *Septima.* Gregor. *Septima.* Per poteſtatem dignitas, & excellentia ſignificatur; vt ſit ſenſus, Dedit eis hanc dignitatem & excellentiam, vt ſint filij Dei. Eſt D. Gregorij homil. 6. in Exod. & placet queiſdam recentioribus, non mihi; tunc enim non erat dicendum, Poteſtatem dedit filios Dei fieri; ſed filios Dei eſſe.

42. *Octaua.* *Octaua.* Antequàm reciperent Chriſtum, iis, qui recepêre, data eſt à Verbo poteſtas, vt reciperẽt, & recipientes filij Dei fierent. Niſi enim diuina virtus acceſſiſſet adiutrix, nemo id cõſequi potuiſſet. Sic aliqui ex neotericis quæſtioni reſpondent.

*Nona* denique. Etiamſi tunc, cùm fidem accipiunt,

piunt, filij Dei fiant: tamen hoc habet fides ex gratia, & dono Dei, vt poſſit Dei filios efficere. Ex recentioribus deſumpſi.

44. *Auctoris ſolutio.* Ego autem (ſi liceat coram tanto Doctorum Senatu) ſic reſpondeo. Per fidem homo non fit, nec renaſcitur filius Dei; ſed per Baptiſmum, qui gratiam exhibet filiorum. Per fidem autem ſolùm datur poteſtas renaſcendi per Baptiſmum, qui regenerat, & facit filios Dei ſolos credentes in Chriſtum, ij etenim ſoli gratiam adoptionis recipiunt, quam Baptiſmus dare aſſolet, etiam voto ſuſceptus.

45. *Obiectio ex Theophylacto.* *Ipſius reſpõſio.* Requiris cum Theophylacto: Cùm in veteri lege etiam iuſti filij adoptionis eſſent ex fide & gratia, non legis virtute, ſed Chriſti futuri: quidnam noui attulit Euangelium, cùm dicitur, eis qui receperunt, dediſſe poteſtatem filios Dei fieri? Reſpondet. Tunc fideles iuſti filij Dei adoptionis dicebantur, tamen in figura; illorum enim adoptio figura erat noſtræ adoptionis. Diſplicet ſolutio. Si enim illi figurâ erant filij; non ergo verè erant filij. Nam quod in figura tale eſt, tale non eſt in veritate, & ſimplicitate. At verè illi erant filij ex fide, & gratiâ futuri tunc Chriſti.

46. *Auctoris ſolutio.* Galat. 4. Ego equidem reſpondeo ex Paulo ſante: *Quanto tempore heres paruulus eſt, nihil differt à ſeruo, cùm ſit Dominus omnium.* Galat. 4. Erant iuſti veteris legis (de quibus ex communi omnium conſenſu Apoſtolus) paruuli; & licet à ſeruis in aliquibus non differrent; tamen à Paulo domini omnium appellantur. Iam pulchram de Toleti expoſitionem. Aliud eſt filium eſſe, aliud autem habere ſtatum filij. Infantes, & pueri filij ſunt, tamen ſtatum filij nondum habent. Status filiorum eſt libertas, & quod ſui iuris ſint, poſſintque de ſuis pro arbitrio diſponere, quod non habent filij niſi ætate legitimâ. Hoc idem in Dei filiorum adoptione reperitur. In lege iuſti filij Dei erant, vt nos, tamen paruuli. His enim comparat eos Paulus. Statum filiorum nondum habebant; ſub lege timoris vt ſub actore, & pædagogo aderant, vt quantum ad ſtatum ſerui fuerint. Longè autem differunt hæc duo, eſſe ſeruum conditione, aut eſſe ſeruum ſtatu, & formâ viuendi. Erant illi conditione filij, ſtatu ſerui propter legem, ſicuti infantes. At in Euangelio per Chriſtum remota eſt lex, receſſit pædagogus, peruenit ad ætatem & iuſtus, in Chriſto libertate donatus eſt. De qua Apoſtolus, *Liberi ſumus, quâ libertate Chriſtus nos liberauit.* Galat. 4. Ob id ſtatum filiorum habemus.

Galat. 4.

47. *Quinam recipiunt huiuſmodi poteſtatem?* *His, qui credunt in nomine eius.*] Explicat quinam dicantur recipere poteſtatem huiuſmodi, quâ homines Filij Dei fiunt. Iis, inquit, eam poteſtatem dedit, qui credunt in nomine eius. Græcè, *Credentibus in nomen eius.* Quidnam in eius nomen credere? Credere ipſum eſſe verum Chriſtum in lege promiſſum, & credere ipſum eſſe Dei Filium, qui homines redempturus aduenit. Exponit ipſe Ioannes, *Omnis, qui credit, quoniam Ieſus eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt*, ſiue filius eſt adoptiuus Dei. 1. Epiſt. cap. 5. Præpoſitio, *in*, voluntatis indicat affectum. D. Auguſtin. ſerm. 31. de Verb. Dom. differentiam inter *credere Deo, Deum, & in Deum* adnotat.

1. Ioan. 5. Auguſt.

## §. VII.

### *Quare huiuſmodi credentes in Chriſtum, Filij Dei fiant?*

48. *Sententia Plinij circa fœtus efformationem.* Plin. QVi *non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.*] Præmitto Plinium lib. 7. c. 15. de menſtruis locutum fœminarum: *Hac eſt generando homini materia, ſcilicet menſtruus mulierum ſanguis ſemine è maribus coaguli modo hoc in ſeſe glomerante, quod deinde tempore ipſo animatur, corporaturque.* Beda: *Carnalis*, inquit, *generatio noſtra ex ſanguinibus, id eſt, ex ſemine maris, & fœminæ à complexu coniugij duxit originem.* Et D. Thomas, *Siue ſemen viri, ſiue mẽſtruum mulieris intelligitur per ſanguinem.* Multi itaque in exponendis illis verbis, *Ex ſanguinibus, ex voluntate cordis, ex voluntate viri*, laborant. Auguſtinus, & Theophylactus per carnem fœminam; per voluntatem viri, virum interpretantur. Alij plura.

Beda. D. Thom.

49. *Cur Ioannes numeret quæ in generatione naturali inueniũtur?* *Qui non ex ſanguinibus.*] Numerat Ioannes omnia, quæ in generatione naturali inueniuntur. Ex ſanguinibus quidem naſci omnibus hominibus eſt commune. Omnes enim è ſanguinibus efformantur. *Ex voluntate carnis.* Innuuntur qui ex inhoneſto concubitu naſcuntur, qui quidem dicuntur ex voluntate, ſeu concupiſcentiâ carnis generati. Concupiſcentia enim carnis eſt, quæ ad illicitam generationem, in qua ſola quæritur delectatio, inducit. *Nec ex voluntate viri.* Significantur qui ex iuſto, & honeſto naſcuntur amplexu, qui appoſitè dicuntur ex viri voluntate exoriri, quia viri voluntas rationi conſona reſpiciens honeſta, ad generationem honeſtam, & iuſtam aſſolet excitare. Vt ergo Euangeliſta vtramque generationẽ complecteretur, dixit: Non naſcuntur ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri; vtriuſque autem commune eſt ex ſanguinibus naſci.

50. *Sentẽtia expoſitio.* Senſus igitur ſententiæ eſt. Qui Chriſtum recipiunt, iterum naſcuntur, non quidem *ex ſanguinibus*, ſeu naturali generatione; nec *ex voluntate carnis*, ſiue illicito concubitu; neque *ex voluntate viri*, hoc eſt, licito & honeſto complexu; ſi enim ſic exorirentur, adhuc filij hominum remanerent, ſed naſcuntur *ex Deo*, & propterea filij Dei ſunt.

51. *De relatiuo* Qui *cauſaliter appoſito.* Adnota relatiuum illud, *Qui*, habet enim vim cauſæ. Ac ſi diceretur: Quia non ex ſanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, vt priùs: ſed ex Deo nati ſunt; filij Dei adoptione conſtituuntur. Meminit autem Ioannes carnalis huiuſmodi generationis, vt gratiæ magnitudo, per quam ex tam vilibus nati principiis in tantam tamque excellentem natiuitatem excoluntur, exprimeretur. Chryſoſt. hom. 9. auctore. Pręterea duplicem præfatum partum Euangeliſta memorauit; quia & in genealogia Saluatoris vterque reperitur. Qui ergo recipit Chriſtum ſiue parentum probro, ſiue commendatione natus ſit, ex Deo iterum nouo naſcitur fœtu, vt fiat Dei filius.

Chryſoſt.

52. *Antiqua quorũdam Patrũ lectio commendatur & expenditur.* Miror equidem me plures huius loci interpretes legentem apud Toletum, ac Barradium ſolummodo inueniſſe diuerſam Athanaſij 2. de Trinit. & Tertulliani de carn. Chriſt. ponderabilẽ admodum lectionem. Cui certè lubens adhærerem, ni piaculũ duxiſsẽ à vulgata trãſlationẽ recedere. Patres ſic: *Qui non ex ſanguinibus, neq; ex volũtate*

*carnis, neque ex voluntate viri; ſed ex Deo natus eſt.* Vt ratio quædam reddatur, quare credentes Filij Dei fiant, nempe: Dedit poteſtatem filios Dei fieri iis, qui credunt in nomine eius, qui Filius Dei eſt naturalis, & verus, & nō natus ex ſanguinibus, cum voluntate carnis, & voluntate viri, qui Chriſtus eſt. Quaſi diceret: Ob id ſunt Filij Dei iſti facti, quia credunt in eum, qui eſt verus, & naturalis Dei Filius, & non Filius tantùm hominis, vt cæteri nati ex ſanguinibus & concupiſcentiâ carnis & viri. Quia ergo credunt in verum Filium Dei, & naturalem, filij etiam Dei fiunt, quamuis longè aliter, quàm ille, in quem credunt.

---

# IN VERBVM CARNE INDVTVM,

# Panegyricus III. Moralis circa Literam.

# EX CHRISTI ADVENTV.

## *OBSERVATIO I.*

Ad illa verba:

*Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

Tam Verbum humanitate exutum, quàm Chriſtum lucem eſſe confirmo:

*Homines vtique dirigentem, illuſtrantem, accendentem, gloriam ſuam Deo in noſtram effundente vtilitatem.*

52. Ammon. AMMONIVS tam Verbum rerum conditorem, quàm Chriſtum vniuerſi reparatorem luce hîc deſignari affirmat. *Verbum enim rationales ſuas creaturas naturalibus inſtinctibus illuminat, ad credendum aliquem eſſe Deum: colligendo nimirum ex illarum pulchritudine. Chriſtus* etiam *lux eſt per naturam, quocirca de Chriſto dicit: Erat lux vera.* Id quod pluribus illuſtrabo.

---

### CAPVT I.

*Verbum lux homini ſalutaris.*

53. Solem mundi Verbū Iuſtitia Sol efformabit. Geneſ. 1. Ambroſ. QVàm Rutilans lux Verbum in totius orbis vtilitatem! *Dixitque Deus: Fiat lux, & facta eſt lux.* Geneſ. 1. Vbi D. Ambroſ. *Deus Pater dixit, Fiat Sol, & Filius fecit Solem.* Et quare Verbum Solis lucidiſſimi efformationi incubuit? Num vt à luminis fonte Princeps luminarium exoriretur? Ita planè. Pergit Doctor: *Dignum erat, vt Solem mundi faceret Sol iuſtitiæ. Ipſe eum in lumen adduxit, ipſe eum illuminauit, ipſe ei donauit fundendi luminis poteſtatem. Dignum*, inquam, *erat, vt lucem mundi faceret ille, qui eſt lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

54. Verbum dies lucidiſſima. Rupert. De ſeptimo die locutus Moyſes, ait, *Benedixitque diei ſeptimo, & ſanctificauit illum.* Geneſ. 2. Et cur ſeptima dies huiuſcemodi benedictione donatur? Reſpondet Ruper. *Dies iſte ſeptimus, de quo tanta dicuntur, ſplendor eſt Paternæ gloriæ, lux lucis, & fons luminis, dies diē illuminans, Sol ipſe verus, & indeficiens, ſcilicet Verbum æternum Patris.*

A cæteris hæc diebus differt, quod veſpere, & mane non habet. *Nec enim dicit Scriptura,* (pergit Rupertus) *factum eſt veſpere, & mane dies ſeptimus; vt dixerat de cæteris omnibus. Dies enim iſte natus, non factus, genitus, non creatus eſt. Alios dies fecit Deus creando, hunc autem diem de ſemetipſo fecit gignendo: quomodo viſibilem hunc diē facit hic viſibilis Sol. Non enim facit extra ſe operando, ſed de ſe ipſo ſplendorem emittendo.* Si Verbum hæc dies, quomodo poſſet tenebrarum clauſulâ terminari? 55. Dies hæc ſine tenebris, lucidiſſima. Geneſ. 1. Rupert.

Primâ die lux vocatur ad lucem. *Dixitque Deus: Fiat lux, & facta eſt lux.* Gen. 1. Quod ſi requiras, quare Verbum rerum excitator primâ die lucis efformationi incubuerit; & non reliquarum creaturarum perfectioni: Reſpondeo, congruū fuiſſe, vt qui in lumine erat, lumēnque exiſtebat verum, quamprimum quaſi ex abundantia lucis inacceſſibilis luminaris exhiberet imaginem. D. Ambroſ. *Erat quidem Deus ipſe in lumine, quia lucem habitat inacceſſibilem; & erat ipſe lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Vnde lucem fieri voluit, quæ oculis corporalibus comprehenderetur.* Vbi ſcilicet increatæ ac incomprehenſibilis lucis imago rutilaret. 56. Prima die Verbum efficit lucē quaſi ex proprij luminis abundantia. Geneſ. 1. Ambroſ.

Profectò non ſolùm opus Verbum inchoauit à luce, ſed à luce meridiana, vt immenſi luminis magis contemplēre præſtantiam. Ponderat D. Auguſt. verba illa: *Factū eſt veſpere, & mane dies vnus.* Gen. 1. profatus: *Primus dies incepit à luce meridiana vſque ad finitum mane ſequentis diei; quia decebat omnibus modis, vt dies à luce inciperet, & in mane ſequentis diei tēderet, vt opera eius, qui eſt lux vera, & in quo tenebræ nō ſunt vllæ, à luce inchoata, & in luce completa ſignificarentur.* Illud pondera, *A luce inchoata, & completa.* Tanti enim luminis inchoatio 57. Verbum quia lux eſt, primum diem inchoauit à luce. Geneſ. 1. Auguſt.

inchoatio iam eſt hominibus perfectionis complementum.

58. *Aduentans Verbum in lumine oſtentatur apud paradiſum: quia lux eſt.* Gen. 3. Rupert.

Id certè in ſpiritualis fulgoris documentum; nobis enim meridianus fulgor elucet. *Cum audiſſet vocem Domini deambulantis in paradiſo ad auram poſt meridiem.* Gen. 3. vbi aduentans Verbum in hominum requiſitionem oſtenditur. Et quare meridiano tempore euigilat? Annon vt ſpiritualis fulgoris requirendi, obiectus hominibus, præſtantia innuatur? Rupert. *Notandum, quod non poſt noctem, ſed poſt meridiem Dominus excitatus deambulare dicitur. Dominus enim Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ. Proindè cum vigilat nobis, nunquam noctem, ſed ſemper habet meridiem.*

59. *Verbum ob nimiam coruſcationem inuiſibile hominibus.* Exod. 20. 1. Tim 6. D. Thom.

Meridiem ſemper? Vix percipere poſſum, qui Verbum mihi in media caligine commorantem video. Non inficior, ſed tunc *lux in tenebris lucet.* Cur exiſtimas nubem & caliginem in circuitu Verbi commorari? Quia mirum in modum illud eleuatiſſimum luminare coruſcat. Pugnant Moyſes & Paulus. Ille ſuimet ad Dominum acceſſum deſcribens, ait: *Moyſes autem acceſſit ad caliginem, in qua erat Deus.* Exod. 20. Verbum igitur non ſemper in lumine commoratur. At Apoſtolus, *Lucem habitat inacceſſibilem.* 1. Tim. 6. Vbi D. Thom. lect. 3. adducit in quæſtionem: *Apoſtolus dicit, quod Deus lucem habitat inacceſſibilem, & in Exodo dicitur, quod Moyſes acceſſit ad caliginem, in qua erat Deus. Qualiter hæc poſſunt intelligi?* Et quonam modo ipſo fons luminis poteſt à caligine obnubilari? Reſpondet Doctor ex Dionyſio fante, *Omnis caligo eſt inacceſſibile lumen.* Adiicit Angelicus Interpres: *Eſt ergo idem quod hic lumen, & ibi caligo. Sed caligo eſt, in quantum non videtur, lumen vero, in quantum videtur.* Amplius expendit luminis Solaris exemplo: *Aliquid eſt inuiſibile dupliciter. Vno modo propter ſe, ſicut opaca: alio modo propter excedentiam eius, ſicut Sol ab oculo noctuæ. Sic quædam ſunt Solis non conſpicua, propter defectum ſui eſſe, & quædam propter excedentiam eius, & ſic Deus nobis eſt inuiſibilis*, ob immenſam ſcilicet claritatem.

60. *Verbi lux potentiſſima ad homines è tenebris educendos.* Exod. 3. Rupert.

O quàm lux hæc admirabilis noſtris elucet in tenebris, quàm nobis proficuum Verbi luminare! Moyſi olim paſcenti gregem *apparuit Dominus in flamma ignis.* Exod. 3. Vbi quærit Rupert. *Cur potius in flamma ignis, quàm in alia ſpecie videri voluerit Deus?* Et reſpondet: *Rectè in igne apparet, quod elementum forte ac lucidum eſt, fortitudinem ſuam quodammodo præparans.* Nec enim Verbi lux infirma, ſed fortiſſima ad homines è tenebris Ægypti educendos. Ideo etenim in tenebris dignatur emicare.

61. *Verbi lux apud Ægypti tenebras elucet hominibus præſtans ducatum.* Caietan.

Vidiſti apud Ægyptum à Verbo excitata miracula in Hebraici populi eductionem? Quidnam illa niſi huiuſce immenſi luminis coruſcationes? Vnde columna demum ignis luciditſſima Hebræorum ductrix in nocte fulgurans oſtentatur. En Verbi lumen hominibus exhibens ad meliora ducatum. Ex Caietano ad c. 3 Exod roboro. *Perſpicuum eſt*, inquit, *quod Deus in liberando Iſraelem de Ægypto, fuit in ipſo populo tanquam ignea flamma, lucens multitudine prodigiorum, & ardens in eorum cordibus, ad exeundum de Ægypto, ita vt nullus remaneret.* Vtinam & nunc humani cordis Ægyptiæ tenebræ tanto Verbi lumini ablegandæ obiiciantur.

## CAPVT II.

*Chriſtus lux hominum illuminatrix.*

62. *Lucidiſſimi Solis iuſtitiæ proprietates.* Gen. 1. Ambroſ.

PRofectò Verbum nube carnis indutum adhuc fulgentiſſimos radios ſpargit. D. Ambroſ. ad illud: *Fiant luminaria in firmamento cæli.* Geneſ. 1. eleganter Chriſti Solis iuſtitiæ deſcribit proprietates. *Si tam gratus* (inquit) *eſt Sol: quàm bonus eſt Sol ille iuſtitiæ Chriſtus? Si tam velox iſte, vt rapidis curſibus die, ac nocte luſtret omnia, quantus ille, qui vbicunque ſemper eſt,* (id eſt, vbique terrarum in Euchariſtico conuiuio fidelibus apponitur) *& maieſtate ſuâ complet omnia? Si admirabilis, qui iubetur exire, quam ſupra admirationem, qui iubet Soli, & non exoritur? Si magnus, qui occidit, & decidit quotidie, qualis ille, qui etiam cùm ſe exinaniret, vt nos eum poſſemus videre, erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum?* & concludit: *Si cæco damnum eſt, huius Solis gratiam non videre: (ait enim quidam, Quale mihi gaudium erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cæli non video?) quanto maius peccatori damnum, veri luminis munere defraudatum perpetuæ noctis tenebras ſuſtinere?* Hactenus ille.

63. *Chriſtus Sol Apoſtolos accendit in hominum illuminationem.* Gen. 1. Ambroſ. Origen.

Porrò quia de Chriſto *omnem hominem venientem in mundum* illuminante locum præcipuè interpretati ſumus, obiiciamus Solis huiuſce ablegantis tenebras coruſcationem. Accendit Sol noſter reliqua minora luminaria in orbis vtilitatem. *Fiant luminaria in firmamento cæli.* Geneſ. 1. Maius equidem luminare Ieſus, à quo fonte luminis reliqua luminaria ſuccenduntur. D. Ambroſ. *Chriſtus Apoſtolos nuncupauit, & fecit lucem mundi. Dignum enim erat, vt lucem mundi faceret ille, qui eſt lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et Origenes: *Chriſtus quidem lux eſt Apoſtolorum, Apoſtoli verò lux mundi.* En Ieſu lux magiſterium nobis luminis exhibet.

64. *Studeamus effici cælum, vt tanto lumine repleamur.* Gen. 1. Origen.

Sed tamen neceſſarium eſt homines in firmamentum ſtudere conuerti, lux enim hæc eleuatiſſima cùm ſit, non terrenis, ſed cæleſtibus effectis hominibus obiicitur. *Fiant luminaria in firmamento cæli.* Geneſ. 1. Apud firmamentum equidem hæc luminaria rutilant ipſi firmamento. Origen. ad hæc: *Ita & in nobis fieri poteſt, ſi tamen ſtudeamus, & nos vocari, & effici cælum. Luminaria habebimus in nobis, quæ illuminent nos, ſcilicet Chriſtum, & Eccleſiam, Solem, & Lunam: Chriſtus enim lux eſt mundi, & Sol iuſtitiæ, Eccleſia autem ſicut Luna, ſuſcepto lumine à Sole Chriſto, illuminat omnes, qui in ignorantia nocte verſantur. Sicut enim Sol & Luna illuminant corpora noſtra, ita & à Chriſto & Eccleſia illuminantur mentes noſtræ.* Pugnant ſpecie verba Doctoris: *Si tamen ſtudeamus & nos vocari, & effici cælum.* Et *Illuminat omnes, qui in ignorantia nocte verſantur.* Si tenebricoſos ignorantes illuſtrat, quomodo cœlum debet exiſtere, qui cæleſti hoc lumine complendus eſt? Non dixit: Si tamen cœlum ſimus, ſed *Si ſtudeamus cælum effici.* Licet cœlum non ſis, dum ſtudeas effici cœleſtis, lumen hoc mentis tuæ tenebras ablegabit; edocebitque ignorantes,

quonam modo ab Ægyptiacis ſit tenebris recedendum.

65. *Lux Ieſu docet nos à tenebris in lumen properare.* Exod 3. Nyſſen.

In cuius typum Dominus Moyſi in flammanti rubo apparuit. *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Exod. 3. Ad quem locum Nyſſen. Chriſti rutilantem humanitatem in lucenti rubo contemplatur. *Quæ quidem*, adiicit, *lux, cùm in nobis illuxerit, primò docebit, quid faciendum ſit, vt poſſimus ad veritatis radios accedere. Quòd calces ſoluendi, eiciendúſque ſit omnis amictus pelliceus, ac terreſtris, & ſordidus paſſionum æſtus, vt ipſius, qui eſt, cognitio poſſit ſuſcipi.* Hominéſque in cœlum valeant permutari.

66. *Hac luce facilè ouis errans inuenitur.* Philipp. 3.

Inter antiquæ vmbræ tenebras haud facilè ouis deperdita inueniebatur; oriente autem Chriſto iuſtitiæ Sole facillimè perditi homines inueniuntur. Vnde Paulus appoſitè: *Omnia arbitratus ſum*, ait, *vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam, & inueniar in eo.* Philip. 3. Ac ſi diceret, ſufficit mihi erranti ouiculæ Chriſtus lux mundi, in quo fulgentiſſimo, antiquis tenebris ablegatis, inueniar. Expendens D. Cyrill. illud Exodi cap. 16. *Nullus relinquat ex eo in mane, &c.* inquit: *Orto Sole, id eſt, nato Chriſto, vmbracula legis euaneſcunt, & veritatis præſentiâ figuræ omnes deſinunt. Quare Paulus vt ſapiens ait: Omnia arbitratus ſum vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam, & inueniar.* Quid enim homini erranti expetibile magis quàm à Sole Paſtore ex tanti conſcatione luminis inueniri?

*Cyril. Exod. 16.*

67. *Chriſtus cādelabrum in tenebrarum ablegationē.* Exod. 25. Gregor.

In tenebris ambulas, ſiue potius in vmbra mortis es prouolutus? Lux effulget in tenebris. Erat enim Chriſtus lux vera tenebras ablegans. *Facies*, inquit Deus, *& candelabrum ductile de auro mundiſſimo.* Exod. 25. Vbi D. Gregorius homil. 6. in Ezech. *Quis in candelabro niſi Redemptor noſter deſignatur? Qui in natura humanitatis infulſit lumen Diuinitatis, vt lumen candelabrum fieret, quatenus in eius lumine omnis peccator, in quibus iaceret tenebris videret.*

68. *Lucent ſeptē Ieſu lucernæ in Aquilonis loco caliginoſo.* Exod. 25. Rupert.

Septem equidem huiuſce candelabri lumina adnumerantur, *vt luceant ex aduerſo.* Exod. 25. quibus peccatores apud Aquilonem commorantes illuminati procedant ad dexteram, Teſtamenti montem ſcandant. Audite Rupertum: *Rectè ſuper candelabrum ſeptem lucernæ dinumerantur, quia ſupra Chriſtum requieuit ſeptiformis ſpiritus Domini. Chriſtus ergo eſt candelabrum, & lux mundi ſeptem eiuſmodi ſemper lucens inextinguibilibus lucernis. Vt luceant, inquit ex aduerſo. Per hæc myſticè innuitur, quia lux candelabri noſtri, id eſt, gratia Euangelica Domini noſtri Ieſu Chriſti nobis effulſit, qui eramus in parte Aquilonis, illius videlicet, de quo Diabolus dixit: Sedebo in monte Teſtamenti in lateribus Aquilonis. Nobis, inquam, qui eramus Aquilonarij à meridiana charitate Dei cœleſtis ſanctuarij candelabrum Chriſtus illuxit.* Ita Pater. *Illuxit*, inquam, vt ab Aquilone in Teſtamenti verticem abriperet. Pennata enim lux homines facit ad cœlos auolare.

69. *Chriſti lumē non obcæcat, ſicut olim Moyſis facies, ſed illuminat oculos.* Exod 34. Ambroſ.

Erat quando cœleſtis lux hominum oculos perſtringebat. Moyſes cœleſtis claritatis olim baiulus, *poſuit velamen ſuper faciem ſuam.* Exodi cap. 34. ne aſpicientes Iudæi excæcarentur. Poſtmodum autem Ieſus Naue ab hominibus ſine cæcitatis periculo aſpiciebatur. Annon Ieſus hominum luminare tunc rutilabat in typo, qui cæcorum oculos illuminaturus erat? D. Ambroſius: *Quamdiù vixit Moyſes, & alloquebatur Iudæos, velamen habebat in facie ſua. Mortuo autem Moyſe, Ieſus Naue iam non per velamen, ſed facie reuelatâ, & Presbyteros alloquebatur, & populum, & nemo trepidabat. Hoc ſignificante Spiritu ſancto, quod venturus eſſet Ieſus verus, ad quem ſi quis conuerteretur, & eum vellet audire, de corde ſuo velamen auferret, &, reuelatâ facie, verum Saluatorem videret.*

70. *Ieſu facies illuminans cæcos, non perſtringens.* 2. Cor. 4. Ambroſ.

Prædicat id Apoſtolus fatus, *Quoniam Deus, qui dixit, de tenebris lucem ſplendeſcere, illuxit in cordibus noſtris, ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei in facie Ieſu Chriſti.* 2. Corinth. 4. Facies enim Ieſu Dei emicat claritate, nec tamen obcæcat, ſed illuminat aſpicientes. *Hoc*, inquit Ambroſius, *euidenter Apoſtolico declaratur exemplo, vbi ſcriptum habemus. Quoniam Deus, &c. Ideo dicit Dauid ad Dominum, Vultum tuum illumina ſuper ſeruum tuum. Faciem Chriſti videre cupiebat, vt mens eius illuminari poſſet. Vnde Dominum multi Prophetæ, & iuſti videre voluerunt. Neque immeritò faciem eius aduenientis ex Virgine quærebant videre, vt illuminarentur. Erat* namque *lux vera, quæ illuminat omnem hominem.*

71. *Chriſti lux illuminat, & accendit.* Exod. 35. Origen.

Nec ſolùm hæc lux hominum illuminatrix; accendit enim & illuminatorum præcordia. Parum quidem eſſet illuſtrari intellectum, ſi voluntas, vt in cœlum conuertamur, non exardeſceret. *Si quis habebat aurum, hyacinthum, coccúmque bis tinctum, &c.* Exod. 35. Ad quem locum quærit Origen. *Cur alias materias ſimplices nominauit, & coccum ſolum poſuit duplicatum?* Reſpondet appoſitè: *Coccus colorem ignis præ ſe fert; ignis autem duplicem habet virtutem; vnam, quâ illuminat; aliam, quâ incendit. Et Chriſtus*, adiicit, *ignis eſt illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, & incendens, iuxta illud: Nonne cor noſtrum ardens erat? Simul ergo & incendebat, & illuminabat adaperiens ſcripturas.* Vnde adiicit, *Dum aperiret ſcripturas.* Luc. 24. Fallax ſcientiæ lux, quæ ad cordis conflagrationem non proſiliat.

72. *Chriſtus dies lucidiſſima, cuius horæ duodecim Apoſtoli.* Marc. 6. Chryſ.

O nos feliciſſimos lucis filios clariſſimi diei fungentes inſtantiâ. Vis diei huiuſce magni horas oſtendam? D. Petrus Chryſolog. expendens illud Marci cap. 6. *Et vocauit Ieſus duodecim Diſcipulos ſuos*, profatur: *Poſt diuturna tempora tetræ noctis, aurora ſua deſiderato ſplendore æternus Deus Chriſtus noſter eluxit in lucem, qui duodecim horas ſuas in Apoſtolis ſuis duodecim ſignanter aptaret. Hunc beatus Pſalmiſta prophetali vidit ſpiritu, cùm canebat: Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea.* Adiicit lætitiæ, ac exultationis cauſam: *Vnde & Apoſtolus, lucis, ac diei filios appellat credentes. Vos, inquit, lucis filij eſtis, & diei.*

73. *Dies ac Sol Chriſtus omnes exoritur illuminaturus.* Exod. 16. Cyprian.

Et quonam modo Chriſtianus populus non diffluat gaudio, ſi Sol iuſtitiæ ſuper omnes exoritur? Natus enim nobis Paruulus, nobis omnibus datus Filius Dei, lux cunctis apparet, *illuminat enim omnem hominem.* Annon Manna omni Hebræorum ſexui profluebat? Ita planè. Exod. 16. Id quod noſtro argumento appoſitè accommodans D. Cyprian. lib. 4. Epiſt. 4. ait: *Si dies omnibus æqualiter naſcitur, ſi Sol ſuper omnes æquali, & pari luce diffunditur: quanto magis Chriſtus Sol, & dies verus in Eccleſia ſua lumen vitæ æternæ æqualiter largitur? Cuius æqualitatis Sacramentum videmus in Exodo eſſe celebratum, cùm de cœlo Manna difflueret, &*

*Euchariſtia omnibus appoſita.*

futis

Digitized by Google

*futurorum præfiguratione alimentum panis cœleſtis cibum Chriſti venientis oſtenderet. Illic enim ſine diſcrimine ſexus,& ætatis,gomor à ſingulis æqualiter colligebatur:unde apparebat, Chriſti indulgentiam,& cœleſtem gratiam poſtmodum ſecuturam æqualiter omnib. diuidi, ſine ſexus varietate,ſine annorum diſcrimine,ſine acceptione perſonæ ſuper omnem Dei populum ſpiritualis gratiam muneris infundi.*

74. *Quàm ſolênis huiuſce Solis natalitium.* Exod. 12. Rupert.

Hæc igitur *dies ſancta* nobis *atque ſolemnis erit.* Exod. 12: cauſam tantæ celebritatis ſic adnotat Rupert. apud Lipoman. *Hæc dies prima Chriſtus Dominus eſt, de quo Pſalmiſta, Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea. Certè dies magnus, & præclarus Chriſtus, in quo de Ægypto eximimus, in quo de tenebris vocati,in admirabile lumen educti ſumus. De quo dicitur, Dies prima erit ſancta, atque ſolemnis.* Ita Doctor.

## OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

*Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

### Homo ex terra in mundum, ſiue ex nihilo in nihilum adueniens.

*Quia cuncta nihil mundialia.*

75. RVRSVM D. Cyrilli ſententiam in medium profero: *Homo è nihilo ad eſſe producitur. Locus enim quaſi quidam creaturarum confingitur ipſum nihil, à quo modo quodam profectæ creaturæ locum, ( vt ita dicam ) eſſendi acquirunt.* Annon homo ex ſubiecto puluere excitatur? Quomodo ergo proſilit ex nihilo? Quia terra nihil. Creſcit difficultas. Mundus hic terra eſt; ſi homo è terra, id eſt, è nihilo hunc pergit in mundum, ex nihilo in nihilum proficiſcitur. Quis abneget? Ideo etenim Euangeliſta venientem quidem deſcribit hominem, minimè autem commorantem. Quia veniens è terra in terram, è nihilo in nihilum, quodammodo non ſubſiſtit, donec in futuro mundo conquieſcat. Vnde in hoc mundo veniens obiicitur. *Omnem hominem venientem.* Nec enim apud nihilum locus eſt hominibus manſionis. A nihilo namque in mundum venit, cùm autem mundus nihilum ſit, adhuc homo in termino *à quo* commoratur, adhueque veniens oſtenditur; nec terminum aliquem *ad quem* tenebit, donec in mundo altero conquieſcat. Id quod triplici Capite expendam.

* * *

## CAPVT I.

*Terra à qua veniunt homines nihilum.*

MOyſes ad hæc: *In principio creauit Deus cœlum,& terram.* Geneſ. 1. Ergo terra aliquid eſt quia creatura eſt. Subiungit. *Terra autem erat inanis, & vacua.* Erat quidem; quia creata; ſed quodammodo abſolutè non erat,quia inanitate, ac vacuitate laborabat. Aliter, *Inuiſibilis, incompoſita.* Inuiſibilis ſanè, quia quod non eſt, non videtur; incompoſita, quia vix creatum quoddam compoſitum exiſtebat. At materia ſine forma aliqua non ſubſiſtit.Egregiè Theodoret. *Non abſolutè dixit Scriptor; Terra autem erat; ſed quod ſequitur, ſubiunxit, Terra autem erat inuiſibilis, & incompoſita. Creata quidem eſt à Deo omnium conditore; ſed adhuc inuiſibilis, & incompoſita.* Ac ſi diceret, Erat terra, & quaſi non erat, quia non ſubſiſtit incompoſitum, ſiue quaſi ſine forma materia. 76.

*Terra eſt, & quaſi non eſt.* Geneſ. 1. Theod.

Obiicies. Erat quidem vacua exteriùs, quia nec graminibus induebatur, nec arboribus ornata erat, nec ab animantibus habitata. Profectò & exteriùs, & interiùs inanis, & vacua, inuiſibilis, & incompoſita obiicitur terra. Ideo, me auctore, non dixit: *Videbatur terra inanis & vacua*, ſed, *erat inanis, & vacua.* Vti ſcilicet terræ ſtatui vacuitatem eſſentialem, nihilque quodammodo eſſe oſtenderetur. Caietan. *Terra fuit credita vacua intùs, & vacua extrà. Veriſſimè deſcribitur diſpoſitio terræ.* Ac ſi dixiſſet: Vacuitas ſeu nihil terræ eſſentia totalis. 77.

*Terra & exterius & interius vacua.* Gen. 1. Caietan.

Homo itaque ex terræ vacuitate, imò ex huiuſce vacuitatis, & nihili parte inutiliori habuit exortum: *Formauit Deus hominem ex limo terræ.* Geneſ. 2. Vbi Procopius: *De parte inutili.* Si terra nihil, quidnam, obſecro, huius nihili pars inutilior? Hinc ad propriæ cognitionis barathrum è vanitatis ſupercilio deturbamur. Requirit Diuus Chryſoſtomus: Cur homo ex limo inutili, ſeu nihilo exortus obiicitur? Et reſpondet, *Ne ignorando homo, quomodo conſtitutus ſit, præſcriptos ſibi limites tranſeat. Si ſexcenties ſupercilia ſurrigimus, ea reprimemus, & ſubſtantiæ noſtræ qualitatem perpendentes, modeſtiam diſcemus.* Diſcemus ſanè modeſtiam; quia ſi ad ſubſtantiæ noſtræ ex terra qualitatem oculos conemur eleuare, non erit quodammodo, quid reſpicere poſſimus; quod etenim non eſt, quonam modo valet oculis luſtrari? En hominis corporea ſubſtantia penè nihil, quia ex terræ exorta eſt vacuitate. 78.

*Ex vacuitatis terræ parte inutiliori homo habuit exortum.* Gen 1. Procop. Chryſoſt.

Hinc Adamus cunctis creaturis nomina indens, ſe reliquit innominatum. Quare? Reſpondet Philo lib. 1. Allegor. *Nam mens, quæ ineſt noſtrûm vnicuique, cætera poteſt comprehendere, ſe ipſam noſſe non poteſt.* Num quia quod non eſt, dignoſci non valet? Profectò argumento adhuc congruentius: homo è terra efformatus nihil è matre terra inuenit, ex quo nomen poſſit ſubſiſtere, quod non ſit titulus ſine re, quippe cùm ex terræ aſſumendum eſſet vacuitate. *Quæcumque vocauit Adam, ipſum eſt nomen eius. Eſt*, inquam; quia aliquâ eſſentiâ nititur appellatio. Annon nomine *Leonis*, quod ſignificat fortitudinem, huiuſce animantis adnata innititur potentia? 79.

*Homo terrenus quaſi nō eſt.* Gen 2. Philo.

Ita planè. *Eſt* equidem hoc nomen Leonis. Homini autem ex limo terræ, ſeu nihili parte inutiliori exorto, nudo, infirmo, imbecilli, quodnam nomen valet imponi, quod ſit, ſi nihilo quodammodo terrenæ eſſentiæ debeat conmenſurati? *Adam* terram ſignificat, quod ſi nomen homini terreno imponendum prius eſſe debeat, vt eſſentiâ nitatur appellatio; terra non eſt, quia nihil quodammodo eſt. Vnde innominatus Adam relinquitur, quia ſi nominandus *Nihil* eſt à matre Nihil, haud poſſumus de nomine *Nihil* affirmare, *Ipſum eſt nomen eius*; nihil enim non eſt. Omnia quidem ex nihilo, ſed efficaciùs parentis vacuitatem in homine Moyſes expreſſit, vt noſtra reprimat ſupercilia.

## CAPVT II.

### *Mundus, ad quem homines veniunt, nihil etiam eſt.*

80.
*Sapientis oculis mũdus nihil eſt.*

HOmo ex terra, ſiue nihilo exortus ad mundum properans, recidit in terminum, à quo recedere nititur, & quaſi iteratò in matris terræ ventrem recurrit; quia mundus hic cùm terrenus ſit, terræ ſequitur vacuitatem. Mundus enim perſpicacibus ſapientis, ſiue iuſti oculis quid niſi nihil reperitur? D. Chryſoſt. homil. de Perf. Euang. *Anima quando diuino amore verè corripitur, ad nihilum huius vitæ ſe conuertet. Sed ſicut mente moti contemnunt ignem, & ferrum, & feras, & pelagus, & omnia, ita pij furore quodam maximè ſpirituali, ac honeſtiſſimo inſaniunt, deridentes omnia, quæ vident.* Quare inſaniunt, omnia, quæ vident, deridentes? Quia oculos ad mundi nihilum conuertunt, agnoſcúntque mundi quidem alicuius ſpeciem, veram attamen vacuitatem.

Chryſoſt.

81.
*Apud mundum non eſt locus, vbi homo poſſit commorari.*
Eccl.
Chryſoſt.

Hinc ſapiens: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Eccleſ. 1. Ponderat hæc verba D. Chryſoſt. profatus: *Cur perforato aquam dolio ingeris? Nihil enim aliud eſt, pro præſentibus iſtis laborare, quàm flammam decerpere, quàm pugnis aëra cædere.* Fruſtrà igitur homo è nihilo profectus currere in mundum tanquam in terminum, vbi poſſit commorari, nititur. Non enim poterit locum, vbi commorari valeat, inuenire; vnde ſemper veniens, & numquam ſiſtens obiicietur. Præclarè Doctor adiicit, *Certè fruſtrà curris. Nonne vniuſcuiuſque artis finis quidam eſt? Ita profectò. Oſtende igitur mihi finem huius ſecularis ſtudij,* nempe currendi ad ſeculum. *Sed non potes; vanitas enim omnia.* Et quonam modo vanitas properanti è nihilo tibi offeret domicilium? Proculdubiò non ſiſtes, ſed adhuc veniens ſine fine, ſine termino volitabis.

82.
*Mundus fallax inhabitabilis, quia nihil eſt.*

Quidnam vmbra à Iona inuenta niſi mundialis termini mendacium? Exoritur Propheta quaſi è ventre terræ, (ſic Dominus vterum piſcis vocitauit) venit in mundum, requirit commorationis locum, vmbram captat fugitantem. Proh hoſpitij fallacia! *Fugite,* ait Eſdras, *vmbram ſeculi huius.* 4. Eſdr. 2. D. Cyprian. Epiſt. 2. mundum contemplatus, non inuenit, vbinam à pelago propriæ inanitatis exorienti poſſit commorationis locus præparari. *Paulisper, ait, te crede ſubduci in montis ardui verticem celſiorem, ſpeculare inde rerum infra te iacentium facies, & plus in Deum gratus, maiori lætitiâ, quod euaſeris, gratuleberis.* Sed quonam tibi è terræ pelago, è nihilo procedenti percurrendum eſt? *Cerne tu itinera. Iam ſi ad vrbes ipſas oculos tuos, atque ora conuertis, celebritatem offendes omni ſolitudine triſtiorem.* Locúſne remanendi ſolitudo? Minimè planè. Vrbes igitur inhabitabiles, quia ſub ſpecie vrbium, vacua omnibus ſolitudo.

4. Eſd. 2.
Cyprian.

Profectò vt vacuitatem mundi oſtentare valeam, ad veſtram mentem adfero Vrbem Ierico, de qua Textus, *Ierico autem clauſa fuit, atque munita.* Ioſ. 6. Vbi Interl. *Ierico mundana aſtutia.* Audite Hebræorum tubas inclamitantes, quorum ſtrepitu muri fortiſſimi corruêre. Orig. *Gladius non educitur aduerſus eam, aries non dirigitur, nec tela vibrantur. Tubæ tantùm adhibentur, & in his muri Ierico ſubruuntur.* Et quonam modo valuit auræ tenuis impugnatio aduerſum vrbem potentiſſimam? Reſpondet: *Ierico hunc mundum ſignificat.* Quo equidem nihil inanius, imò ipſum nihil. 83.

*Tam inanis mundus vt ventis ſibilo procumbat.*
Ioſ. 6.
Interlin.
Origen.

Preme illud: *Hominem venientem in hunc mundum.* Ergo omnis homo in hunc mundum veniens, ſemper veniens obiicitur; apud nihilum enim locus manſionis non poteſt reperiri. Sit tibi in documentum homo ille veniens in Ierico, ſiue homo à terræ nihilo in mundum percurrens. Num in hoc mundo commoratur? Audi Origenem, *Homo quidam deſcendebat in Ierico, & incidit in latrones. Forma erat Adæ, qui in huius mundi exilium truſus eſt.* Truſus equidem in exilium, non in patriam, non in terminum. Homo enim veniens *in hunc mundum*, ac ſi in latrones incidere vereretur, numquam ſiſtit, ſemper curſui operam nauat. 84.

*Homo ſemper apud hũc mundũ neceſſariò veniens obiicitur.*
Luc. 10.
Origen.

Obiicis mundum prædiuitem auro, argento, gemmis, fructibus redundantem. *Magna arbor & fortis, folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius.* Daniel 4. Vbi non ſolùm folia mendacia, ſed fructus vberes oſtentantur. Proh mundi paupertas! Fructus nimij nimia fallacia, tam enim ſunt mendaces fructus, quàm vberes obiiciuntur. Vis vnico verbo mundi nihilum pandam? Propheta apud Dauidem, *Pauper nihil habebat omnino præter vnam ouem paruulam, quam emerat, & nutrierat, & quæ creuerat apud eum de pane illius comedens.* 2. Reg. 12. Ad quem locum D. Ambroſ. 1. Apol. c. 5. ſub huiuſce pauperis typo mundum contemplatur, & ait, *Vnam ouem requiſiuit bonus paſtor.* Hæc ouis à nonaginta nouem recedens? Ergo tantâ laborans fragilitate reperitur, vt neceſſum fuerit paſtoris humeris reportari. Annon apud prædiuitem mundum educata eſt? Imò quia ſub mundi dominio victitauit, tam marcida pertrahitur ad ouile; quia cuncta mundialia nihil ſunt. Adiicit pulchrè Pater: *Hanc ouem Princeps huius mundi* ſeu mundus ipſe *pauper, & egenus quaſi filiam alimentis proprijs nutriebat. Meritò itaque defecerat, cui ſubſtantia erat cibus ſeculi.* Depicta enim menſa haud poteſt conuiuas exſatiare. 85.

*Omnia mũdialia vanitas, nihil, incredibile mundo inopiâ laborante.*
Dan. 4.
2. Reg. 12.
Ambroſ.

## CAPVT III.

### *Veniens homo in hunc mundum, non in hoc mundo ſiſtens debet oſtentari: ſolummodo mundo moraturus in altero.*

NOn eſt profectò mundus hic terminus, *ad quem* hominis exorientis è nihilo curſus dirigitur. Procedere namque à nihilo poteſt, attamen 86.

non

Google

*Mundus terminus ad quem non poteſt eſſe.* non poteſt in nihilo commorari. Iſraelitæ apud nihilum Ægypti, ſiue terræ exorti veniunt in deſertum, ſeu in hunc mundum properant. Num mundi deſertus terminus, *ad quem* hominum curſus dirigitur? Profectò deſertum terminus, *in quem* minimè apparet, vbi adhue homo veniens obiieitur. Pulchrè D. Ambroſ. 5. in Luc. *Deſerto mundus comparatur, adhuc incultus, ſterilis, infœcundus;* Ambroſ. l. 5. in Luc. *in quem negat nobis Dominus ita procedendum.* Id eſt, nobis non eſt procedendum in mundum *ita*, vt inibi commoremur, quia mundus non eſt termious in quem curſum dirigimus. Vnde appoſitè Pater dixit: *In quem negat nobis Dominus ita procedendum.* Quonam modo igitur nobis procedendum eſt? *Ita* vt apud mundum ſemper venientes ſimus, donec ad Patriam æternam veniamus.

87. *Mundus trãſitus non patria.* 1. Pet. 2. Chryſ. Tranſitus quidem mundus, non Patria. *Obſecro vos, tanquam aduenas, & peregrinos, abſtinere vos à carnalibus deſideriis.* 1. Pet. 2. Apoſtolum exponit D. Chryſ. fatus. *Qui credit in Chriſtum, ſic debet in hoc ſeculo viuere, quaſi peregrinus, & non in ſuis, ſed in tranſitu poſitus.* Semper vtique veniens oſtendatur, vſque ad cœleſtis Patriæ allecutionem.

88. *Super mare mundi huius inſtar nauis tranſeamus ſemper.* Annon mundus eſt *mare magnum, & ſpatioſum?* Nauiſne commoratur in alto, an, ſubiectis fluctibus, properat ad portum? Non equidem nauis euntis felicitate curſus retardatur. Spiritus Domini edocturus homines, quonam modo deberent mundi pelagus tranſmeare, percurrens vndas oſtentat. *Spiritus autem Domini ferebatur ſuper aquas.* Gen. 1. Quare? Quia *Terra erat inanis, & vacua,* ſeu penè nihil. A terra itaque tranſitum faciẽs Spiritus ſanctus, non ſiſtit in aquis mundialibus, ſeu, in morem nauis, fertur in portum. Annon columba Spiritus ſancti typus non inueniens vbi apud terram pes eius requieſceret, recurrebat ad Arcam prædeſtinatorum myſticum portum? *Quis* itaque *dabit mihi pennas ſicut columbæ* ſeu Spiritus Domini? *Et volabo,* & in Patria tandem *requieſcã.* Mare mundiale locus volatus, locus nauigationis, non patria, non portus. Quid igitur? Aut columbæ aut nauis huiuſce alis hære, vt hîc feraris, non ſiſtas, ibi æternum conquieſcas. Nauis tibi Spiritus: D. Machar. hom. 44. *Chriſtianorum anima non è ſeculo iſto, ſed deſuper è cælo cibum cæleſtem & indumenta capiunt ſpiritalia, & inde viuentes in naui boni, viuificique Spiritus incedunt, & tranſgrediuntur aduerſarias Principatuum, & Poteſtatum diras facultates.*

Gen. 1. — Mach.

89. *Mundi inanitas cogit nos ſemper volitare.* Exod. 12. Profectò illa ipſa mundi vanitas & inopia cogit homioes ad ſemper veniendum, & progrediendum, ne ſiſtant, donec Patriam teneant. Hebræi olim non *poterant fermentari, cogentibus Ægyptiis exire.* Exod. 12. Nec enim quis poteſt verè apud mundum commorari. Ipſa enim mundialia cogunt homines perpetuò exagitari curſu, donec ad promiſſionis Patriam adducantur. Interl. *Sicut cogunt Ægyptij filios Iſrael exire: ſic & mundus impellit fideles ad Deum.* Ac ſi diceret.

Interl.

Haud apud me vacuum, inopem, locus
commorationis, ad prædiuitem
pergite Patriam.

* * *

# OBSERVATIO III.

## Ad illa verba,

*Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.*

## Data hominibus poteſtas circa adoptionem in ſtatu gratiæ.

*Vbi de Baptiſmi, ac pœnitentiæ lauacro.*

DEDIT *eis,* Carthuſ. ait, *qui receperunt eum, poteſtatem filios Dei fieri per Baptiſmum.* Per Baptiſmũ etenim filij Dei renaſcimur. Quam à nobis expoſitionem in commentario exhibitam confirmabimus, tu pœnitentiæ lauacro accommoda. Proh Baptiſmatis vtriuſque gratiæ profluentia! *Non dignatur Rex,* ait D. Chryſoſt. *in exercitum ſuum adſcribere eos, qui ſeruili ſunt conditione: Dei autem filius publicanos, ſeruos, & his etiam deſpicatiores in filios accipere non dedignatur. Tanta gratiæ eſt exuberantia.* 90. *Per Baptiſmum filij Dei renaſcimur.* Carth. Chryſ.

A rerum exordio, *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Geneſ. 1. Vbi Theodor. *Aquarum naturam viuificabat Spiritus ſanctus, vt Baptiſmi gratiam iam deſcriberet.* Etenim incubans Spiritus fouebat, iam inde nouæ Eccleſiæ fœtus. Nam homines ex Baptiſmo filij Dei exoriuntur. Annon Spiritus ſanctus columba? Producuntur igitur homines columbæ pullorum in morem filij Spiritus ſancti in vitam æternam. Eucher. *Quinta die facta ſunt in aquis volatilia, id eſt, ſanctæ animæ renatæ in vitam per Baptiſmi Sacramentum, ad ſuperna volantes.* Spiritus enim pullos ſuos prouocat ad volatum. 91. *Spiritus fœcũdabat Baptiſmatis aquas ad filios Dei procreãdos.* Gen. 1. Theod. Eucher.

*Quotquot autem receperunt.* Vim maximam Baptiſmi ad progignendum Dei filios quoſcumque homines, (ſiue verius dixeris bruta animantia) declarat. Nam *ſiue ſerui, ſiue barbari, omnes eodem dignati ſunt honore.* vti Chryſ. ait. Homines etenim quæcumque horribilia animantia vincentes feritate, apud aquas Baptiſmatis in Dei filios commutantur. Dixit olim Deus; *Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram.* Geneſ. 1. Ad quem locum D. Ambroſ. *Ea, quæ timemus in terris, amamus in aquis. Etenim noxia in terris in aquis innoxia ſunt. Anguis in terra venenoſa, in aquis ſine veneno. Leo terribilis in terris, dulcis in fluctibus. Nec mirum, quandoquidem etiam in Eccleſia aqua hoc ipſum operantur; nempe vt prædonum ablutâ nequitiâ, cum innocentibus comparentur.* Ex ſacro namque Baptiſmate filij diaboli feritate horribiles, filij Dei innocentiâ infantes exſurgunt. Quid dico infaotes? Profectò columbæ Spiritus ſancti filij emittuntur ad terras. *Producant aquæ volatile ſuper terram.* Qui cum leonibus rapacibus olim commiſcebantur, iam volatilium (queis nil cum terra commune) recipiuntur in cœtum. 92. *Animantia in volucres Spiritus ſancti filios conuertuntur Baptiſmatis aquis.* Chryſ. Geneſ. 1. Ambr.

Matrimonia olim à Patriarchis apud puteos aquarum inueniuntur. *Rebecca,* cum Origene loquor, *inuenitur ad puteum à ſeruo Abrahæ, Iacob ad puteum venit, & inuenit Rachel, Moyſes ad puteum inuenit Sephoram.* Quærit, *Quid ſibi vult, quod Patriarchæ ad puteos veniant, & ad aquas cõiugia ſortiantur?* Reſpondet, *Ad aquas venitur, & inuenitur ſponſa, & Eccleſia in lauacro aquæ Chri-* 93. *Ex aquis Baptiſmo Chriſto Eccleſia ſponſa aſſumitur, vt filios Dei enutriat.*

 *ſto*

Orig. *ſto coniungitur.* Vti ſcilicet ex huiuſmodi ſpirituali conſortio, Filij Dei exſurgant.

94. *Iesus autem*, inquit Ioannes, *fatigatus ex itinere ſedebat ſic ſupra fontem.* cap. 4. Accedit Samaritana myſtica, abluitur, mutatur in Eccleſiam, Origene auctore. *Ipſe*, inquit, *Dominus fatigatus ex itinere ſedebat ſupra fontem. Vide vbi requiem quærit? ad puteum. Ad puteum venitur, & Eccleſia in lauacro aqua Christo cõiungitur.* Mox equidẽ innumeros ex Samaritanis filios ſpiritualiter paritura. Vt Eccleſia, & ſpõſę & filiæ ſimul gerat perſonam.

*Iuxta Baptiſmatis puteũ Eccleſia Christo illigatur, filios Dei paritura.*
Ioann. 4.
Orig.

95. Annon Pharaonis filia ad Baptiſmi aquas properans Dei filia efficitur? *Ecce deſcendebat*, Textus ait, *filia Pharaonis, vt lauaretur in flumine.* Exod. 2. Præclarè Origen. *Quæ Pharaonis filia, quamuis impium, & iniquum habeat patrem; tamen dicitur ad eam: Audi filia. Hæc igitur filia eſt, quæ exiit de domo patris, & venit ad aquas, vt lauaretur à peccatis, quæ contraxerat in domo patris ſui.*

*Diaboli filij ad Baptiſmi aquas pergunt, vt efficiantur filij Dei.*
Exod. 2.
Orig.

96. Admonuerim tamen, patrem diabolum obliuioni tradendum ab eo, qui cupit inter Dei filios annumerari. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere*, &c. Pſalm 44. Non ſufficit ad ſalutem fides ſine operibus. Vnde Dominus *iis, qui credunt in nomine eius, dedit poteſtatem filios Dei fieri.* Poſt fidem opera requiruntur. Quod ſi de Catechumenis non ſit ſolummodò locus intelligendus (vti Theophyl.) ſed ad cunctos fideles mox à nataliaquâ ſacrâ dilutos extendatur, non ſufficit Baptiſmate immergi Chriſticolam, ſi poſt Baptiſmum ad patrem diabolum recurrit. *Quod autem diabolus*, inquit D. Auguſt. Exod. 2. *pater eius antea fuerit, Dominus oſtendit dicens: Vos ex patre diabolo eſtis. Qui ergo dicit: Audi filia, pater eſt*, hic adiicit, *obliuiſcere domum patris tui.*

*Tradendus obliuioni diabolus ſi inter Dei filios dilutus vis adnumerari.*
Pſalm. 44.
Theoph.
Auguſt.

97. Poſt Baptiſmum etenim non omnes Dei filij homines perſeuerant, ſed patri diabolo priſtino hærentes, mundialibus ſordibus inquinantur. Id quod adnotat appoſitè Raban. illud expendens: *Laban verò de nocte conſurgens, reuerſus eſt in locum ſuum.* Geneſ. 33. *Quod Laban & Iacob*, ait ille, *ambo viam, quæ ducit trans fluuium in terram repromiſſionis, ire cœperunt, ſed tamen ambo vſque ad deſtinatum locum non peruenerunt; quia Laban à cœpto itinere deſtitit; non inconuenienter ſignificare poteſt duos populos tentantes ire per Baptiſmum ad terram promiſſam gloriæ: ſed Iacob ire progrediente, Laban reuerſus eſt. Quia filiis lucis in profectu virtutum per Baptiſmum ad futuram patriam properantibus, reprobi de incepto ſtudio retrolabuntur, & ad priſtinas ſordes reuertuntur.* Illa adnota: *Filiis lucis in profectu.* Hi nãque verè lucis, ſiue Dei filij, qui numquam ad priſtinum cõuertuntur parentẽ, nec ad relictas remeant voluptates.

*Non omnes poſt Baptiſmũ filij Dei perſeuerant.*
Gen 33.
Raban.

## OBSERVATIO IV.

### Ad illa verba:

### *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.*

### Poteſtas hominibus circa adoptionẽ conſummatam in ſtatu gloriæ.

### *Vbi de virtutum pennis à Domino dirigendis.*

98. NON prætereibo Caietani interpretationem, cuius memini in Commentario. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Et eſt ſermo de filiis Dei adoptione conſummatâ, hoc eſt, in ſtatu gloriæ.* Ac ſi diceret, datur homini iam Dei filio facto per Baptiſmum adhuc poteſtas, vt fiat filius Dei adoptione conſummatâ, hoc eſt, per hæreditatis adſecutionem. Vbi adnotanda verbi illius, *Fieri* efficacia. Non enim mihi poteſtas, me Dei filium efficiendi, ſiue ad ſuperos auolandi hæreditate donatur; ſed copia mihi datur, vt per virtutum exercitamenta, me diſponam ad volatum. Adiicit ad hæc Cardinalis; *Non dixit: Dedit eis poteſtatem vt filios Dei ſe facerent; ſed vt fierent filij Dei. Sicut enim in naturalibus elementis eſt poteſtas non vt moueant ſe ſurſum aut deorſum; ſed vt moueatur terra deorſum, & ignis ſurſum: ita Chriſti fidelibus data eſt poteſtas, non efficiendi ſe ipſos filios Dei, (actio enim hæc omnem creatam facultatem excedit) ſed vt fierent filij Dei. Poteſtas autem hæc donum gratiæ gratum faciens eſt. Illâ enim poſſumus potentiâ propinquâ, potentiâ, quæ eſt velut inchoatio einſdem generis, fieri filij Dei.* Ad nos itaque attinet gratiâ ſuffultos diſpoſitio ad profectum, ad volatum: Dei eſt pennas addere, vt nos ad æternam perferat felicitatem.

Caietan.

99. Pondero illa verba: *Sicut in naturalibus elementis eſt poteſtas, non vt moueant ſe ſurſum, aut deorſum: ſed vt moueatur terra deorſum, & ignis ſurſum: ita Chriſti fidelibus data eſt poteſtas*, &c. Datur humano ſpiritui veluti igni facultas, non vt auolet; ſed vt alas indat virtutum ab ſpiritu cœleſti rapiendus obuiam Chriſto Domino. Datur homini terrenâ preſſo grauitate copia, non vt in cœlum proficiſcatur, ſed vt virtuti ſtudens ſeſe accingat itineri à Domino deducendus ad ſuperos. Verumque illuſtrat Lucæ teſtimonium. Hoc equidem verba illa: *Sint lumbi veſtri præcincti.* cap. 12. Quaſi diceret Dominus. O vos terreno pondere illigati, virtutis incorruptæ exercitamentis diſponi curate ad profectionem. Attamen haud data vobis poteſtas, iter demum ad ſuperos agendi. Nam *vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum, quando reuertatur à nuptiis.* Sponſus vos inueniens præparatos accinctos profectui in æternæ felicitatis thalamum deducet. Chryſol. ſerm 22. *Cincti*, ait, *caſtitatis baltheo quod eſt inſigne militia Chriſtianæ, fluxam carnis detruncemus ignauiam.* (vtique greſſus noſtros retardantem, ne viam Patriæ poſſimus arripere) *& Regis noſtri expectatione peruigiles, inſomnem ſomnum ſeculi neſciamus.* En præcinctus itineri homo ſiſtit, donec ab ſponſo aduentante in cœlum futurus hæres aſſumatur.

*Homo terrenus ſi virtutum exercitamẽtis exuit grauitatem, à Deo in cœlum aſſumitur.*
Luc. 12.
Chryſol.

100. Illud autem clauſula proxima: *Et lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Luc. 12. Virtutum ignis diſcipulorum manibus geſtatur, dicente Chryſologo: *Beati in quorum manibus bonorum operum lucent lucernæ.* An hoc ſufficit ad volatum, niſi Dei manibus excipiatur ignis? Minimè. Ideo enim vtrique particulæ deſeruit illud, quod adiicitur, *Et vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum.* Accedit enim Dominus ignem noſtri ſpiritus in cœlum adlaturus. *Thalamus ornatur ſponſæ auro fidei, argento ſapientiæ, virtutum gemmis, ſanctitatis velis*, ad volatum. *Et ad alta cœli pudicitiæ templum, faſtigium virginitatis attollitur.* Nec enim virginum, aut ſanctorum decus ſeſe in patriam attollit; ſed ad ſuperos à Deo eſt attollendus. Diſponimur igitur ad perfectam adoptionem, ad profectum in patriam virtutum operibus dante Domino, indit tunc & ipſe haud piger alas ad volatum.

*Spiritus hominis alas virtutũ requirit, à Deo tamen excitandas.*
Luc. 1.
Chryſol.

SECTIO

# SECTIO QVARTA.

# INCARNATIONIS CAVSÆ.

## TEXTVS.

*Verſ.* 14. Et Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis; & vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis.

## COMMENTARIVS LITERALIS.

### §. I.

### *Modum aduentus Verbi Ioannes expendit.*

1. *Particula Et hic cauſalis.*

ET *Verbum caro factum eſt.* Particula *Et* pro *Quia* ſæpe à Ioanne apponitur iuxta Hebræorum conſuetudinem. Quam ſignificationem in præſenti retinere non dubito; cauſam enim reddit Euangeliſta ſuperioris ſententiæ. Cuiuſnam? vertitur in quæſtionem.

2. *Aliquorum expoſitio reiicitur, circa cōnexionem.*

Aliquis ſic exponit: *In propria venit, & ſui eum non receperunt.* In propria, inquam, venit; *quia Verbum caro factum eſt.* Attamen neſcit cur connectenda ſit ſententia hæc illi ſuperiori, cùm proximæ huic, *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri* poſſit accommodari.

3. *Connexio ex auctore.* Chryſoſt. Theoph. Auguſt.

Exiſtimo igitur hoc modo connectendam: *Dedit poteſtatem filios Dei fieri iis, qui credunt in nomine eius;* quia Verbum factum eſt caro. Si enim Filius Dei filius hominis factus non fuiſſet; vtique homo non factus eſſet filius Dei. D. Chryſ. *Cum dixiſſet Ioannes, filios Dei factos, qui Chriſtum receperunt; tanti honoris cauſam adiecit, quod Verbum caro factum eſt. Factus eſt Filius Dei filius hominis, vt filios Dei faceret.* Theophylactus adhæret: *Euangeliſta ſubinfert cauſam tanti boni. Dicit enim: Vis diſcere quid conciliauit nobis hanc adoptionem in filios? Quia Verbum caro factum eſt.* Auguſtinus etiam conteſtatur. *Cum dixiſſet Ioannes: Ex Deo nati ſunt: quaſi ne miraremur, & exhorreremus tantam gratiam, & nobis incredibile videretur, quia homines ex Deo nati ſunt: quaſi ſecurum te faciens, ait: Et Verbum caro factum eſt. Quid ergo miraris, quia homines ex Deo naſcuntur.* Poſſet igitur aliquis obiicere: Quomodo qui ex ſanguinibus, & voluntate carnis, & voluntate viri natus eſt, fieri poteſt filius Dei? Reſpondet Ioannes, Nolite admirari; quia Verbum caro factum eſt, & verus Dei Filius factus eſt homo ex carne, & ſanguine. Vberiùs D. Auguſt. Epiſt. 120. cap. 4. clauſulam expendit ſatus: *Quaſi diceret Ioannes, O homines nolite deſperare vos fieri poſſe filios Dei; quia & ipſe Filius Dei, hoc eſt, Verbum Dei, caro factum eſt. Neque enim iam deſperandum eſt participatione Verbi fieri poſſe homines filios Dei, quando Filius Dei participatione carnis factus eſt filius hominis.*

Auguſt. (margin)

4. *Verbum caro factum eſt.* Caro totum hominem ſignificat per ſynedochen: *Videbit omnis caro ſalutare Dei.* Iſai. 40. id eſt, omnis homo. *Non timebo, quid faciat mihi caro.* Pſalm. 55. id eſt homo. *Ad te omnis caro veniet.* Pſalm. 64. id eſt, omnis homo. *Benedicat omnis caro nomini ſancto eius.* Pſalm. 144. id eſt, omnis homo. Eadem figurâ anima totum hominem ſignificat, cùm ſit pars eius. Septuaginta animæ dicuntur cum Iacob Ægyptum ingreſſæ. Gen. 46. Erant in naui, quâ Paulûs vehebatur, 276. animæ. Act. 27. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Rom. 13. Significat ergo Euangeliſta Verbum factum eſſe hominem, nec ſolam carnem, aut animam ſolam; ſed vtramque, omnibusque partibus abſolutam humanitatem aſſumpſiſſe. *Caro totum hominem ſignificat, ſimul & anima.*

Sed cur potiùs *carnem* dixit, quàm *hominem*? 5.
Num vt illam, quam Paulus vocat Verbi exinanitionem, & humilitatem, à parte hominis ignobiliore, & à Diuinitate remotiore ſignificaret? Ita D. Auguſt. *More ſuo ſcriptura, vt Chriſti humilitatem magis oſtenderet; ne carnis nomen quaſi indignum aliquid refugiſſe videretur, carnem pro homine poſuit.* Num vt carnis infirmitatem per carnem Verbi ſignificaret eſſe reparatam? Sic D. Thom. *Carnis facit mentionem Ioannes, vt oſtenderet, quod caro hominis infirma per carnem Verbi reparata eſt.* Nam hominis caro per peccatum maximè corrupta, concupiſcentiæ morbo periculoſiſſimo infecta, mortique obnoxia erat. Aſſumpſit ergo Verbum abſque vlla concupiſcentiæ labe carnem, vt hominis carnem concupiſcentiâ, peccatôque deprauatam repararet. Num vt hominis partem memoraret, quæ ſub ſenſu cadens, notior eſt hominibus? Paulus, *Quod manifeſtatum eſt in carne.* 1. Tim. 3. *Cur potius carnem dixit quàm hominem.* Auguſt. D. Thom. 1. Tim. 3.

Ego autem memor illius ſententiæ: *Omnis quippe caro corruperat viam ſuam.* Et, *Non permanebit ſpiritus meus in homine, quia caro eſt.* Gen. 6. exiſtimo ideo Euangeliſtam carnis vſum vocabulo, vt oſtenderet Verbum carnem illam, quæ de peccatoribus erat, aſſumpſiſſe, quam quidem venerat reparare. Ac ſi diceret, Verbum naturam humanam aſſumpſit ex illa eadem maſſa, in qua erat peccatum; venit in ſimilitudinem peccati, paſſioni, ac dolori obnoxius, nobis ſimilis, expers tamen peccati. 6. *Auctoris ſententia.* Geneſ. 6.

*Factum eſt.* Si Verbum factum caro, à quonam? Aliquem enim eum feciſſe hominem neceſſum eſt. 7. *A quonam Verbum factum caro?*

eſt. Reſpondeo, Solus Dei Filius factus eſt homo; quia in ſola perſona Filij Dei natura humana cum Diuina aſſociata eſt. Attamen actionem ipſam vniendi naturam humanam in perſona Filij tres Trinitatis perſonæ perfecerunt. Auguſt. de fid. ad

Auguſt. Pet. cap. 2. *Solum Verbum carnem ipſa Trinitas fecit.* Et Innocent. III. Conc. Lateran. *Filius à tota Trinitate communiter eſt incarnatus.* Dixerim, communiter eſt Filios à tota Trinitate carne indutus. Obiicias menti tres homines vnum ex ſe ipſis veſtimentis ornantes. Annon ille ipſe induendus ſe induit, & ab aliis ſimul duobus amicitur? Tres adſunt dantes operam vnico induendo Verbo perſonæ Trinitatis.

8. *Expenditur clauſula.* Equidem quonam modo Verbum caro factum ſit, pluribus Diſputationibus Theologi proſequuntur. Mei inſtituti ſolummodò aduertere Ioannem hiſce verbis: *Verbum caro factum eſt*, non ſignificare Verbi naturam in carnem eſſe conuerſam (quod eſt impoſſibile) ſed Verbum naturâ diuinâ immutatâ, carnem ſibi ſubſtantialiter coniunxiſſe. Legendus D. Ambroſius de Incarnationis myſterio.

## §. II.

### *De Verbi hominis facti apud nos commoratione.*

9. *Diuerſimodè Patres exponunt. Expoſitio prima nō probatur.* ET *habitauit in nobis.*] Diuerſimodè hæc ſententia à Doctoribus explanatur. Aliqui, Habitauit in nobis ſpiritualiter, nempe per fidem, & gratiam. *Habitare Chriſtum per fidem in cordibus veſtris.* Epheſ. 3. At proxima verba difficilem hanc reddunt expoſitionem. Additur enim: *Et vidimus gloriam eius.* Vnde de viſibili habitatione ſermonem eſſe oſtenditur.

10. *Secunda Patrum expoſitio, non admittitur.* Porrò D. Cyril. Chryſoſt. Hilar. Ambroſ. ad ipſam carnem Chriſti referunt, in qua Verbum velut in quodam tabernaculo habitat. Et quia naturæ eiuſdem eſt cum noſtra, dicitur in nobis habitare. Ac ſi Ioannes diceret, Habitauit in carne. Annon humana natura tabernaculū reſpectu inhabitantis Verbi à Dauide vocitatur? *Sanctificauit tabernaculum ſuum Altiſſimus.* Pſalm. 45. Ita D. Baſil. interpretatur. Venerabilis mihi tantorum Patrum ſententia, non tamen admittenda; quia tabernaculum eſt breuiſſimi temporis habitatio. At Verbum non ſic humanæ copulatum naturæ quaſi eam aliquando eſſet dimiſſurum; ſed velut perpetuò habitaturum in ea. Corpus appoſitè in hoc ſeculo animæ tabernaculum Petrus vocitauit. 2. Petr. 1. quia ab anima dimittitur; Verbum autem quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit. Quod ſi tabernaculum aliquando pro perpetua adſumatur habitatione, adhuc expoſitionem ex eo minus approbo, quod cum Euangeliſta expreſſiſſet Incarnationis myſterium illis verbis: *Et Verbum caro factum eſt*, non erat cur huiuſcemodi repeteret coniunctionem. Carmen autem Dauidicum potius ad Virginem, cuius in vtero breui temporis interſtitio commoratus eſt Chriſtus, attinere grauiſſimi Patres exponunt.

11. *Auctoris placitum.* Quidnam igitur? Fateor vocem Græcam ſumptam à tabernaculo, ac ſi diceretur, *Tabernaculum poſuit in nobis.* Siue, vti exponit Toletus, *inter nos.*

Tolet. Attamen ſic expono ſententiam. Ne exiſtimaremus carnem à Verbo ſumptam abſconditè, vt à nemine videretur, & cum hominibus non conuerſaretur, adiunxit, *Et habitauit in nobis*, conuerſando, commorando, conuiuendo, vti vnus ex nobis. Prædixerat Baruch cap. 3. *In terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* Zacharias cap. 2. *Ecce ego venio, & habitabo in medio tui.* & Ioannes cap. 1. *In medio veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis.* Quidnam aliud eſt, tabernaculum in nobis, ſiue inter nos poſuiſſe, niſi nobiſcum fuiſſe commoratum, & vitam nobiſcum egiſſe communem, ſic tamen veniſſe, & nobiſcum hîc habitaſſe; vt non eſſet oculis mortalium aſpectabilis permanſurus, ſed reuerſurus ad Patrem opere conſummato. Ioannes, *Exiui à Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Ioan. 16. Tabernaculum etenim (vti innuimus) non diuturnam ſignificat habitationem.

## §. III.

### *Quænam gloria Ieſu fuerit ab Apoſtolis aſpectata?*

ET *vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre.*] Dixerat Verbum carne indutum, & inter Apoſtolos, hominéſque communiter cō- moratum eſſe, cuius iam veritatis oculatos teſtes ſe ipſum, reliquóſque Apoſtolos profert. *Vidimus*, ait, *gloriam eius*, ſiue vidimus Filium Dei poſt carnem adſumptam apud nos habitantem, eiuſque aſpeximus gloriam, & maieſtatem, qualem Filij Dei dignitas poſtulabat, quæque Verbum Dei probabat carne eſſe veſtitum. Sic à Ioanne ipſo teſtificatio non diſſimilis exhibetur. *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtra contrectauerunt de Verbo vitæ (& vita manifeſtata eſt) & vidimus & teſtamur.* 1. Ioan. 1. 12. *Expenditur ſententia.* 1. Ioan. 1.

*Gloriam eius.*] Quamnam gloriam Apoſtoli viderunt? Num hic gloriæ nomen illum Dei conſpectum ſignificat, qui Angelos hominéſque beat? Minimè planè; ſed pro miraculorum ſplendore, montis Thabor transfiguratione mirabili, reſurrectionis claritate, aſcenſioniſque maieſtate in præſenti gloriæ vocabulum adſumitur. Quemadmodum admirabilis aquæ in vinum conuerſio Ieſu gloriam dicitur manifeſtaſſe Ioan. 2. D. Maxim. hom 1. Epiph. confirmans, ait: *Per hæc miracula Chriſtus oculis ſe voluit reuelare mortalium; quatenus inuiſibilis eius diuinitas, quæ latebat in homine, in opere non lateret.* Vnde D. Bernard. ſerm. 1. de Aduent. appoſitè Chriſti corpus lateernam, & nubem vocitauit. *Induit ſe Saluator laterná quadam, illo vtique glorioſo corpore, quod ſuſcepit. Hæc eſt enim leuiſſima, & præfulgida nubes, ſuper quam aſcenſurum eum Iſaias prædixit.* Nam quemadmodum nube obuelatus ex radiis, queis nubes ſuccenditur, agnoſcitur: ſic Verbum carne tectum ex miraculorum coruſcatione aſpiciendus obiiciebatur. Annon cunabula Infantis, lacrymæ, Herodis perſecutio, Phariſæorum ignoratio nubis in morem Chriſti Diuinitatem abſcondebant? Ita planè. Attamen cœlum reſeratum, Angeli concinentes, Magi adoratores, Stellæ fulgor Solem ſimul manifeſtabant. D. Hieron. in Epheſ. 3. *Reſpicis cunas Chriſti? vide pariter cœlum. Vagientem in præſepio intueris Infantem? ſed Angelos ſimul auſculta laudantes. Herodes perſequitur; ſed adorant Magi. Ignorant Phariſæi; ſed Stella demonſtrat.* Hactenus ille. 13. *De quanam gloria ab hominibus viſa Ioannes loquatur.* Maxim. Bernard. Hieron.

*Gloriam*

Digitized by Google

14. *Particula Quaſi explicatur:*

*Gloriam quaſi Vnigeniti à Patre.*] Illud: *Quaſi* non ſimilitudinem ſubindicat in præſenti. Nam D.Chryſoſt. docet particulam hanc eſſe hic non ſimilitudinis notam, ſed confirmationis. De Rege dicimus, Quaſi Rex inceſſit. Id eſt, pompâ & maieſtate Regiâ, vti incedere aſſolent Reges. Haud aliter: *Vidimus gloriam quaſi Vnigeniti à Patre*, Id eſt, gloriam Vnigenito Dei Patris dignam. Sic exponunt D. Chryſoſt. & D. Hieron. Legendi Doctores, Vnigeniti gloriam diuerſimodè interpretantes. Athanaſius ipſum Dei Filium gloriam expendens: Theophylactus vnam Transfigurationem gloriam exiſtimans huiuſmodi: Auguſtinus gloriam, quam ſperamus, intelligit. Cyrillus non ſolùm miracula, ſed prædicationem Chriſti gloriam appellat.

*Quid de gloria hac Doctores.*

## §. IV.

### *Duplex effectus Incarnationis Verbi oſtentatur.*

15. *Particula illa:* Plenum *exponitur.*

P*Lenum Gratia, & veritatis.*] Teſtimonio de Verbo carne induto, & inter nos habitante exhibito, duos Ioannes huiuſce Incarnationis enarrat effectus. *Plenum*, ac ſi diceret, *erat* hoc Verbum caro factum gratiæ, & veritatis. Non equidem gratiâ, & veritate, ait, plenum erat, ſed plenum gratiæ, & veritatis. *Plenum* enim in recto caſu ac ſubſtantiuè legendum eſt. Apud Hebræos equidem ſæpe deeſt ſubſtantiuum verbum, vt idem eſt, *plenum gratia*, ac *plenum erat gratia*. Subſtantiuè inquam & illud ipſum nomen: *Plenum* legiſſem, ſi aliquem patronum ſortitus fuiſſem. Plenum gratiæ, & veritatis *erat*, Hiſpanico expono idiomate: *Era el lleno, y la fuente de la gracia, y verdad.* Temerè expoſui, ſed habebunt poſteri, quem imitentur. Et quidem nemo abneget congruentius illa vocabula in caſu gignendi *Gratiæ, & Veritatis*, ſubſtantiuo, quàm adiectiuo nomini copulari. Annon adiectiuum nomen vſitatius illa vocabula ad auferendi caſum emitteret, *Plenum gratiâ, & veritate?*

16. *Redundãtia in homines huiuſce Verbi caro facti plenitudinis.*

Dicitur itaque Verbum caro factum gratiæ & veritatis plenum ab affectu, & redundantiâ in homines, quia nobis gratiam & veritatem communicauit. Hi duo effectus reſpondent duobus ſuperiùs explicatis, *Vita, & lux erat.* Vbi gratia ad vitam, veritas ad lucem refertur. Plenum ergo erat gratiæ, quia nos Patri gratificauit. *Gratificauit nos in dilecto filio ſuo.* Epheſ. 5. Plenum veritatis propter doctrinam, quia viam ſalutis edocuit, & ſecreta Diuinitatis aperuit. Inferiùs, *Vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris enarrabit nobis.*

Epheſ. 5.

17. *Chriſti gratiæ plenitudo.*

*Plenum gratia.* Vberiùs expendo quonam modo Chriſtus plenus gratiæ dicatur, ſiue plenum? In primis inerat illi ab ipſo incarnationis inſtanti gratia habitualis tanta, quanta in anima ſanctiſſima illa recipi potuit. Secus hominibus accidit, nam gratia, quæ nobis confertur, ex inimicis nos efficit amicos, & gratos; illa etiam, quæ data eſt Adæ in ſua creatione, aut Angelis, ex non amicis, & non gratis Deo, gratos effecit, & amicos. Illi enim niſi cum gratia fuiſſent creati, amici Deo, & grati nequaquam extitiſſent. Item omnis hæc gratia indebita eſt, cui datur, non enim Angelo, non Adamo, nec peccatori debetur. At verò Chriſti humanitati gratia collata non facit eum gratum Deo, cùm gratiſſimus, & chariſſimus fuerit propter vnionem ad Verbum, quia Filius Dei ille homo erat, ex qua coniunctione ad Verbum eadem in humanitatem gratia dimanabat. Damaſc. 3. de fid. cap. 22. *Ditata eſt illa humanitas* propter vnionem ad Verbum omni *ſapientiâ, & gratiâ.* Gratia ergo talis Chriſto propria erat, & ex interiori fonte dimanabat. Deinde aderat Chriſto gratia capitis, quia caput erat totius Eccleſiæ, & tanquam è capite virtutem in membra diffundebat. In eo denique fuit gratia vnionis; humanitas enim illa Verbo copulata, efficiebat vt illo ille Filius Dei eſſet; & ex hac duæ ſuperiores procedebant. *Plenum* itaque gratiæ dicitur in præſenti Verbum, non ſolùm ratione humanitatis propter coniunctionem ad Verbum, per quam nos præcipuè Patri gratificauit, & nobis gratiam promeruit: ſed etiam quia tanquam caput gratiam nobis, quâ Deo grati efficeremur, communicauit: & cum gratia ſimul omnia dona ſpiritualia ex ea procedentia intelligimus.

Damaſc.

18. *Chriſti veritatis plenitudo.*

*Et veritatis.*] Multis ſimiliter nominibus Chriſtum plenum veritatis oſtendam. Primò. In ipſo, & per ipſum omnes Dei promiſſiones humano generi factæ impletæ ſunt. *Miſericordia, & veritas obuiauerunt ſibi.* Pſalm. 84. Deus ex miſericordia promiſit, ſed veritate promiſſa adimpleuit. Secundò, Vmbræ, & figuræ veteres in ipſo, & per ipſum explicatæ, & declaratæ ſunt. *In ſpiritu, & veritate* adorare oportet. Ioan. 4. Tertiò. Mendacium in ore eius nunquam repertum. Annon veritas ſæpius mendacio opponitur? *Omne mendacium ex veritate non eſt.* 1. Ioan 2. Quartò Plenus erat veritatis, ſeu cognitionis Dei; veritas enim, cognitio Dei, ſapientia, & ſcientia, & fides Dei dicitur, *Qui à veritate exciderunt.* 2. Tim. 2. *Poſt acceptam notitiam veritatis.* Hebr. 10. *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei abſconditi.* Hanc itaque veritatem Chriſtus nobis aperuit, & propter hanc in mundum aduentauit. *Ad hoc*, inquit, *natus ſum, & propter hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati.* Plenus igitur erat Chriſtus veritatis, quia Dei cognitionem, & fidem perfectam nobis tradidit.

Pſalm 84. Ioann. 4. 1. Ioan. 2. 2. Tim. 2. Hebr. 10. Ioann. 19.

19. *Quonammodo plenus gratiâ profecerit.*

Obiicit Ammon. apud Cord. ad hæc, memor illius ſententiæ: *Puer autem proficiebat* &c. *& gratiâ.* Luc. 2. *Si erat plenus gratiâ, & veritate, quomodo tandem profecerit plenitudo?* Et reſpondet: *Non verbum, vel Deus, proficere perhibetur; ſed propter miracula & prodigia iis, qui ipſum cernebant, in dies magis admirandus, magiſque gratus accidiſſe ſignificatur.* De hoc alibi ſermo redibit.

## §. V.

### *Cur potius Verbum, quàm Pater, vel Spiritus ſanctus carne induitur?*

20. *Prima ratio, ex qua plura traduntur documenta.* Carth.

TRes ex Dionyſ. Carth. rationes adhibeo. In primis: *Verbo, ſeu Filio appropriatur ſimilitudo Patris cum Patre. Homo autem peccauit Dei ſimilitudinem inordinatè appetendo; vnde peccatum hominis fuit quodammodo ſpecialiter contra Filium. Propter quod Pater Zelans pro Filio, hominem condemnauit; Filius verò videns Patrem pro ſe Zelatum, atque ſui occaſione honore ſibi ab hominibus impendendo priuatum, pro Patre quoque Zelatus eſt. Vnde ad recuperandum Patris honorem, hominúmque ſalutem, voluit incarnari.* Plura hinc habes documenta. Filij plerumque patribus aſſimilantur,

qualis

qualis pater, talis filius aſſolet exiſtere. *Similitudo Patris cum Patre appropriatur Filio.* Debet filius honori conſulere paterno: *Pro Patre zelatus eſt.* Inordinatus appetentiæ taxatur affectus: *Homo peccauit Dei ſimilitudinem inordinatè appetendo.* Gratitudo commendatur, dum zelus pro zelo rependitur: *Pater zelans pro Filio*, Filius quoque pro Patre zelatus eſt. Quàm denique vtilis vniuerſo Verbi incarnatio! Deus Pater Filij iniurias ab bomioibus illatas, damnando homines abſtergit: at Filius Patrem iniuriâ affectum placat, ipſi quidem recuperans honorem, ſalutem hominibus efficiens: *Pater hominem condemnat, Filius ad recuperandum Patris honorem, hominúmque ſalutem, voluit incarnari.*

21\. *Secũda cauſa.* Carthuſ.

Secunda: *Quoniam incarnatio ordinatur ad beatificam viſionem, viſio autem hec reſpicit intellectum, à quo profluit: & Verbum ab intellectu procedit; ſicque propter conuenientiam Verbi cum viſione beatifica congruebat ei iſta ſalutifica*: Hinc Dionyſius nos ad gaudium excitat, dum Verbo facto carne, mox ad beatificam viſionem eleuatur affectus.

22\. *Tertia cauſa. Verbum caro factum mediatoris agit perſonam.* Carthuſ.

Tertia: *Quoniam Verbum eſt media in Trinitate perſona, idcirco conueniebat ei incarnatio, & ratio mediatoris, vt eſſet Deus & homo.* Verbo igitur incarnato conuenit eſſe mediatorem. Media adeſt perſona Filij inter Patrem, & Spiritum ſanctum; at non obit munus mediatoris, donec Verbum factum eſt caro. Nunc autem non modò hominem mediatorem habemus, ſed Deum hominem. Ex incarnatione etenim Iudex effectus eſt mediator.

23\. *Iudex factus eſt noſter aduocatus.* Gen. 1.

In cuius robur: *In principio creauit Deus cœlum & terram.* Geneſ. 1. Hebraicè, *Creauit Eloim*, id eſt, *Iudices*. Vt Trinitatis perſonarum ſimul iudicantium fieret memoria. Media Trinitatis perſona, nempe Filius, non mediantis, ſed iudicantis perſonam gerit. Proh bumanitatis Verbo vnitæ potentia! Filius carne indutus è Iudice tranſit in mediatorem. *Index noſter*, inquit appoſitè Carthuſ. *factus eſt noſter aduocatus.* (Carthuſ.)

24\. *Omnes hoc Verbi aduocati patrocinio egemus.*

Aduocatus, ad quid? Vti poſſit patrocinium adferre, vbi litibus humana premitur generatio. O tu, cui tot lites à natiuitate natæ ſunt, cauſam procul dubio tanto aduocato, obtinebis. *Si dixerimus, quoniam non peccauimus, Verbum eius non eſt in nobis.* 1. Ioaon. 1. (1. Ioan. 1.) Quare? Quia Verbum caro factum in nobis habitat, vt aduocati fungatur officio. At vbi peccati ſiue originalis, ſiue actualis lites non exoriuntur, munus ſuperfluit aduocati. Adiicit: *Filioli hac ſcribo vobis, vt non peccetis; ſed & ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Ieſum Chriſtum.* Si aduocatus non accedit, niſi vbi lites excitantur; cur Ioannes admonet, ne peccatis contaminemur? Num quia vti aduocati munus gerat, peccati originalis ſufficit prima illa omnium litium cauſa, lis ſanguinolenta? Ita planè.

25\. *Aduocatus Chriſtus aduocantibus eum.* Strab.

Perpende vim vocabuli, *Aduocatus*. Nam aduocatus innuit ab aliquo aduocãdum eſſe. Vnde pulchrè concludit Strabus, *Non eſt Aduocatus Ieſus niſi eum vocantibus. Diſpliceant peccata tibi, clama; ipſe audit, & liberat.* En Aduocati promptitudinem. Clamas, & liberat. Nec enim, de more mundalium aduocatorum, in futurum tempus proiicit patrocinium.

## §. VI.

## Cùm Verbi incarnati ſit memoria, procidat omnis creatura.

*Vbi de reuerentia circa Ieſu humanitatem.*

Rogis, cur Eccleſiæ ritu, cùm in Sacro Ioannis verba, *Et Verbum caro factum eſt*, profert Presbyter, procidit? Reſpondet Carthuſian. *Qua verba decet nos cum omni humilitate interiori, ſeu corporis proſtratione, & genu flexione proferre, vt humiliemus nos illi, qui propter nos humiliauit ſeipſum, cùm eſſet Altiſſimus.* Incarnationis myſterium præ ſe fert equidem menti, ac corpori noſtro humilitatis affectum, effectúmque immittere. 26.

*Quantã reuerentiã audiendã Verbi incarnati vocabulum.* Carthuſ.

D. Paulus oſtendit, *Semetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Quid inde? *Vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum* Philip. 2. Nam cùm primùm Verbi incarnatio incidit in mentionem, mox Angeli, & homines adorare coguntur, procidentes. Et quis non coram tanta humilitate Verbi non procidat? D. Anſelm. *Habendo hominem, inuentus vt homo eſt. Omne genu flectitur. Beati Angeli, & ſancti homines, omni affectu pia humilitatis Chriſto ſe ſubiiciunt.* Nec enim aliter Chriſtus dignè hoſpitio exciperetur. 27.

*Obueiitur Verbũ incarnatum, & omnis procidit rationalis creatura.* Philip. 2. Anſelm.

Sedes cœleſtis Ioanni videnti oſtentatur: *Et qui ſedebat, ſimilis erat aſpectus lapidis iaſpidis, & ſardinis.* Apocal. 4. Vbi Gloſſæ Magiſter: *Per colorem duorum lapidum notat Deum, & hominem*, ſiue Verbum carne indutum. Adſunt quatuor animãtia ſimilem proferentia ſententiam: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt.* Ibid. Verbum quod erat, & eſt apud Deum, venturum eſt noſtrâ illigatum mortalitate. Sic Strabus idem, *Filius corporaliter apparebit.* Quid plura? Illicò Reges, ſiue (vt exponit Alcaſar) Sacerdotes genua flectont. Pulchrè Strabus concludit, *Ad vocem omnes cadunt, & adorant.* Vbi enim inſonat vox exprimens Verbum carne indutum, mox inibi adeſt humilis adoratio. 28.

*Seniores procedunt audientes Verbum caro factum* Apoc. 4. Strab.

Apparuit olim Abrahæ Dominus faus, *Ego Deus omnipotens. Ambula coram me, & multiplicabo te, vehementer nimis.* Geneſ. 17. Quo loci Lipomanus ex Irenæo, & aliis ſentit Deum carnis indutum ſpecie apparuiſſe: *Patres*, inquit, *ſenſerũt Verbum Dei Patris ſuo tempore incarnandum, hoc eſt, Chriſtum Dominum Patribus apparuiſſe nunc quidem hac, nunc iſta forma, crebro tamen in forma humana: donec ipſam dignatus eſt non formam tãtùm, ſed ipſam etiam ſubſtantiam, ac naturam induere; & in ea forma frater noſter, ac Redemptor promiſſa Patris implere.* Tunc igitur, quando Verbum carnis ſpecie veſtitum apparuit, *Abraham cecidit pronus in faciem.* Ibid. Quàm idonea, conueniẽſque Incarnationis myſterio in terram prouolutio! Quã appoſitus humilitatis babitus, cùm Verbum habitu indutus humano inuenitur. Eleganter Rupertus: *Ad hæc audienda idoneus cecidit Abraham pronus in faciem.* Quare idoneus? Quia vbi euulgatur incarnandi Verbi ſermo, ibi idoneus, accommodatus, adnatus proſtrationis, & humilitatis habitus reperitur. 29.

*Audiẽs Abraham Verbũ carne indutũ, procidit in faciem.* Gen. 17. Lipom.

# IN VERBVM CARNE INDVTVM,

# Panegyricus IV. Moralis circa Literam:

# EX IPSA INCARNATIONE.

## *OBSERVATIO I.*

Ad illa verba:

*Et Verbum caro factum eſt.*

Incarnationis Verbi cauſas recenſeo, & confirmo.

*Ac ſimul hominum ægritudinibus ſpiritualibus pharmacopolium præparo.*

28. PLVRES apud Doctores legi cauſas, cur Verbum fuerit carne indutum. Haſce Hugo Victorian. acervauit. *Deus homo factus eſt, vt idem eſſet Redemptor, qui Creator: & vt de ſuo liberaretur homo; & vt familiarius ab homine diligeretur Deus in ſimilitudine apparens; & vt vterque ſenſus in ipſo beatificaretur, & reficeretur oculus cordis in eius diuinitate, & oculus corporis in eius humanitate; vt ſiue ingrederetur, ſiue egrederetur, in ipſo paſcua inueniret natura ab ipſo condita.* Alias prӕterea perſequor, & illuſtro.

Hugo.

## CAPVT I.

### Verbum incarnatum carnis medetur cæcitati.

*Contra luxuriem pharmacum.*

29. IN primis Verbum eſt caro effectum, vt caro, quæ nobis venenum inerat, fieret veneni antidotum, inde exoriente medicamine, vnde morbi fuerant oborti. Auguſtinus tract. 2. in Ioan. *Caro te cæcauerat, caro te ſanat.*

Auguſt.

30. Infantem in cauernam aſpidum manum immiſſurum Prophetico celebratur vaticinio. Iſai. 11. Id quod D. Ambroſius Pſalm. 37. noſtro pulchrè accommodat argumento, dum inquit, *Antidotum facta eſt caro, quæ erat venenum antè peccati; quia erat illecebra peccatorum.* Annon Puer Ieſus manum in venenoſi animantis cauernam immittens carne veneoum extinxit à carne exortum? *Audi quemadmodum antidotum caro: Dei Verbum factum eſt caro, miſit manum in cauernam aſpidum, venenum vacuauit, peccatum abſtulit; hoc eſt, de peccato damnauit peccatum in carne.* De peccato, inquam, ſeu de ſacrificio crucis oblato pro peccato in carne Saluatoris.

*Manus Ieſu infirmat huiuſce veneni vim.* Iſai. 11. Ambroſ.

31. An non vt à conſilio virginitatis, legéque caſtitatis nos poſſit remouere, Diabolus carnis vtitur illectamentis? Paulus appoſitè illam aliam legem in membris Dei legis oppugnatricem ſentiebat, *Video*, ait, *aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Rom. 7. Ad quem locum D. Cyrill. Ieroſol. cat. 12. carnem adſerit Ieſu aduerſus noſtræ carnis ſtimulos in arenam deſcendiſſe. *Carnis inſtrumento contra nos diabolus vſus eſt. Vnde Paulus, Video aliam legem in membris meis. Quibus armis diabolus nos oppugnauit, per eadem ſaluati ſumus.*

*Caro Chriſti nos à lege ex legis carnis liberat.* Rom. 7.

32. Quod ſi voluptates carnis inter tenebras commorantur, imò potiùs ipſæ tenebræ exiſtunt, nam impudici cæco igne cremantur: vt ablegatis tenebris, & igne, homo videat, Verbum caro factum lux hominum apparet. *Et vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet.* Ioann. 1. *Caro te cæcauerat*, vt rurſum cum Auguſtino loquar, *caro te ſanat.* Excogitauit Chriſtus collyrium Cæco nato ex puluere & ſaliua, quod quidem adnatas tenebras fecit exulare. Ioann. 9. Annon Verbum incarnatum cæcis collyrium voluptati ſtudentibus? D. Auguſt 50. homil. 43. *Saliua quaſi Verbum eſt, caro terra eſt; Verbum caro factum eſt, & videmus.*

*Lux carnis Chriſti luxuriei tenebras ablegat.* Ioan 9. Auguſt.

33. Quàm pulchrè Ioannes, poſtquam dixit: *Et Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis:* adiicit: *Et vidimus gloriam eius.* Ac ſi diceret: Ita oculi hominum olim lumine captorum incarnati Verbi collyrio refecti ſunt: vt puriſſimorum Angelorum poſſint oculos exæquare, & Verbi demum gloriam lucidiſſimam intueri. Egregiè D. Auguſtin. Tract. 2. *Factum eſt in te, vt quoniam Verbum caro factum eſt, tu poſſis dicere: O vidimus gloriam eius.* Proh illius luminis præſtantia, quæ immundos quoſque ad Angelicam adduxit puritatem!

*Poſt Verbum incarnatum cæci videmus gloriam eius.* Ioan. 1. Auguſt.

## CAPVT II.

### Verbum incarnatum vitam præſtat ægrotis.

*Contra mortem antidotum.*

34. QVoniam in Verbo vita erat. Neceſſium fuit nos ægrotantes vitæ diuturnitate, imò æternitate per Verbum incarnatum donari ex Dei voluntatis præſcripto. Damaſcen. orat. 1. de Natiu.

Damaſc.

*Tantus* (inquit) *Domine, in me tuus amor fuit: vt non per Angelos, aut vllam aliam creaturam ſalutis*, ac vitæ meæ *negotium obieris: verùm vt primam fictionem, ſic etiam inſtaurationem ipſemet efficiendam duxeris.*

35\. *Sol iuſtitiæ vitalis homini Regi exoritur.* Ioan. 1. Iſai. 38.

Illud noſtri Euangeliſtæ adnotandum: *In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum.* capite 1. Ieſus etenim iuſtitiæ Sol exoritur in pennis perferens ſanitatem. Solis huiuſce lumen vita hominum eſt. Retrò olim rediit Sol, & Regi ægrotanti vitæ adiicitur incrementum. Iſai. 38. Vnde Eccleſiaſticus, vt oſtenderet tunc Iſaiam, cuius ore vitæ Regis ſpatium productum eſt, Ieſu iuſtitiæ Solis typum geſſiſſe, ait; *Retrò rediit Sol, & addidit Regi vitam.* cap. 48. Retrò quodammodo rediit lux hominum, cùm *Verbum caro factum eſt*, cum ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, addiditque, imò dedit homini orbis terrarum vitam Imperatori. D. Athanaſ. ad illud, *Omnia mihi tradita*, confirmat. *Deus nolens perire hominem, in hæc verba locutus eſt, Quem mittam? Omnibus tacentibus, locutus eſt filius. Ecce ego, mitte me. Reſpondit Pater: Vade ergo. Tum dedit illi hominem, vt ipſum Verbum caro fieret, carnémque aſſumptam in omnibus inſtauraret. Tradita enim ſunt illi vt medico, qui ſanaret morſum ſerpentis, & vt vitæ, quæ excitaret mortuum, & vt luci, quæ illuminaret tenebras.* Hæc proxima pende: *Et vt vitæ, & vt luci.* Nam ſi *vita lux erat hominum*, Sol Iuſtitiæ, cuius in *pennis ſanitas*, retrò rediens, ægrotantem, imò emortuum hominem reuocauit ad vitam.

Eccl. 48.

Athanaſ.

36\. *Vitalis hic Sol mortem carni noſtræ inſitam interficit.* Iac. 1. Baſil.

Profectò vitâ homines à Sole medico donatos apprimè expendit D. Baſil. de hum. Chr. gen. fatus: *Ex hoc Deus in carnem venit, vt inſitam carni mortem interficeret.* Ad illud vtique reſpicit Pater: *Suſcipite inſitum Verbum, quod poteſt ſaluare animas veſtras.* Iac. 1. Et quodnam Verbum inſitum niſi Chriſtus Deus & homo? Verbum quidem inſitum, vt inſitam carne mortem ſaluans, ſananſque comminuat. Mox Doctor vitæ ac Solis copulat metaphoram, adiiciens: *Nam ſicut venenorum antidotum corpori permixtum, ac perfuſum omne ſuperat lethale; & vt in domo aliqua tenebræ luminis aduentu diffugiunt: ſic mors in natura dominans humanæ diuinitatis præſentia diſparuit. Mors vſque ad Chriſti aduentum imperauit, poſtquam verò iuſtitiæ Sol ortus eſt, abſorpta eſt mors in victoriam.*

37\. *Vt retrò rediens Sol, vt homines à morte eriperet?* Eccl. 48. Theod.

Quàm verè ſapiens! *Retrò rediit Sol.* Eccl. 48. Quàm retroceſſit, (ſic liceat fari) qui non è cœlo dictat medicamina, nec miniſtris curandum tradit ægrotum; ſed propriis manibus vulneribus adhibet medicinam. Theodor. Sermone 6. de Græc. affect. curand. *Decebat Deum hominem liberare, propter quem Lunam, Solem, Stellas creauit*, fons ipſe luminis fulgentiſſimus. *Potuit loqui de cœlo* Solis parens, *vt omnes audirent, ſed maluit flere in præſepio. Non Angelum miſit. Atqui medicos illos maximè laudare ſoletis, non quidem qui nos miniſtris ſuis curandos ægros committunt ſed qui pallium deponunt, linteolumque ſuccincti, ſuis ipſi manibus ferrum accipiũt, vulnuſque, ſi ſit opus, ſuccidunt, nec fœtorem vlceris auerſantur: imò autem profluentem ſaniem excipiunt, atque vnguenta compingunt.* Ita Doctor.

38\. *Sol noſter ſe inclinãs, mũdum erigit mortuum.*

En verum Eliſæum. *Incubuit* Propheta *ſuper puerum, poſuitque os ſuum ſuper os eius, & oculos ſuos ſuper oculos eius, & manus ſuas ſuper manus eius, & incuruauit ſe*, (Retrò rediit Sol) *& calefacta eſt caro pueri.* 4 Reg. 4. Quem locum ſic Auguſt. 206. de temp. interpretatur. *Puer Eliſæi typum habuit Moyſi: miſit Moyſem Deus cum baculo in Ægyptũ. ſed baculus ſine Chriſto flagellare Ægyptum potuit, de peccato verò liberare, ſeu reſuſcitare non potuit. Opus erat, vt qui baculum miſerat, ipſe deſcenderet. Inclinauit ſe Eliſæus, vt puerum reſuſcitaret, humiliauit ſe Chriſtus, vt mundum in peccatis iacentem erigeret. Quia paruuli eramus, paruulum ſe fecit Chriſtus, quia mortui iacebamus, prius ſe medicus inclinauit. Quia nemo poteſt iacentem erigere, ſi ſe noluerit inclinare.*

4. Reg. 4. Auguſt.

39\. *Sol humiliauit ſe vſque ad carnem, paralytici mundi grabbatum.* Ioan. 9. Bernard.

Paralyticus diuturno tempore in grabato iacuerat, quia *hominem* non habebat. Inclinat ſe Deus factus homo ad lectum ægrotantis, manu eum, & vitâ donaturus. Ad quæ D. Bernard. ſermone de Aduent. *Iacentes* (inquit) *paralytici grabbato, diuinam non poteramus attingere celſitudinem. Propterea Saluator, & medicus animarum* (cuius in pennis ſanitas) *deſcendit ab altitudine ſua.* Et quodnam grabatum tum ægrotantis mundi niſi caro, ad quam Verbum deſcendit? D. Auguſt. Serm. 59 de verb. Dom. *Ad ſanandum grandem ægrotum, deſcendit omnipotens medicus, humiliauit ſe vſque ad mortalem carnem, tamquam vſque ad lectum ægrotantis.*

Auguſt.

---

## Capvt III.

## Verbum incarnatum homini rudi exhibet magiſterium.

### *Contra ſtultitiam medicamen.*

Qvàm indigens magiſtro, correctore, ac illuminatore ille, de quo Dauid, *Comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*, Pſ. 48. Ad quem locum Euthym. *Homo illud negligẽs æmulari exemplar, ad eius imaginem factus erat, cõparatus eſt iumentis. Nam cum ratione à Deo donatus eſſet, imperatúmque ei fuiſſet, vt rationis ſceptro vſus, brutis omnibus dominaretur: ipſe, abiectis proprij Regni inſignibus, ſeſe inter pecora conſtituit.* Quanta correctio, quanta doctrina neceſſaria ad brutalem informãdum diſcipulum? Egregiè equidem cœleſtis Magiſter ſuo munere functus eſt. 40.

Pſalm. 48. Euthym.

41\. *Dulcis magiſter Verbũ incarnatum.* Tit. 2. Baſil.

Paulus, *Apparuit gratia Dei Saluatoris noſtri erudiens nos.* Tit. 2. *Gratia erudiens.* Proh magiſtri pietas! Erat quondo miro terrore incuſſo Deus edocebat Hebræos; iam Verbum in carne placidum exhibet magiſterium. D. Baſil. de humil. Chriſt. gener. *Deus in terra eſt non per ignem, tubam, & montem fumantem, vel per turbinem, & nubem, & tempeſtatem animas audientium perterrens; ſed proprio corpore cum hominibus cognatus piè conuerſans, ac diſſerens.*

42\. *Verbum incarnatũ nos docuit Scripturarum intelligentiam.* Gen. 29. Rupert.

Quænam tanti doctrina magiſtri? In primis ſcriptura, nos docuit exortus. Iacob profectus, venit in terram Orientalem, *& vidit puteum in agro*, qui quidem aduentante Patriarcha, reſeratus eſt. Geneſ. cap. 29. vbi Rupertus: *Venit in terram Orientalem vir iſte, cuius nomen eſt oriens. Venitque ad puteum grandi lapide clauſum*, id eſt, *ad ſcripturas*, cuius profunditas ab hominum intelligentia maximè abſtrahebatur. Quid Dominus? Rabanus: *Veniente igitur Chriſto, lapis remotus*

Raban.

eſt

Digitized by Google

*eſt prædicatione ſuâ.* Eucher. *Quia vniuerſa, quæ de ſe fuerant ſcripta, in ſe expleri permiſit, vel expleta eſſe oſtendit.*

Euchet.

43. *Dabis vobis*, inquit Moyſes, *Dominus veſpere carnes edere.* Exod. 16. Expendit ſic Origen. *Nos, quibus in ſæculi, & ad veſperam mundi Verbum caro factum eſt, in illa carne agnoſci dicimus Deum, quam ſuſcepit ex Virgine. Aduentus enim Domini in carne ad veſperam factus eſt.* Adiicit Moyſes, *Et manè panes in ſaturitate*, quod Doctor interpretatur, *Dicimus manè dari hunc panem, quia licet ad veſperam mundi venerit, aduentu tamen ſuo, quoniam ipſe eſt Sol iuſtitiæ, nouum credentibus reparauit diem. Quia ergo nouum mundo ſcientiæ lumen accendit, ſuum quodammodo mane effecit, & in hoc manè replentur panibus, qui eius præcepta ſuſcipiunt.*

*Docet nos Dei cognitionem, & nouũ ſcientiæ lumen.*
Exod. 16.
Origen.

44. Quid mirum Hebræos olim à veritatis via cæcitate laborantes aberraſſe, ſi lex magis fulgur in nubibus oſtentabatur; quàm Sol ex Oriente præfulgebat. Deus olim Pater loquebatur in nubibus, at *nouiſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio.* Hebr. 1. Diebus equidem. Dies enim, præcedente elapsâ nocte, appropinquauit. Ad hęc D. Chryſoſt. homil. 36. *Sicut qui in tenebris ambulat, ſi ſemel viam perdiderit, interdum totâ nocte ambulat, iuxta viam errans, & non inuenit viam, donec ſuperueniat dies, ſic & homines ambulantes in erroribus, poſtquam Dei cognitionem ſemel perdiderunt, ad perfectam veritatis notitiam redire non poterant, niſi dies, ſcilicet Chriſtus veniſſet, quamuis circa veritatem viuebant.* Sic ille.

*Verbi incarnati doctrina cæcos illuminans.*
Heb. 1.

45. Profectò præſtantiam magiſterij Verbi incarnati innuit Iſaias, *Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum*, cap. 30. Verbum edocens olim audiebatur equidem; ſed non videbatur. At apud nos habitans factum caro, & auditui, & viſui conformatur, vt doctrina faciliùs ad præcordia valeat penetrare. Huiuſce eruditionis conuenientiam expendit D. Auguſtinus ſermone 52. de diuerſ. dum inquit, *Homo ſequendus non erat, qui videri poterat, Deus ſequendus erat, qui videri non poterat. Vt ergo exhiberetur homini, & qui ab homine videretur, & quem homo ſequeretur, Deus factus eſt homo.* De correptione autem ad magiſterij munus attinenti ſic D. Gregor. 33. Iob. *Vitioſus homo corrigi non poterat niſi per Deum, videri autem debuit, qui corrigebat, vt præbendo imitationis formam, ante acta malitia mutaret vitam.* Præſentiâ etenim magiſtri ignorantes accommodatiùs erudiuntur, & errantes efficaciùs taxantur.

*Videmus præceptorem noſtrum, vnde faciliùs erudimur:*
Iſai. 30.
Auguſt.
Gregor.

## CAPVT IV.

### Verbum incarnatum nos efficit Deos.

*Contra corruptæ humanitatis pondus leuamen.*

46. Diuus Chryſoſt. *Factus eſt Filius Dei filius hominis, vt filios hominum faceret filios Dei.* Etenim homines & Dij, & filij Dei efficiuntur à Ieſu gratiæ diuinæ participatione. D. Auguſt. ſermone 12. de Nat. conteſtatur: *Deos facturus qui homines erant, homo factus eſt, qui Deus erat.*

Auguſt.

47. Hominibus Deus, *Ego dixi, dij eſtis, & filij excelſi omnes.* Pſalm. 81. Et quonam modo filij hominum ad Dei filiationem, & diuinitatis participationem ex adoptione eleuantur? Adiicit Pſaltes, *Surge Deus, iudica terram; quia tu hereditabis in omnibus gentibus.* Surgent enim ex naturæ noſtræ propagine Ieſu hærede, primogenito: nos fratres efficit adoptione Dei filios. D. Cyrill. lib. 1. in Ioan. c. 16. *Per vnum generis noſtri, id eſt, Chriſtum, ad nos quoque illud peruenit. Ego dixi, dij eſtis, & filij excelſi omnes, &c.*

*Chriſtus primogenitus nos efficit Dei filios adoptione.*
Cyrill.

48. Verbum apud Patrem inclamat: *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum.* Sap. 8. vbi Auguſtin. legit, *Dominus creauit me.* Et quonam modo creata ſapientia, ſeu Verbum genitum, non factũ, potuit oſtentari creatura? Annon Verbum caro factum eſt? Ita planè. Sed quonam emolumento? *Initio viarum ſuarum.* Hoc eſt initium viæ, quâ homo tenderet ad thronum Deitatis, ad Dei filiationem. Factus eſt enim, ait Auguſt. de fid. Sym. c. 4. *Deus homo, vt homo fieret Deus.* Vberiùs Pater noſtram exprimit mentem, fatus, *Quoniam Verbũ caro factum eſt, & habitauit in nobis, eadem ſapientia, quæ de Deo genita eſt, dignata eſt etiam in hominibus creari. Quò pertinet illud. Dominus creauit me in initio viarum ſuarum. Viarum enim eius principium, & caput eſt Chriſtus homine indutus, per quem viuendi exemplum nobis datur. Hæc eſt via certa, quâ peruenimus ad Deum.* Eâdem etenim viâ, quâ incedens Deus venit in hominem, homo ad Deum aſcendit. Lucifer Deo cupiens aſſimilari, viam inſtituit, ſed miſerè excidit, quia *Verbum caro factum* nondum iter rectum oſtentauerat. Non excidit homo, & ad cœlum conſcendit, & Altiſſimo adſimilatur; quia *viam, quà eundum fuit*, loquor cum Auguſt. *Reparator noſter in ſe ipſo demonſtrare dignatus eſt.*

*Quia Verbũ deſcendit ad hominis filiũ, homo aſcendit ad filium Dei.*
Sap. 8.
Auguſt.

49. Sub Dauidis perſona Pater Regem Chriſtum inuenit, & eligit. *Inueni Dauid ſeruum meum, oleo ſancto meo vnxi eum.* Et inferius, *Et ego primogenitum ponam illum, excelſum præ Regibus terræ.* Pſal. 88. Aliter, *Propter Reges.* Verbum eſt Filius vnigenitus Patris, fit Rex primogenitus, vt plures Reges fratres ſortiatur. Reges, inquam, adoptione Dei filios. *Secundum id, quod Vnigenitus eſt*, ait D. Auguſt. citat, *non habet fratres; ſecundum autem id quod Primogenitus eſt, fratres vocare dignatus eſt omnes, qui poſt ſe, & eius primatum in Dei gratiam renaſcuntur in adoptionem filiorum.* Appoſitè inquit: *Et eius primatum.* Filius enim Dei Regnum cœlorum, ſeu primatum creaturarum tenens, nos Reges, ac Primores quodammodo creaturarum conſtituit, dum efficit filios Dei adoptione, qui quidem *dicunt Deo:* (cum Auguſt. Pſalm. 48.) *Pater noſter, & Chriſte, Frater.*

*Chriſtus primogenitus Rex vt fratres nos Reges cõſtituat.*
Pſalm. 88.
Auguſt.
Auguſt. in Pſalm 48.

## CAPVT V.

### Verbum incarnatum nobis diabolum reddidit facilem ſuperatu.

*Contra diabolum robur.*

50. Diabolus olim iam rugiens leo ad nullius paucens occurſum, iam draco magnus, iam Leuiathan horribilis, de quo Gregorius cap. 40.

Gregor.

Iob. *In hac aquarum abyſſo, ſeu immenſitate generis humani aperto ore cetus iſte ferebatur, ad omnium mortem inhians, vitam penè omnium vorans.* Quid plura? Cetus Verbi incarnati hamo captus extrahitur ab vndis, ablegatur à mundo, iuxta illud: *Princeps huius mundi eiicietur foras. Hamo*, ait Pater, *captus eſt; quia in Redemptore noſtro, dum per ſatellites ſuos eſcam corporis momordit, Diuinitatis illum aculeus perforauit.*

51. *Per quæ Diabolus cepit, captus eſt.* Iſai. 33. Damaſc.

Diabolus quodammodo huiuſce captiuitatis tradiderat documentum. Audi Iſaiam, *Væ qui prædaris, nonne & ipſe prædaberis.* Capite trigeſimo tertio. Vbi Damaſcen. 3. fid. cap. 1. *Quoniam hoſtis, iniectâ Diuinitatis ſpe, hominem pellexerat, ipſe viciſſim carnis integumento allicitur, & inneſcatur.* Hamum etenim diuinitatis Verbum ſub carnis tegit maſſa, *vt diabolus*, inquit Nazianz. orat. in ſan. Lum. *dum quaſi in Adamum impetum facit, in Deum incurrat.*

Nazianz.

52. *Diabolus à Verbo incarnato captus.* Matth. 1. Gregor.

Non iam Diabolus carni morſum infigit, poſtquam ab incarnato Verbo deuictus conſternatur. Rurſum Diuus Gregorius ad illud: *Liber generationis Ieſu Chriſti.* Matth. 1. generationem humanam ſub diaboli principatu degentem, contemplatus, ſub expiſcationis metaphora profatur: *Dominus noſter Ieſus Chriſtus ad redemptionem generis humani veniens, velut quemdam in necem diaboli hamum fecit. Quis enim neſciat, quod in hamo eſca oſtenditur, aculeus occultatur? Eſca prouocat, vt aculeus pungat. Aſſumpſit itaque Dominus corpus, vt in eo diabolus quaſi eſcam mortem carnis*, inuiſam ſibi, *appeteret: quam mortem*, adnota noſtram ex morſu diaboli vtilitatem, *dum in illo iniuſtè appetijt, nos, quos quaſi iuſtè tenebat, amiſit. In hamo igitur incarnationis eius captus eſt, quia dum in illo appetijt eſcam carnis, transfixus eſt aculeo diuinitatis. Huiuſmodi hami linea illa eſt per Euangelium antiquorum Patrum propago memorata, in cuius extremo incarnatus Dominus, id eſt, hamus iſte ligaretur, quem in aquis humani generis dependentem cetus appeteret, ſed mordendi vlterius vires non haberet.* Hactenus ille.

53. *Carnis noſtræ in diabolum fortitudo per Verbi incarnationem.* Exod. 13. Stephan.

Hinc carnis à Verbo aſſumptæ fragilitatem in fortitudinem conuerſam datur rimari. Et quonam modo fragilis, ac infirma vocitanda ſit caro, quæ Verbo vnita diabolum ſuperauit? *Ego*, inquit Pater, *eduxi vos in manu forti.* Exod. 13 Vbi Steph. adiicit, *Id eſt, in Filio*, ſeu in Verbo incarnato. Obiicit: *Deberet dicere: in manu debili; quia in primo aduentu nihil niſi infirmitatem oſtendit.* Reſpondet, *Bene dicitur fortis manus; quia fortes nos fecit, imò fortiſſima dicatur manus; dum non armata diabolum ſuperauit.* Iam igitur caro poſt Verbi deſcenſum fortitudine induta teterrimus deridet aduerſarios.

---

## CAPVT VI.

### Verbum incarnatum homines ab actuali corruptione præſeruat.

*Contra actualia crimina remedium.*

54. Caietan.

PVlchram accipe Caietani ſententiam: *Quando Verbum factum eſt caro, tunc illa facta eſt; imò in hoc ipſo, quod Verbum factum eſt caro, facta eſt caro, non in ſe ipſa; ſed in hypoſtaſi Verbi. Vt ſuaui diſpoſitione (non inferendo corruptionem) intelligatur, quod Verbum factum eſt caro. Propter hoc*, adiicit, *quod fas non eſt, à corruptione inchoare Verbum eleuationem naturæ noſtræ in diuinam hypoſtaſim renouatricem mundi.* Venuſtè planè. Fas non erat, à Verbo mundum, præmiſsâ corruptione, renouari. Verbum enim ſi mundaturum quidem venit originali, & actuali crimine fœdatos: attamen egregius aduentantis Verbi fructus, homines ab originali mundatos ab actualis labis corruptione præſeruare. Mauult equidem Verbum incarnatum Pręſeruatoris, quàm Medici munere fungi. Non ergo te ægritudini committas ex Medici aduenientis prætextu. Renouari gaudet abſque actuali inquinamento naturæ humanę vetuſtatem.

55. *Appoſitè concluditur Verbum caro factum eſt, ergo non peccemus.* 1. Ioan. 1.

Ioannem audite: *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus, quoniam non peccauimus, mendacem facimus eum, & Verbum eius non eſt in nobis.* 1. Ioann. 1. & 2. Vbi illa verba pondero: *Si dixerimus, &c.* Quia cùm in Adam omnes peccauerimus, vt nos ab huiuſmodi vetuſtate renouet, *Verbum habitat in nobis.* Quod ſi dixerimus nos minimè in Adam deliquiſſe, Verbum in nobis non habitat, homo quidem factum, vt nos ab originali inquinamento dilueret. Subiungit Euangeliſta, *Filioli mei, hæc ſcribo vobis, vt non peccetis.* Si præmiſerat confeſſione emundari delicta ex aduentu Verbi incarnati, cur loco concluſionis nos curat à criminis actualis perpetratione remouere? *Hæc ſcribo, vt non peccetis.* Annon quia Verbum caro factum expetit nos ab originis labe emundatos abſque actualis criminis ſeruari inquinamento? Ita planè. Quàm conueniens illatio! *Verbum caro factum eſt*; igitur peccare non debemus. Si tamen peccauerimus, *aduocatum habemus apud Patrem.* Ad hæc Strabus: *Filioli mei, hæc ſcribo vobis, vt non peccetis. Ne malam ſecuritatem aſſumatis, audientes vos à Deo mundari; ſed vtilius timorem habeatis.* Audio Verbum incarnatum apud me commorari, mox ſubit in mentem præclarus ille effectus incarnationis, videlicet abſque corruptione renouationem quàm plurium electorum perficere. Strab.

56. *Apparuit ſpeciatim Saluatoris humanitas, vt iuſtè viuamus.* 1. Cor. 6.

Apoſtolo conſentiens Apoſtolus ait: *Nolite errare; neque fornicatores, neque idolis ſeruientes, neque adulteri, &c. Regnum Dei poſſidebunt.* 1. Corinth. 6. Annon Verbum caro factum eſt, vt nos ab omni emundet iniquitate? Ita equidem. Sed *nolite errare.* Verbum namque factum eſt caro, vt nos præſeruet ab actualis contagij corruptione ab originis clade liberatos. Quid ſi adhuc lethaliter delinquam? Non dubium, quin patientia Redemptoris aduentantis omnia crimina, te reſipiſcente, aboleat. Tunc tamen (ſi fari ſic liceat) quodammodò Dominicæ natiuitatis perturbas actiones. Audi precor, Paulum: *Apparuit humanitas, & benignitas Saluatoris, erudiens nos, vt iuſtè, & piè viuamus in hoc ſeculo.* Tit. cap. 3. Illud expende: *Humanitas, & benignitas.* Verbum humanitate indutum apparuit, vt benignè peccatores, qui in Adam peccauerunt exciperet, & renouaret. Quod ſi quis perſeueranter actualiter delinquit poſt Adæ commiſſum, quod contrahit, poſtquam Tit. 3.

Verbum

*Verbum caro factum eſt*; non accurrit quodammodo ad humanitatis benignitatem, ſed ad patientiam Chriſti. Mententem exhibebit Auguſtini, de pœnitent. ſententia ſantis: *Neque fornicatores, neque adulteri, &c. Regnum Dei poſſidebunt. Videte quemadmodum timorem & deſperationem ſalutis abſtulerit eis, qui hæc commiſerunt. Et hæc quidem aliquando fuiſtis; ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis. Et in Adam vtique quod perſeueranter peccat, theſaurizat ſibi iram; quod autem à Chriſto viuit, patientia Dei ad pœnitentiam eum adducit.* Libra hoc: *Patientia Dei ad pœnitentiam eum adducit*: Peccatores etenim adiicientes actualia crimina poſt parentis labem adducit quodammodo ad pœnitentiam non tam benignitas & humanitas naſcentis, quàm patientia Dei. Siquidem *Verbum caro factum eſt* ſpecialiſſimè, apparuitque humanitate indutum, vt homines, originali tranſgreſſione per Chriſtum dilutos, ab actuali inquinamento præſeruaret: *Vt ſobriè, & iuſtè, & piè viuamus.*

August.

---

## CAPVT VII.

### Verbum incarnatum ad infimum propter nos gradum deſcendiſſe dignoſcitur.

*Contra Superbiam medicina.*

57. Caietan.

CVr non dixit: *Et Verbum homo factum eſt*; ſed, *Verbum caro?* Reſpondet Caietanus, *Quamuis appellatione carnis intelligatur homo, cùm dicitur, quod Verbum factum eſt caro; Euangeliſta tamen non dixit: quod Verbum factum eſt homo; ſed factum eſt caro, ad explicandam diuinam dignationem in hoc, quod Verbum factum eſt id, quod eſt infimum in homine, ſcilicet caro. Maxima ſiquidem deſcribitur Dei benignitas, dum vſque ad infimum deſcendiſſe deſcribitur.*

58. *A ſummo Deitatis deſcēdit vſque ad ſummum ſinē vilē humanitatis.* Phil.2.

Quod expendens Paulus ait, *Non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Philip.2. En Deus formam accipit ſerui, habitu hominis, ſeu carne indutus inuenitur. A ſummo in ſummum deſcendiſſe deſcribitur, à ſumma Deitate, vſque ad hominis ſummum, id eſt, vſque ad ſummam humanitatis miſeriam, ſcilicet carnis indumentum. *A ſummo cælo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum.* Non homine indutum apparuiſſe dixit Apoſtolus, ſed hominis habitu, id eſt, carne: vt celſitudini tantæ (*Eſſe ſe æqualem Deo,*) tantam ſubmiſſionem copularet. (*Habitu inuentus vt homo.*) Pulchrè D. Anſelmus: *Non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo. Cuius alta præmittit Apoſtolus vnde ſe ſua ſponte vſque ad infimam humilitatem inclinauit. Vt visâ prius ſublimitate eius, humilitas quoque maior appareret.*

Anſelm.

59. *A cedro Deitatis ad hyſſopum vilis carnis indumentum deſcendit.*

De Salomone Textus: *Diſputauit ſuper lignis, à Cedro, quæ eſt in Libano, vſque ad hyſſopum, quæ egreditur de pariete.* 3. Reg. 4. Vetus nempe Salomon Chriſtus à cedro vſque ad hyſſopum diſputauit. Quàm venuſtè à cedro eleuatiſſima vſque ad humillimam hyſſopum tranſitus obiicitur, dum Verbum è ſupremo Patris, Deitatiſque faſtigio ad nouiſſimum carnis deſcendit abyſſum. Strabus myſticè locum interpretatus, ait: *Hyſſopus herba humilis eſt, & ſaxo hærens, Chriſti ſignificat humilitatem, qui à cedro vſque ad hyſſopum diſputauit; qui ab excellentia gloriæ cœleſtis vſque ad carnis humilitatem deſcendit. Quæ egreditur*, ait Textus, *de pariete. Paries*, adiicit ille, *eſt caro noſtra. Vnde in Canticis, En ipſe ſtat poſt parietem.*

3.Reg.4. Strab.

60. *Verbū induit carnē veſtem mortuam quodāmodo.* 3.Reg.17. Gilleb.

Elias olim, *Expandit ſe, atque menſus eſt ſuper pueri cadauer.* 3. Reg.17. Pulchrum Incarnationis ſimulacrum. Carni ſeſe agglutinat Propheta, cadauer enim homo non eſt: *Verbum caro factum eſt*, vt factum homo, oſtendat ſe ad infimum hominis locum deſcendiſſe. Ad quæ Gilleb. apud Tilm. *Ideo deſuper illum te expandis Domine Ieſu, vt quod eſt fœdum in eo, operias, & quod mundum veſtias. Elias expandit ſe ſuper mortuum, Chriſtus exinaniuit ſe, vt formam ſerui ſuſciperet, habitu inuentus vt homo.* Vt ſcilicet quod eſt fœdum in homine, nempe carnem, Deitatis induceret fulgore.

61. *Verbum deſcendit Solis inſtar decem lineis vſque ad carnem.* 4.Reg.20. Steph.

Proh mirabile Verbi deſcenſum! Salutis ſignum à Propheta expetit Ezechias, cui Vates, *Vis vt aſcendat vmbra decem lineis, aut vt reuertatur totidem gradibus? Facile eſt*, reſpondet Rex, *vmbram creſcere decem lineis, nec hoc volo, &c. Et reduxit vmbram per lineas, quibus iam deſcenderat.* 4.Reg. 20. Quem locum egregiè expendit Stephanus: *Necdum Ezechias petierat ſalutis ſuæ ſignum, quando ei redditum eſt ſignum incarnationis. Vis vt aſcendat, an vt deſcendat Sol, ſcilicet iuſtitia, decem lineis: Cui reſpondit: Facile eſt, creſcere vmbram. Facile eſt, vt Sol iuſtitiæ, qui exultauit vt gigas ad currendam viam, aſcendat ſuper nouem choros Angelorum, & ſedeat in throno Dei Patris in vnitate Spiritus ſancti: neque hoc volo, quia non aſſequemur ſalutem omnes infirmi mundi huius. Sed volo, vt reuertatur retrorſum decem gradibus, & fiat minor Angelis. Deſcendit nouem lineas, id eſt, nouem Angelorum Choros, & minor illis effectus eſt, in natura ſcilicet humana.* Non ſatis Verbo, nouem gradus deſcendiſſe, ad humanamque naturam aduentaſſe, demum vlterius infimum gradum exquirere dignatur, ad carnem deſcendens. *Et Verbum caro factum eſt. Et vltra hoc*, (adiicit Doctor) id eſt, vltra nouem lineas, in homine conſtitutus, *alium gradum deſcendit, quando aſſumpſit carnem.*

62. *Deſcēſio Verbi à Deitate in hominem, ab homine in carnem deſcribitur.* Exod.3. Seuer.

Mirabilem deſcenſum Verbi hominis liberatuti ipſum profert, dum Moyſi ait, *Deſcendi vt liberem eum*, id eſt, populum Hebræorum. Exod.3. Ad quemnam gradum ô Domine, è ſinu Patris deſcendiſti? *In nouiſſimis temporibus*, Seuerus inquit, *ſuper omne genus noſtrum miſericorditer flexus eſt.* En Verbum in humanitate noſtra conſtitutum. Num inferiorem apud hominem gradum exquiſiuit? Adiicit pulchrè admodum Pater, *Velocitérque ſe ipſum feſtinantem exhibuit.* Quònam pergis, ô curſor velociſſime? Ad locum à rationalitate maximè abſtractum, ab homine rationali diſcedenti mihi longa via ineunda eſt, ad carnem pergo, ad id, quod in homine vilius adeſt, accurro; vti *Verbum caro factum* hominibus ſuperbientibus oſtentetur, eóſque à vanitatis exturbet ſupercilio.

## CAPVT VIII.

### Verbum incarnatum ſuperabundans medicamen ægritudini edocet adhibendum.

*Satisfactionis vbertas.*

63. Iren.

AD hæc D. Irenæus 4. cont. hær. *Ab initio aſſuetum eſt Verbum Dei deſcendere propter ſalutem eorum, qui malè haberent.* Fateor, quod hominum ſuperbia deturbanda ex Verbi humilitatis obiectu. At quare infimum locum tenuiſſe obiicitur, *Et Verbum caro factum eſt?* Annon ſufficeret: Et Verbum homo factum eſt? Profectò cœleſtis medicus curationis adhibet exuberantiam, vt nos doceat, quonam modo ægritudini animorum medicina præparanda ſit. Superbiendi tumor humilitatis copiis diſperibit, ſicut auaritiæ languor prodigâ reſtitutione medicamen excipiet, immundæque incontinentiæ ignis exitialis incontinentiâ, ſiue exuberantiâ lacrymarum extinguetur. Oſtendo in ſingulis.

64. *Superbia lāguor ſuperabundāti ſubmiſſione curatur.* Marc. 2. Chryſol.

Et quidem vt ſuperbiæ medicamen adhibeas, non iuſtâ menſurâ humilitatem exerceas adeò vt humilitas ſuperbiam exæquet, ſed pro viribus innitere, ſuperbiam obrui humilitatis, & ſubmiſſionis exceſſu. *Non veni,* inquit Veritas, *vocare iuſtos, ſed peccatores.* Marc. 2. Tunc Verbum factum caro, huiuſmodi verba protulit, quum à Phariſæis ſuperbis taxabatur, quod cum peccatoribus conuiuium iniret. Deus bone, iuſtos reſpuis, peccatores aduocas: Difficiliorem reddit Chryſolog. ſermone 29. ſententiam: *Non hic,* ait, *Dominus iuſtos reſpuit, ſed ſuperbos.* Ac ſi diceret: Non veni vocare ſuperbos, ſed peccatores. Si iuſti, quonam modo ſuperbi? Superbi ſunt adhuc quodammodo, quia licet ad humilitatis ſubmiſſionem ſeſe receperint, tam iuſti ſunt, tam iuſtâ menſurâ vtuntur, vt ſuperbi certo modo remaneant ob periculum regreſſionis. Deberent profectò humilitatis exuberantiâ ſuperbiæ mederi languori, quemadmodum Dauid: *Amplius laua me,* vt ſtabilius ſint humilitatis cultores. Sufficit planè ad gratiam ineundam, iuſtitiam exæquare delictum; ſed vt ſtabilior ſit pœnitentia, abundante delicto, ſuperabundet ſanctitas. Ne perfunctoriè medicamine affecti, illicò languore corripiamur.

65. *Auaritia ægritudo vberrima reſtitutione aboleatur.* Luc. 19. Caietan.

Haud aliter pharmacum auaritiæ ægritudini præſcripturus, prodigâ reſtitutione cura ſatisfacere. *Ecce,* inquit coram Ieſu Zachæus, *dimidium bonorum meorum do pauperibus, & ſi quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* Luc. 19. In quæſtionem affero, Quare diues ille quadrupla reddit, ſi abſtulit ſimpla? Annon æqualis ablationi reſtitutio ſufficeret? Ita planè. At ad vberiorem ægritudinis medelam, ad valetudinis exuberantiam, prudenter quadruplum exhibet, vt longè abs ſe ſimplum remoueat ablatum. Caietan. appoſitè, *Perfecta,* inquit, *forma ſatisfactionis eſt, reſtituere ablata non ſimpla, ſed quadrupla.* Perfecta, inquã, forma eſt. Non dixit: Iuſta. Nam iuſta reſtitutionis forma eſſet, ſimpla pro ſimplis exhibere. At perfectioni ſtudens, quanto amplius pauperibus diſtribueris, tanto ſtabilius ab auaritiæ peſte liberaberis.

Incontinentiæ denique languori remedium adhibere curas. Porrò incontinentiæ ignis incontinentis fletus vndâ obruitur. Accedens ad Chriſtum Magdalena *lachrymis cœpit rigare pedes eius.* Luc. 7. vbi Caietan. ſent. 1. quæſt. 1. requirit, *Quomodo mulier peccatrix ſtans lauerit pedes Domini lachrymis?* Et reſpondet, *Exuberantiam fletus & lachrymarum in illa peccatrice deſcripſit ex hoc, quod non potuit continere lachrymas, imo lachrymarum profluuium vſque ad ſui proſtrationem ad pedes Chriſti. Propter quod ſignanter Euangeliſta non dicit, quod ſtans rigauit pedes eius; ſed quod ſtans cœpit rigare. Significans per hoc incontinentiam lachrymarum.* Pulchrè planè lachrymarum dixit *incontinentiam.* Incontinentia namque peccatricis licet vnica ardenti lacrymâ aboleri poſſet, in exuberantis pœnitentiæ documentum appoſitè obruitur incontinentiâ lacrymarum. Superabundet inibi medicina, vbi infirmitas abundauit. 66. *Incontinētia infirmitas lacrymarũ incontinentia obruatur.* Luc. 7. Caietan.

---

## CAPVT IX.

### *Verbum caro factum oſtendit, homines in Dei filios poſſe eleuari.*

DIxerat Ioannes homines ex Deo exortum habere Dei filios: *Sed ex Deo nati ſunt. Ne autem,* cum Auguſtino loquor, *miraremur, & horreremus tantam gratiam, & nobis incredibile videretur homines ex Deo naſci, quaſi ſecuritatem faciens, hoc dixit: Et Verbum caro factum eſt. Quaſi diceret, Quid miraris homines ex Deo naſci? Attende ipſum Deum ex hominibus natum.* 67. Auguſt.

Homines itaque ex Deo naſcuntur, Deus hominum Pater & mater eſt. Quonam hoc firmabis argumento? Deus ex hominibus exoritur, homo Dei pater, & mater exiſtit. Iſaias audiendus, *Antequam parturiret, peperit maſculum.* Cap. 66. Vbi ſic Damaſ. 4. fid. c. 5. *Quod de Virgine Maria intelligendum eſt, cuius enim neque voluptas præceſſit, neque pariendi dolor ſubſecutus eſt ſecundùm Prophetam dicentem: Prius quàm dolorem partus ſentiret, peperit; & prius quam adueniret tempus partus eius, effugit, & peperit maſculum.* Deus igitur naſcitur è muliere, hominis filius eſt. Quid inde? Subiicit Propheta: *Quis audiuit vnquam tale, aut quis vidit huic ſimile? Numquid parturiet terra in die vna, aut parietur gens ſimul, quia parturiuit, & peperit filios ſuos?* Sion, id eſt, Deus ſeu cœlum enititur fideles Dei filios. Præmiſsâ namque Dei ex homine natiuitate, conſequenter adiicitur hominum ex Conditore exortus. Lyran. *Hic conſequenter agitur de natiuitate fidelium per regenerationem.* Preme illam particulam, *Conſequenter.* Nã eo ipſo quod Propheta Deum ex hominibus naſciturum prædixerat, vi impulſus conſequentiæ ex Deo parente homines orituros affirmauit. Hæc enim vera illatio: Deus ab homine natus eſt, ergo homo poteſt à Deo Dei filius adoptione exoriri. 68. *Poſt Verbi incarnati expreſſionẽ conſequenter ſit planum homines à Deo exoriri.* Iſa. 66. Damaſ. Lyran.

Callere iam datur Angelici ſermonis ſenſum: *Quia non erit impoſſibile apud Deum omne Verbum.* Luc. 1. Præmiſerat Euangeliſta, *Et quod naſcetur ex te ſanctum vocabitur Filius Dei.* Loco parentheſis interpoſuit, *Et ecce Eliſabeth cognata tua, &c.* Et concludit, *Quia non erit impoſſibile omne Verbum.* Ex aliquorum ſententia copulanda, parentheſi excluſâ, vtraque clauſulâ: *Quod naſce-* 69. *Omnes homines poſſunt eſſe Verbum ſeu filij Dei adoptione, poſt Verbum incarnatum.* Luc. 1.

tur

*tur ex te, vocabitur Filius Dei, quia non erit impoſſibile apud Deum omne Verbum.* Ac ſi diceret, Ex quo Verbum ex homine naſci dignatus eſt, omnes homines poſſunt iã ex Deo Verbi in morẽ exoriri quodammodo. *Non* enim *erit impoſſibile omne Verbum.* i. Haud erit impoſſibile omnes homines adoptione Verbũ eſſe, ſiue Dei filios, ſiquidem poſſibile fuit, Verbum Dei ex homine filium hominẽ produſſe. Caietan. *Ex quo ſuperans omnia*
Caietan. *mirabilia, imò omnia excogitabilia, verum eſt, quod Verbum caro factum eſt, facilè credendum eſt homines, ex Deo naſci filios Dei. Non enim erit impoſſibile omne Verbum.* Hæc Verbum incarnatum hominibus magiſter optimus exhibet documenta, præſcribit pharmaca.

## OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

*Et habitauit in nobis.*

### Incarnati Verbi hoſpitium hominis præcordia.

*Vbi de diſpoſitione ad Chriſtum in Euchariſtia excipiendum, receptioniſque dignæ fructu.*

70. MEMINI me ex Patribus de ſpirituali Verbi incarnati apud humana pręcordia habitatione locum expoſuiſſe, licet ſenſerim cum iis, qui de commotatione corporea, ac inter nos conuerſatione eum interpretantur. Illuſtro tamen tantorum Patrum explicationem, & Caieta-
Caietan. num præmitto fantem: *Propoſitio*, In, *monſtrat quod non de habitatione locali, ſeu exterioris conuerſationis eſt ſermo. Dicendum enim fuiſſet, Et habitauit inter nos, vel nobiſcum, ſi localis habitatio ſignificaretur.*

---

### CAPVT I.

*Verbum caro factum pectoris noſtri amat hoſpitium.*

71. *Cor Domino praparatur.* Caiet. CHriſtus naſcitur? Cordis hoſpitium præparetur; nec enim eſt locus *in diuerſorio*. Caiet. *De habitatione in cordibus noſtris eſt ſermo, cùm dicitur, Et habitauit in nobis.*

72. *Chriſtus præcordia hominum deuotionis foribus intrat.* Vox illa incarnati Verbi ad oſtium animæ fidelis pulſantis, ſicut exprimit ipſa, *Vox Dilecti mei* (LXX. *Fraterni mei*, ſeu Filij Dei fratris hominum effecti.) *pulſantis, Aperi mihi ſoror mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.*
Cant. 5. Cantic. 5. Quaſnam ſibi fores apertas eſſe expetit Verbum, vti ad pectus hominis valeat penetrare, ſi roges. Primò, Deuotionis ianua. Ambroſ. lib. de Iſaac, cap. 6. *Etſi dormias, ſi modò deuotionem ani-*
Ambroſ. *ma tua neuerit Chriſtus, venit, & pulſat eius ianuam, & dicit, Aperi mihi ſoror mea, quia nuptiæ ſpirituales ſunt Verbi ac animæ. Aperi ipſam te mihi, noli coarctari, ſed dilatare, & adimplebo te.*

Deinde oſtio fidei ingreditur Sponſus. *Ianua* 73.
*noſtra* (Ambroſ. ſerm. 28. in Pſalm. 118.) *Fides eſt,* *Fidei.*
*quæ totam domum, ſi fuerit robuſta, communit, per* Ambroſ.
*iſtam ianuam Chriſtus ingreditur.* Deipara curans Dilecto fidei, & confeſſionis aditum pateſacere, quæ videbat, cõferebat in corde. *Conferens in corde ſuo.* Luc. 2. Vbi D. Bern. homil. 4. ſuper *Miſſus*, Bernard. *Aperi* (inquit) *Virgo beata, cor fidei, labia confeſſionis. Ecce deſideratus cunctis gentibus foris pulſat ad oſtium. O ſi te morantem pertranſierit, & rurſus incipias quærere, quem diligit anima tua! Surge, curre, aperi. Surge per fidem, curre per deuotionem, aperi per confeſſionem.*

Pateant denique contemplationis fores. D. 74.
Ambroſ. exhort. ad Virg. *Eſt & alia ianua, quam* *Et contemplationis.*
*vult* Verbum *parare, vt aperiatur, vt reſonet os ſuum laudem Domini, gratiam Sponſi.* Conſentit Ambroſ.
Nyſſen. homil. 11. affirmans oſtium, quod Chri- Nyſſen.
ſto cor ingreſſuro dandum eſt, eſſe coniecturalem myſteriorum cogitationem. *Ex hoc igitur, quod Verbum factum eſt caro*, loquor cum Caiet. *impeditum non eſt ab habitando ſpiritualiter in* Caietan. *animis noſtris. Quia Verbum ita factum eſt caro, quod tamen habitauit ſpiritualiter in nobis,* aditum ingredienti per fidem, deuotionem, & contemplationem patefacientibus.

---

### CAPVT II.

*Verbum in nobis habitans ſub Euchariſtiæ velamine ad proprium vſum domum conuertit.*

EST & realis Verbi incarnati ingreſſus ad hu- 75.
mana præcordia, quæ veraciter inhabitat ſub *Cõmunionis die nequaquã aut potentiis, aut ſenſibus à Domino egrediaris.*
Euchariſtiæ velamine abſumptum. Qui quoddam occupat domicilium, ad proprios eo vſus vtatur neceſſe eſt. Quidni Chriſtus pectoris noſtri domo exceptus, intellectu, voluntate, cogitatione, ore, viſu, auditu, reliquiſque ſenſibus vti delectetur? Ad hæc Caietan. *Dicendo, quod habitauit in* Caietan. *nobis, explicat, quod fuit intus in animis noſtris, continuò vtens intellectu, voluntate, affectibus, viribus, ſtudio, operibúſque noſtris ad ſe ipſum. Hoc eſt ſiquidem Verbum caro factum habitare in nobis. Habitator enim ad proprium vſum domo vtitur.* Num domus domo egredi poteſt? Minimè. Homo igitur Chriſti domus effectus, à ſe non egrediatur; ſed potius tanto hoſpiti agglutinetur. Id quod duplici panis, ac vini planum fiet ſimilitudine.

Euchariſticus panis à Vate *frumentum electo-* 76.
*rum* appellatus eſt, Zach. 9. Et quidem electorum *Id ex pane probatur.*
frumentum panis eſt ab electis fidelium granis Zach. 9.
coaleſcens. Potéſtne granum pani adhæreſcens egredi à pane? Minimè. Quonam modo igitur fidelis pane Euchariſtico copulatus, ab ipſo diſcedet? Cæſar. Arel. homil. 7. de Paſ. *Sicut frumentum*, inquit, *ſolità purgantis ſolicitudine præpara-* Cæſar. Arel. *tum, in candidam ſpeciem molarum labore perficitur: ac per aquam & ignem in vnius panis ſubſtantiam congregatur: ſic variæ gentes vnum de ſe Chriſti corpus efficiunt. Sicut ergo grana ſeparari*

*ab illius confecti panis adunatione non poſſunt; ſic & fideles quique, atque ſapientes ita debent quaſi inſeparabilia membra capiti ſuo conuerſatione, & ardentiſſima religione ſociari: vt ab eo non volunta-te, non neceſſitate ſeiungi, non vlla terrena res ambitione, non denique ipſa poſſint morte diuidi.* Illa pende: *Quaſi inſeparabilia membra capiti ſuo.* Panis eſt Chriſtus caput noſtrum, panis quique fideles excipientes exiſtant, voluntas, conuerſatio, ſeu ſermo, potentiæ ac ſenſus reliqui quaſi grana, vnum panem inſeparabiliter Dominico pani hærentem conficiant, vt habitator ad proprium vſum domo vtatur excipiente.

77. *Ex vino oſtenditur.* Ioann. 2.

Chana *nuptiæ factæ ſunt.* Ioan. 2. Aquam Chriſtus in vinum conuertit, ſiue populum fidelem ſibi copulauit: illámque aquæ ad vinum in myſteriis præfigurauit admiſtionem, quâ populus incorporatus Chriſto Domino obiicitur. Rogo, poſt aquæ in vinum conuerſionem potéſtne aqua à vino egredi? Non poteſt. Poſtquam ergo homo per communionem Chriſto eſt incorporatus, nullatenus ab ipſo egredi debet; ſed intellectu, voluntate, cogitatione, viſu, linguâ ei obſequium inſeparabiliter impendere. Idem Cæſarius, *Aduertimus in aquis figuram gentium demonſtrari, in vino autem figuram Dominicæ paſſionis oſtendi. Ac ſic dum in Sacramento vino aqua miſcetur, Chriſto fidelis populus incorporatur, & iungitur, & quadam ei copula perfectæ charitatis vnitur. Vt poſſit dicere cum Apoſtolo: Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?* Tribulatio? Inefficax, poſtquam tribulationum aqua vinum facta eſt membris ſoporem immittens. *Anguſtia?* Inſufficiens, aqua in vinum verſa lætificans. *Fames?* Haud potens, poſtquam in vero potu verus ineſt cibus. Nihil itaque ſit, quod te domum, vbi Dominus commoratur, faciat ab inhabitantis vſu dimoueri.

Cælan

78. *Non licet ſine ſocio Chriſto se à Chriſto recedere.* Ioan. 19. Rupert.

Non tibi e Chriſto ſine ipſo egrediendum eſt. E corpore Dominico aqua & ſanguis profluxit. *Exiuit ſanguis & aqua.* Ioan. 19. Nec enim fidelis in aqua adumbratus è corpore Dominico exit, niſi ipſum Chriſti ſanguinem ſocium ſortiatur. Rupert. lib. 2. de op. Spir. cap. 11. *Quæ de latere Ieſu fluxit aqua, lauit nos, ſed de ſocio ſanguine.* Vbi illud premo, *De ſocio ſanguine.* Nec enim nõ aqua fidelium gerens perſonam deperiret, ſi huiuſce ſocij ſanguinis munimine non conſeruaretur. Cur Iudas proditionis crimine corripitur? ſeſe laqueo ſuſpendit? tenebris æternis adducitur? *Cum ergo accepiſſet ille buccellam, exiuit continuò.* Ioan. 13. Exiuit à Chriſto ſine Chriſto, non ſocium Chriſti ſanguinem ſpiritualiter afferens, ſanguinis Dominici reus factus, & graui ob receſſum ſupplicio affectus eſt. *Exiuit,* (inquit Hugo Card.) *de collegio.* Ac ſi diceret, exiuit de pane granum miſerũ: conculcatum eſt, aues diripuêre, deperiit, domus illa diabolo præparauit hoſpitium, cuius habitantis in vſum omnia paruêre.

Ioan. 13.

Hugo.

---

## Capvt III.

### *Verbum in nobis habitans, gratijs, ac virtutibus domum facit ornari.*

79. *Cur non fit memoria*

AD illa verba: *Et Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.* notanter Caietan. *Non dixit; contulit nobis gratiam fidei, ſpei, charitatis.* Videbatur etenim poſt illud, *In nobis* inhabitationis conſequenter fructum exponendum. Habitauit in nobis, & contulit nobis gratiam, ſeu aptiùs, dixerim, hoſpitij mercede fidem, ſpem, & charitatem.

*munerum, quen Dominus ſuum ornat hoſpitium?* Caietan

80. *Quia habitante in nobis Domino, conſequenter nos bonis donat cœleſtibus.*

Porrò Zachæi domo exceptus, eam ſpiritualibus muneribus implet. *Hodie ſalus domui huic facta eſt.* Luc. 19. Præcurſorem inuiſens, domum geſtientem efficit bonis cœleſtibus redundare. Luc. 1. Habitat apud Deiparam? Gratia plena deprædicatur. Luc. 1. Commoratur in rubo? Ardet, elucet ſine combuſtione. Exod. 3. Hæret præſepio? Cœlicolæ concinunt, tugurium fit patria beatitudinis. Luc. 2. Ad Ægyptum properat? Concidunt ſimulachra, Angelicis hominibus eremi præparant domicilium. Chanæ nuptiis adeſt? Vina redundant. Ioan. 2. Cur igitur cordis noſtri, Domino incola memorato, de muneribus felicis Obededonis mentio non agitur? Num quia talis clauſula ſuperflueret? Ita planè. Nec enim opus ad memoriam expreſsè adducere ea, quæ nobis à tanto hoſpite conferuntur, ſi Dei præſentia vix poteſt à muneribus, vti vidimus, contineri. In nobis habitauit? Contulit igitur nobis munera, vt domus lutea ſpirituali ornatu digna cœleſti habitatore redderetur.

81. *Habitat Verbum domum luteam humanitatis & ſeptiformi ſpiritu replet.* Prouerb. 9. Cæſar.

Increata Sapientia *ædificauit ſibi domum.* Quãnam? Verbum caro factum domo lutea humanitatis vtitur. D. Cæſarius Arel. cit. ſic, *In Salomone de ipſo Domino dictum legimus: Sapientia ædificauit ſibi domum. Id eſt, corpus hominis aſſumpſit, in quo habitaret plenitudo Diuinitatis.* Mox ſubiicit Sapiens, *Excidit columnas ſeptem.* Prouerb. 9. Quibus profectò ſeptiformis gratiæ, ſeu virtutum ſpiritus deſignantur. Ac ſi diceret: Si luteam hominum domum Diuinitatis dignatur habitare: quid non eam ſua oppleat plenitudine? Appoſitè Pater, *Et ſubdit columnas ſeptem, quia illum benedictio Spiritus ſancti gratia ſeptiformis impleuit.* Diuinitatem comitantur munera, Dei præſentiam diuina ſequitur abundantia.

82. *Affirmant Moyſes Spiritum ſanctũ aquarum incolam, eas aſſeruit fuiſſe ornatas.* Gen. 1.

Poſtquam Deus terram exædificauit, ad eius illicò ſeſe accingit ornatum. *Igitur perfecti ſunt cœli, & omnis ornatus eorum.* Geneſ. 2. Aquæne ſolummodo Artifex ſapientiſſime, è tuis manibus inornatæ diſcedent? Voco igitur ad quæſtionem, Cur nullam de aquarum ornatu Moyſes fecerit memoriam? An non pretioſis margaritis, cryſtallo, gemmis, conchis, arboribus, granis argenteis, & auriferis, innumeris piſcium ſpeciebus aquas experimur ornatas? Non ergo fruſtrà huiuſcemodi ornatus ſilentio inuoluitur. Soluit difficultatem Textus adiiciens: *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Non plura. Et quiſnam hic Domini Spiritus? Theodor. *Quibuſdam videtur eſſe Spiritus ſanctus, qui viuificabat, & fœcundabat aquarum naturam.* Aquæ Spiritui Domini præſtant hoſpitium? Sic ipſe fœcundator exornauit aquas, vt dignum exiſterent Spiritus ſancti domicilium. Non itaque neceſſarium fuit aquarum ornatum verbis fuiſſe expreſſum, ſi affirmãs Moyſes Deum vndarum fuiſſe habitatorem, conſequenter aſſeruit à fœcundatore, ac viuificatore vitâ ac fœcunditate eſſe donatas.

Theod.

83. *Quaſi ex vi conſequentia Chriſtus bonis replet eos quos ſcũdegit.* 1. Cor. 11.

Deus in nobis commoratur? Ergo pectoris domicilium virtutibus, doniſq; cœleſtibus exornat. Huiuſce vim conſequentiæ perpendens Paulus, ait, *Bibebant de ſpirituali conſequente eos petrâ, petra autem erat Chriſtus,* 1. Corinth. 11. conſequente videlicet eos, vt gratiæ vndas proferat in

abun

Google

abundantia. Conſequens autem petra Chriſtus vocitatur, quia vi coolequentiæ (ſi liceat verbis ludere) manet Dominus illigatus, eos, quos ſequitur, miſericordiæ riuis inebriare. Perpulchrè D. Cæſarius vbi ſuprà: *Bibebant*, inquit, *de conſequente petra. Vides quod qui de Chriſti gratia biberit, ſequitur eum Chriſti miſericordia.* Quàm conſequens petra! Nec enim (audax dico) tam conſequens eſſet, ſi eos, quos ſequitur, riuis cæleſtium munerum non oppleret.

Cæſar.

## CAPVT IV.

### Chriſtus in nobis, transferendo vtique tabernaculo, commoratur.

*Vbi de humanæ vitæ breuitate.*

84. ILla verba: *Et habitauit in nobis.* Græcè ſic: *Et in tabernaculo habitauit.* Exponit Mald. *Non tanquam indigenam in patria ſua, ſed tanquam hoſpitem, & peregrinum in aliena apud nos ad tempus habitaſſe affirmat Euangeliſta.* Qui in patria commorantur, domos occupant. Peregrinantibus filiis Iſraël pro domibus tabernacula præſtitêre domicilium. In nobis hîc Verbum habitat, & vt in tabernaculo degit? Ita planè; quia in præſenti *non habemus ciuitatem permanentem, ſed futuram inquirimus.* Animus, cuius patria cœleſtia culmina, peregrinus corporis occupat ad tempus tabernaculum; vnde Verbum hominis morem gerens in nobis, quaſi in tabernaculo recipitur, ad patriam denique à cœleſti hoſpite transferendo.

Maldon.

Heb. 13.

85. Profectò hominis corpus tabernaculum eſſe confirmo. Paulus: *Nam & qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus grauati, eo quod nolumus ſpoliari; ſed ſuperueſtiri.* 2. Cor. 5. vbi D. Anſelm. *In hoc tabernaculo, id eſt, in hoc corpore, quod eſt tabernaculum animæ, vt in eo militet ad tempus Deo in via præſentis vitæ.* Quid igitur? Tabernaculúmne efficiam ciuitatem, dum ſpoliari non patior; ſed ſuperueſtiri? *Nolumus*, ait Pater, *ſpoliari; ſi fieri poſſet, ita vellemus fieri immortales, vt iam veniret ipſa immortalitas, & modò ſicut ſumus, mutaret nos; vt mortale hoc noſtrum à vita abſorberetur; non per mortem corpus poneretur.*

*Corpus tabernaculum, in quo æternum nulli habitare expetiit.*
1. Cor. 5.
Anſelm.

86. Quàm igitur diuturna erit noſtra in transferendo tabernaculo commoratio? Proh huiuſce peregrinationis vitæ incertitudo! Singulis poteſt inſtantibus tabernaculum corporis è vitali innere ad ſepulchrum transferri. Petrus à tabernaculi apud Thabor exædificatione edoctus: *Iuſtum*, inquit, *autem arbitror, quamdiu in hoc ſumus tabernaculo, ſuſcitare vos in commonitione, certus, quod velox eſt depoſitio tabernaculi mei.* 2. Pet. 1. Erat, quando Apoſtolus hic æternitate potiri tabernacula, neſciens quid diceret, adſerebat; conſcius iam veritatis, breui temporis interſtitio transferendum affirmat. Hugonem Card. accipite: *In hoc tabernaculo, id eſt, in hoc corpore, quod dicitur tabernaculum, quia in ipſo militant Sancti. Hoc eſt tabernaculum, quod transferri poteſt, eſt enim tranſitorium.* Hæc adnota: *Quod transferri poteſt.* Nullum humanum corpus, quod ad buſtum non poſſit transferri, tabernaculum etenim eſt. Annon adoleſcentia ſecu-

*Velox eſt huiuſce tabernaculi depoſitio.*

2. Pet. 1.

Hugo.

rè commoratur? Porrò etſi adoleſcens naturaliter poteſt viuere, etiam mori poteſt, transferri poteſt. Singulis namque momentis tranſitorium hoc poteſt transferri tabernaculum. Quid ergo tibi indulgens, Neſtoria ſæcula promittis?

Vnico verbo oſtendam exiguam huiuſce tabernaculi apud viuos commorationem. Chriſti Domini perfectiſſimum, quæſo, tabernaculum oculis obiicias, ſiue pellibus Salomonis durationis gratiâ contectum, ſiue in diuturnitatis benedictionem ſanctificatum. Dauid, *In Sole poſuit tabernaculum ſuum.* Pſ. 18. Vbi Incognitus: *Tabernaculum ſignificat Chriſti corpus, & humanitatem; quoniam tabernaculum dicitur militantium.* Strab. *Tabernaculum accipe Chriſti corpus, in quo Verbum venit aereas expugnare poteſtates.* Et quare Chriſtus tabernaculum ſuum, ſeu humanitatis corpus in Sole collocauit? Num quia cœleſtibus virtutibus prælucet? Num quia inſtar magni illius luminaris omnibus beneficum exoritur? Num quia illuminat omnem hominem à nihilo, ſeu à peccati tenebris in hunc mundum aduentantem? Omnia hæc vera; ſed argumento cognatius, tabernaculum, ſiue humanitas, ſiue corpus in Sole ſtatuitur; quia vti D. Zeno innuit: *Sol quotidie naſcitur, & in eadem die, quâ naſcitur, moritur.* Hæc eſt perfectiſſimi humani corporis eſſentia ephimerico curſu deperire, vnius diei circulo terminari. 87.

*Perfectiſſimû Ieſu corpus tranſlatû ad tumulum tabernaculum fuit.*
Pſalm. 18.
Incogn.
Strab.

Adiicit Vates, *Et ipſe tanquã Sponſus procedens.* Pſ. 18. Quàm venuſtè procedens vocitatur ſponſus! Vel in die deſponſationis non ſiſtit, non moratur; ſed procedit, & giganteo curſu protendit ad occaſum. Si velox Dominici tabernaculi, ſeu corporis perfectiſſimi depoſitio, Spõſæ Mariæ fœminarum pulcherrimæ Angelorum, hominûmque Reginæ perfecta admodum corporis exædificatio, inſtar tabernaculi, transfertur, deponitur. *Vidi*, ait Ioannes, *Ciuitatem ſanctam Ieruſalem deſcendentẽ de cœlo à Deo paratam, ſicut Sponſam ornatam viro ſuo.* Apoc. 21. Et quidnã adeò pulchrum, & perfectũ poteſt cum Sponſæ Mariæ præſtantia cõparabile iudicari? Proh humanitatis infirmitas! Obiectâ oculis incredibilis ſpeciei Virgine, ſpõſa à Deo præparata ſibi, Matre Ieſu, vox cœleſtis perſonat, *Et audiui vocem dicentem: Ecce tabernaculum.* Ibid. Tam præſtantis formæ fœmina tabernaculũ transferendum, deponendum deprædicatur, corpus illud nullis in vitæ perbreui curſu (ne dicam volatu) morulis detinetur. Demens mundialis, qui quaſſatâ arundine nititur. 88.

*Spõſa Mariæ corpus pulcherrimũ tabernaculum deponendum prædicatur.*
Pſalm. 18.

Apoc. 21.

## OBSERVATIO III.

### Ad illa verba,

*Et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti à Patre.*

Vidimus Ieſum Vnigenitum à Patre, ex Stella, ex Angelis, ex Paſtoribus, ex Simeone, ex Gabriele, ex Virgine, ex Patre ipſo & Spiritu ſancto.

*Vbi de fulgore iuſti nunquam non ſeſe reſerante.*

REQVIRIT Ammon. Quomodo Ieſu gloriam quaſi Vnigeniti à Patre viderimus? Ammon. 89.
Et

Digitized by Google

Er reſpondet, *Vidimus per Stellam Magorum, per Angelos, per Paſtores, per Simeonem, per Gabrielẽ, per Virginem, per Patrem, & Spiritum ſanctum.* Et quidem Ieſum gloriam à nobis aſpectatam quaſi Vnigeniti à Patre fuiſſe, ſumma cœleſtium, terricolarúmque frequentia teſtificatur. A ſingulis aſſumo teſtimonium.

90. *Dat teſtimonium Stella Magorum. Matth. 2. Chryſol.*

Det teſtificationem Stella. *Per Stellam Magorũ.* Inclamant apud Ieroſolymam Orientales, *Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudaorum? Vidimus enim Stellam eius, & venimus adorare eum.* Matth. 2. vbi Chryſol ſerm. 156. *Hoc eſt dicere: Cur Rex in praſepi iacet, & non decumbit in templo? Cur latet in ſpecu, & manifeſtus in Sanctuario non habetur? Agnouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus praſepe Domini ſui: tu autem Iſraël tuum Dominum non quaſiſti?* Reges itaque proſantes: *Vbi eſt, qui natus eſt Rex?* Ieſum Vnigenitum à Patre verum Meſſiam profitentur, Verbum vtique creaturarum molitorem. Et vndenam eum Verbum Dei Filium dignouêre? Adiiciunt, *Vidimus enim Stellam eius, & venimus adorare eum.* Ac ſi dicerent: Ideo Puerum natum è fœmina primogenitum, Regem Vnigenitum adorandum deprædicamus: quia eius Stellã, ab eo vtique excitatam aſpeximus. *Apparuit*, inquit Pater, *Stella non volens, ſed iuſſa: non cæli nutu, ſed Diuinitatis impulſu non cæli climate, ſed virtute naſcentis.* Naſcens imperat luminaribus? Ergo lumen ille de lumine Deus verus de Deo vero.

91. *Angeli teſtificantur.*

Ab Angelis teſtimonium deſumamus. *Per Angelos.* Concinunt Cœlicolæ, admonent Paſtores natum Meſſiam, cœleſtis militiæ multitudo peruolat Duci magno præſentans obſequium. Non igitur dubium, quin omnium Dominus aduentarit. *Vidit* olim *Iacob ſcalam*, cuius verticẽ Dominus occupabat. Gen. 18. Ad quem locum Rupert. *Vidit Iacob ſcalam, & Dominum innixum ſcala, id eſt, incarnandum de Maria.* Euigilans Patriarcha exclamat: *Verè Dominus eſt in loco iſto.* Vndenam colligis natum è fœmina Dominum? Quia Angeli *aſcendentes, & deſcendentes*, ei impendunt obſequium. Bellè Auguſt. *Iacob in ſcala Chriſtum prauidit in terris, ad quem Angelorum caterna deſcendit, obſequium proprio Domino pio ſeruitio prabitura.* Nec enim nato homini Angeli obſequerentur, niſi Chriſtus ille Dominus, Patris Vnigenitus, Primogenitus Matris exiſteret.

*Geneſ. 18. Rupert.*

*Auguſt.*

92. *Paſtores dãtur in teſtes.*

Teſtificentur iam Paſtores. *Per Paſtores.* Quis crederet plorantem Puerulum Patris eſſe vnigenitum, niſi ex Angelica admonitione Paſtores adorantes intuerentur? Hebræi Paſtores fratres Ioſeph apud Ægyptum adorant quem vendiderãt. *Eleuauit Ioſeph vocem cum fletu, & dixit: ego ſum Ioſeph. Adhuc Pater meus viuit?* Gen. 45. Dignoſcitur Protex Ægypti filium eſſe Iacobi tunc cùm lacrymas emittit. Egregiè D. Ambroſ. hîc incarnationis myſterium contemplatus eſt, dum plorans Ieſus, Patris Vnigenitus ex adoratione Paſtorum reuelatur. Emittens vocem cum fletu, ait: *Ego ſum, ego loquebar*, Verbum ſcilicet Patris, *ecce adſum, & palam factus ſum* Paſtoribus *non quarentibus me. Ego ſum diuina potentia, Pater meus viuit. Hoc eſt, ego Patrem non nego, ego fratres agnoſco.* Licèt enim humanitate indutus appareo, Diuinitatis fulgor oculis præſentatur humanis, vnde me viuentis æternum Patris Vnigenitum obiicio.

*Gen. 45.*

*Ambroſ.*

93. *Simeon teſtis producitur. Luc. 2.*

Vocis Simeonis teſtimonium habeamus. *Per Simeonem.* Quid ille? *Viderunt oculi mei ſalutare tuum, quod paraſti ante faciem omnium populorum, lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tua Iſraël.* Luc. 2. Proh nubecula parua vix hominis veſtigium, quid tibi cum Vnigeniti à Patre lumine indeficienti? Latet inibi lumen ad reuelationem gentium, vidente Simeone: *Viderunt oculi mei.* Rupert. ad illud: *Ipſe erit expectatio gentium.* Gen. 49. ait: *Huic lucerna Simeon ſenex attendens, reſponſum accepit à Spiritu ſancto, non viſurum ſe mortem, niſi videret Chriſtum Domini, & vidit, & confeſſus eſt eum eſſe lumen.* Adeò mediis in tenebris humanitatis Vnigeniti luminare fulgurabat.

*Rupert.*

94. *Gabriel dat teſtificationẽ. Exod. 40. Incogn.*

Archangelum Gabrielem teſtem produco. *Per Gabrielem.* Olim Deus, *Menſe primo, die prima menſis eriges tabernaculum teſtimonij.* Exod. 40. Chriſti corpus diximus tabernaculum ex Incogn. ad illud: *In Sole poſuit tabernaculum ſuum.* Hoc itaque tabernaculum, ſiue corpus Ieſu teſtimoniũ eſt Diuinitatis, ſeu Verbi per quod omnia fuêre exædificata. *Omnia per ipſum facta ſunt.* Preme particulam illam: *Menſe primo, die prima menſis.* Annon eodem tempore *in principio* ſeu in Verbo creauit Deus cœlum & terram? Geneſ. 1. Ita planè. Hac equidem temporis inſtantiâ Gabriel Deiparæ incarnationis myſterium reſeruauit, vt humanitas aſſumpta huiuſmodi creationis tempore eſſet in Diuinitatis orbis conditricis teſtimonium. Allicio ad meam mentem Theod. fantem, *Hoc eodem tẽpore* (id eſt, *menſe primo, die prima menſis*) *vniuerſitatem rerum Opifex condidit. Ob id ſub hoc tempus Angelus Gabriel beata Virgini feliciſſimum nuntium tulit.* Illud preme: *Ob id*, id eſt, quia hoc tempore. Opifex in Verbo, in Filio omnia exædificauit, Gabriel incarnationis attulit eodem tempore nuntium, vt Opificis Verbi humanitate induendi gloria reſeraretur.

*Gen. 1.*

*Theod.*

95. *Deipara atteſtatur.*

Cui veritati teſtimonium ſit Virgo Dei patens. *Per Virginem.* Profectò Ieſum è Virgine naſci nil aliud eſt, quàm Vnigeniti à Patre gloriam manifeſtari. *Videbat* aliquando Moyſes, *quod rubus arderet, & non combureretur.* Exod. 3. Et quidnam rubus ardens ſine combuſtione niſi conſeruata in conceptione, & partu Deiparæ virginitas iuxta Eccleſiaſticum illud: *Rubum incombuſtum conſeruatam agnouimus tuam laudabilem virginitatem?* Annon ignis de virginitate Deiparæ fert teſtimonium? Quis dubitet? Porrò illud ipſum rubum non comburi, ſeu virginitatem illæſam conſeruari, dat de igne Diuinitatis teſtificationẽ. D. Cyrill. apud Lipom. *Diuinam naturam ſacra litera igni aſſimilant. Deus noſter ignis conſumens eſt. Habitauit in Chriſto plenitudo Diuinitatis corporaliter, & qui lucem inhabitat inacceſſibilem, in templo è Virgine ſumpto inhabitauit.* Ex eo enim, quod ab igne concepto (ſiue Chriſto, in quo plenitudo Diuinitatis corporaliter habitat) non læditur virginitas, Diuinitatis fulgor oſtentatur.

*Exod. 3.*

*Cyrill.*

96. *Teſtatur Pater & Spiritus ſanctus. Gen 18. Rupert.*

Produco denique Patrem, & Spiritum ſanctum in teſtes. *Per Patrem, & Spiritum ſanctum.* Cùm concipiendus eſſet Iſaac, Trinitas Abrahamo apparuit. *Quos cum vidiſſet, adorauit, &c.* Geneſ. 18. Rupertus: *Aptè vbi naſciturus erat Iſaac, Trinitatis myſterium reuelatur; quia vbi Chriſtus naſcitur, eiuſdem incarnationem praſentia ſua maieſtatis tota Trinitas in hoſpitio Virginei ventris operatur: & nomen eiuſdem Trinitatis publicâ pradicatione declaratur.* Quia videlicet tantus natiuitatis fulgor, vt indicet gloriam Vnigeniti à Patre, Spiritumque ſanctum Virginis ſponſum manifeſtet.

OBSER

# OBSERVATIO IV.

## Ad illa verba:

### *Plenum gratiæ, & veritatis.*

### Gratia & veritas cum Ieſu pariter incedunt.

### *Quia iuſti plerumque veraces, mendaces peccatores.*

97. Caietan. DISTVLI in locum hunc magis venuſtá, quàm veram Caietani interpretationem. *Dictio, Plenum, eſt caſus nominatiui in originali. Maſculini generis eſt in Græco tam Verbum, quàm Ioannes. Ex quo hæc particula minus quadrat cum præcedentibus, & ſuauiſſimè quadrat cum ſequentibus. Debuit transferri: Plenus gratia & veritatis Ioannes vt teſtimonium perhiberet de ipſo.* Et adijcit: *Cum his tamen eleua mentis oculos, & perſpice Euangeliſtam ſignificantiſſimè deſcribere qualitatem teſtis, talis tantique myſterij.* Ac ſi diceret Ioannes, Homo verax ille, qui à Deo immiſſus fert de incarnatione Verbi teſtimonium. Quam ſententiam minimè approbans, tamen in auctoris acuminis gratiam paucis illuſtro.

98. *Plenitudo gratiæ cauſa eſt plenitudinis veritatis.* Pſalm. 115. Caietan. An non præmiſerat: *Fuit homo miſſus à Deo?* Homo? Ergo mendax, iuxta carmen Dauidicum: *Ego dixi in exceſſu meo: Omnis homo mendax* Pſal. 115. Profectò huiuſmodi ſuſpicioné præoccupat Euangeliſta, dum ait: *Fuit homo miſſus, plenus gratiæ*: quod ſi gratiæ plenus, cõſequenter *& veritatis* apparet onuſtus. Egregiè Cardin. *Sciebat, quod omnis homo mendax, & hoc teſtimonium Ioannis hominis* miſſi à Deo, *ex ſuo genere fallax. Et propterea ſimul qualificatum cauſa, & effectu deſcribit. Plenitudo ſiquidẽ gratiæ eſt cauſa plenitudinis veritatis.* Ac ſi apertiùs dixiſſet, Quamuis Ioannes, quia homo, potuerit deficere à veritate; quia tamẽ plenus gratiæ, ac per hoc plenus veritatis, perhibet teſtimonium de ipſo Verbo, exẽptus eſt ab omni *ſuſpicione falſitatis.* Illud exprime: *Plenitudo gratiæ eſt cauſa plenitudinis veritatis.* Gratiæ plenitudo, veritatis connotat, imò cauſat plenitudinem. Et quando non gratia, & veritas pariter proficiſcuntur?

99. *Veritas ibi vbi gratia pax.* Exod 16. Cyrill. Caietan. Per caſtrorum circuitum olim Mannæ cryſtallum rutilabat. *Manè quoque ros iacuit per circuitũ caſtrorum.* Exod. 16. vbi D. Cyrill. 3. in Ioan. c. 34. *Verum,* inquit, *Manna, id eſt, Euangelica doctrina,* ſeu veritas *non in Hebræorum congregatione, ſed per circuitum caſtrorum, in omnibus videlicet gentibus rutilauit. In omnem enim terram ſpiritualis Mãna, id eſt, veritatis gratia fuſa eſt.* Pulchrè planè: *Mãna, ſeu veritatis gratia.* Quia videlicet *plenitudo gratiæ* ait Caietan. *eſt cauſa plenitudinis veritatis.* Quod ſi ad quæſtionem adducas, Quare veritas caſtra diffugiat? In promptu reſponſio eſt: *Iuſtitia & pax oſculatæ ſunt.* Vbi pax, ibi iuſtitia, ſiue gratia adeſt. Veritas igitur à caſtris remouetur, quia vbi gratiæ fulgor non rutilat, veritatis iubar minimè emicat.

100. *Pariter incedunt gratia & veritas inſeparabili ſocietate.* Incedunt ſimul gratia & veritas. Veritas ſociam miſericordiam nacta eſt. *Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi.* Mox adiicit Vates, *Iuſtitia & pax oſculatæ ſunt.* Nec enim veritas ſociç alteri hærens, potuit à pediſſequa iuſtitia, à gratia comite ſeparari. Iuſtitia veritatem comitatur, imò præcedit gratia veritatem profecturam. *Veritas de terra orta eſt, & iuſtitia de cœlo proſpexit.* Vnde, ne ſola graderetur veritas, iuſtitia *ponet in via greſſus ſuos.* Pſ. 84. Pſalm. 84.
Dixerat Dauid, *Terra noſtra dabit fructum ſuum.* Id eſt, proferet veritatem. Etenim *veritas de terra orta eſt.* Mox adiicit: *Iuſtitia ante eum,* id eſt, ante terræ fructum, ſeu veritatem *ambulabit, & ponet in via greſſus ſuos*; quia veritas & iuſtitia pariter progrediuntur, ductrice equidem iuſtitiâ, pediſſequâ veritate. Vnde à Ioanne pleno gratiâ, quid niſi pleni veritatis riui procederent? *A pleno gratiâ,* loquor cum Caietano, *non poteſt exire niſi verum teſtimonium.*

101. *Iudith ſanctitate pollẽs mentita non eſt, quia vbi gratia vnbi veritas.* Iudith 11. Liberant Doctores viduam Iudith à graui delicto, quando ſpecie obiecta luxurioſo Duci, eum curat obcæcare fulgore. Profectò ſanctiſſima Holoferni profatur: *Ego ducam te per mediam Ieruſalem, & habebis omnem populum Iſrael, ſicut oues, quibus non eſt paſtor.* cap. 11. Quæritur, num commiſerit Iudith mendacium? Si verba pendantur, quis non inueniat contra fœminæ fideliſſimæ mẽtem fuiſſe prolata? At ſi ſanctæ mulieris iuſtitiam minimè maculatam exceſſu vllo contemplemur eam omnino à falſitatis ſuſpicione liberabimus. Non enim aſſolet iuſtitia & gratia ab aſſidua ſibi comite veritate ſeparari. Quare appoſitè Auguſt. 129. de temp. *Non decuit,* ait, *pudicam mentiri.* Ac ſi diceret: Si Iudith voluptatis amore fuiſſet contaminata, non mirum in mendacium fuiſſe prolapſam. At quæ non excidit à iuſtitia, minimè excidit à veritate.

102. *Leuitica Tribus filij veri, quia ſancti.* Deut. 33. Ambroſ. Tribui Leuitico Moyſes huiuſcemodi imprecationem dedicauit, *Perfectio tua, & doctrina tua viro ſancto tuo.* Deuter. 33 legit D. Ambroſ. *Date Leui veros eius.* Accommodatiùs tranſtuliſſet: Date Leui perfectos eius, doctos eius, ſanctos eius. Profectò id Pater germanis verbis ſignificauit. Idẽ enim Leui veros dari, ac perfectos, ac ſanctos. Sanctitatem enim plerumque veritas comitatur.

103. *Vt Moyſes hæreat veritati, quemcũque prauum affectũ procul exuit.* Exod 3. Pſalm 84. Nyſſen. Moyſi rubum ardentem adſpicienti indicitur, *Solue calceamentum de pedibus tuis; terra enim, in qua ſtas, terra ſancta eſt.* Exod. 3. Et quidem terram hanc exiſtimo veritatis patriam, de qua Dauid, *Veritas de terra orta eſt.* Pſalm. 84. Vt hæreas veritati, cunctos prauos affectus cura à te remoueri; nec enim iniuſtitia & veritas in vna ſede aſſolent commorari. Nyſſen. apud Lipom. ad hæc: *Deus veritas eſt, quæ quidem veritas illuceſcit à rubo ſpinoſo, ab humanitate ſcilicet Saluatoris effulgens. Primò docebit, quid faciendum ſit, vt poſſimus ad veritatis radios accedere, quod calcei ſoluendi, eiiciendúſque ſit omnis amictus pelliceus, ac terreſtris & ſordidus paſſionum aſtus.* Sic Pater.

104. *Sanctitas inducitur iis, qui veritatis thronum conantur ſcandere.* Gen. 28. Bernard. *Dominum innixum ſcalæ* à Iacobo viſum D. Bernard. veritatis cognitionem interpretatur. Geneſ. 28. *Illud, quod in ſcala, quæ in typo humilitatis Iacob monſtrata eſt, Dominus deſuper innixus apparuit: quid nobis aliud innuit, niſi quod in culmine humilitatis cognitio conſtituitur veritatis.* Gratiam enim & veritatem ſocietatem inire quis dubitet? *Dominus*, adiungit, *de ſummitate ſcalæ proſpiciebat ſuper filios hominum tanquam veritas. An non tibi videtur de alto clamare? Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me, & de generationibus meis implemini.* Implemini, inquam, gratiâ ad me è mundialibus tranſeuntes; & conſequenter implebimini veritate. *Plenitudo enim gratiæ,* Caietanus aiebat, *eſt cauſa plenitudinis veritatis.* Caietan.

LIBER

Digitized by Google

# LIBER SECVNDVS.

# CHRISTI NATIVITAS.

## Paraphraſis, Commentariique Literales ad Caput ſecundum Lucæ:

### *PANEGYRICI MORALES CIRCA literam in Domini Natalitium.*

## PROLVSIO.

*Dominici vitalis ligni* FRVCTVS II.

AVGVSTI Edicto, cenſi capite ſunt, qui Romano parebant Imperio. Cæſarij edicti occaſione cùm Ioſephus Bethleem aſcendiſſet, Maria ſoluta partu, eſt Chriſtum enixa, quem pannis indutum collocat in præſepio. Adeſt mox è cælo delapſus præco, longo cæleſtium Spirituum ſtipatus agmine, qui paſtoribus eo loci excubias circa gregem agentibus natum hominibus nunciaret Agnum gregis rationalis Seruatorem. Verbum audiſti apud Patris præcordia reſidentem, iam tibi & carne veſtitum, & apud lacrymabilem vallem exortum videndi, ac contingendi copia datur: vt per quas feneſtras mors olim intrauerat, vita referet auditum. Guarricus ad hæc: *Non ſolùm audibile, viſibile, & tractabile; ſed etiam guſtabile, & odorabile nobis Verbum Dei factum eſt. Quippe quod per omnes vias ſenſuum aditum ſibi ad miſericordiam quæſierit; quatenus ſicut per ſenſus mors intrauerat, ſic per eoſdem rediret & vita.* Hæc ille.

---

**LVCÆ CAP. II.**

*Verſ.* 1. Exiit edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis.

2. Hæc deſcriptio prima facta eſt à præſide Syriæ Cyrino.

3. Et ibant omnes, vt profiterentur, ſinguli in ſuam ciuitatem.

**PARAPHRASIS.**

Verſ. 1. *Diuino effectum conſilio, vt ſub Auguſto Cæſare, qui pleraſque mundi obtinebat regiones ac latiſſimè, rebus vndique paratis, Romanorum imperium adminiſtrabat, omnes prouinciæ cenſerentur, quæ Romano iugo premebantur, vt quanto latius pateret Chriſti ditio quàm Cæſaris cognoſceretur: quantóque placidius ſit eius regnum, qui cùm terrena non arripiat, cæleſtia largitur, qui non cogit ad profeſſionem, ſed beneficiis allicit.*

2. *Ad eam profeſſionem in Syria peragendam immiſſus ex Auguſti auctoritate, & Senatuſconſulto Quirinus eius prouinciæ præſes. Hic autem erat primus cenſus, qui ſub hoc Præſide fuit actus in Syria; nam ſub eodem pòſt ſunt & alij exacti.*

3. *Ad Cæſaris edictum, quod Quirinus promulgarat, omnes in ſuam quiſque tribum, ac ciuitatem proficiſcuntur, vt ex more profiterentur.*

4. Aſcen

*Verſ.*4. Aſcendit autem & Ioſeph à Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudæam in ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethleem; eo quod eſſet de domo,& familia Dauid.

5. Vt profiteretur cum Maria deſponſata ſibi vxore prægnante.

6. Factum eſt autem, cùm eſſent ibi,impleti ſunt dies,vt páretet.

7. Et peperit filium ſuum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præſepio: quia non erat eis locus in diuerſorio.

8. Et paſtores etant in regione eadem vigilantes,& cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum.

9. Et ecce Angelus Domini ſtetit iuxta illos, & clatitas Dei circumfulſit illos,& timuerunt timote magno.

10. Et dixit illis Angelus:Nolite timere:ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum,quod erit omni populo.

11. Quia natus eſt vobis hodie Saluator,qui eſt Chriſtus Dominus, in ciuitate Dauid.

12. Et hoc vobis ſignum: Inuenietis infantem pannis inuolutum, & poſitum in præſepio.

13. Et ſubitò facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis laudantium Deum,& dicentium:

14. Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

Verſ.4. *Sponſus autem Virginis Ioſeph Tribu Iuda,cuius erat & coniux, relicta Nazareth Galilaa ciuitate,vbi illorum ſita domus, profectus eſt in Iudaa ciuitatulam à Dauide extructam Bethleem nomine, eo quod coniux vterque non ſolum ad tribum Iuda pertineret, verùm genus è ſtirpe Dauidica duceret.*

5. *Huc comitata eſt ſponſum Maria Virgo grauida, iámque partus vicina, non detrectans hoc laboris,ſine moleſtia pragnans, non fugitans hominum oculos ſibi benè conſcia, non faſtidiens mariti obſequium mox Deum paritura.*

6. *Hac igitur occaſione cùm in ciuitate Bethleemitica non diu commorarentur. factum,vt legitimis menſibus euolutis,quò magis conſtaret,verum hominem,qui naſceretur,adeſſet tempus pariendi.*

7. *Vnde ſacra Dei Spōſa panis in domo panem caleſtem protulit partu quidem vnico, cui nec anteceſſerat vllum exemplum,nec ſecutum. At ſi matri vnicus filius,nobis erat primogenitus,quos ſibi ſpiritu iuſtos reddidit fratres,haredıtatis aterna conſortes.Nec editum infantulum nutrici mater tradidit, quam volebat ob pietatem,ob paupertatem non habebat:ſed ipſa faſciolis inuoluit,& quoniam in publico diuerſorio propter hoſpitum frequentiam non erat alius recenti puerpera locus,puerum in praſepi reclinauit, vt diſcerem felicitatem hominis non eſſe bonis vulgaribus metiendam.*

8. *Sed quàm hac tota natiuitatis humilitas plena magnificentia! Erat haud procul à Bethleem turris Eder, ſiue gregis, ibique paſtores,qui pro gregibus ſuis nocturnas agebant excubias.*

9. *Et ecce ſubitè Angelus è ſublimi eorum verticibus imminebat, ſimúlque noua quadam lux, nec Solis, nec Luna, nec lucerna repentè paſtores circumfulſit, qua cùm eſſet lati hominis, ob inſolitum tamen,ac ſubitum prodigium magno cuſtodes gregis pauore corripuit.*

10. *Verùm Angelus timorem hunc blando mox ademit alloquio. Ponite,inquit, pauorem, latiſſima rei nuncius adſum,& gaudium hactenus inauditum non ſolùm vobis, ſed etiam toti Iſraelitico populo adfero.*

11. *Iam vobis Seruatorem olim promiſerant Prophetarum oracula,iam olim expectatus eſt Meſſias:is hac nocte vobis omnibus natus eſt in ciuitate Dauid,qua eſt Bethleem, iuxta Prophetarum vaticinia.Hic eſt Meſſias ille Princeps omnium,Rex ſimul ac diuinitus Sacerdos inunctus.*

12. *Signum, quo agnoſci poſſit, exhibebo Diuerſorium adito, & infantulum obuolutum faſciis, ac in praſepi reclinatum inuenietis.*

13. *Hac vbi Calicola pradicaſſet, ſimul audita eſt ingens caleſtis militia multitudo nimirum Angelorum,Domino in pralio fortiſſime miniſtrantium, qui modulatione quadam caleſti & ineffabili, Deo laudes concinebant hoc hymno:*

14. *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bona voluntatis. Nil enim ex hoc negotio laudis nec Angelis,nec hominibus,ſed vniuerſa gloria diuina debetur bonitati, qua nobis, quos condidit,miro è calo proſpicit conſilio. In terris autem nihil aliud optandum, quàm pacem qua peccatis abolitis nos Deo conciliet,nóſque mutuâ charitate conglutinet.Hac gratis per conciliatorem Dei & hominum offertur, non noſtris intercedentibus meritis, ſed ex propenſa in nos munificentia diuina, cui viſum, hac mirabili ratione generis humani saluti conſulere.*

## SECTIO PRIMA.

# ORBIS DESCRIPTIO.

## *TEXTVS.*

*Verſ.*1. Exiit edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis. 2. Hæc deſcriptio prima facta eſt à præſide Syriæ Cyrino. 3. Et ibant omnes, vt profiterentur ſinguli in ſuam ciuitatem.

## *COMMENTARIVS LITERALIS.*

### § I.

### *Quanam mundi ætate Dominus fuerit exortus.*

1. *Ætates mundi.* Damaſ. Lucid.

VTI Homo, ſuas ſic mundus habet ætates. Clichtoueus in Comm. Damaſ. a. fid. c. 1. & Lucidus Mathem. ſeptem mundi ætates affirmant. Prima quidem fuit ab Adamo vſque ad diluuium, infantia: Secunda à diluuio vſque ad Abrahamum, pueritia: tertia ab Abrahamo vſque ad legem Moſis, adoleſcentia: quarta à lege data vſque ad Salomonis templum, iuuentus: quinta à templi exædificatione vſque ad Babylonicam captiuitatem, virilitas: ſexta à captiuitate vſque ad Chriſtum, maturitas: ſeptima à Chriſto vſque ad iudicium, ætas perfecta: octaua erit æternitas. Arias Mont. præf. lib. de ſecul. ſex ſecula ab orbe condito vſque ad Chriſtum annumerat. Primum à Protoplaſto vſque ad diluuium tendit: ſecundum à diluuio vſque ad Abrahamum iuxta diuiſas victimas dormientem: tertium ab Abrahamo vſque ad Iacob: quartum à Iacob vſque ad legem in Sina latam: quintum à lege vſque ad regnum Dauidis: ſextum à Dauide vſque ad Chriſtum. Aliter alij.

2. *Auctoris opinio.* Auguſt.

Ego autem D. Aug. ſequor l. 1. de Gen. contra Mani. cap. 23. & alibi, ſex ætates annumerātē iuxta numerum ſex dierum, queis mundus eſt conditus. Prima fuit ab Adamo vſque ad diluuium, ſecunda à diluuio vſque ad Abrahamum, tertia ab Abrahamo vſque ad Dauidem, quarta à Dauide vſque ad tranſmigrationem Babylonis, quinta à tranſmigratione, ſeu captiuitate vſque ad Chriſtum, ſexta à Chriſto vſque ad Iudicium. *Poſt has*, inquit, *Sabbatum erit, ſeu requies Sanctis ſempiterna.* Conſentiunt Beda, Chryſ. Iſidor. & alij.

3. *Annorum ſumma.*

Si verò iuxta vulgatum omnium ætatum annos ad calculum reuoces, annos efficies ab orbe condito vſque ad orbis reparatorem Chriſtum 4085 per ætates ita collectos. Prima ætas, 1656. Secunda, 338. Tertia, 945. Quarta, 485. Quinta, 620. At quia ſeptuaginta Interpretes aliter primæ & ſecundæ ætatis annos annumerant, ab Adamo vſque ad Ieſum annos annumerant 5461. huiuſmodi ſupputatione. Prima ætas, 2242. Secunda, 1173. Tertia, 941. Quarta, 485. Quinta, 620.

4. *Annus natiuitatis.*

Hinc diuerſæ ſupputandi rationes apud Auctores reperiũtur Euſebius in Chron. ab orbe condito vſque ad Chriſtum annos numerat 5199. Oroſ. li. 1. c. 1. ab Adamo vſq; ad Abrahamũ 3184. ab Abrahamo ad Chriſtũ 2015. id eſt, 5199. quemadmodũ Euſeb. Iſid. l. 5. Orig. 5220. Nicheph. Chron. c. 9. 5500. Niceph. alter l. 1. hiſt. c. 10. 5505. ex Alphõſ. 6984. Cypr. de exhort. Mart. *Sex millia*, inquit, *annorũ iam penè complentur, ex quo hominem diabolus impugnat.* Floruit autem anno ab ortu Dominico 230. Epiphan. anno à Chriſto 30. in Catal. dogm. Manich. tom. 2. aduerſ. hæreſ. mundi ætatem fuiſſe annorum 5509. Alter Epiphan. Syn. Nicen. 2. act. 6. Chriſtum anno 5001. affirmat aduentaſſe. Martyrol. denique Roman. natum Chriſtum aſſerit anno à mundo condito 5199. quam ſupputandi rationem amplector. Euſeb. & alij.

5. *Annus Auguſti Cæſaris.*

Quoto autem Auguſti anno Chriſtus exortus? Tertullian. lib. aduerſ. Iud. Anno 41. Hunc Iren. lib. 3. cap. 25. & Hieron. Iſa. 2. ſequuntur. Hæreo etiam Romano Martyrolog. natum ſcilicet affirmanti anno Auguſti 42 Euſebio, Epiphan. Oroſ. Beda, aliiſque ſubſcribentibus. *Agebatur autem tunc*, adiicit Euſeb. lib. 1. cap. 5. *octauus & vigeſimus annus ab Ægypto ſubiugata, & Antonij, Cleopatraque morte, in quam Ptolomæorum in Ægypto dominatus poſtremò deſiit.* Clemens Alex. lib. 1. Strom. ab hoc Ægypti ſubiugatæ anno cœpit annumerare, ideoque Chriſtum aſſeruit in lucem Auguſti anno 28. editum, *Natus*, inquit, *eſt Dominus noſter 28. anno, cùm primum iuſſerunt cenſum, deſcriptionémve fieri tempore Auguſti.* Euſeb. Clem.

### §. II.

### *Quonam anni tempore, quanam die?*

6. *Hyberno Solſtitio natus.*

IN quodnam autem anni tempus dies natalis Domini inciderit? Si roges, ſupprimens Auguſt. Ioann. Lucidij Abul Bedæ, & aliorum ſententias, id ex omnibus habeo Chriſtum vel hyberno ſolſtitio, vel propè ſolſtitium ortum eſſe, vt quo tempore in infimum cœli punctum Sol deuenit, iuſtitiæ Sol in infimum orbis locum præſepium vtique deferretur; quoque temporis interſtitio dies accipiunt lucis incrementa, per Chriſti natalitium gratiæ lux magnis crementis aucta rutilaret. Id quod Patres adnotarunt. D. Aug.

ſerm

Auguſt. ſerm. 18. de Nat. *Et in conceptu, & in natiuitate Chriſti dies accipit incrementum, & naſcente vera luce, lucis, & diei augmentatur officium.* Nyſſen. Nyſſen. Orat. de Nat. *In hac die minui tenebræ incipiunt, noctiſque nodi, augeſcente radio, ad defectum rediguntur. Myſterium natura exponit perſpicacioribus, ac docet, quid ſibi velit, quod in aduentu Domini dies creſcit, nox decurtatur. Ego talia quędã dicentẽ mihi videor audire creaturã, Vides noctem ad ſummã longitudinem progreſſam eſſe, atque vlteriùs currere, atque proferri deſiſtere, & in contrariũ reſolui? Animaduerte, quod improba peccati nox, quoad eius fieri poterat, aucta, atque extremam nequitia magnitudinẽ aſſecuta hodie vlterius progredi, hac ſibi quaſi poſſidendo vſucapere prohibita eſt, atque dehinc ad defectionem redigitur. Vides lucis radium diutius durare, & Solem eſſe ſolitò ſublimiorem, animaduerte veræ lucis aduentum, quæ radiis Euangelicis orbem illuminat.* Plura ſub eodem Ambr. Beda, & Auguſt. alibi argumento.

7. *Dies natalis Domini,* Clem. Epiphan.

Enimverò eos imitatus, *qui curioſius*, vt cum Clemente Alex. 1. Strom. loquar, *natalis Domini non ſolum annum, ſed etiam diem addunt:* requiro, quonã die Dominus fuerit exortus? D. Epiph. hær. 51. *Natus Dominus circa Ianuarium menſem, hoc eſt, antè octauũ Iduum Ianuarij, quæ eſt quinta Ianuarij menſis.* Clem. citat. loquens de Baſilidis ſectatoribus, *Dicunt*, ait, *ex iis aliqui Chriſtum natum eſſe 24. vel 25. Pharmuthi.* Ab Ægyptiis autem Pharmuthi menſis Aprilis appellatur.

8. *Auctorum ment.* Auguſt. *Dominici diei nocte.*

Natum affirmo Saluatorẽ vigeſimaquintâ die Decembris, Eccleſia etenim hac die Ieſum feliciſſimo partu editũ veneratur. D. Aug. 4. de Trinit. c. 5. *Natus traditur Chriſtus octauo Kalendas Ianuarias, id eſt, 25. Decembris.* Niceph. Oroſius, reliquique moderni cõfirmant. Necnon cum multis Dominica exortũ die arbitror. Rup. l. 3. de diu. offi. c. 16. *Nocte Dominica natus eſt Chriſtus, conſonante mirabilium ſuorum ordine, vt quo die dixit. Fiat lux, & facta eſt lux, eiuſdem diei nocte oriretur in tenebris lumen rectis corde.* Conſentiunt Antonin. p. 1. hiſt. §. 1. c. 1. Bonau. de vit. Chr. Pet. de Nat. Lucid. & alij. Porrò Tertull. 5. cont. Marc. Tertull. cap. 9. nocte egreſſum confirmat. *Nos edimus*, ait, *Euangelia nocturna natiuitate declarantia Dominum.* Et Aug. Pſalm. 109. *Noctu*, inquit, *natus eſt* Auguſt. *Dominus ex vtero Virginis*, vtroque equidem in hanc ſententiam illud exponente, *Ante luciferum genui te.*

## §. III.

### *De pace.*

9. *Pace vigente ortus Domini.* Hieron.

VIgente Pace Chriſtum exortum, ipſa orbis totius ſub vnius Monarchæ imperio deſcriptio ſubindicat. D. Hier. Iſa. 2. *Veteres*, ait, *reuoluamus hiſtorias, & inueniemus vſque ad vigeſimum octauum annum Cæſaris Auguſti*, cuius quadrageſimo ſecundo anno Chriſtus natus eſt, *in toto terrarum orbe fuiſſe diſcordia, & ſingulas nationes contra vicinas gentes arſiſſe ſtudio præliandi, ita vt caderent, & cæderentur. Orto autem Domino Saluatore, quando ſub præſide Syriæ Cyrino prima eſt in orbe terrarum facta deſcriptio, & Euangelica doctrina pax Romani Imperij præparata, tunc omnia bella ceſſauerunt, & nequaquam per oppida, & vices exercebantur ad prælia, ſed ad agrorũ cultus, militibus tantùm, legionibuſque Romanis contra nationes barbaras præliandi ſtudio delegato. Quando impletũ eſt Angelorum ille concentus, Et in terra pax hominibus. Et, In diebus eius orta eſt iuſtitia, & multitudo pacis.* Imitatur Oroſ. l. 6. cap. vlt. Theod. autem ad Pſalm. 45. Chriſti aduentui, Theod. Apoſtolorumque prædicationi Romani Imperij famulatam pacem profatur. *Tempeſtate Saluatoris cum Romanorum Imperium ſingula regna expugnaſſet, omnium aures Euangelij præconibus accommodauit, nullo timore enim veluti in vno regno percurrerunt, ſalutarémque doctrinam hominibus attulerunt.* Hieronym. & Procop. conſentiunt.

Quæris, num, Chriſto naſcente, Iani fores fuerint obſeratæ? Fuit equidẽ Romæ Iani templum, 10. *De Iani clauſis foribus.* quod belli Ianua dicebatur, clauſum pacem, bellum verò indicans reſeratum, id Plutarcho memoriæ in vita Numæ prodente. Ante tẽpora Auguſti bis tantùm clauſum refert Sueton. in vita Sueton. Aug. Ianum ſemel atque iterum à condita Vrbe ante memoriam ſuam clauſum Auguſtus clauſit. Fuit autem *clauſum ante Auguſtum ſemel tempore Numæ.* Certè, eodem auctore, ter Auguſtus Iani delubrum clauſit, primò poſt victoriã Actiacam, quam apud Acticum Epiri promontoriũ de Antonio reportauit anno (vti ait Oroſ. l. 6. c. 20.) ab Oroſ. Vrbe condita 725. Secundò poſt victoriam Cantabricã anno 726. Tertiò poſt alia bella anno 752. cunctis gentibus vna pace compoſitis. Reſpõdeo igitur quæſtioni cum Oroſ. *Eo anno, quo Chriſtus eſt ortus, Iani fores fuère clauſæ.* Nam clauſas ait anno ab Vrbe condita 552. is autẽ eſt natalis annus Chriſti ex Rom. Martyrol. & aliis. Et l. 1. c. 1. *Natiuitas*, inquit, *Chriſti fuit anno Imperij Cæſaris quadrageſimo ſecundo, cum facta pace cum Parthis, Iani portæ clauſæ ſunt, & bella toto orbe ceſſauerũt.* Quod etſi Baronius Dionem hiſtoricum ſecutus aliter ſentiat, ego non tantam fidem Græco Dioni tribuo, vt propterea à ſententia grauis, & antiqui Oroſij diſcedam.

## §. IV.

### *De ſignis Chriſti Natiuitatis.*

VEnio ad ſigna, quæ admirabilem Chriſti Natiuitatem præueniſſe referuntur, quæ quàm 11. *Credibilia num ſigna haec* credibilia extent, operæ pretium erit perpendere. D. Thom. 3. p. q. 36. a. 3: *Credibile*, inquit, *eſt, in* Thom. *aliis partibus mundi aliqua indicia natiuitatis Chriſti apparuiſſe.* Bonauent. l. de quinque feſtiu. Ieſu pueri: Bonau. *Multis*, ait, *ſignis, & prodigiis ſecundum Doctorum ſententiam, & doctrinam eſt Chriſti natiuitas comprobata.* Nouem prodigia refero, ad trutinam adfero.

Primum. D. Innocentius ſerm. 2. de Natal. 12. *Primum miraculum.* Innoc. Dom. *Templum pacis funditùs corruit. Romani ſiquidem pro pace, quæ orbi ſub Auguſto imminebat, templum Pacis conſtruxerunt, de quo conſulentes, quamdiu deberet durare, reſponſum eſt, Donec virgo pariat. Qui dixerunt, Ergo erit æternum, quia nunquam virgo pariet. Sed in hora Dominicæ natiuitatis funditus corruit.* Quod quidem parum videtur veritatis habere, vti vidit Baron. Annal. Nullum enim templum Pacis Romæ ante Chriſtum natum apud claſſicos ſcriptores repetitur extructum. Quod ſi quis repugnet, non eum illo magnoperè pugnabo; ſed cum nulla huiuſce mirabilis ruinæ apud Hieronym. Euſeb. Oroſium, aliôſque antiquos autores mentio fiat, non aſſentiar.

13. *Secundum.* Pet. de Nat. Secundum. Petr. de Natal. *Ipſa die natiuitatis tres Soles in Oriēte in cœlo apparuerunt, qui paulatim in vnum corpus redacti ſunt. Per quod innuitur, quod trini & vnius Dei notitia mundo oriebatur.* Verum equidem, ſed nec ea nocte, nec eo anno contigiſſe reor. Euſeb. in Chron. anno Iulij Cæſaris extremo, ante Chriſti natiuitatem circiter quadrageſimo ſecundo, ſcribit Romæ tres Soles exortos paulatim in eundem orbem coiiſſe. Id quod Oroſij, Dionyſ. Senec. Sueton. Pliniique fulcitur auctoritate.

14. *Tertium.* Innoc. Tertium. Innocent. *Fons olei per totum diem de taberna largiſſimus emanauit, ſignans, quod ille naſceretur in terris, qui vnctus erat oleo præ conſortibus ſuis.* Profiteor, ſed non admitto eo die, nec anno accidiſſe quadrageſimo ſecundo Auguſti, quo Chriſtus exortus, ſed anno tertio. Affirmo tamen hoc ſignum, licèt Domini natalitium per aliquot annos præceſſerit, illud futurum præmonſtraſſe. Euſeb. *E taberna meritoria trans Tiberim oleum è terra erupit, fluxitque toto die ſine intermiſſione, ſignificans Chriſti gratiam ex gentibus.* Oroſius autē: *In diebus Auguſti fons olei largiſſimus de taberna meritoria toto die fluxit, quo ſigno quid euidentius, quàm in diebus Cæſaris Auguſti futura Chriſti natiuitas declarata eſt? Chriſtus enim vnctus interpretatur.* Cùm autem prædicti auctores ſentiant ſub Imperij Auguſti veſtibulo hoc ſignum accidiſſe, non obſtat quominus in Ieſu natalis documentum excitaretur.

15. *Quartum.* Abul. Quartum. Abul. in Prol. D. Hier. ad Gen. 7. *Illa nocte natalis Chriſti floruerunt vineæ Engaddi in terra Iudææ.* Bonau. & Pet de Natal. conteſtantur. Non improbo, ſed incertum mihi, vnde deſumpſerint, cùm apud antiquos nullibi legerim.

16. *Quintum.* Bonau. Innoc. Quintum. D. Bonau. citat. *In die media circulus aureus apparuit circa Solem, & in medio circuli Virgo pulcherrima puerum geſtans in gremio.* Addit D. Innoc. *Fertur Auguſtum in cœlo vidiſſe Virginem geſtantem filium ad oſtenſionem Sibyllæ, & ex tunc prohibuit, ne quis eū Dominū appellaret: quia natus erat Rex Regum, & Dominus dominantium.* Huius profectò antiqui Patres non meminêre. Obſtátq; quod Sibyllarum nulla Auguſti tēporibus extitit. Si verū ſignum, (quod me latet) dicta eſt Sibylla aliqua Sibyllę ſimilis fœmina, quę Auguſti floruit tempeſtate. Baron. in Appar. exponit Sibyllam pro Sibyllinis libris ab Auguſto lectis vſurpari.

17. *Sextum.* Pet. de Nat. Sextum. Pet. de Natal. *Eà nocte per totum orbem cunctos Sodomiticę vitio laborantes ignis extinxit, vti ait Hieron. in Gloſſa ad illud Iſaiæ 9. Lux orta eſt eis.* Bonauent. *Sodomitæ in toto orbe morte ſubitaneà interierunt.* Certè licet illam D. Hier. gloſsā à Petr. de Natal. citatam quæſitam nō inuenerim, credo Sodomitico crimine fœdatos interiiſſe naturæ peruerſæ reparatore exorto. Non autem eis ſubſcribo, qui Virgilium hoc morbo laborantem ſub domus ruina ea nocte periiſſe. Nec enim Alexio carmina ceciniſſe, ſufficiens eſt criminis infandi documentum.

18. *Septimum.* Pet. de Nat. Septimum. Pet. de Natal. *Scribit Damaſ. ad illud Pſalm. Nox ſicut dies illuminabitur, quod iſtud nocte natiuitatis impletum eſt, quia nox in hora natiuitatis einſdem, videlicet media nocte, in claritatem diei cōuerſa eſt. Et quia ipſa lux ad Patres qui erāt in limbo, deſcendere non poterat, terra ſe in pluribus terræ locis aperuit, & per eius rimas lux ad Patres vſque deſcendit, & tunc impleta eſt prophetia, Populus, qui habitabat in tenebris, vidit lucem magnam.* Haud id multum certitudinis habere reor.

Octauum. Idem auctor: *Legitur, quod Ieremias Propheta ſignum Regibus Ægypti dedit, quod illorum idola corruerēt, cùm Virgo filium pareret. Vnde Sacerdotes idolorū imaginem Virginis filiū geſtantis in ſacro loco ſēpleſtatuerunt, quæ prophetia in nocte natiuitatis impleta eſt.* Non multū habet certitudinis, natiuitatis articulo ſimulacra corruiſſe; verò ſimilius credo tunc cecidiſſe, cùm Virgo geſtans Chriſtū Ægyptū ingreſſa eſt, vti Vol. 3. cōfirmabo. 19. *Octauum.* Pet. de Nat.

Nonum. Adhuc ille: *Natiuitas Domini declarata etiam eſt per elementum aëris, nam, vt dicit Chryſoſt. ea nocte Magis ſuper montem Victorialem orantibus, Stella in aëre de nouo producta apparuit.* Ego equidem de monte, orantibúſque tunc Magis dubito, Stellæ autem apparitionem & profiteor, & laudibus proſequor lib. 6. 20. *Nonum.* Pet de Nat.

## § V.

### *De Edicto Cæſareo.*

*EXijt Edictum à Cæſare Auguſto. Diebus* ſcilicet *illis*, ſiue nato Ioanne Baptiſta: tunc enim temporis edictum Cæſaris promulgatum eſt, poſt cuius publicationem facta eſt deſcriptio, quo tempore B. Virgo proxima partui aderat. In publicum igitur his diebus à Cæſare Auguſto ſecundo Romanorum Imperatore edictum emanauit. Fuit hic Octauius Cæſar, qui poſt Iulium Imperatorem nomen Auguſti primus à populo Romano accepit, quia vrbis opes maximè auxit, appellatus ipſe Cæſar, quia mortuâ parente Iulij Cæſaris, qui Cæſareum dedit familiæ Imperatorum nomen quod per materni vteri exciſionem fuerat ille extractus, vt Iſidor. ait, vel quia Cæſareæ natus, vel quia victorioſus hoſtium cæſor ſecundùm Dionyſ. Carthuſ. 21. *Edictum à Cæſare.* Iſidor. Carthuſ.

*Vt deſcriberetur vniuerſus orbis.* Continebat edictum eorum deſcriptionem, qui Romano patebant imperio. *Vniuerſus orbis.* Synecdochen eſſe in Scripturis vſitatam Maldon. Tolet. & omnes ferè admonent interpretes. Nec enim totus orbis Romani Imperatoris iuſſu deſcribi poterat, cùm totus eius imperio non parêret. Totus igitur orbis, id eſt, ea pars orbis, quæ ſub Romanis erat, deſcribi iubetur. Paſſim occurrunt exempla, *Commota eſt vniuerſa ciuitas*, Matth. 21. *Tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram*, Matth. 27. Sunt qui exiſtiment ne totum quidem Romanum Imperium fuiſſe deſcriptum, ſed ſolam Syriam, in qua tunc Iudæa cenſebatur. Probabilius totum deſcriptum Imperium exiſtimo. 22. *Deſcriptio.* Tolet.

Quorſum autem hæc orbis deſcriptio? Duabus de cauſis aſſolent principes populos deſcribere, aut vt ſciant quot ſint ſub eorum poteſtate, quantúmque virium ad prælia oſtentent, quemadmodum Dauid populum iuſſit numerari. 2. Reg. 24. aut vt ſciant, quantum pecuniæ poſſint ad vectigal aliquod in ſingula capita imponendum extrahere. Quidam exiſtimant priori de cauſa hanc deſcriptionem effectam; pace enim generali orbi præſtitâ, intendit cognoſcere Imperator, quàm latè eius pareret Imperium. Non improbo. 23. *Quorſum deſcriptio?*

Approbo autem, & ſequor Ambroſij, Euthym. Bedæ, Tolet. Maldon. & aliorū opinionē, qui poſteriori de cauſa, nēpe vt aliquod vectigal exigeretur, cenſent effectam deſcriptionē. Moueor primò, quia Tertull. 4. adu. Marc. refert hanc deſcriptionem in Romanorum archiuiis eſſe adſeruatam. Quid autem niſi cenſus causâ inibi adſeruaretur? Secundò, quia cùm nulla tunc tēporis belli 24. *Auctorū placitum.* Ambroſ. & alij.

eſſet

Digitized by Google

eſſet ſuſpicio, non potuit hæc deſcriptio fieri, vt numerus tantum ſubditorum agnoſceretur; erat igitur cenſus cauſa.

25. *Quantum vectigalis?* Quantum autem tributi Iudæi tunc in ſingula capita ſoluerent, non conſtat omnino. Quidá exiſtimant, tantum eis impoſitum, quantú Deo ipſi, templóque ſoluere ſolebant, mediam ſcilicet partem ſicli, duas omnitú drachmas, vt habetur Matt. 17. Tradit enim Ioſeph. de Bell. lib. 17. c. 26. Veſpaſianum cenſum Iudæis impoſuiſſe, iuſſiſſéque ſingulis annis binas drachmas in capitolium deferre. Eſt autem veriſimile (vti ait Tolet.) hunc cum primo cenſu Auguſti congruum fuiſſe, certum tamẽ non eſt. Quid ſentiam, prima exprimam Obſeruatione 31.

*Quæſtioni ſit ſatis.* Quæritur quonam modo viuente Herode Rege Romani Iudæos cenſere potuerint, illiſque vectigal imponere? Reſpondeo ex Mald. Tolet. & aliis, Herodem ab Auguſto regnum precariò accepiſſe, vnde ad ipſius nutum populum regebat, & ipſe regebatur, vti ex Ioſepho colligitur.

26. *Myſterium profeſſionis.* Non inuoluam ſilentio, quanto myſterio effectum, tunc Chriſtum exortum, quando orbis deſcribebatur; cuius hæc à Doctoribus collegi. *Per hanc orbis ſæcularem profeſſionem, & cenſum, ſpiritualis futura profeſſio per fidem, & Euangelium ſignificatur.* ſic D. Ambroſ. *Naſcituro Domino mundus deſcribitur, quia ille apparebat, qui electos ſuos deſcriberet in æternitate.* Ita Greg. hom. 6. *Ille naſcebatur, qui pro ſingulis Iudæis, & gentibus paſſurus veniebat, omnes, quantum ex ſe eſt, à tributo peccatorum, & ſubiectione diaboli liberaturus.* Tolet. Addo, vt ſignificaret, ſuo aduentu non eſſe regna tẽporaria euertenda, ſed perficienda, & confirmanda; nec enim *eripit mortalia, qui regna dat cæleſtia.*

Ambroſ.

Tolet.

## §. VI.

### *De Cyrino.*

27. *Nomen Cyrini.* H*Æc deſcriptio prima facta eſt à Præſide Syriæ Cyrino.* Circa nomen Cyrini diſſentiunt auctores. Quidam Cyrenum, quidam Quirinum appellant. Vulgata lectio retinenda.

28. *Quare prima deſcriptio.* *Deſcriptio prima.* Quare Prima hæc deſcriptio vocitatur? Reſpondet Beda: Prima dicta non reſpectu aliarú, quæ factæ ſunt poſteà, ſed quia nulla talis priùs facta eſt ab orbe condito. Vel prima vocatur, quia primò incepta, quaſi edictum antè publicatum eſſet, nec fuiſſet incepta deſcriptio niſi tunc primú quádo Cyrinus miſſus eſt præſes. Alij primam appellatá affirmant reſpectu alterius, quæ ab eodem facta eſt Auguſto, licèt non generalis. Magiſt. hiſt. Euang. ſic, *Hæc deſcriptio prima, quia primus præſes Syriã cœpit deſcribere. Nã quia Syria in medio eſt Zonæ habitabilis, inde cœpit deſcribere.*

29. *Reſpectu Cyrini I. deſcriptio hæc.* Magiſt. Primam equidem etiam reſpectu præſidis Syriæ Cyrini interpretor, nam per eundem ab eodem Auguſto poſtea altera deſcriptio facta, quamuis non totius orbis. Recentiores ſequor. Vt autẽ dilucidior ſententia reddatur, adnoto præpoſitionẽ illã (*a*) in Græco non haberi, ſed *Hæc deſcriptio prima facta eſt Præſide Syriæ Cyrino*, quod ſignificat

30. *Auctoris ſententia.* non ipſo auctore, aut per ipſum, ſed ipſius tempore, dum Syriæ præſidebat, eſſe peractã deſcriptionem. Legunt, ac interpretantur ſic Ambr. Euthym. Beda, & alij. At verò cùm vulgatus interpres legat *à Cyrino*, non video quare non ſit affirmandú, per hunc factam eſſe deſcriptionem, Cæſaris auctoritate, & Senatuſconſulto; nec ex hiſtoriis antiquis aliquid legi, quod huic lectioni poſſit aduerſari.

Fateor vnú illud maiorem ingerere difficultatem, tẽpe à Ioſepho proferri naſcentis Chriſti tẽpore, quãdo generalis facta deſcriptio, Varú, aut Saturninú Syriæ fuiſſe præſidẽ. Cui difficultati reſpondent, qui Ioſephi auctoritatẽ tueri curant, Cyrinũ tunc temporis Varo ad hoc obeundũ munus, collegam adiunctum. Aſt ego deceptum in hoc Ioſephum dixerim, quemadmodú deceptus deprehẽditur, cú 18. Antiq. c. 1. ſcribit hãc orbis deſcriptionem poſt Herodis obitum, Archelaique Herodis filij exilium celebratam, cùm tamen, vt conſtat ex Luca, in annum, quo Chriſtus eſt ortus, inciderit.

## §. VII.

### *De ſerie Deſcriptionis.*

E*T ibant omnes, vt profiterentur.* Particula *Et*, conſecutionem ex præcedentibus indicat. Cú enim edictum peruulgaretur, vt omnes deſcriberentur, factum eſt, vt proficiſcerentur profitendi cauſa. *Vt profiterentur*, idem ex Græco ac *deſcriberentur*. Profiteri autem, aut deſcribi idem omnino. Qui igitur profitebantur, nomina ſua, vt deſcriberentur, cenſoribus proferebant; cenſores autẽ nomina ſcribebant profitentium. *Ibant* itaque *vt profiterentur*, hoc ipſorú erat, nomina nẽpe ſua cenſoribus exprimere ab ipſis deſcribẽda, ſuãque ſubiectionem Romano Imperatori re ipſa confiteri. 31. *Quid profeſſio?*

*Singuli in ſuam ciuitatem.* Quænam, precor, ciuitas vniuſcuiuſque propria eſſe cenſeretur, vti in illam profeſſurus pergeret? Num vnuſquiſque accederet ad eam ciuitatem, quæ Tribus erat Metropolis, ſicut Ieruſalẽm metropolis erat Beniamin, Bethleem autem Tribus Iuda? Sic Euthym. cui quidam conſentiunt recentiores. Num iret vnuſquiſque in ciuitatem, vbi domum, & bona ſua haberet, vnde Virgo beata, & Ioſephus in Bethleem profecti, quia ibi domunculam poſſidebant? Ita D. Cyprianus Serm. de Nat. *Veniunt in Bethleem quam prædixit Gabriel, inuenitur Emanuel, ciuitas paruula, domus paupercula, ſuppellex exigua, &c.* Conſentit Niceph. lib. 1. c. 13. quorum auctoritate fulti quidam ex modernis hanc ſententiam amplectuntur. Num proficiſceretur vnuſquiſque in ciuitatem, vbi fuerat natus? An in ciuitatem à qua oriundus? Vtrumque memorat Tolet. queiſdámque doctoribus tribuit. 32. *Quænam ciuitas vniuſcuiuſque propria?*

Cyprian.

Dicendum equidem per *ciuitatem* metropolim Tribus non intelligi. Lucas enim addit, *Eo quod eſſet ex domo, & familia Dauid.* Vbi non ad ſolam Tribú, ſed ad familiam refert in Bethleem Ioſephi profectionem. Nec neceſſariú fuiſſe recurrere ad poſſeſſiones & domum habitam in Bethleem, cú tributum hoc non reale, ſed perſonale fuiſſet. Nec certum eſſe, domú habuiſſe in Bethleem, cùm non in domo, ſed apud diuerſorij ſtabulum Deiparam video commorantem. Nec id D. Cypr. affirmat, qui quidem domum, in qua natus Ieſus, exiguam appellat. Præterea ciuitatem hic non eam eſſe, in qua quiſque natus, Virgo namque & Ioſeph in Nazareth natos confirmat, quod ciues illius vrbis apud Marc. 6. adſeruerint Ieſu fratres & totam cognationẽ inibi cõmorari. Quid igitur? Ibant certè ſinguli in ciuitatem ſuam, quæ erat familiæ caput; non enim Iudæi omnes habitabant, aut nati erant iis in locis, vbi qui capita ſuarum familiarú erant, nati ſunt. Erat enim Iudæorum habitatio permiſta, & multi ex vna Tribu, & familia in locis alterius habitabant, aderat tamen vnicuique nota propria metropolis, ex qua exoriebatur. 33. *Auctoris ſententia.*

# IN IESVM NATVM,

## Panegyricus primus Moralis circa Literam:

## EX ORBIS DESCRIPTIONE.

### *OBSERVATIO I.*

Ad illa verba:

*Exiit edictum à Cæſare, vt deſcriberetur vniuerſus orbis.*

Orbis deſcribitur, vt vnuſquiſque ciuis iuxta facultatem, cenſum, ſeu tributum Cæſari exhibeat.

*Nec enim tributa æqualiter à diuitibus, ac pauperibus exigenda.*

34. DIXIMVS ſolutum à Iudæis cùm numerarentur ſicli dimidium, id eſt, duos regales argenteos. Id Euthym. & alij aſſerunt antiqui, quos omnes penè recentiores ſequuntur. Illo Exodi nituntur, *Quando tuleris ſummam filiorum Iſrael iuxta numerum, dabunt ſinguli pretium pro animabus ſuis Domino, & non erit plaga in eis, cùm fuerint recenſiti. Hoc autem dabit omnis qui tranſit ad nomen, dimidium ſicli iuxta menſuram templi.* Id eſt, drachmas duas. Aſt ego amplector Ioſephi ſententiam, quam in Euſebij Chronico, Bedæque reperio Martyr. Iudæorum bona in deſcriptione hac æſtimata fuiſſe, cenſúmque facultatum habitum, vt ſcilicet vnicuique iuxta facultatum abundantiam, aut penuriam vectigal imponeretur, nec tributum ſubditorum vires excederet.

Suidas.

Suidam audite: *Auguſtus Monarchiam obtinens, viginti viros vitâ, moribúſque optimos eligens in omne Imperium miſit, per quos deſcriptiones fecit & hominum, & facultatum, & iuſtam aliquam partem præcipiens ex iis in publicum inferri.* Iuſtam, inquam, partem iuxta facultates profitentium. Nec videretur iuſta, ſi à pauperibus idem vectigal, ac à diuitibus exigeretur. Confirmat Caſſiod. lib. 3. var.

Caſſiod.

*Auguſti temporibus orbis Romanus agris diuiſus, cenſúque deſcriptus eſt, vt poſſeſſio ſua nulli haberetur incerta, quam pro tributorum ſuſceperat quantitate ſoluenda.* Non igitur fuit idem omnibus indifferenter tributum impoſitum ab Imperatore, Iani veſtibulum omnino recludente, ſed iuxta ſubditorum facultatem portio iuſta requirebatur paci tutandæ ſumptibus neceſſariis.

35. Regis cuiuſdam non benè de tributis imponendis meriti talis effigies. *Magna arbor, & fortis, & proceritas eius contingens cœlum, aſpectus illius erat vſque ad terminos vniuerſæ terræ, folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius.* Dan. 4. Quidnam arboris folia pulcherrima? Theod. *Folia vocat decus illud, quod conſpiciebatur in veſte, & throno, & regiis, & ſcutatis, haſtatis, ſatellitibus, ac ſtipatoribus corporis.* Quidnam autem adnotatur in fructu? *Fructum verò*, ait ille, *tributum quod vndique ei afferebatur.* Iam quæris, cur folia pulcherrima, fructus autem non pulcherrimus, ſed nimius vocitatur? Reſpondet Doctor, *Idcirco multum fructum, non autem pulchrum dixit, neque enim iuſtè impoſitum erat.* An iniuſtè tributum impoſitum, quia non tutandæ Reipublicæ, ſed corpori ornando, multiplicando exactum ſatellitio? Non improbarim. Sed accommodatius dixerim, huiuſmodi tributum iniuſtum vocitari, qoia ad modum haurientis ſuccum arboris extorquetur. Arbor hinc inde, ex proximè adiacentis terræ granis ſuccum indifferenter abripit, nec plus à diuite ceſpite, quàm ab exigua ebibit arena, niſi quod potens lapis nec vllam ſæpè guttulam arbori miniſtrat, dum ſitiens, pauperie laborans omnino eſurit, vt retribuat. Haud hæc iuſta tributorum exactio, cùm non amplius prædiuites exhibent quàm egeni; Principes quàm agricolæ. Pulchra planè, ſeu iuſta vectigalium impoſitio, quando iuxta facultatum robur cenſus exquiritur, nec indifferenter æqualis à diuite, ac paupere extorquetur.

*Iuſtus is qui in tributis imponendis plus diuites, quàm pauperes aggrauat.*

Dan. 4.

Theod.

Regis potentiſſimi, cuius fructus pulcherrimi ex iuſta tributorum impoſitione exhibeo effictionem. 36. De Regum Rege ſic Rex Dauid, *Dominus regnauit, decorem indutus eſt, indutus eſt Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe.* Pſalm. 92. Pulcherrimus vndequaque Rex Chriſtus, quia ſe præcinxit circa tributorum exactionem, non ab omnibus æqualiter exquirens, id quod eſſet iniuſtum, ſed iuxta facultatem à cunctis accipiens, quod omnibus non æqualiter impertitur. D. Auguſt. ſub tributi accepti metaphora ita Regis Chriſti deſcribit pulchritudinem. *Pulcher ergo Rex noſter in cœlo, pulcher in terra, pulcher in vtero, pulcher in manibus parentum* &c. Et concludit, *Pulcher deponens animam, pulcher recipiens.* Vbi licet proximum verbum *recipiens* poſſit ad animam referri ob reſurrectionis pulchritudioem, non minus aptè ad vniuerſæ præfatæ pulchritudinis ſeriem poteſt accõmodari. Quaſi ex eo præcipuè Regis cœleſtis pulchritudo innoteſcat, quod pulchrè, ſiue iuſtè ab omnibus recipiat iuxta vim facultatis. A cœlo equidem recens natus (vti Chryſolog. ait) exquirit Stellam, Angelorum prædiuitum ex cœleſti ordine eqoeſtri poſcit ſatellitium, à terra vacua præſepium, ab vtero exiguam annonam, à parentum manibus in templo offerendus pullos columbarum,

*Chriſti Regis exemplum.*

Pſalm 92.

Auguſt.

rum. Pulcher vndique Rex, quia magna à prædiuite cœlo, parua à terra paupere exigit vectigalia. Pulchrè perficit argumentum Doctor, *Ibi illum non videbis pulchrum, vbi deprehendes iniuſtum.* Nec enim iuſtus prædicaretur, & pulcher, ſi contra pulchritudinis leges omnes vno tributo æqualiter premeret; pulchritudo etenim effulget varietate.

37. *Sic Ioſeph Ægypti Prorex.* Teſtor Ægypti Protegem Ægyptiis fantem: *En, vt cernitis, & vos, & terram veſtram Pharao poſſidet, accipite ſemina, & ſerite agros, vt fruges habere poſſitis. Quintam partem Regi dabitis, quatuor reliquas permitto vobis in ſementem, & cibum familiæ, & liberis veſtris.* Gen. 47. Ad quæ D. Ambroſ. 2. Offic. cap. 16. *Iura terrarum Regi acquiſiuit, non vt omnes exueret ſuo, ſed vt fulciret, publicum tributum conſtituit, quo ſua tutius habere poſſent.* Dum ſcilicet tributorum ſubſidiis hoſtes arcerentur. Et quotum illud publicum tributum? Num omnibus indifferenter æquale? Quintam vnuſquiſque partem Regi conſecrat. Diues ex vberrimis terræ redditibus plus quàm ex exiguo terræ cenſu exhibet pauper. Nonne facilius certam ſingulis tributi præſcriberet quantitatem, ne in exhibenda ratione redditu um fallacia fortaſſe adhiberetur? At quiſnam exactor facilè poſſet veſtigare omninò pro ſeminis, fundorúmque varietate, quantum vnumquodque prædium exhibuerit? Non equidem tantum incommodi Regi, redditibus aliquid vectigalis defraudari, quàm vulnerari iuſtitiam, dum æqualiter tributum à diuite, ac à paupere exigitur.

Gen. 47. Ambroſ.

## OBSERVATIO II.

### Ad illa verba:

*Exiit edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis.*

### Paci tutandæ iuſtè Auguſtus tributa præſcribit.

*Id enim, quod ad ciuium vtilitatem à Rege exquiritur, Regis eſt: ei non tam datur, quàm debitum redditur.*

38. BELLIS toto orbe ſopitis iuſténe tributa noua ciuibus pacatis conſtituuntur? Et quodnam maius incommodum à bello exſurgeret? Dicebat aptè Nazianz. Orat. in Iulian. *Satis ſupérque graue eſt liberis hominibus ſeruitute premi; tantúmque inter eos, qui eadem maſſa coagmentati ſunt, intereſſe, vt alij imperio teneantur, alij tributa conſtituant, alij tributi cauſa deſcribantur.* Si igitur tantum incommodi, homines aliàs liberos ad tributa deſcribi, quare orbis poſt bellorum tumultus deſcribitur, & quaſi nouo bello oborto vexatur? Profectò iuſtè, orbe pace fruente, tributa præſcribuntur, vt pax exorta ſtabiliatur. Attamen tantum vectigalis imponendum ciuibus, & ea comitate exigendum, vt ipſa tributi exactio, non ſit nouum bellum fortè grauius exortum, ſed pacis confirmatio, diuitiarum firmamentum.

Nazianz.

39. *Gratum ciuibus tributum ob pacis reique familiaris tuitionem.* Proximè expoſitum Geneſeos locum turſum adfero ad trutinam. Ægyptiis Ioſeph, *En vos, & terram veſtram Pharao poſſidet.* Sine hoſtium nempe repugnantia, Cæſaris in morem Auguſti, ſub ſua vos continet poſſeſſione. Quid igitur ex pace conſtituta? *Accipite ſemina, & ſerite agros, vt fruges habere poſſitis. Quintam partem Regi dabitis.* Quæſtioni do, Cur, Regno pacato, tributa noua ciuibus imponuntur? Certè vt pax, ciuiúmque diuitiæ conſeruari poſſint. Sic aiebat Ambroſ. 2. Offic. cap. 16. *Publicum tributum conſtituit, quo ſua tutius habere poſſent.* Num ciues repugnarunt? *Qui*, Textus adiicit, *reſponderunt: Salus noſtra in manu tua eſt.* Geneſ. 47. Salutem, ô ciues, exactionem vocitatis? Profectò tributorum impoſitio non exactio, ſed ſalus omnino eſt, quando pacis tuitioni præſcribuntur. *Quod ita fuit,* Ambroſius addit, *gratum omnibus, vt non venditionem ſui iuris, ſed redemptionem ſalutis putarent.* Quodquod enim pacis tuitioni, ipſiuſque rei familiaris conſeruationi vectigal exquiritur, reipublicæ eſt omnino ſalutare.

Gen. 47. Ambroſ.

40. *Paci tutandæ debentur tributa.* Quod equidem tributum non gratis expenditur, ſed Cæſari debetur, id in ciuium vtilitatem conſumpturo. Cùm à Ieſu cenſus expeteretur, *Reddite*, ait, *quæ ſunt Cæſaris, Cæſari.* Matth. 22. Duplex particula expendenda, *Reddite quæ ſunt Cæſaris.* Annon aptius dixiſſet, *Date?* Debetúrne Cæſari tributum, vt reddere oporteat? Debetur planè, ſed tunc equidem, quando tributum hoc Cæſaris eſt. In cuius expeditionem adnoto non ſemper vectigalia, quæ à ſubditis exquiruntur, Regis eſſe. Nam cùm ſuperfluis Principum ſumptibus deputantur, Regum quidem non ſunt; ſed rapinâ à ciuibus accipiuntur. At cùm communi vtilitati conſecrantur, tunc tributum Regis eſt, haud illi damus, ſed debemus. *Reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari.* Appoſitè D. Chryſoſt. *Reddite tributum, quod eſt Cæſaris, ſi in nullo pietati noceat.* Tunc ſanè non nocet pietati, ſed potiùs ſeruit, quando ciuium paci tutandæ præſcribitur. Quod ſi pax defenditur, non das Cæſari, ſed debes vectigalia.

Matth. 2. Chryſoſt.

41. *Reſtituat Rex tributa, quæ tutandæ reipublicæ non deputantur.* Quid ſi ad belli ablegationem omnimodam, ſeu ad pacis conſeruationem exquirantur, & non hiſce reipublicæ commodis deputentur? Tunc profectò Princeps quaſi non ſua recipiens, ciuibus debet reſtituere. Eleganter Caſſiod. l. 9. Variar. cap. 14. Athalaricũ Regẽ ad Præfectum Syracuſanum fantem inducit: *Pro reparatione murorum pecunia diuerſis prouincialibus dicuntur extorta, cùm tamen nulla exinde ſurrexerit promiſſa conſtructio. Hoc ſi conſtat admiſſum, aut muri exinde pro eorum munimine conſtruantur, aut vnuſquiſque recipiat, quod ei probatur incompetenter ereptum.* Quia ſicut tributa debentur Cæſari, quando ea tutandæ Reipublicæ expendit, ſic cùm huiuſmodi communi bono non dedicat, quaſi malè accepta, ſeu iniuſtè retenta, debet ciuibus reſtituere. Tunc etenim Cæſaris non ſunt vectigalia.

Caſſiod.

42. *Tributa pacis pretium.* Rex ciuibus pacem tribuit, quàm illi tributis exhibitis emunt. Annon emendis neceſſariis mercibus pecuniæ debentur? Ita planè. Quemadmodum igitur ex iuſtitia ab ementibus pretium repetit, qui tradit merces: ſic Princeps nos pace donans, repetit ex iuſtitia vectigalia, queis ipſa pax ſit defendenda. Pulchrè Oroſius lib. 5. cap. 1.

Oroſius.

*Patres*, inquit, *noſtri bella geſſerunt, bellis fatigati, pacem petentes, tributa obtulerunt. Tributum pretium pacis eſt.* Illi, obiicis, bellis defatigati ob bonum pacis tributa offerebant. Quid ſi pace fruamur, nec bellis reſpublica vulneretur? Profectò vti conſeruetur in pace, debitum eſt Principi triburum. Adjicit ille: *Nos tributa dependimus, ne bella patiamur. Igitur noſtra tempora viderimus, quia quod illi vltimo delegerunt, nos continuè poſſidemus. Inquietudo enim bellorum, quâ illi attriti ſunt, nobis ignota eſt.* Si tributa iuſtè exiguntur, vti ne bellorum calamitas ingruat, quid vt à prementibus vndique bellis eruamur?

43. *Contra exactores bellum aduerſus ciues excitantes.* Reipublicæ tributa & exquiruntur, & inſumuntur tuitioni. Suntne Regis? Maximè, cùm pax conſeruatur. Auguſtus etenim ad pacis defenſionem tributa conſtituit. Attendas precor. Si iuſta hæc tributorum extractio ita adminiſtratetur, vt dum hoſtium externorum bella ablegantur, inteſtinæ exſurgunt concertationes, deputaturne tributum reipublicæ pacandæ? Scio haud Principe conſcio, tributorum exactores ſic exquirere cenſum, vt non tam Regis pij admodum miniſtros pacis cõſeruatores videas ad vrbes, ad villas aſcendentes, ſed potius hoſtium horribilium exercitum virorum ac fœminarum horrorem, & lacrymas intuearis. An non vt bellum ſopiatur omnino, grauius bellum inſtituitur? Quàm pulchrè Caſſiodor. citat. *Caſſiod.* *Nimis abſurdum eſt, ſpondere munitiones, & dare ciuibus execrabiles vaſtitates.* Auaritia etenim exactorum infert ciuibus bellum. Id quod Nazian. *Nazianz.* orat. in Iul. lamentatur. *Tributa ſatis per ſe grauia, ne per auaritiam noſtram grauiora reddamus.* Tributa igitur à Cæſare conſtituta in pacis munimen haud ſint nouarum concertationum occaſio ob auaritiam exactorum.

## OBSERVATIO III.

### Ad illa verba:

*Vt deſcriberetur vniuerſus orbis.*

### Omnes deſcribi, ſiue nullum à communis legis obſeruatione eximi, pacis argumentum.

*Quia ab inobedientia legis, (ſiue à crimine) bella ducunt exortum.*

44. *Beda.* NVLLVM, Inquit Beda, *maius pacis indicium, quàm totum orbem deſcribi.* Nam cùm omnibus communis eſt lex, quantumuis rigida exurgat, pax ciuium conſeruatur. Conetur quis, quia ex equeſtri ordine, quia prædiues, quia ſapientia præditus, legum communium iuga è collo excutere, protinus iurgia exſurgunt, mox exaudiuntur querimoniæ. Pacis quippe bonum exulat, vbi habitant exemptiones. Pacem itaque omnis orbis deſcriptio, communis legis indicat obſeruatio.

45. *Dum omnes curriculo inſudãt, ita pace copulãtur, vt vnum eſſe appareant. Cant. 1.* Communis obſeruantia legis? Ciuium igitur vnitas oſtentatur. Se trahi à Domino efflagitabat Sponſa, *Trahe me poſt te curremus*, Cant. 1. Si vna trahitur, quonam modo omnes currunt? Quia collegium fidelium cor vnum & anima vna ob charitatis vnionem, ita vt omnibus currentibus *vnus* recipiat *brauium*. 1. Corinth. 9. Et vndenam huiuſmodi pacis abundantia, niſi quia non ſola ſponſa, ſed omnes ſociæ, cuncti Ieroſolymæ ciues curriculo inſudant? *Curremus.* D. Bernard. ſerm. 21. in Cant. *Bernard.* *Non curram ego ſola, & ſi ſolam me trahi petierim, current adoleſcentulæ mecum.* Omnes igitur currunt, quia communis tractio, commune tributum; vna autem ſponſa cucurriſſe videtur, quia communis legum obſeruatio adeò ciues pace copulauit, vt in vnum redacti eſſe videantur.

Pſaltes cecinit, *Orietur in diebus eius iuſtitia & abundantia pacis.* Pſalm. 72. Quidnam iuſtitiam exoriri? Hebraicè, *Floreat temporibus eius*, id eſt, Regis Ieſu, *iuſtitia.* Ad quæ Campen. *Floreat temporibus illius iuſtus, & ſumma ſit pax.* Ac ſi diceret, Adeò omnes legibus Regis ſubiaceant, ac ſi vnus iuſtus exiſterent. Tunc equidem hominibus ob legis communis obſeruationem in vnum coaleſcentibus, neceſſaria pacis abundantia. 46. *Vnitas ex communi iuſtitia. Pſalm 72. Camp.*

*Omni* olim *populo vociferante, & clangentibus tubis, muri illico corruerunt.* Ioſ. 6. Quidnam quæſo, omnem vociferari populum, & clangere tubis, niſi eadem dicere, eodem actionum prætextu ſub Ieſu Regis imperio militare? Omnibus itaque idem dicentibus, ſiue Imperatoris legibus ſubiectis, muri mundiales illicò corruunt, quia nullus hoſtis valet irrumpere, cùm communis eſt cœleſtis legis obſeruatio; neceſſariò etenim pace fruuntur, qui vnanimiter cæleſti ſubmittuntur imperio. Orig. ad hæc, *De hoc iubilo dicitur, Iubilate Deo omnis terra. Timor Domini facit beatam, ſed vnum tantùm hominem.* Et quonam modo vnum tantùm hominem timor Domini facit beatum? Quia quando populus vniuerſus Dominicis legibus ſubditur, nullo repugnante: tanta exurgit pacis abundantia, vt omnes in vnum charitatis vinculo conuertantur: *Si autem tanta fuerit beatitudo, vt omnis populus vnanimis maneat, idem dicat, eodem ſenſu, eadem ſententia: tali populo eleuante vnanimiter vocem, cadent omnia terrena, & mundus ſubuertetur.* Quia ſcilicet nullus hoſtis aduerſarius bono pacis exſurgit, quæ ex communi Dei timore, legiſque obſeruatione coaleſcit. 47. *Omni populo obediente vnitas pacis coaleſcit. Ioſ. 6. Orig.*

Omnis populus diuinis ſubiacet præceptis, nullus ſeſe delicto contaminare audet? Neceſſaria pacis beatitudo. *Habitauit Iebuſæus cum filiis Iuda, in Ieruſalem, vſque in præſentem diem.* Ioſ. 15. Ad quem locum Orig. *Hoc*, inquit, *ad literam ſtare non poteſt, ſed ſpiritualiter intelligendum eſt. Ieruſalem viſio pacis dicitur.* Quorſum hæc? Adiicit Doctor: *Si Chriſtum, qui eſt pax noſtra ſemper omnes intueamur, & ſeruemus in corde noſtro, & ita fixi, & ſtabiles ſimus, vt nulla cogitatio peccati aſcendat in cor noſtrum, poſſamus dicere, quia in Ieruſalem ſumus, ſiue in viſione pacis.* Communem etenim legis obſeruationem pacis ſequitur beatitudo. 48. *Neceſſaria pacis beatitudo vbi nul lus delinquit. Ioſ 15. Orig.*

Vnus à legis iugo eximitur, dum reliqui libenti animo colla ſubmittunt? Vereor ne à pacis vinculo eximantur. Cunctis Apoſtolis ſilentio labia firmantibus, vnus Petrus abnegat Saluatorem, *Non noui hominem.* Matth. 27. Quid ſocij? Optatus Mileuit. lib. 7. aduerſ. Parmen. *Apoſtoli pro bono vnitatis noluerunt à communione Petri recedere, eius ſcilicet, qui negauerat Chriſtum.* Illam particulam, *Noluerunt*, pondera. Potuêrene à Petri communione recedere? Profectò vno Diſcipulo non obtemperante, dum omnes reliqui cæleſti parent Imperatori, tam neceſſaria eſt pacis diſſolutio, vt 49. *Vnius peccatum pacem turbat. Matth. 27. Optat.*

perfectionis

vt perfectionis Apoſtolicæ triũphus eſſe videatur, quod vno ſeſe delicto maculante, pacis vnitas minimè diſſoluatur. O quonam modo ex vnius praui ſocij delicto nutat, imò corruit pacis exædificatio! Collige hinc bella ex criminibus pacem ablegantibus ducere exortum.

50. *Obſeruationi legis ſine menſura pax ultimo ſequitur.* D. Bruno illud à me expoſitum Pſalmi 71. *Orietur in diebus eius iuſtitia, &c* ſic tranſtulit: *Germinabit iuſtitia & abundantia pacis.* Erat quando iuſtitia ſiue lex Iudæis ſolis fructificabat, ſub modio ſynagogæ recluſa, tunc pax haud germinabat, minimè germinante iuſtitiâ; quia granum non germinat dum modio addicitur, ſed dum terræ commendatur. Audite D. Hilarium ad cap. 5. Matth. *Synagogam dignè Dominus modio comparat, quæ ſuſceptos fructus intra ſe tantùm receptos certum modum dimenſa obſeruantia continebat.* Sub modio lex, & vnius populi obſeruatio? Sub menſura etiam pax, non germinabit. At è modio populi vnius obſeruatoris excidente in terram communem iuſtitiâ, omnibus in dicta lege, & germinat iuſtitiâ, & ſimul pax ſine menſura pullulat. Germinabit iuſtitia. *Abundantia pacis eſt* (adiicit Bruno) *dum religio toto orbe dilatatur.* Quando enim omnes lex religat, pax replet eoſdem. Quo quidem pacis germine ne orbis ob vnius ſeſe ab onere legis eximentis ſingularitatem priuaretur (videlicet reliquorum obiectionē præcauens) & legi cui minimè tenebatur, paruit, & ſe tabulis publicis ac communibus deſcripſit. Id quod Beda adnotauit: *Non pretereunter eſt tanta, támque humilis benignitas Chriſti intuenda. Qui non ſolùm incarnari pro nobis, ſed & eo tempore dignatus ſit incarnari, quo mox natus cēſu Cæſaris adſcriberetur, atque ob noſtri liberationem ipſe ſeruitio ſubderetur. Nullum enim maius noſtra pacis indicium quàm totum orbem deſcribi*, nullum à lege communi liberari.

## OBSERVATIO IV.

### Ad illa verba,

### *Vt deſcriberetur vniuerſus orbis.*

### Mundum tunc Chriſtus inuiſit, cùm homines pace colligabantur.

### *Quia vbi pax, ibi Dominus amat ſibi hoſpitium præparari.*

51. *Beda.* AD quæ verba Beda venerabilis profatur: *Naſciturus in carne Dei Filius: ſicut de Virgine natus virginitatis ſibi decus oſtendit eſſe gratiſſimum: ita pacatiſſimo tempore ſeculi procreatur; quia pacem quærere docuit, & pacis ſectatores inuiſere dignatur.* Probat autem tempore pacatiſſimo exortum, quia tunc orbis deſcribebatur. *Nullum autem potuit maius eſſe pacis indicium, quàm vnâ totum orbem deſcriptione concludi, cuius moderator Auguſtus tantâ duodecim annis circa tempus Dominicæ natiuitatis pace regnauit: vt bellis toto orbe ſopitis, Prophetæ præſagium ad literam videatur impleſſe.* Ille equidem qui eſt *Pax noſtra*, *Epheſ. 2.* Epheſ. 2. qui *Princeps pacis*, Iſai. 9. qui Rex Salem *Iſai. 9.* ſiue Rex pacificus interprete Paulo Hebr. 7. or- *Heb. 7.* bem inuiſit tunc, quando vnuſquiſque hominum ſub ficu ſua, & ſub vite ſua, dulci pace fruebatur. *In pace* enim, vti præcinit Dauid, *factus eſt locus eius*. Pſalm. 75. *Pſalm. 75.*

52. *Stabilis pax Domino altare præparatum naſcituro.* Hoſpitio præparando incumbit Regius Vates filio naſcituro: *ſuſcipiant montes pacem populo.* Quia ſcilicet, *deſcendet ſicut pluuia in vellus, Orietur in diebus eius iuſtitia.* Pſalm. 71. Iuſtitiæ Sol amat habitaculo pacifico excipi. Præparentur hominum præcordia altaria Dominicæ pacis induantur amictu. *Pſalm. 71.* D. Chryſoſtomus homil. 16. de recip. ſeuer. *O quàm deſiderabile nomen pacis, quam religionis Chriſtianæ ſtabile fundamentum, & altaris Dominici cœleſtis armatura!* *Chryſoſt.* Et quonam modo Chriſtus deſcendat perpetuò apud nos commoraturus, ſi domus, ſeu habitaculi nullet fundamentum? Montanum igitur ſit altare Domino præparatum. *Suſcipiant montes pacem.*

53. *Iacob pacis amator ſe diſponit ad natū Ieſum excipiendū.* Pacis ſtudioſus Iacob fugitans ſoceri diſcordias, *Tulit omnem ſubſtantiam ſuam, pergénſque ad Iſaac patrem ſuum, &c.* Geneſ. 31. vbi Ambroſ. *Ecce qualis vir iuſtus eſſe debet, ſi inuidia fuerit exorta. Primum, vt declinet eam. Melius eſt enim ſine lite abire, quàm reſidere cum iurgio.* *Gen. 31. Ambr. apud Lipom.* Atqui pacis amator fugitabat diſcordiæ fraternæ nactus occaſionem, humilitate, & manſuetudine diſſoluit quæſtionem. Quid plura? Adeſt Cælicola ſub ſpecie hoſtili, quem poſt diuturnam impugnationem Iacob aduocat ad amplexum, ab illôque donari benedictione precatur. Tunc (ait D. Ambroſius) pro neruo emarceſcente ſanguis Dominicus exhibetur, parénſque naſcituri efficitur Saluatoris. Quia ibi appoſitè emicat Dominicæ natiuitatis fulgor, vbi pacis non ſemel amator cum hoſtibus init ſocietatem. Vnde ſub metaphora eius, qui hoſtem aduocat ad pacificum amplexum natiuitati Ieſu cunabula obiiciuntur.

54. *Ex Alite Maria pullus Ieſus exoritur ſeculi pelago pacato.* De Halcyonis partu ſic D. Ambroſius lib 5. exam. cap. 13. *Vbi vndoſum fuerit mare, poſitis ouis Halcyonis ſubitò miteſcit; & omnes cadunt ventorum procellæ, flatúſque aurarum quieſcit, ac placidum ventis ſtat mare, donec oua foueat Halcyon ſua. Septem autem dies fotus ſunt, quibus decurſis, educit pullos, fœtúſque abſoluit. Illicò alios quoque ſeptem dies adiungit, quibus enutriat partus ſuos, donec incipiant adoleſcere. Tantam autem gratiam auis minuſcula diuinitus indultam habet, vt hos quatuordecim dies nautici præſumpta ſerenitatis obſeruent; quos & Halcyonidas vocant, quibus nullos motus procelloſæ tempeſtatis horreſcant.* *Ambroſ.* Vbi ex ouo Halcyon exoriatur, fluctuum bella quieſcunt, ventorum prælia ablegantur, nec aliter prodit pullus in lucem? Quidni ad exortum Ieſu è Virginis alitis vtero, ſeculi miteſceret pelagus, totúſque pacaretur orbis?

55. *Ieſus inſtar roris affluit, cùm omnia ſerenitate quieſcunt.* *Deſcendet* (loquor cum Dauide) *ſicut pluuia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram.* Pſ. 71. vbi D. Bruno: *Exponit* (ait) *myſterium glorioſæ Natiuitatis.* Et legit, *Deſcendet vt ſtilla irrorantes terram* Quid Dominicæ Natiuitati cum rore? Vt reſpondeam præmitto Ariſtotelē 1. Meteor. c. 10. fantē: *Ros fit nonniſi ſerenâ nocte, & à ventis ſilēte. Nam neque cùm ſudum ſerenúmque non fuerit, attolletur quidquam; neque ſpirante vento conſiſtere poterit.* *Pſalm. 71. Bruno. Ariſt.* Deſcendet itaque Chriſtus ſicut ros; quia præuia tranquillitas ab omni oubiũ, ventorúmq; pugnaciũ certamine immunis optatiſſimũ huiuſce roris cœleſtis illapſum expetebat, aduocabat.

56. *Sub Ieſu aduentu terra quieuit à prælijs.* Sub Ieſu aduentu terram omnimodâ pace ſtabiliendam Propheta affirmat: *Concident haſtas ſuas in ligones; nõ ſumet gens aduerſus gentem gladium, & non diſcent vltra belligerare Et ſedebit vir ſecus vineam ſuam, & ſubtus ficum ſuam, & nõ erit qui deterreat.* Quare? *Quia os Domini exercituum loquutum eſt.* Mich. 4. Ac ſi diceret? Quia *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.* Ioan. 1. Sub Ieſu enim aduentu omnia prælia quieſcunt. *Et quieuit terra à prælijs.* Ioſ. 11. Ad quem locú Origenes: *Non ſub Ieſu filio Naue, ſub quo nunquam ferè ceſſauit à bellis, ſed ſub Ieſu Chriſto. Cùm bella tranſegeris, tunc requieſces ſub vite tua, quæ eſt Chriſtus, & ſub ficu tua, quæ eſt Spiritus ſanctus.* Nec enim Chriſtus aduentabit, niſi prælijs omnino deletis, vt vir poſſit ſub vite ſua, & ſub ficu ſua dulcem captare ſomnum.

Mich. 4. Ioſ. 11. Orig.

57. *Vt Verbum audiatur, bellorum ſilet ſtrepitus.* Expende verba illa: *Non erit, qui deterreat, quia os Domini locutum eſt.* Mich 4. Amat Verbum ab omnibus exaudiri. Tunc itaque reſonat è præſepio, cùm bellorum ſtrepitu conſopito omnes audiendi aures arriguntur. Theodoret. ad Pſalm. 45. *Tempeſtate* (ait) *Saluatoris, cùm Romanorum imperium ſingula regna expugnaſſet: omnium aures Euangelij præconibus accommodauit. Nullo timore enim veluti in vno regno percurrerunt, ſalutaremq; doctrinam hominibus attulerunt.* Id quod Dominicæ Natiuitatis inſtantiæ potiori iure congruit, Angelorum enim hominibus gaudium magnum euangelizantium præconiis (inſonante ſimul Verbo) ſumma pax aures accommodauit. Verbum enim loquitur in ſilentio.

Mich 4. Theod.

58. *Naſciturus Ieſus requirit virginitatis, & bellorum clauſulam.* Bedæ præmiſſa ſententia adhuc expendenda: *Naſciturus Dei Filius, ſicut de Virgine natus, virginitatis ſibi decus oſtendit eſſe gratiſſimum: ita pacatiſſimo tempore procreatur.* Et quare pacem cum virginali clauſtro coniunxit? Eſt equidem belli clauſula quemadmodum virginitatis. Fuit Romæ olim Iani templum, quod belli ianua compellabatur, pacem clauſum, reſeratum verò bellum indicabat. Plutarchus in vita Numæ: *Romæ eſt Iani templum duabus portis, quod belli ianuam vocant, legitimum enim eſt, ipſum aperiri, cùm bellum ſit; in pace autem claudi.* Clauſum equidem Iani templum Ieſu exoriente. Oroſius lib. 6. c. vlt. *Auguſtus Iani portas tertiò ipſe tunc clauſit, quas ex eo per duodecim ferè annos quietiſſimo ſemper obſeratas otio, ipſa etiam rubigo ſignauit. Igitur eo tempore natus eſt Chriſtus.* Conſequentiam hanc libra Belli ianua clauſa? *Igitur* natus eſt Chriſtus. Aduentanti etenim cœleſti pacifico Regi oſtium vtrumque obſeratum præparatur. Clauſam virginitatis portam præbet Deipara, clauſam belli ianuam mundus oſtentat.

Plutarc. Paul. Oroſ.

59. *Abrahã belli ianuã occluſit, vt ſe ad natiuitatem Ieſu præpararet.* Abraham, è quo Ieſus erat oriturus, belli portas omnino obſerauit. Nam cùm facta eſſet rixa inter paſtores Abram & Loth. *Ne quæſo* (inquit Abram) *ſit iurgium inter me, & te, fratres enim ſumus. Ecce vniuerſa terra coram te eſt, recede à me, obſecro. Si ad ſiniſtram ieris, ego dexteram tenebo.* Mox ac fugitans diſcordiarum occaſiones, belli oſtium clauſit Abram, ſic Dominus, *Omnem terram, quam conſpicis, tibi dabo, & ſemini tuo.* Geneſ. 13. Vbi Strabus: *Semini tuo,* id eſt, *Chriſto ex ſemine Abraham.* Obſeratis enim bellorum, ac iurgiorum foribus, illicò Abrahami habitaculum ingreſſus eſt Dominus, quaſi iam ex pacifico fuiſſet exortus. Diſce hinc quonam modo Iani fores claudendæ ſint. Is etenim obſerat, qui rixarum occaſiones fugitat.

Gen. 13. Strab.

## SECTIO SECVNDA.

# MARIÆ AC IOSEPHI PROFESSIO.

## *TEXTVS.*

*Verſ.* 4. Aſcendit autem & Ioſeph à Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudæam in Ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethleem, eo quod eſſet de domo & familia Dauid. 5. Vt profiteretur cum Maria deſponſata ſibi vxore prægnante.

## *COMMENTARIVS LITERALIS.*

### §. I.

### *Mariæ ac Ioſephi in Bethleem aſcenſus.*

1. *Cur dicitur aſcendiſſe.* A*SCENDIT autem & Ioſeph.*] Quemadmodum alij in ſuam Ciuitatem aſcendebant. Quare dicitur aſcendiſſe? Reſpondet Tolet. *Dicitur aſcendiſſe de Galilæa in Iudæam ratione ſitus terræ; erat enim in ſublimiori loco ſita Iudæa.* Aquæ ideo à Iudæa in Galilæam defluebant. Vnde è conuerſo qui à Iudæa in Galilæam proficiſcebantur, dicebantur deſcendere. Facilius dixerim verbum Hebræum *Aſcendere* frequenter poni pro ire, proficiſci.

Tolet.

2. *A Galilæa in Iudæam.* *A Galilæa de Ciuitate Nazareth.*] Ac ſi diceret, Ioſeph etiam, qui vnus erat ex illis, quos profeſſionis lex vrgebat, aſcendit à Galilæa à Ciuitate Nazareth; ne ſenſus eſſe videatur aſcendiſſe Ioſeph à Galilæa de Ciuitate Nazareth, id eſt, qui erat Galilæus, & ciuis Nazareth. Habitabat Ioſeph cum Maria in Nazareth ciuitate Galilææ: Num inibi exorti? Maldonatus opinatur. Quanam

autem ratione eorum parentes ex Bethleem gentili ciuitate in Nazareth migrarint, prorſus ignoratur; nec, vt ille arbitratur, poteſt ſciri, cùm nulla extet hiſtoria. Probabile tamen reputat, quod hæreſ. 51. Epiphan. ſcribit, Machabæorum tempore propter aſſidua bella, quæ in Iudæa erant, in Galilæam commigraſſe. Nos autem poſt accuratam veſtigationem de loco natalitij Mariæ & Ioſephi tom. 3. lib. 2. Deo dante, diſſeremus. Aſcendit igitur de Nazareth ciuitate Galilææ, in Iudæam prouinciam, quæ erat Tribuum duarum Iudæ & Beniamin.

3. *David Ciuitas.* *In Ciuitatem David, qua vocatur Bethleem.* Profectus autem in Iudææ prouinciæ Ciuitatem quamdam nomine Bethleem, quæ quidem Ciuitas Dauid appellabatur, non ſolùm quia ibi cum patribus ſuis fuerat exortus, ſed etiam quia eam primus nobilitauerat. Quamuis in veteri Teſtamento Ciuitas Dauid ſit etiam arx Sion à Dauide exædificata.

## §. II.

### *Cauſa profectionis Mariæ & Ioſephi in Bethleem.*

4. *De familia David vterque ſponſus.* EO *quod eſſet de domo & familia David.*] Domus in Scriptura aliquando familiam, aliquando Tribum ſignificat. Vnde vtrumque coniunxit Lucas, ne dum ſolùm domum diceret, Tribum ſolam ſignificare videretur. Domus autem Dauid pro Tribu Iuda accipitur, in qua erat Regnum, quod à Dauid habuit obortum. Sic D. Hieronym. *Hieron.* interpretatur illud Iſa. 7. *Audite Domus David.* Id eſt, Tribus Regia. Et paulò ſuperiùs, *Nunciauerunt Domui David*, ſeu Tribui.

5. *Quid de domo & familia.* Cauſam igitur annectit Euágeliſta, cur in Bethleem ciuitatem Dauid aſcenderet, nimirum quia erat de Domo & familia Dauid. De domo quidé, id eſt, de Tribu Iuda, de qua Dauid: de familia verò, id eſt, de ſtirpe, & proſapia Dauid. Nec enim omnes, qui ex Tribu Iuda exoriebantur, à Dauide ducebant originem; Iudas enim multorum parens filiorum, à quibus multæ familiæ dimanabant. Ioſeph de Tribu, ac ſtirpe Dauidica erat. Vtrumque autem neceſſarium ad aſcendendú in Bethleem: Si enim ſolummodo de domo ſeu Tribu Dauid eſſent, in Bethleem poterant non aſcendere: multæ enim aderant aliæ ciuitates Iudæ Tribus, vbi poſſent profiteri. At quia non ſolùm de Tribu, ſed de ſamilia, ſiue ſtirpe Dauid erant, idcircò in Bethleem ciuitatem Dauidicam conſcendunt.

## §. III.

### *De Mariæ ac Ioſephi profeſſione.*

6. *Viri & vxores profitebantur.* VT *profiteretur cum Maria deſponſata ſibi vxore.*] Num viri & vxores deſcriberentur? Recentiores quidam ſolos viros, & hos non omnes, ſed qui patresfamilias erant, deſcriptos exiſtimant. Iuxta quorum ſententiam vix poteſt ratio aſſignari, quare beata Virgo, & præcipuè grauida, cum Ioſeph aſcenderit, cùm deſcriptionis edicto minimè arctaretur. Certum omninò exiſtimo tam viros quàm feminas fuiſſe deſcriptos,, ideóque Virginem cum Ioſepho coaſcendiſſe.

7. Cauſa itaque aſcenſionis Ioſeph cum aliis fuit communis, nempe vt deſcriberetur cum deſponſata ſibi vxore, quæ tunc, quando aſcendebat, erat grauida. Illud *cum deſponſata ſibi vxore prægnante*, haud indicat fuiſſe prægnantem, quando deſponſata fuit, ſed prius deſponſatá, tempore autẽ, quando profitebantur, prægnantem aſcendiſſe. *Maria vxor prægnans.*

8. *Nomen vxoris.* *Cum deſponſata vxore.*] Nomen quidem vxoris non aufert virginitatem, ſed verum matrimonium ſignificat. *Deſponſata* equidem eam ſignificat, quæ deſponſa, & pacta eſt in coniugium, nondum tamen domum adducta. Si autem Maria iam verè ducta erat, cur deſponſata vocitatur? Vt indicaretur ita eam vxorem fuiſſe, vt eſſet tamen virginitate conſpicua.

9. *Num Ieſus deſcriptus.* Ad quæſtionem adfero, num cum parentibus Ieſus fuerit deſcriptus? Ambiguum Barrad. reputat. Opinor deſcriptum. Fundamentum illud exhibeo, quia liberi deſcribi ſoliti, cum tributum per capita ſolueretur. Dionyſ. Halicar. 4. *Tullius*, *Halic.* inquit, *Rex Romanus iuſſit cenſeri bona omnium ciuium cum iureiurando bonæ fidei, adſcriptis ætatis annis, & parentum nominibus, atque adeò liberorũ etiam, atque coniugum.* Et l. 5. *Largius dictator cenſum egit, adſcriptis nominibus, ætatibúſque, & ipſorum, qui cenſebantur, & liberorum.*

10. *Auctoru ſententia.* Chriſtus igitur, poſtquam natus, adſcribitur. Oroſium & Bedam habeo patronos. Hic profatur in præfatio: *Non prætereundum eſt; tanta, tamque benigna Chriſti humilitas intuenda. Qui* *Beda.* *non ſolum incarnari pro nobis, ſed & eo tempore* *Oroſ.* *dignatus ſit incarnari, quo mox natus cenſu Cæſaris adſcriberetur, atque ob noſtri liberationem ipſe ſeruitio ſubderetur.* Ille autem l. 6. c. vlt. ſic: *Chriſtus Romano cenſui ſtatim eſt adſcriptus, vt natus eſt.* Et infrà: *Nec dubium eſt, quin omni cognitioni, fidei, inſpectionique pateat, quod Dominus Vrbem Romam nutu ſuo auctam, defenſámque in hunc rerum apicem prouexerit. Cuius potiſſimè voluit eſſe cum venit, dicendus vtique ciuis Romanus cenſus profeſſione Romani.*

## §. IV.

### *De Deiparæ itinere.*

11. *Iter peractũ.* ASCendit *Ioſeph.*] Cum Maria. Deiparam Ioſephum ſecutam iter plus quam leucarum triginta confeciſſe reor. Licet enim Brocard. Nazareth ab Ieroſolyma quatuordecim tantum leucas diſtare aſſerat, veriùs cum Aranda prol. lib. *Aran.* terræ ſanctæ, & aliis exiſtimo triginta leucis diſſitam. At Bethleem à Ieroſolyma leucis ferè duabus diſtans adiacet.

12. *An pedes perfecerit* Num pedes Virgo iter perfecerit? Affirmat Auctor ſerm. de Nat. qui Chryſoſt. adſcribitur Tom. 2. *Ioſeph, ait, ille, & Mater Domini non habebant ſeruum, non ancillam: de Nazareth ſoli venturi, non habebant iumentum.* *Chryſoſt.* Lyranus autem & Carthuſ. aſino vectam putant, quos ſequitur Ioan. Maior, fatus: *Aſino, vt memoria proditum eſt, Virgo vehebatur. Hinc commemorant aſellum illum nobiliſſimum pondus portaſſe.* *Maior.*

13. *Non repugnat grauiditati.* Ego autem, licet prædictam opinionem non improbem, cum Mariæ paupertati non repugnet aſino vectam; quia parum ad diuitias facit aſellus: incertum tamen eſſe reor, nec vlla authoritate antiqua probari. Hoc equidem manifeſtum, vterum ei grauem, aut moleſtum non fuiſſe, quo minus pedes iter aggrederetur. Id quod adnotauit Auguſt. ſerm. 14. de Natiuit. *Cum eſſet,* inquit,

August. inquit, *grauida, ſalubri leuitate gaudebat; lumen enim, quod intra ſe habebat, pondus habere non poterat.* Bernard. *Signum magnum. Sola Virgo ſine corruptione concepit, ſine grauedine tulit.* Quid mirum, ſi *Sole amicta, lumen, quod in ſe habebat, grauedinem habere non poterat?* Ioan. Mai. concitatur. Ludolph. Ludolph. denique in vita Chriſti ex eo colligit Virginem grauidam corporis grauitatem non ſenſiſſe, quod partui vicina tantum iter peregerit. *Ex hoc loco,* ait, *colligitur, quod beata Virgo licet grauida eſſet, & partui vicina, non tamen ex hoc grauabatur in corpore, quia, vt dicit Auguſt. cum eſſet grauida, ſalubri leuitate plaudebat.*

## § V.

### *De Bethleemitica Vrbe.*

14. *Bethleemi deſcriptio.* Brocard. Q*Va vocatur Bethleem.* ] De qua mundi facilè Metropoli ſic ſcribit Brocard. 1. p. cap. 7. §. 56. *Ab Ieruſalem duabus leucis contra Auſtrum ſita eſt Bethleem in monte, non tamen excelſo. Mons quidem arctus eſt, extendens ſe in longitudine ab Oriente in Occidentem, ab Occidente patet ingreſſus. In fine Orientali ſub rupe quadam exiſtente tunc temporis iuxta parietem vrbis (& videtur ſecundùm illarum regionum morem, fuiſſe locus pro ſtabulo, habens præſepe exciſum in rupe, vt moris eſt illic diſponere præſepia) ortus eſt de Virgine Chriſtus.* Preſſiùs Beda de loc. ſanct. cap. 8. fatus: *Bethleem in dorſo ſita eſt anguſto, ex omni parte vallibus circumdato, ab Occidente in Orientem mille paſſibus longa, humili ſine turribus muro. In cuius Orientali angulo quaſi quoddam naturale ſemiantrum eſt, cuius exterior natiuitatis Dominicæ fuiſſe dicitur locus, interior Domini præſepe nominatur.* Beda.

A Patribus humilis Bethleem ſuper auguſtas vrbes extollitur. Nazianzen. Orat. 19. *Bethleem,* ait, *nulla res prohibuit, quominus ſimul & parua ciuitas eſſet, & totius terræ metropolis, vtpote Chriſti orbis conditoris, ac victoris parens.* D. Hieron. Epiſt. 19. *Ecce in hoc paruo terræ foramine cælorum Conditor natus eſt. Sanctior locus eſt rupe Tarpeia, quæ de cælo ſæpius fulminata, oſtendit, quod Deo diſpliceat.* Michæas, *Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda; ex te enim exiet Dux.* cap. 5. Vrbiùmne minima? Imò omnium maxima, canente Prudentio, 15. *Bethleemi laudes.* Nazianz. Hieron. Mich. 5. Prudent.

*O ſola magnarum Vrbium*
*Maior Bethleem, cui contigit*
*Ducem ſalutis cælitus*
*Incorporatum gignere.*

# IN IESVM NATVM,

# Panegyricus primus Moralis circa Literam.

## EX MARIÆ AC IOSEPHI PROFESSIONE.

### *OBSERVATIO I.*

Ad illa verba:

## *Aſcendit autem & Ioſeph, vt profiteretur cum Maria vxore prægnante.*

## Obediens edicto Ioſephus, aſcendit in Bethleem.

## *Quia cæca obedientia ſemper ad eleuatiſſimum Thronum eleuatur.*

16. CÆcæ obedientiæ Maria & Ioſeph dum Cæſaris præſcriptioni illicò parent abſque grauiditatis, paupertatiſque obiectione, exhibent ſimulacrum. Vnde meritò Euangeliſta, *Aſcendit autem & Ioſeph, vt profiteretur cum Maria vxore prægnante.* Cæco etenim obedienti aſcenſus ad ſublimia indicitur. Beda. *Ciuitas,* ait Beda, *noſtra patria beata, ad quam creſcente obedientia ire debemus.* Obedientia namque ſemper creſcens, nunquam non aſcendens, cælorumque cacumina tenens obiicitur.

17. *Cæcus cælo, pertingit.* Genes. 3. Intendit Protoplaſtus apertis incedens oculis, obedientiæ ablegato prætextu, in cælum conſcendere. *Aperti ſunt oculi eorum.* Et cæcorum in morem in foueam inciderunt. *In terram ibis.* Gen. 3. Stultitiam illorum Dauidis prudentia vicit, dum ſe cæcum inclamitat, vt per obedientiæ viam ſine caſus periculo ad cælum eleuaretur. *Deduc me Domine, in viam mandatorum tuorum, & exquiram eam ſemper.* Pſalm. 118. Nam ſi cæcus incedo à te ductus ſemper aſcendam vſque in finem, ſeu cæleſtis patriæ verticem. Ambroſ. ſerm. 5. *Deduc me Domine, in viam tuorum decretorum, vt eam retineam vſque in finem.* Vſque in cæleſtem patriam, in quam laborum finem cæca obedientia tanto ducta patrono nouit aſcendere. Pſalm. 118.

Quænam, obſecro, auguſtior cæci obedientis actio, quàm Abrahæ ſacrificium, filium poſt toties iteratas promiſſiones, quæ, occiſo puero, minimè implendæ videbantur, intellectus ſubmiſſione Deo litantis? Cùm igitur filius vulnerandus obiiceretur, acies gladij hebetatur, Angelo proclamante. *Et ecce Angelus Domini de cælo clamauit, Abraham,* 18. *Abraham ob cæcam obedientiam in cælo commoratur.*

*Abraham, Abraham.* Geneſ. 22. Audiſtine Cęlicolam alibi de cælo homini loquutum? ſi Iſmaël potandus, Angelus apparet; ſi Samſon naſciturus, Angelus parenti præſentatur; ſi verus Saluator aduenit, Maria apud cubiculum à Gabriele ſalutari iubetur; ſi manifeſtanda eius natiuitas, ad paſtores Angeli deſcendunt: Cur igitur Angelus ad Abraham *de cælo* loquitur? An non quia cæca obedientia ſic ad ſuperos Abrahamum eleuauerat, vt pergens ad illum Angelus, præpetique volatu intendens ad terram deſerri, Patriarcham apud cælicolas commorantem reperit, vnde incongruè ad terram demitteretur? Ita planè Chryſoſtomum homil. 47. allicio ad argumentum: *Quia Angelus videbat iuſtum accinctum, & paratum ad immolationem, & volentem implere mandatum Domini, idcircò vocat eum de cælo.* Ad cuius culmen eum aſcendens obedientia eleuauerat.

19. *Ad eleuationem cæli aſcendit.* Geneſ. 22. Poſt paruum interſtitium, *Vocauit Angelus Domini Abraham ſecundò de cælo.* Geneſ. capite 22. Iam Abraham cæcus obediens, cælo commorabatur, quid vlterius de cælo clamaſſe Moyſes adnotat Angelum? Num cælum cæli confingitur? Profectò parum eſſet cæco obedienti cælum pertingere, ſi non ſemper aſcendens *vſque in finem*, (vti aiebat D. Ambroſius) ad ſuperiorem gradum eleuaretur, vnde iam in cælo reſidentem Angelus illicò è cælo eleuatiori, è gradu ſuperiori auolantem Patriarcham alloquitur.

20. *Seraphinorū in morem.* Iſai. 6. Vis dignoſcere quonam modo vel in cælo, cæco obedienti, adnatum amplius eleuari? Audi Iſaiam: *Seraphim ſtabant ſuper illud, ſex alæ vni, & ſex alæ alteri; duabus velabant faciem: & duabus volabant.* Capite ſexto. Stantes obediunt, velantes faciem obedientis cæci perferunt imaginem. *Duabus volabant.* An in auguſto admodum vertice reſidentes, vlterius eleuatiorem thronum meditamini, quò aſcendere poſſitis? Ita equidem, ſi cæco obedienti adnatum, nunquam non aſcendere. Eucherius appoſitè? *Deo ſtare,* ſeu ipſi clauſis oculis obedire, *idem eſt, quod volare, & in ſublime exaltari.* O quàm velandi, & volandi vocabulum affine!

21. *In æternum Patrē aſcendens adhuc, quodammodo conuertitur.* Geneſ. 22. Ab Abrahamo non recedam. Profectò ad tam eleuatum thronum aſcendit cæcæ obedientiæ volatu, vt omnes cælos ſcandens, vſque ad Deitatis verticem quodammodo abripitur. Deo Lucifer aſſimilari conatus non cæcæ obedientiæ tenebris offunditur, ſed manè exoritur. *Quomodo cecidiſti Lucifer, qui manè oriebaris?* Aliter Abraham de nocte conſurgens, obedientiæ cæcutientis prætextu montem ſcandit, cælum petit, cælo cælorum conquieſcit. Quid plura? Vlteriùs aſcenſurus, in æternum Patrem conuerſus quodammodo, iam Iſaacum quaſi filium æternum contemplatur. Diuus Ambroſius de Abrahamo, capite octauo, *Vocare filium frequenter non timet.* Ducit enim Iſaac *filium ſuum,* ligna ſuper *filium ſuum* imponit, illud reſpondet, Quid vis *fili*? Dominus prouidebit, *fili,* Alligauit Iſaac *filium ſuum*, conatur *ſuum filium* immolare. Cur igitur toties non timuit Abraham mox filij morituri nomen vſurpare, mortis vi filij ac parentis relatione abolendâ? An putauit fore, vt filij æterni pater quodammodo eſſet æternus? Quid non ſibi hoc perſuaderet, qui ob cæcam obedientiam nunquam non aſcenſurus *vſque in finem* filium aggreditur immolare? *Ita erat*, Ambroſius ait, *intentionis ſoliditate fundatus, & hoc ſe meliorem patrem putabat, hoc ſibi in perenne manſurum iudicauit filium, ſi eum immolaret Deo.* Putabat equidem ſe meliorem futurum patrem filij melioris, quia per cæcam obedientiam ſemper aſcendens, tam eleuatum verticem ſcandit, vt quodammodo creaturarum habitacula tranſcendens, Patris æterni referat maieſtatem.

Nec mirum ſi obediens cæcus ad tantum verticem aſcendat, ſi dum Prælato præſtat obſequium, Deum ducem ſequitur præeuntem, ad patriam tendentem ſalutarem. Populus olim Moyſem ſequebatur, illius præceptis obediens, at interea à nube ducebatur præeũte. Nubes hæc, auctore D. Zenone, populum cæcum oſtentabat. *In nube, vt oſtenderet cæcum.* Dum ſcilicet pergens ſub Moſi præſcripto cæci obedientis referebat imaginem. At obediens populus, neceſſariò aſcenſurus Deum ad cœlos auolantem ſequebatur. Cæſar. Arel. hom. 4. de Paſſ. *Dux*, inquit, *erat eis beatus Moyſes, ſed eos in columna nubis & lucis Filius, & Spiritus ſanctus præcedebat. Hoc loco agnoſcamus, quod plebs, quæ præpoſitos ſuos ſtudet audire, Deum Spiritum ſanctum ſequitur, & per Deum hominem* ſeu filium, *peruenit ad ſalutem.* Quid ad ſalutem peruenit cæcus obediens? Porrò ad Dei Patris thronum à Filio, & Spiritu ſancto quodammodo eleuatur. Vnde dixit obedientem huiuſmodi duci à Filio & Spiritu ſancto, non à Patre, quaſi Filius & Spiritus ſanctus obedientem, efficiant ad Patrem ſpecialiſſimæ imitationis prætextu euolare. 22. *Filius & Spiritus ſanctus obedientem ad Patris thronum eleuant.* Exod. 13. Cæſar.

# OBSERVATIO II.

## Ad illa verba,

*Aſcendit autem & Ioſeph, vt profiteretur cum Maria, eò quòd eſſet de Domo, & familia Dauid.*

## Ioſeph, quia de domo Dauid, promptiùs edicto obediuit Auguſti.

*Obedientia etenim quaſi adnata Nobilibus.*

PROMPTÆ Ieſu in vtero commorantis, prægnantis Mariæ, ſponſique Ioſephi obedientiæ ad Cæſaris exequendum edictum, rationem reddens Euangeliſta, ait: *Aſcēdit Ioſeph, vt profiteretur cum Maria prægnante, eò quòd eſſet è domo, & familia Dauid.* Quid cum Dauidis nepotibus edicto Cæſareo? Nec enim Cæſari ab eis reddendum tributum, quorum familiæ per rectam lineam Iudaicum regnum contingebat. Prudens adiecit Lucas eos promptè Cæſareo edicto obediiſſe eò quòd ex regali progenie exorirentur; nobilioribus quippe obediendi conditio altiùs quaſi imprimitur à natura. 23.

Cùm Deus lucis opus vocaret ad lucem, *Fiat,* inquit, *lux, & facta eſt lux.* Geneſ. 1. Hominem autem 24. Gen. 1.

*Lux nobilis obedientia ad docta. Baſil.*

autem producturus, non eodem vſus eſt præcepto, dicens: Fiat homo; ſed *Faciamus*, ait, *hominem*. Ad quæ Diuus Baſilius Seleuc. Orat. 1. *Cælum productum eſt, & terra cum aquis, cùm vox anteuerteret nulla; lux verò cùm produceretur, Deus voce præiuit*. Cur itaque Deus præceptum lucis efficiendæ præpoſuit, non autem terræ, non homini exædificando? Num quia lux nubilior, & excelſior obedientiam quaſi à natura didiciſſet? Non imponatur homini terricolæ præceptum, donec laboribus à prima transgreſſione obortis inſtructus diſcat obedire; terrenus namque homo obediendi conditioni duce naturâ non adhæret. Luci autem, aſtriſque cæleſtibus ſecurè præceptum imponitur, quod proculdubio exequentur; nobilitas enim aſtrorum auguſtâ quaſi impellente naturâ ad obedientiam inclinatur.

*Obediendi ſcientia vera adnata Principibus.* Pſalm. 104.

25. Pſalmiſta appoſitè: *In ſeruum venundatus eſt Ioſeph: Miſit Rex & ſoluit eum: conſtituit eum Principem domus ſuæ, vt erudiret Principes eius ſicut ſemetipſum.* Pſalm. 104. Quam, quæſo, facultatem Principes edoceret? Profectò qui in ſeruum venundatus eſt, qui didicit obedire, Principibus infidelibus docuit obedientiam. Nec enim fideles, ſeu veri Principes erant, qui à natura ſimul cum imperio obſequij exhibendi conditionem non acceperant. Vnde Iſaias, *Principes tui infideles*. Cap. 1. Chryſoſtom. exponit, *Principes tui non obediunt*. Quaſi non obedire idem ſit, ac Principes veros non eſſe. *Vehementiſſimi*, adiicit, *morbi ſignum eſt, & obliquæ peruerſitatis*. Ac ſi diceret, tam eſt adoata Principibus obedientia, vt ſi quando ab obſequio eximuntur, vehementiſſimi morbi ſignum exiſtat, ac vitiatæ naturæ documentum, vt contingit in morbo, naturâ non rectâ viâ incedente, verùm obliquâ peruerſitate deuiante.

Iſai. 1. Chryſoſt.

*Principatus verò Angeli, cùm Ieſu ſubiiciũtur.* Epheſ. 1.

26. Id appoſitè Paulus expreſſit. Pater *conſtituens* Chriſtum *ad dexteram ſuam in cæleſtibus ſupra omnem Principatum, & Poteſtatem, & Virtutem, & Dominationem*. Epheſ. 1. Quæris, num Principatus, Poteſtates, Virtutes, & Dominationes ab imperio deturbentur, propterea quod Chriſto ſubiiciantur? Reſpondeo, non ſolùm Principes illos à dominatione non ablegari, verùm mirum in modum in ipſa confirmari, adeò vt deinceps ampliùs eos regere, ac imperare appareat, quando Chriſto homini ſubiiciuntur. Nil enim magis imperio adnatum, quàm obedientiæ ſubmiſſio. Acutè D. Bernard. lib. 5. de Conſid. ait, *Præſunt Principatus, & regunt, ſed à Chriſto reguntur & ipſi. Ita vt regere iam non norint, ſi regi deſierint.* Quaſi adnatum, ſeu eſſentiale principatui, regi, humiliterque ſuperiori ſubmitti.

Bernard.

*Dum Adam agricola, ſeu ſubditus erat, dominabatur; non obediẽs amiſit imperiũ.* Geneſ. 2.

27. Conſtitutus Adamus omnium Princeps, non tamen à iugo liber obedientiæ. Poſuit enim Deus Adamum *in paradiſo voluptatis, vt operaretur, & cuſtodiret illum*. Geneſ. 2. Num aptè ſub agricolæ habitu hominum ſuprema poteſtas latitat? Certè nunquam homo clarius principatus exhibet documentum, quàm dum obedientis agricolæ præſentat ſpeciem. Tunc etenim verè Princeps, quando obediens ſimul oſtentatur. Ab obedientiæ iugo eximitur? Mox ab imperio deturbatur. *Maledicta terra*, Deus ait, *in opere tuo, ſpinas & tribulos germinabit tibi*. Geneſ. 3. Et cur terra ſubdita hominum Principi ab eo non iam agricultore, eximitur imperio? Profectò quando Adamus agricolæ referens habitum, ſe ſubditum Deo profitetur, imperat, terra ſubdita obſequitur. At poſtquàm agricolæ, ſeu ſubditi deſpicit ſtatum, mox terra ab eius fugitat imperio. Bellè Auguſt. ad illud, *Vt operaretur, & cuſtodiret illum. Ex Græco colligitur iſte ſenſus: & poſuit eum in paradiſo operari eum, & cuſtodire. Scilicet vt quod operaretur homo in terra per agriculturam, in ſe ipſo cuſtodiret per diſciplinam. Vt ſicut ager ei obtemperaret colenti ſe, & ipſe præcipienti Domino ſuo fructum, non ſpinas inobedientia redderet. Quoniam autem ſimilitudinem à ſe culti paradiſi in ſe ipſo cuſtodire ſubditus noluit, ſimilem ſibi agrum damnatus accepit. Spinas, inquit, & tribulos pariet tibi.* Cùm ſubditus eſſet agricola leges terræ ſubditæ quidem præſcribebat; iugum ille proiiciens obedientiæ terram ſuſtinet hoſtem, quæ iam humano imperio edocta ſubmitti renuebat.

Geneſ. 3. Auguſt.

Noëmum creatæ vniuerſæ familiæ Principem apud arcæ clauſtra Deus conſtituit. Mecum aliquando quæſitaui, an ex textu conſtet huiuſmodi imperio, expreſsè Patriarcham à Domino fuiſſe donatum? Nec perſpicuam ſententiam inueni. *Ingredere*, inquit Deus, *tu & omnis domus tua in arcam: ex omnibus animantibus mundis tolles ſeptena, &c.* Quæ quidem Noë imperium non apertè prænunciant. Porrò hæc mihi meditanti verba illa occurrerunt: *Fecit ergo Noë omnia quæ mandauerat ei Dominus.* Gen. 7. Omnia præſtat, obedientis Deo litat obſequium? Proculdubio hæc ſententia illum creaturarum aſſignatum Imperatorem apertè demonſtrat. Nullum enim celſius dominatus documentum, quàm prompta hominis obedientia. Debeo hanc D. Ambroſio cogitationem. *Iuſtus*, inquit, *mandata accipit, ac ſimul ſeruus imperia.* Quid iuſtum mandata accipere, niſi implere mandata præcipientis? Tum ergo ſimul imperia adminiſtranda accipit obediens. Quia eo ipſo, quod obedientiæ ſit ſtudioſus, Principis fulget nobilitate. E contrario adiicit, *ille, qui mutat obſequiis, oneri ſeruitutis addicitur. Vnde Dominus: Vos amici mei eſtis*, Reges, Imperatores, dominamini equidem mei imitatores, *ſi feceritis, quæ ego præcipio vobis: & iam non dicam vos ſeruos.* Ioann. 15. Canebat Heſiodus, in Oper. *Princeps autem & ille eſt, qui rectè dicenti paret.* 28.

*Ex obediẽtia Noë imperiũ oſtentatur.* Gen. 7. Ambroſ. Heſiod.

## OBSERVATIO III.

### Ad illa verba:

### *Cùm Maria deſponſata ſibi vxore prægnante.*

## Maria edicto coacta ſe tradit in viam.

### *Vt doceat feminas è domo non egredi, niſi præcepto, aut neceſſitate exactas.*

CVM Mariam video itineri accinctam, 29.
Virginem dum per viam contemplor incedentem, profectionis neceſſitas mihi illicò accurrit ad mentem. Fallor niſi feminæ Cæſareo

Cęſareo edicto parêre cogebâtur. Caiet. *Hinc, ait, etiã habetur alia conditio decreti, quod etiã mulieres profitebantur. Alioquin non ducta fuiſſet B. Virgo in Bethleem.* Feminis etenim quàm decet domus, tam dedecet via; quàm ſecura cubilis quies, tã periculoſa platearum inquietudo, itineris laxatio. Feminas itaque à domo obedientia, aut muneris neceſſitas ableget.

30. *Sara cũ marito ſpiritu alio peregrè proficiſcitur. Gen. 12.* Cæleſtis Imperatoris edictum perfectionis ſtudioſos à patria impellit. *Dixit Dominus* ad Abrã, *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monſtrauero tibi.* Profectò ſponſum profectioni accinctum ſequitur vxor, *Tulitque Sarai vxorem ſuam.* Gen. 12. En tibi Ioſeph aſcendens cum Maria deſponſata ſibi vxore. Affero ad quæſtionem, num Domini præcepto coacta è domo Sara fuerit egreſſa, an potiùs vltronea ſtuduerit à viri conſpectu non ſe mouere? Credo eodem ac vir ſpiritu actam vxorem, vti ſeſe itineri vel ſecura maritum committeret. Audi D. Chryſoſt. *Mihi admirabilis videtur mulieris fortitudo. Vide quomodo tam facilè tantâ alacritate cum viro ſuo peregrè vadit, & ſubinde migrat, nec ipſa moleſtè fert. Stupeſco hæc conſiderans, quod non minorem ſpiritum, quàm Abram, poſſederit & ipſa.* Spiritu enim cæleſti agenda femina, vti è domo etiam comes mariti egrediatur.

Chryſoſt.

31. *Dina vltrò, Rachel neceſſariò egreditur.* Terminum olim Iacob profectioni imponẽte, *Ecce Rachel veniebat cum ouibus patris ſui.* Proh feminæ leuitas, virginis immodeſtia! E domo egrederis? Ad paſtores pergis? Liberè per agros diuagaris? Non equidem vltrò progreſſa. *Nam gregem* (præoccupat Textus obiectionem) *ipſa paſcebat.* Gen. 29. Ac ſi diceret, non eſt Rachel leuitatis accuſanda, quemadmodum Dina, hæc enim lubens ſeſe dedit profectioni. *Egreſſa eſt Dina.* At illa cogente munere à domo deturbatur; *nam & gregem ipſa paſcebat,* vnde neceſſariò eum dirigere debebat in paſcua. Lipoman. appoſitè, *Tam ſpecioſæ virgines oues tutò paſcebant, vt non ſolùm parentum domos, ſed & ciuitates ſolæ egredi auſa fuerint; & cum paſtorum multitudine curam pecorum agere eis ſine periculo caſtitatis, & famæ licuerit.* Quare curam gregum gerentibus liceret in agro, quod Dinæ non licuerit in vrbe? Quia illa vltrò egreditur, Rachel autem pro commiſſo ſibi munere neceſſariò progrediebatur.

Gen. 29. Lipom.

32. *Exacta femina exeat.* Femina equidem haud egreſſura niſi exigente munere, aut pręcepto eius, cui tenetur obſequium impendere. Angeli hoſpitio ab Abrahamo excepti profantur: *Vbi eſt Sara vxor tua? Ille reſpondit, Ecce in tabernaculo eſt.* Gen. 18. Interlin. *Ac ſi apertè dicat, Non eſt mulieris in publicum prodire.* Miror vos vbinam ſit vxor mea, quæritare, cùm bonæ ſit adnatum feminę in tabernaculo commorari. Hinc amplius Abrahami reſponſionis vim expendo. *Ecce in tabernaculo eſt.* Hoſpites equidem haud obſcurè inſinuarant ſe velle feminam gratitudinis ergò ſalutare, dum dicunt, *Vbi eſt Sara?* Ac ſi dicerent, Iube illam è tabernaculo egredi. D. Ambroſ. *Abraham quoque auribus tuis ingerens in tabernaculo Saram degere, indicat, quid ab vxore exigas:* Proximam particulam pondero, *Quid ab vxore exigas:* Quidquid enim vxori, cui adnatum recludi, circa egreſſionem eſt innuendum, debet eſſe exactio. Exige ab illa, vt exeat, illáque non vltronea, ſed quaſi exactione coacta prodeat in publicum, quemadmodum Mariam edictum Cæſareum exigit ad profectionem. Pulchrè confirmat Lipom. *Vides quomodo vxor non accedit.* Num in-

Gen. 18. Interlin. Ambroſ.

urbanitatis periculo? Adiicit, *Nec vocatur.* Non è tabernaculo exiuit ad arborem, vbi prandium inſtructum, quia à viro fuit minimè vocata, cuius imperio femina erat in publicum agenda.

33. *Femina non volens, ſed coacta egrediatur. Gen. 34.* Væ vltroneè ſeſe conferenti in profectionem! Redeo ad Dinam. *Egreſſa eſt Dina filia Liæ, vt videret mulieres regionis illius.* Geneſ. 34. Et quænam egreſſio pluribus acrioribúſque notis inuſta? Quòd ſi cauſam quæras, ea in promptu eſt. Haud ex præcepto, aut neceſſitate, ſed ex voluntate egreditur, cùm femina nullatenus debeat è domo, niſi præcepto cogente exire. Dinus Hieronymus ad hæc: *Caue ne domum exeas, & velis videre filias regionis alienæ. Dina egreſſa corrumpitur.* Non quidem quia vidit, ſed quia volens, & non obedientiâ compulſa, egreſſa eſt. Alibi plura.

Hieron.

## OBSERVATIO IV.

Ad illa verba:

*Cum deſponſata ſibi vxore prægnante.*

### Ieſu in vtero iter agentis exemplum, Matris peditis euntis leuia reddidit onera.

*Vbi de exemplo Præſulum leges rigidas dulcorante.*

34. GRAVIDA obiicitur Virgo, vt & itineris difficultatem, & illius ſolutionem edoceamur. Quid carneis oculis difficilius, quã gratidam puellam ſeſe peditem tam prolixo itineri committere? Quid facilius quàm Ieſum exultantem ex vtero, imò in vtero, ad currendam viam, eandem ſequi? Quàm facilis viæ labor ſubdito, ſibi Principis exemplo propoſito? Beda audiendus: *Quotidie Eccleſia ſuo Doctore comitata de Galilæa, id eſt, rota, aſcendit in ciuitatem Iuda, id eſt, confeſſionis & laudis, vt cenſum deuotionis perſoluat.* Illam pende particulam, *De Galilæa, id eſt, rota, aſcendit.* Velocior profectò ſuper rotas onerum aſportatio, quæ difficilè ſine curru rapiantur. Hæc eſt exempli Doctoris, ſeu rectoris efficacia, vt ſubditi facili negotio veluti in rotis conſtituti per viam onerati difficilem incedant. *Eccleſia ſuo Doctore comitata rota aſcendat.*

Beda.

35. *Orbis terræ ponderoſus quaſi rotis rapitur ſuperioris orbis exemplo.* Quàm verè ille: *Regis ad exemplum totus componitur orbis.* Dixerim, totus orbis rapitur. Prælati enim cæleſtes orbes ſuo motu velociſſimo orbem terrarum maximâ preſſum grauitate quaſi rotatum adferunt, non infimæ notæ Philoſopho aſſerente. Quæ quidem ſententia ad ſenſum ſpiritualem aſcendens vera omnino. Cæleſtes orbes ſeu Prælati ſubditos pigritate laborantes, veluti rotis appoſitis, ad curſum eundem abripiunt. Dauid cecinit; *Cæli enarrant gloriam Dei.* Pſalm. 18. Quod exponens Chryſoſtomus, ait, *Cæli, id eſt, Superiores enarrant non dicentes tantùm, ſed vita exemplo adducentes.* Quidnam

Pſalm. 18. Chryſoſt.



Digitized by Google

adducunt ſuperiores orbes vitæ exemplo? Annon orbes inferiores? Num non orbem terrarum? *Dies diei eructat verbum.* Ibid. Siue prima præcedens dies ſubſequenti exhibet documentum, quonam modo ſit auolatura ſuum curſum perficiens? Ex Seneca in Prouerb. confirmabo. *Diſcipulus eſt prioris poſterior dies.* Velociſſimè currit ad exemplum prioris.

36. *Abrahā legi parens rotatos affert ſubditos ad eandem.* Genef. 17. Chryſoſt.

Lex circumciſionis Abrahæ familiæ indicitur, grauitate preſſi ſubditi diffugiunt à via, cunctantur. Quid Præſul? Ipſe legi prior obſequitur, vt illicò cunctantes ſubditi veluti rotis conſtituti velociſſimi agerentur. Geneſ. 17. Quæ meditatus D. Chryſ. fatur: *Hic autem ſenex & decrepitus cruciatum leniter tulit, ſimul præceptum Dei implere volens.* Quonam fructu? *Et filios, & vernaculos promptiores reddens, vt non cunctarentur, ſed magnâ alacritate Dei præceptum implerent. Vidiſti quanta res ſit vir præſtans virtute, quomodo miniſtros omnes docet, vt ſua veſtigia ſequantur.* Priùs cunctantes ſubditi velociſſimè rotantur, dum præſulem priùs legi parentem intuentur.

37. *Subditus rotatus Eliam ſequitur.* 4. Reg. 11. Gregor.

Aſcendente Elia igneum currũ, ignei voraciſſimi equi ſine pabulo (neque enim Prophetã abſumunt) onus graue admodum trahũt. Subditi profectò, Iſraël currus pergit, aſcendit, ſine cunctatione auolat in ciuitatem Iuda, in cæleſtem paradisũ. Et vndenam tanta ſubditis velocitas? Clamat Eliſæus, *Pater mi, currus Iſraël, & auriga eius.* 4. Regum 11. Præcedis auriga? (vti ait Gregor.) obiecto exemplo prior arripis viam? Subdito Iſraël currum præſtas, rotas adiicis, vti te velociſſimè ad cælum aſcendentem ſequatur.

38. *Natura rotata ſuũ vel ad chaos ſequebatur Auctorem.* Matth. 27.

Mola aſinaria ad collum appenſa, in profundũ demergi maledictionis loco à Saluatore notatur. Quid horribilius? Quid ſubditis molâ aſinariâ grauaris ponderoſius? Attamen libenter ſubditi lapidea rota appenſa, ſeu veluti lignea rota adiecta, Dominum ac prælatum ſecuti in profundum immergendi proculdubio darentur. Patiente Domino, Sol obtenebratur, lapides quatiuntur, æther offunditur tenebris. Matt. 27. Quorſum hęc? Profectò conſpiciens mundus Dominum quaſi molę aſinariæ põdere preſſum, (quæ quidem ob granedinem aquis obruta velocior curru tendit in profunda) in altitudinem maris venientem, in limbũ demergi, cum ſuo mola aſinaria quaſi rota velociſſima appenſa conatur demergi Rectore. Sedulius l. 5. Paſc. c. 16. *Dubia*, inquit, *pendet natura ſub termino, ne ſummus Apex ad inferna deſcendens omnem pretinus molem ſecum iugiter inclinaret ad mortem, atque propnium comitatus Auctorem præceps in chaos mundus efflueret.* Curſus enim velox Rectoris ad laborem maximum, imò & ad nouiſſimam calamitatem ſubditos abripit. Sedul.

39. *Miraculum, ſubditos non ſequi Rectorem.* Num. 26. Lyran.

Vnde quando Præſule præcedente, non veluti rotatus deuoluitur ſubditus, inter mirabilia deputatur. *Et factum eſt grande miraculum, vt Core pereunte, filij non perirent.* Num. 26. Ad quæ Lyran. *Gloſſa*, inquit, *Hebraica ſuper Pſal. 45. dicit, quod quando terra aperuit os ſuum, & deuorauit Core cũ multis aliis, filij eius remãſerunt ſtantes diuinâ virtute. Propter quod in gratiarum actionem tanti beneficij compoſitus fuit Pſalmus, qui intitulatur, In finem filiis Core pro arcanis.* En miraculi vis, properante ad inferos Rectore, filios ſtare, & non potiùs rotatos velociſſimo curſu in chaos effluere.

40. *Præſul præcedens exemplo, neceſſario arripit ſubditos in morem rotarũ.* Ezech. 1. Galfri. apud Tilman. *Prælati conditiones.*

Obiicias menti, quæſo, Ezechielis currũ à quatuor inuectum animantibus. cap. 1. Ad quem locũ Galfrid. profatur: *In ſpecie horum animalium ſolos paſtores Eccleſiæ credimus deſignari. In quibus ſimul apparuit facies leonis, bouis, hominis, & aquilæ. Oportet enim, vt omnis, qui præeſt populo Dei, leonẽ ſe exhibeat terribiliter confligendo delicta; bouem ſtrenuè tractando terrena; hominem benignè hominibus compatiendo; aquilam ſublimiter euolando, & ſubtiliter contemplando diuina.* Adiicit Textus: *Euntibus animalibus ibant ſimul & rotæ eorum.* Quidnam deſignatur in rotis niſi ſubditi neceſſariò rotati, vt præcedentis Rectoris veſtigia ſequãtur? Pende illud: *Rota eorum.* Nũ rotæ equi vehentis, an currus? Ad currum equidem attinent rotæ non ad equum. At animantiũ vehentium hîc rotę vocitantur, vt oſtendatur neceſſariò ſubditos inſequi Rectorum exempla, ſicuti rotæ currum inuectum ab equis. *Benedicit* (inquit Doctor) *euntibus, magis quàm loquentibus. Licet enim loqui Prælatus incumbat, ire tamen magis eſt neceſſarium. Eundum eſt enim tam Prælatis quàm ſubditis poſt obedientiam.* Quemadmodum Chriſtus, Ioſephus & Deipara poſt Cæſareum edictum aſcendunt è rota, id eſt, ex Galilæa. Galfrid.

## SECTIO TERTIA.

# VIRGINEVS PARTVS.

## *TEXTVS.*

*Verſ.* 6. Factum eſt autem, cùm eſſent ibi, impleti ſunt dies vt pareret. 7. Et peperit Filium ſuum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præſepio; quia non erat eis locus in diuerſorio.

## *COMMENTARIVS LITERALIS.*

### §. I.

### *De Infantis exortu.*

1. *Poſt aliquot dies peperit.*

Factum eſt autem, cùm eſſent ibi.*] Non caſu, ſed diuinâ prouidentiâ *factum eſt*, vt cùm in Bethleem eſſent, tempus pariendi impleretur. Hinc colligo Mariã non eodẽ die, aut nocte eadem, quâ in Bethleem venit, peperiſſe, vt vulgaris quædam adfert opinio, ſed quoſdam apud Dauidicam ciuitatem dies inſumpſiſſe, antequam Saluator exoriretur, notante Euãgeliſta

Digitized by Google

geliſtâ dies, *cùm eſſent ibi*, pariendi eſſe completos.

2. *Num agnouerit horam partus?* Num Deipara diem, & horam partus præſciuiſſet? Incertum Toleto, mihi veroſimile planè. Vt enim haud ignara myſterij ad viſitandam Eliſabeth ab Spiritu ſancto ducta eſt, ſic quæ futura erant in Bethleem eodẽ doctore Spiritu cognouit.

3. *Pariendi vocabulum.* *Et peperit filium.*] Impleto igitur tempore, filium peperit. Profectò pariendi verbum ſignificat Mariam quamuis integritate ſeruatâ, naturali autem viâ puerum emiſiſſe, nec aliter peperiſſe diceretur. Id quod D. Hieronymus aduerſus Heluidium adnotat, & D. Hilar. 2. de Trinit. confirmat, fatus, *Chriſtus humani partus lege prolatus.* Egreſſus equidem communi viâ, oſtio tamen clauſo. *Beata*, canit Eccleſia, *cæli nuncio, Fœcunda ſancto Spiritu, Deſideratus gentibus, Cuius per aluum fuſus eſt.* Vnde conſtat errasse, qui per latera Virginis de vtero egreſſum eſſe fabulati ſunt, de quo Damaſcen. lib. 4. c. 15.

4. *Cur dicitur Suum?* *Suum.*] Num ſpeciali ratione Lucas ſuum filium peperiſſe Virginem adnotauit? Ita planè. Suus namque rectè dicitur, quem non ex Ioſeph, ſed ex ſola ſua ſubſtantia ſine viri commiſtione conceperat.

## §. II.

### *Cur Primogenitus appellatur?*

5. *Varij Patres.* PRimogenitum.] Ieſus fuit vnigenitus Virginis, primogenitus autem alios poſtmodum filios innuit exortos. Quonam modo ergo Chriſtus primogenitus appellatur? Num quòd alium Deipara filium poſt Ieſum peperit? Impiè affirmat Heluidius. Catholicè autem Carthuſ. Primogenitus dicitur, *quia dignior vniuerſis.* D. Cyrillus lib. de recta fid. quærit, quomodo vnigenitus Dei Filius dicatur primogenitus? Et reſpondet, quia *ratione humanitatis. Sic enim eſt factus in multis fratribus.* Carthuſ. item, *Primogenitus dicitur, quoniam naſci dignatus eſt ex Virgine, vt per ſpiritualem regenerationem fratres multos acquireret.* Profectò ſolutio hæc non euacuat difficultatem; nam Chriſtus hoc loci reſpectu Virginis primogenitus dicitur, quæ non peperit alium, nec ex ea fideles exorimur.

Carthuſ. Cyrill. Carthuſ.

6. *Auctoris reſponſio.* Legitimè itaque reſpondeo cum Maldon. Tolet. & aliis, primogenitum dici, quia ante eum nemo alius eſt genitus, non autem quòd poſt eum alij fuerint exorti. Vt enim Chriſtus ratione Diuinitatis Vnigenitus, & Primogenitus dicitur Patris, vt conſtat ex Ioanne cap. 1. & Paulo ad Heb. 1. ita etiam ratione humanitatis Vnigenitus, & Primogenitus Matris appellatur. Eucher. *Primogenitus dicitur, qui primus de vtero matris procedit, ſiue ſequantur alij, ſiue non.* Et Beda, *Primogenitus eſt ille, non poſt quem alij, ſed ante quem nullus prodijt in lucem.*

Eucher.

## §. III.

### *De Faſciis.*

7. *Ieſum lotum infaſciauit.* ET pannis eum inuoluit.] Græcè ἐσπαργάνωσεν, *infaſciauit.* Miniſteria quædam præcedentia Euangeliſta prætermiſit, ea contentus inſinuaſſe. Nam cùm Ieſus in Virginis vtero ad communem hominum morem coaluerit, matri nempe cohærens, & per neruum vmbilicarem ſanguinis accipiens nutrimentum, neceſſaria fuit nerui huiuſce præſciſſio. Prætereà cùm in vtero membranis, vt cæteri infantes, eſſet obtectus, opus erat lotione, poſt quas actiones faſciis eſt illigatus. Aſſolent hæc obſtetrices præſtare, cùm autem inibi nulla fuerit, cuiuſnam hæc præſtita miniſterio? Num Angelorum? Certè potiùs crediderim manibus puriſſimis Deiparæ hæc eſſe tribuenda. Sine matris quidem Chriſtus opera egreſſus, ſeparatuſque ab vtero, illâ integrâ præmanente: nato verò vmbilicaris neruus abſciſſus, & ablutus à Matre, priuſquàm faſciis obuolueretur.

Num indiguit Infans munimine faſciarum, quę cæteris infantibus, ne enormiter eorum membra diffluant, adhibentur? Minimè planè, ſed qui veritatem carnis noſtræ aſſumpſerat, verum ſe hominem volens demonſtrare, nullum humanitati negauit obſequium. 8. *An faſciæ neceſſariæ?*

An faſciæ à Deipara præparatæ? Simon de Caſia l. 1. c. 6. negatiuè reſpondet: *Vilibus tegumentis inuoluitur, quæ vt piè creditur, nec præparata erant prouiſione parentum, ſed aut erant illi panniculi ex velamentis virgineis, aut fortè mutuatis.* Præparatos non ſericos non purpureos à Virgine mundiſſimos pannos reor cum Carthuſ. fatente: *Communiter aſſeritur, quod pannis, id eſt, vilibus, vique veteribus panniculis Virgo Chriſtum inuoluit. Verumtamen in reuelationibus B. Brigittæ Virgo inducitur loqui ad Brigittam, quòd ſciuit ſe parituram in Bethleem, vt impleretur Scriptura, idcircò de mundiſſimis & decentiſſimis lineis panniculis ſibi prouidit, quibus Filium ſuum reuerenter inuoluit.* 9. *Num præparata Caſſia.* Carthuſ.

## §. IV.

### *De Præſepio, & Stabulo.*

ET reclinauit eum in præſepio.] Virgo Infantem recèns natum, ablutum, ac obuolutum faſciis loco cunarum præſepio, quo beſtiarum pabulum reponi aſſolet, reclinauit. 10. *Reclinatio.*

Natus equidem in ſtabulo beſtiarum domicilio, in quod Maria & Ioſeph à diuerſorio excluſi ſe receperant. D. Cyprian. orat. de Natiu. *Nulla domus ambitio niſi reclinatorum in ſtabulo.* Auguſt. ſerm. 12. de Epiphan. *Abſcondebatur in ſtabulo, & agnoſcebatur in cœlo, vt agnitus in cœlo, manifeſtaretur in ſtabulo.* Quod autem Latini Patres ſtabulum, ſpeluncam Græci affirmarunt. Epiphan. hær. 51. *Lucas dicit, faſciis inuolutum eſſe Puerũ recène natum, & iacuiſſe in præſepio, & in ſpelunca, eò quòd non eſſet locus in diuerſorio.* Et Nyſſen. orat. de Natiu. *Quid ſibi vult, quod Dominus in ſpelunca diuerſatur? Quod in ſpelunca decumbit? Cùm ſpeluncam videris, in qua naſcitur Dominus ſubterraneã, & lucis expertem, hominum cogita vitam, in qua verſatur is, qui illuceſcit, & apparet iis, qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedent.* Confirmant Theodor. & Iuſtin. 11. *Ortus in ſtabulo ſeu ſpelunca.* Cyrill. Auguſt. Epiphan. Nyſſen.

Num ſtabulum aut ſpelunca hæc intra Bethleem fuiſſet? Negat D. Iuſtin. in Dial. Cum Try. *Quoniam Ioſeph non habebat in loco illo vbi diuerſaretur, in ſpeluncam quandam, quæ vico propinqua erat, diuerſatus eſt, ibi cùm eſſet, Maria Chriſtũ peperit, eùmque in præſepio collocauit.* Id tamen contrariũ Propheticis, ac Euangelicis verbis exiſtimo, qui Chriſtum in Bethleem natum apertè ſignificant. At qui natus propè vrbem, non propriè in vrbe natus dicitur. Vnde communi hærens ſententiæ, affirmo ſtabulum intra Bethleem fuiſſe. 12. *An intra Bethleẽ ſtabulum?* Iuſtin.

13. *Diuerſorÿ ſtabulum.* An ſtabulum locus à diuerſorio ſeparatus? Quidam affirmant recentiores, neſcio quanam ratione ducti. Veroſimilius equidem ad diuerſorium pertinuiſſe ſtabulum, tanquam ad locum, in quo animalia eorum qui recipiebantur, hoſpitio remanebant.

14. *De boue & aſino quid?* Orig. Quidnam de boue & aſino inibi commorante? Hæc animantia tunc temporis in ſtabulo inuenta affirmant Origen. homil. 13. Ambroſ. hic. Nyſſen. orat. de Natiu. & ſic alij; vt ſcilicet impleretur propheticum illud, *In medio annorum viuifica illud.* Abac. 3. Vbi LXX. *In medio duorum animalium cognoſceris.* Fuit autem in medio duorum animalium cognitus à paſtoribus, qui in præſepio poſitum adorarunt. Indicatum myſticè myſterium futuræ per Chriſtum vnionis in Eccleſiam vnam populi Iudaici ſignati per bouem, & populi Gentium aſino ſignificati. Quod Iſaias præſignauit: *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui; Iſrael autem me non cognouit.* Cap. 1. Et quonam modo bos & aſinus cognouêre? A præſepio vtique recedentes, & Infanti locum præſtantes. Num Mariæ & Ioſephi huiuſmodi animantia? Quidam affirmant non ſolido fulti fundamento. Potiùs crediderim non ad Ioſephum pauperem, ſed ad eos, qui illuc conuenerant deſcribendi, pertinuiſſe.

15. *Ligneúmne præſepium?* *In præſepio.* ] Dubitatur, num fuerit exciſum in rupe? Affirmat Brochar. Magiſter hiſt. arbitratur à Ioſepho fuiſſe conſtructum. Lyran. conteſtatur. Chryſoſt. Luteum fuiſſe ſcribit: *Nos, ait, quaſi pro honore tulimus luteum, & poſuimus argenteum, ſed mihi pretioſius eſt, quod ablatum eſt.*

16. *Auctoris placitum.* Baron. Exiſtimo tamen lignum præſepio dediſſe materiam. Roma teſtatur poſſidens, vti ait Baron. lib. 1. Dionyſ. Halicarn. lib. 1. hæc ſcribit: *Remus & Romulus vitam degebant paſtoritiam, humiles compingentes caſulas ex lignis & arundine, quarum vnam vt ſacram ſeruant, quibus id mandatum eſt, nihil addentes ornatus gratiâ.* Non conditoris vrbis, ſed orbis, cuius ſimul Romani edicto Cæſaris deſcripti Roma adórat præſepium, eóque multo auguſtius, quàm olim tugurio Romuli illuſtratur.

17. *Cauſa ingreſſus ad ſtabulum.* *Quia non erat ei locus in diuerſorio.* Cauſa, cur B. Virgo ad ſtabulum duceretur, ea fuit: io hoſpitio locum manſionis non inuenit: multitudo enim eorum, qui erant ex familia Dauid, tunc cauſa deſcriptionis conuenientium, & Ciuitatis Bethleem anguſtia, & Virginis paupertas hoſpitij pretium fortaſſe non habentis, quod pretium huiuſmodi temporibus magnum eſſe ſolet, cauſæ extitêre, cur in ſtabulum receſſerit, diuina præcipuè prouidentia id diſponente.

18. *Stabuli ac præſepis myſteria.* Latent in hoc (vt cum Toleto loquar) diuina myſteria. In primis abiectiſſimum indicat ſtatum, in quem propter peccatum homo deciderat; cùm enim *in honore eſſet creatus*, peccando *comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Deinde admirandam humilitatem Chriſti naſcentis, per quam iacentem mundum veniebat erigere. Prætereà infantem Ieſum futurum cibum, & pabulum, quo homo ſimilis irrationalibus effectus, mortuúſque ob crimina, ſpiritum & vitam cæleſtium adipiſceretur. Gentium denique conuerſionem, quæ maximè poſt idololatriam beſtiarum proximæ conditioni, de quibus Paulus, *Cum gentes eſſetis, ad ſimulacra muta prout ducebamini euntes.* 1. Cor. 12. Hactenus ex noſtro Cardinali.

## §. V.

*Dominici exortus nonnulla circunſtantiæ.*

19. *Sine dolore peperit Maria.* Bernard. Nyſſen. **P**Eperit Filium ſuum. ] Non equidem parturiuit doloribus exagitata. *Sola enim* (Bernard. ſerm. *ſignum magnum*) *inter mulieres Virgo fuit à communi maledicto, & dolore parturientium aliena. Nam vbi voluptas* (Nyſſen. de Chriſt. reſurr.) *partum non anteceſſit, neque dolor ſubſequutus eſt. Perſpicuum etenim* (Rupert. lib. 13. in Ioann.) *in eo partu dolorem non potuiſſe habere locum, in quo locum virginitas habuit, & incorruptio. Virgo* (Ildephonſ. ſerm. 2. de Purif. *peperit ſine dolore, & gemitu, & permanſit fœcunda prole.* ore Auguſtiniano profata, ſerm. 14. de Natiuit. *Nec in conceptione inuenta ſum ſine pudore, nec in parturitione inuenta ſum cum dolore.* Fateor tamen cum Damaſceo. lib. 4. cap. 15. *quos in partu dolores effugit, paſſionis tempore ſuſtinuiſſe.* Rupert. Ildeph. Auguſt. Damaſc.

20. *Sine obſtetrice.* Hieron. *Peperit.* ] Num obſtetricis auxilio? Reſpondet D. Hieron. cont. Heluid. *Nulla ibi obſtetrix, nulla muliercularum ſedulitas interceſſit, ipſa pannis inuoluit infantem, ipſa & mater, & obſtetrix fuit.* Imò Dei omnipotentia hoc munus obiuit, Domino profitente, *Tu es, qui extraxiſti me de ventre.* Pſalm. 21. Vbi Auguſt. *An inde ſignificare voluit partum Virginis ſeruatâ integritate, vt quod mirabiliter factum eſt, cùm Deus feciſſe dicitur, nemini incredibile videatur?* Et Caſſiodor. *Ex vtero matris ſe Chriſtus dicit extractum à Deo, vt oſtenderet, natiuitatem illam Dominicâ virtute perfectam.* Auguſt. Caſſiod.

21. *Vtero clauſo.* Ignat. *Peperit;* Vtero equidem clauſo, virginitate illæsâ. *Decebat enim* (Ign. epiſt. ad Heron.) *Creatorem non conſueto, ſed peregrino & admirando vti partu.* Opifex omnium erat, virginitatem matris, quam in conceptione ſeruauerat, in partu quoque voluit conſeruare. *Non enim cogitanda* (Leo ſermone 1. de Natiuit.) *parientis conditio, ſed naſcentis arbitrium; quia ſic homo natus eſt, vt volebat, & poterat.* Id quod Tom. 3. lib. 1. confirmo, & illuſtro. Leo.

22. *Abſque ſecundinarum illuuie.* Zeno. *Peperit:* haud communis partus ſecundinarum illuuie profluente: *Non* enim *Mater* (Zeno ſerm. 3. de Natiuit.) *Domini tanti partus pondere exhauſta totis pallens iacuit reſoluta viſceribus, non Filius Matris, aut ſuis eſt vllis ſordibus delibutus. Neque enim reuerà aliquid circa ſe habere poſſet immundum, qui humani generis peccata, ſordes, & maculas venerat mundaturus. Denique purgationes, quæ ſunt tarditate periculoſæ, nullo puerum maternorum viſcerum proſecutæ ſunt damno. Tanto* item *magis Virgo* (Illephonſ. citat.) *libera fuit à corruptione paſſionis, à dolore carnis, à ſordibus ignominiæ; quanto gratia plena, & incorrupta, quaſi Spiritu ſancto Domino dedicata, & virtute diuinâ adumbrata.* Ildeph.

23. *Num Ieſus Angelorum miniſterio exceptus?* *Peperit filium ſuum.* quem ex vtero prodeuntem Angelorum manibus exceptum, & in brachiis Deiparæ collocatum noſter Suarius affirmat 3. p. q. 35. D. 13. S. 3. Crediderim tamen Chriſtum humilitate excitatum ineffabili, vt in nudam ſe terram abiecciſſet; humilitas enim humo cognata.

24. *An nube obtecta Virgo?* *Peperit filium ſuum.* Num pariens Virgo nube fuerit obtecta, ne ab vllo cerneretur? Affirmat Simon de Caſ. lib. 1. cap. 4. Attamen, auctore me, non fuit nube opus illi, quæ abſque dolore, gemitu,

Digitized by Google

mitu, puerperiique ſordibus exiguo temporis peperit ſpatio.

25. *Splendore Infans circumdatur.* *Peperit filium ſuum.* Num ſplendore circumdatum? D. Vincent. ſerm. de Natiuit. Quando Chriſtus natus eſt, corpus eius reſplenduit vt Sol, quando oritur, & nox facta eſt ſicut meridies. De iſto lumine Propheta Iſaias ait, *Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam.* c. 9. Haud certum hoc miraculũ, nec Iſaias de luce exorientis corporea, ſed de ſpirituali fulgore profatur.

26. *Fonte repleto profundo lotum. Beda.* *Peperit filium ſuum.* An de more abluit, lacte vſa pro aqua? D. Bonauent. vit. Chriſt. cap. 7. vberum lacte filium à Deipara dilutum ſentit. Aſt ego aquâ miraculo obortâ lotum puerum exiſtimo, Beda lib. de Locis cap. 8. ſante, *Nec ſpelunca tota interius ſpecioſo marmore tecta, ſupra ipſum locum, vbi Dominus natus ſpecialiter traditur, ſanctæ Mariæ grandem geſtat Eccleſiam. Petra iuxta murum cauata primum Dominici corporis lauacrũ de muro miſſum ſuſcipiens hactenus ſeruat. Quæ ſi quâ fortè occaſione vel induſtriâ fuerit exhauſta, nihilominus continuò, ſicut antea fuerat, plena redundat.*

27. *An lac ex miraculo.* *Peperit filium*, lactauitque Deipara. Num liquore per miraculum in ſanctiſſima vbera proueniente, an à natura ipſa euocato? Quòd miraculum vbera impleuerit, illud Eccleſiæ affirmat, *Regem Angelorum Virgo lactabat vbere de cælo pleno.* D. Vincent. Deiparam pro lacte Deum ait deprecatam. Tunc ſubitò fuerunt vbera Virginis plena lacte de cælo ſibi immiſſo. Athanaſ. confirmat.

Attamen nos naturalem lactis Marianæ profluxionem opinamur. Quia ſcilicet naturale eſt parientibus feminis lac habere; gignitur enim naturaliter ex ſanguine ad vbera confluente, & per caloris coctionem ad candorem deducto, vti fœtus ſit alimentum. *Reſpondeant* obſtetrices, (ait Tertull. lib. de carn. Chriſt. cap. 20.) Medici, Phyſici de vberum natura. An aliter manare ſoleant ſine vuluæ genitali paſſione? Pendentibus exinde venis ſentinam illam interni ſanguinis in mamillam; & ipsà tranſlatione decoquentibus in materiam lactis lætiorem. 28. *Naturaliter fluxum affirmo.*

Eccleſiæ autem ſententiæ reſpondeo, propterea Virginis vbera de cælo plena dici, quod conceptus fuit de cælo, qui cauſa extitit lactis. Vnde verè Athanaſius. Vbera enim illa ſanctiſſima naturæ conſuetæ radicem non habuêre, longéque à naturali fuêre aliena conſuetudine, lac nouo & peregrino more fluente, quoniam conceptio noua fuit, ac peregrina. 29. *Contraria fundamenta diruo.*

# IN IESVM NATVM,

# Panegyricus tertius Moralis circa Literam.

## EX PARTV VIRGINEO.

## *OBSERVATIO I.*

Ad illa verba:

*Peperit Filium ſuum Primogenitum.*

### Vnigenitus Patris, Mariæ Primogenitus Chriſtus exoritur.

### *Vt nos fratres ſuos, Dei filios efficiat.*

30. CVM Primogenitum Ieſum audio, mox de fratribus licet cogitare. Excipimus etenim hodie Vnigenitum Patris, Matris in multis fratribus primogenitum. Dionyſ. Carthuſ. *Primogenitum peperit Maria, quoniam Chriſtus naſci dignatus eſt ex Virgine, vt per ſpiritualem regenerationem fratres multos haberet.*

31. *Chriſtus poſitus Primogenitus à Patre. Pſalm. 88. Auguſt.* Vnde Dauid æterni Patris gerens perſonam, ait, *Ego primogenitum ponam illum, excelſum præ Regibus terræ.* Pſalm. 88. Ac ſi diceret, Præponam Primogenitum Chriſtum Regibus fratribus, ſiue filiis Dei effectis hominibus, vti *ſit Primogenitus in multis fratribus.* D. Auguſtinus, *Primogenitus,* inquit, *dicitur Ieſus cum adiunctione fratrum. Vbi enim primus dicitur, non vtique ſolus, ſed conſecuturis fratribus, in quo ipſe præceſſit.* Tanta ſiquidem Dei ſeruatoris pietas, vt qui Vnigenitus Patris eſt, noſter frater, & in nobis dicitur Primogenitus.

32. Cur, quæſo, Deus Patrisfamilias nomine conſueuit appellari? *Erat Paterfamilias, qui plantauit vineam. Homo quidam habuit duos filios.* Num quia Chriſtus Primogenitus in multis fratribus exſurgit? Ita planè. Vnus nempe filius familiam non valet efficere, ſante Tullio, *Vnus homo familia non eſt.* Cum Ieſu igitur Primogenito Deipara plures ſpiritu Deo mater ipſa familias filios peperit, tunc appoſitè Deus Paterfamilias vocitatur. Audi D. Iſid. Orig. lib. 9. *Materfamilias illa eſt, quæ plures enixa eſt; nam familia ex duobus eſſe incipit.* Sicut itaque Deipara Materfamilias ob plures ſpiritu filios exortos conſtituitur, ita Deus ob multorum filiorum cœtum magnus Paterfamilias appellatur. *Maria plures enixa Deum Patremfamiliasquodammodo conſtituit.* Iſidor.

Exſurgimus ergo (obiicis) Mariæ filij, non Dei, quia Chriſtus Primogenitus eſt Mariæ, Vnigenitus autem Patris. Profectò Chriſtus non ſolum Patris Vnigenitus, ſed & Primogenitus; quia cùm Vnigenitus in Patris ſinu reſideret, carne indutus non ſolùm Matris, ſed & Patris Primogenitus exoritur, vt nos non ſolùm Matris, ſed & 33. *Filij ſumus non ſolùm Mariæ, ſed Dei.*

Patris filios efficiat. *Ego* (ait increata Sapientia, ſeu Filius Dei) *ex ore Altiſſimi prodiui, Primogenita ante omnem creaturam.* Eccleſ. 24. Quaſi diceret, Ego quæ ex Altiſſimi ore increata prodiui (ſiue Verbum ex fœcundiſſimo Patris intellectu emanaui) iam creaturam aſſumens, Primogenita ſum omnium creaturarum, ſeu hominum iuxta illud, *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* Lactantius lib. 1. de falſ. Relig. cap. 5. docet ab Orpheo Deum antiquiſſimum Primogenitum fuiſſe appellatum. D. Hippol. audiendus ad illud, *Dominus poſſedit me. Dic mihi,* ait, *Beata Maria, quid erat, quod erat in tuo vtero conceptum? & quid erat, quod à te in virginali matrice geſtabatur? Sermo erat Dei, Primogenitus de cælis ad te deſcendens, & homo Primogenitus in vtero formatus. Vt Primogenitus ſermo Dei homini Primogenito coniunctus oſtenderetur.* Quonam fructu? Vt ſcilicet per Deum ac hominem Primogenitum nos fratres Dei Patris, Mariæque Matris poſt geniti adoptione efficiamur.

*Eccl. 24. — Hippol.*

34\. *Homo factus vt nos Dei filios efficeret. Heb. 5.* Primogenitus eſt? Noſter ergo frater nobis ſimilis factus, vt & nos ipſi Deo ſimiles redderemur. Ingens profectò beneficium, quod munificentiſſimus Dominus in genus contulit humanum. Aiebat Paulus, *Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit.* Hebr. 5. Et quare ſemen Abrahæ hominis ſcilicet, & non Angelicam naturam ſibi Dominus induit? Certè vt nobis maximo munere donatis ſimilis, redditus nos Deo ſimiles, vtique Patris filios conſtitueret. *Cyrill.* D. Cyrill ad locum Paul. *Debuit,* inquit, *per omnia fratribus aſſimilari, fratribus per omnia ſimilis, & verè homo factus, vt per paupertatem ſuam nos ditaret, qui ſimilitudine illius* iam hominis facti (ſiue illo nobis ſimili effecto) *ad præcipuum bonum ſuum conſcendimus, Dij, ac Dei Filij per omnia conſtituti.*

35\. *Matre Maria filij Dei exſurgunt.* Annon Deiparæ poſt Dominum debemus, quod Deum patrem, ac fratrem habeamus? Vnigenitus Patris Filius appellatur, quia ex Patre abſque proſapia exoritur; nec enim Pater alterum æternum Filium produxit. Tunc equidem Vnigenitus Patris Primogenitus incipit nuncupari, cùm à Matre productus pluribus fratribus ſtipatus exſurgit. *Haymo.* Haymo appoſitè: *Omnia primogenita figuram Primogeniti ſancti ſanctorum, id eſt, Domini noſtri Ieſu Chriſti tenuerunt, qui Vnigenitus eſt ex Patre, Primogenitus ex Matre.* Ex Patre Vnigenitus, quia Verbum nullum habet reſpectum ad fratres coæternos. Ex Matre autem Primogenitus; Maria enim Vnigenitum Dei iam nobis Primogenitum in multis fratribus æternis futuris peperit.

36\. *Imitemur fratrem vt filij Dei efficiamur. Athan.* Admonuerim tamen nos ad huiuſmodi & Mariæ, & Dei filiationem eleuandos Chriſtum Hominem, & Deum imitari debere. Aiebat Diuus Athanaſ. orat. de Incarnat. *Subiicit ſeipſum Verbum Dei, vt per corpus appareret. Quo vt homo iam factus homines in ſe traduceret.* Num indifferenter omnes? Adiicit pulchrè: *Eorúmque aſſenſus ad ſe reflecteret.* Neque enim ſufficit nos Deum humanitate indutum venerari, ſi illius voluntati noſtri non hæreſcant affectus, quo Primogeniti fratres redditi, filij Dei efficiamur. *Phil.* Id quod Phil. lib. *Quod peiores, &c.* hiſce verbis confirmat. *Nondum aliquis filius Dei appellari dignus eſt. Studeat tamen Primogenitum eius Verbum Angelis omnibus antiquius, & Principem Angelorum ſequi.*

37\. *Ex Primogenito cohæredes exſurgunt.* Enimverò dum nos ex Primogeniti exortu Dei filios video, mox contemplor hæredes, Paulo ſtante, *Quod ſi filij, & hæredes.* Chriſti ampliſſima hæreditas, etſi innumeris communicatur fratribus, non minuitur. Deiotarus Rex (Rodigin. lib. 11. cap. 17. auctore) cùm plures liberos ſuſcepiſſet, omnes, vno excepto, iugulauit, vt ſuperſtes & potentior fieret, & auguſtior increſceret. Vnde à quodam aptè vitis vocitatur, cuius palmites abſcinduntur. Proh vitis vera Chriſtus! qui, nullo viuente palmite abſciſſo, cunctis munificentiæ ſuccum ſuppeditat. *Auguſt.* D. Auguſt. Tract. 2. *Non timuit Primogenitus ille habere cohæredes, quia hæreditas eius non ſit anguſta, ſi multi eam poſſederint.* Plura mitto.

## OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

*Peperit Filium ſuum.*

### Filium ſuum parit Maria, qui ex Virgine exortus, ſe Dei Filium eſſe manifeſtat.

*In Virginitatis fœcundiſſimæ commendationem.*

FILIVM *ſuum peperit*? A ſpe igitur cadit vniuerſus, qui filij Dei exortu à captiuitate erat liberandus. Profectò Deipara ſuum Filium enititur, ſed eum, qui dum homo exoritur, ſe Dei Filium eſſe monſtrat apertè; vnde ſuperfluum eſſet ab Euangeliſta adnotari, Mariam Dei filium peperiſſe; ſatis enim, *Peperit filium ſuum*, omnes intelligimus, Virgioem Dei ſimul filium peperiſſe. 38.

39\. *Virginitas Deum parit. Theod.* Annon Deipara virginitate floret? Sicut ergo natiuitas ex vtero Chriſtum Mariæ filium ſeu hominem probabat, ſic exortus è virginitate illæſa ipſum Dei filium teſtatus eſt. Theod. Ancyræ Epiſcop. orat. habita in Concil. Epheſ. tom. 6. *Exponat,* inquit, *mihi Photinus, qui fieri queat, vt natura humana ex vtero virgineo nata virginale clauſtrum incorruptum conſeruarit? Nullius enim hominum mater virgo permanſit. Cernis quomodo quod natum eſt duplicem de ipſo nato ſenſum nobis offerat. Nam ſi more noſtro natus eſt, homo vtique, & aliud nihil eſt. Quòd ſi id, quod natum eſt, matris integritatem illæſam conſeruauit, apud rectè ratiocinantes Deus certè vtique cognoſcetur.* *Thom.* D. Thom. 3. p. q. 28. *Vt corpus Chriſti verum oſtenderetur, naſcitur ex femina; ſed vt oſtenderetur eius Deitas, naſcitur ex Virgine. Talis enim partus decet Deum.* *Sophr.* Et Sophr. orat. de Natiu. *Chriſtus in manifeſtiſſimum omnipotentiæ ſuæ natiuitatis indicium, & argumentum, Virginem, ex qua prodijt, incorruptam conſeruauit.*

40\. *Ortus ex Virgine Dei Vnigenitus videtur. Ioann. 1.* Proclamat Ioannes, *Verbum caro factum eſt, & vidimus gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti à Patre.* Ioann. 1. Annon aptius dixiſſet, *Gloriam quaſi Primogeniti à Matre?* Profectò eo ipſo, quod

Digitized by Google

quod à Matre Virgine naſcitur filius Primogenitus, ſeſe Patris Vnigenitum eſſe confirmat. Huc refero Cyrill. lib. 1. de rect. in Chriſt. fide. fatum, *Illud Verbum, quod inexplicabili modo ſupra omnem humana mentis captum duxit, ex Deo Patre in humanam naturam deſcendens, & in id, quod non erat, ſe demittens, ex muliere quoque naſci dignatum eſt. Non quòd in ea exinanitione vſque perſeueret, ſed vt Deum ſe eſſe oſtendat.* Ac ſi diceret, Cùm Patris Vnigenitus ſe carne induit, demittitur, deſcendit, obſcuratur Diuinitas. At exoriens ex femina, ex Maria Virgine prodiens non perſeuerat in ea exinanitione, ad quam factus homo deuenerat; ſed Deum ſe omnino manifeſtat.

Cyrill.

41. *Angeli in terra Deum vident.* Cant. 8.

Cælicolæ in teſtes adhibeantur. *Egredimini filia Sion, videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum Mater eius.* Cant. 8. Si in Matris diademate videndus, apparebit vt homo, à matre etenim Primogenitus in fratribus hominibus à nobis accipitur. Certè ſimul & à Patre Vnigenitus ex Matre Virgine conſpicietur. Gilb. ſerm. 21. in Cant. *Vos*, inquit, *verè & planè filia Sion, quæ ſemper intuemini faciem Patris, egredimini, & videte. Egredimini de recondito illo ſinu intimæ viſionis, de ſecreto lucis inacceſſibilis. Nouum vobis terra præſtat ſpectaculum, nouum enim fecit Dominus ſuper terram.*] Femina Virgo circumdat virum? Ex fœcunda igitur nouiter virginitate vobis in terra viſio antiqua innouatur, Deus ſeſe vobis in terra præſtat intuendum. *O beata hæc in terris nouitas temporalis, quæ antiquam illam & æternam nouitatem Angelicis in aſpectibus ampliùs innouauit.* Quia licet per impoſſibile egreſſi à cæleſti Sion, à beatifica illa viſione recederent, nouus virgineus partus illos apud terricolas Dei viſione donaret, vti cæleſtis hîc beatitudo innouaretur.

Gilb.

42. *Noſter filius ſimul eſt filius Dei.* Richard.

Nobis igitur Virgo peperit filium ſuum, Dei filium hominibus hominem tradit, Deum ſimul manifeſtat, vt intelligat exilitas noſtra eum noſtrum filium, qui Patris Vnigenitus. Richard. Victor. in Pſalm. 28. Sic felicitatem hominum præconiis proſequitur: *Felix homo eſt, cui præſto eſt, cùm voluerit habere filium, non qualemcumque, ſed Deum. O quanta dignitas hominis filium habere Dominum maieſtatis! Res mira, & admiratione digna, vt vnus idémque ſit filius Dei viui & ſimul hominis, morituri dicam, an mortui? Sed fortè tunc incipit viuere, cùm incipit talem filium habere.* Plura Doctor. Proh gloria Virginitatis! cuius tanta fœcunditas, tam auguſta, vt paritura, ipſum Deum creaturarum Principem enitatur!

# OBSERVATIO III.

Ad iſta verba:

*Pannis eum inuoluit.*

## Mirifica Faſciarum.

*Vbi quàm mirabiles Humilitas præſtet effectus.*

43. DVM oculis obiicis faſciarum vilitatem, ſimul earum mirabiles effectus contemplare. D. Maxim. ſerm. de Natiu. *Si panni*, ait, *tibi viliſcunt, Angelos collaudantes admirare, ſi credis vilia, crede mirifica.* Vilène faſciis illigari? Ita equidem, ſed mirificum Infantem Angelico efferri concentu. Proh faſciarum gloria! licet Angeli non concinerent, illud ipſum Puerum obuolui faſciis, mirificum procul dubio eſt.

Quid magis mirabile quàm potentiſſimum Principem faſciis tyrannum illigare, milites ſuos de pannis diadematibus donantem. *In capite eius diademata multa* Apoc. 4. Id eſt, faſciæ plurimæ, Alcaſar interprete, peruolabant, vt ſcilicet Imperator Ieſus mundum inopem paupertate ditaret, infirmitate tyrannum deuinceret. Theod. apud Synod. Epheſ. *Vides paupertatem tantarum factam diuitiarum matrem? Nunquid nocet deorſum Vnigeniti ad paruum tempus abiectio, quæ tantas diuitias contulit orbi terrarum? Quid ergo exprobras* (quoſdam taxat hæreticos) *Chriſti in Bethleem* humilitatem? cur paupertatem faſciarum *deducis ad medium, eius lucra non computans? Cur indignum iudicas Deo, quod tantorum honorum facta eſt occaſio? Cur paupertatem dicis indignam Deo, per quam mundus ditatus eſt? Noli detrahere abiectioni, quâ tyrannis diabolica eſt deſtructa.* 44. *Ieſus faſciis tyrannum illigat, ſuos coronat.* Apoc. Theod.

Quodnam magis mirificum, quàm ſeruum natum, pannis faſciiſque ad miniſtrandum præcingi, ac ſimul Regem potentiſſimum imperare? Iſaias, *Formans me ſeruum ſibi.* Cap. 49. Matthæus autem, *Qui natus eſt Rex.* Cap. 2. Si ſeruus factus faſciis obuoluitur, vti præcinctus ſeruiat, quonam modo Princeps miniſtrandus exoritur? Faſciarum *aduerte myſterium.* (cum Ambroſ. loquor Præf. ad Pſalm. 35.) *ex vtero Virginis idem & ſeruus exiuit, & Dominus; ſeruus ad operandum, quippe qui faſciis præcingitur ad miniſterium; Dominus ad imperandum. Bona ſeruitus, quæ nomen ſuper omne nomen acquiſiuit.* Et concludit, *Quod ſub aliis contumelia eſt, ſub Chriſto gloria eſt.* 45. *Adminiſtrãdum faſciis præcingitur ſimul imperans.* Iſa. 49. Matth. 2. Ambroſ.

Quidnam mirificentius, quàm pannis obuolui, faſciis manus ac pedes illius religari, qui mundi excitauit fabricam, ſupra ventorum pennas auolat? Ad Saluatoris vocem *ſtatim prodiit, qui fuerat mortuus* Lazarus *ligatus pedes, & manus inſtitis.* Ioann. 11. Mirum equidem hominem pedibus incedere illigatis, quod adnotauit Ambroſ. de fid. Reſurr. fatus, *Comprehende, ſi potes, quemadmodum vinctis pedibus gradum dirigat? Virtute diuinæ præceptionis operante, natura ſuum non requirebat officium.* Proh Deus potentiſſimus! Hîc manus faſciis religantur, ibi mundialem machinam moliuntur? Hic pedes irretiti vinculis, ibi ſuper pennas ventorum incedunt? Quam patenter in faſciis diuina manifeſtata eſt potentia, ſuum naturâ officium non requirente, diuina præceptio adhibita eſt! 46. *Faſciis illigatur, & volat.* Ioann. 11. Ambroſ.

Iam mihi mens ſermonis innoteſcit Angelici, *Hoc vobis ſignum, inuenietis Infantem pannis inuolutum.* Luc. 2. Ac ſi diceret, ſignum requiritis? Signum, quod quidem verè Signum ſeu miraculum ſit, (liceat vti annominatione) accipite. Solem fulgentiſſimum olim comburentem, pannis obuolutum inuenietis. Hoc procul dubio *Signum magnum*, quod, *apparuit in cælo*, ſeu in terra cælo facta, *mulier amicta Sole*, ſiue Sol pannis amictus. Apoc. 12. Vti Bernard. ſerm. 4. de Natiuit. Virg. proclamet, *Abſconde Maria, noui Solis fulgorem, inuolue pannis, pone in præſepio.* Quid mirabilius, quàm faſcias à Sole fulgentiſſimo, igne potentiſſimo non comminui? Si igitur *credis vilia, crede mirifica.* Semper enim humilitas admirabiles parit effectus. 47. *Sol igneus faſciis obtegitur, nec comſumit.* Luc. 2. Apoc. 12. Bernard.

Quid

48. *Mirabilia humilitatis.* Cæſar. Quid mirabilius, hoſtémne, arrepto gladio, haſtâ vibratâ, comminuere, an ipſum faſciis illigatâ dexterâ ſuperare? Profectò *ſi veniſſet* (ait Cæſar. Dialog. 3.) *vſurus poteſtate naturali*, manibus vtique ſolutis ad arma capeſſenda, *nil admiratione dignum facere viſus eſſet. Si aduerſus Angelum deſertorem decertaſſet Deus, in arrogantiam extuliſſet diabolum, quaſi Deo par fuiſſet aduerſarius.* Illud prorſus mirabile, quod faſciis manus vinctas ſic exerat in bellum, vt ſimul extẽdat ad palmam, humanitatis enim victoria nunquam noo mirabilibus acquiritur excitatis, ſi ſemper mirabile, vilia à Domino aſſumi, vt fortia quæque coofundantur.

## OBSERVATIO IV.

### Ad illa verba,

### *Et reclinauit eum.*

## Dei inclinatio, vt iacentes eleuet homines.

### *Principis enim eſt abiectis ſubditis manum porrigere.*

49. DEITATIS inclinationem ad ooſtram exilitatem hæc reclinatio proclamat Infantis. Erat quando throno hærens eleuatiſſimo, oculis ſolummodò fidei ab hominibus viſebatur, iam inclinatur ad eos, qui in circuitu ſalutem, benignitatem, medicinam expectant.

50. *Inclinatio Dei munificentia documentum.* Ezech. 1. *Et vidi*, Ezech. ait, *quaſi ſpeciem electri velut aſpectum ignis, intrinſecus eius per circuitum. A lumbis eius, & deſuper & à lumbis eius vſque deorſum vidi quaſi ſpeciem ignis in circuitu; velut aſpectum arcus.* Cap 1. Ignis olim Deus eleuatiſſimos, equidem conſumens, inacceſſibilis. Inclinatur ignis mutatus in arcum, qui quidem in circuitũ actus, ad præſeplum veniens, Deitatis inclinationem ad eos, qui expectant in circuitu, reclinationis habitus aſſeuerat. Pulchrè Rupertus lib. 1. c. 16. Rupert. *Quid eſt hoc, niſi quia ante carnis aſſumptionem, qua lũbis rectè exprimitur, Deus generi humano iratus, ignis tantum conſumens erat. Poſtquam autem carnem aſſumpſit, iam non ſolummodo ignis, ſed & inclinatio nobis eſt propitiationis. Arcus quippe in die pluuia ſignum eſt fœderis, & pacis, ſicut ipſe Deus Noe promiſit. Igitur à lumbis eius vſque deorſum* ſiue à natalitio *ſimul ſpecies ignis, & aſpectus arcus, quod eſt ſignum propitiationis*, quia Deipara Deum peperit filium ſuum; & ad hominum ſalutem ignem reclinauit in præſepio, vt ab ſphæra eleuatiſſima demiſſum nobis traderet, peccatorum ſolummodo ſtipulam, ſola vincula coofumpturum.

51. *Demiſſio ignis olim cõſumentis ad mundi illuminationem.* Theod. Pſalm. 71. Rubus ardens ſine combuſtione Deipara enixa eſt, Theodoro hom. 2. de Natiuit. auctore. Hinc ſubmiſſionem ſeu inclinationem ignis cõtemplari licet, ſi vel folia minimè comminuit. *Deſcendet*; Dauid cecinit, *ſicut pluuia in vellus.* Pſalm. 71. Hebr. *Sicut pluuia in herbam reſecatam.* Ignis pluuia herbam reſecatam non efficit illico conflagrare. Potius ex ioclinatione ignis olim conſumens iam parcit arbuſtis, iam graminibus, ſeu præſepij paleis id eſt, qood agris ſtillicidia. O vos peccatores ſtipulæ, ignem excipite inclinatum, non comburemini, imo mirum in modum irrigabimioi. Theodotus citatus, *Nonne illius, qui ad nos deſcendit, charitatem, humanitatemque in igne* (apud rubum) *animaduertitis? Iudex inter iudicio obnoxios verſatur, neque tamen iudicium exercetur. Iudex inter reos commoratur, neque vlli tamen pœna irrogatur. Iudex præſto eſt, non iudicaturus, ſed iuſtificaturus, non condemnationem illaturus, ſed medicinam adhibiturus.* Quàm Infantis ad præſepium inclinatio vtilis peccatoribus!

Inclinauit etenim ſe Domious, vt ſerui iacentes exſurgerent. *Reclinatorium* verus ille Salomon *aureum, aſcenſum purpureum media charitate conſtrauit.* Cant. 3. Amor enim Deum inclinat, vt homo aſcendat; reclinatorium ſeu reclinatio Domini connotat creaturarum aſcenſum. D. Leo. ſerm. 3. de Natiuit. *Exinanitio illa, qua ſe inuiſibilis viſibilem præbuit, inclinatio fuit miſerationis.* Quare; Reſpondet D. Auguſt. ſerm. 1. de Symb. c. 3. *Exaltauit ſe homo, & cecidit: humiliauit ſe Deus, & erexit. Humilitas Christi quid eſt? Manum Deus homini iacenti porrexit. Nos cecidimus, ille ſe inclinauit. Prendamus, & ſurgamus, ne in pœnam cadamus.* Num ob inclinationem minus homini commendabilior? Abſit. Gregor. 29. Mor. cap. 1. *Deo tanto magis homo debitor fuit, quanto pro illo Deus etiam indigna ſuſcepit.* Bernard. ſerm. 1. de Epiph. *Quanto minorem ſe fecit in humanitate, tanto maiorem exhibuit in bonitate; & quanto pro me vilior, tanto mihi charior eſt.* Et D. Auguſt. homil. 36. *Amemus ſponſum, quanto magis deformis nobis commendatur, tanto charior, tanto dulcior factus eſt ſponſa.* Licet enim, eodem Doctore ſerm. 206. de temp. adnotante, *nemo poteſt iacentem erigere, ſi ſe noluerit inclinare*, potuit planè Verbum ſine inclinatione iacentem erigere; ſed copioſa munificentia ad hominum erectionem non ſolum *inclinauit cælos, & deſcendit*, Pſalm. 17. ſed vili in præſepio dignatur reclinari, vti ſubditis coniacentibus de Principum ſublimium more manum porrigat.

52. *Inclinatur Princeps cæleſtis, vt ſubditi aſcendant.* Cant. 3. Leo. Auguſt. Gregor. Bernard. Auguſt. Pſalm 17.

## OBSERVATIO V.

### Ad illa verba:

### *In præſepio.*

## Stabulum ac Præſepium cælo eleuatius.

### *Vbi oſtendo gaudium hominibus non è ſublimitate loci, ſed ex Dei ſocietate profluere.*

CHRISTVS recèns natus (cum Chryſippo orat. 2. de Deip. loquor) *ſit in vlnis maternis. Iſte porrò thronus verè regius, thronus iſte glorioſus, thronus ſanctus, thronus ſolus dignus, qui Sanctum Sanctorum geſtaret in terra.* Deipara tamen à cælo acceptum Dominum cæli 53. Chryſ.

cælo

cælo reſtituit, dum eum in præſepio collocauit.

54. Aiebat D. Epiphan. Orat. de Deip. *Virgo in ſpelunca citra laborem prægnans cæli Dominum depoſuit in præſepio.* Quid cum præſepio cæli Dominatori? Certè præſepium cæli Domino deputatum iam mutatur in cælum. Vnde Pater adiicit, *Stabulum viſum eſt eſſe cælum in terra*, præſepium cæleſtis thronus efficitur. Num Angeli cælicolæ defuêre? *Neque verò* ait, *in hoc cælo Angeli defuerunt. Ordines Angelorum circunſtabant Virginem cum clamore dicentes, Gloria in altiſſimis Deo.* Præſepium etenim, ſtabulum, cælum altiſſimum fuerat effectum.

*Præſepium cæli Domino cælum.* Epiphan.

55. Siue vti cecinit Vates, *Inclinauit cælos & deſcendit.* Pſalm. 17. Natalitio accommodat Caſſiodor. Ac ſi diceret, Quando deſcendit ad terram in præſepio reclinandus, cælos inclinauit, ſecum cælos adduxit, haud à cæleſti throno receſſit, quia illud ipſum ſtabulum ac præſepe cælum eleuatiſſimum. Num in cælo ſupra Cherubinorum pennas collocatur? *Aſcendit*, adiicit Dauid, *& volauit, aſcendit ſuper pennas ventorum. poſuit tenebras latibulum ſuum.* Ibid. Campenſ. egregiè: *Vehebatur in ipſo Cherub tanquam volaſſet pennis ipſo vento velocioribus. Fecit tenebras latibulum ſuum circum ſe in modum tugurij.* Quando etenim deſcendit, ipſo throno Cherubico pro curru vtebatur, cúmque huiuſmodi ſedi hæreorem, tugurium excepit Bethleemiticum, quod in cælum iam omnino mutatur.

*Cælos deſcendens ad præſepium inclinauit.* Pſalm. 17. Campenſ.

56. Aduerſum doctrinam hanc ſic argumentor. Apud cæleſtem patriam Infans Dei Filius eſt, omnimodâ potitur libertate, Rex ab Angelis miniſtratur, ineffabilibus diuitiis redundantem gloriam oſtentat, ſupremum occupat ſolium, ſeu potius Paterno ſinu pro tabernaculo vtitur. In terra autem apparet vt ſeruus, edicto ſecularis Principis ſubiicitur, dignatur miniſtrare, omnibus vacuus exſurgit, ſtabulum locus natiuitatis eius, præſepium eius reclinatorium aureum eſt. Quonam modo igitur tugurium Regis cælum obiicitur? Certè vilibus his ſublimia illa copulata contemplor, admiror planè copulationem, quâ tandem ratione colligentur, minimè adinuenio. Nec mirum ſi nec magnus Athanaſius huic argumento inuenit ſolutionem. *Qui in cælis*, inquit, *liber eſt, in terris deſcribitur; illic Dei Filius, hic ſeruus; illic Rex, hic ſubditus; in cælis diues, in terris pauper; illic dominoſe ſe let in ſolio, hic agreſti naſcitur in ſpelunca; illic in paterno eſt ſinu, hic in paruo reclinatur præſepio. Quis non admiretur*, attende, *ſuperna & ſublimia illa cum humilibus & paruis?* Ac ſi diceret, Admirabilis equidem connexio eſt, attamen verè ſublimia illa cum hiſce paruulis copulantur, cælum etenim verè ſpelunca, præſepium eſt.

*Qualē in cælo Angeli vident, talē Ieſum in præſepio contemplor.* Athanaſ.

57. An non (inſurgo præterea) cælum ſurſum ſtatuitur, terra deorſum conlacente? Si igitur Chriſtus deſcendit ad terram, è terrâque Bernardo adnotante, in ſtabulum prouoluitur, è ſtabulo in præſepe beſtiarum menſam deturbatur, quonam modo collocatur in cælo? Profectò ex miniſterio ſpeluncæ, ac præſepio aſſignato tam eleuata ſpelunca ac præſepium oſtenditur, vt Dei Filius deſcendens prouolutus, deturbatus magis à cælo, in cælum eleuatius aſcendere videatur. Dauidem audite, *Surge Domine, in requiem tuam.* Pſalm. 131. Id eſt, è ſuperis in ſtabulum, in præſepium aſcende. Sic Heſych. homil. 2. de Virg. dum Mariam inducit Filium Dei contemplatam è cælo delapsū, & hoc more locutam: *Surge Domine, in requiem tuam, quam ſuper terram præſcripſiſti, & in Bethleem conſtituiſti, vtpote ſtabulum, & præſepe.* Ad quod equidem è cælo cælorum delapſus aſcendis, ac ſi ad eleuatius cælum auolares.

*Quaſi è cælo lapſus in eleuatius cælū aſcendit, dū in præſepio locatur.* Pſalm. 131. Heſych.

58. Obiicio denique haud aptè ſpeluncam præſepiúmque cælum vocitari, ſi hic Puer vagit; illic autem cunctis vitam præſtat creaturis; hic frigoris cruciatu afficitur, illic cælicolas gloriâ replet. Equidem D. Cyrill. Hieroſol. de Occur. Dom. adſerente, Puer *idem vagit in cunis, & mundo vitam impertit, & gaudium.* Et D. Chryſoſt. Orat. de Nat. Bapt. adnotante: *Illic probro effectus eſt paradiſus, hic ſpelunca facta eſt glorioſa*, in anguſtiorem prorſus paradiſum mutata. *Illic* enim *Adam & Eua expulſi ſunt à peccato, hic fines orbis terrarum educti ad gratiam. Non habemus amplius ſuſpectam exilij exprobrationem, non extimeſcimus amplius clauſtra portarum paradiſi, non metuimus amplius morſus ſerpentum.* Vti apud præſepium æternâ quodammodo, quâ in cælis ſuperi, felicitate potiamur. Hinc collige gaudium hominibus non ex loci ſublimitate, & opulentia, ſed ex Ieſu ſocietate profluere, qui quidem cum Ioſepho deſcendit in foueam, & ergaſtulum effecit paradiſum.

*In præſepio nos vitâ donat, & gloriâ.* Cyrill. Chryſoſt.

# OBSERVATIO VI.

## Ad illa verba:

*Et reclinauit eum in præſepio.*

## Puer vitalis panis in præſepio apponitur, vt bruta conuertat in homines.

*Vbi de Euchariſtia mores immutante.*

59. VOLVPTATVM expleti fœno homines in bruta declinarant: Chriſtus igitur verus panis præſepio apponitur, vti homines brutalitate laborantes, humanitate rurſum induantur. D. Cyprian. de Nat. *Ideo Puer in præſepio loco habitaculi ponitur, vt vitam beſtialem mutantes, non fœno veſcamur, ſed cæleſti pane.*

Cyprian.

60. Id quod miratus Iſaias exclamauit, *Bos cognouit poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui.* Capite primo. Quid cum boue cognitioni, quid cum aſino intelligentia? An bos & iumentum ad Dominicum illigati præſepium Chriſtum verè venerati fuêre? Quidquid ſit de receſſione à præſepio, vt locum exhiberent Infanti, aut de externa curuatis cruribus, reuerentia (vti placet quibuſdam) nullatenus cognouêre animantia Dominum in præſepio collocatum. Vidit igitur Propheta homines olim voluptatum fœno bruteſcentes, hodie appoſito pane ſalutis ſaginatos, ad priſtinam humanitatem redeuntes. *In præſepi* namque (vti Theod. ait hom. de Nat.) *Dei ponitur Verbū, vt licentiam habeant rationalis, & irrationalis* (iuſti ſcil. & peccatores) *participare cibo ſalutis.* Verbo enim cibo appoſito, irrationales ex fœno peccatores rurſum intellectu donantur.

*Homo hoc pane refectus brutalia ablegata cognoſcit.* Iſai. 1. Theod.

Iam

61. *Lilio paſcimur, vt fœnum fugiamus.* Cant. 6. Nyſſen.

Iam clamet Sponſa, *Qui paſcitur inter lilia.* Cantic.6. Aliter, *qui paſcit*, gregem ſcilicet ſuum ad paſcua deducit. Cur non inter graminà? Vt bos, & aſinus, ſiue homines ex fœno vitiorum in bruta mutari, ex Dominico appoſito lilio rurſum ad humanitatem aſcendant, Nyſſen. Homil. in Cant. *Hic eſt*, inquit, *Paſtor bonus. qui non fæno paſcit gregem, ſed puro lilio. Ego*, ait, *flos campi, & lilium conuallium.* Vt qui ex fœno ad bruta deſcenderat, ex lilio ad hominem, imò ad Deum redire valeat.

62. *De ſpiritualibus bobus curat Deus.* 1. Cor. 9.

Adducens Paulus illud Deuteronom. 25. teſtimonium, *Non alligabis os bouis triturantis*, adiungit, *Numquid de bobus cura eſt Deo?* 1. Corinth. 9. Vbi non facilis voluitur quæſtio, quonam modo poteſt verificari Deum de bobus curam non habere, qui pullis coruorum impendit annonam? Scio à Hieronymo de Euãgelicis operariis Deuteron. locum exponi, quibus præcipuè Deus dignatur prouidere: Attamen crediderim in præſenti non tam de brutis Deum curam agere, queis equidem non tam triticum in area, quàm in agro fœnum opus erat præparare: quàm de hominibus bruteſcentibus ex fœno voluptatum ad humanitatem appoſito in præſepio Bethleemitico panis domo frumento redituris. Confirmat D. Athanaſius ad illud Matth. 12. *Ite in caſtellum*, fatus, *Fortaſſe ob iſtum pullum Ieſus in præſepio reclinatus fuit, alioquin veriſimile non eſt, Ioſephum virum nobilem, de ſtirpe regia oriundum, qui filius Dauidis appellatus eſt, locum in diuerſorio, aut alibi mãſionem obtinere non potuiſſe. An non diuina diſpenſationis erat, quod tunc agebatur?* Annon Domino tunc de myſticis cura animantibus, qui vt boues, onagróſque in homines redderet, ad præſepium deſcendere dignatur? — Athanaſ.

63. *Fænũ Deus efficitur nobis, vt à voluptatũ fœno abſtineamus*

Proh Ieſu munificentia! qui non iam effectus panis ad præſepium accurrit, ſed fœnum efficitur, vt homo cuius *caro fœnum*, vti Propheta, cuius vti flos fœni voluptates, qui quidem fœno fuerat addicendus, ad Ieſum, fœni inſtar, in præſepio appoſitum pranſurus accedens, viuifico pane reficiatur, in ſanctum iam animans immutatus, imò Chriſti frumentum effectus. D. Gregor. homil. 8. in Euang. *Quia per Prophetam dicitur, Omnis caro fœnum, factus* Filius Dei *homo fœnum noſtrum vertit in frumentum, qui de ſemetipſo ait, Niſi granum frumenti, &c. Vnde natus, in præſepio reclinatur, vt fideles omnes, videlicet animalia carnis ſua frumento reficeret.* — Gregor.

64. *Fœno carnis Dominicæ ſaginamur, vt mutemur in Chriſtum.* Iob. 6. Gregor.

Iam cum Iobo inclamo, *Nunquid rugiet onager, cùm habuerit herbam, aut mugiet bos, cùm ante præſepe plenũ ſteterit?* c. 6. Plenũne herbâ, an pane? Fœno, an Angelico cibo? Profectò ſub herbæ, ſub fœni ſpecie verus panis in præſepio apponitur, vt omnis caro fœno exuta, verus panis efficiatur. D. Gregor. 7. Moral. cap. 4. quærit, cur Dominus in præſepio reclinatur? Et reſpondet: *Quia per Prophetam dicitur, Omnis caro fœnum, vniuerſitatis conditor ex noſtra ſubſtantia carnem ſumens, fœnum fieri voluit, ne noſtra in perpetuum caro fœnum remaneret. Hanc ergo herbam onager inuenit, bos vacuum præſepe non habuit. Vnde & natus Dominus in præſepio ponitur, vt ſignificaretur, quia animalia, quæ ieiuna diù apud legem inuenta ſunt, incarnationis fœno ſatiarentur. Præſepe enim natus impleuit qui cibum ſemetipſum mentibus mortalium*, vt brutalitatem exuant, *præbuit, dicens, Qui comedit carnem meam, & bibit meum ſanguinem, in me manet, &c.*

Irrationales ergo ob crimina effecti, accurrite, Verbum iacet in præſepio: *Ratio* ſub fœni ſpecie (ſic Græcè verbum) obiicitur abſumenda, vt de rationali cibo ratione præditi aſſurgatis. Heſych. orat. 2. *Libens recenditur Chriſtus in præſepio, vt qui ſunt pecuini accurrant, & reperiant Verbum ſiue Rationem in præſepio conſtitutam, vt ex eo recipiant dignitatem rationalem.* D. Bernard. Serm. 3. de Circumciſ. *Dominus panis eſt viuus, de quo viuere debuit homo. Sed quia homo iumentum factus eſt, & panis factus eſt fœnum, vt vel ſic viuat de eo.* Et adiicit: *Nolite fieri ſicut equus & mulus, ſed ſicut pium iumentum, qui ait, Vt iumentum factus ſum apud te. Pſalm. 72. Talia enim iumenta cognoſcunt poſſeſſorem ſuum, & præſepe Domini ſui, in quo poſitum eſt fœnum ipſe, qui panis eſt Angelorum.* Hactenus Doctor. Proh panis Euchariſtici efficacia, bruta mutans in homines, homines autem Angelos efficiens, hos conuertens in Deum! — 65. *Rationales efficimur cibo intellectuali refecti.* Heſych. Bernard.

# OBSERVATIO VII.

## Ad illa verba:

*Cùm eſſent ibi.*

## A pueritia ediſce cum Ieſu in via nato, effecto viâ quidquid vir, aut ſenex præſtare velis.

*Vbi de virtute à cunabulis.*

ILLAM pende particulam: *Cùm eſſent ibi.* Id eſt, in via, quæ ducit Bethleem, Infans exoritur. Stabulum enim ante veſtibulum Ciuitatis. Vnde in via natum Ieſum Patres affirmant. Cur in via? Beda reſpondet: *In via naſcitur, qui factus eſt via, quâ ad Patriam adduceremur.* Iam vir Dominus ait, *Ego ſum via.* Ergo qui factus vir, hominum via futurus eſt, naſcatur in via. Eâdem enim viâ deſinit plerumque quâ iter infans arripit. — 66. *Natus in via Ieſus, via effectus hominum.* Beda.

Moyſe ad promiſſæ terræ conſpectum occumbente Ioſue populum ducturus in Patriam eligitur. Exod. vlt. Cur ita? Myſticè reſpondeo quæſtioni. Moyſes extrà cæleſtem viam, apud Ægyptum videlicet, infans educatur, extra viam ſenex obit. At Ioſue in Tabernaculo eruditus, intra viam cæleſtem educatus, in via cæleſti, terrâ ſcilicet promiſsâ, viuit & moritur. D. Ambroſius l. 2. Offic. cap. 2. rem illuſtrat: *Nec exibat Ioſue de Tabernaculo iuuenis, meritò vir huiuſmodi euaſit: vt, quod Moyſi negatum eſt, ſolus eligeretur, vt populum introduceret in terram promiſſam.* Nec enim ille viam deſeruit infantiæ. — 67. *Moyſes extra viam natus, extra viam moritur, ſecùs Ioſue.* Exod. vlt. Ambroſ.

Prædicens Ieremias Heremiticæ fortaſſis turbæ ſilentium mirabile, haud imitabilis cultum ſolitudinis, ait: *Sedebit ſolitarius & tacebit.* Quiſnam poterit tantum pondus huiuſce iugi ſuſtinere? *Et leuabit ſupra ſe.* Thren. 3. Ac ſi diceret, ideò tantùm ſuſtinet onus, qui leuabit ſupra ſeſe iugum ab adoleſcentia, ab infantia, iuxta illud: *Bonum eſt viro, cùm portauerit iugum ab adoleſcentia ſua.* — 68. *Vir iugum portat, quod ab infantia portare didicit.* Thren. 3.

Neque

Neque enim ſemel ad tuas peruenit aures iuuencum à quodam ſolitum aſportari, donec bos facili negotio, conſuetudinis beneficio, aſportaretur. Vnde D. Cyprianus tract. 2. de hab vir. *Diſciplina eſt dux itineris ſalutaris.* Quia in ſalutari itinere requieſcit, qui puer viæ ſe offert ſalutari.

Cyprian.

69. Apud viam Patriarcha Iacob robore potens ad Angelum dicitur præualuiſſe. Gen. 32. O robur viri Angelicæ poteſtati formidandum! Quænam te militaris diſciplina potentiſſimum, ſtrenuiſſimùmque militem conſtituit in via commorantem? Profectò puer è matris vtero primos per viam dirigens greſſus, fratrem ſupplantator debellauit. Confirmationis loco dabo Oſæam ſantem: *In vtero ſupplantauit fratrem ſuum; & in fortitudine ſuâ directus eſt cum Angelo, & inualuit.* Cap. 12. Quaſi ex via natiuitatis vires collegiſſet, vt Angelum in via ſuperaret. Quia ſcilicet *Adoleſcens iuxtà viam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea.* Prouerb. 29.

*Vir Iacob præualet ad Angelũ: infans præualuit ad Eſau.* Geneſ. 32. Oſeæ 12. Prou. 22.

70. Dum fugeret idem Patriarcha, ſcalam vidit è terra in cœlum tendentem viam Chriſticolis futuram: *Et Dominum innixum ſcalæ.* Geneſ. 28. Meus ſapientiſſimus Magiſter Aloiſius de Alcaſar Deum aſſerit ſub ſcalæ initio à terra conſtitui ipſam fulciens ſcalam. Communiter autem Doctores affirmant ſupremum ſcalæ gradum à ſupremo Numine occupari. Affirmarim profectò tam ſcalæ viæ cæleſtis initium, quàm finem eiuſdem Dei præſentiâ condecorari, hoc myſterio: Qui puer Regni cæleſtis iter conſtituit duce Deo, eodem perducente, imò ſuſcipiente, viæ finem ſenex pertinget.

*Quâ viâ incipis, deſinis.* Gen. 28. Alcaſ. ad 8. Apoc.

71. Pueriliter Cain viam inſtituit, quam nullatenus poſtmodum commutauit. Lamech ſic: *Quoniam occidi virum in vulnus meum, & adoleſcentulum in liuorem meum.* Gen. 4. Et quiſnam à Lamech fuerit interemptus? Rupertus apprimè reſpondet: *Scilicet Cain, qui vir pariter & adoleſcentulus poteſt vocari: vir quidem per ætatem; adoleſcentulus per ſtultitiam,* ſiue crimina. Stultus adoleſcentulus fuit Cain? Vir igitur ſtultitiâ pergrauatur. Vnde eiuſdem viæ inſtitutum retinens appoſitè adoleſcentulus vocitatur.

*Cain malè adoleſcentulus nũquam receſſit à pueritia.* Gen 4. Rupert.

Sunt, qui infantes cùm ſint, ſenili ſapientiâ pollẽt, à qua viri minimè recedũt. *Ioſeph cùm ſedecim eſſet annorum paſcebat gregem cum fratribus ſuis adhuc puer.* Gen. 37. Num puer adhuc ſicuti Cain adoleſcentulus, quia nunquam nõ inſipiens? Profectò cùm Ioſeph *ſedecim eſſet annorum*, adoleſcẽtiam iam inſtituerat à pueritiæ cunabulis egreſſus. At puer adhuc annotatur, quia ſapientiam infantiæ cuſtodiebat. *Iſrael autem diligebat Ioſeph ſuper omnes fratres ſuos, eò quòd in ſenectute ſua genuiſſet eum.* Ibid. Vbi Lipomanus, *In Chaldæo habetur, Iſrael diligebat Ioſeph plus quàm omnes filios ſuos, quoniam filius ſapiens erat ei.* Chryſoſtomus & Theodoretus conteſtantur. Infans erat ſapiens? Adoleſcens puer ſapiens erit. Quid mirum poſteà virum à Pharaone è carcere eductum, vt ſenes Ægyptios prudentiam edoceret? 72.

*Ioſeph puer ſapiens, ſemper ſapiens puer.* Gen. 37. Lipom. Chryſoſt. Theod.

Obtuendum Orbem Dominus aſſerit, quia *omnis caro corruperat viam ſuam.* Attamen poſt diluuium rurſum inclamat: *Nequaquam vltrà maledicam terræ propter homines. Senſus enim & cogitatio hominis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua.* Gen. 8. Ac ſi diceret, licèt hominum via corrupta ſit, ſuſtinebo; quia proni ad viam corrumpendam ab infantia. Si prauæ inſident à pueritia viæ; quid mirum eos eidem adhæſiſſe? Chryſoſtomus: *Rara profectò miſericordia ſpes.* Eis parco, quia ſi à pueritia viam corrupêre, quonam modo poſſent à corrupto itinere recedere? Hac exaggeratione innuitur quàm difficile adoleſcentulus iuxta viam ſuam improbitati ſtudens, ab ea ſemoueatur. 73.

*Viris corrũpentibus viã ſuam parcit Deus; quia ab adoleſcentia ſtuduerũt corruptioni.* Gen. 8. Chryſoſt.

# SECTIO QVARTA.

# APVD PASTORES ANGELVS.

## *TEXTVS.*

*Verſ.* 8. Et Paſtores erant in regione eâdem vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum. *9.* Et ecce Angelus Domini ſtetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulſit illos, & timuerũt timore magno. 10. Et dixit illis Angelus: Nolite timere, ecce euãgelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: 11. quia natus eſt vobis hodie Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus in ciuitate Dauid. 12. Et hoc vobis ſignum; Inuenietis Infantem pannis inuolutum, & poſitum in præſepio.

## *COMMENTARIVS LITERALIS.*

### §. I.

### *Paſtorum vigiliæ.*

1. ET *Paſtores erant.*] Statim ac natus eſt Chriſtus homo, voluit hominibus innoteſcere, Deus creaturis reuelari, Paſtoribus apparere. Quoſdam teſtes ſuæ natiuitatis adhiberi curauit, vt fides adſtrueretur; non autem plurimis, ne eius notitia ad Herodem poſtmodum perueniret. Quod ſi requiras, quot hi fuerint Paſtores? Sic Beda reſpondet lib. de locis cap. 8.

*Quot Paſtores.* Beda.

adducunt ſuperiores orbes vitæ exemplo? Annon orbes inferiores? Num non orbem terrarum? *Dies dies eructat verbum.* Ibid. Siue prima præcedens dies ſubſequenti exhibet documentum, quonam modo ſit auolatura ſuum curſum perficiens? Ex Seneca in Prouer. confirmabo. *Diſcipulus eſt prioris poſterior dies.* Velociſſimè currit ad exemplum prioris.

36. *Abrahā legi parens rotatos afferi ſubditos ad eandem.* Genef 17. Chryſoſt.

Lex circumciſionis Abrahæ familiæ indicitur, grauitate preſſi ſubditi diffugiunt à via, cunctantur. Quid Præſul? Ipſe legi prior obſequitur, vt illicò cunctantes ſubditi veluti rotis conſtituti velociſſimi agerentur. Geneſ. 17. Quæ meditatus D. Chryſ. fatur: *Hic autem ſenex & decrepitus cruciatum leniter tulit, ſimul præceptum Dei implere volens.* Quonam fructu? *Et filios, & vernaculos promptiores reddens, vt non cunctarentur, ſed magnâ alacritate Dei præceptum implerent. Vidiſti quanta res ſit vir præſtans virtute, quomodo miniſtros omnes docet, vt ſua veſtigia ſequantur.* Priùs cunctantes ſubditi velociſſimè rotantur, dum præſulem priùs legi parentem intuentur.

37. *Subditus rotatus Eliam ſequitur.*

Aſcendente Elia igneum currū, ignei voraciſſimi equi ſine pabulo (neque enim Prophetā abſumunt) onus graue admodum trahūt. Subditi profectò, Iſraël currus pergit, aſcendit, ſine cunctatione auolat in ciuitatem Iuda, in cæleſtem paradisū. Et vndenam tanta ſubditis velocitas? Clamat Eliſæus; *Pater mi, currus Iſraël, & auriga eius.* 4. Regum 11. Præcedis auriga? (vti ait Gregor.) obiecto exemplo prior arripis viam? Subdito Iſraël currum præſtas, rotas adiicis, vti te velociſſimè ad cælum aſcendentem ſequatur. (4. Reg. 11. Gregor.)

38. *Natura rotata ſuũ vel ad chaos ſequebatur Auctorem.*

Mola aſinaria ad collum appenſa, in profundū demergi maledictionis loco à Saluatore notatur. Quid horribilius? Quid ſubditis molâ aſinariâ grauatis ponderoſius? Attamen libenter ſubditi lapidea rota appenſa, ſeu veluti lignea rota adiecta, Dominum ac prælatum ſecuti in profundum immergendi proculdubio darentur. Patiente Domino, Sol obtenebratur, lapides quatiuntur, æther offunditur tenebris. Matt. 27. (Matth. 27.) Quorſum hęc? Profectò conſpiciens mundus Dominum quaſi molę aſinariæ pōdere preſſum, (quæ quidem ob grauedinem aquis obruta velocior curru tendit in profunda) in altitudinem maris venientem, in limbū demergi, cum ſuo mola aſinaria quaſi rota velociſſima appenſa conatur demergi Rectore. Sedulius l. 5. Paſc. c. 16. (Sedul.) *Dubia*, inquit, *pendet natura ſub termino, ne ſummus Apex ad inferna deſcendens omnem protinus molem ſecum iugiter inclinaret ad mortem, atque propinquum comitatus Auctorem præcepi in chaos mundus efflueret.* Curſus enim velox Rectoris ad laborem maximum, imò & ad nouiſſimam calamitatem ſubditos abripit.

39. *Miraculum, ſubditos non ſequi Rectorem.* Num. 26. Lyran.

Vnde quando Præſule præcedente, non veluti rotatus deuoluitur ſubditus, inter mirabilia deputatur. *Et factum eſt grande miraculum, vt Core pereunte, filij non perirent.* Num. 26. Ad quæ Lyran. *Gloſſa*, inquit, *Hebraica ſuper Pſal. 45. dicit, quod quando terra aperuit os ſuum, & deuorauit Core cū multis aliis, filij eius remāſerunt ſtantes diuinâ virtute. Propter quod in gratiarum actionem tanti beneficij compoſitus fuit Pſalmus, qui intitulatur, In finem filiis Core pro arcanis.* En miraculi vis, properante ad inferos Rectore, filios ſtare, & non potiùs rotatos velociſſimo curſu in chaos effluere.

40. *Præſul præcedens exemplo, neceſſariò arripit ſubditos in morem rotarū.* Ezech. 1. Galfri apud Tilman. *Prælati conditiones.*

Obiicias menti, quæſo, Ezechielis currū à quatuor inuectum animantibus, cap. 1. Ad quem locū Galfrid. profatur: *In ſpecie horum animalium ſolos paſtores Eccleſiæ credimus deſignari. In quibus ſimul apparuit facies leonis, bouis, hominis, & aquilæ. Oportet enim, vt omnis, qui præeſt populo Dei, leonē ſe exhibeat terribiliter confligendo delicta; bouem ſtrenuè tractando terrena; hominem benignè hominibus compatiendo, aquilam ſublimiter euolando, & ſubtiliter contemplando diuina.* Adiicit Textus: *Euntibus animalibus ibant ſimul & rotæ eorum.* Quidnam deſignatur in rotis niſi ſubditi neceſſariò rotati, vt præcedentis Rectoris veſtigia ſequātur? Pende illud: *Rotæ eorum.* Nū rotæ equi vehentis, an currus? Ad currum equidem attinent rotæ non ad equum. At animantiū vehentium hîc rotę vocitantur, vt oſtendatur neceſſariò ſubditos inſequi Rectorum exempla, ſicuti rotæ currum inuectum ab equis. *Benedicit* (inquit Doctor) *euntibus, magis quàm loquentibus. Licet enim loqui Prælatis incumbat, ire tamen magis eſt neceſſarium. Eundum eſt enim tam Prælatis quàm ſubditis poſt obedientiam.* (Galfrid.) Quemadmodum Chriſtus, Ioſephus & Deipara poſt Cæſareum edictum aſcendunt è rota, id eſt, ex Galilæa.

# SECTIO TERTIA.

# VIRGINEVS PARTVS.

## *TEXTVS.*

*Verſ.* 6. Factum eſt autem, cùm eſſent ibi, impleti ſunt dies vt páreret. 7. Et peperit Filium ſuum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præſepio; quia non erat eis locus in diuerſorio.

## *COMMENTARIVS LITERALIS.*

### §. I.

### *De Infantis exortu.*

1. *Poſt aliquot dies peperit.*

*Factum eſt autem, cùm eſſent ibi.*] Non caſu, ſed diuinâ prouidentiâ *factum eſt*, vt cùm in Bethleem eſſent, tempus pariendi impleretur. Hinc colligo Mariā non eodē die, aut nocte eâdem, quâ in Bethleem venit, pepeiſſe, vt vulgaris quædam adfert opinio, ſed quoſdam apud Dauidicam ciuitatem dies inſumpſiſſe, antequam Saluator exoriretur, notante Euāgeliſta

geliſtâ dies, *cùm eſſent ibi*, pariendi eſſe completos.

2. *Num agnouerit horam partus?* Num Deipara diem, & horam partus præſciiſſet? Incertum Toleto, mihi veroſimile planè. Vt enim haud ignara myſterij ad viſitandam Eliſabeth ab Spiritu ſancto ducta eſt, ſic quæ futura erant in Bethleem eodē doctore Spiritu cognouit.

3. *Pariendi vocabulum.* *Et peperit filium.*] Impleto igitur tempore, filium peperit. Profectò pariendi verbum ſignificat Mariam quamuis integritate ſeruatâ, naturali autem viâ puerum emiſiſſe, nec aliter peperiſſe diceretur. Id quod D. Hieronymus aduerſus Heluidium adnotat, & D. Hilar. 2. de Trinit. confirmat, fatus, *Chriſtus humani partus lege prolatus.* Egreſſus equidem communi viâ, oſtio tamen clauſo. *Beata*, canit Eccleſia, *cali nuncio, Fœcunda ſancti Spiritu, Deſideratus gentibus, Cuius per aluum fuſus eſt.* Vnde conſtat erraſſe, qui per latera Virginis de vtero egreſſum eſſe fabulati ſunt, de quo Damaſcen. lib. 4. c. 15.

4. *Cur dicitur Suum?* *Suum.*] Num ſpeciali ratione Lucas ſuum filium peperiſſe Virginem adnotauit? Ita planè. Suus namque rectè dicitur, quem non ex Ioſeph, ſed ex ſola ſua ſubſtantia ſine viri commiſtione conceperat.

## §. II.

### *Cur Primogenitus appellatur?*

5. *Varii Patres.* PRimogenitum.] Ieſus fuit vnigenitus Virginis, primogenitus autem alios poſtmodum filios innuit exortos. Quonam modo ergo Chriſtus primogenitus appellatur? Num quòd alium Deipara filium poſt Ieſum peperit? Impiè affirmat Heluidius. Catholicè autem Carthuſ. Primogenitus dicitur, *quia dignior vniuerſis.* D. Cyrillus lib. de recta fid. quærit, quomodo vnigenitus Dei Filius dicatur primogenitus? Et reſpondet, quia *ratione humanitatis. Sic enim eſt factus in multis fratribus.* Carthuſ. item, *Primogenitus dicitur, quoniam naſci dignatus eſt ex Virgine, vt per ſpiritualem regenerationem fratres multos acquireret.* Profectò ſolutio hæc non euacuat difficultatem; nam Chriſtus hoc loci reſpectu Virginis primogenitus dicitur, quæ non peperit alium, nec ex ea fideles exorimur.

Carthuſ. Cyrill. Carthuſ.

6. *Auctoris reſponſio.* Legitimè itaque reſpondeo cum Maldon. Tolet. & aliis, primogenitum dici, quia ante eum nemo alius eſt genitus, non autem quòd poſt eum alij fuerint exorti. Vt enim Chriſtus ratione Diuinitatis Vnigenitus, & Primogenitus dicitur Patris, vt conſtat ex Ioanne cap. 1. & Paulo ad Heb. 1. ita etiam ratione humanitatis Vnigenitus, & Primogenitus Matris appellatur. Eucher. *Primogenitus dicitur, qui primus de vtero matris procedit, ſiue ſequantur alij, ſiue non.* Et Beda, *Primogenitus eſt ille, non poſt quem alij, ſed ante quem nullus prodijt in lucem.*

Eucher.

## §. III.

### *De Faſciis.*

7. *Ieſum lotum infaſciauit.* ET pannis eum inuoluit.] Græcè ἐσπαργάνωσεν, *infaſciauit.* Miniſteria quædam præcedentia Euangeliſta prætermiſit, ea contentus inſinuaſſe. Nam cùm Ieſus in Virginis vtero ad communem hominum morem coaluerit, matri nempe cohærens, & per neruum vmbilicarem ſanguinis accipiens nutrimentum, neceſſaria fuit nerui huiuſce præſciſſio. Præterea cùm in vtero membranis, vti cæteri infantes, eſſet obtectus, opus erat lotione, poſt quas actiones faſciis eſt illigatus. Aſſolent hæc obſtetrices præſtare, cùm autem inibi nulla fuerit, cuiuſnam hæc præſtita miniſterio? Num Angelorum? Certè potiùs crediderim manibus puriſſimis Deiparæ hæc eſſe tribuenda. Sine matris quidem Chriſtus opera egreſſus, ſeparatuſque ab vtero, illâ integrâ præmanente: nato verò vmbilicaris neruus abſciſſus, & ablutus à Matre, priuſquàm faſciis obuolueretur.

8. *An faſcia neceſſaria?* Num indiguit Infans munimine faſciarum, quę cæteris infantibus, ne enormiter eorum membra diffluant, adhibentur? Minimè planè, ſed qui veritatem carnis noſtræ aſſumpſerat, verum ſe hominem volens demonſtrare, nullum humanitati negauit obſequium.

9. *Num preparata.* An faſciæ à Deipara præparatæ? Simon de Caſſia l. 2. c. 6. negatiuè reſpondet: *Vilibus tegumentis inuoluitur, quæ vt piè creditur, nec præparata erant præuiſione parentum, ſed aut erant illi panniculi ex velamentis virgineis, aut fortè mutuatis.* Præparatos non ſericos non purpureos à Virgine mundiſſimos pannos reor cum Carthuſ. ſante: *Communiter aſſeritur, quod pannis, id eſt, vilibus, vtque veteribus panniculis Virgo Chriſtum inuoluit. Verumtamen in reuelationibus B. Brigittæ Virgo inducitur loqui ad Brigittam, quòd ſciuit ſe pariturum in Bethleem, vt impleretur Scriptura, idcircò de mundiſſimis & decentiſſimis lineis panniculis ſibi prouidit, quibus Filium ſuum reuerenter inuoluit.*

Caſſia. Carthuſ.

## §. IV.

### *De Præſepio, & Stabulo.*

10. *Reclinatio.* ET reclinauit eum in præſepio.] Virgo Infantem recèns natum, ablutum, ac obuolutum faſciis loco cunarum præſepio, quo beſtiarum pabulum reponi aſſolet, reclinauit.

11. *Ortus in ſtabulo ſeu ſpelunca.* Natus equidem in ſtabulo beſtiarum domicilio, in quod Maria & Ioſeph à diuerſorio excluſi ſe receperant. D. Cyprian. orat. de Natiu. *Nulla domus ambitio niſi reclinatorum in ſtabulo.* Auguſt. ſerm. 12. de Epiphan. *Abſcondebatur in ſtabulo, & agnoſcebatur in cælo, vt agnitus in cælo, manifeſtaretur in ſtabulo.* Quod autem Latini Patres ſtabulum, ſpeluncam Græci affirmarunt. Epiphan. hær. 51. *Lucas dicit, faſciis inuolutum eſſe Puerū recèns natum, & iacuiſſe in præſepio, & in ſpelunca, eò quòd non eſſet locus in diuerſorio.* Et Nyſſen. orat. de Natiu. *Quid ſibi vult, quod Dominus in ſpelunca diuerſatur? Quod in ſpelunca decumbit? Cùm ſpeluncam videris, in qua naſcitur Dominus ſubterraneã, & lucis expertem, hominum cogita vitam, in qua verſatur is, qui illuceſcit, & apparet iis, qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedent.* Confirmant Theodor. & Iuſtin.

Cyrill. Auguſt. Epiphan. Nyſſen.

12. *An intra Bethleē ſtabulum?* Num ſtabulum aut ſpelunca hæc intra Bethleem fuiſſet? Negat D. Iuſtin. in Dial. Cum Try. *Quoniam Ioſeph non habebat in loco illo vbi diuerſaretur, in ſpeluncam quandam, quæ vico propinqua erat, diuerſatus eſt, ibi cùm eſſet, Maria Chriſtū peperit, eúmque in præſepio collocauit.* Id tamen contrariū Propheticis, ac Euangelicis verbis exiſtimo, qui Chriſtum in Bethleem natum apertè ſignificant. At qui natus propè vrbem, non propriè in vrbe natus dicitur. Vnde communi hærens ſententiæ, affirmo ſtabulum intra Bethleem fuiſſe.

Iuſtin.

13. *Diuerſorij ſtabulum.* An ſtabulum locus à diuerſorio ſeparatus? Quidam affirmant recentiores, neſcio quanam ratione ducti. Veroſimilius equidem ad diuerſorium pertinuiſſe ſtabulum, tanquam ad locum, in quo animalia eorum qui recipiebantur, hoſpitio remanebant.

14. *De boue & aſino quid? Orig.* Quidnam de boue & aſino inibi commorante? Hæc animantia tunc temporis in ſtabulo inuenta affirmant Origen. homil. 13. Ambroſ. hîc, Nyſſen. orat. de Natiu. & ſic alij; vt ſcilicet impleretur propheticum illud, *In medio annorum viuifica illud.* Abac. 3. Vbi LXX. *In medio duorum animalium cognoſceris.* Fuit autem in medio duorum animalium cognitus à paſtoribus, qui in præſepio poſitum adorarunt. Indicatum myſticè myſterium futuræ per Chriſtum vnionis in Eccleſiam vnam populi Iudaici ſignati per bouem, & populi Gentium aſino ſignificati. Quod Iſaias præſignauit: *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui; Iſrael autem me non cognouit.* Cap. 1. Et quonam modo bos & aſinus cognouêre? A præſepio vtique recedentes, & Infanti locum præſtantes. Num Mariæ & Ioſephi huiuſmodi animantia? Quidam affirmant non ſolido fulti fundamento. Potiùs crediderim non ad Ioſephum pauperem, ſed ad eos, qui illuc conuenerant deſcribendi, pertinuiſſe.

15. *Ligneúmne præſepium?* *In præſepio.* ] Dubitatur, num fuerit exciſum in rupe? Affirmat Brochar. Magiſter hiſt. arbitratur à Ioſepho fuiſſe conſtructum. Lyran. conteſtatur. Chryſoſt. Luteum fuiſſe ſcribit: *Nos, ait, quaſi pro honore tulimus luteum, & poſuimus argenteum, ſed mihi pretioſius eſt, quod ablatum eſt.*

16. *Auctorum placitum. Baron.* Exiſtimo tamen lignum præſepio dediſſe materiam. Roma teſtatur poſſidens, vti ait Baron. lib. 1. Dionyſ. Halicarn. lib. 1. hæc ſcribit: *Remus & Romulus vitam degebant paſtoritiam, humiles compingentes caſulas ex lignis & arundine; quarum vnam vt ſacram ſeruant, quibus id mandatum eſt, nihil addentes ornatus gratiâ:* Non conditoris vrbis, ſed orbis, cuius ſimul Romani edicto Cæſaris deſcripti Roma adorat præſepium, eóque multo auguſtius, quàm olim tugurio Romuli illuſtratur.

17. *Cauſa ingreſſus ad ſtabulum.* *Quia non erat ei locus in diuerſorio.* Cauſa, cur B. Virgo ad ſtabulum duceretur, ea fuit: in hoſpitio locum manſionis non inuenit: multitudo enim eorum, qui erant ex familia Dauid, tunc cauſa deſcriptionis conuenientis, & Ciuitatis Bethleem anguſtia, & Virginis paupertas hoſpitij pretium fortaſſe non habentis, quod pretium huiuſmodi temporibus magnum eſſe ſolet, cauſæ extitêre, cur in ſtabulum receſſerit, diuinâ præcipuè prouidentia id diſponente.

18. *Stabuli ac præſepis myſteria.* Latent in hoc (vt cum Toleto loquar) diuina myſteria. In primis abiectiſſimum indicat ſtatum, in quem propter peccatum homo deciderat; cùm enim *in honore eſſet creatus*, peccando *comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Deinde admirandam humilitatem Chriſti naſcentis, per quam iacentem mundum veniebat erigere. Præterea infantem Ieſum futurum cibum, & pabulum, quo homo ſimilis irrationalibus effectus, mortuúſque ob crimina, ſpiritum & vitam cæleſtium adipiſceretur. Gentium denique conuerſionem, quæ maximè poſt idololatriam beſtiarum proximæ conditioni, de quibus Paulus, *Cùm gentes eſſetis, ad ſimulacra muta prout ducebamini euntes.* 1. Cor. 12. Hactenus ex noſtro Cardinali.

## §. V.

### *Dominici exortus nonnullæ circumſtantiæ.*

19. *Sine dolore peperit Maria. Bernard. Nyſſen.* PEperit Filium ſuum. ] Non equidem parturiuit doloribus exagitata. *Sola* enim (Bernard. ſerm. *ſignum magnum*) *inter mulieres Virgo fuit à communi maledicto, & dolore parturientium aliena. Nam vbi voluptas* (Nyſſen. de Chriſt. reſurr.) *partum non anteceſſit, neque dolor ſubſequutus eſt. Perſpicuum etenim* (Rupert. lib. 13. in Ioann.) *in eo partu dolorem non potuiſſe habere locum, in quo locum virginitas habuit, & incorruptio. Virgo* (Ildephonſ. ſerm. 2. de Purif. *peperit ſine dolore, & gemitu, & permanſit fœcunda prole.* ore Auguſtiniano profata, ſerm. 14. de Natiuit. *Nec in conceptione inuenta ſum ſine pudore, nec in parturitione inuenta ſum cum dolore.* Fateor tamen cum Damaſcen. lib. 4. cap. 15. *quos in partu dolores effugit, paſſionis tempore ſuſtinuiſſe.* Rupert. Ildeph. Auguſt. Damaſc.

20. *Sine obſtetrice. Hieron.* *Peperit.* ] Num obſtetricis auxilio? Reſpondet D. Hieron. cont. Heluid. *Nulla ibi obſtetrix, nulla muliercularum ſedulitas interceſſit; ipſa pannis inuoluit infantem, ipſa & mater, & obſtetrix fuit.* Imò Dei omnipotentia hoc munus obiuit, Domino profitente, *Tu es, qui extraxiſti me de ventre.* Pſalm. 21. Vbi Auguſt. *An inde ſignificare voluit partum Virginis ſeruatâ integritate, vt quod mirabiliter factum eſt, cùm Deus feciſſe dicitur, nemini incredibile videatur?* Et Caſſiodor. *Ex vtero matris ſe Chriſtus dicit extractum à Deo, vt oſtenderet, natiuitatem illam Dominicâ virtute perfectam.* Auguſt. Caſſiod.

21. *Vtero clauſo. Ignat.* *Peperit;* Vtero equidem clauſo, virginitate illæſâ. *Decebat enim* (Ign. epiſt. ad Heron.) *Creatorem non conſueto, ſed peregrino & admirando vti partu.* Opifex omnium erat, virginitatem matris, quam in conceptione ſeruauerat, in partu quoque voluit conſeruare. *Non enim cogitanda* (Leo ſermone 1. de Natiuit.) *parientis conditio, ſed naſcentis arbitrium; quia ſic homo natus eſt, vt volebat, & poterat.* Id quod Tom. 3. lib. 1. confirmo, & illuſtro. Leo.

22. *Abſque ſecundinarum illuuie. Zeno.* *Peperit:* haud communis partus ſecundinarum illuuie profluente: *Non enim Mater* (Zeno ſerm. 3. de Natiuit.) *Domini tanti partus pondere exhauſta totis pallens iacuit reſoluta viſceribus, non Filius Matris, aut ſuis eſt vllis ſordibus delibutus. Neque enim reuerà aliquid circa ſe habere poſſet immundum, qui humani generis peccata, ſordes, & maculas venerat mundaturus. Denique purgationes, quæ ſunt tarditate periculoſæ, nullo puerum maternorum viſcerum proſecutæ ſunt damno. Tanto item magis Virgo* (Illephonſ. citat.) *libera fuit à corruptione paſſionis, à dolore carnis, à ſordibus ignominiæ; quanto gratia plena, & incorrupta, quaſi Spiritu ſancto Domino dedicata, & virtute diuinâ adumbrata.* Ildeph.

23. *Num Ieſus Angelorum miniſterio exceptus?* *Peperit filium ſuum,* quem ex vtero prodeuntem Angelorum manibus exceptum, & in brachiis Deiparæ collocatum noſter Suarius affirmat 3. p. q. 35. D. 13. S. 3. Crediderim tamen Chriſtum humilitate excitatum ineffabili, vt in nudam ſe terram abieciſſet; humilitas enim humo cognata.

24. *An nube obtecta Virgo?* *Peperit filium ſuum.* Num pariens Virgo nube fuerit obtecta, ne ab vllo cerneretur? Affirmat Simon de Caſ. lib. 1. cap. 4. Attamen, auctore me, non fuit nube opus illi, quæ abſque dolore, gemitu,

Digitized by Google

mitu, puerperijque ſordibus exiguo temporis peperit ſpatio.

25\. *Peperit filium ſuum.* Num ſplendore circumdatum? D. Vincent. ſerm. de Natiuit. Quando Chriſtus natus eſt, corpus eius reſplenduit vt Sol, quando oritur, & nox facta eſt ſicut meridies. De iſto lumine Propheta Iſaias ait, *Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam.* c. 9. Haud certum hoc miraculũ, nec Iſaias de luce exorientis corporea; ſed de ſpirituali fulgore profatur.

*Splendore Infans circũdatur.*

26\. *Peperit filium ſuum.* An de more abluit; lacte vſa pro aqua? D. Bonauent. vit. Chriſt. cap. 7. vberum lacte filium à Deipara dilutum ſentit. Aſt ego aquâ miraculo obortâ lotum puerum exiſtimo, Beda lib. de Locis cap. 8. ſante, *Nec ſpelunca tota interius ſpecioſo marmore tecta, ſupra ipſum locum, vbi Dominus natus ſpecialiter traditur, ſancta Maria grandem geſtat Eccleſiam. Petra iuxta murum cauata primum Dominici corporis lauacrũ de muro miſſum ſuſcipiens hactenus ſeruat. Quæ ſi quâ fortè occaſione vel induſtria fuerit exhauſta, nihilominus continuò, ſicut antea fuerat, plena redundat.*

*Fonte repẽtè prodeunte lotus.*

*Beda.*

27\. *Peperit filium*, lactauitque Deipara. Num liquore per miraculum in ſanctiſſima vbera proueniente, an à natura ipſa euocato? Quòd miraculum vbera implerit, illud Eccleſiæ affirmat, *Regem Angelorum Virgo lactabat vbere de cælo pleno.* D. Vincent. Deiparam pro lacte Deum ait deprecatam. Tunc ſubitò fuerunt vbera Virginis plena lacte de cælo ſibi immiſſo. Athanaſ. confirmat.

*An lac ex miraculo.*

Attamen nos naturalem lactis Marianæ profluxionem opinamur. Quia ſcilicet naturale eſt parientibus feminis lac habere; gignitur enim naturaliter ex ſanguine ad vbera confluente, & per caloris coctionem ad candorem deducto, vti fœtus ſit alimentum. *Reſpondeant* obſtetrices, (ait Tertull. lib. de carn. Chriſt. cap. 20.) Medici, Phyſici de vberum natura. An aliter manare ſoleant ſine vuluæ genitali paſſione: Pendentibus exinde venis ſentinam illam interni ſanguinis in mamillam; & ipsâ tranſlatione decoquentibus in materiam lactis lætiorem. 28.

*Naturaliter fluxum affirmo.*

Eccleſiæ autem ſententiæ reſpondeo, propterea Virginis vbera de cælo plena dici, quod conceptus fuit de cælo, qui cauſa extitit lactis. Vnde verè Athanaſius. Vbera enim illa ſanctiſſima naturæ conſuetæ radicem non habuêre, longéque à naturali fuêre aliena conſuetudine, lac nouo & peregrino more fluente; quoniam conceptio noua fuit, ac peregrina. 29.

*Contraria fundamenta diruo.*

# IN IESVM NATVM,

## Panegyricus tertius Moralis circa Literam.

## EX PARTV VIRGINEO.

### *OBSERVATIO I.*

Ad illa verba:

*Peperit Filium ſuum Primogenitum.*

Vnigenitus Patris, Mariæ Primogenitus Chriſtus exoritur.

*Vt nos fratres ſuos, Deì filios efficiat.*

30\. CVM Primogenitum Ieſum audio, mox de fratribus licet cogitare. Excipimus etenim hodie Vnigenitum Patris, Matris in multis fratribus primogenitum. Dionyſ. Carthuſ. *Primogenitum peperit Maria, quoniam Chriſtus naſci dignatus eſt ex Virgine, vt per ſpiritualem regenerationem fratres multos haberet.*

31\. Vnde Dauid æterni Patris gerens perſonam, ait, *Ego primogenitum ponam illum, excelſum præ Regibus terræ.* Pſalm. 88. Ac ſi diceret, Præponam Primogenitum Chriſtum Regibus fratribus, ſiue filiis Dei effectis hominibus, vti *ſit Primogenitus in multis fratribus.* D. Auguſtinus, *Primogenitus*, inquit, *dicitur Ieſus cum adiunctione fratrum. Vbi enim primus dicitur, non vtique ſolus, ſed conſecuturis fratribus, in quo ipſe præceſſit.* Tanta ſiquidem Dei ſeruatoris pietas, vt qui Vnigenitus Patris eſt, noſter frater, & in nobis dicitur Primogenitus.

*Chriſtus poſitus Primogenitus à Patre.*
Pſalm. 88.
Auguſt.

32\. Cur, quæſo, Deus Patrisfamilias nomine conſueuit appellari? *Erat Paterfamilias, qui plantauit vineam. Homo quidam habuit duos filios.* Num quia Chriſtus Primogenitus in multis fratribus exſurgit? Ita planè. Vnus nempe filius familiam non valet efficere, ſante Tullio, *Vnus homo familia non eſt.* Cum Ieſu igitur Primogenito Deipara plures ſpiritu Deo mater ipſa familias filios peperit, tunc appoſitè Deus Paterfamilias vocitatur. Audi D. Iſid. Orig. lib. 9. *Materfamilias illa eſt, quæ plures enixa eſt; nam familia ex duobus eſſe incipit.* Sicut itaque Deipara Materfamilias ob plures ſpiritu filios exortos conſtituitur, ita Deus ob multorum filiorum cœtum magnus Paterfamilias appellatur.

*Maria plures enixa Deum Patrifamilias quodammodo conſtituit.*

Iſidor.

Exſurgimus ergo (obiicis) Mariæ filij, non Dei, quia Chriſtus Primogenitus eſt Mariæ, Vnigenitus autem Patris. Profectò Chriſtus non ſolum Patris Vnigenitus, ſed & Primogenitus; quia cùm Vnigenitus in Patris ſinu reſideret, carne indutus non ſolùm Matris, ſed & Patris Primogenitus exoritur, vt nos non ſolùm Matris, ſed & 33.

*Filij ſumus non ſolùm Mariæ, ſed Dei.*

Patris filios efficit. *Ego* (ait increata Sapientia, ſeu Filius Dei) *ex ore Altiſſimi prodiui, Primogenita ante omnem creaturam.* Eccleſi. 24. Quaſi diceret, Ego quæ ex Altiſſimi ore increata prodiui (ſiue Verbum ex fœcundiſſimo Patris intellectu emanaui) iam creaturam aſſumens, Primogenita ſum omnium creaturarum, ſeu hominum iuxta illud, *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* Lactantius lib. 1. de falſ. Relig. cap. 5. docet ab Orpheo Deum antiquiſſimum Primogenitum fuiſſe appellatum. D. Hippol. audiendus ad illud, *Dominus poſſedit me. Dic mihi, ait, Beata Maria, quid erat, quod erat in tuo vtero conceptum? & quid erat, quod à te in virginali matrice geſtabatur? Sermo erat Dei, Primogenitus de cælis ad te deſcendens, & homo Primogenitus in vtero formatus. Vt Primogenitus ſermo Dei homini Primogenito coniunctus oſtenderetur.* Quonam fructu? Vt ſcilicet per Deum ac hominem Primogenitum nos fratres Dei Patris, Mariæque Matris poſt geniti adoptione efficiamur.

Eccl. 24. — Hippol.

34. *Homo factus vt nos Dei filios efficeret.* Heb. 5. Primogenitus eſt? Noſter ergo frater nobis ſimilis factus, vt & nos ipſi Deo ſimiles redderemur. Iogens profectò beneficium, quod munificentiſſimus Domious in genus contulit humanum. Aiebat Paulus, *Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit.* Hebr. 5. Et quare ſemen Abrahæ hominis ſcilicet, & oon Angelicam naturam ſibi Dominus induit? Certè vt nobis maximo munere donatis ſimilis, redditus nos Deo ſimiles, vtique Patris filios conſtitueret. Cyrill. D. Cyrill ad locum Paul. *Debuit,* inquit, *per omnia fratribus aſſimilari, fratribus per omnia ſimilis, & verè homo factus, vt per paupertatem ſuam nos ditaret, qui ſimilitudine illius* iam hominis facti (ſiue illo nobis ſimili effecto) *ad præcipuum bonum ſuum conſcendimus, Dij, ac Dei Filij per omnia conſtituti.*

35. *Matre Maria filij Dei exſurgunt.* Annon Deiparæ poſt Dominum debemus, quod Deum patrem, ac fratrem habeamus? Vnigenitus Patris Filius appellatur, quia ex Patre abſque proſapia exoritur; nec enim Pater alterum æternum Filium produxit. Tunc equidem Vnigenitus Patris Primogenitus incipit nuncupari, cùm à Matre productus pluribus fratribus ſtipatus exſurgit. Haymo appoſitè: *Omnia primogenita figuram Primogeniti ſancti ſanctorum, id eſt, Domini noſtri Ieſu Chriſti tenuerunt, qui Vnigenitus eſt ex Patre, Primogenitus ex Matre.* Ex Patre Vnigenitus, quia Verbum nullum habet reſpectum ad fratres coæternos. Ex Matre autem Primogenitus, Maria enim Vnigénitum Dei iam nobis Primogenitum in multis fratribus æternis futuris peperit.

Haymo.

36. *Imitemur fratrem vt filij Dei efficiamur.* Athan. Admonuerim tamen nos ad huiuſmodi & Mariæ, & Dei filiatioοem eleuandos Chriſtum Hominem, & Deum imitari debere. Aiebat Diuus Athanaſ. orat. de Incarnat. *Subiecit ſeipſum Verbum Dei, vt per corpus appareret. Quo vt homo iam factus homines in ſe traduceret.* Num indiffereoter omnes? Adiicit pulchrè: *Eorúmque aſſenſus ad ſe reflecteret.* Noqoe enim ſufficit nos Deum humanitate indutum venerari, ſi illius voluntati noſtri non hæreſcant affectus, quo Primogeniti fratres redditi, filij Dei efficiamur. Id quod Phil. lib. *Quod peiores, &c.* hiſce verbis confirmat. *Nondum aliquis filius Dei appellari dignus eſt. Studeat tamen Primogenitum eius Verbum Angelis omnibus antiquius, & Principem Angelorum ſequi.*

Phil.

Enimverò dum nos ex Primogeniti exortu Dei filios video, mox contemplor hæredes, Paulo fante, *Quod ſi filij, & hæredes.* Chriſti ampliſſima hæreditas, etſi innumeris communicatur fratribus, non minuitur. Deiotarus Rex (Rodigin. lib. 11. cap. 17. auctore) cùm plures liberos ſuſcepiſſet, omnes, vno excepto, iugolauit, vt ſuperſtes & potentior fieret, & auguſtior increſceret. Vnde à quodam aptè vitis vocitatur, cuius palmites abſcinduntur. Proh vitis vera Chriſtus! qui, nullo vinento palmite abſciſſo, cunctis munificentiæ ſuccum ſuppeditat. D. Auguſt. Tract. 2. *Non timuit Primogenitus ille habere cohæredes, quia hæreditas eius non fit anguſta, ſi multi eam poſſederint.* Plura mitto. 37. *Ex Primogenito cohæredes exſurgemus.* August.

## OBSERVATIO II.

### Ad illa verba:

*Peperit Filium ſuum.*

### Filium ſuum parit Maria, qui ex Virgine exortus, ſe Dei Filium eſſe manifeſtat.

*In Virginitatis fœcundiſſimæ commendationem.*

FILIVM *ſuum peperit?* A ſpe igitur eadit vniuerſus, qui filij Dei exortu à captiuitate erat liberandus. Profectò Deipara ſuum Filium enititur, ſed eum, qui dum homo exoritur, ſe Dei Filium eſſe monſtrat apertè; vnde ſuperfluum eſſet ab Euangeliſta adnotari, Mariam Dei filium peperiſſe; ſatus enim, *Peperit filium ſuum*, omnes intelligimus, Virginem Dei ſimul filium peperiſſe. 38.

39. *Virginitas Deum parit.* Theod. Annon Deipara virginitate floret? Sicot ergo natiuitas ex vtero Chriſtum Mariæ filium ſeu hominem probabat, ſic exortus è virginitate illæſa ipſum Dei filium teſtatus eſt. Theod. Ancyræ Epiſcop. orat. habita in Concil. Epheſ. tom. 6. *Exponat, inquit, mihi Photinus, qui fieri queat, vt natura humana ex vtero virgineo nata virginale clauſtrum incorruptum conſeruarit? Nullius enim hominum mater virgo permanſit. Cernis quomodo quod natum eſt duplicem de ipſo nato ſenſum nobis offerat. Nam ſi more noſtro natus eſt, homo vtique, & aliud nihil eſt. Quod ſi id, quod natum eſt, matris integritatem illæſam conſeruauit, apud rectè ratiocinantes Deus certò vtique cognoſcetur.* D. Thom. 3. p. q. 28. *Vt corpus Chriſti verum oſtenderetur, naſcitur ex femina; ſed vt oſtenderetur eius Deitas, naſcitur ex Virgine. Talis enim partus decet Deum.* Et Sophr. orat. de Natiu. *Chriſtus in manifeſtiſſimum omnipotentiæ ſuæ natiuitatis indicium, & argumentum, Virginem, ex qua prodijt, incorruptam conſeruauit.*

Thom. — Sophr.

40. *Ortus ex Virgine Dei Vnigenitus videtur.* Ioann. 1. Proclamat Ioannes, *Verbum caro factum eſt, & vidimus gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti à Patre.* Ioann. 1. Annon aptius dixiſſet, *Gloriam quaſi Primogeniti à Matre?* Profectò eo ipſo,

quod

quod à Matre Virgine naſcitur filius Primogenitus, ſeſe Patris Vnigenitum eſſe confirmat. Huc refero Cyrill. lib. 1. de rect. in Chriſt. fide. fatum, *Illud Verbum, quod inexplicabili modo ſupra omnem humana mentis captum duxit, ex Deo Patre in humanam naturam deſcendens, & in id, quod non erat, ſe demittens, ex muliere quoque naſci dignatum eſt. Non quòd in ea exinanitione vſque perſeueraret, ſed vt Deum ſe eſſe oſtendat.* Ac ſi diceret, Cùm Patris Vnigenitus ſe carne induit, demittitur, deſcendit, obſcuratur Diuinitas. At exoriens ex femina, ex Maria Virgine prodiens non perſeuerat in ea exinanitione, ad quam factus homo deuenerat; ſed Deum ſe omnino manifeſtat.

Cyrill.

41. *Angeli in terra Deum vident.* Cant. 8.

Cælicolæ in teſtes adhibeantur. *Egredimini filia Sion, videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum Mater eius.* Cant. 8. Si in Matris diademate videndus, apparebit vt homo, à matre etenim Primogenitus in fratribus hominibus à nobis accipitur. Certè ſimul & à Patre Vnigenitus ex Matre Virgine conſpicietur. Gilb. ſerm. 21. in Cant. *Vos*, inquit, *verè & planè filia Sion, qua ſemper intuemini faciem Patris, egredimini, & videte. Egredimini de recondito illo ſinu intima viſionis, de ſecreto lucis inacceſſibilis. Nouum vobis terra præſtat ſpectaculum, nouum enim fecit Dominus ſuper terram.* Femina Virgo circumdat virum? Ex fœcunda igitur nouiter virginitate vobis in terra viſio antiqua innouatur, Deus ſeſe vobis in terra præſtat intuendum. *O beata hac in terris nouitas temporalis, qua antiquam illam & æternam nouitatem Angelicis in aſpectibus amplius innouauit.* Quia licet per impoſſibile egreſſi à cæleſti Sion, à beatifica illa viſione recederent, nouus virgineus partus illos apud terricolas Dei viſione donaret, vti cæleſtis hîc beatitudo innouaretur.

Gilb.

42. *Noſter filius ſimul eſt filius Dei.* Richard.

Nobis igitur Virgo peperit filium ſuum, Dei filium hominibus hominem tradit, Deum ſimul manifeſtat, vt intelligat exilitas noſtra eum noſtrum filium, qui Patris Vnigenitus. Richard. Victor. in Pſalm. 28. Sic felicitatem hominum præconiis proſequitur: *Felix homo eſt, cui praſto eſt, cùm voluerit habere filium, non qualemcumque, ſed Deum. O quanta dignitas hominis filium habere Dominum maieſtatis! Res mira, & admiratione digna, vt vnus idémque ſit filius Dei viui & ſimul hominis, morituri dicam an mortui? Sed fortè tunc incipit viuere, cùm incipit talem filium habere.* Plura Doctor. Proh gloria Virginitatis! cuius tanta fœcunditas, tam auguſta, vt paritura, ipſum Deum creaturarum Principem enitatur!

## OBSERVATIO III.

### Ad iſta verba:

*Pannis eum inuoluit.*

### Mirifica Faſciarum.

*Vbi quàm mirabiles Humilitas præſtet effectus.*

43. DVM oculis obiicis faſciarum vilitatem, ſimul earum mirabiles effectus contemplare. D. Maxim. ſerm. de Natiu. *Si panni*, ait, *tibi vileſcunt, Angelos collaudantes admirare, ſi credis vilia, crede mirifica.* Vilène faſciis illigari? Ita equidem, ſed mirificum Infantem Angelico efferri concentu. Proh faſciarum gloria! licet Angeli non concinerent, illud ipſum Puerum obuolui faſciis, mirificum procul dubio eſt.

Quid magis mirabile quàm potentiſſimum Principem faſciis tyrannum illigare, milites ſuos de pannis diadematibus donantem. *In capite eius diademata multa.* Apoc. 4. Id eſt, faſciæ plurimæ, Alcaſar interprete, peruolabant, vti ſcilicet Imperator Ieſus mundum inopem paupertate ditaret, infirmitate tyrannum deuinciret. Theod. apud Synod. Epheſ. *Vides paupertatem tantarum factam diuitiarum matrem? Nunquid nocet deorſum Vnigeniti ad paruum tempus abiectio, qua tantas diuitias contulit orbi terrarum? Quid ergo exprobras* (quoſdam taxat hæreticos) *Chriſti in Bethleem* humilitatem? cur paupertatem faſciarum *deducis ad medium, eius lucra non computans? Cur indignum iudicas Deo, quod tantorum bonorum facta eſt occaſio? Cur paupertatem dicis indignam Deo, per quam mundus ditatus eſt? Noli detrahere abiectioni, quâ tyrannis diabolica eſt deſtructa.* 44.

*Ieſus faſciis tyrannum illigat, ſuos coronat.* Apoc.

Theod.

Quodnam magis mirificum, quàm ſeruum natum, pannis faſciiſque ad miniſtrandum pręcingi, ac ſimul Regem potentiſſimum imperare? Iſaias, *Formans me ſeruum ſibi.* Cap. 49. Matthæus autem, *Qui natus eſt Rex.* Cap. 2. Si ſeruus factus faſciis obuoluitur, vti præcinctus ſeruiat, quonam modo Princeps miniſtrandus exoritur? Faſciarum *aduerte myſterium.* (cum Ambroſ. loquor Præf. ad Pſalm. 35.) *ex vtero Virginis idem & ſeruus exiuit, & Dominus; ſeruus ad operandum, quippe qui faſciis præcingitur ad miniſterium; Dominus ad imperandum. Bona ſeruitus, qua nomen ſuper omne nomen acquiſiuit.* Et concludit, *Quod ſub aliis contumelia eſt, ſub Chriſto gloria eſt.* 45.

*Adminiſtrandum faſciis præcingitur ſimul imperans.* Iſa. 49. Matth. 2. Ambroſ.

Quidnam mirificentius, quàm pannis obuolui, faſciis manus ac pedes illius religari, qui mundi excitauit fabricam, ſupra ventorum pennas auolat? Ad Saluatoris vocem *ſtatim prodiit, qui fuerat mortuus* Lazarus *ligatus pedes, & manus inſtitis.* Ioann. 11. Mirum equidem hominem pedibus incedere illigatis, quod adnotauit Ambroſ. de fid. Reſurr. fatus, *Comprehende, ſi potes, quemadmodum vinctis pedibus gradum dirigat? Virtute diuina præceptionis operante, natura ſuum non requirebat officium.* Proh Deus potentiſſimus! Hîc manus faſciis religantur, ibi mundialem machinam moliuntur? Hîc pedes irretiti vinculis, ibi ſuper pennas ventorum incedunt? Quam patenter in faſciis diuina manifeſtata eſt potentia, ſuum naturâ officium non requirente, diuina præceptio adhibita eſt! 46.

*Faſciis illigatur, & volat.* Ioann. 11. Ambroſ.

Iam mihi mens ſermonis innoteſcit Angelici. *Hoc vobis ſignum, inuenietis Infantem pannis inuolutum.* Luc. 2. Ac ſi diceret, ſignum requiritis? Signum, quod quidem verè Signum ſeu miraculum ſit, (liceat vti annominatione) accipite. Solem fulgentiſſimum olim comburentem, pannis obuolutum inuenietis. Hoc procul dubio *Signum magnum*, quod, *apparuit in cœlo*, ſeu in terra cælo facta, *mulier amicta Sole*, ſiue Sol pannis amictus. Apoc. 12. Vti Bernard. ſerm. 4. de Natiuit. Virg. proclamet, *Abſconde Maria, noui Solis fulgorem, inuolue pannis, pone in præſepio.* Quid mirabilius, quàm faſcias à Sole fulgentiſſimo, igne potentiſſimo non comminui? Si igitur *credis vilia, crede mirifica.* Semper enim humilitas admirabiles parit effectus. 47.

*Sol ignem faſciis obtegitur, nec conſumit.* Luc. 2. Apoc. 12. Bernard.

Quid

48. *Mirabilia humilitatis.* Cæſar.

Quid mirabilius, hoſtémne, arrepto gladio, haſtâ vibratâ, comminuere, an ipſum faſciis illigatâ dexterâ ſuperare? Profectò *ſi veniſſet* (ait Cæſar. Dialog. 3.) *vſurus poteſtate naturali*, manibus vtique ſolutis ad arma capeſſenda, *nil admiratione dignum facere viſus eſſet. Si aduerſus Angelum deſertorem decertaſſet Deus, in arrogantiam extuliſſet diabolum, quaſi Deo par fuiſſet aduerſarius.* Illud prorſus mirabile, quod faſciis manus vinctas ſic exerat in bellum, vt ſimul extẽdat ad palmam, humanitatis enim victoria nunquam non mirabilibus acquiritur excitatis, ſi ſemper mirabile, vilia à Domino aſſumi, vt fortia quæque confundantur.

## OBSERVATIO IV.

Ad illa verba,

*Et reclinauit eum.*

### Dei inclinatio, vt iacentes eleuet homines.

*Principis enim eſt abiectis ſubditis manum porrigere.*

49. DEITATIS inclinationem ad noſtram exilitatem hæc reclinatio proclamat Infantis. Erat quando throno hærens eleuatiſſimo, oculis ſolummodò fidei ab hominibus viſebatur, iam inclinatur ad eos, qui in circuitu ſalutem, benignitatem, medicinam expectant.

50. *Inclinatio Dei munificentia documentum.* Ezech. 1.

*Et vidi*, Ezech. ait, *quaſi ſpeciem electri velut aſpectum ignis, intrinſecus eius per circuitum. A lumbis eius, & deſuper & à lumbis eius vſque deorſum vidi quaſi ſpeciem ignis in circuitu; velut aſpectum arcus.* Cap. 1. Ignis olim Deus eleuatiſſimus, equidem conſumens, inacceſſibilis. Inclinatur ignis mutatus in arcum, qui quidem in circuitũ actus, ad præſepium veniens, Deitatis inclinationem ad eos, qui expectant in circuitu, reclinationis habitus aſſeuerat. Pulchrè Rupertus lib. 1. c. 16. *Quid eſt hoc, niſi quia ante carnis aſſumptionem, quæ lũbis rectè exprimitur, Deus generi humano iratus, ignis tantum conſumens erat. Poſtquam autem carnem aſſumpſit, iam non ſolummodo ignis, ſed & inclinatio nobis eſt propitiationis. Arcus quippe in die pluuia ſignum eſt fœderis, & pacis, ſicut ipſe Deus Noe promiſit. Igitur à lumbis eius vſque deorſum* ſiue à natalitio *ſimul ſpecies ignis, & aſpectus arcus, quod eſt ſignum propitiationis*, quia Deipara Deum peperit filium ſuum; & ad hominum ſalutem ignem reclinauit in præſepio, vt ab ſphæra eleuatiſſima demiſſum nobis traderet, peccatorum ſolummodo ſtipulam, ſola vincula conſumpturum.

Rupert.

51. *Demiſſio ignis olim cõſumentis ad mundi illuminationem.* Theod. Pſalm. 71.

Rubus ardens ſine combuſtione Deipara enixa eſt, Theodoto hom. 2. de Natiuit. auctore. Hinc ſubmiſſionem ſeu inclinationem ignis cõtemplari licet, ſi vel folia minimè comminuit. *Deſcendet*, Dauid cecinit, *ſicut pluuia in vellus.* Pſalm. 71. Hebr. *Sicut pluuia in herbam reſecatam.* Ignis pluuia herbam reſecatam non efficit illico conflagrare. Potius ex inclinatione ignis olim conſumens iam parcit arbuſtis; iam graminibus, ſeu præſepij paleis id eſt, quod agris ſtillicidia. O vos peccatores ſtipulæ, ignem excipite inclinatum, non comburemini, imo mirum in modum irrigabimini. Theodotus citatus, *Nonne illius, qui ad nos deſcendit, charitatem, humanitatemque in igne* (apud rubum) *animaduertitis? Iudex inter iudicio obnoxios verſatur, neque tamen iudicium exercetur. Iudex inter reos commoratur, neque vlli tamen pœna irrogatur. Iudex præſto eſt, non iudicaturus, ſed iuſtificaturus, non condemnationem illaturus, ſed medicinam adhibiturus.* Quàm Infantis ad præſepium inclinatio vtilis peccatoribus!

Inclinauit etenim ſe Dominus, vt ſerui iacentes exſurgerent. *Reclinatorium* vetus ille Salomon *aureum, aſcenſum purpureum media charitate conſtrauit.* Cant. 3. Amor enim Deum inclinat; vt homo aſcendat; reclinatorium ſeu reclinatio Domini connotat creaturarum aſcenſum. D. Leo. ſerm. 3. de Natiuit. *Exinanitio illa, qua ſe inuiſibilis viſibilem præbuit, inclinatio fuit miſerationis.* Quare; Reſpondet D. Auguſt. ſerm. 1. de Symb. c. 3. *Exaltauit ſe homo, & cecidit: humiliauit ſe Deus, & erexit. Humilitas Chriſti quid eſt? Manum Deus homini iacenti porrexit. Nos cecidimus, ille ſe inclinauit. Prendamus, & ſurgamus, ne in pœnam cadamus.* Num ob inclinationem minus homini commendabilior? Abſit. Gregor. 29. Mor. cap. 1. *Deo tanto magis homo debitor fuit, quanto pro illo Deus etiam indigna ſuſcepit.* Bernard. ſerm. 1. de Epiph. *Quanto minorem ſe fecit in humanitate, tanto maiorem exhibuit in bonitate; & quanto pro me vilior, tanto mihi charior eſt.* Et D. Auguſt. homil. 36. *Amemus ſponſum, quanto magis deformis nobis commendatur, tanto charior, tanto dulcior factus eſt ſponſæ.* Licet enim, eodem Doctore ſerm. 206. de temp. adnotante, *nemo poteſt iacentem erigere, ſi ſe noluerit inclinare*, potuit planè Verbum ſine inclinatione iacentem erigere; ſed copioſa munificentia ad hominum erectionem non ſolum *inclinauit cælos, & deſcendit*, Pſalm. 17. ſed vili in præſepio dignatur reclinari, vti ſubditis coniacentibus de Principum ſublimium more manum porrigat.

52. *Inclinatur Princeps cæleſtis, vt ſubditi aſcendant.* Cant. 3. Leo. Auguſt. Gregor. Bernard. Auguſt. Pſalm 17.

## OBSERVATIO V.

Ad illa verba:

*In præſepio.*

### Stabulum ac Præſepium cælo eleuatius.

*Vbi oſtendo gaudium hominibus non è ſublimitate loci, ſed ex Dei ſocietate profluere.*

CHRISTVS recèns natus (cum Chryſippo orat. 2. de Deip. loquor) *fuit in vlnis maternis. Iſte porrò thronus verè regius, thronus iſte glorioſus, thronus ſanctus, thronus ſolus dignus, qui Sanctum Sanctorum geſtaret in terra.* Deipara tamen à cælo acceptum Dominum cæli 53.

Chryſ.

cælo

cælo reſtituit, dum eum in præſepio collocauit.

54. *Præſepium cæli Domino cælum.* Epiphan.

Aiebat D. Epiphan. Orat. de Deip. *Virgo in ſpelunca citra laborem prægnans cæli Dominum depoſuit in præſepio.* Quid cum præſepio cæli Dominatori? Certè præſepium cæli Domino deputatum iam mutatur in cælum. Vnde Pater adiicit, *Stabulum viſum eſt eſſe cælum in terra*, præſepium cæleſtis thronus efficitur. Num Angeli cælicolæ defuêre? *Neque verò* ait, *in hoc cælo Angeli defuerunt. Ordines Angelorum circunſtabant Virginem cum clamore dicentes. Gloria in altiſſimis Deo.* Præſepium etenim, ſtabulum, cælum altiſſimum fuerat effectum.

55. *Cælos deſcendens ad præſepium inclinauit.* Pſalm. 17.

Siue vti cecinit Vates, *Inclinauit cælos & deſcendit.* Pſalm. 17. Natalitio accommodat Caſſiodor. Ac ſi diceret, Quando deſcendit ad terram in præſepio reclinandus, cælos inclinauit, ſecum cælos adduxit, haud à cæleſti throno receſſit, quia illud ipſum ſtabulum ac præſepe cælum eleuatiſſimum. Num in cælo ſupra Cherubinorum pennas collocatur? *Aſcendit*, adiicit Dauid, *& volauit, aſcendit ſuper pennas ventorum, poſuit tenebras latibulum ſuum.* Ibid. Campenſ. egregiè: *Vehebatur in ipſo Cherub tanquam volaſſet pennis ipſo vento velocioribus. Fecit tenebras latibulum ſuum circum ſe in modum tugurij.* Quando etenim deſcendit, ipſo throno Cherubico pro curru vehebatur, cúmque huiuſmodi ſedi hærentem, tugurium excepit Bethleemiticum, quod in cælum iam omnino mutatur.

Campenſ.

56. *Quale in cælo Angeli vident, tale Ieſum in præſepio contemplor.*

Aduerſum doctrinam hanc ſic argumentor. Apud cæleſtem patriam Infans Dei Filius eſt, omnimodâ potitur libertate, Rex ab Angelis miniſtratur, ineffabilibus diuitiis redundantem gloriam oſtentat, ſupremum occupat ſolium, ſeu potius Paterno ſinu pro tabernaculo vtitur. In terra autem apparet vt ſeruus, edicto ſecularis Principis ſubiicitur, dignatur miniſtrare, omnibus vacuus exſurgit, ſtabulum locus natiuitatis eius, præſepium eius reclinatorium aureum eſt. Quonam modo igitur tugurium Regis cælum obiicitur? Certè vilibus his ſublimia illa copulata contemplor, admiror planè copulationem, quâ tandem ratione colligentur, minimè adinuenio. Nec mirum ſi nec magnus Athanaſius huic argumento inuenit ſolutionem. *Qui in cælis*, inquit, *liber eſt, in terris deſcribitur; illic Dei Filius, hic ſeruus; illic Rex, hic ſubditus; in cælis diues, in terris pauper; illic diuino ſedet in ſolio, hic agreſti naſcitur in ſpelunca; illic in paterno eſt ſinu, hic in paruo reclinatur præſepio. Quis non admiretur*, attende, *ſuperna & ſublima illa cum humilibus, & paruis?* Ac ſi diceret, Admirabilis equidem connexio eſt, attamen verè ſublimia illa cum hiſce partulis copulantur, cælum etenim verè ſpelunca, præſepium eſt.

Athanaſ.

57. *Quaſi è cælo Ieſus in eleuatius cælū aſcendit, dū in præſepio locatur.*

An non (inſurgo prætereà) cælum ſurſum ſtatuitur, terra deorſum coniacente? Si igitur Chriſtus deſcendit ad terram, è terrâque Bernardo adnotante, in ſtabulum prouoluitur, è ſtabulo in præſepe beſtiarum menſam deturbatur, quonam modo collocatur in cælo? Profectò ex miniſterio ſpeluncæ, ac præſepio aſſignato tam eleuata ſpelunca ac præſepium oſtenditur, vt Dei Filius deſcendens prouolutus, deturbatus magis à cælo, in cælum eleuatius aſcendere videatur. Dauidem audite, *Surge Domine, in requiem tuam.* Pſalm. 131. Id eſt, è ſuperis in ſtabulum, in præſepium aſcende. Sic Heſych. homil. 2. de Virg. dum Mariam inducit Filium Dei contemplatam è cælo delapsú, & hoc more locutam: *Surge Domine, in requiem tuam, quam ſuper terram præſcripſiſti, & in Bethleem conſtituiſti, vtpote ſtabulum, & præſepe.* Ad quod equidem è cælo cælorum delapſus aſcendis, ac ſi ad eleuatius cælum auolares.

Pſalm. 131. Heſych.

58. *In præſepio nos vitâ donat, & gloriâ.*

Obiicio denique haud aptè ſpeluncam præſepiúmque cælum vocitari, ſi hic Puer vagit; illic autem cunctis vitam præſtat creaturis; hic frigoris cruciatu afficitur, illic cælicolas gloriâ replet. Equidem D. Cyrill. Hieroſol. de Occur. Dom. aſſerente, Puer *idem vagit in cunis, & mundo vitam impertit, & gaudium.* Et D. Chryſoſt. Orat. de Nat. Bapt. adnotante: *Illic probro effectus eſt paradiſus, hic ſpelunca facta eſt glorioſa*, in anguſtiorem prorſus paradiſum mutata. *Illic* enim *Adam & Eua expulſi ſunt à peccato, hic fines orbis terrarum educti ad gratiam. Non habemus amplius ſuſpectam exilij exprobrationem, non extimeſcimus amplius clauſtra portarum paradiſi, non metuimus amplius morſus ſerpentum.* Vti apud præſepium æternâ quodammodo, quâ in cælis ſuperi, felicitate potiamur. Hinc collige gaudium hominibus non ex loci ſublimitate, & opulentia, ſed ex Ieſu ſocietate profluere, qui quidem cum Ioſepho deſcendit in foueam, & ergaſtulum effecit paradiſum.

Cyrill. Chryſoſt.

# OBSERVATIO VI.

Ad illa verba:

*Et reclinauit eum in præſepio.*

## Puer vitalis panis in præſepio apponitur, vt bruta conuertat in homines.

*Vbi de Euchariſtia mores immutante.*

59. VOLVPTATVM expleti fœno homines in bruta declinarant: Chriſtus igitur verus panis præſepio apponitur, vti homines brutalitate laborantes, humanitate rurſum induantur. D. Cyprian. de Nat. *Ideo Puer in præſepio loco habitaculi ponitur, vt vitam beſtialem mutantes, non fœno veſcamur, ſed cæleſti pane.*

Cyprian.

60. *Homo hoc pane refectus brutalia ablegata cognoſcit.* Iſai. 1.

Id quod miratus Iſaias exclamauit, *Bos cognouit poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui.* Capite primo. Quid cum boue cognitioni, quid cum aſino intelligentia? An bos & iumentum ad Dominicum illigati præſepium Chriſtum verè venerati fuêre? Quidquid ſit de receſſione à præſepio, vt locum exhiberent Infanti, aut de externa curuatis cruribus, reuerentia (vti placet quibuſdam) nullatenus cognouêre animantia Dominum in præſepio collocatum. Vidit igitur Propheta homines olim voluptatum fœno bruteſcentes, hodie appoſito pane ſalutis ſaginatos, ad priſtinam humanitatem redeuntes. *In præſepi* namque (vti Theod. ait hom. de Nat.) *Dei ponitur Verbū, vt licentiam habeant rationalis, & irrationalis* (iuſti ſcil. & peccatores) *participare cibo ſalutis.* Verbo enim cibo appoſito, irrationales ex fœno peccatores rurſum intellectu donantur.

Theod.

Iam

61\. Iam clamet Sponſa, *Qui paſcitur inter lilia.* Cantic.6. Aliter, *qui paſcit*, gregem ſcilicet ſuum ad paſcua deducit. Cur non inter gramina? Vt bos, & aſinus, ſiue homines ex fœno vitiorum in bruta mutati, ex Dominico appoſito lilio rurſum ad humanitatem aſcendant, Nyſſen. Homil. in Cant. *Hic eſt*, inquit, *Paſtor bonus, qui non fœno paſcit gregem, ſed puro lilio. Ego*, ait, *flos campi, & lilium conuallium.* Vt qui ex fœno ad bruta deſcenderat, ex lilio ad hominem, imò ad Deum redire valeat.

*Lilio paſcimur, vt fœnum fugiamus.*
Cant. 6.
Nyſſen.

62\. Adducens Paulus illud Deuteronom. 25. teſtimonium, *Non alligabis os bouis triturantis*, adiungit, *Numquid de bobus cura eſt Deo?* 1. Corinth. 9. Vbi non facilis voluitur quæſtio, quonam modo poteſt verificari Deum de bobus curam non habere, qui pullis coruorum impendit annonam? Scio à Hieronymo de Euãgelicis operariis Deuteron. locum exponi, quibus præcipuè Deus dignatur prouidere: Attamen crediderim in præſenti non tam de brutis Deum curam agere, queis equidem non tam triticum in area, quàm in agro fœnum opus erat præparare: quàm de hominibus bruteſcentibus ex fœno voluptatum ad humanitatem appoſito in præſepio Bethleemitico panis domo frumento redituris. Confirmat D. Athanaſius ad illud Matth. 21. *Ite in caſtellum*, fatus, *Fortaſſe ob iſtum pullum Ieſus in præſepio reclinatus fuit; alioquin veriſimile non eſt, Ioſephum virum nobilem, de ſtirpe regia oriundum, qui filius Dauidis appellatus eſt, locum in diuerſorio, aut alibi mãſionem obtinere non potuiſſe. An non diuina diſpenſationis erat, quod tunc agebatur?* Annon Domino tunc de myſticis cura animantibus, qui vt boues, onagrôſque in homines redderet, ad præſepium deſcendere dignatur?

*De ſpiritualibus bobus curat Deus.*
1\. Cor. 9.
Athanaſ.

63\. Proh Ieſu munificentia! qui non iam effectus panis ad præſepium accurrit, ſed fœnum efficitur, vt homo cuius *caro fœnum*, vti Propheta, cuius vti flos fœni voluptates, qui quidem fœno fuerat addicendus, ad Ieſum, fœni inſtar, in præſepio appoſitum pranſurus accedens, viuifico pane reficiatur, in ſanctum iam animans immutatus, imò Chriſti frumentum effectus. D. Gregor. homil. 8. in Euang. *Quia per Prophetam dicitur, Omnis caro fœnum, factus* Filius Dei *homo fœnum noſtrum vertit in frumentum, qui de ſemetipſo ait, Niſi granum frumenti, &c. Vnde natus, in præſepio reclinatur, vt fideles omnes, videlicet animalia carnis ſuæ frumento reficeret.*

*Fœnũ Deus efficitur nobis, vt à voluptatũ fœno abſtineamus.*
Gregor.

64\. Iam cum Iobo inclamo, *Nunquid rugiet onager, cùm habuerit herbam, aut mugiet bos, cùm ante præſepe plenũ ſteterit?* c. 6. Plenũne herbâ, an pane? Fœno, an Angelico cibo? Profectò ſub herbæ, ſub fœni ſpecie verus panis in præſepio apponitur, vt omnis caro fœno exuta, verus panis efficiatur. D. Gregor. 7. Moral. cap. 4. quærit, cur Dominus in præſepio reclinatur? Et reſpondet: *Quia per Prophetam dicitur, Omnis caro fœnum, vniuerſitatis conditor ex noſtra ſubſtantia carnem ſumens, fœnum fieri voluit, ne noſtra in perpetuum caro fœnum remaneret. Hanc ergo herbam onager inuenit, bos vacuum præſepe non habuit. Vnde & natus Dominus in præſepio ponitur, vt ſignificaretur, quia animalia, quæ ieiuna diu apud legem inuenta ſunt, incarnationis fœno ſatiarentur. Præſepe enim natus impleuit qui cibum ſemetipſum mentibus mortalium*, vt brutalitatem exuant, *præbuit, dicens, Qui comedit carnem meam, & bibit meum ſanguinem, in me manet, &c.*

*Fœno carnis Dominicæ ſaginamur, vt mutemur in Chriſtum.*
Iob. 6.
Gregor.

Irrationales ergo ob crimina effecti, accurrite, Verbum iacet in præſepio: *Ratio* ſub fœni ſpecie (ſic Græcè verbum) obiicitur abſumenda, vt de rationali cibo ratione præditi aſſurgatis. Heſych. orat. 2. *Libens reconditur Chriſtus in præſepio, vt qui ſunt pecuini accurrant, & reperiant Verbum ſiue Rationem in præſepio conſtitutam, vt ex eo recipiant dignitatem rationalem.* D. Bernard. Serm. 3. de Circumciſ. *Dominus panis eſt viuus, de quo viuere debuit homo. Sed quia homo iumentum factus eſt, & panis factus eſt fœnum, vt vel ſic viuat de eo.* Et adiicit: *Nolite fieri ſicut equus & mulus, ſed ſicut pium iumentum, qui ait, Vt iumentum factus ſum apud te. Pſalm. 72. Talia enim iumenta cognoſcunt poſſeſſorem ſuum, & præſepe Domini ſui, in quo poſitum eſt fœnum ipſe, qui panis eſt Angelorum.* Hactenus Doctor. Proh panis Euchariſtici efficacia, bruta mutans in homines, homines autem Angelos efficiens, hos conuertens in Deum! 65.

*Rationales efficimur cibo intellectuali refecti.*
Heſych.
Bernard.

# OBSERVATIO VII.

Ad illa verba:

*Cùm eſſent ibi.*

## A pueritia ediſce cum Ieſu in via nato, effecto viâ quidquid vir, aut ſenex præſtare velis.

*Vbi de virtute à cunabulis.*

ILLAM pende particulam: *Cùm eſſent ibi.* Id eſt, in via, quæ ducit Bethleem, Infans exoritur. Stabulum enim ante veſtibulum Ciuitatis. Vnde in via natum Ieſum Patres affirmant. Cur in via? Beda reſpondet: *In via naſcitur, qui factus eſt via, quâ ad Patriam adduceremur.* Iam vir Dominus ait, *Ego ſum via.* Ergo qui factus vir, hominum via futurus eſt, naſcatur in via. Eâdem enim viâ definit plerumque quâ iter infans arripit. 66.

*Natus in via Ieſus, via effectus hominum.*
Beda.

Moyſe ad promiſſæ terræ conſpectum occumbente Ioſue populum ducturus in Patriam eligitur. Exod. vlt. Cur ita? Myſticè reſpondeo quæſtioni. Moyſes extrà cæleſtem viam, apud Ægyptum videlicet, infans educatur, extra viam ſenex obit. At Ioſue in Tabernaculo eruditus, intra viam cæleſtem educatus, in via cæleſti, terrâ ſcilicet promiſsâ, viuit & moritur. D. Ambroſius l. 2. Offic. cap. 2. rem illuſtrat: *Nec exibat Ioſue de Tabernaculo iuuenis, meritò vir huiuſmodi euaſit: vt, quod Moyſi negatum eſt, ſolus eligeretur, vt populum introduceret in terram promiſſam.* Nec enim ille viam deſeruit infantiæ. 67.

*Moyſes extra viam natus, extra viam moritur, ſecus Ioſue.*
Exod. vlt.
Ambroſ.

Prædicens Ieremias Heremiticæ fortaſſis turbę ſilentium mirabile, haud imitabilis cultum ſolitudinis, ait: *Sedebit ſolitarius & tacebit.* Quiſnam poterit tantum pondus huiuſce iugi ſuſtinere? *Et leuabit ſuprà ſe.* Thren. 3. Ac ſi diceret, ideò tantùm ſuſtinet onus, qui leuabit ſupra ſeſe iugum ab adoleſcentia, ab infantia, iuxta illud: *Bonum eſt viro, cùm portauerit iugum ab adoleſcentia ſua.* 68.

*Vir iugum portat, quod ab infantia portare didicit.*
Thren. 3.

Neque

Google

Neque enim ſemel ad tuas peruenit aures iuuencum à quodam ſolitum aſportari, donec bos facili negotio, conſuetudinis beneficio, aſportaretur. Cyprian. Vnde D. Cyprianus tract. 2. de hab vir. *Diſciplina eſt dux itineris ſalutaris.* Quia in ſalutari itinere requieſcit, qui puer viæ ſe offert ſalutari.

69. *Vir Iacob praualet ad Angelũ: infans præualet ad Eſau in. Geneſ. 32.* Apud viam Patriarcha Iacob robore potens ad Angelum dicitur præualuiſſe. Gen. 32. O robur viri Angelicæ poteſtati formidandum! Quænam te militaris diſciplina potentiſſimum, ſtrenuiſſimúmque militem conſtituit in via commorantem? Profectò puer è matris vtero primos per viam dirigens greſſus, fratrem ſupplantator debellauit. Confirmationis loco dabo Oſæam fantem: Oſeæ 12. *In vtero ſupplantauit fratrem ſuum; & in fortitudine ſuâ directus eſt cum Angelo, & inualuit.* Cap. 12. Quaſi ex via natiuitatis vires collegiſſet, vt Angelum in via ſuperaret. Prou. 22. Quia ſcilicet *Adoleſcens iuxtà viam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea.* Prouerb. 29.

70. *Quâ viâ incipis, deſinis. Gen. 28. Alcaſ. ad 1. Apoc.* Dum fugeret idem Patriarcha, ſcalam vidit è terra in cælum tendentem viam Chriſticolis futuram: *Et Dominum innixum ſcalæ.* Geneſ. 28. Meus ſapientiſſimus Magiſter Aloiſius de Alcaſar Deum aſſerit ſub ſcalæ initio à terra conſtitui ipſam fulciens ſcalam. Communiter autem Doctores affirmant ſupremum ſcalæ gradum à ſupremo Numine occupari. Affirmarim profectò tam ſcalæ viæ cæleſtis initium, quàm finem eiuſdem Dei præſentiâ condecorari, hoc myſterio: Qui puer Regni cæleſtis iter conſtituit duce Deo, eodem perducente, imò ſuſcipiente, viæ finem ſenex pertinget.

71. *Cain malè adoleſcentulus nũquam receſſit à pueritia. Gen. 4.* Pueriliter Cain viam inſtituit, quam nullatenus poſtmodum commutauit. Lamech ſic: *Quoniam occidi virum in vulnus meum, & adoleſcentulum in liuorem meum.* Gen. 4. Et quiſnam à Lamech fuerit interemptus? Rupertus apprimè reſpondet: *Scilicet Cain, qui vir pariter & adoleſcentulus poteſt vocari: vir quidem per ætatem; adoleſcentulus per ſtultitiam,* ſiue crimina. Stultus adoleſcentulus fuit Cain? Vir igitur ſtultitiâ pergrauatur. Vnde eiuſdem viæ inſtitutum retinens appoſitè adoleſcentulus vocitatur. Rupert.

72. *Ioſeph puer ſapiens, ſemper ſapiens puer. Gen. 37.* Sunt, qui infantes cùm ſint, ſenili ſapientiâ pollẽt, à qua viri minimè recedũt. *Ioſeph cùm ſedecim eſſet annorum paſcebat gregem cum fratribus ſuis adhuc puer.* Gen. 37. Num puer adhuc ſicuti Cain adoleſcentulus, quia nunquam nõ inſipiens? Profectò cùm Ioſeph *ſedecim eſſet annorum*, adoleſcẽtiam iam inſtituerat à pueritiæ cunabulis egreſſus. At puer adhuc annotatur, quia ſapientiam infantiæ cuſtodiebat. *Iſrael autem diligebat Ioſeph ſuper omnes fratres ſuos, eò quòd in ſenectute ſuâ genuiſſet eum.* Ibid. Vbi Lipomanus, *In Chaldæo habetur,* Lipom. *Iſrael diligebat Ioſeph plus quàm omnes filios ſuos, quoniam filius ſapiens erat ei.* Chryſoſtomus & Chryſoſt. Theod. Theodoretus conteſtantur. Infans erat ſapiens? Adoleſcens puer ſapiens erit. Quid mirum poſteà virum à Pharaone è carcere eductum, vt ſenes Ægyptios prudentiam edoceret?

73. *Viris corrũpentibus viã ſuam parcit Deus; quia ab adoleſcentia ſtuduerãt corruptioni. Gen. 8. Chryſoſt.* Obruendum Orbem Dominus aſſerit, quia *omnis caro corruperat viam ſuam.* Attamen poſt diluuium rurſum inclamat: *Nequaquam vltrà maledicam terræ propter homines. Senſus enim & cogitatio hominis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua.* Gen. 8. Ac ſi diceret, licèt hominum via corrupta ſit, ſuſtinebo; quia proni ad viam corrumpendam ab infantia. Si prauæ inſident à pueritia viæ; quid mirum eos eidem adhæſiſſe? Chryſoſtomus: *Rara profectò miſericordiæ ſpes.* Eis parco, quia ſi à pueritia viam corrupêre, quonam modo poſſent à corrupto itinere recedere? Hac exaggeratione innuitur quàm difficile adoleſcentulus iuxta viam ſuam improbitati ſtudens, ab ea ſemoueatur.

# SECTIO QVARTA.

# APVD PASTORES ANGELVS.

## *TEXTVS.*

*Verſ* 8. Et Paſtores erant in regione eâdem vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum. 9. Et ecce Angelus Domini ſtetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulſit illos, & timuerũt timore magno. 10. Et dixit illis Angelus: Nolite timere, ecce euãgelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: 11. quia natus eſt vobis hodie Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus in ciuitate Dauid. 12. Et hoc vobis ſignum; Inuenietis Infantem pannis inuolutum, & poſitum in præſepio.

## *COMMENTARIVS LITERALIS.*

### §. I.

### *Paſtorum vigiliæ.*

1. *Quot Paſtores.* ET *Paſtores erant.*] Statim ac natus eſt Chriſtus homo, voluit hominibus innoteſcere, Deus creaturis reuelari, Paſtor paſtoribus apparere. Quoſdam teſtes ſuæ natiuitatis adhiberi curauit, vt fides adſtrueretur; non autem plurimis, ne eius notitia ad Herodem poſtmodum perueniret. Quod ſi requiras, quot hi fuerint Paſtores? Sic Beda reſpondet lib. de locis Beda. cap. 8.

Beda. cap. 8. *Ad Orientem in turre gregis mille paſſus à Bethleem ciuitate ſegregata eſt Eccleſia trium Paſtorum, diuinæ natiuitatis conſciorum monumenta continens.* Et Haymo: *Diſtat turris gregis vno milliario à Bethleem, in qua etiam hodie trium Paſtorũ corpora requieſcunt.* Vbi non affirmatur plures non fuiſſe, ſed ſolummodo trium inibi corpora requieſcere. Attamen indè colligo ſaltem tres fuiſſe queis præcipuè Angelus apparuit, licèt poſteà hi alios ad præſtandum Puero obſequium inuitarint.

2. *Turris Eder Paſtorũ domicilium.* Hieron. *In regione eadem.* ]Id eſt, iuxta turrim quandam inter Bethleem & Ieroſolymam ſitam, de qua vnũ Hieronymum, è quo reliqui tranſcripsêre, audite. Expendens enim in tradit. Hebr. locum illum Geneſ. 35. *Profectus eſt Iſrael, & extendit tabernaculum ſuum trans turrim Eder*, ait: *Hunc locum Hebræi eſſe volunt, vbi poſtea templum ædificatum eſt, & turrim Eder turrim gregis ſignificare, hoc eſt, congregationis, & cœtus, quod & Michæas teſtatur, dicens: Et tu turris gregis nebuloſa filia Sion, illôq; tempore Iacob trans locum, vbi templum ædificatum eſt, habuiſſe tentoria. Sed ſi ſequamur ordinem via paſtorum, iuxta Bethleem locus eſt, vbi vel Angelorũ grex in ortu Domini cecinit, vel Iacob pecora ſua pauit, loco nomen imponens, vel quod verius eſt, quodã vaticinio futurum iam tũc myſterium monſtrabitur.* Exiſtimarim tamen *turrim gregis* Eder appellatã, quòd eo loci fuiſſet extructa, vbi paſtores pecora paſcere ſolerent. Abul. ſic ad Gen. 35. *Locus qui*

Abulenſ. *dicitur, Turris gregis, eſt apud Bethleem. Erat enim ibi aliqua turris, apud quam paſtores manebant, & ibi, nato Chriſto, apparuit Angelus paſtoribus,*

3. *Vigilia.* *Vigilantes.* ] Græcè ἀγραυλοῦντες, *In agro pernoctantes.* Theoph. *In agro canentes.* Euthym. *In agro tibiâ canentes.* Tolet. *In agro ſtabulantes*, ſeu ſub dio cubantes, ac pernoctantes. Vt ſcilicet nunc etiam paſtores calidis in regionibus, aut temperatis ſolent præſtare.

4. *Cuſtodia.* *Et cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuũ.* ] Græcè, τὰς φυλακὰς τ̃ νυκτὸς, *cuſtodias noctis.* Quatuor hi noctis vigilias ſuo in ordine agebãt; diuiſa enim nox in quatuor vigilias, ſeu cuſtodias, quarũ ſingulæ ternas horas habebãt, nocte in duodecim horas diuiſâ. Vicariam igitur hi Paſtores cuſtodiam gerebant, vno alternatim vigilante, altero quieſcente, vti grex perfectiùs cuſtodiretur.

*Vndenã Vigilia emanarint.* Vndenam requiris, huiuſmodi paſtoribus vigiliarum mos emanarit? Auctor Hiſt. Schol. ſcribit antiquos in vtroque ſolſtitio vigilias noctis ſolitos ob Solis venerationem cuſtodire, eúmque morem ad Iudæos permanaſſe. Potiùs crediderim cum Toleto à militari id diſciplinâ ortum duxiſſe. Diuiſa enim apud milites nox in quatuor interualla, vt qui totâ nocte humanitati debitor vigilare non poterat, particulæ cuſtos faciliùs præficeretur.

## §. II.

### *Cur Paſtoribus Ieſu Natiuitas reuelatur?*

5. *Quare Paſtoribus reuelatur Ieſu natiuitas?* *Prima cauſa.* NVm ſubiit in mentem aliquando veſtigare, quaſnam ob cauſas Dominus non Iudæorum Primoribus, ſed Paſtoribus ſuam natiuitatem voluerit anuuntiari? Semper equidem mihi compertum, id à libera, ac ſpontaneâ Dei voluntate, quia ſic ei placitum, ortum habuiſſe. Attamẽ cauſas inferiores excogitans, primam aſſigno, paſtorũ ſimplicitatem. D. Cypr. ſerm. de Nat. *Electa adeſt perſonarum ſimplicium humilium ſimplicitas, vt poneretur regula, & indiſſolubilis daretur forma, quod nõ niſi pauperibus ſpiritu Chriſti, pateret humanitas, nec ſuperbos ad intuitum ſui poſſet admittere veritas.* Conteſtatur Ambr. ſerm. 13. *Non mirandũ eſt, ſi Chriſti gratiam antè ſcire meruerit innocentia, quàm poteſtas; & priùs cognoſcere veritatẽ ſimplex ruſticatio, quàm ſuperba dominatio. Quod enim cognouerunt paſtores, Principes cognoſcere nequiuerũt.* Cyprian. Ambroſ.

6. Secundam reddo, quia paſtores veterem illum viuendi modum Patriarcharum, qui Deo dilecti fuerant, apprehenderant D. Cypr. citat. *Huiuſmodi officium ab initio auctoritatem obtinuit, & Abel paſtor munera de gregibus ouium obtulit, quæ in eo, quod cælitùs inflammari viſa sũt, quòd grata eſſent Deo, cunctis innotuit. Paſtores Abraham, Iſaac, & Iacob, viri Deo familiares. Paſtores Patriarchæ duodecim. Paſtor ipſe Moyſes, qui in eremi receſſu, dum ſequitur pecudes, in rubo conſpicit Deum, & poteſtate ſignorum collatâ, populi recipit principatum* Ideò Euthym ait, Paſtores hîc in teſtes ſuorum myſteriorum aſſumuntur. Secunda. Cyprian.

7. Tertiam exhibeo ex ſignificatione. Chriſtus enim Paſtor erat populorum. *Ego ſum Paſtor bonus.* Ioan. 10. *Conuerſi eſtis nunc ad Paſtorem, & Epiſcopum animarum veſtrarum.* 1. Pet. 2. Sic cecinit Sedulius, Tertia. Sedul.

*Tunc primùs ignaris paſtoribus ipſe Creator*
*Emicuit, quia Paſtor erat.*

Eccleſiâ concinente,

*Palámq; fit paſtoribus Paſtor creator omnium.*

8. Quartam adiicio ex Euthymio aſſerente id effectum, *ad ſignificandum paſtoribus rationalium ouium diuina myſteria primùm ante alios reuelari; per illos enim populi doctrinam recipiunt.* Confirmat Origenes. Quarta. Euthym.

9. Quintam denique adhibeo ex Auguſtino, (ſi libri de mirab. ſacr. Script. eſt auctor) Cùm Chriſtus Agnus eſſet in mundi ſalutem offerendus, de quo Ioan. 1. Ecce Agnus Dei. Cõuenienter paſtoribus primus apparet. *Erat enim, ait, Chriſtus Agnus & Paſtor, idcircò & paſtoribus vt Paſtor apparet, & vt Agnus apud greges.* Quinta. Auguſt.

10. Hinc exoritur quæſtio, cur inter Iudæos paſtoribus, inter gentes verò Regibus primùm annuntiatur? Reſpondeo cum Toleto his primitiis Iudæorum & gentium eſſe indicatum, quales futuri illi, qui Chriſto erant credituri. Iudæorum enim Principibus incredulis, turba hæret Saluatori; Gentilium autem Reges fidei præſtant obſequium, Iſaiâ præfante, *Ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui.* Cap. 6. *Quæſtio ſoluitur.* Iſa 60.

## §. III.

### *Angeli apparitio.*

11. *Particula Ecce.* ET *ecce.* ] Particula *Ecce* hîc rem ſubitam, & inopinatam indicat; nihil enim minus illi expectabant, aut cogitabant, quàm aduentus Chriſti reuelationem.

12. *Gabriel apparuit.* Cyprian. Ambroſ. *Angelus Domini.* ] Gabriel ſcilicet, qui Zachariæ, ac Virgini apparuerat. D. Cyprian. orat. de Nat. de paſtoribus loquutus ait: *Veniunt in Bethleem, quam prædixit Gabriel* Et D. Ambr. *Angelus Mariam, Angelus Ioſeph, Angelus Paſtores edocet, non ſatis eſt ſemel miſſum eſſe, duobus enim vel tribus teſtibus ſtat omne verbũ.* Ex eo quod inquit, nõ

*ſemel*

*ſemel miſſum*, eundem Angelum indicat & Ioſepho,& Virgini,& paſtoribus appatuiſſe. Miſſum autem ad Virginem Gabrielem expreſsè aſſerit Lucas. Nec repugnat quod adiicitur: *In ore duorum, &c.* Voluiſſe enim reor Patrem Apoſtolum imitari,ſantem, *Tertiò venio ad vos; in ore duorum vel trium ſtat omne verbum*,id eſt, in vno mei tertiò aduentantis teſtimonio. 2.Cor.13.Conteſtatur Haymo,nec Chryſoſt.repugnat.

13. *Lectionis varietas.* *Stetit iuxta illos.* ] Verbum Græcum ἐπέστη quidam vertunt, *Superaſtitit*, quaſi Angelus è cælo ſuperuenerit,& ſupra paſtores ſublimis conſtiterit. Ambroſ. *Stetit ante illos.* Græca equidem præpoſitio ἐπὶ omnes haſce complectitur ſignificationes. Attamen accommodatiùs Vulgatus noſter, *Stetit, ſeu aſtitit iuxta illos*, allocutus namq; Angelus eſt paſtores ſicut homo hominem alloquitur, idcircò propè illos rectè dicitur aſtitiſſe, vti ſimul habitu,ac more,innuat Ieſum apud terticolas commorari.

14. *De claritate Dei.* *Et claritas Dei circumfulſit illos.* Græcè δόξα *Claritas* multipliciter accipitur; Gloria,Maieſtas, Splendor,Fulgor, diuerſis in locis vocitatur. In præſenti pro *Splendore* accipitur. Apparuit itaque Angelus ſplendenti,ac fulgēti corpore, omnîque ex parte ſplendor paſtores circumdedit,qui & noctis tenebras diſcutiebat, & Angelo apud eos, queis Saluatoris annunciabatur aduentus, fidem conciliabat, ac naſcentis Chriſti indicabat maieſtatem. Obſeruat Beda nunquam in veteri Teſtamento legi Angelum anteà fulgentem apparuiſſe,vt exorto Iuſtitiæ Sole, Angeli tanquam Solares radij lucidi ac fulgentes oſtentarentur. *Cum Chriſtus*,ille adiicit, *mundum gloriâ noua natiuitatis illuſtrare dignatus eſt, decebat omnimodè, vt ipſam etiam,in qua natus eſt, regionem claritas lucis noua compleret.*

Beda.

15. *De luminis huiuſce vi.* Tanta equidem huiuſce lucis vis,vt D.Bernardus noctem aſſerat mutatam in diem. *Nox*, ait ſerm.4. *vti dies illuminata eſt, cùm intempeſta noctis horâ paſtores circumfulſit lux noua de cælo.* Et D. Ambroſ. affirmet Solem propero curſu horas inuertentem, feſtinaſſe. *Oriente*,inquit ſerm.16. *Saluatore,non ſolùm humani generis ſalus,ſed etiam Solis ipſius claritas innouatur. Recedit ante tempus à moriente,ad exorientē accedit. Et ſi Iudæis mortē operantibus offundit tenebras, cur nō Maria parturiēti vitā,exhibeat claritatem? Et quare non credamus,quod naſcente Chriſto,Sol ad obſequiū lucidior aduenerit, cùm Magos ad indicium clarior Stella præceſſerit. Et ſi Stella per diem alieni temporis officium miniſtrauit,cur non credamus quod Sol quoque nocturnis horis aliquantulum aduentu maturiore decerpſerit? Ex eo denique factum puto, vt nox decreſceret, dum Sol feſtinus ob Dominicæ natiuitatis obſequiū antè lucem mundo protulit,quàm nox curſum ſui temporis conſummaret. Quin potius ipſam noctem fuiſſe,non dico,nec aliquid obſcuritatis habuiſſe,in qua paſtores vigilant, exultant Angeli,aſtra deſeruiunt. Si Sol ad Ieſu Naue orationem defixus,ſtetit in die,cur non ad Chriſti natiuitatem feſtinus promoueret in noctem?* Sic & eleganter Doctor.

Bernard. Ambroſ.

16. *Paſtorum timor.* *Et timuerunt timore magno.* ] Maieſtas enim Angeli, inſolitus fulgor timorem paſtoribus incuſſit. Hebraiſmus frequens, *Timore magno timuerunt*,id eſt,timuerunt vehementer. Num alicuius excogitatio mali huiuſce extitit cauſa timoris? Minimè,ſed humana ex infirmitate habuit exortum.

## §. IV.

### *Gabrielis proloquium.*

*Et dixit illis Angelus: Nolite timere.* ] Qui præſentiâ ſuâ timorem incuſſit, verbo remouere curauit,vt tranquillo animo euulgandū myſterium perciperent;nec enim turbatus animus, in morem aquæ; agitatus paſſionibus facilè ſpiritualia,ac cæleſtia apprehendit. Haud itaque timore corripiamini. 17. *Timor abigatur.*

*Ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum.*] Nuncium affero, quod gaudij magni materiam exhibebit. Vſus aptè verbo εὐαγγελίζομαι, *euangelizo*, quod bona nuntiare ſignificat, vt reipsâ læta nuntiaret, & Euangelio Chriſti inchoando quodammodo operam impenderet. *Vobis*, inquit, *euāgelizo*, quòd ſingularis beneficij erat,eo maximè, cùm illi eſſent paſtores,& in ciuitate,cui gaudium commune, nobilioris conditionis multi relicti, queis non fuit gaudium huiuſmodi annuntiatum. 18. *Gaudiū magnum Paſtoribus.*

*Quod erit omni populo.* ] Num populi nomine Iudæos tantùm intelligat, non Gentiles? Beda populum vtrumq; complectitur, quia Chriſtus Iudæis & Gentilibus ſalutē contulit,in eo gentibus omnibus benedicendis. Exiſtimo tamen hoc loci populum Iudaicum ab Angelo intelligi,tū vt Angelus ſeſe paſtorum intelligentię accommodaret, tum quia de corporali Chriſti præſentiâ loquebatur,tum etiam quia gentium ſalus,& ad Euangelium vocatio ad populi Iſraëlitici gaudium pertinebat iuxta illud, *Tunc videbis & afflues,& dilatabitur cor tuum, quando conuerſa fuerit ad te multitudo maris,&c.* Iſai.60. Gaudium igitur hoc omni populo,id eſt,cunctis ciuitatibus credentis Iſrael, cui Chriſtus ſuam præſentiam corporalem exhibuit. *Omni populo*, Haym. *ſubaudi credenti.* Theophyl. *Gaudium futurum omni populo, qui propriè populus Dei; non enim omnes Iudæi populus Dei*: cùm multi extiterint, qui vitio ſuo, de Meſſiæ natalitio gaudio non fuerint affecti. 19. *Omni populo.* Iſa.60. Haym. Theoph.

*Quia natus eſt vobis hodie Saluator.* ]Nihil lætius eſſe poteſt,quàm nuncium ſalutis, & Saluatoris aduentus,eo præcipuè tempore,quo pericula imminent,graſſantur vndique infirmitates. *Vobis* natus,id eſt,pro ſalute veſtra. Ad Iudæos equidem hæc particula pertinet,ſed maiorem vim habet erga ipſos paſtores, queis primis Dominicus nuntiabatur aduentus. *Natus eſt* homo eiuſdem particeps naturæ effectus,veſtrâ ſuprà Angelicam ſublimatâ naturâ. *Hodie* exortus,recens vtique natalitium,vti rei nouitas gaudij magnitudini materiam augeret. 20. *Lætitia cumulo.*

*Qui eſt Chriſtus Dominus.* ]Num Ioſue Saluator populi ruſum exſurgit? Minimè, ſed verus ille Meſſias expectatus, quem Dominum appellat,vt non hominem purum,ſed Deum etiam eſſe ſignificet. 21. *Saluator Chriſtus.*

*In ciuitate Dauid.* ]Siue in Bethleem, Angelo locum natiuitatis diligenter adnotante propter Michææ vaticinium, & vt de fructu ventris Dauidici ſuper ſedem præpoſitum hominibus,Chriſtum innueret. 22. *Ciuitas Dauid.*

*Et hoc vobis ſignū: Inuenietis Infantem pannis inuolutum,& poſitum in præſepio.* ]Signū duplex adnoto;vnum cognitionis,ſeu diſtinctionis, probationis alterum;illo vtimur ad rem diſcernēdam,& 23.

*Duplex ſignum, quo ſententiæ ſuæ veritatem Angelus confirmat.* cognoſcendam, hoc ad aſſentiendum,& credendum iis, quæ dicta ſunt. De priori apud Matth. *Quod ſignum aduentus tui?* Cap.24. de poſteriori apud Ioan. *Niſi ſigna videritis, non creditis.* Cap. 4. Num primo modo Angeli ſignum, an ſecundo ſit intelligendum? Beda de ſigno diſtinctionis & agnitionis intelligit. Beda. *Notandum, ait, ſolertius, quod ſignum nati Saluatoris datur; non Tyrio exceptum oſtro, ſed pannis ſqualentibus inuolutum, non in ornatis auro ſtratoriis, ſed in præſepibus inueniendum.* Approbat D. Bernard. Serm. 4. de Nat. fatus, Bernard. *Neque enim ſine certi: narratione myſterij Saluator pannis obuoluitur, & ponitur in præſepio, quando id manifeſtè in ſignum nobis commendatur ab Angelo. In ſignum poſiti ſunt panni tui Domine Ieſu, ſed in ſignum, cui à multis vſque hodie contradicitur. Agnoſco certè, agnoſco Ieſum magnum ſordidis opertum veſtibus:* Euthymius autem Signum modo poſteriori interpretatur. Euthym. *Signum.* inquit, hoc vobis argumentum, quo verum dicam. Quâ ratione pannis obuolui, & in præſepio apponi, argumentum ſit veritatis Angelicæ, non exponit Doctor. Attamen ſic Cyprianus ſerm. de Natiuit: Cyprian. *Hunc in cunabulis adorauerunt Paſtores, & paruulum confitentes Deum ſimpliciter argumento, ſi in ſpiritu & veritate; quem adorauerunt, nouerunt. Fuerat enim miraculum, quòd auditi Angeli, & conſpecti; quòd ab ipſis fuerant edocti, & inſtructi Paſtores.* Vbi inter miracula narrat Angelum Paſtoribus prænunciaſſe, quæ futura illis erant, nempe inuenturos eos Infantem pannis illigatum, & in præſepio appoſitum. Si igitur miraculum fuit hæc prædici ab Angelo, conſtat hoc ſignum modo poſteriori accipi debere, miracula enim, queis homo ad fidem inducitur, ſigna dicuntur, ſeu quædam argumenta veritatem confirmantia.

Angelus igitur ſignum quo Paſtores agnoſcant natum Chriſtum, & diſcernant, exhibet. 24. *Loci expoſitio.* Quem infantem, inquit, inueneritis inuolutum pannis, & in præſepio poſitum, ipſe eſt Chriſtus Dominus. Nec tamen ſignum hoc (vt vtramque approbem ſententiam) agnitionis & diſcretionis eſt ſolùm, ſed & probationis, ſeu argumentum, quo Angelus ſe vera narrare comprobat. Simile quoddam argumentum Sauli Samuel ſententiæ ſuæ veritatem confirmans exhibuiſſe recordor: *Cùm abieris*, inquit, *hodie à me, inuenies duos viros iuxta ſepulchrum, &c.* 1. Reg. 2. 1. Reg. 1.

*In præſepio.* ] Quonam? Colligit non ineptè 25. Caietanus, præſepe illud fuiſſe notum Paſtoribus, *Quodnam præſepe?* Caietan. vnicum, ac commune per antonomaſiam *Præſepe* appellatum. Nam ſi peculiare eſſet, & ignotum, alio ſigno oporteret indicari. Attamen exiſtimo haud ſolido hanc ſententiam niti fundamento. Angeli enim verba nil aliud continent, quàm quod in præſepio Infantem poſitum inuenirent. Nemo autem *Præſepij* nomine illud, in quo Chriſtus aderat, intelligere poſſet, niſi vnum ſolummodo in Bethleem eſſet, quod gratis affirmaretur, quemadmodum & per antonomaſiam ſic appellari; nec enim Virgo ad celebre præſepium, quod tunc animalium multitudine neceſſariò oppleretur, ſe reciperet paritura. Vnde affirmo Paſtores ab Angelo edoctos veritatem, ipſius inuiſibili ductu ad præſepium, in quo aderat Infans, perueniſſe. Fauet D. Cyprian. citat. Cypr. *Paſtores*, ait, *illâ amplius mente*, quàm oculis carnalibus illuminati ad conſpiciendum Emanuelem feſtinant, & edocti intùs inuiſibili magiſterio *Spiritus ſancti, quem paruulum vident, confitentur immenſum, & pia ei deuotionis affectum præſentant.*

---

## IN IESVM NATVM,

# Panegyricus IV. Moralis circa Literam:

## EX ANGELO APVD PASTORES.

### *OBSERVATIO I.*

Ad illa verba:

*Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quia natus eſt vobis hodie Saluator.*

Præcipuè Paſtoribus natum Ieſum Angelus euulgat.

*Quia à mundo deſpecti, & paruuli ſpecialis affectus ſinu à Domino excipiuntur.*

26. VOBIS, inquit Angelus, *euangelizo.* Licet enim Chriſtus nobis omnibus paruulus natus, filius datus, ſpeciatim Paſtoribus prædicatur exortus, vt innuat, quàm adſit paratus Dominus agricolis, reliquiſque terræ duro opere grauatis ſubleuandis. Caietanus: Caietan. *Vobis non Pontificibus, non Sacerdotibus, non Scribis, non Phariſæis, non Optimatibus. Vt hinc percipiamus, quàm chari ſint Deo viliſſimi homines, vtpote ad quos dirigit Angelos, quibus primùm manifeſtat myſterium nati filij.*

CAPVT

## CAPVT I.

### *Paſtoribus naſcitur.*

26. *Paſtor Iſrael Paſtoribus ſpeciatim oſtenditur.* Pſalm. 79. Caietan.

QVàm felix Paſtor, quàm ſpeciali curâ Dominus eum ſuo intendit leuare, ac lætificare natalitio! Audite Dauidem dulciſſimè canentem: *Qui regis Iſraël, intende, qui deducis velut ouem Ioſeph, qui ſedes ſuper Cherubim, manifeſtare.* Pſalmô ſeptuageſimo nono. Vbi Caietanus affirmat hiſce verbis, *Qui ſedes ſuper Cherubim*, qui quidem faciem vituli præferebant, innui Sancti ſanctorum thronum, vbi duo Cherubini ſedem viſibilem inuiſibilis Dei oſtentabant. Efflagitat ergo Vates, vt qui Cherubinorum viſibilem ſedem inuiſibilis occupat, non ſupra Cherubim, ſed iuxta duo animantia, bouem ſcilicet, & aſinum appareat, vt in medio duorum animalium viſibilis agnoſcatur. Iam requiro, quânam validâ Dauid ratione obiectâ Deum curarit ad manifeſtationem allicere? *Qui regis Iſrael intende, qui deducis velut ouem Ioſeph.* Hebraicè, רֹעֵה יִשְׂרָאֵל *Paſcens Iſrael*, aliter *Paſtor Iſrael.* Caietanus, *Et eſt hoc in loco Iſrael nomen proprium non populi, ſed Patriarchæ illius, qui fuit pater duodecim filiorum.* Vti ſcilicet ob Iacob, duodecimque filiorum eius gratiam Deus Paſtor intendat, vt manifeſtetur. Quinam autem Iacob ac filij eius Patriarchæ duodecim? Reſpondet Diuus Cyprianus oratione de Natiuitate, *Paſtor Iacob, Paſtores Patriarchæ duodecim.* Ideò Paſtor creator omnium palàm fit Paſtoribus, viſibilis non iam in medio Cherubinorum, ſed in medio duorum animalium cognoſcitur. Pulchrè perficit Cardinalis argumentum. *Petiturus*, (adiicit) *vt reducat populum deuaſtatum illuſtratione vultus ſui, congruè inchoat à paſtorali cura*, iam ipſos velut oues regendo, iam regendi gregem exhibendo documentum. Paſtor omnium Paſtoribus iam viſibilis reueletur.

Cyprian.

28. *Naſcitur Moyſes Ieſu typus, cùm Paſtores perſecutione afficiuntur.* Gen. 46.

Moyſes futurus Hebræorum ſaluator exoritur, in ſcirpea ſcapha veluti præſepio collocatur. Exodi capite primo. Et quonam tempore natus ille, qui Meſſiæ præſignabat aduentum? Eo prorſus, quo Paſtores Iſraelis acri perſecutione premebantur. *Deteſtabantur* enim *Ægyptij paſtores ouium.* Geneſis capite quadrageſimo ſexto. Tunc igitur Moyſes naſcitur, cùm paſtores premuntur, vt Saluatoris paſtoris veri, cuius Moyſi natalis figurabat exortum, ſpeciatim ſalutaris paſtoribus oſtenderetur. Diuus Chryſoſtomus homiliâ decimaſextâ in Act. *Hoc*, inquit, *mirabile, quod futurus præfectus non ante hoc, non poſt hoc tempus naſcitur, ſed in ipſo medio perſecutionis furore naſcitur.* Quando enim duodecim Paſtoris Iacob filij Paſtores, queis frater Ioſeph Paſtor indixit. *Dicite, quia paſtores ſumus*, ſeruiture premuntur, Paſtor Iſraelis egreditur oues Paſtores liberaturus.

Chryſoſt.

29. *Moyſi paſtori enixa Deipara apparet.*

Id quod aliter ex eodem Moyſe oſtendam. Rubus habitaculum ignis ſine læſione obiicitur, ſiue enixa Deipara coram nato Puero Ieſu conſeruatam præſentat puritatem, Eccleſiâ canente: *Rubum, quem viderat Moyſes incombuſtum, conſeruatam agnouimus tuam laudabilem virginitatem.* Cuinam igitur natiuitatis myſterium reſeratur? Annon Paſtori? *Moyſes paſcebat oues. Cùmque minaſſet gregem ad interiora deſerti, apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, & vidit, quòd rubus arderet, & non combureretur.* Exod. 3. Annon aptius Meſſiæ natalitium Regibus, Principibus, ſapientibúſque reuelaretur? Lyranus reſpondet: *Dominus Moyſi myſterium reuelauit, quia abſcondit talia à ſapientibus, & prudentibus, & reuelat ea paruulis.* Id quod aiebat Caietanus, *Euangelizo vobis gaudium magnum.* Angelus ait, *vobis, non Pontificibus, &c. vt percipiamus, quàm chari ſint Deo viliſſimi homines.*

Exod. 3. Caietan.

Num non Chriſtus omni populo, ſeu orbi naſcitur vniuerſo? Sic Angelus: *Euangelize vobis gaudium magnum, quod erit omni populo.* Si omni populo, Regibus, Sacerdotibus gaudium ex Ieſu natalitio futurum, cur Paſtoribus ſolis Cælicola apparet? Quia tam chari Deo Paſtores, vt quaſi ex ipſis in omnem populum exultationem velit profluere. Hinc Dominus Moyſi paſcenti: *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & ſciens dolorem eius, deſcendi, vt liberem eum.* Exod. 3. Omni populo Dominici aduentus gaudium indicitur, per Moyſem tamen Paſtorem chariſſimum ſibi miniſtratur. Vnde pulchrè Cyprian. citatus, quærens, cur Paſtoribus Ieſu Domini reuelatur præcipuè natalitium? reſpondet: *Quia Paſtor erat Moyſes, qui in eremi receſſu, dum ſequitur pecudes, in rubo conſpicit Deum.* Vti ſcilicet veritas adumbrationi reſponderet. Sicut igitur omnem in populum fructus Dominici per paſcentem Moyſem dilatatur aduentus; ſic è Paſtoribus gaudium totum ad populum diffunditur. 30. *Ex Paſtoribus in omnē populum redundat natiuitatis gloria.*

Exod. 3. Cyprian.

Quàm ad argumentum Vates! *Qui regis Iſrael, &c. manifeſtare coram Ephraim, Benjamin & Manaſſe, &c.* Pſalm. 79. Hebr. *Faciebus Ephraim, Benjamin, & Manaſſe ſuſcita fortitudinem tuam, & veni ad ſaluandum nos.* Porrò faciebus Ephraim, & Manaſſe Chriſtus apparuit, ſalutare etenim à Patre præparatum *ante faciem omnium populorum*, vti canebat Simeon, Luc. 2. Ephraim ſiquidem, *qui erit in populos, & multiplicabitur*, & Manaſſes qui *maior erit illo*, cuiúſque *ſemen creſcet in gentes.* Geneſ. 48. Principum totius vniuerſi gerunt perſonam. Attamen quare & Benjamin interpoſuit? Quia reuelatio illa Dominici aduentus omni populo, cunctis Principibus, adnotante Cypriano, per Paſtorem Patriarcham Benjamin fieri oportebat. 31. *Ob Benjamin Paſtorem.*

Gen. 48. Cyprian.

O fortunatos Paſtores, non quia agrorum fruimini amœnitate, canente Naſone, lib. 1. de Remed. 32. *Hinc paſtores fortunati.*

*Aſpice labentes iucundo murmure riuos,*
*Aſpice tondentes fertile gramen oues.*
*Ecce petunt rupes, præruptaque ſaxa capellæ,*
*Vt referant hædis vbera plena ſuis.*
*Paſtor inæquali modulatur arundine carmen,*
*Nec deſunt comites, ſedula turba canes.*

Inde vos felices admodum compellabo, quia Paſtorem Deum apud Bethleem agros adſpexiſtis. Deum Paſtorem? An putas indignum? Audi vel profanum Olympium Ecl. 2.

*Forſitan indignum ducis, quod ruſticus Alcon,*
*Te cupiam, qui manè boues in paſcua ducam.*
*Et pecorum pauêre greges, formoſus Apollo,*
*Pan doctus, Fauni vates, & pulcher Adonis.*

Deus igitur, quia *Paſtor, creator omnium, palàm* ſpeciali *fit* affectu *Paſtoribus.*

## Capvt II.

### *Agricolis exoritur.*

33. *Ex terra quaſi ex agricolarum opera oritur Chriſtus.* Iſa 45.

SED quia Paſtorum nomine Caietanus agricolas etiam complexus eſt, oſtendam Ieſum ſpecialiter ſimul ad ſubleuandos agricultores apparere. *Natus eſt vobis hodie Saluator.* O agricolæ tributo ſeruientes, in veſtrûm gratiam ſubleuaturus vos Chriſtus exoritur. Clamat Iſaias: *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant Iuſtum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Cap. 45. Si Ieſus io roris morem è nubibus profluxit, quonam modo, germinis inſtar, è terra exoriri deſideratur? Quia licèt ros è leui diei nube Deipara effluit, adhuc fructus è terra exoriri cæleſti Vates precatur ſpiritu, vti oſtendat agricolas operam quodammodo eius productinni nauare. Cælum emittat rorem diuinitatis, ſed Verbum caro factum exſurgat è terra; vt quemadmodum terræ fructus & ab agricultore ſeritur, colligitur, ab eiúſque cuncti manibus accipimus: ſic viuifieus panis priùs agricolis tribuatur, quàm ciuibus, vti appareat eius exactionibus nos electorum frumentum, panem Bethleemiticum quodammodo debuiſſe. Moyſes Chriſtus myſticus, Chryſoſtomo adnotante, tunc liberaturus Hebræos exoritur, cùm

Chryſoſt. *ad amaritudinem perducebant* Priocipes *vitam eorum operibus duris luti, & lateris, omnîque famulatu, quo in terra operibus premebantur.* Exod. 1. Vt innueretur Chriſtum exoriri in eorum leuamen, qui terræ operibus premuntur, dum ipſum illorum vltroneum miniſterium iam addito tributi tanto, non tam ſit terræ operatio, quàm exactio agricolæ exiſtat.

34. *Ros Dominicus affluit agricolarum prece.* 3. Reg. 17.

Sub roris olim metaphora Helias peccatoribus minatur fore, vt Meſſiam liberatorem minimè accipiant, ſi non vulgari expoſitori credendum. *Viuit Dominus ſi erit annis his ros & pluuia, niſi iuxta oris mei verba.* 3. Regum 17. Cælum claudit Propheta, ne nubes pluant iuſtum; ſed cur non Deo claues committit, cuius prouidentiæ, tempore ſtatuto Verbum incarnatum ad

Baſil. terras immittere? Reſpondet Baſil. Seleuc. orat. 11. *Propenſam Dei in homines beneuolentiam metuit, ipſum nouit, vt citò lacrymis concilietur.* Addo ad argumentum congruentius, facillimè alliciendum Dominum, vti plueret Iuſtum, quia cum metaphora roris ac pluuiæ terras fœcundantis immittendus Chriſtus prædicatur, mox aſpectato agricolarum fletu, precibus exauditis, nubes rore pluuiâque terras fœcundabunt, vt ſalutare proferant germen.

35. *Agricolarũ hinc felicitas.*

Proh agricolarum felicitas! non iam quod Horatio canente Epod. Ode 2.

*Beatus ille, qui procul negotijs*
*Vt priſca gens mortalium,*
*Paterna rura bobus exercet ſuis*
*Solutus omni fœnore, &c.*
*O fortunatos nimium ſua ſi bona norint*
*Agricolas, quibus ipſa procul diſcordibus armis*
*Fundit humo facilem victum iuſtiſſima tellus.*

Sed prorſus eodem auctore,

*Fortunatus & ille, Deos qui nouit agreſtes*
*Panáque, &c.*

Agreſtibus enim Pan aggreſtis faciliùs reuelatur. O Pan, ô panis viuus è cælo prolapſe, agri fructus effectus, terræ germen virgineæ, aggreſtibus priùs appares, quàm vrbium cultoribus reueleris.

## OBSERVATIO II.

### Ad illa verba:

*Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo.*

### Futurum populo gaudium magnum ex Ieſu natalitio indicitur in pignus ſaluationis.

*Ex rerum enim ſpiritualium contemplatione ſpeciali affici lætitiâ, magnum eſt prædeſtinationis documentum.*

EXPENDIT ſic Caietan. ſententiam. *Nec dixit, Omni populo Bethleem, aut Iſrael erit gaudium; ſed abſolutè omni populo, vt intelligamus omni populo mundi. In omni mundi populo ſaluantur aliqui habentes gaudium magnum de natiuitate Chriſti.* Cur non dixit, In omni populo mundi gaudio magno afficiuntur aliqui? Sic enim accommodatius exponebat, quare Angelus protuliſſet, *Euangelizo vobis gaudium magnum,* quod futurum omni populo, ſed vbique aliqui ſalutem ex hoc magno gaudio aſſequentur. Quare igitur vltrò Cardinalis ſalutem conſequendam à multis, cum gaudio magno copulauit. An quia gaudio magno affici homines ex Ieſu natali, tam illigatum quodammodo ſit aſſequendæ saluti, vt ab huiuſmodi gaudio temporali homo ad æternum aſcendat? Ita planè. 36. Caietan.

D. Petrus aiebat: *In quem deſiderant Angeli proſpicere.* 1. Petr. 1. Vbi Lyran. huiuſmodi deſiderium Angelorum exiſtimat eſſe gaudium de Verbi incarnatione, Chriſtique natiuitate. Electi enim ad gloriam Spiritus, ad æternæ felicitatis aſſecutionem debuêre ineffabili gaudij affectu ferri in Saluatoris humanitatem, fante Petro Damian. lib. de inſt. Monial. *In Chriſtum deſiderant Angeli proſpicere, quia humanitatis eius myſterium omne deſiderium accendit in mentibus electorum.* Vt autẽ appareat idem eſſe quodammodo huiuſmodi lætitiâ affici ſpiritum, ac æternâ iam felicitate frui, ad quæſtionem affero, num loquatur Petrus de Angelis viatoribus antequàm gloriâ donarentur ob humanitati Domioicæ obſequium impenſum, an poſt felicitatis æternæ conſecutionem? Exiſtimo neceſſariò quodammodo loqui debuiſſe Petrum de Angelis beatis, licèt antequàm æternâ gloriâ donarentur, illos Apoſtolus induceret; quia illud ipſum huiuſmodi accendi deſiderio, ſeu de Ieſu natalitio ingenti affici gaudio, idem quodammodo eſt, ac æternâ frui ſelicitate. Lyranus pulchrè: *Nam eadem viſio* humanitatis *eſt fruitio trium perſonarum.* Tam adnatum iis, qui huiuſmodi gaudium ſpeciale percipiunt ex Ieſu natiuitate, ad prædeſtinatorum numerum plerumque pertinere, vt illud ipſum gaudere de exorto Saluatore, quaſi iam ſit gloriâ potiri.

37. *Angeli ex Chriſti natiuitate gaudentes quaſi beatitudine potiebantur adhuc viatores.* 1 Pet. 1. Damian.

De

38. De credentiũ parente ſic Dominus : *Abraham pater veſter exultauit, vt videret diem meum, vidit, & gauiſus eſt*. Ioann. 8. Vbi quæritur, vtrùm Abraham lætitiâ fuerit affectus diem natalitij Domini aſpiciens, an diem æternæ felicitatis per Chriſtum aſſequendæ aſpectans? Mihi perſuadeo ex vtriuſque diei conſpectu Abrahamum lætitiâ perfuſum. Audi Auguſtinum : *Incertum eſt, dixeritne diem Domini, quo erat venturus in carne, an diem qui neſcit ortum? Sed ego non dubito, Abraham vtrumque ſciuiſſe.* Lætitiâ itaque afficitur videns Chriſti natiuitatem, ac ſimul gloriam. *Vtrumque* videt. Nam qui ſpiritualem percipit lætitiam ex natali Dominico, tam eſt plerumque numero ſaluandorum addictus, vt quaſi felicitatis æternæ poſſeſſionem habere videatur.

*Abraham exultans de Ieſu nato, gaudet de gloria.* Ioann. 8.

Auguſt.

39. Reſpicit profectò Dominus illud Geneſeos, *Cecidit Abraham in faciem ſuam, & riſit*, quando ſcilicet Iſaaci ei fuit facta promiſſio, Chriſtique ſimul ſua ex ſtirpe progignendi. Cap. 17. Ad quẽ locum Rupertus exiſtimat In faciem cadere, idem eſſe ac ſe ad æternæ felicitatis poſſeſſionem præparare, quaſi tantâ ex percepta lætitia è Ieſu natalitio fuerit affectus voluptate, vt quaſi cæleſti beatitudine potiretur: *O virum* (clamat Pater) *æterno riſu verè dignum, & ſempiternæ voluptati benè præparatum, qui ita cecidit in faciem, vt rideret; & ita riſit, vt in faciem caderet, illius vtique adorans omnipotentiam, cuius promiſſione audierat ſingularem gratiam.* Vbi illud ponderò riſiſſe, ſeu de Ieſu natali gaudio eſſe affectum, idem quodammodo, ac ſe ad gloriæ participationem denique præparaſſe. Tam adnata ſalus percepto gaudio de exortu Saluatoris.

*Gaudens de venturo Ieſu ſe præparat proximè ad beatitudinẽ.* Gen. 17. Rupert.

40. Mariæ Eliſabeth in morem Archangeli, prædicit Saluatoris ex virgineo vtero egreſſum, vnde gaudio geſtiens Deum paritura exclamat : *Exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.* Lucæ capite 1. *Exultauit*, inquam, Mariæ ſpiritus ex proximè futuro Ieſu natalitio, quando ab Angelo audiuit, *Ecce concipies*, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum, ſeu hominum ſalutare. An ſimul Virgo gloria fuit cæleſti perfuſa Dominicæ incarnationis inſtantiâ? Affirmat præter alios Adamus de Perſeuia fatus, *Exultauit ſpiritus meus ait Maria, in Ieſu, ſcilicet naſcituro. Cæterùm omnis gloria filia Regis ab intus.* Fruita enim fortaſsè tunc beatificâ viſione omnis gloriæ ac felicitatis fonte. Quorſum hæc? Annon tam conſequens plerumque gaudio ſpeciali ex Ieſu natiuitate percepto aſſequendæ æternæ beatitudinis felicitas, vt natum Saluatorem contemplari, idem prorſus quodammodo ac iam æternâ felicitate potiri? Vt edocearis magnum eſſe ſaluris documentum ſpeciali affici voluptate, ſiue affectu teneriimo donari ex cæleſtium myſteriorum contemplatione.

*Exultans Maria de filij natiuitate beatitudine potitur.* Luc. 1.

41. Gaudium itaque omni fiat populo electorum, Angeli, homines, imò cunctæ creaturæ cum electis rationalibus choros immiſceant, nato Creatore. Exultent *Angeli*, quia miſit Deus ad terras Angelum ſuum Angelorum commendaturus miniſterium : *Archangeli*, quia Dei fortitudo in ſuo potentiſſimo brachio fecit potentiam : *Seraphim*, quia amoris, quo accenduntur, in nato puero dignoſcunt ſimulachrum. *Cherubim*, quia Dei ſapiẽtiam ſub ignorantiæ velamine occultari conſpiciunt. *Throni*, quia cæleſtem thronum terricolam Virginem factam intuentur. *Virtutes*, quia Humilitate, Obedientiâ, Charitate, cæteriſque vident puerum nitêre virtutibus. *Principatus*, quia æternitatis Principem temporariæ aſpiciunt poteſtatĩ ſubiectum. *Dominationes*, quia Dominus Regum iam non imperat, ſed præſtat obſequium. *Poteſtates*, quia potentiſſimus Samſon iam in vinculis Adami vinctus obiicitur. *Sol, Luna, ſydera*, omniáque cæleſtia luminaria lætentur, dum inter noctis tenebras oritur iuſtitiæ lampas æternum faciens diem. *Ignis*, dum paleæ præſepis abſque læſione æternam fouent flammam. *Aer*, dum indiget reſpiratione, is qui in faciem totius creaturæ vitale ſpiraculum inſpirauit. *Aqua*, dum Puer plorãs pretioſiſſimas fundit lacrymas humore aqueo vndas honorans, conchas fœcundans margaritis. *Terra*, dum cælum fit tanto hoſpite conſecrata. Afficiantur lætitiâ *Bruta*, boue & iumento ad præſepe alligatis; *Homines* dulciſſimum amplectentes fratrem, *Iuſti* iuſtitiæ totius fonte potati, *Peccatores* remiſſionis donati munere. *Gaudete in Domino ſemper*, (ait Apoſtolus) *iterum dico, gaudete, modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus, Dominus enim propè eſt.* Exultent laſciua gaudia, ſi in Domino exultandum ſit, cæli perfundantur lætitiâ, terra gaudio repleatur; ſed quia *Dominus propè eſt*, apud nos habitat, nihil non tanto terræ ſit dignum habitatore.

*Omnibus hoc gaudium.*

# OBSERVATIO III.

## Ad illa verba :

## *Et hoc vobis ſignum, Inuenietis Infantem pannis inuolutum, & poſitum in præſepio.*

## Faſciæ & Præſepium halant Deitatem.

### *In Paupertatis ad diuinorum contemplationem accommodatiſſimæ præconium.*

TOLETVS ad hæc: *Eſt difficultas, vtro modo ſignum hoc ab Angelo datum accipi debeat? Nam per hoc, quod inueniretur Infans pannis inuolutus, & in præſepio poſitus; non videtur probari poſſe eum, qui natus erat, eſſe Chriſtum Dominum, ſed ex illo potiùs videri potuiſſet contrarium; cùm panni illi, & præſepe non potentiam Chriſti, & Diuinitatem, ſed tantùm infirmitatem humanæ naturæ declarent.* Profectò tanti Cardinalis veniâ, præter illa, quæ in Commentario literæ ſtudioſus adhibui, in præſenti adiicio, faſcias, præſepium, reliquáque conſequentia, infantilia, appoſitè ab Angelo indicta fuiſſe in Deitatis Pueri documentum. 42.

Tolet.

Cecinit Abacuc, *In medio annorum viuifica illud.* Cap. 3. Septuag. *In medio duorum animalium cognoſceris.* Annon præſepium prouolutio, de qua Propheta, arguit in parentibus, in patria, Bethleemo, in crumena paupertatem? Ita planè, ſed ideò ab adoratoribus Deus Puer ille dignoſcitur. *Cognoſceris.* Appoſitè Theod. Ancyræ Epiſcop. orat. de Natiu. *Propterea pauperculam Deus elegit* 43.

*In rerum ſolitudine Puer Deus vnus apparet.* Abac. 3.

Theod.

matrem, pauperiorem patriam, egenus fit pecuniis, omnia paupera & *vilia elegit*, faſcias ſcilicet, & cubile, & *plurimum obſcura, vt Diuinitas ſola cognoſceretur.* Diuinitas etenim in tanta rerum temporalium cognoſcitur planè ſolitudine. *Apparuit pauper, ſemetipſum offerens omnibus ad ſalutem.* In rerum namque inopia, in mundialium ſolitudine Saluator oſtenditur, *Sola* cognoſcitur *Diuinitas*, Puer ſolus Deus vnus apparet.

44. *In ſolitudine, ſiti, & defatigatione Samaritana Deum dignoſcit.* Ioan 4. Conatus Dominus Samaritanam hamo Diuinitatis expiſcari, ſeque Meſſiam illi ſalutarem exhibere, *fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontē.* Ioann. 4. A Diſcipulis abſtractus, ſitiens, fatigatus, pauper, ſolus Chriſtus expectat. Quare, ô Domine, non potiùs Diſcipulorum cœtu cinctus potentiæ oſtentatione Samaritanæ mundiali appares? Imò quia curat Chriſtus Diuinitatis oculis fidei mulieris reſerari fulgorem, omnibus ablegatis mundialibus, in ſumma egeſtate ſolus expectat. Allicio ad mentem meam D. Chryſoſt. homil. de Samar. ſantem: *Quare Diſcipulos ſuos ablegauerat Dominus? Si vidiſſet Diſcipulorum cœtum, piſcis è retibus euaſiſſet.* Sicut enim Diſcipulorum obſequentium cœtus, ſatietas, diuitiæ mūdialem arguunt poteſtatem: ſic in omnium rerum temporalium ſolitudine vis ad perſuadendum efficax Deitatem vtrique manifeſtat. Haud aliter recèns natus in ſumma rerum inopia Pueri infantia potentiſſima ad expiſcandum hominum animos obiicitur. D. Cyprian. de Natiu. ſic, *In hoc vno bono*, ſiue ſolo aſpectato, in omnium exigentia conſtituto, *omnium bonorum vnita collectio videbatur, nec opus erat mendicari per partes, quod ſimul in ſe vno fidelibus omnipotens infantia præſentabat.*

45. *In præſepio collocatus à Cherubim collocatum oſtenditur.* Pſalm. 79. Dauidicum reſonet carmen: *Qui regis Iſraël, intende, qui deducis velut ouem Ioſeph, qui ſedes ſuper Cherubim, manifeſtare.* Pſalm. 79. Te, ô Domine, manifeſtari hominibus cupio vel in præſepio, ac ſi in medio Cherubinorum eſſes adorandus. Etenim Caietanus affirmat fieri alluſionem ad Dei thronum duorum Cherubinorum alis collocatum, quo equidem Deum inuiſibilem populus adorabat. Proh Deus immortalis! quonam modo in præſepio collocatus, ac pannis obtectus, quaſi ſupra Cherubinos ſedens obiiceris? Quia illa ipſa paupertas Deum ſupra Cherubim ſedentem oſtendit, dum collocat in præſepio faſciis obuolutum. Theodor. confirmat: *Reſpice pauperrimum habitaculum eius, vide præſepe ſedentis ſupra Cherubim.* Quid cum Cherubinorum alis præſepio? *Si tacitam Dei condeſcenſionem conſideraueris, ipſa paupertate diuitiæ eius diuitiis oſtenduntur*, ſiue Diuinitas reſeratur. Theod.

46. *Dei filius Chriſtus oſtēditur in flāmarum ego.* Dan. 3. Virgineus partus iam igne rubum quidem inflammante, non conſumente indicitur, iam, auctore Tertulliano, apud fornacis ignem innuitur, Rege aſſerente, *Species quarti ſimilis Filio Dei.* Dan. 3. Vide vbinam Chriſtus recèns natus Dei Filius oſtenditur? Num in auri potentia? Minimè, ſed inter flammas omnium mundialium conſumptrices, vel ipſa faſciarum vincula comminuentes. D. Chryſoſt. *Quid* tale potuit imago inanis monſtrare? Ecce Dominus in auro non lucet, ſed in flammis *eſtenditur*. Vbi inanitas, vbi omnimoda rerum mundialium exigentia, ibi Diuinitatis fulgor obiicitur.

47. *Prius, quàm Angeli in* In principio *terra erat inanis.* Geneſ. 1. Num terra inanis & vacua permanſit? Profectò & induit herbis, & ſtipauit floribus, & fructibus ditauit, & animantibus oppleuit, priuſquàm cælo illuminando, aſtris ſuccendendis ſe accingeret. Cauſam reddit Anaſtaſ. Sinaita lib. 4. Exam. *Propterea ante cælum terra ornatur, quoniam ante Angeles terra, & terrā genitū homines Deum per carnem vidimus.* Vbi duo pondero, vnum, quod Deus terram ornauit, vt in ſumma nuditate apparens Puer vniuerſi Conditor appareret; alterum, homines per carnem Deum, priùs quàm Angeli, vidiſſe, quia tantus inter præſepij ac faſciarum inopiam Diuinitatis fulgor, vt quodammodo in paupertate homines Puerum videntes, Deum priùs, ſeu excellentiùs cognoſcant, quàm in cælis Angeli nudam Diuinitatem aſpectantes. Vti huiuſmodi exaggeratione, præſepij, ac faſciarum rutilet gloria, videamúſque paupertatis fulgorem, cui quaſi adnatum à mundialibus abſtractæ faciliùs Diuinis adhæreſcere. *paupertate Deum vidimus.* Gen. 1. Sinaita.

## OBSERVATIO IV.

Ad illa verba:

*Inuenietis Infantem poſitum in præſepio.*

De communi præſepio Angelus ſignum exhibet.

*Vt panis Dominicus communi in menſa appoſitus, nunquam menſæ communis defectum commendet abundantiam, in Eleemoſynæ præconium.*

48. Caietan. IN quonam præſepio? Caietan. reſpondet: *Ex eo quod Angelus nullam aliam conditionem appoſuit, apparet, quod præſepium erat commune; alioquin dicendum fuiſſet, In præſepio talis domus, aut talis Domini.* Hinc ad myſtica aſcendo. Aiebat Theodorus: *In præſepi Dei ponitur Verbum, vt licentiam habeant rationalis, & irrationalis participare cibo ſalutis.* Theod. Attamen cur communi in præſepio dignatur collocari? Profectò nunquam defectorum conuiuium, quod quidem ob æternam abundantiam Bethleemum domum verè panis effecit; in communi apponitur menſa, vt ſuos nunquam defectorum panem edoceat, tunc redundare cibum, cùm menſæ communi ſtatuitur in eleemoſynæ commendationem. Menſa communis tam abundans eſt, vt omnibus redundare videatur, licèt aliàs laboret tenuitate.

49. *Inops e omnium menſa omnibus abundat.* Act. 2. Quid inope primæ Chriſtianæ familiæ menſā ſtrictius? de qua noſter Lucas profatur, *Omnes, qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia.* Act. 2. Omniáne habebant, qui ſua relinquentes, menſæ hærebant exiguæ? Certè omnibus menſa illa abundabat, quia omnibus communis apponebatur. Vnde credentes relinquentes parua, *habebant omnia*, quia *communia*. Communis huiuſce menſæ efferens omnimodam ſatietatem, D. Chryſoſt. homil. 11. fatur, *Putáſne tu poſſe inſumi omnia aliquando?* Qui igitur omnibus in cōmuni mēſa potitur, nūquā cōſumetur inopiā. Chryſoſt.

Alibi

50. *Communis menſa Dei gratiam munificentiſſimam continet.* Act. 4. Chryſoſt.

Alibi Lucas: *Et gratia magna erat cum omnibus illis, nec indigus quiſpiam erat inter illos.* Act. 4. Et vndenam à pauperibus primis fidelibus relinquentibus omnia indigentia omninò ablegabatur? Reſpondet Chryſoſtomus citatus: *Benè dixit, quia gratia erat in omnibus; propter hoc enim gratia, quia nullus erat indigus, hoc eſt, ob magnam dantium alacritatem.* Aptè quidem. Aſt ego crediderim nullum ideò fidelium indigum, quia communi menſæ pranſurus hærebat, quam quidem Dei indeficiens gratiâ haud vnquam defectâ abundantiâ donat. Confirmo ex eodem Patre, qui communem adhuc fidelium menſam commendans, ſic nunquam defecturam oſtendit. *Nonne mille millies Dei gratiâ auctiora fierent? Nonne opulentè gratia Dei* in communi menſa *effunderetur?* Et adiicit, *Vt autem oſtendam quid hoc conuiuium communio in diuerſa diuelli ſumptuoſum ſit, & inopiæ cauſâ: ſit domus, vbi pueri decem, & vxor, & vir, & illa quidem lanam operetur, ille autem externè afferat emolumenta. Dic, num plus inſumant, vnam habentes domum, vel diſperſi? Manifeſtum, quod diſperſi; diſperſi enim decem pueri decem domicilijs opus habent, decem menſis, decem miniſtris. Nonne diuiſio ſemper minora commoda* affert, vnanimitas autem, & conſenſus incrementum? Et concludit, *Sic qui in Monaſterijs nunc viuunt,* communi vtique menſæ aſſidentes, *quis mortuus eſt fame? Quis non liberaliter educatus eſt?*

51. *Quod aliàs exiguũ, in menſa communi admodũ lautum.*

Quod enim aliàs exiguum & parcum minimè ſatietatem pariturum conuiuium eſt, menſæ communi appoſitum mirabiliter Dei gratiâ, quæ inibi commoratur, operante, lautum eſt, ſuperabundans reperitur. Defatigatis apud deſertum turbis magnificum vult Dominus conuiuium non tam præparari quàm apponi. *Non habent,* ait Ieſus *neceſſe ire; date illis vos manducare.* Matth. 14. Vbinam epulæ? *Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, vt vnuſquiſque eorum modicum quid accipiat.* An vlla non ſubeſt annona? *Eſt puer vnus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos piſces. Sed hæc quid ſunt inter tantos?* Ioan. 6. Audite modicæ fidei, facite copioſiſſimam virorum, puerorum, ac feminarum turbam ad conuiuium diſcumbere. Ego oſtendam, quonam modo quinque panum parcitas omnibus turbis abundantem exhibeat annonam. Verum equidem dicitis ducentorum denariorum non ſufficere panes, vt *ſinguli* ſigillatim modicum deguſtent, quia ſingularitas in magna rerum copia nouit egere. Facite ergo homines in menſa communi diſcumbere; communitas enim in magna rerum inopia eſt ſolita abundare. Pulchrè Chryſoſt. ad Cap. 14. Matth. *Quoniam non plures panes, ac piſces propoſiti fuerant, vt omnia communia eſſe putarent, eos inducebat.* Ac ſi diceret, quia exigua erat annona *inter tantos;* ideò illos inducebat, vt communi menſæ conſiderent, vt cibi parcitas omnibus in communi menſa ſufficeret, & abundaret, quæ vix quinque hominibus in particulari menſa ſufficeret. Annon inibi Dei gratia mirabiliter operatur? *Mirificè,* addit Doctor, *quaſi è fonte magna copia panes, atque piſces ſcaturiebant, adeò vt non ſufficerent ſolum, verum etiam ſuperabundauerint.*

Manth. 14.

Ioan. 6.

Chryſoſt.

52. *In particulari menſa vnus Agnus vni non ſufficit. in communi omnibus præſtat ſatietatem.*

Celebrandi paſchalis Agni hæc erat religio: *Si minor eſt numerus, vt ſufficere poſſit ad veſcendum agnum, aſſumet vicinum ſuum.* Exod. 12. Vbi Theodor. *Iuſſit tot ad eſum Agni conuenire, quantum ſatis eſſet, vt fraternum amorem illos doceret.* Hinc exoritur quæſtio, Num vicinus ad ſocietatem Agni abſumendi inuitandus in domo propria ſuum edere Agnum teneretur? Reſpondet Hugo Vict. *Aſſumet vicinum, ita tamen, vt ille aſſumptus non idcircò dimittat ſuum immolare.* Quonam modo igitur proprium Agnum abſumere poterit paruæ familiæ Dominus, ſi vt comedat aliâ in domo Agnum alienum inuitatur? Ad myſticáne licet tranſitum facere? Porrò qui menſâ communi non fruitur, ſed in domo ſolus Agnum aſſumit, tam vacuus ſurgit è menſa, vt ſatiandus omninò communi iam vicini menſæ, vbi ſolum-modò abundantia, poſſit aſſidere; quaſi in particulari menſa vnus vni Agnus non ſufficiat, in communi autem vnus omnibus præſtet abundantiam.

53. *Menſa tua communis pauperi ex Dei benedictione ſuperabundans.* Heb. 13.

Hinc eleemoſynæ commendatur vtilitas. Penuriâ laboras? Inopem vicinum aſſume, quod tibi vni non ſufficit, in communi iam facta & tibi & pauper menſa cunctis præbebit abundantiam. Vnde Paulus: *Beneficentiæ, & communionis nolite obliuiſci.* Heb. 13. Dum egenis ſubuenitis, nolite obliuioni dare beneficentiam. Exiguus mihi penè non ſufficit cibus. Igitur *nolite obliuiſci communionis.* Menti obiicite communionem fidelium. D. Anſelm. *Communicationis nolite obliuiſci.* Qui enim communi aſſident menſæ, ita inter ſe communicant, vt dans à recipiẽte accipiat illud ipſum, quod præſtat, imò præſtantius aliquid, vnde communis menſæ abũdantia nullatenus valeat exhauriri. Bellè Theophyl. *Sacrificium,* inquit, *beneficentiæ meritò appellauit communicationem. Eſt enim quædam remuneratio; hic enim dat pecunias, ille verò reddit benedictionem, inuicémque bona communicantur.* Solus particulari menſæ pecuniis abundans hæreſcas? Num abundantior menſa ex pecunia, dum ſolus ſedes, quàm ex Dei benedictione, cùm paupere inuitato, communis efficitur? Proh ex Dei benedictione menſæ communis redundantia?

Anſelm.

Theoph.

## OBSERVATIO V.

### Ad illa verba:

### *Sed & Paſtores erant, &c.*

### Natalis Ieſu non Phariſæis, ſed Paſtoribus meritò reuelatur.

*Vbi de verſutiæ malo, ſinceritatis bono, Parentum exercitamentis à filijs imitandis, ſocio æquali eligendo, Prælatiſque à Domino ſpecialiſſimè edoctis ad regimen exhibeo documenta.*

54. *Quatuor cauſæ ex Euthymio, cur natiuitas Ieſu reuelatur Paſtoribus.* Euthym.

QVATVOR ex Euthymio rationes innuimus in Commentario, quare Ieſu natiuitas fuerit Paſtoribus reuelata, non Phariſæis. Doctoris iam ſententiam integram exhibeo, & illuſtro: *Scribis, & Phariſæis non annunciauit hoc gaudium. Cum enim peruerſi eſſent, & inuidi, non erant credituri. Sed Paſtoribus, qui verſutiâ, ac inuidiâ carebant: quique veterem Patriar-*

*charum*

*charum viuendi morem apprehenderant. Quia etiã Paſtor, ac Dux factus eſt populi; Paſtoribus primùm ea, quæ de ſe erant, myſteria manifeſtauit. Significatur quoque & aliud, quod videlicet Paſtoribus rationalium ouium diuina myſteria primùm ante alios reuelantur.* Sic Pater.

## Capvt I.

## Verſutis Phariſæis Ieſu non reuelatur natalitium.

### *Vbi de duplici corde Deo inuiſo.*

55\. Euthym. SCribis (ait Euthymius) *& Phariſæis non annunciauit hoc gaudium. Cùm enim peruerſi,* id eſt, *verſuti,* (opponitur namque illi verbo: *Paſtoribus, qui verſutiâ & inuidiâ carebant) eſſent, & inuidi, non erant credituri.* Verſutia prorſus à Dei ſalutari nuncio præteritur. Duplicitas enim longè à vita, ac ſalute recedit.

56\. *Duplicitas à ſalute promiſſa fideli populo ablegatur.* Exod. 12. De fermentato minimè abſumendo Deus Iſraëlitis: *Quicumque comederit fermentum, peribit anima illa de Iſrael.* Exod. 12. Neque enim duplicitas particeps illius ſalutis, quæ omni Iſraelitico populo promittitur ex Agni immaculati natali. *Annuncio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo; quia natus eſt hodie Saluator.* Et quidem Agnus Hebræos ab Angelo exterminatore liberauit. *Qui comederit fermentatum peribit.* Duplex corde, haud ſalute donabitur. Ad hunc locum Oleaſter: (Oleaſt.) *Abhorruit ſemper Dominus à mixturis. Præcepit enim non arandum in aſino & boue. Deut. 22.* (Deut. 22.) *Non ſerendam terram diuerſo ſemine. ibid. Non geſtandam veſtem ex lana & lino textam. Ibid. Voluit nos ſimplices eſſe, & ſimpliciter apud proximos conuerſari.* Simplices enim Dominus collocat in præſepij humilitate, doloſos autem in ſuperbiæ lubricitate relinquit interitui quidem committendos.

57\. *Doloſi à ſalute detrubantur.* Pſalm 72. Bruno. Dauid ad hæc: *Veruntamen propter dolos poſuiſti eis. Deiecisti eos, dum allenarentur.* Pſalm. 72. Hebraicè בַּחֲלָקוֹת *Bachalacoth*, id eſt, *In lubricis locis conſtitues eos.* D. Bruno hinc: *In lubrico poſuiſti eos, deiecisti ad interitum. Quia dolum faciunt, dolum patiuntur: Vt decepti, terrena eligant, & relinquant æterna.* Ita Doctor.

58\. *Duplex non intelligit ſalutare nuncium.* Pſalm. 39. Sed & Vates & Interpres alibi hoc perficiunt argumentum. Pſalmiſta: *Et homo cùm in honore eſſet, non intellexit.* Scriba & Phariſæus in honoris faſtigio collocati Angelicum nuncium non audierunt, Paſtoriſque oues aduocantis erroneas nõ intellexerunt natalitium. Pro verbo illo: *Non intellexit*, Hebraicè habetur, בַּל־יָלִין *bal-jalin*, *Non pernoctauit.* Nam cùm honoris ac gloriæ mundialis captarent auram; haud cum Paſtoribus pernoctantibus vigilias noctis cuſtodierunt. Quid hinc? Comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Bruno, (Bruno.) *Nam tolle homini Dei apud nos commorãtis ſcientiam, omnino pecus inſipiens eſt, præſumptio vana, & caduca ſuperbia.* At vndenam tam grauis calamitas habuit exortum? Quare Domini Paſtoris oues aduocantis natalitium non calluêre? Quia ore oues apparuerant Phariſæi, cùm intrinſecus, ſiue corde eſſent lupi rapaces, à quibus Paſtor ſimul & Agnus fugiebat. *Poſteà in ore ſuo complacebunt, ſicut oues in Inferno poſiti ſunt.* Pſalm. 39. *Meritò* (ait Pater) *à morte depaſcuntur, qui Christum noluerunt habere Paſtorem.* Oues quidem amictu, ſed duplices corde luporum actum imitati, ab Agno Paſtore receſſerunt.

Quid natalis Dominici reuelationi cum fallacibus? Reueletur Phariſæo: lupus eſt, ſerpens eſt, occidet Infantem. Hebræi olim Pharaonis præcepto, duris operibus comprimuntur: *Præpoſuit itaque eis* Pharao, *magiſtros operum, vt affligerent eos oneribus. Ædificaueruntque vrbes tabernaculorum Pharaoni Phiton, & Rameſſes.* Exod. 1. Ad quem locũ Interlinealis affirmat Hebræos Chriſtum adumbrare ab hoſtibus horribilibus occidendum. Annon à Phariſæis Ieſus ductus in mortem? Si igitur eius natalitium reueletur Phariſæo; lupus aderit Agni crudelis exterminator. Audi Origenem, *Vide quales ciuitates ſibi ædificari præcepit Pharao, Phiton, id eſt, os deficiens, & Rameſſes, id eſt, commotio tineæ. Deficit namque os, cùm mendacium loquitur.* Vbi igitur falſitas eſt, ibi domus Pharaoni, ſiue Ieſum hoſtibus occiſuris, eîque inſidias præparantibus ædificatur. Adeſt Herodes Puerum requirens *ad perdendum eum*; adſunt Phariſæi. Vnde ne Infans immaturè depereat, Nuncius cæleſtis aufugit falſitatis habitaculum. 59. *Non reuelatur Phariſæo natalis Ieſu, duplex enim animo eum adducit in mortem.* Exod. 1. Interlin. Orig.

Moyſes apud fiſcellam ſcirpeam, Chriſtus in præſepio collocatus, Lyrano auctore, *Qui benè* (ait) *ſignificatur per hunc filium, qui fuit lator veteris Teſtamenti.* Imperarat Pharao mares Hebræorum infantes flumine obrui. *Timuerunt autem obſtetrices Deum, & non fecerunt iuxta præceptum Regis Ægypti, ſed conſeruabant mares.* Exod. 1. Vbi Lyranus: *Dicunt Hebræi, quod prima iſtarum fuit Iocabeth filia Leui, & ſecunda Maria ſoror Moyſi.* Quam improbabilem mihi ſententiam nunc admuto, vt anſam egregiæ præbeat excogitationi. *Quibus accerſitis* (adiicit Textus) *ad ſe, Rex ait: Quidnam eſt hoc, quod facere voluiſtis, vt pueros ſeruaretis? Quæ reſponderunt: Non ſunt Hebrææ ſicut Ægyptiæ mulieres. Ipſæ enim obſtetricandi habent ſcientiam, & priuſquàm veniamus ad eas, pariunt.* Verſutiâ igitur vtuntur mulieres coram Pharaone. *Bene ergo fecit Deus obſtetricibus, & quia timuerunt Deum, ædificauit illis domos.* Ad quem locum D. Gregorius 18. Moral. cap. 3. *Quia obſtetrices mentitæ ſunt, earum merces, quæ in æterna vita retribui debuit, pro admiſſa culpa mendacij, in terrenam eſt recompenſationem declinata.* Iam requiro, ſi obſtetricum vna tribus ſacerdotalis, altera tribus regia, (vti Hebræorum ſententia præ ſe fert: *Ædificauit illis domos ſecundùm domum Sacerdotalem, & Regiam; quia prædicta Iocabeth fuit mater Aaron; & Maria coniuncta eſt Caleb in matrimonium, quæ altero nomine dicta eſt Ephrata, & ab ea denominata eſt ciuitas Bethleem, de qua natus Dauid primus Rex de Tribu Iuda.*) quonam modo Moyſi, id eſt, Ieſu natiuitas, apud præſepiúmque commoratio Sacerdotibus ac Regibus non manifeſtatur, ſaluſque eis minimè reuelatur æterna? *Natus eſt vobis Saluator in ciuitate Dauid.* Gregorius, *Quia obſtetrices mentitæ ſunt.* Nihil natiuitati Dominicæ cum aſtutia, & falſitate; ideò à Sacerdotibus, à Phariſæis, ab Herode recedit Cælicolarum præconium. 60. *Moyſi natalitium Ieſu ſignans natiuitatem Regum ac Sacerdotũ parentibus fictione viuentibus nõ manifeſtatur.* Exod. 1. Lyran. Gregor. Lyran.

Capvt

Digitized by Google

## Capvt II.

### Synceris Paſtoribus Ieſu Natiuitas annuntiatur.

*Vbi de bono ſynceritatis.*

61.
*Euthym.*
PErgit Euthymius, *Sed Paſtoribus annuntianit, qui verſutia, ac inuidiâ carebant.* Haud Dominicum verſutis ſermocinatio, ſed cum ſynceritatis cultoribus.

62.
*Cum ſimplicibus Dei ſermocinatio, quaſfugit immanes*
*Prouerb. 3.*
*Iob. 36.*
*Gregor.*
*Lyran.*
*Hugo.*
Sapiens, *Cum ſimplicibus ſermocinatio eius.* Prouerb. 3. Hebraicè, *Secretum eius.* Quare *cum ſimplicibus?* Quia hi Paſtores cum ſint, mites erunt in Agnum. At Phariſæi Magnates, faſtuoſi, & ſuperbi, immanes omnino neceſſariò more luporum deſæuient in Agnum. Iob ad hæc: *Immanibus abſcondet lucem, & annuntiat de ea amico ſuo.* Cap. 36. Quinam *immanes?* D. Gregorius, Lyranus, Hugo: *Magnates, Superbi, Faſtuoſi.* Et quando non immanes Magnates ſuperbi? Prudenter igitur lux natalitij Solis Phariſæis abſconditur, Paſtoribúſque reuelatur. Quando enim immanior lupus in Agnum, tanto Paſtor in eundem mitior, & obſeruantior eſt.

63.
*Agni natalis paruulis custodiā præſtituris reuelatur.*
*Matth. 11.*
*Gregor. lib. 27. c. 8.*
Patri Agnus ipſe gratias perſoluens, ait, *Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terra, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis.* Matth. 11. Super quem locum appoſitè D. Gregorius, *Non ſubiunxit, Reuelaſti ea ſtultis, ſed paruulis: tumorem ſe damnaſſe innuit, non acumen.* Cur damnat tumorem? Quia tumor immanis Agnum ſatagit comminuere, non cuſtodire; acumen autem & vigilantia Paſtorum Agni ſtudet cuſtodiæ. Vnde Pater, *Paruulos* appellat *amicos. Amicus* autem (ait) *cuſtos dicitur.* O quàm appoſiti ad Agni recenter exorti cuſtodiam paruuli, ſiue Paſtores *vigilias cuſtodientes ſuper gregem ſuum!*

64.
*Abraha veritatis amatori natalitiū Ieſu manifeſtatur.*
*Gen. 22.*
*Strab.*
Poſtquàm Abraham ſacrificium perſoluit, *Appellauit nomen loci illius, Dominus videt.* Gen. 22. Vbi pulchrè Strabus, *Dominus videt, id eſt, videri ſe fecit per incarnationem*, quando *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius.* Ioan. 1. Ac ſi diceret, Agno inter vepres, ſeu inter paleas ſe aſpiciendum Abrahæ exhibuit. Iam expendo ſententiam ab Abrahamo montem ſcandenti prolatam. *Poſtquam adorauerimus reuertemur ad vos.* Geneſ. 22. Vbi quærit Origenes. *Dic mihi Abraham, verum dicis, an fallis? Si verum dicis, non facies holocauſtum; ſi fallis, tantum Patriarcham non decet fallere. Verum, inquit, dico, & holocauſtum offero Puerum, & cum ipſo redeo ad vos.* Alibi Patriarcha Saræ. *Dic obſecro quod ſoror mea ſis.* Geneſ. 12. Num mentitus eſt? Lipomanus, *Dicendum, quod non oportet excuſare virum ſanctum etiam de officioſo mendacio, vel duplicitate in verbo. Omnes enim, vt Apoſtolus ait, in multis offendimus.* Si non nimis immorandum circa viri ſancti huiuſcemodi excuſationem, quare tam indecens Patriarchæ tanto fictionis ſuſpicio? Vt reſpondeam, expendo vim particulæ illius. *Tatum Patriarcham.* Etenim à Domino, tunc omnium fidelium, imò ipſius Chriſti, cuius natalis ei obiicitur, pater conſtituitur: *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ.* Si autem fictione, ac verſutiâ Abrahamus laboraret, quonam modo ei Ieſu natalitium reuelaretur? *Cum ſimplicibus enim ſecretum eius.*

65.
*Timentibus Paſtoribus natiuitas Ieſu aperitur.*
*Pſalm. 24.*
*Bruno.*
Dauid; *Firmamentum eſt Dominus timentibus eum, & teſtamentum ipſius, vt manifeſtetur illis.* Pſalm. 24. In Hebræo, *Secretum Domini timentibus eum.* Et quinam hi timentes niſi infirmi, & imbecilles Paſtores, qui *timuerunt timore magno?* His myſterium incarnationis, & natalis Ieſu, legíſque nouæ reuelatur. Si igitur in morem Paſtorum *nos infirmi, & imbecilles* (loquor cum Diuo Brunone) *ſi timemus, manifeſtatur lex nobis in Chriſto, quæ prius velata erat.*

66.
*Secretū Domini ſynceris.*
*Iſai. 24.*
*Theod.*
*Sixtian.*
Conueniens equidem, vt ſecretum Incarnationis, ac Natiuitatis Herodi, Phariſæis, Diabolóque celaretur. Vnde Iſaiæ ore Dominus paruulus nobis natus, Filiúſq; nobis datus ait, *Secretum meum mihi, ſecretum meum mihi.* Cap. 24. Ad quam ſententiam Theodoretus, *Hæc non temerè omnibus; verùm timentibus aperit, diuinorúmque oraculorum propoſitum demonſtrat.* Fauent Sixtiana ſcholia, *Myſterium mihi, & meis.* Si Myſterium Natinitatis Ieſu & ſuis, hoc eſt, Mariæ, Ioſepho, & Paſtoribus aperitur, quonam modo ſtare poteſt illa propoſitio: ſecretum meum mihi, ſecretum meum mihi? Quia dum ſynceris Myſterium reuelatur, quaſi apud Dominicum pectus cuſtoditur. Maria & Ioſeph conſeruant omnia verba hæc in corde ſuo. Paſtores agnorum cuſtodes non reuelabunt lupo ſecretum inſidiatori. *Secretum meum mihi, & meis.* Eis, inquam, qui ex ſimplici grege, didicerint ſimplicitate nitere.

---

## Capvt III.

### Paſtoribus, qui veterum Patriarcharum viuendi morem apprehenderant, Ieſu natalitium annuntiatur.

*Vbi de Parentum exercitamentis à filijs imitandis.*

67.
*Parentum exercitamēta à filijs imitanda.*
*Euthym.*
ADiicit Euthymius: *Paſtoribus hoc gaudium annuntiauit, qui veterum Patriarcharum viuendi modum apprehenderant.* Sunt qui à parente paſtore, agricola, ad equeſtrem ordinem aſcendere conantur, paternum miniſterium contemnentes. Haud his myſteriorum Domini gaudia reuelantur.

68.
*Abeli reuelatur Chriſti natalis, paſtoris Adæ imitatori.*
*Gen. 4.*
*Ropert.*
*Gregor.*
*Gen. 4.*
*Theodot.*
Primò annuntiatur Agnus primogenitus (etenim Chriſtus primogenitus noſcitur, iuxtà illud: *Peperit filium ſuum primogenitum.*) Abeli: *Abel obtulit de primogenitis gregis ſui.* Geneſ. 4. Vt ſcilicet adumbraret Agnum primogenitum. Ieſus namque (ait Rupertus) *eſt Agnus Dei primogenitus omnium agnorum, vel ouium, quæ pertinent ad caulas cæli.* D. Gregorius aſſerit Abelem Agnum Ieſum hominibus illo ſacrificio prædicaſſe. Exiſtimo namque ei reuelatam incarnationem, ac natalitium Domini. Sic exponendo illa verba: *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.* Theodotion. *Inflammauit Dominus ſuper Abel.* Myſticè enim mente inflammatus Abel, vti diem Ieſu videret, cuius nouo illo ſacrificio & natalitium, &

mortem

mortem præfigurabat. Et quare Caino offerenti ex frugibus terræ munera, non aperitur terræ illius apertio, de qua Propheta, *Aperiatur terra & germinet Saluatorem?* Textus occurrit, *Fuit Abel paſtor ouium, & Cain agricola.* Geneſ. 4. Ex Burgenſis ſententia, Adamus vtrique miniſterio, ſcilicet agriculturæ & gregis curæ operam dedit. Attamen non tam addictus fuerat agrorum operationi, quàm gregali vigiliæ. Contemplatus enim à Deo terram meritò ob peccatum ſuum maledictam, greges autem haud huiuſmodi affectos maledictione, à neceſſitate aduocatus, terræ operam impendebat, voluptate tractus gregum ſtudebat cuſtodiæ. At filij diuerſimodè parentis imitatores extitêre. *Ex hoc enim, quod ſciebat Abel, iuſtè Deum* (loquor cum Burgenſi) *maledixiſſe terram propter peccatum Adæ, idcircò ſeparauit ſe à terra cultura, tanquam à re maledicta à Deo. Et quia in illa ſententia Adæ non fuerunt pecora maledicta: ideò elegit ſibi officium paſtoris. Cain verò elegit ſibi agriculturam, quaſi non curans de ſententia diuina.* Abel itaque præcipuum viuendi modum parentis apprehendit. Vnde Deus iuſtè ei Agni veri reuelat natalitium. *Paſtoribus* enim *hoc gaudium annuntiatur* (ait Euthymius) *qui Patriarcharum viuendi modum apprehenderant.*

Burgenſ.

69. Vt illuſtret D. Cyprianus præſens argumentum, profatur: *Huiuſmodi officium ab initio auctoritatem obtinuit. Paſtores Abraham, Iſaac & Iacob viri Deo familiares.* Ac ſi diceret, Ideò familiares Dei ad eius arcanorum participationem vocantur, quia gregi inuigilabant. Ac Paſtores Bethleemitici Dominici natalis audiunt præconia, eo quòd Patriarchas hoſce imitari fuêre. In cuius probationem audite pulchram Brochardi ſenteotiam: *Contra Orientem Bethleem eſt turris Ader; vbi creditur Iacob poſt Rachelis mortem aliquo tempore manſiſſe. Hic Paſtores horâ feliciſſimi ortus Saluatoris, audierunt vocem Angeli, Euangelizo vobis gaudium magnum. Quod quidem non niſi diuinâ ſapientiâ, & diſpoſitione actum eſt; vt illo in loco natus Dei Filius annuntiaretur Paſtoribus, in quo ſanctus ille Paſtor Iacob commoratus fuerat.* Ac ſi Ieſu reuelaretur natalitium eis, qui parentis ſecuti veſtigia, morem viuendi maiorum non deſeruerant; ſed in eodem loco, eidem adhuc poſt multa ſecula patris Iacob miniſterio fungebantur.

Illuſtrat Cyprianus argumentum. Cypr. cit.

Confirmatur. Brocard. deſcript. terr. ſanct.

70. Annon Dauidi Regi natalitij Saluatoris reſeratur myſterium, cùm aquam profudit militum potentiâ, ac periculo comparatam? Ita D. Ambroſius apud Dauid. aſſerens Dauidem in Deum Bethleemiticæ Virginis fonte effuſum anxiè ſitiuiſſe. *Sitiuit in te anima mea.* Aperitur ergo hoc myſterium & Regibus. Profectò Dauid paſtor extitit ouium. *Dauid* (inquit D. Cyprianus) *de poſt fœtantes accipitur, & in ſolio Regni collocatur.* Tunc autem apud agrum illum commorabatur, vbi patris morem viuendi ſecurus, gregis ipſe curæ inuigilaoerat. Vt innueretur ſibi, non vt Regi ad ſolium aduocati, ſed vt paſtori inibi ouiculas patris gubernanti incarnationis, natiuitatiſque Dominicæ ſecreta reſerari.

Dauidi Regi reſeratur Ieſu natalitij myſterium tunc cùm moratur apud locum vbi patris munus paſtoritium obierat. Ambroſ. Cyprian.

71. Venio ad Virginem, ſponſùmque Ioſephum. Putâſne Mariam & Ioſephum alij miniſterio incubuiſſe, cùm Agnus exoritur? Profectò Deipara inſtar fortis Molieris, *quæ ſiat lanam & linum* iam à templi tyrocinio, *ac operata eſt conſilio manuum ſuarum* Prouerb. 31. Sponſus autem arti fabrili lignariæ inſudauerat. At tunc, cùm Ieſus naſcitur, paſtores efficiuntur. Sic in Epithalamio: *Qui paſcitur inter lilia.* Cant. 6. Vbi Rupertus Virginem & Sponſum huiuſmodi lilia interpretatur. Agnus Ieſus inter lilia paſcitur, dum parentes paſtorali maiorum muneri referendo ſtudent.

Cùm Maria & Ioſephus paſtorale munus obeunt, natali Ieſu aſſiſtunt. Prou. 31.

Cant. 6. Rupert.

72. Porrò Deipara *peperit Filium ſuum primogenitum, & reclinauit eum in præſepio.* Luc. 2. Quare in præſepio collocat? D. Athanaſius ad Mat. 21. aſſirmat Mariam gregem Dominicum tunc myſticè cæleſti pabulo donauiſſe. Verùm bos & aſinus, homines ſcilicet irrationaliter viuentes, à Virgine ciebantur, vt redeant ad homines. *Fortaſſe ob iſtum pullum Ieſus in præſepio reclinatus fuit.* En Deiparam gregis curam gerentem eo inſtanti, quo Parnulus ad vallis lacrymas aduocatur.

Deipara gregis curam gerit cùm Agnus naſcitur. Luc. 2. Athan.

73. Vehementer cupiebat Mater beatiſſima Ieſu frui natalitio: *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Cant. 1. Quod Incarnationis myſterio datur à Patribus. *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes?* Cui Ieſus: *Abi, & egredere poſt veſtigia gregum, & paſce hædos tuos iuxtà tabernacula Paſtorum.* Ibid. Paſtorum maiorum ſequi veſtigia cura, ſi gaudio natalis mei perfundi intendis. Magnum enim hoc gaudium Paſtoribus annuntiatur, *qui veterum Patriarcharum viuendi modum apprehenderant.* Non multum certè cæleſtibus arcanis cum illo, qui maiorum deſpiciens ſtatum, & munus, ad eleuatius protendit, oon ſine elationis periculo miniſterium. Proh ſtulto equiti ex agricola exorto!

Deipara manifeſtatur Ieſu natiuitas, quando ad paſtorale officium ſe conuertit. Cant. 1.

Euthym.

## CAPVT IV.

## Paſtoris Ieſu Natiuitas congruè Paſtoribus reſeratur.

*Vbi de ſimili ſocio eiuſdem ſcilicet profeſſionis eligendo.*

74. ADhuc Euthymius: *Quia etiam Paſtor, ac Dux factus eſt populi, Paſtoribus primùm ea, quæ de ſe erant myſteria, manifeſtauit.* Concinit Eccleſia, *Angeli canunt Deo, palámque fit Paſtoribus Paſtor Creator omnium.*

Euthym.

75. Moyſes equidem *paſcebat oues Iethro ſoceri ſui Sacerdotis Madian. Cúmque minaſſet gregem ad interiora deſerti, venit ad montem Dei Oreb. Apparuitque ei Dominus in flamma ignis, de medio rubi.* Exod. 3. Rubus ardens Chriſtus recèns natus. Videbat autem Moyſes, quòd rubus arderet & non comburerertur. *Per quod ſignificabatur* (ait Lytanus) *quod mortalitas carnis non abſorbebatur in Chriſto ex præſentia Diuinitatis.* Adnotat D. Athanaſius Orat. de Natiu. Dominum tunc Paſtori apparuiſſe. *Paſtor ipſe Moyſes, qui in eremi receſſa, dum ſequitur pecudes, in rubo conſpicit Deum,* ſiue in humanitate agnoſcit Saluatorem. Et quare Paſtori Ieſus natus oſtenditur? Annon quia & ipſe Dominus Paſtoris munus obite promittebat? *Vidi* (inquit) *afflictionem populi mei in Ægypto, & ſciens dolorem eius, deſcendi vt liberem eum de manibus Ægyptiorum, & deducam de terra illa in terram bonam, & ſpatioſam.* Ibid. Paſtoris profectò munus populum ad terram bonam & ſpatioſam deducere. Id quod Dauid carmine celebrauit. *Qui regis* (aliter *paſcis*) *Iſrael, intende qui deducis velut ouem Ioſeph.* Pſalm. 79. Si Dominus paſtorali

Apud rubū Deus gerens Paſtoris Paſtori Moyſi apparet. Exod. 3. Lytan.

Athan.

Pſalm. 79.

paſtorali indutus amictu aduentabat; quidni præterito Ietro Sacerdote, Paſtori manifeſtaretur?

75. *Paſtor Ieſus Ioanni Paſtori oſtenditur.* Ioan. 1. Tolet. ad c. 2. Luc.

Paſtor ſimul & Agnus Ieſus, quem Ioannes oſtentauit, inclamans, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Ioan. 1. Vbi Toletus ex Auguſtino, Chriſtus Agnus in mundi ſalutem oſtendus. Ecce Agnus Dei. Erat Chriſtus Agnus & Paſtor, idcircò Paſtoribus vt Agnus apparet, & vt Paſtor. Num Paſtor Ioannes? Lyranus ad illud: *Moyſes paſcebat.* Exod. 3. ait: *Per Moyſem significatur Ioannes Baptiſta paſcens fideles Chriſti cognati ſui. Nam mater eius cognata fuit Mariæ. Ioannes enim prædicationis pabulo fideles Chriſti pauit. Venit Ioannes ad Chriſtum perſonaliter cognoſcendo, & etiam baptizando.* En Paſtor properat ad Paſtorem?

76. *Patribus Paſtoribus apud limbum Paſtoris annuntiatur aduentus.* Exod. 3. Lyran.

Hunc equidem Paſtorem Ioannem ad limbum immiſſum, vt annuntiet Angelorum in morem gaudium magnũ, prædicétq; Paſtoris veri virtute oues à faucibus leonis baratri eruendas ex illa Dei ſententia affirmo: *Sed veni, mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum filios Iſrael de Ægypto.* Exod. 3. Id quod Lyranus in hunc modum confirmat, *Veni,* ô Ioannes, *mittam te ad limbum, qui eſt in parte inferni, ad denuntiandum Patribus eorum liberationem.* Vnde D. Gregor. homil. 2. *Quẽ enim præcurrens, naſcendo, mundo nuntiauerat; hũc moriendo, ad inferos præcurrebat.* Quod ſi requiras, quare Paſtoris ore Paſtoris Ieſu Patribus aduentus proximus ad debellandũ leonem & lupum infernum annuntiatur? Reſpondet D. Athanaſ. citat. *Paſtor Abel, Paſtores Abraham, Iſaac, & Iacob, Paſtores Patriarchæ, Paſtor Moyſes, Paſtor Eliſæus, Paſtor Dauid.* Si tot Paſtores apud limbi tenebras commorantur, quid mirum bonum Paſtorem, & Epiſcopum animarum ad Paſtores deſcendiſſe? Quàm facilè ſimiles cum ſimilibus congregantur!

Gregor.

Athanaſ.

77. *Sacerdotibus non apparet Paſtor Sacerdos, quia non erant Paſtores.* 1. Pet. 2. Ezech. 34.

Incidi in locum Apoſtoli: *Conuerſi eſtis nũc ad Paſtorem & Epiſcopum animarum veſtrarũ.* 1. Pet. 2. Si Ieſus Paſtor Epiſcopus conuenientius ad Paſtores Epiſcopos, ſiue ad Sacerdotes Ieroſolymæ properaſſet. Cur ergo hiſce minimè natalitij Paſtoris ſimul ac Sacerdotis fulgor innotuit? Quia Sacerdotes ſeu Epiſcopi illi Paſtores nõ erãt. Ezechielem audite: *Væ Paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos; lac comedebatis, & lanã operiebamini, & quod craſſum erat occidebatis, gregem autem meum non paſcebatis.* cap. 34. Illud adnota: *Væ Paſtoribus, & gregem non paſcebatis.* Si non paſcebant gregé, quonam modo Paſtores vocitantur? Quia ſemetipſos ſaturare curabant. *Paſcebant ſemetipſos.*

78. *Paſtor bonus ſe & gregem paſcit.* 1. Reg. 2. Hugo.

Profectò Paſtor & ſe, & gregem ad paſcua deducit. At praui Paſtores propriæ ſatietati inuigilãtes, gregis negligunt curam, illud vſurpantes: *Dimitte me, obſecro, ad vnam partem ſacerdotalem.* 1. Reg. 2. Quem locum appoſitè Hugo Card. ad c. 1. Iac. interpretatur: *Facto multi dicũt hodie illud: Dimitte me ad vnam partem ſacerdotalem. Officium ſacerdotale habet duas partes. Vna eſt cura animarum; alia eſt ſuſtentatio temporalium. Prima eſt principalis, ſecunda acceſſoria. Sed de acceſſorio fit hodie principale.* Paſtoribus itaque Paſtoribus, id eſt, paſcentibus gregem, & vigilias ſuper eum gerentibus gaudium nati Paſtoris Epiſcopi annũtiatur, non Sacerdotibus Ieroſolymæ minimè ſuper gregem vigilias cuſtodientibus. Quos ita D. Bernard. ſerm. 77. in Cant. reprehendit: *Quem dabis mihi de numero Præpoſitorum, qui non plus inuigilet ſubditorum vacuandis marſupiis, quàm vitiis extirpandis.* Inuigilant? Ergo Paſtores cuſtodientes vigilias noctis imitantur. Cuſtodiunt equidem noctis vigilias; ſed vt furum in morem, marſupiis præparent inſidias. Proh lupi Paſtores! *Palam igitur fit Paſtoribus Paſtor.* Vt edocearis à te ſocium ſimilem requirendum. Num gryphes equis aut damæ timidæ canibus hærent? O quàm inſolitum (ex. gr.) Sacerdotem cum mundialibus inire ſocietatem: Monachum ad ſæcularium conuenticula profana diuertere!

Bernard.

## Capvt V.

### Paſtoribus animarum primùm diuina myſteria reſerantur.

*Vbi de Prælatis à Domino ſpecialiter directis.*

79. Euthym.

Denique Euthymius, *Significatur quoque & aliud. Quod videlicet Paſtoribus rationalium ouium diuina myſteria primùm ante alios reuelantur.* Per illos namque populus doctrinam recipit, iuxta illud: *Dedit alios Paſtores, & Doctores ad cõſummationem ſanctorum in opus miniſterij, &c.* Epheſ. 4. Nunquam non Paſtor ſpiritualis illuminatur, vt oues ipſe poſſit dirigere.

Epheſ. 4.

80. *Lux ſuper Paſtores præcipuè coruſcat vt alios dirigant.* Luc. 2. Beda. Gregor.

Lucas ſignificauit, dum inquit, *Ecce Angelus Domini ſtetit iuxta illos, & claritas Dei circũfulſit illos.* Cap. 2. Id quod expendens Beda, inquit, *Paſtores vigilantes benè claritas Dei circũfulget; quia illi præ cæteris ſublimia vident, qui fidelibus gregibus præeſſe ſollicitè ſciunt. Dũmq; ipſi piè ſuper gregem vigilant, diuina ſuper eos gratia largius coruſcat.* Ex D. Gregor. homil. 8. tranſtulit Pater. Haud equidem ſolicitè Paſtores gregi proſpicerent, ſi cæleſtis gratiæ, ac directionis fulgor ſuper illos vberiùs minimè coruſcaret.

81. *Vt Noë ſuos dirigeret, à Domino edocetur.* Gen. 6. Ambroſ.

Deus ad Noë: *Ingredere tu, & omnis domus tua in arcam.* Gen. 6. vbi D. Ambroſ. *Stultus ſibi ſoli (vt ait Propheta) ſtultus eſt; ſapiens autem ſibi, & pluribus ſapit. Noe meritò domus eius in diluuio ſeruatur. Nauigãtes ſcientia gubernatoris, & milites prudentia ducis ſaluat.* Num à ſemetipſo didicit ſuos ad ſalutarem extrũ adducere? Profectò à Domino edoctus oues duxit ad vitam. Vnde adiicit Pater, *Illi namque dictum eſt, ingredere tu, & omnis domus tua in arcã.* Ac ſi diceret, Haud hæc gubernatoris Noë ſcientia, haud prudentia hominis ducis; ſed Dei inuiſibiliter dirigentis. Noë ducit familiam, introducit in arcam, at Deus ipſum dirigit gubernatorem. *Ingredere tu, & domus tua.*

82. *Quaſi debetur Paſtori ſpecialis è cælo fulgor, in ouium directionem.* Gen. 32. Rupert.

Paſtor es ouium? Tibi debetur Domini ducatus, vt valeas commiſſas tibi oues ab irruentibus lupis liberare. Appropinquante Eſaü, Iacob huiuſmodi preces effudit: *In baculo meo tranſiui Iordanem iſtum; & nunc cum duabus turmis regredior. Erue me de manu fratris mei Eſau.* Gen. 32. In cuius expoſitionem præmitto Rupertum fantem: *Etiam cuilibet Prælato congruit hoc dictum: In baculo meo tranſiui Iordanem. Nunc autem Eccleſiæ Dei præpoſitus duas turmas ſuſcepi alendas; alteram paruulorum, quibus adhuc lacte opus eſt; alteram perfectorum, quorum ſolidus cibus eſt.* Iam requiro, Cur ſe paſtorem memorat, vti à Domino in ſalutarem



Digitized by Google

exitum dirigeretur? Annon ſatius ſeſe præceptorum cæleſtium obſequentiſſimum obiiceret, Iſaaci filium commemoraret? Profectò vt Iacobo via ſalutis aperiatur, lúxque emicet, quâ edoceatur, quonam modo greges à periculo imminenti, ab irruenti lupo poſſit eruere: appoſitè ſe Domino paſtorem eſſe manifeſtat. Paſtoribus namque quaſi debetur cæleſtis directionis ſpecialis fulgor in ouium gubernationem ſalutarem.

83. *Vbi Paſtoris officium, ibi cæleſtis directio præſto eſt.* Exod. 14. Strab.

Populus olim inſtar ouium eductus ab Angelo Paſtore ducebatur. At nubis columna ſimul populum protegebat. Exod. 14. ſi Angelus Paſtor oues deducit, quare emicat nubis columna? Strabus: *Iſte Angelus Doctores ſignificat, qui nobis præcepta vitæ annunciant, & cum nube, id eſt, ſcientia Scripturarum* (aptiùs dixeris, cæleſti directione,) *caſtra Iſrael, id eſt, Eccleſiam præcedunt.* Dirigit itaque Angelus Paſtor Dominicas oues, dum Ipſe à nube dirigitur. *Tollénſque ſe Angelus Dei, qui præcedebat caſtra Iſrael, abyt poſt eos, & cum eo pariter columna nubis.* Ibid. Num non ad exitium luporum irruentium Angelus Paſtor ſufficeret, ſicut ad primogenitorum ſuffecerat extinctionem? Ita planè. At nubes ſimul progreditur; quia quantumvis potens, ac prouidus Paſtor non rectè gregi prouidebit niſi à cæleſti fulgore dirigatur. Vnde Cælicola ſine nubis haud properat conſortio.

In cuius typum Deus ad Moyſem profatur, *Eſto paratus mane, vt aſcendas ſtatim in montem Sinai, ſtabiſque mecum ſuper verticem montis. Boues quoque, & oues non paſcantur.* Exod. 34. Cuius loci ſpiritum ita Rabanus exprimit: *Innuitur iis, qui populo Dei præſunt, vt præparent corda ſua, ad ſuſcipiendam diuinam ſapientiam. Manè ergo paratus eſt aſcendere, qui mentem ſuam eleuat ad intuenda cæleſtia.* Cur autem myſticè interim greges paſci prohibentur? *Boues quoque & oues non paſcantur.* Quia non aptè ſalutari pabulo implentur oues, dum Paſtor cæleſtis paſcuæ alimoniâ non ſaginatur. Prius ipſe cæleſtem ſecutus Paſtorem, ſimul & Agnum lucem abſumat, quàm ouium ductor, eas adducat ad paſcua. 84. *Paſtor prius luce paſcatur quàm dirigat oues ad paſcua.* Exod. 34. Raban.

## SECTIO QVINTA.

# HYMNVS ANGELICVS.

## *TEXTVS.*

*Verſ.* 13. Et ſubitò facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis laudantium Deum, & dicentium: 14. Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

## *COMMENTARIVS LITERALIS.*

### §. I.

### *De cæleſti militia.*

1. *Angeli teſtimonium ferentes.* Leo.

ET *ſubitò facta eſt cum Angelo multitudo.*] Adfuit repentè cum Gabriele, qui Paſtoribus Chriſtum exortum annuntiauerat, Angelorum multitudo. *Angeli* enim *prædicationi*, vti adnotat Diuus Leo Sermone nono de Natiuitate, *exultatio innumerabilium iungitur Angelorum, vt excellentius foret teſtimonium, cui militia cæleſtis multitudo concinit Angelorum.*

2. *Vndenam?*

Vndenam hæc Angelorum multitudo? Euthymius & Beda poſt nuncium ab Angelo exhibitum exiſtimant aduolaſſe. Exiſtimo ſimul cum Angelo aduenisse, non tamen agnitam fuiſſe à Paſtoribus niſi poſt nuncium acceptum.

3. *Auditi & viſi.*

Num auditi tantùm hi Angeli, an etiam à Paſtoribus aſpecti? Quidam auditam ſolommodo Spirituum multitudinem opinantur. Ego viſam affirmo. Triplici nitor ratione. Prima, quia verba id indicant Euangelica; dicitur enim multitudo facta cum Angelo, propterea quod cum ipſo apparuit, hunc autem viſum fuiſſe, certum omnino. Secunda, quia veritas natiuitatis viſibilis viſibili Angelorũ magis ſignabatur obiectu. Tertia, quia multitudo illa, quæ maieſtatem naſcentis repræſentabat, veritatemque humanitatis Dominicæ aſſerebat, præſentiâ viſibili credibiliorem reddebat teſtificationem.

*Militia cæleſtis.*] Dupliciter in Sacris accipitur. Vno modo pro multitudine Stellarum. 4. *Cur militia*
*Adorauerunt omnem militiam cæli.* quarto Regum capite decimoſeptimo, *Extruxit altaria omni militiæ cæli.* Deuteronomij cap. 17. Hæc de Solis, Lunæ, ac Stellarum adoratoribus. Altero pro Angelorum vniuerſitate. Iacob fuere obuiam Angeli, quos cùm vidiſſet, dixit, *Caſtra Dei ſunt hæc.* Geneſ. 32. *Educit in eo numero militiam cælorum.* Iſa. 40. Et ipſi Angeli Dei milites appellantur. *Numquid eſt numerus militum eius?* Iob. 25. An aptè hoc nomine Angeli inſigniontur? Ita planè. *Nam ſicut*, loquor cum Toleto, *in exercitu eſt ordo, fortitudo, & maieſtas, ita in Angelis.* Crediderim tamẽ accommodatius huiuſmodi appellatione Angelos ſignari, quod inſtar militum, & innumerabiles ſunt, & ordine per choros veluti cohortes diſpoſiti, & Deo Imperatori obſequentiſſimè parent, Domino quidem Sabaoth, ſeu exercituũ. Necnon propterea quod aduerſus dæmones concertant. Tolet.

Digitized by Google

conecrtant. Vnde Diuus Gregorius Iob. 25. *Angelicos Spiritus rectè Dei milites dicimus, quia decertare eos contra poteſtates aereas non ignoramus, quæ tamen certamina non labore, ſed imperio peragunt.* *Gregor.*

## §. II.

### *Deum laudant Angeli, gloriam, quam habet in cælo, prædicantes.*

5. *Dei gloria. Gregor.* LAudantium Deum, & dicentium. ] *Angeli,* Loquor cum Gregorio, Iob. 38. *vt nos ad laudem Conditoris accenderent, ortâ per carnem luce clamarunt, Gloria in Altiſſimis Deo.* Hymnum bipartitum expono. Primùm quidem Deum laudibus efferunt, gloriam peruulgantes, quâ apud Angelos potitur in cælis.

6. *Varietas lectionis.* *In Altiſſimis.* ] Græcè ἐν ὑψίστοις. Irenæus lib. 3. capite 11. Ambroſius Sermone 13. Hieronymus in Epitom. Luci. & Auguſtinus Serm. Domin. in monte lib. 2. legunt *Gloria in Excelſis*, quos imitatur Eccleſia.

7. *Canticum laudis. Nazianz. Iren.* Manifeſtat Lucas hoc canticum laudis dum ait: *Laudantium Deum.* Nazianzen. Apolog. 1. *Angeli cæleſtem primum, deinde terreſtrem laudem celebrant.* Irenæus lib. 3. cap. 2. *Glorificauerunt Deum, qui eſt factor ſupercæleſtium, & eorum, quæ ſuper terram ſunt.* Ambroſius Serm. 13. & Euthym. conteſtantur. Vnde adnoto haud ſupplendum eſſe Verbum optandi, ac ſi dictum fuiſſet, Gloria ſit Deo; hoc enim imprecari eſt, non laudare. Non hinc probanda omninò Theophyl. ſententia aſſerentis canticum eſſe gratiarum actionis, quaſi Angeli gratias Deo pro Dominici natalitij munere peragant. Etenim aliud eſt, gratias agere, quàm laudare; nam laudamus, cùm alterius virtutes, aut præclara promimus geſta; licèt aliàs ſuâ non careat probabilitate.

8. *Expenditur locus.* Iam expendo ſententiam. Nato Chriſto, in Altiſſimis eſt gloria Deo, Angeli enim in cælis habitantes, Deum glorificant, ſummis efferentes encomiis bonitatem, ſapientiam, potentiam, ac iuſtitiam Dei ex Chriſti natalitio reſeratas. Porrò Angelos Deum laudare, aut glorificare, nil aliud quàm ob huiuſmodi opus, quo glorioſè magnificatus eſt, omni dignum laude profiteri. Ex Nazianzen. Iren. & Ambroſ. didici. Hinc ſequitur illud *In Altiſſimis* non eſſe cum Deo coniungendum, (vti aliqui copulant recentiores) Gloria Deo, qui eſt in Altiſſimis; ſed in Altiſſimis apud Angelos eſt gloria Deo; ſic enim ſequenti reſpondet, *Et in terra eſt pax hominibus.*

## §. III.

### *Deum laudant Angeli, pacem, quam fecit in terra cum hominibus, proferentes.*

ET *in terra pax hominibus bonæ voluntatis,* &c. ] Alteram en Hymni partem: Deum laudant Angeli, qui pacem in terra hominibus fecerit. Sic Euthymius exponit, *In terra pax, in hominibus bona voluntas, ſeu beneplacitum Patris, quod olim erat, hoc autem eſt, vt incarnaretur Filius, & ſaluaretur homo.* Theophyl. *Super Terram nunc pax facta eſt, & cùm prius natura humana inimica erat Deo, nunc ita conciliata eſt, vt & Deo adiuncta ſit, & incarnato vnita, Et hominibus bona voluntas Dei, id eſt, Deo requies in illis hominibus.* 9. *Patrum expoſitio.* Theoph.

Retinenda noſtri Interpretis lectio, *bonæ voluntatis*, quæ eſt Hieronymi, Irenæi, Auguſtini, & Latinorum. Triplicem ſenſum continet. Primus eſt, In terra pax hominibus bonæ voluntatis, id eſt, qui bonam habent voluntatem. Hieronymus Epiſtola vigeſima-nona ad Theodorum, *In cælo, vbi non eſt peccatum, gloria eſt; in terra autem, vbi ſeditio, bella, atque diſcordia, pax imprecanda eſt, & pax non in omnibus, ſed in his, qui bonæ voluntatis ſunt.* Auguſt. Beda, Lyran. & omnes Latini ſic interpretantur. Secundus, In terra pax hominibus bonæ voluntatis, ſeu beneplaciti diuini. Id eſt, Pax hominibus, quos Deus iam amat, & gratos habet. Ita Euthymius. 10. *Senſus triplex.* Hieron.

Sic tertio ſenſu clauſulam expendo. Pax, Angeli concinunt, eſt hominibus in terra, quia nempe qui in cælis glorificatur, in terra eſt, terrenus effectus. Pax autem huiuſmodi eſt hominibus bonæ voluntatis, id eſt, non ex eorum meritis, ſed ex Dei beneplacito, ac gratuitâ eius voluntate, quâ homines ſibi reconciliauit, & ex inimicis filios fecit hæredes, duos item populos Iudæorum & Gentium copulauit, vniuerſamque naturam humanam aſſociare Angelis dignatus eſt, vt Paulus clamet, *Complacuit per eum reconciliare omnia in ipſum, pacificans per ſanguinem Crucis eius, ſiue quæ in cælis, ſiue quæ in terris ſunt.* ad Coloſſenſes capite ſexto. An mox Infans exortus hæc omnia præſtitit? Minimè, ſed pax, eo adueniente, qui pacis auctor, & effector erat, ab Angelis prædicatur. 11. *Senſus tertius approbatur.* Coloſſ. 6.

# IN IESVM NATVM,

# Panegyricus V. Moralis circa Literam.

## EX HYMNO ANGELICO.

### *OBSERVATIO I.*

Ad illa verba:

*Facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis laudantium Deum.*

## Natiuitatem Chriſti noſtræ decet gratitudinis modulatio.

*Vnde oſtenditur, profuſis gratijs cuiuſuis Dei beneficij nos proſequi debere natale.*

12. Carthuſ. LICET hymnum laudis, non tamen eſſe gratiarum nunc actionis improbo. Dionyſ. Carthuſ. ſic expendit ſententiam: *Ad nati Pueri dignitatem inſinuandam tã multi, imò ſecundum Origenem tam innumerabiles Angeli apparuerunt, laudantes Deum ardentiſſimâ, deuotiſſimâ, atque lætiſſimâ mente.* Digna etenim Chriſti natiuitas, quæ gratiarum actionis lætiſſimis hymnis celebretur. Vix naſcitur Infans, cùm harmonicus reſonat concentus, laudibus Deum efferens largitorem.

13. *Num Angeli ante cælum creati, vt in mundi natali Deum collaudarent?* Magna mundialis exortus expectatio, quando ex fœcundiſſimæ Dei potentiæ vtero reuocatur ad lucem. Natalis tantus Angelis eget proculdubio cantoribus, qui Deum curent concelebrare. Hinc Plato Angelus ante cælum & terram creatos ſentit, cuius paradoxæ ſi requiras rationem, ea mihi ſubeſt, ſcilicet conueniens fuiſſe, vt ante magnum mundi natalem iam Muſici adeſſent parati laudatores, qui Deum panegyricis efferrent. Excogitauit Theodor. apud Lipom. *Qui ergo dicunt Angelos ante cælum fuiſſe, quia alioquin vniuerſorum Deus non habuiſſet, qui ſeſe laudarent.* Quaſi ex Platonica ſententia, cuius meminit Doctor, magno defectu in mundi natalitio hymnus non reſonaret. Hoc ſi naſcente mundo; quid in mundi natali Conditoris? — Theodor.

14. *Quæritur Iacob, quod non mox natum Dominum laudarit.* Gen. 28. Ambroſ. *Vidit* olim *Iacob ſcalam ſtantem ſuper terram, Angelos quoque Dei aſcendentes, & deſcendentes.* Geneſ. 28. Vbi Ambroſ. *Iacob in ſcala Chriſtum præuidit in terris, ad quem Angelorum caterua deſcendit, obſequium* nempe laudis, *proprio Domino præbitura.* Natum enim Chriſtum decent hymni in gratiarum actionem. Quid tunc dormiens Iacob? Cúmque euigilaſſet de ſomno, ait, *Verè Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam.* Væ mihi, quia ſomno preſſus tacui, nec Angelorum multitudini immixtus, gratitudinis hymnum effudi. Illicò autem edoctus ille quod voce non præſtiterat, lapide erecto, opere exhibuit. *Surgens ergo Iacob, manè tulit lapidem, & erexit in titulum;* nempe gratitudinis. Illam particulam, *Ergo*, pondera. Apponenda prorſus fuiſſet mox poſt Domini viſum in terra natale. Vidit Iacob ſcalam, ſeu in terra Dominum; ſurgens ergo tulit lapidem, ſiue gratias egit. Atqui conſequentiâ illigatus, eò quòd eſſet ſomno preſſus, non gratiarum laudes profudit: poſtquam vigilans nouit, quaſi vi conſequentiæ affectus, illicò lapidem erexit in titulum. *Surgens ergo.* Naſcitur Chriſtus? Ergo agendæ gratiæ.

Id quod oſtendo, illud Domini ad Moyſem expendens: *Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob*, Exod. 3. Quæ exponens D. Auguſtin. ait, *Cùm dicit, Ego ſum. Diuinitatis ſubſtantiam ſignificat. Cùm autem dicit: Deus Abraham, Iſaac, & Iacob, myſterium ſuſceptæ incarnationis inſinuat, quia de illis ſecundùm carnem generatus agnoſceretur.* Agnoſcitur Deus natus homo? Conſequentiæ vi ab hominibus laudes profundentur; quia nil tam adnatum huius maximi beneficij cognitioni, quàm ex conſequentia actio gratiarum. Vnde pulchrè mox poſt præfatam ſententiam adiicit Doctor: *Si dicit Dominus, ſum quod ſum, ſic ſum ipſum eſſe: ſic ſum ipſum eſſe, vt nolim hominibus deeſſe, & ita etiam ſum Deus Abrahã. Laudemus ergo ineffabiliter eius eſſentiam.* Nam poſt tanti muneris cognitionem nihil quaſi ex vi conſequentiæ priùs quàm gratiarum actio perſoluenda. Ideò Iacob mox poſt cognitionem conſequentiâ illigatus, lapidem extulit. *Surgens ergo, Laudemus ergo.* 15. *Conſequens Chriſti natalitio gratiarum actio.* Exod. 3. Auguſt.

Profectò ſi cum Paſtoribus in præſepio Ieſum reclinatum non vidimus, quotidie in *natali Calicis* (ſic Paſchaſ. Euchariſtiam appellat) Chriſtum nobis datum, nobis natum fidei oculis aſpicimus. Vnde quotidie nobis natum effuſis gratitudinis laudibus tenemur excipere: Dauid, *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Omnia equidem retribuit, quia *Calicem ſalutaris accipiam*, nato calice potabor. Pſalm. 116. Nomen igitur Domini *inuocabo.* Eccleſia adiicit ſub eodem prætextu, *Laudans inuocabo Dominum.* Et Auguſt. *Retuleris gratiam.* Nec enim deceret tanti beneficij natalem gratitudinis non celebrari modulatione. 16. *Calicis Euchariſtici natalis à nobis celebrandus.* Pſal. 116. Auguſt.

Hinc collegerim, quàm accuratè debeam cuiuſuis beneficij natalitium obſeruare, vt Deum laudibus afficiam. Adamus exoritur: *Creauit Deus hominem.* Geneſ. 2. Rupert. lib. 2. in Geneſ. cap. 39. affirmat, debuiſſe hominem ſui ipſius beneficio magno à Deo natale acceptum dulciſonis hymnis celebrare. Vnde poſt illud: *Creauit Deus hominem*, deſiderari ait, *Et cecinit homo.* Siquidem à Creatoris laude deberet incipere, 17. *Natalitium beneficij creationis celebrari oportet.* Geneſ. 2. Rupert.

Deoque

Deóque ſpiraculum vitæ inſpitante, eodem ad modulationem vti teneretur. Non ſic Angeli beati, mox enim poſt natalitij (creationem appellarim) acceptum munus laudibus effuſis perſonarunt.

18. *Sic boni Angeli.* Iob 38. Iunil.

Memorans id Dominus, ſic Iobum hominis primi agentem perſonam tacitè reprehendit. *Vbi eras, cùm me laudarent aſtra matutina?* Cap. 38. *Aſtra matutina*, ait Iunil. apud Lipoman. ad Gen. *vocat Angelos, ad diſtinctionem hominum, qui poſtmodum creandi erant velut aſtra veſpertina.* Vbinam igitur eras homo aſtrum veſpertinum, cùm me matutina aſtra laudarent? Cur etiam tuo in natalitio non cecinisti, ſicut Angeli ſuo in exitu concinuêre?

19. *Mali minimè diem natalem coluère.* Iunil.

Adiicit pulchrè Iunilius, *E quibus aſtris matutinus vnum ob deſpectum ſocia laudationis Dei audire meruit, Quomodo cecidiſti Lucifer, qui manè oriebaris.* Oriens *manè* cecidit. Cur non poſt matutinum exortum? Quia ipſo io exortu deliquit, dum tanti beneficij natalitium gratâ non eſt modulatione proſecutus. Oriens, inquam, cecidit, nō quia in illo eodem creationis inſtanti cecidiſſet in culpam, aut pœnam, ſed fortaſſe quia in jmmediato ſui exortus puncto non gratus modulatus eſt, in culpam cadere permittitur grauiorem, æterno addicendam ſupplicio. Vnde edoctus diabolus hominis ſilentium aduertens ingratitudinis documentum, fortè opportunum tempus adiudicauit Protoplaſtum oppugnandi, ſperans fore, vt aſtrum veſpertinum in graue crimen cadere permitteretur, ſi id aſtro accidit matutino.

20. *Hinc laudabilis Iudas Lia filius.* Gen. 29. Philo.

Peperit quartum olim Lia filium, clamans: *Modò confiteor Domino, & ob hoc vocauit eum Iudam, ceſſauitque párere.* Geneſ. 29. Quem locum Philo ſic lib. de Char. expendit, *Iuda gratitudinis typus. Ergo Iudas intellectum benedicēs Deum, & in gratiarum actionem hymnos indeſinenter meditans, ipſe verâ ſanctus, & laudabilis fructus erat. Quamobrem natura, qua eum peperit, dicitur deſtitiſſe párere, quia non habebat quo ſe verteret etiam ad perfectionis progreſſa terminum. Nam inter omnia rectè facta nullus partus eſt præſtantior, quàm hymnus in patrem omnium.* Mirum itaque in modum laudabilis Iudas, qui mox poſt tanti beneficij eſſendi ſcilicet natalitium hymnis ſuauiſſimis Patri omnium exhibet gratias. Nec enim iuſtè, aut ſecurè vllius natalis beneficij dies ſine hymnorum auolauit concentu.

# OBSERVATIO II.

## Ad illa verba:

*Facta eſt multitudo militiæ cæleſtis.*

## Cæleſtis militiæ fortiſſimum præſidium.

*Vbi de belligerantibus aduerſus hominum hoſtes cuſtodibus Angelis.*

21. Beda.

QVAM appoſitè Angeli militiæ cæleſtis nomine compellentur, præter ea, quæ in Commentar. ionuimus, Beda exprimit fatus: *Benè chorus Angelorum aduenerns militia cæleſtis accipit vocabulum, qui & Duci illi potenti in prælio, id eſt, Chriſto, qui ad depellendas aereas poteſtates apparuit, humiliter obſecundat, & ipſe poteſtates eaſdem contrarias, ne mortales tantum tentare valeant, quantum volunt, fortiter armis cæleſtibus proturbat. Sicut enim Imperatoris optimi prouiſione cuncta manu militari loca aduerſus hoſtilem muniuntur aduentum, ita Deus quoniam immundi Spiritus ad pacis euerſionem vbique verſantur, ad tutelam noſtram conſtituit exercitus Angelorum, quorum præſentiâ & dæmonum confringatur audacia, & nobis pacis gratia miniſtretur.* Pugnaces igitur pro ſalute hominum Angeli cuſtodes aduerſus inuiſibiles hoſtes exſurgunt.

De queis victoribus ſemper Michæas profatur, *Vidi Dominum Iſrael ſedentem ſuper thronum, & omnis exercitus cœli ſtabat contra eum à dextris, & à ſiniſtris.* 3. Reg. 22. Vbi D. Hier. ad Iſai. 24. *Dexteræ virtutes ſunt eorum Angelorum, qui ad bona mittuntur; ſiniſtræ autem eorum, quibus ad puniendum tradimur.* Cùm igitur dæmonum exercitus aduerſum Chriſticolas inſurgit, cuſtodum exercitus Angelorum aſcendit ad prælium homines ab aduerſariis liberaturus. 22. *Angelorum exercitus copiis Dæmonū opponitur.* 3. Reg. 22. Hieron.

Olim *Ioſue, & omnis Iſraël ceſſerunt loco ſimulantes metum, & fugientes per ſolitudinis viam.* Ioſ. 8. Ad quæ Origen. *Quid putas Ieſus fugiens ſignificet? Videamus ſi ſit tale aliquid, quod fugiendo vincamus; Quia eſt aliqua perfecta virtus in fuga, Paulus indicat dicens, Fugite fornicationem.* 1. *Cor.* 6. *Similiter fugere debemus iram, auaritiam, &c.* Quorſum miles fugiat incolumi remanente aduerſario? Nonne ſatius repugnans comminuat? Profectò dum nos prudenti aſtu huiuſmodi fugimus aduerſarios, Angelorum exercitus illos omninò debellatos in exitium immittunt, vt fugientium perſonam gerentes, quaſi nos repugnando vincamus. Adiicit pulchrè Doctor, *Si fugiendo euaſerimus horum malorum contagia, videntes deuotionem noſtram Angeli inſurgunt, & eos poſt tergum cadentes interimunt.* Poſt tergum, inquam, vt magis hoſtes fugam arripere, quàm fideles videantur. 23. *Angelorum prælio Diabolū fugant.* Ioſ. 8. Orig.

Vidente aliquando Ioanne, *Michael & Angeli eius præliabantur cum Dracone.* Apoc. 12. Num cœlicolæ quieuerunt à præliis? Reſpondet Strabus, *Idem modò faciunt Angeli, qui à nobis Dæmones fugant.* Et D. Poſthumius Serm. ad frat. *Si aduerſus vos*, inquit, *conueniunt caſtra dæmonum, poteſtis vos multum adiuuari agminibus Angelorum.* Et D. Hilar. ad Pſalmum 124. *Iis, qui ſtare volunt in Eccleſia Catholica, non deſunt Sanctorum cuſtodia, & munitiones Angelorum.* 4. *Regum* 6. *dicebat Eliſæus, Noli timere, plures enim nobiſcum ſunt, quàm cum illis.* En ſemper Angeli victores. 24. *Angelica fortitudo ſemper vincens.* Apoc. 12. Strab. Poſthum.

Quid ſi aliquando ſe victos ſimulent, ad celſiorem hominum victoriam? Non ſemper pugnando homines aut dæmonem, aut hominem aduerſarium ipſi debellant, ſæpè ita pupillos diſciplinâ exercent militari, vt robore quodammodo Angelico ſuperato, aduersùs fortiſſimos hoſtes inſtruantur. *Ecce aliquando vir cum Iacob luctabatur vſque mane, qui cùm videret, quòd eum ſuperare non poſſet.* Geneſ. 32. Proh Angeli imbecillitas! Num ab homine cæleſtis Virtus ſuperaberis? Profectò Angelus ſic Iacobum inſtruxit ad prælium, vt magno militari robore donatus iam quodam modo ſuper magiſtrum di- 25. *Aliquando ſe victos ſimulant, ad hominis victoriam.* Gen. 32.

Theod. ſcipolus poſſit, quem timuit olim, hoſtem ſuperare. Ad hæc Theodor. *Angelus cum Iacob luctari voluit, vt timenti fratrem, fiduciam iniiceret. Quin etiam ſe ſuperari ab illo paſſus eſt, ac ſi diceret, Me vicisti, & hominem times?* Vberior ſermo Volum. 6. lib. 1. Deo dante, redibit.

## OBSERVATIO III.

### Ad illa verba,

*Et facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis laudantium Deum, & dicentium, &c.*

### Pacem Angeli euulgaturi militari habitu pugnaces deſcendunt.

*Quia vera pax & materiali, & ſpirituali bello acquiritur.*

26. PRoh Deus immortalis! Cæleſtis militia pacis vſurpat vocabulom? Quid paci cum exercitu? quid pacatiſſimæ quieti cum turbarum ſtrepitu? Si ad proferendum pacis nuncium Angeli deſcenduot, cur non pacis habitum geſtant? Profectò illa æternùm pax duratura, quæ ipſius belli potentia ſtabilitur; bellum etenim validum fit ſtabilis pacis inſtrumentum.

---

### CAPVT I.

*De temporaria pace pugnâ comparanda.*

27. *Bellum vltrò indictũ execrabile, ob bonum pacis ſanctum.* NVnquam non mihi vel ipſa belli execrabilis appellatio. Belligeramur aſſiduè, gens cum gente colliditur, regnum cum regno, ciuitas cum ciuitate, princeps cum principe, populus cum populo, & quod Ethnici quoque fatentur impium, affinis cum affini, cognatus cum cognato, frater cum fratre, filius cum patre; denique, quod ego ſanè puto his omnibus atrocius, Chriſtianus cum Chriſtiano. *Et, ô cæcitatem,* (cũ Eraſm. 4. cent. fari liceat) *mentis humanæ! hæc nemo miratur, nemo deteſtatur. Sunt qui applaudant, qui vehant laudibus, qui rem pluſquàm tartaream ſanctam appellent, ac Principes vltrò furentes inſtigent, oleum, quod aiũt, camino addentes.* Vbi particula illa, *Vltrò furentes* ponderanda. Vltrò enim furit Princeps, qui ſine communis pacis occaſione Chriſtiano ſpeciatim Regi bellum indicit. At qui communis pacis prætextu ſe Marti committit, cum Chriſtianóque Principe conflicturus accurrit, non vltrò furit, ſed à cogente arripitur pace ſtabiliendâ. Bellum enim ſæpè neceſſarium pacis ſtabilimentum. Vide P. Diacon. in Micha. *Pro acquirenda plurimorum pace oportet decertare.*

28. *Bella geruntur, vt in pace viuamus. Ariſt. Tull.* Quam ſapienter Philoſophus 10. Ethic. cap. 7. *Bella gerimus ob eam cauſam, vt in pace viuamus.* Tull. lib. de offic. conteſtatur, *Suſcipienda quidem bella ſunt ob hanc cauſam, vt in pace viuatur. Nam ſicut ſtultum eſt*, cum Thucydide lib. 1. loquor, *mouere bellum, ſi florẽte ſtatu, liceat retinere pacem:* ſapientiſſimum planè, ad bella procedere, cùm ad pacis comparatioocm neceſſarium eſſe iudicatur. Cecinit Mantuan. de Pac.

*Pax belli exacti pretium eſt, pretiũmque pericli.*

*Bellum*, aiebat Viues Epiſc. ad Henr. VIII. Angl. Reg. *non eſt facilè ſuſcipiendum nec certa pax cum ſperatâ victoriâ permutanda. De nulla re magis aut crebriùs deliberandum eſt, quàm de bello, in quo non licet bis peccare, & ad quod Princeps deſcendere vix debet etiam neceſſitate ineuitabili preſſus, omnibus primò remediis tentatis & fruſtrà conſumptis.* Omnia pulchrè, & verè. Id autem quod adiicit minimè probandum, *Nullum eſt tam felix bellum, quo non potior ſit iniqua pax, ſiue curas, ſiue ſumptus, ſiue diſcrimina conſideres, & contempleris.* Nihil enim imbecillius quàm pace iniquâ, quæ & fidei periculo & famæ diſpendio acquiritur, potiri; ſicut anguſtius nihil quàm te dare diſcrimini cuique, curis implicari, anguſtarique ſumptibus, vt ablegatâ pace iniquâ, bonâ, ac iuſtâ potiaris, & incremento fidei, & famæ claritate. Audi Plutarc. Meneclides inuidens Epaminondæ gloriæ, ſuaſit populo, vt pacem haberent bello potiorem. Cui Epaminondas: Fallis, inquit, ciues tuos, qui otij nomine eos ad ſeruitutem vocas. Pax enim bello paratur. 29. *Bellum non peragendum niſi neceſſitate cogente, ſed iniqua pax repellenda. Viues.*

Inſtittuantur ergo prælia ad rectæ pacis acquiſitionem. Eſaü pugnax aduerſus fratrem Iacobum inſurrexit. Nihil ſanctiſſimo, pacatiſſimo, ac mitiſſimo Patriarchæ in tabernaculis educato, dum Eſaü operam dabat venationi, magis præcordiis infixum, quàm ſtabili pace fratri cohærere. Vnde *Præceſſerunt munera ante eum, ipſe autem manſit nocte illâ in caſtris.* Geneſ. 32. Profectò munerum præparatio non dubium quin ad pacis ſtabilimentum conferret, quid namque non muneribus emollitur? Attamen quare ſe recepit in caſtra? Num quia ad veræ pacis acquiſitionem, ſi munera non præſtant, neceſſarius bellorum apparatus? Ita tam ingenioſè, quàm conciſè Ambroſ. *Petiturus à fratre concordiam, dormiuit in caſtris.* Nam præmiſſo prælio pax iuſta ſtabilitur. 30. *Iacob ad caſtra accurrit, pacem obſirmaturus. Gen. 32. Ambroſ.*

---

### CAPVT II.

*De ſpirituali pace pugnâ acquirendâ.*

IAm ſpirituale bellum inſtituendum ad pacis animi acquiſitionem confirmo: *Et quieuit terra à præliis.* Ioſ. 11. Orig. *Non ſub Ieſu Naue, ſub quo nunquam ceſſauit à bellis, ſed ſub Ieſu Chriſto.* Ceſſat animus à præliis, pace fruitur, ſed poſtquàm bella præceſſère. *Ceſſantibus in te bellis, verus,* adiicit ille, *pacificus efficieris; ſed hoc fiet, cùm bella tranſegeris, & aduerſarios ſubegeris.* A præcedente enim ſpiritus cum carne conflictu pax animi exoritur. 31. *Poſt bellum terra tua à præliis quieſcet. Ioſ. 11. Orig.*

Cecinit Dauid, *Laudate eum in tympano, & choro.* Pſalm. 110. Vbi Gregor. 3. part. Paſt. admon. 23. *In tympano ſicca, & percuſſa pellis reſonat, in choro autem voces ſociatæ concordant.* Concordant voces? En pax ſtabilita. Ita planè, ſed poſtquàm ſiccâ reſonante pelle, milites exſurgunt ad prælia, deſcendunt ad campum, hoſtes inuiſibiles debellant, confringunt. 32. *Lituus bellicus prius reſonat quàm chori concordia melodia. Pſalm. 110. Gregor.*

*Putatis,* ait Dominus, *quia pacem veni mittere in terram? Non vtique, ſed gladium.* Matth. 10. Cùm ſub aduentu meo ex Angelico ore pacis hymnum 33.

*Prius Ieſus gladium immittit, quàm pacem obſirmet.* Matth. 10. Auguſt.

hymnum auditis inſonare, ſimul cæleſtis militiæ habitum belligerantem obiicite, gladium ſtrictũ contemplemini. Quid paci cum gladio? Multum planè, ſi gladio gloria veræ pacis acquiritur. D. Auguſt. ſerm. 6. de verb. Apoſt. *Et ſi ſpiritus concupiſcit aduerſus carnem, & ſi modò rixa eſt in iſta domo, maritus litigans non perniciem, ſed concordiam quærit.* Quæ quidem concordia rixarum armis comparanda eſt.

34. *Pax iniqua ab animo depellenda.* Nec enim iniqua pax debet à fideli milite admitti (quemadmodum de materiali bello dicebamus) ſed pro viribus curandum, prælio commiſſo iniquam concordiam detrudere, vt veræ paci locus præparetur. Rurſum Dominicam pende ſententiam, *Non veni pacem mittere, ſed gladium.* Matth. 10. Ad quæ eleganter Chryſoſt. homil. 36. *Quomodo ergo omnes Prophetæ in tempore ſuo futuram prænuntiauerunt? Quia* (reſpondet) *præcipua, ſingularíſque pax tunc præſtatur, quando quod tabo, vel ſanie corruptum eſt, abſcinditur, atq; proiicitur quando improba pax depellitur, aut omnino deſtruitur.* Nec enim aliquando tam periculoſa impugnatio, quam à pugna omnino vacare, ſpiritu carni cohærente.

*Matth. 10. Chryſoſt.*

## OBSERVATIO IV.

### Ad illa verba:

### *Gloria in Altiſſimis Deo, & in terra pax.*

## Dei gloria eſt, homines pace colligari.

### *Vbi de bello pacis, ſeu de potentiſſimo pacis præſidio.*

35. IN cælis gloria Deo, in terris pax hominibus? O quàm pulchrè Angeli concinuère! Tunc enim apud homines eſt Dei gloria ſtabilita, cùm pace fuerint verâ colligati. Aiebat D. Bernardus Serm. de Nat. *Dum homines vſurpant Dei gloriam, turbant pacem.* Quia Dei gloria apud homines, & ipſorum pax pariter incedunt. Pax hominibus? Deo igitur apud homines gloria. *Quomodo ergo ſtabit,* adiicit, *pax hominum coram Deo, & cum Deo, ſi Deo non poteſt eſſe apud homines tuta gloria ſua?* En neceſſariò & pacis defectus, & gloriæ Dei apud homines vſurpatio coniunguntur. Pulchrè iam clamat, *O ſtulti filij Adam contemnentes pacem, & gloriam appetentes!* Pacis etenim ablegatio connotat nos & Dei gloriæ inuidere, & apud nos Deum gloriâ priuari. Tunc igitur apud nos Dei gloria ſtabilitur, cum pacis ſeu charitatis vinculo colligamur.

*Bernard.*

36. *Pax hominũ pax diuinæ voluntatis, ſeu gloriæ vocitatur.* Illud expende, *In terra pax hominibus bonæ voluntatis,* id eſt, pace bonę voluntatis homines perfruantur. Quid pax voluntatis bonæ? Placet cuiuſdam auctoris non immeriti lectio. *Pax diuinæ gloriæ.* Eſt enim Deum glorificari apud nos eius volnntatem executioni dari. Vnde Vates, *Vt videam voluntatem Domini.* Pſalm. 6. Id eſt, vt gloriâ Deus apud me, obſequente me, potiatur. Aliter, *Vt videam voluntatem Domini,* ſiue vt cæleſti gloriâ potiri valeam, vbi plena Dei voluntas adimpletur. D. Paſchaſ. ad Cap. 6. Matth. *In cætu Dei plena voluntas, & perfecta adimpletur, cùm in nullo ab ea eorum aliquis diſcrepare poteſt. De qua nimirum voluntate Dauid: Vt videam voluntatem Domini, & viſitem templum ſanctum eius.* Pax itaque bonæ voluntatis, ſiue Dei gloriæ vocitatur; quia hominum pax Dei eſt gloria, dum ob hominum concordiam & hîc & apud cælicolas laudis reſonat hymnus. Pulchrè roborat Chryſol. Serm. 53. *Pax fratrum, voluntas, ſiue gloria Dei eſt, & iucunditas Chriſti.* Tunc etenim Dei iucunditatis promouendæ quantum in nobis eſt, ſtudemus, cùm conſeruandæ fraternæ pacis, ac dilectionis operam damus.

*Pſalm. 6.* *Paſchaſ.* *Chryſol.*

37. *Apparet Angelus fulgido indumento Dei gloriam ex hominum pace innuentes.* Paſtoribus apparoit Angelus fulgentibus coruſcans indumentis, vnde *Claritas Dei circumfulſit illos.* Luc. 2. Ad quæ Caiet. *Hæc eſt,* inquit, *prima in tota ſacra Scriptura apparitio Angelica cum ſplendore reſeruata iure natiuitati filij Dei.* Quare iure Dominicæ natiuitati fulgens Angeli apparitio reſeruatur? Vt reſpondeam, præmitto eiuſdem Cardinalis ſententiam ſantis, *Et claritas Dei &c. Ex hoc apparet quod ſpecies quædam corporea apparuit,* (Angeli videlicet humana equidem forma coruſcantes) *quæ fulgebat, & quod illa ſpecies erat ſpecies gloriæ Dei, hoc eſt, erat ſpecies quædam præſeferens ſtatum glorioſum Dei.* Statum ſcilicet glorioſum, ſeu gloriam, qua tunc nato Filio, apud homines potiebatur. Quænam hæc gloria? An non exorto Ieſu pax regnat? Num non in diebus eius abundantia pacis exoritur? Nonne concordia viget? Tunc igitur Angeli apparent luce coruſci ſtatum Dei glorioſum ex hominum pace manifeſtantes.

*Luc. 2. Caietan.*

38. *Canunt Angeli, non pugnant, quia omnia pacifica.* Dominus exercituum Deus olim appellabatur, Angelos milites dimicaturos immittebat. Quia pace à mundo ablegata, quaſi aduerſus Dei regnum homines inſurgebant, *qui,* loquor cum Bernard. *turbant pacem, & vſurpant gloriam.* At natos Ieſus pacem obſirmat, vnde militia cœleſtis non pugnans, ſed cantatrix deſcendit, quaſi pace hîc ſtabilitâ, nullus adſit hoſtis, qui aduerſùs Dei gloriam audeat dimicare. Inocent. III. Ser. 2. Natiuit. *Ipſe,* inquit, *pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, in cuius ortu cœleſtium multitudo pſallebat.* Quid militum choris cum choro muſicorum? Pſallit iam chorus militum chorus modulantium effectus, quia hominum pace ſtabilitâ, non eſt, qui aduerſus Dei gloriam audeat dimicare.

*Bernard. Innocent.*

39. *Cæli murus de pace obſirmatur.* Pſalmiſta iam cum cœleſti militia concinat, *Lauda Hieruſalem Dominum, lauda Deum tuum Sion: Qui poſuit fines tuos pacem.* Pſal. 147. Id eſt, muros Ieroſolymæ è pace conſtruxit; quia hominum pax Dei regnum ita communit, vt nullus audeat inſurgere hoſtis, imò omnis aduerſarij potentia ad vrbis cœleſtis ingreſſum apud pacis muros confringatur. Aptè Auguſt. Ser. 128. de temp. *Ieruſalem cœleſtis muros de pace conſtructos habet. Ibi enim confregit Dominus potentias, ſcutum, gladium, & bellum; quia in pace factus eſt locus eius.* Factus locus eius in pace, ſiue pacis muro cœleſtis gloriæ vrbs ſtabilita. Confirmat doctrinam Caiet. *Myſterium hoc eſt* Angelici Hymni, *ad efficiendum in ſuperioribus quidem gloriam Deo, in inferioribus verò pacem, id eſt, tranquillitatem ordinis Dei,* ſeu in ordine ad Deum vtique glorificãdum. Tunc etenim Deum glorificamus, cùm apud nos concordia viget; tunc autem, quantum ex nobis

*Pſalm. 147. Auguſt.*



Digitized by Google

eſt. Dei gloriam vſurpamus, cùm diſcordiarum efficimur ſuſcitatores. Hinc potentiſſimum pacis præſidium licet contemplari.

## OBSERVATIO V.

Ad illa verba:

*Gloria in Altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus.*

## Angeli pacem hominibus concinentes, ſimul eos potiri gloriâ affirmant.

*Quia vbi pax, ibi gloriam neceſſe eſt commorari.*

40. Bernard.

DISPLICET, aiebat D. Bernard. de Natiu. *mortalibus Angelica partitio, quâ gloria Deo, pax hominibus nuntiatur.* Satius equidem nobis pacem ad cælos auolare, gloriâ apud homines commorante. Certè haud gloria & pax poſſunt ſeparari. Si in cælo gloria, inibi pax; ſi in terra pax, ibi gloriam neceſſum habitare. Vnde bellè adiicit Pater, *Porro cum noſtro genere benè agitur, ſi datur frui pace Dei, pace cum Deo & quidem feliciter.* Quia cæleſti quodam modo felicitate fruimur, cùm pace donamur.

41. *In pacifica terra noſtra inhabitat gloria.* Pſalm. 84.

Dauidem modulantem auribus percipite. *Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem ſuam. Verumtamen propè timentes eum ſalutare ipſius, vt inhabitet gloria in terra noſtra.* Pſalm. 84 Pace Dei populus donatur? Igitur gloria terræ incola conſpicitur; Chriſtus enim Patris gloria in pace nobis conſpiciendus obiicitur, vt homines reddat glorioſos. Rainerus appoſitè, *Audiam attentè in corde, quid loquatur in me Dominus, quoniam loquetur pacem, vt inhabitet Chriſtus, qui eſt gloria Patris, in terra, & in conſcientia noſtra in pace.* Vt pax ſit cælum, vbi gloriâ Domini fruimur.

Rainer.

42. *Pax hic Chriſti gloria.* Chryſol.

Altius quiddam affirmarim. Ipſe Chriſtus Patris gloria ad pacem, quâ Pater nos donarat, deſcendit, gloriâ vtique quæ neceſſariò in pace continetur quodammodo fruiturus. Hinc acutè Chryſolog Serm. 53. aiebat, *Pax fratrum eſt iucunditas Chriſti.* Quaſi hac fruiturus gloriâ deſcendiſſet ad terram. Et quidem plorantem terra noſtra excipiens pacis obiectu lætificare curabat.

43. *Pacis beatitudo.* Matth. 5. Chryſol.

Quàm verè Dominus, *Beati pacifici.* Matth. 5. Pax etenim & beatitudo pariter adſolent incedere. Quid mirum homines pacis fruitione quodammodo beari, ſi pax omnium bonorum complexio eſt, quia Dei efficitur domicilium? Chryſolog. citat. *Pax eſt chariſſimi, quæ ſpoliat hominem ſeruitute. Cuſtodienda præ omnibus pax eſt, quoniam Deus ſemper in pace eſt, amate pacem, & tranquilla ſunt omnia, vt & nobis præmia, & vobis gaudia reſeruetis.* Tranquilla omnia, omnia incommoda ablegantur à pace, adeſt præmium, gaudium hominibus, terra eſt thronus cæleſtis effecta.

44.

Quis dubitet Chriſtum in mundum aduentaſſe, vt nos cæleſtium voluptatum donaret hæreditate? Attamen diſceſſurus ſic hæredibus, *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Ioan. 14. Mirabilis prorſus diſponendi teſtamenti ratio. Pacem relinquis, quibus gloriam aſſignare hæreditatis iure deberes? Proh pacis excellentia! Pacem accipientes, quodammodo vel hîc gloriâ condecorantur; quia ibi gloria, vbi fulgor pacis. Illuſtro ex D. Paſchaſ. ad 5. Matth. *Pacem Ieſus quaſi hæreditatem, & teſtamentum adoptionis ſuis reliquit hæredibus. Et verè magnum hæreditatis commercium, quo Filij pacis efficimur, & regnum ſortimur æternum.* Quaſi ipſum in pacis munus iam ſit hæreditas expectata, æterna quodammodo retributio.

*Hæreditas noſtra pax, quia pax gloria eſt.* Ioan. 14.

Paſchaſ.

45. *Quaſi omne gaudium in pace.* Dan. 9. Pſalm. 10.

Æterna quidem felicitas omnium prorſus iuſtorum eſt deſiderium. Danieli Dominus. *Vir deſideriorum es.* cap. 9. Diuina, aut cæleſtia deſideras interprete Lyrano. Dauid, *In deſideriis anima mea.* Pſalm. 10. Quid deſideras Rex potentiſſime? *Vnam petij à Domino, hanc requiram vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Cuncta mea deſideria in vnum æternæ felicitatis tendunt ſcopum. Quid ſi pax ita omnibus deſideriis effuſis, poſſit à nobis expeti, ac ſi vnâ illâ obueniente, omnia deſideria plenè opplerentur? Pulchrè Chryſolog vbi ſup. *Pax omnibus deſideriis amplectenda eſt.* Quare? *Quia deſideriorum omnium eſt competens plenitudo.*

Chryſol.

46. *Pacis felicitas.* Faci.

Annon omnis felicitas deſideriorum materies hominibus? Quis ambigat? Vide num omnis in pace vel in lacrymarum valle felicitas? *Nihil eſt,* loquor cum Facio lib. 9. Hiſt. *aut omnino acceptius, aut auribus ſuauius, quàm de pace verba facere. Pax non modo ipſa dulcis eſt, ſed etiam ipſius nomen blandum, ac ſuaue: tum res ipſa ſalutaris. Hac enim agri, hac vrbes, hac res priuatæ, hac res publicæ, hac denique regna conſtituuntur, & conſeruantur. Mihi quidem ita ſemper viſum eſt, ſi qui pacem negligerent, hos ſummam hominum felicitatem haud ſatis cognoſcere. Totius enim felicitatis fructus eſt pax.*

47. *Pax ſemper in cæleſti throno.*

Quòd ſi obiicias pacem in terra conſtitutam longè à throno abeſſe cæleſti, occurram oſtendendo, nunquam pacem, ac concordiam à throno poſſe ſuperiori excidere, etiam dum ad terrena habitacula turbari videatur. Obiicite vobis Seraphinos illos Dei throno adſtantes, *Seraphim ſtabant ſuper illud, ſex alæ vni, & ſex alæ alteri.* Iſa. 6. Vbi D. Bernard. Serm. 8. Pacis vnitatem duos copulantem, vnúmque efficientem meditatus eſt, Paulo de pacifica charitate fante, *Charitas nunquam excidit.* Ideò Seraphim ſtantes conſpiciuntur. Annon Seraphim alis vtuntur? *Et duabus volabant.* Poſſúntne ad terras pernici deferri volatu? Poſſunt. Ergo è cæleſti throno charitas pacifica excidit. Minimè è throno deturbatur, licèt ad terram videatur humiliari, quia pax nunquam excidens vbique in cæleſti faſtigio commoratur. *Cecidit*, ait ille, *Lucifer vt fulgur de cælo, Seraphim verò ſtabant ſuper illud. Stant planè Seraphim,* (licet volantes huc illuc deferri videantur) *quia charitas,* ſeu pax *nunquam excidit.* Semper glorioſo commoratur in throno.

Iſa 6. Bernard.

48. *Vera pax pectoris non tentatur bello.* Ioſ. 15.

Enimverò ne tantum celſitudinis pax ſibi arroget ſecularis, de vera pace ſpiritus profundo ſermonem, quæ quidem nunquam non vel hîc cæleſti quodammodo felicitate potitur. *Habitauitq; Iebuſæus cum filiis Iuda in Ieruſalem vſque in præſentem diem,* pace ſcilicet obfirmatâ. Ad ſpiritum eleuat ſatus Origenes: *Ieruſalem viſio pacis dicitur,*

Orig.

*tur*, ſimul & patriæ cæleſtis gerit imaginem. *Si ergo in corde noſtro ædificata eſt Ieruſalem, id eſt, viſio pacis, & Chriſtum, qui eſt pax noſtra, ſemper intueamur, & ita fixi ſimus in hac viſione pacis, vt nulla cogitatio peccati aſcendat in cor noſtrum, poſſumus dicere, quia in cæleſti Ieruſalem ſumus, & nullus nobiſcum eſt, niſi ſoli Sancti.* Bellis omninò temporariis ſopitis, ſpirituali bello pergrauaris? Haud gloriâ potieris; pax enim huiuſmodi deterior eſt bello. Glorioſâ te donari felicitate anxius inclama; nec enim gloriâ potieris, donec falsâ pace ablegatâ, verâ conſcientiæ pace donaberis. Canebatur dulciter in Antholog. Sacr.

*O patria, ô Diuum tellus ſanctiſſima, quiſnam*
*Donet, vt æternos te fruar ipſe dies!*
*Nam neque pax cuiquam ſecum eſt, dum carne grauatur,*
*Aut ſi pax, bello pax ea deterior.*

Ac ſi diceret, Ideò cæleſtem requiro Patriam, quia neque pax mihi mecum eſt, falsâ voluptatum pace potitus; ſi enim verâ pace frueremur, vel hîc quodammodo numero addiceremur beatorum.

## OBSERVATIO VI.

### Ad illa verba:

*In terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

### Pax eſt bonâ voluntate conſeruanda.

*Niſi enim charitas proximi defectuum multitudinem operiat, pax ablegabitur.*

49. PACEM bonæ voluntatis eſſe verè Angeli extollunt, quia pax minimè niſi bonæ voluntatis, ſeu charitatis fraternę nutrimento conſeruatur. Adnotauit D. Paſchaſ. lib 3. in Matth. cap. 7. *Igitur pax iſta non niſi voluntate bonâ nutritur, quod benè in ortu Saluatoris Angeli concinuerunt, Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Niſi proximi te voluntati accommodare cures, proculdubiò pax abolebitur.

Paſchaſ.

50. A pacis fonte exordior increato. Cùm beatiſſimæ Trinitatis perſonarum pacem mirabilem contemplor, mox indiuiduæ voluntatis vnitatem recognoſco. Mirúmne diuinas perſonas pace colligari, ſi nihil poſſunt velle diuerſum? Pulchram Paſchaſij ſententiam accipite: *Pax*, inquit vbi ſuprà, *totius Trinitatis quanta, & qualis quis agnouit? Tanta vndenam pax? In nullo totius Trinitatis regno debellatur, quia in nullo ipſius voluntatis contradicitur.* Ex voluntatis vtique vnitate abundantia ſeu immenſitas pacis exoritur.

*Pax Trinitatis ex voluntatis vnitate.*

Paſchaſ.

51. Myſtica Noëmitica Arca menti obiiciatur, quam Deus iuſſit interiùs, exteriùſque bitumine obliniri. Geneſ. 9. Tabulæ in vnum cohærentes pacis fraternæ ſimulacrum, ſed ex voluntatis bonæ bitumine pax duratura coaleſcit. D. Iſidor. ad Geneſ. 14. *Ne concuſſa Eccleſia ab iis, qui intus, & foris ſunt, cedat, à fraterna unctura eſt bitumē feruentiſſimum, & ſignificat voluntatis ſeu dilectionis feruorem ad tuendam ſocietatem.* O quàm voluntatis bonæ pax fraterna vinculo colligatur!

*Voluntas bona glutē pacifica Noe arca.*

Iſidor.

Bona huiuſmodi profectò voluntas non ſolùm fratres, ſed Chriſticolas cum teterrimis hoſtibus potens illigare. Num pax equis cum gryphis? damis cum canibus? cum accipitre columbæ? Adſit bona voluntas, *iungentur iam gryphes equis, &c.* Exemplo Stephani confirmo. Quàm ille columba, quàm aquilæ eum lapidibus impetentes? Num pace colligantur? Galfridum do hymnum Angelicum expendente: *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Quæ eſt iſta*, inquit, *pax? Non videtur pax in terris præſertim eis, quibus promittitur, hominibus ſcilicet bonæ voluntatis. Numquid enim bonæ voluntatis homo Stephanus non erat? Sic dilexit homines, vt pro eis, à quibus occidebatur, in ipſa mortis hora flexis genibus exoraret. Et huic homini tam bonæ voluntatis in terra quæ pax fuit? Lapidauerunt, inquit Lucas, Stephanum. Magna quidem pax etiam in terra. An putas quia non erat pax Stephano cùm obdormiuit in Domino? An pacatus non erat, qui inimicis pacem quærebat? O mira dilectio!* O bonæ affectus voluutatis, quo pax vel cum ipſis occiſoribus initur! De quo Dauid, *Cum iis qui oderunt pacem, eram pacificus.* 52.

*Voluntas hæc bona cum iis qui oderunt pacem, nos illigat.*

Galfrid.

Enimverò licèt bonæ voluntatis operatione, dilectione ſcilicet, ac charitate mea pax erga nequam proximum conſeruanda eſt, cùm tamen mala illius voluntas mei cordis paci parit nocumentum, nequaquam meam pacem ei cohærere permittam, ſed aduerſum malam illius voluntatem pugnaturus inſurgam. Poſt illam per Aaron populi ſpoliationem, *Ite*, inquit Moyſes, *& redite de porta vſque ad portam, & occidat vnuſquiſque fratrem, & amicum, & proximum ſuum.* Exod. 32. Proh pacis abolitio! Cædendúſne amicus? Frater vulnerandus? Pax omnino abolebitur. Audi D. Gregor. apud Lipoman. *Admonendi ſunt pacati, ne dum nimis humanam pacem deſiderant, malos hominum mores*, à mala vtique voluntate exortos, *nequaquam redarguant, & conſentiendo peruerſis ab Auctoris ſui ſe pace ſeiungant, ne dum humana foris iurgia metuunt interni fœderis diſciſſione feriantur*, ſiue bona voluntas lethali vulnere afficiatur, mutata in peruerſam. 53.

*Mala pacatoris volūtati ne cohæreat.*

Exod. 32.

Gregor.

## OBSERVATIO VII.

### Ad illa verba:

*Bonæ voluntatis.*

### Eleemoſyna bonæ voluntatis Angelico Hymno celebratur.

*Tuâ enim voluntate bonâ, oratione, compaſſionis affectu inops ſatiatur.*

CÆSARIVS Arelat. eleemoſynæ genera recenſens, poſtquam erogandam pauperibus terrenam ſubſtantiam præmiſerit, poſtquam condonandas proximo iniurias ab ipſo acceptas prædicarit, tertium eleemoſynæ genus expendens, 54.

Cæſar. Arel.

Digitized by Google

expendens, ait, *Accipe ergo, & fideliter tene præclarum, ac præcipuum tertium genus eleemoſynarum. Sit vita bona voluntas, omnes homines dilige ſicut te ipſam pro omnibus ora, & hoc illis deſidera, quod tibi, & clamatur tibi ab Angelis, Pax hominibus bonæ voluntatis. Et quia bona voluntas ipſa eſt charitas*, ipſa eſt eleemoſyna, copioſè ſiquidem eleemoſynæ vices exerit.

55. Aiebat D. Auguſt. Tract. de Conuerſat. tom. 9. *De ſubſtantia veſtra pauperibus erogate, qui plus habet, plus tribuat; qui verò minus, de hoc ipſo largiatur. Qui habet aurum, det aurum, qui argentum, argentum. Qui verò non habet pecuniam, cum bono animo,* ſeu voluntate bonâ *det pauperibus buccellā, & ſi non habet integram, ex eo quod habet, frangat, & partem egeno tribuat.* Si autem indiuiſibili buccellâ ſit reficiendus? De buccellæ particula, quam cum bono animo, ſeu voluntate bonâ elargiendā Pater dicebat, retento ſibi pane, animum, ac voluntatem bonam pauperi impendat, pretioſiſſimam proculdubiò potentiam.

*Vel buccella bona volūtas addit abundantiam.*
August.

56. Intellectus comparatione confirmo. Magno apud Deum pretio habetur erga pauperes intellectus potentiam exercere. *Beatus*, canit Dauid, *qui intelligit ſuper egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* Pſalm. 40. En eleemoſynæ intellectualis pretium. Caſſiodor. *Qui tacentem pauperem intelligit, beatitudinem ſine dubitatione conquirit.* Intelligere etenim pauperis egeſtatem gradus quidam eſt ad voluntatis miſerationem. Hinc patet eleemoſynæ bonæ voluntatis præſtantia. Si intelligere pauperem, vt ſit motiuum commiſerationis, laudabile; quàm auguſtiori præconio ipſa voluntatis efferenda commiſeratio? D. Cæſar. *Qui fecit, quod intus eſt, fecit & quod foris eſt.* Ac ſi diceret, commiſeratio bonæ voluntatis pro eleemoſynæ reputatur effectu; quique *internè* orat, deſiderat egeno quod ſibi cupit, proculdubiò *externè* diuitias, queis afflueret, pauperis ſubleuationi impenderet.

*Si intelligere pauperē meriториū, quid compati voluntatis affectu?*
Pſalm. 40.
Caſſiod.
Cæſar.

57. Dominus eleemoſynarios regno cæleſti donaturus, ſic apud Matth. *Eſuriui, & dediſtis mihi manducare, infirmus eram, & in carcere, & viſitaſtis me.* Cap. 25. Duplex eleemoſynę actio notatur & cibatio pauperis, & viſitatio, primæ equidem temporalis ſubſtantia, ſecundę voluntatis affectus impenditur. Nec enim minori præmio afficiendus qui pauperis egeſtati commiſeretur, quàm qui diues ei exhibet facultates. Vnde Cæſarius Arelat. homil. 36. de Eleemoſ. ait, *Eleemoſyna etiamſi parua fuerit, ipſa voluntas ſufficit, ſi ſit prompta.* Imò ſi fuerit eleemoſyna nulla, bonæ voluntatis ſufficiet promptitudo. Parua eleemoſyna, nullum penè ſubſidium, pauperem inuiſere ægrotantem; at bonæ voluntatis adhibito affectu, magnus redditur actus charitatis.

*Regnum datur non solū inopem, sicut paſcenti.*
Matth. 25.
Cæſar.

58. D. Laurentius Iuſtin. de Eleemoſ. in eundem tendens ſcopum, ait: *Noli petenti auertere manum, ne à te ſe auertat Dominus; noli ſaltem deſpicere proximi neceſſitatem, vt & tu non deſpectus iudiceris à Christo.* Quaſi diceret, ſi potes manum plenam porrigere, præſta facultatum ſubſidia, ſi non potueris facultates exhibere, non deſpicias affectu, bonâ amplectere voluntate. Et quidem bona voluntas pro lauto conuiuio nō ſemel reputatur,

*Impēde pauperi voluntatem.*
Laur. Iuſtin.

59. Eſurientes quotidiè inclamitamus: *Pater noſter, qui es in cælis, fiat voluntas tua ſicut in cælo, & in terra, panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Matth. 6. Multi ſunt interpretes in hac exponenda ſententia, ſiue ad panem corporeum, ſiue ad Eucharisticum referenda ſit alimentum. Placet in præſenti Dionyſ. Carthuſ. expoſitio. Contemplatur enim eſurientes nos bonæ diuinæ voluntatis panem efflagitare, quo ſimus exſatiandi. Domine, eleemoſynam nobis quotidiana panis corporei, ſiue Eucharistici animi alimenti elargire, ſin minus tuâ nos voluntate, tuo beneplacito paſce. Vt *cibo hoc*, adiicit ille, ſpirituali quotidie ſuſtentemur.

*Bona voluntate nutrimur.*
Matth. 6.
Carthuſ.

60. Num non cibo huiuſmodi Dominus pauper ipſe reficiebatur? Diſcipulis petentibus, vti ipſe manducaret, reſpondet: *Cibus meus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui miſit me.* Ioan. 4. Corporeus procul cibus. Pater iam me ſuâ voluntate refecit. Quænam Verbi cibatio? Homines in ipſum credere, vt adnotat Strabus. Quænam verò Patris voluntas? Interlin. *Iſtos credere.* Strabus, *Voluntas Patris eſt, vt credatur in Filium, quem miſit.* Iam igitur Christus refectus erat. Num quia Samaritani crediderant? Nondum ad fidem fuerant recepti. Attamen Patris voluntas erat, vt crederent; quia autem Patris voluntas cibum Chriſto præparabat, licèt nondum Samaritanos credentes ei abſumendos porrexiſſet, iam ſe affirmat bonâ Patris voluntate refectum. Oras pro paupere, ipſum diligis, compaſſionis in illum deferris affectu? Lautiſſimum ei conuiuium præparaſti, bonæ voluntatis Satâ mirabiliter operante.

*Hoc Iesus pauper cibo refectus.*
Ioan. 4.
Strab.

## OBSERVATIO VIII.

### Ad illa verba,

*Et in terra pax hominibus.*

### Exortus Ieſus homines Angelis reddens amicos, diſſidium abſtulit.

*Vbi de Angelorum & hominum commercio.*

61. QVARE ô Cælicolæ, in morē exercitus ad terras properatis: móxque apud terricolas commorantes, depoſito bellorū ſtrepitu, dulci modulamine auras permulcetis? Fallor niſi ad terras deſcendentes, illo ex odio antiquo peccatores vellent extinguere; at ſubitò ſibi Ieſum natum hominem obiicientes, in amicos noſtros fuêre permutati. *Priuſquam Redemptor noſter* (loquor cum D. Gregorio homil. 8. in Euang.) *naſceretur per carnem, diſcordiam cū Angelis habuimus, à quorum claritate, atque munditia per primæ culpæ meritum, per quotidiana delicta longè diſtabamus. Quia enim peccando, extranei eramus à Deo, extraneos nos à ſuo conſortio deputabant Angeli ciues Dei. Sed quia nos cognouimus Regem noſtrum, recognouerunt nos Angeli ciues ſuos. Quia enim cæli Rex terram noſtra carnis aſſumpſit, infirmitatem noſtram illa iam Angelica celſitudo non deſpicit. Ad pacem noſtram Angeli redeunt intentionē prioris diſcordiæ poſtponunt; & quos priùs infirmos abiectóſque deſpexerant, iam ſocios venerantur.*

Gregor.

62. Vim expende clauſulæ illius: *Quia enim cæli Rex terram noſtra carnis aſſumpſit, infirmitatem noſtram illa iam Angelica celſitudo non deſpicit. Ad pacem noſtram Angeli redeunt.* Exemplum enim Chriſti priſtinas inimicitias abolentis cogit Angelos

*Angeli Verbi exemplo corpora humana ſimulantes, ad homines inclinantur.*
Gregor.

Digitized by Google

los ad terricolas amplexandum. Deus parcit hominibus; quid non conſeruis ignoſcamus? Origenes ad hæc: *Obſequuntur* (inquit) *ſaluti noſtræ Angeli, conceſſi ſunt ad miniſterium Fily Dei, & dicūt inter ſe: ſi ille deſcendit, & deſcendit in corpus; ſi mortali indutus eſt carne, quid nos quieſcimus? quid parcimus nobis? Eia omnes Angeli deſcendamus.* Et deſcendamus in corpora, ſicuti Deus in corpus deſcendit. *Omnia Angelis plena ſunt.* Apparét itaque Cælicolæ ſub humano corpore, vt inimicitias abolitas eſſe efficaciùs oſtendant, quemadmodum Deus ſub humano apparens indumento factus homo perſpicuum erat inclinationis ad hoſtes documentum. Terreſtria Deo plena ſunt? *Omnia ſunt Angelis plena.*

Orig.

63\. Apud paradiſum ante præuaricationem Angeli & homines choro vnico, diuinas laudes concinebant, arctiſſimo charitatis vinculo illigati. Vtriuſque creaturæ harmoniam eleganter exprimit Germanus fatus: *Fuit, cum inter beatos res noſtra ſitæ eſſent, paradiſúmque à Deo plantatum locum indeſinentis voluptatis pleniſſimum incoleremus; vbi vox confeſſionis, vocéſque è cælo Angelorū hymnos, & laudes decanentium. Infernè & ex terra alternatim velut reſpondentem ſonum edebat homo, & conſona modulando diuina cantica referebat, & gloria in excelſis, & in terra pax reſultabat.* Muſicus chorus ob noſtrum delictum, in choros caſtrorum commutatur. At Verbo habitu inuento vt homine, Cælicolæ homines prouocant ad cōcentum. *Paſtores erant in regione eádem vigilantes.* Luc. 2. Theophylactus, *Erant Paſtores in agro canentes.* Tunc Angelorum militia apparuit *laudantium Deum, & dicentium, Gloria in Altiſſimis, &c.* En nato Ieſu, caſtrorum chori diſſoluuntur: chorus primus inſtituitur vtriuſque creaturæ concinentis; vt rurſum alternatim Angelis, & hominibus canentibus, & *gloria in excelſis*, & *in terra pax* poſſit reſultare.

*Poſt Verbi incarnationē Angeli homines excitant ad concentum.*
German. oras. de ador. Crucis apud Greg.
Luc. 2.

64\. Celebrat Dauid Angelorum & Paſtorum cōcentum dulci carmine: *Præuenerunt Principes coniuncti pſallentibus.* Pſalm. 67. Cælicolæ Virtutes, Principatus, Poteſtates, Dominationes ſe canentibus Paſtoribus coniungebant, dulciter alternatim modulaturi. *O ſi quis* (inclamat ſub alio prætextu D. Bernardus,) *haberet oculos apertos! Videret procuLdubiò, quemadmodum præueniunt Principes coniuncti pſallentibus, videret, quo tripudio interſunt Angeli canentibus.* Magnúmne familiaritatis indicamentum Angelorum ac hominum canentium voces commiſceri? Profectò maius documentum fuit Angelos illinc Paſtorum nomen, & indumentum honorare. Origenes homil. 12. in Luc. de Archangelo Prouinciæ Macedoniæ cuſtode locutus, ait: *Erat quidam Paſtor Angelus Macedoniæ.* Et cur Principem tantum Paſtorem compellas? Quia à natali Ieſu *Principes* tam ſunt *coniuncti* Paſtoribus *pſallentibus*, vt & paſtorali nomine ac indumento geſtiant ſignificari. Paſtores iam hominum Angeli, haud oues fame, aut ſiti deperibunt.

*Angelorum & hominum concentus celebratur.*
Pſalm. 67.
Bernard.
*Angeli Paſtores vocitātur in Paſtorum Bethlehemiticorū honorem.*
Orig.

65\. Exulant Agar & infans quaſi ouiculæ à grege lupis traditæ. Siti paruulo pereunte, mater inclamat, Non videbo morientem *puerum*. Tunc *Vocauit Angelus Dei Agar, dicens, Quid agis Agar? Noli timere. Aperuitque ei oculos Deus, vidénſque puteum aquæ, impleuit vtrem, deditque puero bibere.* Geneſ. 21. Num non ob peccatum *Angeli ab hominibus diſſidebant?* Sic Chryſoſtomus. Quonam modo igitur Angelus hominis paſtor efficitur ouiculæ erroneæ? Reſpondet Iobius Monachus: *Poſtquàm Abrahæ promiſſiones illæ, quæ Dominicam Incarnationem veluti fundebant, factæ ſunt; tunc certè Angelus introducitur ancillæ Abrahæ Agar miniſtrans, qui illam animi pendentem, ac deficientem ſolaretur.* Et quænam e Dominico grege poſt Incarnationis effuſionem, ſiue poſt Ieſu natalitium, ouicula perit fame, aut ſiti ſub Angelo paſtore?

*Angelus ſuccurrit Iſmaeli illicò poſt factā Abrahæ Meſſiæ promiſſionē.*
Gen. 21.
Chryſoſt.
Iobius li. 5. de Inc. c. 19. apud Photium.

66\. Vis oſtendam, quàm à Dominica natiuitate Angeli hominibus familiares? Requiro, num homines poſt Ieſu natalem ad Angelos ad ſe alliciendos accurrerint, an Angeli homines ad conſortium, ſiue concordiam inuitarint? Profectò Cælicolæ homines præuenêre. Perſonam gerens totius generis terricolarum D. Bernardus conatus eſt magnum gaudium hodie Angelis euangelizare, fatus, *Egredimini Virtutes Angelicæ, incolæ ciuitatis ſupernæ. Ecce Rex veſter, ſed in corona noſtra. Habetis ſublimitatem eius, ſed humilitatem eius non vidiſtis. Egredimini igitur, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum Mater ſua.* Videtúrne tibi, ô Pater, de multa nocte vigilaſſe, vt Angelicæ admonitioni operam impenderes? Proh Angelorum proſper ad homines aduentus! *Verumtamen* (adiicit) *non eſt opus noſtrâ exhortatione. Ipſi nos præueniunt, ipſi nos exhortantur. Probat hoc Angelus, qui gaudium magnum euangelizat Paſtoribus, & quæ cum eo facta eſt multitudo militiæ cæleſtis exercitus.* Hactenus Bernardus.

*Angeli homines ad cōcordiam inuitant poſt Ieſu natalitium.*
Bernard.

LIBER

# LIBER TERTIVS.

# PASTORES BETHLEEMITICI.

## Paraphraſis, Commentariique Literales ad Caput ſecundum Lucæ:

*PANEGYRICI MORALES CIRCA literam in Ieſum à Paſtoribus adoratum.*

## PROLVSIO.

*Dominici vitalis Ligni* FRVCTVS TERTIVS.

HAVD irrita Angelica admonitio,ſtatim Paſtoribus de viſendo Infante deliberantibus. Diſcedit Nuncius,nec cunctantur, ne iniectum in animum refrigeſceret deſiderium. *Videmus*, inquiunt ruſtici, *hoc Verbum,quod factum eſt.* Sapientia enim ruſticitati accommodatur. Verbum autem quod in Patris ſinu ſolummodò audiebatur, iam factum caro videndum exultantibus Paſtoribus apparet. Quàm appoſitè Vverricus, *Quia ſapientia ſua non cognouit mundus ſapientiam Dei, dignatione ineffabili ſapientia Dei ſe ſtultam fecit, vt idiotis, & hebetibus ſe diſcibilem præberet. Iam qui anteà Verbum Dei poteramus audire tantùm,nunc carnem factum videre poſſumus* inclamantes, *Sicut audiuimus, ſic vidimus. Incomparabiliter autem amplius nunc conceſſum viſui, quàm vnquam fuerat auditui, cùm modò videatur quod Deus eſt, & anteà magnum haberetur audire, Verbum quodcumque ex Deo eſt.* Cum ruſticis igitur iam ſapientibus gaudeamus. Quia *ſi Verbum quod Deus eſt, cùm ſe mihi in natiuitate ſuâ videndum præbet, in eo quod ſum, non me lætificat, impius ſum; ſi non ædificat, reprobus ſum.* Hactenus ille.

### LVCÆ CAP. II.

*Verſ.* 15. Paſtores loquebantur ad inuicem: Transeamus vſque Bethleem, & videamus hoc Verbum, quod factum eſt, quod Dominus oſtendit nobis.

### PARAPHRASIS.

Verſ. 15. *Poſtquam natalitium carmen lætiſſimis vocibus Paſtoribus Angeli præcinuiſſent, ſeſe in cælum recepère: conſiliúmque inter ſe confert ſimplex turba Paſtorum. Sequamur (inquiunt) Angelis monita, hinc vſque Bethleem proficiſcamur, vt quod auribus accepimus factū, coràm oculis intueamur; quo pleniore fide oculati teſtes aliis prædicemus, quod Dominus nobis dignatus eſt per Angelos annūtiare.*

Verſ. 16. *Pla*

*Verſ.* 16. Et venerunt feſtinantes, & inuenerunt Mariam, & Ioſeph, & Infantem poſitum in præſepio.

Verſ. 16. *Placet omnibus pium conſilium, Paſtores properant animos ſtimulante pietate: peruentum eſt Bethleem: ventum in diuerſorium; vbi iuxta Angelicum promiſſum, reperiunt Mariam pauperem, & Ioſeph virginei partus teſtem, necnon Puerum faſcijs obnimctum, & in præſepi collocatum.*

17. Videntes autem, cognouerunt de verbo, quod dictum erat illis de Puero hoc.

17. *Virguncula tenuitate, humilitate ſponſi, Pueli inopia, Paſtores magis ad firmiorem credulitatem confirmantur, poſteaquam oculis comperiunt vana non eſſe, quæ Archangelus annuntiarat.*

18. Et omnes, qui audierant, mirati ſunt, & de iis, quæ dicta erant à Paſtoribus ad ipſos.

18. *Vbi rem certam cognoſcunt, non veriti ſunt & apud alios, quod audierant, & viderant prædicare. Paſtorum equidem & hoſpitum communis diuerſorij vox apud audientes fidem inuenit, cunctis in admirationem adductis, ad cupiditatem videndi Puerum excitatis.*

19. Maria autem conſeruabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo.

19. *Pudens Virginis prudentia conſideranda accurrit. Diſcis à Paſtoribus quid Angelus nuntiarit, quid Cælicolæ cecinerint, ipſa ſola tacet, hæc omnia quæ priùs, quæ nunc acciderant, in animo conſeruans, ac diligenti reputatione conferens in præcordiis.*

20. Et reuerſi ſunt Paſtores, glorificantes, & laudantes Deum in omnibus, quæ audierant, & viderant, ſicut dictum eſt ad illos.

20. *His hunc in modum peractis, Paſtores gregem ſuum repetunt, glorificantes, ac laudantes Deum ſuper omnibus, quæ audierant ab Angelis, quod ſcilicet omnia, quemadmodum audierant, comperiſſent. Quàm glorificatio, ac laudatio cæleſti adnata muneri!*

## SECTIO PRIMA.

# PASTORVM DELIBERATIO.

## TEXTVS.

*Verſ.* 15. Paſtores loquebantur adinuicem: Tranſeamus vſque Bethleem, & videamus hoc Verbum, quod factum eſt, quod Dominus oſtendit nobis.

## COMMENTARIVS LITERALIS.

### §. I.

### *Paſtorum feſtinatio.*

1. *Cur Homines Paſtores vocantur?* PASTORES *loquebantur ad inuicem.*] In Græco legitur, οἱ ἄνθρωποι οἱ ποιμένες, *Homines Paſtores.* Non ſolùm vt ab Angelis diſtinguantur; quos nomine Paſtorum inſigniri oſtendimus ſuprà: ſed vt quædam Antitheſis adnotetur; *Vt diſceſſerunt ab eis Angeli in cælum: Paſtores homines loquebantur.* Angeli diſceſsêre, homines loquebantur.

2. *Lect. expoſitio.* Perſuaſis Paſtoribus, Verbum Dei eſſe credentibus, quod eis à Cælicolis fuerat annuntiatum, Angeli in cælum, vnde fuerant prolapſi, receſsêre. Haud Paſtorum otioſa fides, haud tarda; quod enim auribus exceperant, conceperant mente, ſtatim ipſo opere perficere conantur. Inuicem itaque loquuntur, mutuò ſe ad iter inſtituendum excitantes.

3. Tranſeamus (inquiunt) *vſque Bethleem.* Prætermiſsâ ab interprete Græcâ particulâ δὴ, quæ reſpondet ex quorundam interpretatione noſtræ *Iam.* Ac ſi dicerent, *Tranſeamus iam vſque Bethleem.* Cùm enim certiores ſumus effecti de tanto Myſterio, haud nobis immorandum. Eſt enim particula exhortantium, & moram increpantium, aut prohibentium. Nullas igitur (aiunt) moras protrahamus, ſed proficiſcamur in Bethleem. *Particula Iã, eſt in Græco.*

### §. II.

### Salutis negotio ſeduli Paſtores incumbunt.

*Vbi diligentia circa ſpiritualia commendatur.*

4. NOſter Cardinalis Toletus ad hunc locum expendens illam particulam: *Vt diſceſſerunt*

*A ſalutis negotio ſegnities exulet.* Tolet.

*ab eis Angeli*, profatur: *Particula, Vt, indicat nullam moram Paſtores feciſſe, ſed ſtatim Angelis recedentibus ſe ad iter præcinxiſſe. Vtile nobis documentum relinquentes, vt quæ diuinis inſpirationibus ſæpè Angelorum miniſterio facta didicimus, opere ſeduli compleamus, nec moras ſaluti noſtræ protrahamus.* Paucis illuſtro particulam illam, *Opere ſeduli compleamus, nec moras ſalutis noſtræ procurandæ protrahamus.* Negotio etenim ſalutis non ſegniter incumbendum; ſed maximâ diligentiâ abhibitâ, ei omnis hominum opera impendenda eſt.

5. *Profluente oleo ſalutari properemus vaſa educere.* 3 Reg. 19. Ioan. 7. Chryſoſt.

Effluit ſalutaris nominis oleũ: Ita planè. Natus enim nobis Saluator, cuius nomen oleum effuſum. Quidni properantes, vaſa vacua fonti cæleſti apponamus? In motem vtique curramus illorum, qui ſiti preſſi feſtinant ad fontem. *Si quis ſitit*, ait Dominus, *veniat ad me*. Ioann. 7. Quem locum premens D. Chryſoſtom. ad 1. Geneſ. *Si quis ſitit, veniat. Age igitur, afferamus omnes multa mentis noſtræ vaſa, vt impletis illis, ditiores redeamus. Nam quando videt gratia ſpiritus feruens deſiderium, & vigilem mentem, tunc & gratiam ſuam opulentam liberalius largitur.*

6. *Velociter currere debemus ad paradiſi, vbi vitale, ac ſalutare lignum.* Gen. 2. Ambroſ.

Bethleem alter paradiſus, vbi Adam ſecundus ablegato ſerpente commoratur. Paſtores agricolæ ab ſpiritu inſpirante arripiuntur, inſtar Protoplaſti: *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in paradiſo voluptatis*. Geneſ. 2. Ad quem locum D. Ambroſ. *Tulit, id eſt, apprehendit eum virtus Dei, inſpirans proceſſus, & incrementa virtutis, & collocauit in paradiſo.* Quando enim Deus inſpirat ad ſalutem aſſequendam; ad vitale lignum: ipſa inſpiratio idem debet eſſe quodammodo ac apprehenſio ad proceſſus & incrementa virtutum, ad viam ſalutarem percurrendam. Angelo inſpirationem cæleſtem miniſtrante, Paſtores quaſi apprehenduntur, & arripiuntur ad præſepium, vbi Saluator. Quia inſpiratio ſalutis debet cum properatione hominum adeò copulari; vt idem ſit donari inſpiratione huiuſmodi, ac alas velociſſimas accepiſſe ad profectum, ſiue aptius dixeris ad volatum.

7. *Agnus ſalutaris feſtinanter abſumendus.* Exod. 12. Gen. 18. Ambroſ.

Cur exiſtimas Agnum olim feſtinanter abſumptum ex legis præcepto? *Comedetis feſtinanter.* Exod. 12. Quia ſalus per Agni epulum parabatur. Nec enim ſegniter ſalutis negotium peragendum. Angelos liberatores vidit Abraham: *Quos cùm vidiſſet, cucurrit in occurſum eorum, & adorauit*. Gen. 18. Adoraturus properas? Ita planè Cælicolæ etenim adſunt ſalutis participes. Sicut enim Agnus ſalutaris properè erat abſumendus; ita Angeli diligenter adorandi. Vtrobique namque Saluatoris obiicitur aduentus. D. Ambroſius: *Non otioſus ſedet, qui longè aſpicit; nec aſpexiſſe contentus, cucurrit obuiam; feſtinaus occurrere. Feſtinanter enim manducare Paſcha lex iubet.* Diſce ergo quàm impiger eſſe debeas, vt poſſis præuenire hoſpitem Ieſum, ne quis præueniat. Properate Iudæi, ne Gentiles feſtinantes præueniant Hoſpitem, & vos ſalute defraudemini. Et quidem non ſemel neglector inſpirationis & luce priuatur, & palmâ, diuertente ad alium cæleſti admonitione.

8. *Copia facta nobis filios Dei fieri properemus.* Ioan. 1. Eucher.

Poteſtas nobis donatur filiatione Dei condecorari, poſt Verbum noſtrâ mortalitate indutum; quid non cum Paſtoribus properemus? Eucherium audi ad Valer. *Si hominum quiſpiam clarus, & locuples in locum liberorum adoptaturus te expeteret, iret per oppoſitas rerum difficultates, & per quamuis longi receſſus iter iactutus curreres. Deus vniuerſitatis, rerumque Dominus te in adoptionem vocat; illud, ſi velis, blandum filij nomen impartiens, quo Deus noſtrum vnicum ſuum nuncupat Primogenitum. Et non accenſus raperis, non properus vrgeris; ne conditionem tantam celeri occurſu mors præripiat?* Hactenus ille.

## §. III.

### *De quonam verbo à Paſtoribus videndo hic ſermo procedat?*

*ET videamus Verbum, quod factum eſt.*] Quæritur, num de Verbo diuino noſtrâ induto mortalitate videndo ſit ſermo? Affirmant multi Patres illo nitentes Ioannis teſtimonio: *Et Verbum caro factum eſt*. Cap. 1. Verbum, inquam, quod erat in principio. Beda ſic, *Verbum quod ſemper erat, videamus quomodo pro nobis factum eſt. Quod enim videre non poteramus, dum erat Verbum, videamus factum; quia caro eſt.* Ambroſius, *Feſtinant Paſtores Verbum videre. Etenim cùm caro Domini videtur, Verbum videtur, quod eſt Filius.* Conſonat Haymo fatus: *Verbum Filium Dei accipiamus. Factum autem dicitur, hoc eſt, incarnatum. Quoniã qui videri non poterat in Diuinitatis magnificentia, humanatus eſt, quo videri poteſt.* D. Bernardus conteſtatur Serm. 22. in Cantic. 9.

*Num Verbũ diuinum factũ caro videndum à Paſtoribus.* Ioan. 1. Beda. Ambroſ. Haym.

At Toletus, Barradius, Maldonatus, & alij; *Verbum* videndum ſumunt pro re geſtâ, ſicuti Archangelus ad Mariam, *Non erit impoſſibile apud Deum omne Verbum.* Luc. 1. Et Dauid olim, *Quod eſt Verbum, quod factum eſt, indica mihi.* 2. Reg. 1. Id eſt, narra mihi quid acciderit, rem geſtam aperi. Sunt huiuſmodi multa teſtimonia. Proficiſcamur (aiunt illi) in Bethleem, vt videamus rem hanc, quæ facta eſt. Accepêre ex Euthymio. 10.

*Verbum videndum pro re geſta.*

Ego autem primam ſententiam non approbo, cùm quia Græco originali contradicit, tum quia licet Verbum factum ſit caro, non tamen dicitur abſolutè factum. Secundam ſententiam admitto; noto enim Hebraiſmo Verbum pro opere accipitur. Attamen aliter faciliùs expono. Videamus hoc Verbum, quod factum eſt nobis ab Angelo. Id eſt, Videamus hoc, quod nobis Cælicola annuntiauit. Hoc ſenſu ſæpè in ſacris *Verbum Domini, quod factum eſt*, Id eſt, quod dictum eſt ad Oſæam; *Quod factum eſt*, ſeu dictum, *ad Ioel*, quod factum eſt ad Michæam. Et Ezechiel, *Factum eſt ſermo Domini ad me.* Siue, Dixit Dominus mihi. Cap. 7. 11.

*Auctoris ſententia.* Ezech. 7.

*Et videamus.*] Num pergunt ad præſepe, vt cognoſcant de teſtimonij Angelici veritate? Minimè. Crediderant enim Paſtores Angelo reuelanti, & teſtificanti, concinenti Angelorum multitudini. Veniunt autem, vt oculis videant, agnoſcãt, venerentur quem Nuncius in præſepio collocatum prædixerat inueniendum. *Inuenietis Infantem poſitum in præſepio.* 12.

*Quare pergũt in Bethleem Paſtores.*

*Quod Dominus oſtendit nobis.*] Beda ſic legit, *Quod fecit Dominus, & oſtendit nobis.* Valdè myſterio ſenſus hic congruens à me reperitur. Opus enim hoc factũ eſſe à Domino dicitur, non quod cætera opera facta non ſint ab eo, ſed quod hoc ſit ſupra curſum, & virtutem totius naturæ, Deum enim & hominem ſimul, & de Virgine integerrima naſci, ſingulare Dei opus eſt, dicique ſingulariter poteſt, *A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris.* 13.

*Lectio Bedæ commendatur.* Beda.

14. *Lectio vulgati profertur, & exponitur.* Euthym. Ambroſ. Tamen lectio noſtra, nempe: *Quod factum eſt, quod Dominus oſtendit nobis*, quam Græca exemplaria, Latináque multa habent, Ambroſius & Euthymius ſequuntur, ac in emendatis Bibliis probatur, retinenda eſt. Duæ itaque cauſæ inſinuantur, queis ſeſe mutuò excitant, & exhortantur Paſtores ad tranſeundum in Bethleem, vt videant verbum hoc. Vna, quia Dominus dignatus eſt notificare, & manifeſtare. Altera, quia nobis oſtendit. *Oſtendit* equidem. Non enim ſolum Infantis Ieſu natalitium manifeſtauit, ſed ſigna exhibuit, vt poſſimus inuenire. *Nobis.* Myſterium ſingulare, & admirabile nobis Paſtoribus, ac pauperibus Dominus, & quidem per Angelos dignatus eſt ſignificare Irreuerentis animi, tantum Dei beneficium obliuioni committere, aut deſidiæ: *Tranſeamus ergo in Bethleem, & videamus hoc Verbum.*

---

# IN IESVM PASTORIBVS REVELATVM,

# Panegyricus primus Moralis circa Literam.

# EX PASTORVM DELIBERATIONE.

## *OBSERVATIO I.*

Ad illa verba:

*Paſtores loquebantur ad inuicem, Tranſeamus.*

Tranſeunt neceſſariò Paſtores, vt Ieſum apud Bethleemum intueantur.

*Mundialia namque contemnenda ab eis, qui aut vitæ ſpirituali hæreſcere, aut Euchariſtiam curat excipere.*

15. Beda. VT Ieſus in Bethleẽ inueniatur, trãſitus neceſſariò indicitur. Beda, *Trãſeamus, abiectis concupiſcentiis, toto mentis deſiderio in Bethleẽ, id eſt, panis viui domum.* Duplex huiuſce loci interpretatio. Vna, Tranſeamus vſq; Bethleem, abiectis concupiſcentiis. Nullatenus enim in vna ſede morantur mundus, & Ieſus. Mundialia dimittenda ei, qui ad Chriſtum appropinquat. Altera, Vt domum panis viui, id eſt, Euchariſticum epulum adeamus, totius concupiſcentiæ, ſiue auaritiæ ſtipulæ dimittendæ. Vtrumque confirmo.

---

## CAPVT I.

*Vt hæreas Chriſto, mundialia dimitte.*

16. *In mundo haud commorandum ei, qui Ieſu hæret.* Gen 5. Bernard. SPiritualis vir hoc mundo vtitur, quaſi nõ vtatur. Hærens namque Deo, neceſſariò tranſit à terrenis. *Enoch ambulauit cum Deo, & nõ apparuit; quia tulit eum Deus.* Gen. 5. Myſticè cum Deo ſpirituualis vir ambulat, adeòque à terrenis ad cęleſtia transfertur, vt degens in mundo non appareat. Sic enim in mundo commoratur, ac ſi omnino à mũdo ablegaretur. D. Bernard. Serm. 3. Pent. *Viri prudentiores, quæ facta ſunt tranſilientes, intenderunt aciem mentis. Hi ſunt ſpirituales viri ſic vtentes hoc mundo, tanquam non vtentes, ſed in ſimplicitate cordis ſui quærentes Deum.* Nec enim poteſt Deus requiri niſi ab eis, qui Paſtores ſimplices imitati, creata tranſiliunt.

17. *Fugit Iacob à mundialibus, vt in conſpectu Ieſu commoretur apud Galaad* Gen. 31. Iacob à Meſopotamia fugiens in Galaad commoratur. *Tulit itaque Iacob lapidem, & erexit illũ in titulum.* Laban tunc, *En tumulus hic, & lapis, quem erexi, teſtis erit, ſi aut ego tranſiero illum pergens ad te, aut tu præterieris.* Gen 31. vbi D. Bruno: *Ponamus fœdus cum Laban, ponamus hoc fœdus cũ mundi deliciis, vt nec ipſa ad nos, nec nos ad ipſas reuertamur.* Et quiſnam lapis hominem ſic à mundialibus omnino ſeparans niſi Ieſus lapis hodie ſine manibus è Mariano monte prolapſus? D. Iſid. *Teſtis eſt lapis eminens in ſimilitudinem Chriſti.* Iſid. Nec enim apud Ieſum degens poteſt ſimul in mundo commorari. Tranſeat neceſſum eſt.

18. *Militiã mũdialem relinque, vt ſequaris cæleſtis Militiæ ducem.* Gen 32. Bruno. Paſtores cæleſtis Militiæ Ducem requirentes, *Tranſeamus*, appoſitè inclamant. Mundum enim ciuſque militiam derelinquere debet, qui nomen militiæ cæleſti curat exhibere. In cuius typum rurſum *Iacob abiit in itinere, quod cœperat, fuerúntque ei obuiam Angeli Dei, quos cùm vidiſſet, ait, Caſtra Dei ſunt hæc.* Geneſ. cap. 32. Noſtro locum inſtituto D. Bruno accommodans, inquit: *Iacob poſtquam ſeparatus eſt à Laban, id eſt, à mundo, Angelos obuiam habet. Quoniam qui mundum relinquunt, in Dei militiam computantur. Et qui fugiunt caſtra ſæculi, caſtra Dei videre, & habitare merentur.* Apparent equidem milites cæleſtis exercitus Paſtoribus, non tamen apud turrim Eder, ſiue myſtica caſtra ſecularia Paſtores Ieſu militiæ addicuntur. Tranſeunt à ſæculo in domum Dominicam, vt inter cæleſtes milites annumerentur.

19. *Apud deſertum rubus, ſeu natiuitas reſeratur.* Exod 3. Gregor. Num Moyſes apud Ægyptum, ſeu mundum commoratus, rubum vidit flagrantem, ſiue Virginis partum intuitus eſt? Minimè verò. Ad deſertum tranſit. *Cúmque minaſſet gregem ad interiora deſerti, venit ad montem Dei Horeb. Viditque, quòd rubus arderet, & non combureretur.* Exod. cap. 3. Expendit Diu. Gregor. 13. Moral. cap. 30. fatus: *Moyſes admixtus Ægyptiis quaſi*

*vigilabat mundo, ideò vocem Domini* (dixerim, vocem Verbi vagientis apud rubum Deipatam) *non audiebat. Sed extincto Ægyptio, poſtquam in deſertum fugit, quaſi ab inquietis terrenorum deſideriorum tumultibus obdormiuit; & ideò diuinam vocem percipere meruit.* Haud Infantem mirabiliter loquentem audies in ſilentio, ſi mundialibus perturbationibus agitaris.

20. *Apud deſertum, vbi Deipara enixa eſt Regem, ipſe à ſeruitute emancipandus eſt.* Exod. 5.

Apud deſertum Deipara enixa eſt Saluatorem. Mulier etenim illa, quæ habebat in vtero, abripitur in deſertum paritura. Apocal. 12. Inibi Rex, cui omnia obſequium præſtitura ſunt, exoritur. Tranſeas neceſſarium eſt à mundiali tumultu in deſertum quicumque ſeruitio tanti Principis cutas emancipari. Moyſes ad Pharaonem: *Dimitte populum meum, vt ſacrificet mihi in deſerto.* Exod. 5. Vbi Origen. apud Lipoman congruè profatur, *Non vult Moyſes, vt populus in Ægypto poſitus ſeruiat Domino, ſed vt exeat in deſertum, vt ibi ſeruiat Domino. Nemo enim poteſt duobus Dominis ſeruire. Relinquendus igitur nobis eſt mundus, ſi Domino volumus ſeruire. Relinquendus dico, non loco, ſed animo; non itinere perficiendo, ſed fide proficiendo.* Illud adnota: *Vt ibi ſeruiat.* Vbi ſcilicet myſterium Dominici apparuit natalitij. Rex naſcitur in deſerto: Inibi à Paſtoribus, à Regibus requirendus eius ſeruitio emancipandis.

## Capvt II.

### *Vt ad domum panis Euchariſtici accedas, tibi à mundiali auaritia recedendum.*

21. Beda.

De Euchariſtiæ accommodatiùs conſilio Beda interpretandus, *Tranſeamus, abiectis concupiſcentijs, in Bethleem, id eſt, panis viui domum.* Concupiſcentiam hic auaritiam expono, quæ quidem longè recedere debet ab illo, qui ſacratiſſimum conuiuium curat inſtituere. Haud à præſepio recedamus.

22. *Sine fœno auaritiæ ad præſepium flammigerũ accede.* Chryſoſt.

Ad præſepium, vbi Ieſus panis vitæ reponitur, non afferas fœnum, aut ſtipulam auaritiæ procul-dubiò igne abſumendam abſcondito D. Chryſoſt. de B. Philog. *Hæc* Euchariſtica *menſa præſepis vicem explet. Et quemadmodum fontes aquæ exundant copiam, ita hæc arcanam quandam continet flammam. Ne itaque ſtipulam, fœnúmve adferens, ad hanc acceſſeris, ne incendium nugeas.*

23. *Magi Ieſu panis apud præſepiũ conſecrant ornatum.* Matth. 2. Chryſoſt.

Reges equidem coram præſepio prouoluti Infanti Bethleemitico, ſiue Ieſu Euchariſtico munera obtulerunt, *aurum, thus, & myrrham.* Matth. 2. Neque enim vacuos adoratores hæc ſuſcipit menſa. Auaritiæ illectamenta depone in præſepis conſpectu, ad Euchariſtiæ ornatum aurum, & pretioſos lapillos conſecra; vt auaritiæ materies fiat ſalutis inſtrumentum. Egregiè Chryſoſtomus citatus: *Pretioſos ad hanc* menſam *lapides, argentúmque ferens accede, quo maſſam reddas puriorem.* (ſiue exterius ornationem ex auri, argenti, gemmarúmque apparatu.) *Accede dona adferens. Attulerunt Magi aurum, tu temperantiam.* Id eſt, affectum longè ab auri, ſeu mundialium diuitiarum deſiderio recedentem. Ornat enim auro, argento, ac gemmis, quiſquis *poſt aurum non abit, nec ſperat in pecuniæ theſauris.*

24. *Sacerdotes tranſeant ab amore diuitiarum, vt Agnum abſumant.* Athanaſ.

D. Athanaſius apud Cord. Paſtores contemplatus ad præſepium auolantes, fatur: *Paſtores luce perſtringuntur, Angelicum exercitum videntes; & Bethleem, quæ domus panis interpretatur, feruenter cuſtodiunt; præfigurantes Eccleſiæ Paſtores, ac Sacerdotes, quorum munus eſt cæleſtem panem quærere, Agnum, inquam, Dei, qui quotidie myſticè immolatur.* Et quonam modo Agnus Euchariſticus requirendus? Paſtores, *Tranſeamus*, inquiunt, *in Bethleem* domum panis. Iſraëlitæ baculos in manibus præferentes, Agnum abſumunt: Id eſt, tranſeuntes: *Eſt enim Phaſe, id eſt, tranſitus.* Exod. 12. Exod. 12. tranſeuntes requirens à mundialibus abſumptores. Affectu quidem ſicut Hebræi adhuc corpore apud Ægyptum commorantes, animo autem longè diſſiti. Orig. *Relinquendus nobis eſt mundus, non loco, ſed animo.* Orig.

25. *Non inuenitur Ieſus apud mammonam, ſed in Paſtorum tugurio.* Orig. Chryſoſt. Matth. 2.

Adiicit Pater: *Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire, nec Domino ſeruire, & mammonæ.* Paſtorum inſtar, à mundialibus diuitiis recedens ad præſepium accurre. Nil enim paſtori cum mammona. Num Ieroſolymæ Chriſtus commoratur? Minimè. Quia ibi turbatur Herodes, *& omnis Jeroſolyma cum illo.* Auaritiæ inibi domicilium. Apud Paſtorum tugurium inuenitur Ieſus. Ideò Magi Ieroſolymam reliquêre, vt Paſtores effecti in tugurio Dominum inuenirent. Matth. 2. Elegans do D. Chryſoſt. homil. 7. teſtimonium: *Deſere igitur, & in perturbatam illam Ciuitatem, & homicidam eum tyrannum mammonam. In Bethleem, id eſt, Eccleſiam feſtinus accurre, vbi domus eſt panis ſpiritualis. Si quidem Paſtor fueris,* (ſiue à mundiali auaritia recedens) *eóque adueneris, Puerum in tugurio videbis.*

26. *Ab indigno recedit Ieſus, quaſi aufugiens Herodis inſidias.* Chryſoſt.

Iam expende particulam: *Et homicidam eum tyrannum mammonam.* Nonne Ieſus Herodem aufugit ſibi exitium meditantem? Ita planè. Quomodo itaque in te à te ſumptus manebit, ſi Herodem imitatus adhuc auaritiæ ſtudens, iugulaturus accedis Infantem? Vnde adiicit Doctor: *Sed ne Herodi ſimilis ſis, caue. Illi enim aſſimilantur, qui indignè myſteriis hiſce communicant, & Filium Dei conculcant, habentes in ſemetipſis mammonam. Hic enim affectat imperium, ſuóſque familiares mittit, qui orantis quidem præ ſe ferunt ſpeciem; ſed inter orandum iugulum petunt.* Proh! crudelitas auaritiæ. Ieſum perſequens fugitantem, ne maneat apud illum, qui Herodis tyrannidem imitatur.

27. *Auarus haud poteſt eſſe domus huiuſce panis.* Luc. 2. Bernard.

Pulchram innuo Diui Bernardi loci huiuſce: *Tranſeamus vſque Bethleem*, expoſitionem. Tráſeamus, id eſt, in Bethleem mutemur, vt Chriſtus noſtro in pectore commoretur. Manet enim ille apud Bethleem domum panis dicente ipſo, *In me manet, & ego in illo.* Ioann. 6. Audi Bernard. ſerm. 6. Vig. Nat. *Bonum eſt nos illic eſſe. Vbi enim fuerit Verbum Domini, vnde eſt vtique panis, qui confirmet cor, dicente Propheta: Confirma me in verbis tuis: viuit in Chriſto, viuit in eo Chriſtus.* Bethleemus efficitur. Quid plura? Bethleem ciuitas paruula longè recedit à faſtu, domus panis eſt, non luti diuitiarum. Vnde appoſitè adiicit Pater: *Si quis cogitat reſolui in lutum, non eſt Bethleem, iſte non eſt domus panis.* Quapropter Dominus haud apud huiuſmodi habitaculum remanebit; quia in domo panis commoratur.

OBSER

# OBSERVATIO II.

Ad illa verba,

*Et videamus hoc Verbum, quod factum eſt.*

## Quonam modo Paſtores Verbum factum aſpexerint?

*Vbi de operum locutione.*

28. VIDISTI in Commentario hîc *Verbum*, & pro verbo, ſiue nuncio ab Angelo prolato, & pro ipſo diuino Verbo, *quod erat apud Deum*, à Patribus aſſumi. Vtramque paucis confirmo expoſitionem.

## CAPVT I.

*Paſtores non verbis, ſed actionibus Infantem profantem intuentur.*

29. *Apud Bethlem nullum verbo loquitur Solus Ieſus Verbum factu clamat.* VErbum ſumo pro Angelico nuncio, & aduoco ad quæſtionem: Quonam modo Verbum videre potuerint: ſiquidem verba ad aures magis, quàm ad oculos terminantur? Vt ſoluam, eum Paſtoribus ad præſepium accedo, vt reſonet verbum, quod illi feſtinantes aſpicere ſatagunt. Infans obuolutus faſciis in præſepio. Hinc Maria, illinc Ioſephus ſponſus. Num Deipara loquitur? *Maria conſeruabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo.* Verbum minimè profert, quæ omnia hæc verba conſeruat. Num Ioſephi verba exaudiuntur? *Erant mirantes.* At parens admiratio ſilentij. Num locutus Infaos? *Inuenerunt Infantem.* Et quidnam *Infans* niſi *non fans*? Quodnam igitur verbum videndum à Paſtoribus prædicatur? *Videamus hoc verbum, quod factum eſt.* Iun reſpondeo quæſtioni. Verbum requiritur, quod fit, non quod ore profertur; quod videtur, noo quod auditur; opera vtique, non nudi ſermones. Humilitas, paupertas, charitas, verba ſunt Saluatoris. Videntur magis hæc, quàm exaudiuntur. Dionyſius Carthuſianus appoſitè: *Licet* Carthuſ. *more aliorum paruulorum Infans, quaſi non fans, ſeu loqui non valens, vocatus ſit: tamen à prima ſua natiuitatis hora diſertiſſimè, ac ſapientiſſimè loquebatur.* Quid lacrymæ? Quid faſciarum illigatio? Quid præſepium? Verba equidem facta, quæ Maria conſeruabat, & in corde puriſſimo reponebat. *Maria autem conſeruabat omnia verba hæc.*

30. *Deus magis opere, quàm ore profatur. Iud. 3.* Verbis Saluator vtitur, non ore, ſed actione prolatis. Ajoth iudex occidit Eglon Regem Moab. Percuſſurus autem illum, ſic ait: *Verbum occultum eſt mihi ad te, ô Rex.* Recedentibus autem omnibus, rurſum Iudex Iſrael. *Verbum Dei mei ad te.* Iud. cap. 3. Et quodnam illud verbum priuatâ allocutione proferendum?



Lego Ajoth Eglon Regem Moab interfeciſſe, nec autem mihi conſtat vllum ex ore iudicis verbum profluiſſe. Proh Deus immortalis! Verbumne Dei percuſſio, vulneratio, interemptio? Diuus Auguſtinus quæſtione 20. quærit, quare illud Dei verbum fuerit appellatum? Et reſpondet, *Quod dixit:* Verbum Dei, *intelligendum eſt, hoc illi Deum vt faceret, præcepiſſe.* Si loquuturus es, ô Iudex, quemadmodum Deus alloqui adſolet, factis pro verbis vti debes: Præcepit Deus Ajoth, vt faceret; factum autem egregium hoc Dei Verbum appellatur, quia Dei verba facta ſunt, *Videamus hoc Verbum quod factum eſt.*

Adnotarim Iudicem Ajoth Iſraëlis Saluatorem extitiſſe, ſiue verè typum Saluatoris. Requiri aſſolet à Doctoribus, num Ajoth commiſerit mendacium, affirmans ſe ad Eglon loqui inteodiſſe; cùm tamen eum magis ſtricto gladio, quàm verbo prolato, de medio ſuſtulerit? Profectò iuſtè eum Patres à mendacij maculâ liberant, quia populi Saluator, Chriſti videlicet gerens imaginem, extitit. At Ieſus magis opera, quàm verba profundit. Huiuſce cogitationis auctorem Auguſtinum citatum conſtituo ſantem: *Quæri poteſt, vtrùm mentitus fuerit Ajoth, quando occidit Eglon Regem Moab? Cùm enim ſolus ſoli inſidiaretur, vt eum percuteret, hoc illi ait: Verbum occultum eſt mihi ad te, ô Rex, vt ille à ſe omnes, qui cum illo fuerant, remoueret. Quod cùm factum eſſet, iterum dixit Ajoth, Verbum Dei ad te mihi Rex.* Sic ſoluit: *Sed poteſt non eſſe mendacium, quandoquidem verbi nomine ſolet etiam factum appellare Scriptura. & re ita erat. Quod autem dixit, Verbum Dei, illi Deus præcepit, qui eum populo ſuo excitauerat Saluatorem.* Ac ſi diceret, quia fuerat excitatus populi Saluator, operibus pro verbis appoſitè vtitur, haud mendax reputandus. Vnde rectè verbum factum requirunt Paſtores, Saluatorem quippe, è cuius ore gladius vtraque parte acutus, qui pro verbis mortes ore profundat, interfecturus diabolum, mortem, crimina, & ſalubriter amoris iaculo fidelem internecaturus Sponſam. 31. *Ajoth Saluatoris imago loquitur occidendo. Iud 3.* August.

Quid non iam vit eodem vteretur more loquendi? Audiendus apud Ioannem: *Verba, quæ ego loquor vobis, à me ipſo non loquor, Pater autem in me manens, ipſe facit opera.* Cap. 14. Vt ſit ſenſus. Ego non loquor, ſed in me loquitur Pater. Vnde ſuboritur difficultas. Non enim congruè videtur Ieſum ſermonem texiſſe. Nam vt oſtenderet Patrem locutum, in hunc modum exprimere deberet; *Verba, quæ ego loquor vobis, à me ipſo non loquor; Pater enim in me manens, ipſe loquitur verba.* Profectò ſententiam minimè diſſimilem protulit. Nam cùm Deus ſoleat actionibus, ſeu operibus vti pro verbis: idem eſt Patrem opera facere, quàm verba proferre. Ieſus autem verbis vtitur, quæ quidem egregij operis gerant rationem. D. Auguſt. Tract. 71. ſententiâ roborabo. *Verba, quæ ego loquor à me ipſo non loquor. Pater autem in me manens ipſe facit opera. Ergo & verba opera ſunt? Placet, ita eſt.* Quàm breuis tam elegans Doctor. 32. *Verba Patris æterni, ac Ieſu non reſonant, ſed fiũt. Ioan. 14.* Auguſt.

## Capvt II.

### *Ad aſpiciendum Verbum, quod erat apud Deum, ſeſe Paſtores excitant.*

33. *Natiuitatis ductu ad Verbum dignoſcendum.* Interlin.

VIdeamus, inquiunt, *hoc Verbum. Verbum* pro Verbo increato, quod apud Deum aderat noſtrâ induto mortalitate, cum D. Ambroſio, & aliis ſuprà expreſſis accipio, licèt eorum improbatim ſententiam. Ad locum Interlin. *Recto ordine per cognitionem Natiuitatis* Paſtores *venerunt ad cognitionem Verbi, quod erat in principio.* Si diceret; *Ordine* inuerſo, ſine itineris errore ex cognitione Natiuitatis ad Verbi increati cognitionem fuêre deducti: appoſitè Doctor. At quid creaturæ cum increato rerum molitore? Profectò apud ſpeculum Verbi contemplatori tibi apparebunt creaturæ, ex contemplatione autem creaturæ imago quidem Creatoris, non autem ipſa fulgurabit eſſentia. Proh humillimum Ieſu natalitium! Ea eſt Ieſu apud præſepium gloria, ea maieſtas, vt præcognitâ Infantis Natiuitate, *recto ordine* ad æternæ Verbi natiuitatis gloriam quodammodo adſpiciendam accurramus.

34. *A natali Ieſu terra quaſi Patria Verbi, vbi ab hominibus dignoſcitur.* Ioan. 1.

Id quod duplici ſolummodo Ioannis teſtimonio roborabo. Vnum eſt: *In propria venit, & ſui eum non receperunt.* Cap. 1. Quinam venit? Verbum, quod erat in principio apud Deum, quod erat Deus, eſt, erit; qui *Ieuouah.* Quònam venit? *In propria,* in Patriam. Quando? Cùm eſt Infans exortus. Num terrena inhabitatio Verbi increati Patria eſt? *Cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum.* Quid Verbo Dei Filio cum terra? *In propria venit.* Quia ſcilicet tantâ redimitus luce Puer natus apparuit, vt terra facta cælo veraciter poſſit inclamari Verbum æternum in propria veniſſe. Caietan. *Explicat, quod Verbum veniſſe in ſua, eſt Verbum factum eſſe carnem. Ac ſi apertè dixiſſet; In ſua venit. In quibus verbis ſimul dixit, quod lux latuit in carne.* Latuit, inquam, in carne lux; non vt abſconderetur, ſed fulgenti quaſi pharo incluſa, mundùm illuminaret. *Erat enim lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum.* Pondera illam clauſulam: *Verbum veniſſe in ſua, eſt Verbum factum eſſe carnem.* Quia ex fulgenti carne, Verbi indumento, Ieſûque natiuitate tam *recto ordine*, tam compendioſo itinere venitur ad Verbum increatum, vt nobis neceſſum non ſit arripere viam, terra namque Patria Verbi effecta eſt. Caietan.

35. *Cùm Ieſus Primogenitus apparet, quaſi Vnigenitus aſpicitur.* Ioan. 1.

Alterum: *Et Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis; & vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre.* Ioan. 1. Ac ſi Paſtores cum Ioanne inclamitarent, Eum Verbum vidimus, quod factum eſt, cùm Deum, & hominem Chriſtum recèns natum aſpeximus, Mariæ quidem in multis fratribus Primogenitum. Vidimus equidem eum tantâ gloriâ, tanto fulgidum ſplendore: vt veluti Patris Vnigenitus in mundum introduceretur. Meditatus eſt Dionyſius Carthuſianus: *Euangeliſta omnem excellentiam Chriſti breuiter innuens, dicit: Vidimus gloriam eius quaſi Vnigeniti à Patre. Ac ſi de aliquo Rege cum maximo apparatu intrante diceremus. Ipſe intrauit quaſi Rex. Id eſt, tam clarè, atque potenter, vt ſpectat ad Regẽ.* Tam clarè, ſeu tanto coruſcans ſplendore Chriſtus mundũ ingreditur, dum primogenitus enititur à Matre, vt inſtar Vnigeniti à Patre videatur apparere. Aptè igitur ex natiuitatis inſpectione præfulgidâ, Paſtores in Verbi, quod erat apud Deũ cognitionẽ *recto ordine* proficiſcuntur. Tantâ gloriâ infantis Ieſu côdecoratur natalitiũ. Et quando nõ humilitas diuinæ non extitit claritatis ſplendor?

## SECTIO SECVNDA.

# PASTORVM ADVENTVS.

## *TEXTVS.*

*Verſ.* 16. Et venerunt feſtinantes, & inuenerunt Mariam, & Ioſeph, & Infantem poſitum in præſepio. 17. Videntes autem, cognouerunt de verbo, quod dictum erat illis de Puero hoc. 18. Et omnes, qui audierant, mirati ſunt, & de iis, quæ dicta erant à Paſtoribus ad ipſos. 19. Maria autem conſeruabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo.

## *COMMENTARIVS LITERALIS.*

### § I.

### *Seſe in viam, quæ ducit ad præſepium, dedère Paſtores.*

1. *Paſtorum feſtinatio.*

ET *venerunt feſtinantes.*] Aſpiciendi Meſſiam deſiderium pedibus addebat alas. Relictis itaque gregibus, feſtinantes acceſſerunt ad præſepium, quod milliario vno à paſcuis diſſitum erat. Equidem Euangeliſta texens hiſtoriam, ſimul Paſtorum diligentiam commendat, quod ſcilicet *feſtinantes* aduenerint. Nec enim Dei operi ſegniter incumbendum.

2. *Infans à Paſtoribus inuenitur.*

*Et inuenerunt Mariam, & Ioſeph, & Infantem poſitum in præſepio.*] Indicat prætereà Lucas eorum quæ ab Angelo dicta fuerant, veritatem, ſicut

D.Ambr.

D. Ambr. & Beda teſtantur. Qui quidem Patres cum Otigene adnotarunt (quod & literale, & morale eſt) ideo Paſtores inueniſſe Chriſtum, *quia feſtinantes venerunt*. Verùm non ideo à Luca additum hoc verbum, *Poſitum in præſepio* videtur, vt indicaret Angeli proloquium, *Inuenietis Infantem poſitum in præſepio*; quia cùm etiam Angelus adieciſſet: *Et pannis inuolutum*, nihil de faſciarum illigatione in præſenti adnotatur, vti omnino euentus prædictioni Angelicæ reſponderet. Reſpondet Toletus, ſatis dixiſſe Lucam breuitatis causâ inſinuando: Si enim Infans apud præſepe erat collocatus, facilè vnuſquiſque intellexiſſet pannis eſſe obuolutum. Tolet.

3. *Ieſus à Maria & Ioſepho oſtendendus erat.* Tolet. *Inuenerunt Mariam & Ioſeph.*] Angelus Chriſtum annuntiare intendens, nec Mariç nec Ioſeph meminit. *Sed facilè* (ait Toletus) *illos indicauit.* Et quonam modo facilè indicauit eos? Exiſtimo, ex mente Doctoris, quia cùm natus Infans prædicaretur, neceſſariò à Matre exortus indicabatur. At non terreno Parente, cùm Dei Filius mundi Saluator apparebat. Non igitur facilè indicauit Ioſephum. Profectò affirmans Angelus Infantem Ieſum à Paſtoribus inueniendum, facilè indicauit Mariam, & Ioſephum. Quando etenim non ad Ieſum Maria & Ioſephus gradum efficiunt? Quando non benedictum fructum nobis oſtendunt? Ieſus oſtentatur? Ergo per Mariam & Ioſeph inibi commorantes.

4. *A quibus Ieſus facilè inueniatur.* Gregor. *Inuenerunt Infantem.*] Inuentu enim facilis Ieſus iis, qui eius præuiis inſpirationibus obtemperant, & ſe ſinunt adduci. Auctor enim viæ non poteſt à termino errare, cùm ipſe viæ terminus exiſtat. *In præſepio.* Gregorius ad illud: *Numquid Rhinoceros morabitur ad præſepe tuum?* Iob. 2. hunc locum Lucæ adducit, & præſepe hoc ſpiritualiter interpretatur, fatus: *Præſepe hoc loco ſacra Scriptura accipitur, in quo verbi pabulo animalia ſancta ſatiantur, de quibus per Prophetam dicitur, Animalia tua habitabant in ea. Hinc etiam natus Dominus, à Paſtoribus in præſepio reperitur; quia eius incarnatio in ea, quâ nos reficiunt, Prophetarum Scriptura cognoſcitur.*

5. *Sinceris Paſtoribus myſteria fidei reuelantur.* Ambroſ. *Et inuenerunt Infantem.* Quinam? Paſtores viles ad prudentiam, pretioſi ad fidem, D. Ambroſius: *Non mediocre fidei tibi hoc videatur exemplum, non vilis perſona Paſtorum. Certè quò vilior ad prudentiam, eò pretioſior ad fidem. Non gymnaſia choris referta ſapientum, ſed plebem Dominus ſimplicem requiſiuit, quæ phalerare audita, & fucare neſciret. Simplicitas enim quæritur, non ambitio deridentium.* Ita ille.

## §. II.

## *Veritatem Angelicæ prædictionis comperêre Paſtores.*

6. *Num verbũ Cognouerunt ſignificet cognitionem, an diuulgationẽ?* *Videntes autem cognouerunt de verbo, quod dictum erat illis de Puero hoc.*] Verbum διεγνώρισαν, *Cognouerunt*, Græcè eſt ambiguum. Significat enim *cognoſcere*, ſeu notum facere, aut *diuulgare*. Hinc duplicem apud Doctores huius loci interpretationem inuenio. Theophylactus, Iuuencus, & Euthymius affirmant, Paſtores quæ audierant de Puero ab Angelis, diuulgaſſe, quorum expoſitioni quidam recentiores adhærent. Alliciuntur ex ſequentibus verbis, *& qui audierant mirati ſunt*. Nempe qui audierunt quæ Paſtores narrabant, in admirationem abripiebantur. Approbat ſenſum Maldonatus, non tamen ſequitur ſententiam.

Ego autem nec amplector ſententiam, nec ſenſum approbo. Argumentum enim quod hoſce Doctores induxit, potiùs eos deberet amouere. Proxima quippe verba manifeſtè eorum expoſitioni aduerſantur. Nam dictum eſt, *Qui audierant, admirati ſunt, & de his, quæ dicta erant à Paſtoribus ad ipſos.* Illa particula *Et* minimè poteſt cum eorum expoſitione conſiſtere; eſſet enim repetitio quædam inutilis. Propterea qui illorum interpretationem amplectuntur, haud particulam *Et* memorant, nec modò in Græcô habetur exemplari. At cùm apud vulgatum interpretem inueniam, non facilè ab eius ſenſu valdè accommodato recedam. 7. *Auctoris ſententia.*

8. Huiuſmodi eſt. Cùm vidiſſent Infantem Paſtores vera eſſe comperêre, quæ ſibi Angelus de hoc Infante prænuntiarat. Credidêre quidem audito, at viſo Infante, & agnitis ſignis à Cælicola exhibitis, in fide confirmati, & roborati ſunt. Simile apud Ioannem legimus, *Iam non propter loquelam tuam credimus, ipſi enim audiuimus, & ſcimus, quia hic eſt verè Saluator mundi.* Cap. 4. Paſtores equidem Chriſtum non prædicantem vocibus, ſed lucis ſuæ diuinæ radio eorum mentes mirabiliter illuſtrantem, cognouerunt. Quod autem ſequitur, *Et omnes, qui audierunt, mirati ſunt*, potuit rectè dici (vti adnotat Maldonatus) etiamſi dictum non fuiſſet, id à paſtoribus euulgatum, quia ex illis ipſis verbis ſatis poterat intelligi eos, quæ ab Angelo audiuiſſent, enarraſſe. Hebræorum idiomatis more antecedentia, & cauſæ reticentur, conſequentia, & euentus exponuntur. *Loci expoſitio.* Ioan 4.

9. *Cognouerunt de verbo, quod dictum erat illis.*] Quodnam eſt hoc verbum, quod cognouerunt? Nam Angelus prænuntiauit Infantem natum, qui Saluator mundi, & Chriſtus Dominus: ac præterea ſignum, argumentúmque Infantem Ieſum agnoſcendi exhibuit. Reſpondeo cum Toleto, dici in præſenti Paſtores cognouiſſe, non ſolù quia Infantem ab Angelo prænuntiatum inuenêre; ſed etiam quia Saluatorem, & Chriſtum eſſe comperêrunt. Num hoc oculis patebat? Minimè, ſed ſolâ fide tenebatur. Ergo viderunt quidem Infantem poſitum in præſepio; at eum eſſe Saluatorem mũdi videre non poterant, ſed credere. Non igitur agnouerunt, quæcumque Angelus prædixerat. Profectò Paſtores non viderunt, ſed credidêre Infantem illum Saluatorem, & Chriſtum, quod iam anteà crediderant. Attamen nunc dignouiſſe dicuntur; quia ex ſigno viſo fortiorem fidem concepêre. Annon ſigno viſibili confirmata & roborata fides in Sacris cognitio, & ſcientia vocitatur? Ita ex adducto Ioannis teſtimonio: *Iam non propter tuam loquelam credimus, ipſi enim audiuimus, & ſcimus, quia hic eſt Saluator mundi.* Capite 4. *Obiectioni reſpondetur.*

## §. III.

## *A Paſtoribus enarrata audientes in admirationem abripiunt.*

10. *Et omnes, qui audierunt, mirati ſunt, & de his, quæ dicta erant à Paſtoribus ad ipſos.*] Vidimus particulam *Et* in Græco haud exiſtere exem- *De particula Et à Græcis omiſſa.*



Digitized by Google

plari, nec in his, qui loco verbi, *Cognouerunt*, ſcribunt, *Diuulgarunt*. Vt ſit lectio talis: *Diuulgauerunt verbum, quod dictum erat illis de Puero hoc. Et omnes, qui audierant, mirati ſunt de his, quæ dicta erant à Paſtoribus ad ipſos.* Nós autem particulam *Et* à Vulgato Interprete expreſſam retinuimus, quam noo dubium mihi, quin ex Græco exemplari Vulgatus fuerit imitatus.

11. *Multis innotuit Ieſu natalitium.* In huius ſententiæ expoſitionem præmitto, multis innotuiſſe apud Bethleem Domioi natiuitatem & Paſtorum aduentum, cùm quia ex diuerſorio aliquis & natum vidit Infantem, & Paſtores præſtantes obſequium; qui quidem aliis quæcumque viderat, euulgaret; tum, quia Paſtores ipſi non ſolis Deiparæ, & Ioſepho, ſed multis etiam aliis omnia, quæ à Cœlicolis audierant, quæque viderant, narrauère. Vnde Ambroſ. (Ambroſ.) *A Paſtoribus*, inquiunt, *Dei populus ad Dei reuerentiam congregatur. Mirati enim ſunt de his, quæ dicta erant à Paſtoribus ad ipſos.*

12. *Expenditur lectio.* Hoc poſito, ſic expendo ſententiam. Factum præcedens admirationem induxit omnibus, quicumque & natiuitatem Pueri, & Paſtorum adorationem aut viderunt, aot ab oculari teſte audierunt; & præterea ea, quæ à Paſtoribus enarrabantur. Quod ergo apud ſtabulum fortè ab hoſpitibus propè in diuerſorio degentibus euulgatum, acciderat; & quæ ipſi narrabant Paſtores, omnibus audientibus cauſa admirationis extitit. Nouis enim, & inſolitis magni momenti adnatum admirationem excitare.

## §. IV.

*Quænam Deipara verba conſeruaret, & apud præcordia conferret?*

13. *Bedæ ſententia.* *Beda.* MAria autem conſeruabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo.* ] Affirmat Beda Deiparam omnia, quæ ſecum acta à Domino erant, conſeruaſſe; & cum iis, quæ à Prophetis fuerant prænuntiata, contuliſſe: *Quia*, inquit, *ſanctas Scripturas legerat, & ſciebat Prophetas, conferebat ea, quæ ſecum ſunt acta de Domino, cum iis, quæ nouerat à Prophetis ſcripta de Domino; & collata adinuicem cognouit, inſtar cæleſtium Cherubim ſociâ ſui vultus luce concordiâ. Dixerat enim Gabriel: Ecce concipies in vtero, & paries filiũ. Prædixerat Iſaias: Ecce Virgo concipiet, & pariet. Prædixerat Michæas filias Sion in turrim gregis aduenturas, & poteſtatem primam tunc eſſe venturam; dicebant Paſtores ſuperna ſibi Ciuitatis in turri gregis apparuiſſe cohortes, quæ natum canerent Chriſtum. Legebat Maria: Bos cognouit poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui, videbat in præſepi Filium ſuum vagientem, qui homines ſaluat, ac iumenta. Et in his ſingulis hæc huiuſcemodi conferebat, quæ legerat, & comparabat iis, quæ audiebat, & videbat.*

14. *Improbatur.* Aſt ego non ſatis accommodatam exiſtimo Bedæ interpretationem. Illa namque particula: *Omnia verba hæc*, non eſt referenda ad præterita, nempe ad ea, quæ Gabriel in Mariæ conſpectu fuerat profatus; ſed ad ea, quæ tunc & agebantur, & dicebantur à Paſtoribus. Adiicio minus mihi de Propheriis memoratis, ac collatis probabilem videri conſiderationem. Euangeliſta enim intuit collationem huiuſmodi factam circa illa, quæ à Paſtoribus intellexerat.

15. *Sententia auctoris.* Quæ igitur à paſtoribus dicta erant, quæque cæteri audientes admirati ſunt, Virgo prudentiſſima non obliuioni tradidit, ſed pectoris arca Manna repoſuit conſeruandum. Nec quidem ei ſatis cuſtodiiſſe: conferebat namque ea, & comparabat illis, quæ iam erat experta, myſteriis. Nempe quæ Angelus nuntiauerat Paſtoribus, & quæ tũc completa oſtentabantur; omniáque Deum eſſe, quem fuerat enixa, probare cognoſcebat. Num id io fidei, quam à principio conceperat, ex nouis argumentis confirmationem? Toletus affirmat. Non tamen ſic intellige, quaſi fides Deiparæ incrementum caperet. Beata enim, quæ ex vnico Angeli teſtimonio credidit, Eliſabetha profante, *Beata, quæ credidiſti*; ſed lætabatur, (vt appoſitè Maldonatus) nouis ſignis, Paſtorúmque teſtimoniis confirmari, quæ ipſa priùs à Gabriele didicerat. Porrò Euthym. & Titus Boſtr. meæ fauent expoſitioni.

16. *Quid in corde conferret.* *In corde ſuo.* ] Apud ſe hæc omnia ſeruabat, nec profudit in vulgus. Singulare equidem humilitatis, ac modeſtiæ virginalis documentum, quemadmodum D. Ambroſ. (Ambroſ.) adnotauit: *Diſcamus*, inquit, *ſanctam Virginis in omnibus caſtitatem, quæ non minus ore pudica, quam corpore, argumenta fidei conferebat in corde.* D. Bernard. (Bernard.) conteſtatur. Ser. *Signum.*

# IN IESVM PASTORIBVS REVELATVM,

# Panegyricus II. Moralis circa Literam.

## EX PASTORVM ADVENTV.

### *OBSERVATIO I.*

Ad illa verba:

*Maria autem conſeruabat omnia verba hæc.*

### Deipara diſcit à Paſtoribus ſapientiſſima.

*Nam ſapiens humilis vel à rudibus ſumit documenta.*

17. *Ambroſ.* ANTEQVAM à proximo loco diſcedamus, D. Ambroſij ſententia ad trutinam adferenda eſt. Loquens enim de Deipara, fatur: *A Paſtoribus etiam fidem collegit.* Et paulò inferiùs: *Si Maria à Paſtoribus diſcit, cur tu declinas diſcere à Sacerdotibus?* Quæ quidem verba ſic Toletus interpretatur. Tolet.

Digitized by Google

terpretatur. Non quaſi velit Ambroſius dicere B. Virginem didiciſſe à Paſtoribus natum eſſe Saluatorem mundi, & Chriſtum Dominum, hoc enim noo ita eſt: Ab Angelo enim illud accepit, antequàm in vtero coociperet, multáque etiam myſteria alia, quæ Paſtoribus non ſunt reuelata tunc: Sed ſenſus Ambroſij eſt, didiciſſe à Paſtoribus, quod cum illis factum erat, nempe Angelum eis annuntiaſſe natiuitatem, & Angelorum multitudinem hymnum decantaſſe. Hæc non antè ſciuit B. Virgo fuiſſe geſta, quam à Paſtoribus cognouiſſet. Hucvſque Toletus.

18. *Auctoris expoſitio.*

Profectò tanti viri veniâ, nullum arbitror inconueniens, ſi abſolutè affirmetur cum Ambroſio Virginem à Paſtoribus didiciſſes nō quidem Ieſu natiuitatem, ſed (vti ait Pater,) fidem, reuerentiam, obſequium. Viri namque humilis eſt, ſiue feminæ, omnes reputare doctores, omnium virtutes præſtantiores ducere. Vnde Deipara, obiectâ ſibi Paſtorum fide, ac reuerentiâ, humilitatis ipſa prodigium, audiebat, quod diſceret, videbat, quod proponeret imitandum, quodque in fidei primitiis admitaretur, contemplabatur. *A Paſtoribus etiam Maria fidem collegit.* Quod equidem ſimilis fuerit Ambroſij ſenſus ea indicant verba: *Si Maria à Paſtoribus diſcit, cur tu declinas diſcere à Sacerdotibus?* De illa namque diſcendi ratione loquitur Pater, quæ ſit cum humilitatis virtute coniuncta. Haud equidem Maria addiſcebat, quod noo cognouiſſet, oec aliqua apud Paſtores reuerētia, humilitas, fides fulgurare poterat, quibus Deipara longo eos interuallo non ſoperaret; ſed tamen humillima ſibi omnes magiſtros virtutum appoſitè proponi videbatur, ab ipſiſque virtutum ediſcere exercitamenta.

19. *Ieſus à rudiori Philippo quodammodo edoceri dignatur.* Ioan. 6. Cyrill.

Didicit à Filio Deipara, cui adnatum ediſcere à rudioribus. Singulare D. Philippo ſæpè Chriſtum Dominum conſulere, vt ab ipſo ediſcere valeret. D. Cyril. lib. 4. cap. 13. *Libenter Philippus diſcebat, quærebátque ſapius.* At Dominus Philippo, *Vnde ememus panes, vt manducent hi?* Ioan. 6. Cur hunc potius quàm quemvis alium interrogauit? Cyrillus, *Quia libenter diſcebat, quærebátque ſapiùs.* Ac ſi diceret: Studium ac humilitatem Philippi, quâ diſcendi cupidus ſæpè interrogabat, Dominus commendaturus, ab ipſo Philippo ediſcebat. In cuius illuſtrationem D. Cyrillus exiſtimat Philippum omnibus Apoſtolis rudiorem, eo quòd multo tempore Saluatorem ſecutus, nondum eum cognouiſſet. *Tanto tempore*, ait Dominus, *vobiſcum ſum, & non cognouiſtis me? Philippe, &c.* Ioan. 14. Rudiorem igitur conſulit Magiſter, vt egregiū nobis relinquat ſuæ humilitatis exemplum; & efficacius nobis perſuaderet adnatum iuſto, licet ſapientiſſimo ſtudiom vel à rudioribus ediſcendi. Quidni Mater Ieſu rudes, ac imperitos conſultum Paſtores adiret?

Ioan. 14.

20. *Circa Ieſu natalitiū humillima Deipara videtur à Paſtoribus ſe edoceri.* Act. 18.

Proh Deiparæ humilitas! Annon circa Ieſu natalitium Mater inter magiſtros diſertiſſima? Quis abneget? Et tamen à ruſticis ab ignaris ediſcere ſatagit. Accipe pulchrum ex Actis Apoſtolicis teſtimonium. Apollo eloquentia ac doctrina tam celebris, vt Lucas ſcribat: *Vir eloquens & potens in ſcripturis. Hic erat edoctus viam Domini, & feruens ſpiritu loquebatur, & docebat diligenter ea, quæ ſunt Ieſu.* Cap. 18. Et tamen doctiſſimus vir ſeſe feminæ, ac viro vulgari Priſcillæ, & Aquilæ in diſciplinam tradidit. Quem cùm audiſſent Priſcilla & Aquila, aſſumpſerunt eum, & diligentiùs expoſuerunt eum *viam Domini.* Ibid. Vbi D. Hieronym. Apollinis commendans humilitatem, ait: *Apollo virum Apoſtolicum, & in lege doctiſſimum Aquila, & Priſcilla erudiunt, & inſtituunt eum de via Domini.* Num Apollo doctiſſimus Ieſu viam ignorabat? Minimè. Attamen ex eo & perfectus, & humilis admodum apparebat, imò & ſapientiſſimus oſteutabatur, quod vel à femina ſe exiſtimabat edoceri. Annon Deipara & homilitate omnes, & viæ Ieſu, ſiue natiuitatis Dominicæ ſcientiâ ſuperabat? Ita planè. Nec tamen tantæ Eccleſiæ magiſtræ indecens ſibi perſuaderi à Paſtoribus ignaris adhuc de *via Domini* inſtitui.

Hieron.

21. *Ioannes poſt myſteriū reſurrectionis cognitum fatetur ſe à femina edoctū.* Ioan. 20.

Requiro, num D. Ioannes Chriſti lateri incumbens, Reſurrectionis myſterij conſcius euaſerit? Qui diuinæ Theologiæ fontes epotauit, quomodo non Reſurrectioois calluerit articulum? Attamen ſapientiſſimus Ioannes ſe à femina hoc myſterium aſſerit didiciſſe, fatus: *Venit Maria Magdalene, annuncians Diſcipulis, Quia vidi Dominum: & hæc dixit mihi.* Ioan. 20, Id eſt, Hæc ego à femina accepi. Exponens ſic D. Chryſoſtomus, ait: *Omnia diſcipulis nunciat. Euangeliſta autem tanta laude mulierem non fraudauit; neque ſibi dedecori arbitratus eſt, vt ab ea noctè profecta primum hæc intelligeret.* Expende hoc: *Primùm intelligeret.* Si apud Dominicum latus priorum hoc intellexit myſterium, quonam modo primum poſſet à femina intelligere? Quia eſt iuſti ſapientiſſimi humilitas, vt ea, quæ ſibi magis comperta ſunt, exiſtimet primùm à rudioribus intelligere. Id quod humilium accidit Reginæ. Quod namque circa Ieſu natalitium iam ab Angelo prænuntiante cognouerat, iámque adimpletum viderat, quodammodo *primum* diſcit à Paſtoribus. *Si igitur Maria*, ait Ambroſius, *à Paſtoribus diſcit, cur tu declinas diſcere à Sacerdotibus?*

Chryſoſt.

Ambroſ.

## OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

*Et venerunt feſtinantes.*

### Chriſtum non deſides, ſed feſtinantes, ac ſoliciti inueniunt.

*In Diligentiæ (ad ſalutem) commendationem.*

22. Ambroſ.

GLOSSA: *Non cum deſidia quærendus eſt Chriſtus. Vides*, ait D. Ambroſius, *feſtinantes Paſtores. Nemo cum deſidia Chriſtum quærit.* Nam eo ipſo, quod deſes, Ieſum minimè requiris; potius eum requirentem expectas. Haud Ieſum inuenit deſidia.

23. *Sponſa dum ſegniter quærit, non inuenit. Paſtores ſequitur feſtinantes, & ipſi fruitur ſocietate.* Cant. 3.

Sponſam teſtor inclamantem: *In lectulo meo per noctes quæſiui, quem diligit anima mea, quæſiui illum, & non inueni.* Cant. 3. In lectulo quæris? Deſidioſè, oſcitanter, & ſomniculosè requiris Saluatorem? Non inuenies. Paſtores ſequere properantes, ſi cupis inuenire. Quæſitarat Sponſa: *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes*

iis

*in meridie?* Siue in præſepio, quod ex conſpectu veri Solis, adnotante Beda, meridiei comparatur. Cui Ieſus: *Si ignoras, ô pulcherrima inter mulieres, abi, & egredere poſt veſtigia gregum, & paſce hædos tuos iuxta tabernacula Paſtorum.* Cant. 1. Ac ſi diceret, Paſtoritio munere fungaris oportet, vt Paſtores feſtinantes ſecuta, me apud præſepium valeas inuenire. Beda ad hæc: *Feſtinant Paſtores. Neque enim cum deſidia Chriſti eſt quærenda præſentia. Et ideò fortè nonnulli quærentes, inuenire non merentur, quia deſidiosè Chriſtum quærunt.*

Cant. 1. Beda.

24. *Paſtoribus adnata ad diuinum obſequium feſtinatio.* Quaſi adnata Paſtoribus diuini obſequij feſtinatio. Primus in Sacris Paſtor agnominatur Abel, qui Agnum obtulit ſine macula Ieſu typum. Annon inuenit ſibi Saluatorem, qui feſtinanter requiſiuit? Ita planè Agricola Cain tardus ad obſequium, ſalutari ſacrificij effectu minimè donatur. Geneſ. 4 Quid memorem Paſtorem Abrahamum properantem ad montem, ac Ieſum Agnum ſine macula reperientem? Geneſ. 22. Ambroſius: *Sacrificium & celeritate commendatur, & gratiâ. Abraham filium ſuum iuſſus offerre, non poſt dies multos ſicut* deſes Cain, *obtulit; ſed exurgens, venit ad locum, quem dixerat ei Deus die tertiâ. Votum ſuum celeritate commendat.*

Gen. 4. Gen. 22. Ambroſ.

25. *Paſtoris Abrahæ feſtinatio ad Ieſum hoſpitio excipiendū.* Feſtinauit rurſum paſtor Abraham ad Saram; dixitque ei: *Accelera, tria ſata farinæ commiſce.* Ipſe verò ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum *tenerrimum, & optimum.* Geneſ. 18. Ad quę Chryſoſt. *Non permiſit, ait, aliquem famulum abire, ipſe per ſemetipſum vituli electionem facit. Animaduerte, quomodo omnia ſimul cum velocitate, cum feruenti alacritate facit.* Quid mirum ſi Ieſum requirebat, fante Origene: *Vitulus non eſt durus, ſed bonus & tener. Et quid tam tenerum, tam bonum, quàm ille qui humiliauit ſe?* Qui quidem tam tener, vt recèns natus, faſciis illigari dignatus eſt, tam bonus, tam humilis, vt inter animantia apud præſepium commorans apparet.

Gen. 18. Chryſoſt. Origen.

26. *Qui Ieſum requiris non poſt tergum aſpicias, ſed feſtines.* Ad Lucæ verba: *Venerunt feſtinantes*, inquit Interlin. *Non aſpiciamus retrò, nec ad dexteram, vel ſiniſtram; niſi in ſolum Chriſtum.* Quaſcumque morarum occaſiones cura à requirente Ieſum remouere. Id quod Geneſeos illuſtrat teſtimonio. Deus Lotho: *Noli reſpicere poſt tergum.* Cap 19. Exponit Chryſoſt. *Id eſt, feſtina* Et Caietan. *Celeritas præcipitur.* Et quare tanta celeritas indicitur? Quia myſticè à Lotho Chriſtus erat aſpiciendus. Præclarè D. Ambroſ. *Quod illi dicitur, omnibus dicitur. Si vis ergo & tu euadere, ne reſpicias retrò, ſed antè aſpice, vbi Chriſtus eſt,* (in morem vtique Ezechielis currentium animantium) *qui dicat tibi, ſicut Petro dixit, Vade retrò me, vt ſcilicet Chriſtum videres.* Chriſtus enim feſtinantibus datur aſpiciendus.

Gen. 19. Ambroſ.

27. *Qui ad Altare accedis, currat.* Ex D. Chryſoſtomi ſententiâ præcedenti Sectione vidimus altare vices gerere præſepij, apud quod quotidie natus Infans à nobis requirendus eſt. Annon Agnus abſumendus Paſtorum feſtinantium habitum indicit? *Habebitis baculos in manibus, & comedetis feſtinanter* Exod. 12. Sicuti Paſtores venerunt feſtinantes ad præſepium, Hebræi feſtinant ad menſam. D. Gregor. apud Lipoman. *In hoc,* ait, *mandato myſteria Redemptoris cū feſtinatione cognoſcere admonemur. Feſtinantes ergo Paſcha comedamus, nemo in itinere torpeat. Nemo moras ad appetenda ſtudia innectat, ſed cœpta perficiat.*

Chryſoſt. Exod. 12. Gregor.

28. Feſtinanter equidem Paſtor Moyſes accedebat ad rubum, vt viſionem magnam intueretur, Virginei partus ſimulacrum. *Videbo* viſionem hanc magnam, Exod. 3. Vbi Hieronymus legit: *Tranſiens videbo viſionem hanc magnam.* Id eſt, properans videbo Saluatorem. *De Ieteb atha, id eſt bonitas, venerunt* Hebræi *in Hebrona, id eſt, tranſitus.* Num. 33. verſ. 34. Quem locum expendens idem Hieronym. inquit, *Tranſeunt Sancti cupientes ſemper meliora. Ad hanc manſionem venit verus Hebræus, id eſt, tranſitor, qui dicere poteſt, Tranſiens videbo viſionem hanc magnam. Non* enim *cum deſidia,* ait Interlinear. *Chriſtus quærendus eſt.*

*Paſtor Moyſes feſtinātè accedit ad rubum vbi nati Ieſu imago.* Exod. 3. Hieron. Interlin.

29. *A feſtinantibus Arca Domini inuenitur.* In cuius typum *Feſtinauit populus, & tranſiit; cùmque tranſiſſent omnes, tranſiuit & Arca Domini.* Ioſ. 4. Poſt feſtinationem vtique Iſraëlitæ Arcâ donantur. Et quonam modo arcanum myſterium nati apud præſepium Saluatoris tibi vis reſerari, ſi torpes otio, ſi non curas Paſtorum in ſtar, feſtinationi operam impendere? *Non otiosè,* ait Origen. *hoc dictum eſt. Nobis enim non ſegniter agendum, ſed feſtinandum donec tranſeamus,* vtique in Bethleem, *vt peruenire mereamur.* Et quidem feſtinantes proculdubiò veniemus. Nam Paſtores *venerunt feſtinantes.*

Ioſ. 4. Orig.

## OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

*Et venerunt feſtinantes.*

### Paſtores Puerum Ieſum feſtinanter requirunt; quia ardenter amant.

*Dilectionis namque effectus diligens obſequium eſt.*

30. Carthuſ. VNDENAM huiuſcemodi exorta feſtinatio? Reſpondet Carthuſ. *Venerunt feſtinantes, quia feruentes erant in Dei & Pueri nati amorem.* Indicamentum amoris eſt, Deum diligenter perquirere. *Itaque nos,* inquit ille, *Chriſtum cum feſtinatione, id eſt, diligenter, ac feruenter quæramus, quem nemo cum torpore, & deſidia dignè quærit. Si quidem ad Deum feſtinare, & currere, eſt ardenter diligere, & quò amamus feruentiùs, eò properamus, currimúſque celeriùs.* Ita Doctor.

31. *Quaſi tractus venit qui amanter quærit.* Diligens itaque requiſitio amoris documentum. Dominus confirmans fatur, *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit illum.* Ioan. 6. Nemo poteſt venire, id eſt, me amare, mihi per charitatem adhærere, vti Idiota de amore diuino, lib. 5. cap. 2. exponit, *niſi Pater traxerit illum.* Cur non dixit: Niſi Pater adduxerit, aduocauerit, allexerit? *Niſi traxerit,* inquit. Quia (vti idem Doctor) qui Ieſum diligenter non requirit, currens vtique more illorum, quæ pertrahuntur haud ardenter diligit Saluatorem. Præſtantis namque dilectionis documentum eſt feruens requiſitio.

Ioan. 6. Idiota.

32. Quid Pſaltes? *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum, & do-*

*mum*

*Vbi diligentia innuitur Sponſæ, ibi amoris præſtantia ſignificatur.* *Pſalm 44.*

*mum patris tui, & concupiſcet Rex ſpeciem tuam,* Pſalm.44. Et quare illud verbum replicauit: *Audi, inclina aurem?* Quia audire aurem inclinando, cor ſubindicat diligens, attentè aliquid auſcultās. Quid audit Sponſa? Vocem equidem Chriſti, quem domum paternam obliuioni tradens, diligenter requirit. Quid plura? *Concupiſcet Rex ſpeciem tuam.* Amans proculdubiò diligeris. Et vndenam de ardenti Sponſæ dilectione conſtat? Quia quanto velociùs incedit, ſeu diligentiùs perquirit, tanto proculdubiò ardentiùs amat. Annon ex reduplicatione illa: *Audi, inclina aurem,* feſtinatio, ac diligentia fidelis animæ innuitur? Ex eodem igitur auditu præſtantia dilectionis ſignificatur. Quia ſcilicet vnde diligentia inquiſitionis, inde amoris emicant flammæ. Sapientiſſimus Idiota egregiè: *Oritur amor ad te amandum,* ô Domine, *per auditum, quia de te ſcriptum eſt: Qui audit me, non confundetur. Beati ſunt qui audiunt, & qui te vero amore diligunt.* Veri quippe amoris index diligens auditio, inquiſitio feſtina. (*Idiota.*)

33\. *Nos vehementer à Ieſu nato in vtero amari conſtat, quia diligenter requiſiuit.*

Nos huiuſce dilectionis Chriſtus recèns natus in vtero, ſiue recenter conceptus, edocuit indicamenta. Num non ardentiſſimè à Ieſu diligimur? Ita planè. Quod ſi argumentum perquiras. Nos vtique requiſiuit diligenter. Doctor Angelicus 3.p. q.30. a.1. matrimonium quoddam ſpirituale affirmat inter Deum & humanam naturam interceſſiſſe. *Vnde*, ait, *congruum fuit B. Virgini annunciari, quod eſſet Chriſtum conceptura, vt oſtenderetur eſſe ſpirituale quoddam matrimonium inter Deum, & humanam naturam, & ideo expectabatur conſenſus Virginis loco totius humanæ naturæ.* Quorſum hæc? Angelus nuncius Dominicæ incarnationis Mariæ profatur, *Dominus tecum.* Luc. 1. (*Luc. 1.*) Proh Cælicolæ error! Aonon annuntiaturus Chriſti conceptionem accedis? Nonne conſenſum ab Sponſa perquiris? Quonam modo ergo iam inuenis Deum iucundo Virginis thalamo commorantem? Profectò qui Sponſam ardenter amat, non potuit non illam diligenter perquirere, vſque illam tranſire feſtinanter.

34\. *Amans nos pariter Ieſus, nos mox conceptus properans quærit.* *Idiota.* *Luc. 1.*

Rurſum Idiota vbi ſuprà: *Quos in carne*, inquit, *quæſiuiſti, elegiſti in virtute.* Id eſt, potenter, validè, feruenter amaſti: *Et niſi amaſſes nos dulciter, non requiſiiſſes in carcere.* Vbi proculdubiò reſpicit Deiparæ properantis ad inuiſendum Eliſabetham, Ioannémque perquirendum, vt ſanctificaretur, iter: *Abijt Maria cum feſtinatione.* Luc. 1. Et quare feſtinat? Quia in carcere incluſus amator cæleſtis feſtinat ad requirendum, quem potenter amat. Nam *niſi amaſſet dulciter, non requiſiiſſet in carcere.*

35\. *Abraham & diligit & feſtinat.* *Gen. 18.* *Chryſoſt.*

Reuoca ad mentem proximè illuſtratam Abrahami properationem: *Feſtinauit Abraham ad Saram, dixitque ei: Accelera, tria ſata ſimilæ commiſce; ipſe verò ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum.* Geneſ. 18. Pulchrè D. Chryſoſt. *Animaduerte ſimul, quomodo omnia cum velocitate, & cum feruenti alacritate,* (ſeu charitatis aut amoris feruore) *facit.* Appoſitè equidem velocitas & feruor amoris copulantur; quia quò velociùs incedit ad obſequium Domini, eo ardentiùs eum amare manifeſtat.

36\. *Vxor Loth cunctatur, quia nō diligit cœleſtia.* *Gen. 19.* *Chryſoſt.*

Vidimus velocitatem progrediendi Loth indictam, dum Angelus Altiſſimi ex mente profatur: *Noli reſpicere poſt tergum.* Geneſ. 19. *Id eſt*, vti D. Chryſoſt. aiebat, *Feſtina.* Vxor quidem Loth poſt tergum reſpexit, id eſt, minimè parens præcepto, nō feſtinauit. Quare? Quia bonæ notæ Doctores affirmant, vxorem Loth amoris profani affectu detineri. Quod ſi vera ſententia, fœmina illa ideò non feſtinabat, quia Deum minimè diligebat. Ad hæc D. Ambroſ. (*Ambroſ.*) *Retrò Sodoma eſt plena flagitij, retro Gomorrha vitijs ſcatens, criminum Regio. Fuge ergo Sodomam, relinque ocyus, ne te imminentia obruant pericula. Qui non reſpexit, euaſit, quæ reſpexit, euadere non potuit.* Loth euadens velociter, non reſpexit, id eſt, ſeculum non amauit; quia velociter, ſeu feſtinanter currens flammâ ardet cæleſti, non cæco igne carpitur. At Vxor quæ non feſtinat, ſed reſpicit, ideò vtique non feſtinat, quia amore ſeculari accenditur, non diuinâ flagrat dilectione. Solus namque diuinus amor indit alas.

Enimverò ſolicitudo, aut diligentia huiuſcemodi amoris flammantis index, non greſſibus corporis præferenda, ſed animi. Vnde poſtquàm Idiota & ſolicitudinem & amorem commendauit, adiecit: *O clementiſſime Domine, non oportet me transferre maria, penetrare nubes, montes tranſire; quia non grandis mihi reſtat via, ad te amandum. Solùm enim opus eſt vt curram ad me ipſum.* Quàm ſegnis, qui Deum meo pectori commorantem per ſingula momenta non requiro! 37.

*Apud te ipsū currens, inuenies Ieſum.* *Idiota.*

# OBSERVATIO IV.

## Ad illa verba:

## *Venerunt feſtinantes.*

## Exultant Paſtores de totius mundi ſalute.

### *Quia Prælatorum eſt, omnium ſubditorum ſaluti inuigilare.*

ALITER Dionyſius Carthuſianus exponit Paſtorum feſtinationē. Aſſerit etenim ideò feſtinaſſe, quia de totius mundi ſalute exultabant. 38. (*Carthuſ.*) *Venerunt feſtinantes, quia gaudebant de totius mundi ſalute.* Quaſi feſtinare idem ſit ac exultare Paſtores, iuxta illud: *Exultauit vt gigas ad currendam viam.* O quàm appoſita Paſtorum conditio de communitatis totius ſalute gaudere! Vniuerſitatem enim Prælati munificentia complectitur.

39\. *Paſtor omnium Abrahā feſtinat, & exultat in omnibus ad ſalutem alliciendis.* *Gen. 17.* *Gen. 18.* *Chryſoſt.*

Paſtorem teſtor Abrahamum. Cui Dominus: *Eris Pater multarum gentium.* Geneſ. 17. Cùm autem ei Dominus ſub trium Adoleſcentum ſpecie rurſum apparuiſſet. *Feſtinauit Abraham ad Saram*: vt eam ad obſequium præſtandum pati[?] peribus alliceret. *Accelera, tria ſata ſimilæ commiſce. Ipſe verò ad armentum cucurrit.* Puero vitulum tradit. *Qui quidem feſtinauit, & coxit illum.* Geneſ. 18. In primis Abrahæ properationem expende. Quare feſtinat Patriarcha? D. Chryſoſt. *Omnia cum velocitate, cum hilaritate, cum gaudio, cum magna iucunditate facis.* Ac ſi diceret, Ideò Paſtor Abraham feſtinauit, vti Bethleemitici Paſtores; quia exultabat. Num de ſalute ſuorum? Ita planè. Poſtquam enim Pater multorum, ſiue Paſtor efficitur de omnium ſalute exultat, Vxorem

rem ad opera miſericordiæ adducit; puerum aduocat ad obſequium. Omnis tunc familia Abrahæ, quæ totius generationis futuræ typum gerebat, vitaliter paſcitur à Paſtore. Egregiè Lipom. *Vide in omnibus, quanta ſit ſuſcipientis Angelos alacritas, feſtinat in omnibus*, (ſiue omnes ad feſtinationem excitat) *omnia perurgentur, nihil otioſè agitur, Abraham currit, Vxor accelerat, puer feſtinat.* Paſtor etenim non appoſitè exultat, niſi omnium ſimul ſaluti curam impendat. *Feſtinat in omnibus*, in omnibus ad ſalutem alliciendis exultat.

Lipom.

40. De Parente Abraham Dominus: *Abraham Pater veſter exultauit, vt videret diem meum, vidit, & gauiſus eſt.* Ioan. 8. Apud montem Abraham, poſtquam Deus immolando pepercit Infanti, (moribus quidem, non ætate) cui patris non pepercerat voluntas addicta vulneri, exultauit. Num de Iſaac peculiari incolumitate, & ſalute? Haud decens Patri communi, ſiue Paſtori de priuato commodo exultatio. Profectò de totius familiæ Agni immolandi ſanguine redimendæ, ſalute gauiſus eſt. D. Chryſoſtomus in Cat. *Diem ſuum dicit diem crucis, quem Abraham in oblatione arietis, & Iſaac præſignauit.* Paſtor igitur, multarum gentium eo die exultat, quo immaculatus ſanguis pro nobis, ac pro multis effunditur.

*Paſtor multorum Abraham de omnium ſalute Dominico ſanguine diluluum gaudet.*
Ioan 8.
Chryſoſt.

41. Ipſe equidem Ieſus licet lacrymas profundat, exultat equidem apud præſepium de totius mundi ſalute procuranda. Feſtinat Agnus, ipſe hominum Paſtor. Nec enim alienum à Sole oues cuſtodiſſe, (ſicuti de Apolline apud Admetum Paſtore confabulatur.) Quid aliud Dauid, *Exultauit vt gigas ad currendam viam, à ſummo cælo egreſſio eius.* Pſalm. 18. Paſtor hominum currit, feſtinat, quia exultat. An de Mariæ ſanctitate, Ioſephi iuſtitiâ, Paſtorum humili ac deuoto obſequio, Magorum reuerentiâ? Certè feſtinanti Paſtorum Principi adnatum de totius orbis exultare ſalute. Perpulchrè D. Bruno: *Benè giganti comparatur Chriſtus, qui humanam naturam ſuperans magnitudine ſuæ potentiæ, omnia mundi vitia cum ſuo truculentiſſimo auctore proſtrauit. Hic via ſignificat curſum vitæ eius, quia ſcilicet homo natus hodie, creuit, docuit, paſſus eſt.*

*Chriſtus natus feſtinat, & exultat de ſalute mūdi.*
Pſalm. 18.
Bruno.

42. Erudimini legis nouæ Paſtores. Cùm Elias curru igneo eſſet cælum penetraturus, ſic clamat Eliſæus: *Fiat in me duplex ſpiritus tuus.* 4. Reg. 2. Cur diſcipulus expetit ſpiritus Magiſtri donari incremento? Vt reſpondeam, adnoto Eliam *Dominum fortem* interpretari, Eliſæum autem *Deum ſaluantem.* Vt ſit Eliſæus typus aut Ieſu Saluatoris, aut legis gratiæ Paſtorum gerat imaginem. Elias olim vnius populi ſalute gaudet, peccatores debellat, igne percutit deuorante. Non ſatis feſtinat Elias, qui de vnius populi exultat commoditate. At Eliſæus legis nouæ agens Præſulem, aut Paſtorem, omnes ſaluans inducitur, omnium ſaluti vacans adnotatur. Ideo cupit in ſe ſpiritus Eliæ increſcentem, vt ad vtrumque populum currat, & de totius orbis ſalute exultet. Attigit D. Ignat. Epiſt. 2. ad Polic. fatus: *Obſecro te per gratiam, qua ordinatus es*, (ſiue legis gratiæ Paſtor effectus) *vt ad curſum hunc tuum*, & hilaritatem, ſeu exultationem, *incrementa adiicias, omnéſque adhorteris, vt ſaluentur.* Illud expende: *Vt ad curſum tuum incrementa adiicias* Id eſt, Velocior ac feſtinantior ſit curſus, vt exultatio ad omnem mundum dilatetur. Paſtor enim de totius orbis commodo debet exultare.

*Legis nouæ Paſtores ad omnes feſtinant, & exultant.*
4. Reg. 2.
Ignat.

Nec mirum Paſtorem cum omnibus electis commorari, minimè quidem ſuum munus impleturus, ſi ad ouem errabundam non feſtinet, déque totius tunc gregis ſalute, inuitatis ad gaudium Paſtoribus, non exultet. Luc. 15. Rurſum Ignat. citat. *Omnes*, ait, *porta, quemadmodum te Dominus: omnium infirmitatem perfer, vt athleta perfectus, ſicut & omnium Dominus, ipſe enim infirmitates noſtras portauit.* Particula illa adnotanda, *Vt athleta perfectus.* Carthuſianus feſtinationem Paſtorum aſſeruit cum exultatione de totius orbis ſalute eſſe coniunctam. Sint itaque Paſtores Euangelici, quod Ignatius inhortatur, athletæ perfecti. Imperfectè enim currit, ſeu feſtinat, qui non ſimul de omnium commodo ſpirituali exultat. 43.

*Paſtor ad errabundā ouē exultās properat.*
Luc 15.
Ignat.

## OBSERVATIO V.

### Ad illa verba,

*Et inuenerunt Mariam, & Ioſeph, & Infantem poſitum in præſepio.*

## Quàm prudens Mariæ ac Ioſepho ſimul prælibat obſequium, qui Ieſu inueniendo dat operam.

*Vbi de D. Ioſephi Sponſi interceſſione potentiſſimâ.*

Licèt texens Lucas hiſtoriam, Mariæ ac Ioſephi meminerit, inuenti namque à Paſtoribus iuxta præſepium, non tamen ſine ſacramento fit vtriuſque parentis memoria. Porrò Dionyſius Carthuſ. exprimens illud Iob, *Numquid volet Rhinoceros ſeruire tibi, aut morabitur ad præſepe tuum?* Cap. 39. ideò ait Mariæ factam mentionem, vt non miremur Rhinocerotem apud præſepium commorari, ſi Virginis induſtriâ ad manſuetudinem fuerit aduocatus. *Impletum eſt ſpiritualiter*, inquit, *illud admirabile in Iob ſcriptum. Rhinoceros quippe eſt animal fortiſſimum, quod vnum in fronte fert cornu, & capitur in gremio Virginis, in quo caput reclinat, quando fugatur; & Chriſtum deſignat, qui virginalis vteri gremio captus eſt, atque in noſtrum ſeruitium*, ac præſepe *ducitur.* Hæc de Deipara. 44.

*Maria Ieſū Rhinocerotē manſuefecit.*
Iob. 39.

Attamen nihil Doctor de D. Ioſephi aſſiſtentiā profatur. Vnde exiſtimo inuentos Mariam, Ioſephum, & Infantem, vt Angelicum nuncium verificaretur. Quia ſcilicet, vt ex mente Toleti in Commentario expoſui, Angelus affirmans Infantem inueniendum, inſinuauit & Mariam, & Ioſephum adeundos; quia ſub Parentum poteſtate degens Ieſus haud videndus vlli ſine Parentis vtriuſque traditur poteſtate. O quàm veraciter coram Maria & Ioſepho inclamitabimus, Benedictum fructum & ventris & mentis nobis oſtendite! 45.

*Maria & Ioſeph Ieſum nobis oſtentant.*
Tolet.

Requiritis, ô Paſtores, Agnum ſine macula, ſeu Paſtorē Ieſum? (Vti ex Euthymio dedimus) 46.
Paſtor,

Digitized by Google

*Ieſus Paſtor & Agnus paſcitur apud Mariam, & Ioſeph ab ipſis nobis exhibendus.*
Cant.4.
Iſai.9.
Rupert.

Paſtor, & Agnus adeundus ex Mariæ, & Ioſephi licentiâ: *Dilectus meus mihi, qui paſcitur inter lilia.* Cantic.4. Mihi Ieſus natus, mihi datus. Paruulus natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis. Iſai.cap.9. Attamen Paruulus Agnus eſt ſine macula, Filius Dei datus hominibus in Paſtorem, qui ouem humeris præferat errabundam. *Cuius principatus ſuper humerum eius.* Siue Agnus ſit, ſiue Paſtor, Mariam & Ioſephum exora. Qui paſcitur inter lilia. Rupertus: *Inter Mariam, & Ioſeph.* Agnum quæritas? Paſcitur inter virumque Sponſum, Maria lactat, Ioſephus cuſtodit. Paſtorem requiris? Haud cognitus locus paſcuæ, conſcij Maria & Ioſeph. Hic Dauid cui ſecreta Domini reſerantur, vti Bernardus ait. Illa hortus concluſus. Adeunda Parens & Nutritius, à quibus abſconditus Infans nobis adorandus exhibeatur.

47\. *Vt apud Ægyptum Paſtores adeant Ioſeum, neceſſaria Maria, & Ioſephi præſentia.*
Gen.37.
Ambroſ.

Ioſeph olim: *Vidi per ſomnium quaſi Solem & Lunam & Stellas adorare me.* Geneſ.37. Vbi D. Ambroſ. lib. de Ioſeph, cap.7. *Quis eſt ille, quem Parentes, & fratres adorauerunt ſuper terram, niſi ſolus Ieſus; quando eum Ioſeph, & Maria, & Diſcipuli adorauerunt? De quo ſolo dictum eſt, laudate eum Sol, & Luna, laudate eum omnes Stellæ, & lumen.* Ioſeph itaque Sol: Maria, Luna: Fratres ſiue Diſcipuli, ſiue Reges, ſiue Paſtores, ſiue quicumque Ieſu adoratores extitêre. Certum Rachelem vitam cum morte commutauiſſe, priuſquàm Ioſephus in Ægyptum aduentaret. Vnde æquè compertum Ioſephum minimè à Matre Rachele fuiſſe adoratum. Vnde aptè Ambroſius ſolum Ieſum aſſerit ab vtroque parente adorationis obſequium accepiſſe. Iam requiro, Quare Ioſephi Mater in conſpectu Filij vel myſticè adnotetur? Quia Paſtores fratres adoraturi Ieſum in Ioſepho adumbratum introducendi ſunt. At auerſo Domino quonam modo acceſſibilis poſſet reddi, niſi Maria & Ioſephus coram tanto Principe ſtatuerentur?

48\. *Non datur aſpiciendum Paſtoribus natiuitatis myſterium, donec Maria & Ioſephus ſimul adſit.*
Exod.3.
Bernard.

Olim Deus natus obiiciebatur, nec tamen Paſtores admittebat. Apparuit rubus ſine læſione conflagrans. Properanti autem Paſtore Moyſe, vt videret myſterium, vox effecta: *Ne appropies huc.* Exod.3. Et quidnam rubus niſi Maria, Ieſum ſine virginei pudoris læſione pariens? *Rubum, quem viderat Moyſes, incombuſtum; conſeruatam agnouimus tuam virginitatem.* Et D. Bernard. de verb. Apoſt. *Magna planè viſio rubus ardens ſine combuſtione,* &c. Proh Deus immortalis! Exortus adumbraris ex femina, & prohibes Paſtoris acceſſum? Quare igitur ad videndum incarnationis myſterium, ac Ieſu natalitium non admittitur Paſtor? Num non aderat Maria? Ita planè. Attamen aberat Ioſeph minimè inibi figuratus. Vnde Paſtores non appropiant, donec Maria & Ioſeph, quibus Ieſus ſubditur, pariter coram nato Ieſu conſtituantur. Quid aliud Moyſes? *Benedictio illius, qui apparuit in rubo, veniat ſuper caput Ioſeph.* Deuter.33. Ac ſi diceret, Non permiſſum Paſtori accedere apud deſertum, ac Dominum natum adorare, contrectare, benedicere. Caput huiuſce familiæ Ioſeph, cui Maria & Ieſus ſummittûtur. Erit quando accedentibus Paſtoribus Ioſeph Mariam exoret, vti Ieſum Paſtoribus oſtentet. Vnde benedictio Ieſu (redeunt enim Paſtores laudantes, & benedicentes Dominum) per Ioſephum & Mariam Saluatori præparatur.

49\. Annon Ieſus tritici aceruus apud vterum Virginis liliis vallatus. Sic ſponſus, *Venter tuus aceruus tritici vallatus liliis.* Cant. 5. Et quodnam vallans ſine cuſtodiês lilium niſi Ioſeph? De quo equidem D. Bern. ſerm 2. ſuper Miſſus: *Ille frumẽtum ſeruat non ſibi, ſed omni populo; iſte panem viuum è cælo ſeruandum accepit tam ſibi, quàm toti mundo.* At frumentum non datur Paſtoribus è Chanaan aduentantibus ſine Ioſephi licentia, ſine horrei reſeratione. Nam & Pharao Paſtores ad Ioſephum immiſit, fatus: *Ite ad Ioſeph.* Et ipſe Protex *vniuerſa Ægypti horrea* reſerauit. O Paſtores Bethleemitici, haud exſatiabimini veri panis in panis domo conſtituti conſpectu, ac dulcedine, niſi ex horrei, cuſtodiſque gratiâ.

*Ieſus Paſtoribus traditur panis vitæ permiſſo Mariâ, & Ioſepho.*
Cant 5.
Bernard.
Gen.37.

50\. Profectò Deipara paradiſus, vbi Ieſus vitale hominibus lignum, ſeu Saluator occluditur. Non patet hominibus ingreſſus, niſi Maria copiam faciat. Num ſine Ioſephi miniſterio oſtium concluſi horti reſerabitur? Profectò D. Ioſephus Cherub ante oſtium exiſtit igneo gladio ad cuſtodiam deputatus. Iſolanus 3. part. cap. 22. *Si hæc explorata creduntur veritatis, cur non Ioſeph Cherubim aſſeuerandus eſt, qui & Virginis ſanctiſſimæ, & Chriſti cuſtos à Deo immortali poſitus fuit?* Hinc vêlim ediſcas, quàm vtiliter ſub vtriuſque ſponſi nomine preces pariter profundes. Roſarium Virgini recitas? Globulis piacularibus Deiparæ perſolutis, decies inſuper memoriæ D. Ioſephi orationem Angelicam, ſemélque Dominicam dicare cura. Gaudent coniuges ſimul exorari, non ſine vbere (loquor expertus) munerum profluentiâ.

*Signum vitale Ieſus nobis oſtẽtatur ex Maria & Ioſepho miniſterio.*
Iſolan.

# OBSERVATIO VI.

## Ad illa verba:

*Maria autem conſeruabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo.*

## Conſeruans, & conferens verba Deipara illuſtratur.

*Vbi de taciturnitatis ſalutaris laudibus.*

51\. COMMENDABILIS admodum Deipara ex myſteriorum taciturna cuſtodia. D. Ambroſius: *Secreta Chriſti, quæ nouerat, nemini diuulgauit.* O quàm decet præcipuè feminas cœlitùs acceptas gratias profundo ſilentio cuſtodire! Occurrebant quidem memoriæ Deiparæ & Gabrielis ſalutatio, & Verbi conceptio, & Spiritus aduenientis abundantia, & maternitatis dignitas, & Prophetarum laudes, & ſcripturæ præconia. Non tamen euulgabat, ſed tacitâ meditatione euoluens, apud præcordia cuſtodiebat. Nec enim ſine periculo cœleſtia munera aut fauores euulgantur.

52\. Obiicite vobis, ô feminæ, primæ matris colloquij diuini ſecum habiti ſerpenti gloriam proferentis. Cui reſpondit mulier: *De fructu*

*Quàm alia Maria ab Eua ſecretorum cæleſtiũ diuulgatrice!*
Gen. 3.
Chryſoſt.

*lignorum, quæ ſunt in paradiſo, veſcimur.* Geneſ. 3. Vbi D. Chryſoſtomus: *Mulier confidens, quod beneuolè erga ſe affectus eſſet ſerpens, totum mandatum detexit, recenſuit omnia, & reſponſo ſuo omnem ſibimetipſi defenſionem abſtulit.* Id eſt, Ablatâ defenſione, & præſidio miſerè debellata eſt: *Tantum malum eſt, abſque delectu cuiuis diuina myſteria detegere. Audiant quæ ſine diſcrimine ſimpliciter cum omnibus colloquuntur. Cum diligentia ſeruanda ſunt hæc; ne eadem patiamur, quæ parentes noſtri, qui decepti ſunt.* Decipiens mulier acceptos à Deo fauores propalans.

53. *Non impunè mundiali reuelas fauores à Deo acceptos.*

Præſertim cùm ſerpenti, ſeu mundiali cuique reuelas, qui quidem aut in tui exitium conuertet, te ad mundialia alliciendo ex cæleſtis muneris contemptu, aut in ſui transferet damnationem, dum ludibundus à te ſeparatur. Ideò Dominus: *Ne mittatis margaritas veſtras ante porcos: ne fortè conculcent eas pedibus ſuis, & conuerſi dirumpant vos.* Matth. 7. Ponderat D. Chryſoſt. vbi ſuprà, profatus: *Verùm quia Eua omne mandatum ſerpenti detexit, & margaritas porcis obiecit: impletur, quod à Chriſto dictum eſt. Ne mittatis, &c. Non ſolùm enim illas conculcauit, ſed & dictis ſe oppoſuit, & conuerſus ipſam in morbum inobedientiæ perduxit.* Et adjicit: *Qui enim porci, id eſt, porcinis moribus ſunt, non ſolùm ex dictis non proficiunt; ſed & bonas margaritas in ſuæ perditionis profundum abiiciunt.* Deteriores effecti vnde ad compunctionem alliciebantur.

Matth. 7.
Chryſoſt.

54. *Contaminatur femina gratiam cæleſtem manifeſtans.*
Num. 19
Gregor.

Huiuſmodi exigui vaſis feminæ fauores cæleſtes profundentes, ſic à Domino taxantur. *Vas, quod non habuerit operculum, nec ligaturam deſuper, immundum erit.* Numer. 19. Expendens D. Gregorius 6. Moral. cap. 17. ait: *Tegimen operculi, vel ligatura eſt cenſura diſciplinæ;* (ſeu ſilentium) *quâ quiſquis non premitur, quaſi vas immundum, pollutúmque reprobatur. Quaſi enim vas ſine operculo vel ligaturâ polluitur, quia per ſtudium oſtentationis patens, nullo velamine taciturnitatis operitur.* Quotieus ob ſilentij defectum femina ſpiritualibus addicta ad carnalia diuertit?

55. *Recens egreſſa à mundo mulier affectat reuelationes oſtentare non ſine periculo prolabendi.*

Quo equidem vitio plerumque aſſolent maculari. quæ poſt mundialia vitam ſpiritualem curant inſtituere. Nondum primum greſſum perficiunt, & iam gratiam diuinam quaſi è culmine perfectionis oſtentant. Proh mulierculæ ſtultitia! Audiet ſiniſtra tua. vita tranſacta heri, quod hodie dextera præſtare curat, & te fortaſſe ex vanæ gloriæ nutantem afflatu pertrahet ad ſecularia. Quod periculum præcauens Dominus, præcipit: *Non condebis primogenita ouium.* Deut. 15. Id quod expendens D. Gregorius, *Primogenita*, inquit, *ouium condere, eſt, ab occulto tegmine inchoantia bona nudare. Si quid enim bonum, robuſtúmque* (fragilis femina) *cœpiſti exercere, non debes citò oſtendere. Simplex, & innocuum non debet nudari ſuo velamine, ad ſola diuina ſacrificia iſta proficiant, vt ad honorem intimi Iudicis in ara cordis immolentur. Ne primordia adhuc carnalis vitæ innoteſcant.* Quæ quidem fragilem mulierem deturbet vanæ auræ afflatu ſurſum ad voluptates.

Deut. 15.
Gregor.

## OBSERVATIO VII.

Ad illa verba:

*Maria autem conſeruabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo.*

### Maria mirabili ſilentio oris clauſtra cuſtodiens virginalis pudicitiæ clauſulam commendat.

*Quia ſilentium virginitati affine.*

E X ſilentio Deiparæ in præſenti Diuus Ambroſius acutè colligit eiuſdem incorruptam virginitatem. *Diſcamus*, inquit, *in omnibus Virginis caſtitatem, quæ non minus ore pudica, quàm corpore, argumenta fidei conferebat in corde. Etenim virginalis pudicitiæ iura cuſtodiens, ſecreta Chriſti, quæ nouerat, nemini diuulgauit.* Illud premo: *Virginalis pudicitiæ iura cuſtodiens.* Quaſi virginitatis iura quodammodo amitterentur, ſi oris non adeſſet cuſtodia. Quàm pulchrè Deipara vel poſt partum virgo oſtentatur, dum labiis cuſtodiam apponit. Clauſtrum etenim & virginitatis & oris ſimul plerumque aut conſeruatur, aut deperit. 56. Ambroſ.

Hinc ſponſus: *Sicut vitta coccinea, labia tua; ſicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ.* Cantic. 4. Silentij ſimul ac virginitatis commendat præſtantiam. Labia *ſicut vitta.* Cur non geminum labrum vittæ duplici comparatur? Vt innuat ita ſuperius labrum inferiori conglutinari, vt vnius indiuiſſibilis vittæ vices gerat. Loquatur ſponſa, vitta diſrumpetur, clauſtrum oris peribit. Guillelmus Paruus: *Parum eſt*, (inquit) *ſi dicam, in ore eius nec verbum ſonuerit otioſum.* En clauſtrum oris. Quàm autem comes ſit ſilentij virginitas, quàm affinis clauſtro ſilentij virginitatis clauſula, altera ſententiæ ſectio expendit: *ſicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ.* Quæ quidem verba Del-Rius noſter ſic dat ſponſæ virginitati: *Virtuti taciturnitatis adnata eſt vt plurimum virtus verecundæ honeſtatis; ideò genæ comparantur fragmini mali granati.* Sicut fracto virginitatis clauſtro, virginitas ſoluitur corporea: diſruptâ verecundæ honeſtatis clauſulâ, faciei virginitas deperit. Adhærent igitur ſilentium & virginitas; quia quodammodo corruptio ſilentij connotat virginalis modeſtiæ ſolutionem.

57. *Ex labiorum cuſtodia pudicitiæ clauſula colligitur.*
Cant. 4.
Del-Rio.
Guillelm.

Caſtitatis commendator, ſilentij præco D. Stephanus: *Et ſtatuerunt* (ait Textus) *falſos teſtes, qui dicerent: Homo iſte non ceſſat loqui verba aduerſus locum ſanctum, & legem. Et intuentes eum omnes qui ſedebant in concilio, viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli.* Act. 6. Quæſtio à Patribus excitatur. Vndenam Leuitæ Angelici vultus ſpecies? D. Auguſt. ſerm. de S. Stephan. ob caſtitatem incorruptam aſſerit Angelico vultu nituiſſe: *Quod propoſitum eſt*, ait, *feminis, teſtimonium meruit ſinceriſſimæ caſtitatis.* Noſter Salmeron ſapientiſſimus tract. 23. in Act. Ideo, ait, 58.

*Stephanus ſimul ſilentij & caſtitatis commendator.*
Act. 6.
Salm.

Angelicam

Angelicam ſpeciem exhibuiſſe, quia inter calumnias tacebat. Mentem complector vtramque. Sed requiro, Vndenam tunc temporis Stephani caſtitas effulſit? Reſpondeo, Quia miro ſilentio incorruptam virginitatem confirmabat. Nam cùm ſilentium index ſit caſtitatis, non poterat non virgo Angelus apparere, qui incorrupto oris clauſtro falſorum teſtium teſtimonia damnabat. Illi namque: *Iſte homo non ceſſat loqui.* Proh teſtimonij falſitatem! Quomodo loqui non ceſſat, qui cuſtos oris nullum verbum emiſit? Angelus itaque apparet Leuita; quia integritas oris, corporis, & animi commendat integritatem.

*Ioſeph ex ſilentio caſtus apparuit, oris Domina impudica ex loquela. Gen. 39. Ambroſ.*

59\. Non ſic Domina Ioſeph. Nam cùm caſtiſſimus adoleſcens, dimiſſo pallio, aufugeret, illa inclamitabat: *En introduxiſti virum Hebræum, vt illuderet nos.* Geneſ. 39. Vbi Ambroſius: *Iuſtus accuſare non nouit, ideò impunè hoc impudica faciebat.* Num impudica oſtentatur ex improbo deſiderio, ex nefaria cupiditatis manifeſtatione; an ex clamore? *Impunè hoc impudica faciebat.* Plus enim ex diſruptione ſilentij iouerecundia, ac impudicitia feminæ adnotatur quodammodo, quàm ex occulto auſu. Vnde conſequenter adiicit Doctor: *Illam igitur verè exutam dixerim etiam aliena veſtimenta ſeruantem, quæ omnia amiſerat velamina caſtitatis. Illum ſatis defenſum, cuius vox non audiebatur.* Ac ſi diceret: Silentij femina violatrix? Impudicitiæ crimine fœdata eſt. Cuſtos ſilentij adoleſcens? Cultor proculdubiò puritatis. Nam ſicut violatio ſilentij arguit pudicitiæ violationem: ſilentij cuſtodia exhibet caſtitatis documentum.

*Suſanna ex ſilentio caſta oſtenditur.*

60\. Suſanna adulterij accuſata, labia mirabili ſilentio clauſit. Proclamant ſenes, ſeditcitur populus, morti traditur. *Cùmque duceretur ad mortem, ſuſcitauit Dominus Spiritum ſanctum pueri iunioris, cuius nomen Daniel.* Qui quidem caſtiſſimam feminam ab iniquæ ſententiæ executione liberauit. *Sic fatui* (inquit) *filij Iſrael, non iudicantes, neque quod verum eſt cognoſcentes, condemnaſtis filiam Iſrael?* Danielis capite decimotertio. Vbi ad quæſtionem voco: Quare fatuos Iſraelitas appellauit? Annon quia quod verum erat, minimè cognoſcebant? Ita planè. Dicito mihi, quidnam aliud illi præſtare potuiſſent clamantibus Iudicibus, Presbyteris, Senibus? Etiamſi illi clamando diſrumperentur, veritatis lux, innocentiæ aſpectus, euidentia falſitatis teſtium & Iudicum, vos deberet à nefario iudicio reuocare. Iam requiro: Vndenam potuiſſent illi dignoſcere, & ſenium falſitatem, & Suſannæ innocentiam, ac puritatem incorruptam? Illa profectò apud tribunal tacebat, miro ſilentio labra obfirmabat. Quomodo ergo ex oris cuſtodia, *ô ſtulti*, non illicò pudicitiæ clauſulam dignouiſtis? Egregiè Diuus Ambroſius ad Geneſ. cap. 39. *Suſanna poſtquam tacet in iudicio, melius locuta eſt.* Vnde haud illi ex taciturnitate feminæ excuſantur, potius arguuntur; ſiquidem Suſanna tacendo ſe caſtiſſimam affirmabat.

*Dan. 13.*

*Ambroſ. ad Gen. 39.*

*Mulier ſine oris cuſtodia immunda reputatur. Num. 19. Gregor.*

61\. Rurſum locum Numerorum expendo: *Vas, quod non habuerit operculum*, nec ligaturam deſuper, *immundum.* Cap. 19. Vbi Diuus Gregorius citat vaſis operculum taciturnitatem exponit. Vas femina fragilis. Sine ſilentij velamine reputatur immundum. *Vas ſine taciturnitatis operculo polluitur.* Inter immundas etenim aſſolet computari quæcumque verbis non pudicis operam impendit. Quòd feminæ aliàs incorruptæ, ob labiorum ſolutionem ad cœtum impudicatum ab audientibus (non ſemper temerario auſu) referuntur.

# OBSERVATIO VIII.

Ad illa verba:

*Maria autem conſeruabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo.*

## Præmiſsâ Prophetarum lectione. Maria ſedulæ meditationi committit myſteria cuſtodienda.

*Vbi ante orationem lectio præmittenda illuſtratur.*

Admodum vtile, imò quibuſdam neceſſarium materiem adhibere meditationi. Spiritualis lectio non mediocriter animum ad meditationis & attentionem, & feruorem alliciunt. Dionyſius Carthuſianus: *Maria autem, cuius eſt tanta ſuauitas, vt nunquam piæ memoriæ portas ingrediatur abſque inſita ſibi dulcedinis aſperſione, conſeruabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo, intellectualiter ea reuoluens, vbertimque repetens. Itaque quietiſſima, ac puriſſima Virgo delectabiliter conſiderauit, quomodo Angelus ſibi Chriſtum annuntiaſſet, quomodo eum concepiſſet, ac peperiſſet.* En contemplationis myſteria. At ſapientiſſima Virgo huiuſce meditationis materiam apud Prophetas legerat. *Conferebat*, ait Beda, *quæ legerat facienda, cum his, quæ iam nouerat facta.* Vti ex præmiſſa lectione inquireret quod meditatiò myſterium inueniret. Bene Auguſt. de ſcal. parad. cap. 1. *Lectio inquirit, meditatio inuenit.* Priùs autem inquiſitioni incumbimus, quàm inuentione perfruamur. 62.

*Carthuſ.*

*Beda.*

*Auguſt.*

*Lectio requirat Ieſum, quē inueniat meditatio. Matth. 7.*

Hinc Dominus, *Quærite, & inuenietis.* Matthæi cap. 7. Quonam modo Deum animus longo defatigatus itinere requiret? Num per plateas diuagabor? Num forum circuibo? Num veſtigia gregum perſequar? Siſte greſſus. Expetis ſponſum inuenire? Quære ſpirituales libros, euoluendo, proculdubiò apparebit ſponſus. Quid facilius? Pulchrè D. Auguſtin. cit. profatur: *Quærite legendo & inuenietis meditando.* Et adiicit: *Lectio quaſi ſolidum cibum ori apponit; meditatio maſticat.* Quid ori apponere cibum, niſi frangere, in buccelláſque interſecare? Grauiſſimè calamitatis loco Propheta: *Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* Thren. 4. Lectio equidem & frangit, & præparat, & ori ita meditationem accommodat, vt vel paruulus poſſit accipere. *Lectio quaſi ſolidum cibum ori apponit.* 63.

*Auguſt.*

*Thren. 4.*

*Adhibet Auguſtinus exemplum. Auguſt. Matth. 5.*

Adhibito exemplo ſic Pater argumentum illuſtrat. In lectione audio: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Matth. 5. *Ecce breue verbum, ſed ſuaue, & multiplici ſenſu refertũ ad paſtum* 64.



Digitized by Google

*animæ quaſi vuam miniſtrauit. Quòd ſi diligenter inſpexerit, dicit intra ſe: Redibo ad cor meum, & tentabo; ſi fortè intelligere, & inuenire potero munditiam hanc. Hoc ergo ſi plenius explicari deſiderans, incipit hanc vuam maſticare, & frangere, eámque in torculari ponit: accedens ſedula meditatio non remanet extrà, non hæret in ſuperficie literæ, altiùs figit pedem, interiora penetrat, ſingula rimatur.* Hactenus Pater.

65. *Liber vtriuſque Teſtamenti obiicitur meditantibus.* Apoc. 5. Auguſt.

Quàm appoſitè Ioanni lectio meditationi præmittenda oſtentatur! *Et vidi in dextera ſedentis librum ſcriptum intùs & foris.* Apoc. 5. Quiſnam hic liber? Auguſt de Gen. ad lit. c. 4. *Vtrumque teſtamentum intelligo, à foris vetus, ab intus nouum. Quod intra vetus latebat omni myſteriorum plenitudine obſcuratam.* Quid plura? *Et cùm aperuiſſet* (ait Ioannes) *librum, quatuor animalia, & viginti quatuor ſeniores ceciderunt coram Agno, habentes ſinguli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum* Ibid. Præmittitur igitur lectio, liber aperitur, euulgantur veteris ac noui Teſtamenti myſteria, illinc vmbra, hinc veritas, curuantur ſenes, religioſi, ſacerdotes, iuſti, oratio ſequitur, odoramentis thuris, omniúmque ſpecierum æthera perfunduntur. Complet argumentum Auctor Epiſtolæ ad Demetr. quæ haud improbabiliter Auguſtino Epiſt. 17. datur: (Auguſt.) *Optimè vteris lectione diuinâ, ſi tibi eam adhibeas ſpeculi vice, vt ſic veluti ad imaginem ſuam anima reſpiciat, & vel fœda quæque corrigat, vel pulchra plus ornet. Lectionem frequenter interrumpat oratio. Nunc igitur te ordo inſtruat cæleſtis hiſtoriæ, nunc ſanctam Dauid oblectet canticum, nunc Salomonis erudiat ſapientia, nunc ad timorem Dei incitent dicta Prophetarum, nunc Euangelica & Apoſtolica perfectio te Chriſto in omnium morum ſanctitate coniungat. Quæ paranda ſunt, memoriæ penitus inſere, eáque iugi meditatione conſerua.* Sic ille.

66. *Iſſachar contemplationi addictus, lectioni ſpirituali incumbebat.* Gen. 49. Hieron.

Iſſachar meditationis ſeu contemplationis ſtudioſus ſcripturarum lectionem præmittebat: *Vidit requiem, quod eſſet bona.* Nil enim tam dulce, quàm Mariæ exercitamentis operam dare, ex ruralique munere cæleſti philoſophiæ vacare. *Et ſuppoſuit humerum ſuum, ad portandum.* Geneſ. 49. Vbi D. Hieronym. *Aiunt Hebræi ſignificare, quod Iſſachar Scripturas ſanctas die, ac nocte meditans, ſtudium ſuum dederit ad laborandum.* Requiem itaque contemplationis inuenire deſiderans, prius requirendæ ex præmiſſa lectione ſcripturarum operam dabat. Nec enim abſque legendi labore animus contemplationis plerumque vacatione potitur.

67. *Ingenioſus indiget ſpiritualis lectionis auxilio.* Gen. 49. Lyran.

Ingenio, ais, vigeo, ſapientiâ ſum præditus, inutilis lectio ſcripturarum, dum apud mentem ſcribantur myſteria. De eodem Iſſachar adiicit Textus: *Factus eſt tributis ſeruiens.* Geneſ. 49. Septuaginta: *Factus eſt vir agricola.* Spirituali ſcilicet peritiâ pollens, vt ſciat rei frumentariæ curam impendere. Lyranus totum ſic locum expendit: *Iſſachar aſinus fortis, id eſt, religioſus, qui ſuper ſcapulas dicitur portare crucem mortificationis: accubans inter terminos vitæ præſentis, in qua habet habitare corpore propter neceſſitatem vitæ corporalis, & vitæ cæleſtis, in qua dicitur habitare mente. Vidit requiem vitæ contemplatiuæ quòd eſſet bona. Nam Maria optimam partem elegit, & ſuppoſuit humerum ad portandum religionis onera; factáſque eſt tributis ſeruiens, id eſt, Regi Chriſto ſub obedientia, ſine proprio, & in caſtitate viuens.* Quidnam ex prædictis non ſubolcat intellectum, & peritiam? Mente cælorum eſſe incolam, requiem agnoſcere, meliorem partem eligere omne agricolæ huiuſce intellectum commendat? Ita planè. Attamen doctus ille, ac expertus ſcripturarum, ſeu librorum ſpiritualium incumbit lectioni, quâ dirigi valeat ingenium. Egregium do D. Ephrem ſerm. de vit relig. testimonium: (Ephrem.) *Quantumuis* (inquit) *ingenioſus, ac vigilans, diligénſque, diuinarum Scripturarum doctrina, obtuſus eſt, & infirmus prorſúſque rudis.* Vidi viros admodum ingenio, & doctrinâ pollentes ita lectione addictos ſpirituali, vt ſine eius adminiculo haud vnquam ad contemplationis verticem auolauerint. Indit, mihi credite, ſpiritualis liber alas, ipſe quidem volans, vti Propheta affirmat.

# SECTIO TERTIA.

# PASTORVM REDITVS.

## *TEXTVS.*

*Verſ.* 20. Et reuerſi ſunt Paſtores, glorificantes, & laudantes Deum in omnibus, quæ audierant, & viderant, ſicut dictum eſt ad illos.

## *COMMENTARIVS LITERALIS.*

### § I.

### *Quare de Paſtorum reuerſione memoria peragitur?*

1. *Non otiosè id Euangeliſta* ex Mald.

ET *reuerſi ſunt Paſtores.*] Videri poterat non magnoperè neceſſarium adnotari ab Euangeliſta, Paſtores ad gregem ſuum rediiſſe. Attamen non ſine cauſa id adiectum exiſtimo. Maldonatus ideò ait à Luca Paſtorum reditum annotatum, vt oſtenderet omnia fuiſſe completa, quemadmodum illis ab Angelis nuntiata fuerant; & vt ex eorum gaudio declararet *Prima expoſitio.*

vera

vera fuiſſe omnia, quæ à Cælicolis exaudierant; quando tam læti, ac voti compotes rediſſent.

2. *Secunda.* Tolet. 1. Cor. 7. Toletus autem ex memoria reuerſionis Paſtorum, ab Euangeliſta innui aſſerit Euangelium nō tollere hominum vocationes & exercitia, quæ & honeſta & licita ſunt, dummodo tamen fides, charitas, & opera Chriſtiana conſeruentur. Hinc Paulus, *Vnuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat.* 1. Cor. 7. *Hoc etiam Euangeliſta* (loquor cum Cardinali) *docere voluit nos, referens reuerſos quidem fuiſſe Paſtores; tamen glorificaſſe, & laudaſſe Deum in fide ſuſcepta, & Euãgelio agnito.*

3. *Tertia.* Barrad. Beda. Barradius expreſſam putat Paſtorum reuerſionem, vt oſtendatur non decenter potuiſſe apud præſepium permanere, quos gregis cura deberet reuocare. Deſumpſit ex Beda fonte: *Ad officium ſuum reuertuntur.* Myſticum hoc à me proprio Panegyrico commendandum.

4. *Auctoris ſententia.* Ego equidē arbitror non alio myſterio id fuiſſe à Luca adnotatum, quàm vt illi hiſtoriæ periodo finem imponeret. Obiecit legentibus Paſtorum acceſſum ad præſepium, obiicit & receſſum. Quēadmodum qui memorarat Angeli Gabrielis, Militiæque cæleſtis apparitionem poſt periodi illius expreſſionem adiecit: *Factum eſt, vt diſceſſerunt ab eis Angeli in cælum, &c.* Perſuaſis Paſtoribus, Verbúmque Dei eſſe credentibus, quod eis fuerat annuntiatum, Angeli in cælum, vnde venerant, receſſerunt. Haud aliter Paſtores poſt adoratum Infantem, ad greges, vnde venerant, reuertuntur.

### §. II.

### *De glorificatione, ac laude Deo à Paſtoribus exhibitâ.*

5. *Duæ particulæ adnotātur.* *GLorificantes, & laudantes Deum in omnibus quæ audierant, & viderant, ſicut dictum eſt ad illos.*] Adnotanda duo hæc participia: *Glorificantes, laudantes.* Duo in Ieſu natalitio Paſtores agnouerant: Vnum ad diuinitatem ſpectans, nempe quòd Saluator exiſteret hymnis à Cælicolis celebratus: *Gloria in Altiſſimis Deo, &c.* In his Paſtores dicuntur Deum glorificaſſe; glorificare enim ad maieſtatem refertur. Alterum ad humilitatem pertinens humanæ naturæ; nam & faſciis illigabatur, & commorabatur apud præſepium. In hoc Deum laudibus efferunt.

Quidnam igitur glorificare Deum? Cùm magna Dei opera, aut excellentiam confitemur, eum dicimur glorificare. Quidnam laudare Dominum? Singularem eius circa hoc myſterium virtutem prædicare, nempe bonitatem, amorem, miſericordiam adeò hîc emicantem, vt vincat mirabilem rubi ſplendorem. *Glorificant,* ait Toletus, *Deum in magnis, laudant in paruis, quæ quidem in Ieſu natalitio conuenerunt.* 6. *Quid Deum glorificare?* Tolet.

*Sicut dictum eſt ad illos.*] Connectitur hæc particula verbo *Viderant.* Viderant enim omnia ſicuti ab Angelo audierant. Reuerſi itaque ſunt Paſtores ad gregem ſuum, glorificantes quidem Deum in iis, quæ audierant ab Angelo annuntiante, à Cælicolis concinentibus; & laudantes eundem in his quæ viderant, ſicut dictum fuerat ad illos. Viderunt enim omnia Angelico nuncio mirificè reſpondere. 7. *Quid dictū ad illos?*

Non prætereo totius hiſtoriæ Paſtorum myſticam Anaſtaſij apud Cord. interpretationem: *Paſtores,* inquit, *qui rationali Chriſti gregi præfecti ſunt, ſi ſuper gregem in vita huius nocte rectè, prudenter, ac vigilanter cuſtodierint cuſtodias ſuas: hi non ab hominibus, ſed à virtutibus cæleſtibus nati myſterium docebuntur, ita vt & ipſi in poſterum inſpectores fiant, atque ipſum annuntient.* Ita Græcus ille Doctor. 8. *Myſtica expoſitio.* Anaſt.

---

## IN IESVM PASTORIBVS REVELATVM,

# Panegyricus tertius Moralis circa Literam.

## EX PASTORVM REDITV.

### *OBSERVATIO I.*

Ad illa verba:

*Et reuerſi ſunt Paſtores.*

### Paſtoribus à grege diſcedentibus celer ad oues tutandas reditus indicitur.

### *Contra Epiſcopos aulicos.*

9. BARRADII noſtri (cuius equidem ſapientia multis doctiſſimis præſtat magiſterium, cuius ſanctitas, me auctore, ſuammet excellit ſapientiam) interpretationem illuſtro. Profectos rurſum ait ad greges, quos ſine paſtore liquerant, Beda conteſtante, *Ad officium ſuum reuertuntur.* Nec enim decet Paſtores multo tempore exulare à grege, ne lupi caularum ſint incolæ. Bedo.

*Ant. de Eſcob. & Mendoz.* de Sanct. Tom. I.

10\. *Feſtinantes venire Paſtores, vt feſtinanter redirent ad greges.* Luc. 2.

Poſt nuncium Angelicum auditum, ſeſe Paſtores accingunt itineri, Infanti nato obſequium præſtituri. *Et venerunt feſtinantes* Luc. 2. Et quare feſtinanter incedunt? Num quia ſitientes ſalutem accurrunt ad fontem? Num quia ſalutis negotium agebatur, quem decet diligens operatio? Num quia videndi Meſſiam deſiderium pedibus indebat alas. Ita planè. Attamen conuenientiùs reſpondet Dionyſius Carthuſ. *Ad greges ſuos, quos ſine cuſtode reliquerant, redire velociter ſatagebant, ideò feſtinabant.* Quàm adnata Paſtoribus de curandis, ac prouidendis ouibus ſolicitudo! Nec enim bonus Paſtor, qui lubens diù commoratur exul à grege.

Carthuſ.

11\. *Paſtor Dauid vacans à labore ad gregem redire ſatagit.* Pſalm. 54. Auguſt.

Dauid: *Quis mihi dabit pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam?* Pſalm. 54. Paſtor Dauid à labore cuſtodiendi greges vacans, expetit ad oliuam miſericordiæ properare; (etenim germinauerat radix Ieſſe) at columbæ alas efflagitat. D. Auguſt. *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & tamen non ſicut corui?* Adnotat ibi Pater quanta debeat adeſſe diligentia Paſtori circa gregis cuſtodiam. Si diſcedit à grege, vt Virgini oliuæ ſpecioſæ in campis germinanti præſtet obſequium; aſſumptâ mox oliuâ, ſiue ore effuſurus miſericordiæ nuncium pergat ad Arcam; haud adſit locus, vbi pes abſentis columbæ requieſcat. Columba etenim ab arca recedens poſt breue temporis interſtitium ſuos reuerſa eſt pacificatura; dum coruus deuorans, carniuorus, ſeu Paſtor lupus minimè meditator reuerſionis ſecularibus emolumentis exſatiatur.

12\. *Nō licet Paſtoribus à grege recedere vel quieto contemplationis affectu.*

Annon laudabile Paſtoribus Bethleemiticis, apud præſepium commorantes contemplationi ſtudere? Profectò ſoluto à gregis lege laudabile Mariæ exercitium; at Paſtoribus animarum non licet, grege dimiſſo, ad deſertum aufugere exquietæ contemplationis affectu. Obiicias quæſo, mentem Dauidem, & Iacobum. Huic in matrimonium Laban poſt Liam tradidit & Rachelem. *Et hanc*, ait Parens, *dabo tibi pro opere, quo ſeruiturus es mihi ſeptem annis aliis*. Geneſ. 29. Illi autem Merob & Michol à Saule promittuntur, ſolam tamen duxit Michol. D. Gregor. 1. Reg. 14. vocat ad quæſtionem: *Quid eſt hoc, quod Iacob vtramque ſororem habere licuit, Dauid autem ad maioris filiæ Saul thalamum non peruenit?* Enimverò in ſolutionis adhibitæ mox à Doctore intelligentiam præmitto ex mente Patris per Merob & Rachelem vitam contemplationis deſignari; ſicuti Dauidis typo iis innuuntur; qui Paſtoris munere illigantur. Iacobi verò imagine priuatæ illæ perſonæ ſignificantur, quarum nec oues propriæ ſunt, nec loco gregis tenentur commorari. His poſitis, Pater reſpondet: Ideò Iacobo Rachel traditur, Dauidi Merob non adhæret; quia Dauid Rex ſeu Paſtor fuit, Iacob autem Rex nòn fuit. Qui enim regimen animarum ſuſcipit, hunc cenſura Eccleſiaſtica ſuſcepium gregem deſerere, & remotæ vitæ otiis vacare non ſinit. *Merob*, ſeu contemplatio, *Dauidi promittitur, & nunquam datur. Michol ſola datur, quia nonnulli, cum curam animarum ſuſcipiunt, putant ſic aliorum ſolicitudinem gerere; vt ſibi ipſis valeant per ſolitudinem vacare*. Sic pulchrè Gregor. Nec enim Paſtori vel contemplationis prætextu licet ab ouibus ſibi à Domino traditis ſeparari.

Gen. 29.

Gregor.

13\. *Licet gregis negotium gerant, non recedant à grege.*

Quid ſi Paſtores apud præſepium procidentes gregis negotium agerent, dum pro ipſis enixè Dominum exorarent? Recurrant (ſatius) ad gregem. Ne equidem orante Paſtore, abſens à ſubditis, ipſi ſeſe lupo tradant abſumendos. Receſſit Paſtor Moyſes ad cacuminis ſolitudinem, vt inibi & cæleſtium contemplationi vacaret, & gregis ſibi commiſſi cauſam coram Domino gereret. *Videns autem populus, quod moram faceret deſcendendi de monte Moyſes, congregatus aduerſus Aaron, ait, Surge, fac nobis Deos, qui nos præcedant.* Exod. 32. Siccine oues ad lupos accurritis? Vel exigua Paſtoris mora, etiam dum populi cauſam procurat, potuit gregem ad præcipitium excitare. Appoſitè hinc Lipoman. *Vides ex hoc loco abſentia Paſtoris grandem iacturam fieri populi; quanquam negotium agat ipſius coram Domino.*

Exod. 32.

Lipom.

14\. *Malum gregi paſtoris abſentia.* Heb. 13.

Et quonam modo gregis ſalutem procurabit, ſi eo ipſo, quod abſens commoratur, grex miſerè deperit? *Obedite*, inquit Paulus, *præpoſitis veſtris.* Hebr. 13. Quia ſcilicet tota gregis ſalus Paſtoribus obedire. At verò Paſtore recedente cuinam obedientiam præſtabunt? D. Chryſoſt. homil. 34. ad Heb. rem illuſtrans profatur: *Malum eſt, vbi nullus principatus. Sicut enim ſi ex choro ipſum coryphæum auferas, nequaquam chorus ordinatus exiſtit. Et phalanx militum, ſi ducem non habeat, nullo modo numero acies illa, vel ordine procedit. Et nauis ſi gubernatore priuetur, pеſſum eat neceſſe eſt. Et gregi ſi Paſtorem abſtuleris, cunctus diſpergetur; & peribit.*

Chryſoſt.

15\. *Dauid Paſtor vt gregi hæreret vel cæleſtia gaudia differri curabat.* Pſalm. 54. Auguſt.

Expectabat Dauid meditationi vacare, cùm inclamabat: *Quis mihi dabit pennas?* Pſalm. 54. Cupio id equidem; ſed tamen *ſi populo, ſi gregi ſum neceſſarius, non recuſo laborem*, quemadmodum D. Martinus profabatur: Auguſtinum Dauidis interpretem audite: *Optabam diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Multo enim magis optimum* mihi quietem requirenti: At *manere neceſſarium propter vos. Columba delicata religata affectu, non cupiditate, volare non poterat propter implendum officium.* Quàm velox fuiſſet, vt reuerteretur, quæ tam tarda, tam grauis extitit vt volaret, imò impoſſibilem ſibi volatum reputabat? *Volare* non poterat propter implendum officium.

16\. *Paſtori à grege recedenti impoſſibilis quies.*

Verba hæc expendenda ſunt: *Volare non poterat.* Vndenam quæſo, huiuſcemodi volandi impoſſibilitas erat exorta? Exiſtimo ex impoſſibilitate ipſius quietis, aut contemplationis. Nam qui à grege recedunt, vt apud ſolitudinem contemplationis requiei dulciſſimæ curam impendant; & munus ſibi iniunctum non explent, & requiſitâ à ſe quiete priuantur. Adnotauit hoc D. Gregorius ponderans Dauidi à Saule promiſſam Merob, id eſt, contemplationis requiem, at minimè traditam. 1. Reg. 14. *Nonnulli*, ait, *cum curam animarum ſuſcipiunt putant ſic aliorum ſolicitudinem gerere; vt ſibi ipſis valeant per ſolitudinem vacare: & tamen quietem, quam quærunt, nunquam inueniant. Atque, vt dum impetrare à Deo gratiam tantæ puritatis nequeunt quaſi iram inueniſſe Domini pertimeſcunt: quaſi ergo, irato Rege promiſſam ſibi primogenitam perdunt.* Illud adnota: *Dum impetrare à Deo gratiam tantæ puritatis nequeunt.* Non enim poteſt Paſtor dimiſſo grege gratiam contemplationis adipiſci. Vnde appoſitè de Dauide Auguſtinus aiebat: *Volare non poterat.* Sciebat enim impoſſibilem ex contemplatione quietem ei, qui contra Paſtorum Regis præſcriptum, oblitò grege, peruolat ad deſertum. Quid ſi ſecularibus negotiis (vti ſæpè accidit) curam impendat?

Gregor.

1\. Reg. 14.

17\. Si neceſſitas vrgeat? Diſcedat Paſtor, corpore quidem

*Cogente neceſſitate diſcedat Paſtor corpore quidem, nō animo.* Auguſt.

quidem, non amore, noo curâ, non prouidentiâ. *Vtinam rquieſcam*, ait Dauid Auguſtiniano ore, *alicubi ab eis ſeparatus; corpore, non amore. Ne in me conturbetur ipſa dilectio.* Prouideat itaque Paſtor diſceſſurus, quonam modo, ipſo abſente, grex & paſcatur, & cuſtodiatur. Nulla tam vrgens diſceſſionis cauſa, quàm perſecutio, quaodo ex Domini præſcripto fuga fuerit neceſſaria. Pugnant, ſpecie primâ, duo teſtimonia. *Nolite*, ait Dominus, *tranſire de domo in domum.* Luc. 10. *Cùm vos* Matth. 10. *perſequentur in Ciuitate iſta, fugite in aliam.* Matt. 10. Si fugiendum ab vrbe, quonam modo in eadem domo commorandum? Quia ſic Paſtor, vrgente neceſſitate, à grege abſcedere renetur, vt interim ouibus, & alimonia, & coſtodia exhibeatur. D. Auguſt. Epiſt. 180. Auguſt. *Fugiant omnino de Ciuitate in Ciuitatem, quando illorum quiſpiam ſpecialiter à perſecutoribus quæritur; ita tamen, vt ab aliis, qui non ita quæruntur, non deſeratur Eccleſia, ſed præbeant cibaria conſeruis ſuis.* Quod D. Pauli fugientis roborat exemplo: *Nunquid quando Apoſtolus Paulus, ne illum comprehenderet inimicus, per feneſtram in ſporta ſubmiſſus eſt, deſerta eſt, quæ ibi erat Eccleſia, neceſſario miniſterio?* Minimè. En quonam modo Paſtor & neceſſitate compulſus poſſit aufugere, ac ſimol in eadem domo (affectu quidem, non corpore) commorari. Alibi plura.

## OBSERVATIO II.

### Ad illa verba:

*Glorificantes, & laudantes Deum.*

### In natiuitate Ieſu (videntibus Paſtoribus) parua magnis, humilibus copulantur auguſta.

*Vt in humilibus Diuinitas eluceſcat.*

18. VIDIMVS Paſtores reuerſos Deum quidem glorificantes in magnis, & laudantes in paruis. *Quæ*, inquit To- Tolet. let. *in Ieſu natiuitate conuenerunt.* O quàm hodie parua magnis copulantur, vt glorificationem & laudationem à Cælicolis & hominibus exquirant!

19. *Formauit Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt in animam viuentem.* Geneſ. 2. Ad Chriſtum humanâ naturâ indutum, & diuinitate conſpicuum accommodat Eucher. *Factus eſt Chriſtus ex ſemine Dauid ſecundùm carnem. De limo terræ.* Quid magis exiguum? *Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum; id eſt, infuſionem Spiritus ſancti. Aſſumpſit Deus humanam naturam, & illam beatificauit, & factus eſt caput Eccleſiæ.* Quid auguſtius?

*Natus Ieſus paruus, quia de limo terræ; magnus, quia caput Eccleſiæ.* Gen. 2. Eucher.

20. Poſtquam ab Agar Angelus Dei gerens perſonam abſceſſit, illa proclamauit, *Hic vidi poſteriora videntis me.* Geneſ. 16. Vbi Strabus, *Poſteriora Domini, id eſt, incarnationem, quam ſumpſit ex Virgine, poſſumus videre.* Cognouit itaqoe Agar Deum eſſe, qui locutus fuerat ad ipſam. Caietan. *Reddit Moyſes rationem, quâ Agar cognouit illum, qui cum ea locutus fuerat eſſe Deum. Profectò hic vidi poſteriora videntis me. Quaſi diceret: Non vidi facie ad faciem, ſed poſteriora eius; & ideò Deum fuiſſe intellige.* In terminis videtur implicare. Si Deum minimè ex facie cognouit, ſed eius humanitatem ſolummodò intuita eſt, quonam modo ideò ſe Deum eſſe, qoi ſecum locutus eſt, cognouiſſe affirmat, quia minimè eius Diuinitatem, ſed humanitatem vidit? Annon quia adeò cum natiuitatis humanæ paruitate, & humilitate Diuinitatis maieſtas, & magnitudo copulatur: vt viſâ humanitate apud præſepium, non poſſit non Diuinitas auguſta hærens throno innoteſcere? Ita plaoè.

*In paruitate elucet diuinitas.* Gen. 16. Strab. Caietan.

Tres apud ſtabulum Bethleemiticum Paſtores viderunt, Deiparam, Ioſephum, Infantem; & vnum Ieſum adorauerunt. Quid adorationi cum Puero faſciis illigato, hærenti præſepio? Splendore circumdatum recens natum aſſerit D. Vincentius. Paruis enim tunc magna admiſcebantur. In cuius typum tres Angeli olim Abrahæ obiiciuntur: *Quos cùm vidiſſet, adorauit, dicens, Domine, ſi inueni gratiam, &c.* Gen. 18. Quærit D. Auguſt. qq. in Geneſ. *Quare cùm tres viderit, Dominum appellat, dicens: Domine? Et reſpondet: Intelligebat vnum ex eis Dominum.* Quem? Eucher. *Oſtendit illum vnum eſſe Saluatorem, cuius iam aduentum eſt præſtolatus.* Et vndenam inter reliquos diſtinxit? Apprimè D. Chryſoſt. *Vnus glorioſior cæteris apparebat.* Equidem ita magnitudo maieſtatis cum humilitatis paruitate hodie coniungitur, vt paruulus vagitus emittens, pannis obuolutus inter Solem, & Lunam, hoc eſt, Ioſephum, & Mariam ex Ambroſij ſententia, adhuc lucidior oſtenteur. 21.

*Paruitatem Pueruli nati magnificat ſplendor, vnde Dominus oſtentatur.* Gen. 18. Auguſt. Eucher. Chryſoſt.

Quòd ſi tam Angeli tres, quàm totidem apud ſtabulum perſonæ, Trinitatis gerant imaginem, maieſtatem natiuitatis Ieſu illud mirificè commendat, quod vbi Puerulus apparet exortus, tanta rutilat gloria, vt Trinitatis inibi commorantis myſterium reuelerur. Naſcituro Iſaac, Trinitatis emicat myſterium in Ieſu naſcituri ſimulachrum. Egregiè Rupert. *Aptè*, inquit, *vbi naſciturus erat Iſaac, Trinitatis myſterium reuelatur, quia vbi Chriſtus naſcitur, eiuſdem incarnationem præſentiâ ſuæ maieſtatis tota Trinitas operatur, & exinde nomen eiuſdem Trinitatis toto mundo declaratur.* Proh huiuſce paruitatis magnitudo! 22.

*In paruitate natalitij Ieſu Trinitatis maieſtas apparet.* Rupert.

Puerum in præſepio collocatum Paſtores intuentur. Quid æquè paruum? Angelos exaudiunt concinentes, obſequiúmque præſtantes. Quid honorificentius? *Vidit Iacob Scalam.* cuius (authore Alcaſar) gradus infimus Ieſu hominis præſentia condecorabatur. Angelos ſimul deſcendentes ad hominis obſequium videt. Quid eleuatione ac ſubmiſſione huiuſcemodi mirabilius? Gen. 13. Rupert. *Vidit igitur Iacob Scalam, & Dominum innixum Scalæ, id eſt, incarnandum de Maria, cuius vir erat Ioſeph.* Nouiſſimom igitur gradum occupat, qui primus ſimul tenens obiicitur; Deus enim Scalæ innixus, ipſius verticem honorabat. Angeli & aſcendunt, & deſcendunt; vti & Domino apud ſuperos commoranti, & in terris degenti obſequium impendant. D. Ambroſius, *Iacob in Scala Chriſtum prauidit in terris; ad quem Angelorum caterua deſcendit, obſequium propriè Domino præbitura.* Aſcendunt ad ſuperos poſt deſcenſum, vt imitanr eumdem Do- 23.

*Humilitas naſcētis Angelorum obſequio exaltatur.* Gen. 13. Rupert. Ambroſ.

miſtum & terræ tugurium, & cælorum regiam inhabitare.

*Ex Ieſu natalitio vilis humanitatis terra redditur Orientalis, ſeu caleſtis.* Gen 29. Rupert.

24. Pergens Iacob, *venit in terram Orientalem.* Gen. 29. Quid terræ vilitati cum Orientis ſplendore? Annon Propheta cecinit de Ieſu, *Vir oriens?* Naſcitur equidem terræ indutus vilitate. At ipſam efficit orientalem, mirum in modum eleuatam, & cæleſti ſplendore coruſcantem. Rupert. ad hæc: *Venit in terram Orientalem Vir iſte*, id eſt, Ieſus, *cuius nomen eſt Oriens, iuxta Prophetam; & ipſo aduentu ſuo terram ſuam fecit eſſe Orientalem, illuminando ſcilicet his, qui in vmbra mortis ſedebant.* En vilem humanitatis noſtræ terram cælum factam.

*Sub paupertatis paruitate caleſtiū diuitiarum magnitudo operitur.* Gen. 30. Rupert.

25. Quid magis exiguum Iacob Labani domum ingredi[illegible]e? Attamen inclamat, *Modicum habuiſti, antequàm venirem ad te, & nunc diues effectus es, benedixitque tibi Dominus ad introitum meum.* Geneſ. 30. Vbi Rupert. *At nunc dicit Christus, Diues effectus es, ô munde, ad introitum meum.* Vndenam diuitiæ? *Videbitis Infantem pannis inuolutum, & poſitum in præſepio.* Proh pauperis exiguitas! Profectò hominibus Dei apud nos commorantis mox notitia exhiberur. Paſtores cæleſtibus muneribus donantur. *Verè diues*, adiicit ille, *effectus eſt mundus præclarâ nimis Dei aduētâ, benedixitque ei Deus omni benedictione ſpirituali.*

*Deum Paruulum eiulantem Paſtores vident, ſimul Verbū legem proferens intuentur.* Gen. 45.

26. Quid memorem Ioſephum ſeſe fratribus apud Ægyptum manifeſtantem? *En oculi veſtri vident; quod os meum loquitur ad vos.* Geneſ. 45. Paſtores Ioſeph fratres Verbum vident in typum Paſtorum Bethleemitienrum, qui ad Stabulum properant, vt Verbum caro factum intueantur. *Videamus hoc Verbum, quod factum eſt.* Luc. 2. Et quidem Paſtores hi non Verbum loquens, ſed Paruulum eiulantem vidère. Ea eſt equidem plorantis Puerulí maieſtas, vt dum plorantem vident, eundem ſimul Verbum legem proferens exaudiant. Lipoman. *Per hæc verba*, inquit, *Dominicæ Incarnationis exprimitur Sacramentum, de quo dicitur per Apoſtolum: Multifariam, multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouiſſimè diebus iſtis loquutus eſt nobis in Filio. Qui nempe Dei Filius cum antea Prophetarum ora conſueuiſſet aperire, in carne veniens os ſuum aperiens, & ore ad os loquens, fratribus ſanctam dictauit legem.* Proh Paruuli maieſtas, cuius in eiulatus paruitate Verbi inſonat magnitudo!

Lipom.

*Illud ipſum inſtar radicis demitti, eſt ad cælos eleuari.* Gen 49. Ambroſ.

27. Iudæ Iacob: *Ad prædam fili mi, aſcendiſti.* Geneſ. 49. Legit D. Ambroſ. *Ex germine mihi aſcendiſti.* Quid terreno germine humilius? Quid aſcenſione vſque ad Patris ſolium eleuatius? *Mihi*, id eſt, vſque ad ſolium meum aſcendiſti. *Mirificè*, adjicit Doctor, *Incarnationem eius expreſſit, eo quod tanquam frutex terra in aluo Virginis germinauit, & vt flos boni odoris ad redemptionem mundi è maternis viſceribus emiſſus aſcenderet.* Potius è maternis viſceribus videtur deſcendiſſe, dum Infantem in præſepio depoſuit. At ea eſt huiuſce paruitatis magnitudo, vt illud ipſum ad præſepe dimitti, ſit ad cælum, vt decet Redemptorem, eleuari. *Sicut Iſaias*, adhuc Ambroſius, *dicit: Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet.* Ieſus namque naſcendo non tam demittitur, quàm eleuatur.

*Deſcendere Verbum ad præſepiū, eſt ad celſitudinem euolare.*

28. Deus Moyſi apud rubum conflagrantem ſine læſione, ſiue Deiparam virginitatis gloriâ fulgidam Ieſum eniteotem: *Deſcendi, vt liberem eum*, hoc eſt, populum Hebræorum Ægyptiâ preſſum ſeruitute. Exod. 3. vbi ponderans verbum illud: *Deſcendi*, Seuerus profatur, *Chriſtus in nouiſſimis temporibus ſuper omne genus noſtrum miſericorditer flexus eſt.* Et quomodo non flectitur, qui ſolium cæleſte cum vili præſepio commutauit? Profectò D. Irenæus lib. 4. Hær. 16. anſam præbet illuſtri cogitationi. Premēs namque idem verbum, *Deſcendi*, inquit: *Ab initio aſſuetum eſt Verbum Dei aſcendere, & deſcendere propter ſalutem eorum, qui malè haberent.* Num verbum, *aſcendere* lapſum à calamo? Profectò ponderans Domini ſententiam, *Deſcendi, vt liberem eum*, deberet Doctor adjicere: *Ab initio aſſuetum eſt Verbum Dei deſcendere propter ſalutem eorum, qui malè haberent.* Cur ergo memorauit ſimul aſcenſum? *Aſſuetum eſt Verbum Dei aſcendere.* Num quia illud ipſum deſcendere ad præſepium propter homines, idem eſt ac ſupra cæleſte ſolium eleuari? Ita planè. Præcelſa enim maieſtas cum paruitate hodie mirabiliter copulatur.

Exod. 3. Seuer. Iren.

*Cùm demittitur lapis, Ieſus exaltatur.* Zach. 4.

Quid clamat Zacharias? *Et educet lapidem primarium, & exæquabit gratiam gratiæ eius.* Cap. 4. Hebraicè, *Educet lapidem primarium cum clamoribus, Gratia, gratia ei.* Cum clamoribus equidem, ſiue *acclamationibus*, hoc ſenſu, Cùm eduxerit Deus in vrbem terræ lapidem primarium Filium ſuum; vt, eo in fundamentis Sion iacto, incipiat ædificare Eccleſiam, cum acclamatione ſolemni, videlicet: *Gratia, gratia.* Quod quidem apprimè reſpondet verbis illis Angelorum, qui nato Domino cecinēre: *Gloria in Altiſſimis Deo.* Iam expende illud: *Educet lapidem primarium.* In Hebræo, *Lapidem capitis* Vt non tam primarius dici videatur, quia primò miſſus eſt in fundamentum, quàm quia in ſummo capite ædificij locatus ſit. Aſſimile illud: *Ecce ego mitto in fundamentis Sion lapidem angularem.* Iſai. 28. Septuaginta, *Lapidem ſummangularem.* Quaſi in ſummo angulo poſitum. Quid fundamentali lapide humilius? Quid capitali, aut ſummangulari lapide eleuatius? Si Chriſtus tam humilis exoritur, vt appoſitè angulari, aut fundamentali lapidi comparetur: vndenam ſimul tam eleuatus, vt ædificij vertici præponatur? Ea eſt profectò Ieſu nati gloria, vt paruitati auguſta maieſtas inhereat. Dum *Ieſus inferius*, ait Auguſtinus, *eſt lapis angularis* deſpectus, conculcatus, *ipſe eſt ſummus.* 29.

Iſa. 28

Auguſt.

*Cùm Ieſus ſeruus apparet Sol oriens oſtentatur.* Zachar. Cyrill. Hieron.

Aliâ metaphorâ Zacharias confirmat, *Ecce ego adducam ſeruum meum Orientem.* Cap. 3. Hebraicè, *Seruum meum germen.* D. Cyrill. & D. Hieronym. locum de Ieſu natiuitate interpretantur. Quid germinare? Germen propriè eſt id, quod ex arboris oculo primo naſcitur, oritur, pullulat; germinare verò eſt id ipſum primo quaſi parere, & in lucem edere. Quid tam paruum, quàm ex arbore germinans folium; quàm ex Virgine Paruulus prodiens? At illud ipſum germen exiguum ſplendeſcens Oriens oſtentatur. D. Hieronymus: *Oriens dicitur, quia ex ſe repentè ſuccreſcet.* Quonam modo ex ſe repentè ſuccreuit Paruulus? Reſpondet egregiè Doctor: *Ex radice ſua in ſimilitudinem germinis pullulauit.* Quia illud ipſum inſtar germinis Infantem apparere, idem eſt, ac in morem Orientis auguſto ſplendore coruſcare. Plura cum de gloria Ieſu quaſi Vnigeniti à Patre ſermo recurret. 30.

OBSER

# OBSERVATIO III.

## Ad illa verba:

*Et reuerſi ſunt Paſtores laudantes, & glorificantes Deum in omnibus, quæ audierant, ſicut dictum eſt ad illos.*

## Angelorum concinentium gratitudo Paſtores gratitudinem edocuit.

*Quia virtus vnius alios ad eiuſdem allicit exercitamenta.*

31. PASTORES equidem recedentes à præſepio, Deum glorificant, & laudibus efferunt, ſicut ad illos dictum erat. Id eſt, quia Angelos audierant Deum ob tantum hominibus beneficium præſtitum glorificantes, & laudantes illo cæleſti Hymno: *Gloria in Altiſſimis Deo*; ideò edocti Deum quoque glorificant, & collaudant. Egregiè Beda, *Laudant ſicut edocti erant ab Angelis.* Gratitudo Angelorum Paſtores edocuit gratitudinem. Vberiùs Carthuſ. cuius à teſtimonio in Commentario abſtinui, vt in præſenti & exhiberem ſimul, & confirmarem. *Hoc poteſt*, ait, *referri ad id, quod ait, Glorificantes, & laudantes Deum. Vt ſit ſenſus, quod Deum glorificabãt & laudabant ſicut dictum eſt ad illos; id eſt, ſicut audientibus eis Angeli ſancti fecerũt, dicendo: Gloria in Altiſſimis Deo.* Et quando vnius gratitudo alterum non pertrahit ad gratias peragendas?

Beda.
Carthuſ.

32. Iſaiæ Dominus humanâ induendus naturâ obiicitur: *Vidi Dominum ſuper ſolium excelſum & eleuatum.* Cap 6. Strab. *Per illam apparitionem in effigie hominis ſedentis ſignificabatur Deus humanandus in perſona Filij.* Mox Seraphim apparent laudes Ieſu exorienti decantantes: *Seraphim ſtabant ſuper illud, ſex alæ vni, &c. Et clamabat alter ad alterum.* Ibid. Quid Seraphim (ex eodem Strabo) niſi *Virtutes Deo humanando aſſiſtentes, & laudantes?* Expendo iam clauſulam illam: *Et clamabat alter ad alterum: Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Quidnam eſt alterum ad alterum inclamare? Nũ vnus gratias peragens Patri de aduentu Filij alterum ad eandem gratiarum actionem pertrahebat? Ita planè. Vnde Lyranus Cælicolas ſeſe mutuò ad laudandum Deum affirmat excitauiſſe.

*Coram Domino incarnando Angeli Angelos edocent gratitudinem.*
Iſa. 6.
Strabus.
Lyran.

33. Cæleſtia luminaria accenſa, vt Deo ſemper gratitudinis laudes perſoluerent ex Iob colligitur, Patres affirmant. *Fecitque Deus luminaria.* Gen. 1. D. Chryſoſt. aſſerit homines attentâ conſideratione Sydera aſpicientes illicò ad gratiarum actiones excitari. *Si hæc*, ait, *ſingulis diebus nobiſcum verſaremus, ipſi grati eſſemus, & Domino, vt deceret, imò vt noſtræ vires paterentur, gloriam daremus.* Pende illud; *vt noſtræ vires paterentur.* Et vndenam homo adeò pertrahitur, ſeu impellitur ad gratiarum actionem, vt pro viribus, totóque præcordiorum conatu ſe gratum exhibeat? Quia ſcilicet audiens Aſtrorum laudantium concentum, non poteſt non homo diuinas ſimul laudes in gratiarum actionem modulari.

*Ex aſpectu Aſtrorũ Deũ laudantium nõ poſſumus quodammodo nõ ad eaſdem gratitudinis laudes excitari.*
Gen. 1.
Chryſoſt.

34. Obrutis Hebræorum hoſtibus rubri maris fluctibus; *Tunc cecinit Moyſes, & Filij Iſrael carmen hoc Domino, & dixerunt: Cantemus Domino.* Exod. 15. *Moris* enim *Sanctorum eſt*, loquor cum Orig. *vbi aduerſarius vincitur, tanquam qui ſciant, nõ ſua virtute, ſed Dei gratiâ factam victoriam, hymnum Deo gratulationis offerre.* Attamen illud difficile. Quonam modo vno ore idem ſimul canticum omnes proferre potuère? D. Auguſt. 1. de Mirab. c. 21. & obiicit & ſoluit, fatus: *Carmen hoc vniuerſi pariter decantabant. Vbi omni ſatis admiratione accidit dignum miraculum, vt cuncti pariter ſenes cũ pueris, & omnes ætates eodem inſpirati flamine, vno quaſi ex ore, nulla præmonitione edocti, eaſdem concinentes literas, decantarent in vnum.* Ego autẽ exiſtimo Moyſem primò canticum expreſſiſſe, rurſúmque mox à populo repetitum eſſe, ita vt Moyſe ſingula carmina ſeu verſus cantici proponente, populus ſigillatim eadem decantaret. Fauet Septuaginta lectio: *Tunc cantauit Moyſes, & filij Iſraël canticum hoc Deo, & dixerunt, dicentes.* Dixerunt, inquam, dicentes, hoc eſt, reſpondentes. Moyſes canit: *Cantemus Domino; glorioſè enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem proiecit in mare.* Idem mox filij Iſrael decantauerunt. Pergit Dux: *Fortitudo mea, & laus mea Dominus, &c.* Rurſum populus idem gutture carmen effudit. Quorſum hæc? Annon vides quonam modo Moyſes gratitudinis cantus profundens, omnes ad eoſdem gratiarum actionis modulos pertraxerit Hebræos? Nunquam non vnius gratitudo ſocios ad gratiarum allicit actionem.

*Moyſis gratitudo Hebræos ad gratiarũ actionem pertraxit.*
Exod. 15.
Orig.
Auguſt.

35. Non indecens Dei gratitudo erga homines, vt hominum erga ſe gratitudinis magiſter exiſtat. *Quid retribuam*, inquit Dauid, *Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?* Pſalm. 115. Illud, *Retribuit mihi*, innuit Deum à nobis aliquid recepiſſe, vnde nos grato munere, ſeu retributione donaret, iuxta illud: *Retribuere dignare, &c.* Quærit igitur Pſaltes, quonam modo retribuat pro omnibus à Deo acceptis, quia Dei accipientis à nobis grata retributio humanæ gratitudinis extitit magiſtra. *Quærebat ille*, ait D. Auguſt. *quid retribueret, qui dixit: Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Et inuenit quaſi aliquid. Calicem ſalutaris accipiam.* Quid Calix? *Remanſit in actionem gratiarũ.* Actio igitur gratiarum inuenitur, quæ retribui poſſit Deo pro retributione. Dominus equidem calicem à nobis ſeu vinum aquâ immixtum accipit, retribuit nobis calicem Euchariſticum in gratiarum actionem remanentem; nos item Dominicâ gratitudine (ſic liceat appellari) edocti, ſanguine Chriſti potati, eundem ei calicem in gratiarum actionem retribuimus.

*Deus quodammodo hominibus gratias agit, vt eos doceat gratitudinem.*
Pſalm. 115.
Auguſt.

36. Parum eſſet Dei gratitudinem magiſtram humanæ gratitudinis extitiſſe, hominéſque allexiſſe ad gratiarum actionẽ: ſi hominis gratitudo ipſius Dei quodammodo menti gratitudinis præcepta non traderet. Accepit Elcana à Deo filium, quem Domino in gratiarum reddidit actionem. *Benedixit Heli Elcanæ, & vxori eius, dixitque ei: Reddat tibi Dominus ſemen de muliere hac pro fænore, quod commodaſti Domino.* 1. Reg. 2. Pro fœnore, ſeu pro filio, quem Domino pro actione gratiarum tradidiſti. Illud adnotandum, quod nõ dixit Sacerdos: *Det tibi Deus*, ſed *Reddat*, Quare? Nũ quia actione gratiarum hominum præmiſſâ, allicitur Deus, ad reddendam quodammodo gratiam pro filio, quem

*Hominis gratitudo quaſi excitat Deũ ad gratitudinem.*
1 Reg. 2.

Chryſoſt. quem acceperat? Ita Chryſoſt. ad Gen. 2. *Initio non dixerat. Reddat tibi, ſed Det tibi Deus. Verùm poſtquam illa Anna, Deum fecerat debitorem, ait. Reddat tibi.* Conſtat ſibi Pater, alibi fatus, *Quando videt nos Deus cum gratitudine vti ijs, quæ nobis conceſſit, vltra nos potioribus, maioribúſque muneribus implet.* Hominum etenim gratitudo Deum quodammodo ad gratitudinem excitat.

37\. *Abrahã gratias agit, vt Deum alliciat ad promiſſa implẽda gratitudinis conſequẽtiã.* Chryſoſt. Promiſit Deus Abrahæ Chriſtum futurum ſuæ vitis propaginem. *Cecidit tũc Abraham pronus in faciem.* Gen. 17. Cur, quæſo, in faciẽ Propheta excidit? Gratias exhibet Domino de tanta promiſſione. Actionẽ equidem gratiarũ non diſtulit, vt gratitudinẽ præ ſe ferens, Deum ad gratitudinem alliciens, teneretur quodãmodo Deus, gratitudinis cõſequentiã, promiſſa complere. Apprimè Chryſ. hom. 34. *Non expectauit donec promiſſa complerẽtur; ſed & mox pro promiſſione gratias egit, & faciebat quod in ſe erat, vt de præcedentibus dignam & ſinceram gratitudinem præ ſe ferens Dominum ſuum prouocaret, ad promiſſiones ſuas implendas.* Et quonã modo Deũ prouocaret ad cõplenda promiſſa, niſi eum obiectã gratitudine, ad gratitudinem quodammodo excitaret? Tanta exempli efficacia!

## OBSERVATIO IV.

### Ad illa verba,

*Laudantes Deum in his quæ audierant, & dicta ſunt ad illos.*

### Paſtorum fingere neſcientium teſtimonio de nato Puero meritò ab omnibus fides adhibetur.

*Vbi de patria mendacij aulâ, veritatis tugurio.*

38\. NON mirũ Paſtores Deum glorificare in his quæ à Cęlicolis audierant, in hiſque, quę viderãt apud Bethleem. Mirabilius planè, quod *mirati ſunt omnes, qui audierant in iis quæ dicta erant à Paſtoribus.* Num omnes mirati in his quæ viderant, aut ſaltem in his quæ ab Angelis audierant? Profectò in his admirati quę audierant, à Paſtoribúſque prolata euulgabantur. Num vilibus hominibus tantæ rei tanta adhibenda fides? Ita planè. Strab. Innuit Strabus rationem: *Qui fingere neſcirent, ſed vera publicarent.* Ruſticanis hominibus ab vrbibus abſtractis adnata veritatis prolatio.

39\. *Veritas ſimul cum agricolarum opere exoritur.* Pſalm 84. Martial. Exultat plerumque veritas, vbi Principes incolũt. Ager patria veritatis. Dauid expertus, princeps ex Paſtore, profatur: *Veritas de terra orta eſt.* Pſal. 84. Sumpta metaphora à re ruſtica, quaſi veritas ſit laboris agricolarum fructus. Cõfirmat D. Martialis ad Tol. c. 14. & 15. dum ex eadem agri allegoria mendacium efficit oebolam, frumento veritatis exitialẽ: *Veritate* (inquit) *delectatur Dominus Deus noſter mendacio autẽ irritatur; non enim mẽdacium eſt ex Deo, ſed ex diabolo. Qui verò paritatem veritatis agnoſcunt quidem, ſed non diligunt, orate pro eis, vt purgẽtur à malitia, & nequitia cordis ſui. Pro vobis ſine intermiſſione orate, vt nunquam veritas in intelligentia veſtra obnubilationem aliquo modo capiat.* Sic ille.

40\. *Agrorũ partus veritas.* Luc. 8. Aptè Dominus & Agricolæ, & Paſtoris vocabulo inſignitus, ait: *Ego ſum via, veritas, & vita.* Et quare *Veritas* appellatur? Quia *Exijt qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum.* Luc. 8. Quodnã ſemen? Veritatis Agricolæ ſemen quid niſi veritas? Caietanus: *Venit ad ſeminandum veritatis fidem.* Quiſnam venit ad ſemen veritatis emittendum? *Qui ſeminat,* videlicet Agricola. Fructus enim Agricolarum, agrorúmque partus veritas incorrupta. Caietan.

Paſtori Moyſi humanitatis Chriſti è Virgine exorti veritas reuelatur. Paſtórq; hominibus euulgaturus Euangelium emittitur. *Qui eſt miſit me ad vos.* Exod. 3. Vbi D. Gregor Nyſſen. *Deus veritas eſt, quæ quidem veritas non de cælo elucoſcit, ac lux defluxa ab ſtellis videatur; ſed à rubo, ipſóque ſpinoſo ab humanitate videlicet Saluatoris effulgens, ad cognitionem ſui per Euangelicam nos tubam reuocat.* Et cuinam veritatis Euangelicæ Dominici natalitij myſterij tuba traditur? Paſtori. *Qui eſt miſit me,* oues vtique dirigentem. 41. *Paſtor Moyſes euulgaturus Euangelicam veritatem meritò immittitur.* Exod. 3. Nyſſen.

Iacobo Paſtori humili, ſyncero, ſcala cæleſtis oſtentatur. Et vidit *Dominum innixum ſcalæ.* Gen. 28. Ad quem locum D. Bernard. *Illud quoque, quod in ſcala, quæ in typo humilitatis Iacob mõſtrata eſt, Dominus deſuper innixus apparuit, niſi quod in culmine humilitatis cognitio cõſtruitur veritatis.* Si humilibus veritas aſſolet adhæreſcere: quid mirũ Paſtoribus cordatos adhibere fidẽ circa deſcenſum præcipuè Domini eiúſque ad lacrymarum vallem aduentum? myſterium equidem ſolitum humilibus, ac ſynceris reſerari. Cypr. Paſtor Iacob erat. 42. *In culmine humilitatis Veritas collocatur.* Gen. 28. Bernard. Cyprian.

Theodoretus inhortans quendam, vt veritatis veſtigia requirat, ſi à recto fortè deuiarit itinere, fatur: *Velim, ne tu humanis rationibus veritatis inquiſitionem permittas, ſed Prophetarũ, & qui eos ſecuti ſunt, veſtigia inquiras.* Id quod Dominus ſpõſæ. *Si ignoras te,* id eſt, ſi ignoras me, quẽ ardenter expetis inuenire; *egredere poſt veſtigia gregũ & paſce.* Cant. 1. Ac ſi diceret. Prophetarum veſtigia inquire. Et quare gregum? Quia Prophetæ Paſtorũ munere fungebantur. D. Cyprian *Eliſæus de aratro Propheta conſtituitur, Dauid de poſt fætãtes accipitur. Paſtores duodecim Prophetæ.* Pulchrè veritas Agricolis, & Paſtoribus euulganda committitur, qui ſynceritati ſtudentes, *fingere non norint.* 43. *Veritatẽ cognoſciturus à Paſtoribus require.* Theod. Cant. 1. Cyprian.

Vis indicem vnico verbo, quàm adhæreat humilibus veritas, quàmque lõgè à Principibus plerumque recedat? A Saluatore accuſato à Iudæis, quaſi ſeſe Iudaici populi Regem efficeret, Pilatus requirit, Num eſſet Iudæorum Princeps? Reſpondet Ieſus: *Ego veni, vt teſtimonium perhibeam veritati.* Clamat Princeps: *Quid eſt veritas? Et cũ hoc dixiſſet, iterum exiuit ad Iudæos, & dixit eis: Ego nullam inuenio in eo cauſam.* Ioan. 19. Præſes corrupte, nullam in eo cauſam inueniſti, qui ſe Regem ſimulat Iudæorum. Annon affectatio Regni digna ſupplicio capitali? Proh hominum dementiam! Homo hic non modò Regnum non affectat, imò affectat potiùs demonſtrare, ſe nullatenus Regem exiſtere. Nam cùm ſoleat veritas longè abeſſe à Principatu, vbi aſſentatio viget, vbi mendacium ſtatuit domicilium: affirmans Ieſus ſe veritatis commendatorem, ac portatorem, apertè intendit ſe à Regio eximere titolo, intérque agricolas, ac paſtores adnumerari. Acutè prorſus Caietanus: *Satisfactum Pilatus ſibi arbitratus eſt de crimine affectati Regni.* Cùm videlicet audiret à Saluatore: *Veni, vt teſtimonium perhiberem veritati.* Satis de iudicij diſcuſſione, ſatisfactus ſum, crimine affectati Regni immunis eſt Chriſtus. Nec enim in vna ſede Regni affectatio, ac prolatio veritatis aſſolent commorari. O agricolæ, ô paſtores, quibuſcum æternum veritas iniit conſortium! 44. *Manifeſtat Ieſus ſe Regiâ dignitate non fulgere, cùm indicat ſe veritatis commendatorem.* Ioan. 19. Caietan.

# LIBER QVARTVS.

# CHRISTI CIRCVMCISIO.

## Paraphraſis, Commentariique Literales ad Caput ſecundum Lucæ:

*Dominichiſtalis Ligni* FRVCTVS QVARTVS.

*PANEGYRICI MORALES CIRCA literam in Ieſum Circumciſionis vulnere affectum.*

## PROLVSIO.

INTER acria Circumciſionis vulnera, inter largos flentis Pueruli imbres nomen dulciſſimum Ieſu reſonat vulneris medicamen, ſolatium lacrymarum, futurum planè vulnerati mundi remedium, lacrymoſæ vallis exultatio. O quàm appoſitè à Circumciſione (vti Salmeron adnotauit) non à Natali Dominico anni auſpicamur exordium, vt felici omine à Ieſu inchoato diſcurſu, ad optatum terminum progrediamur.

LVCÆ CAP. II.

*Verſ.* 21. Poſtquam conſummati ſunt dies octo, vt circumcideretur Puer.

PARAPHRASIS.

Verſ. 21. *Poſtquam illuxit dies à partu octauus, quo lex Moſaica iubet infantem maſculum circumcidi, amputatâ ſummâ præputij pelliculâ, & in hac parte legi ſatisfecit, qui legem non ſoluturus ſed impleturus aduentarat.*

## SECTIO PRIMA.

## Temporis Circumciſionis conſummatio.

*TEXTVS.*

*Verſ.* 21. Poſtquam conſummati ſunt dies octo.

*COMMENTARIVS LITERALIS.*

### §. I.

### *Quid Circumciſio, & quare inſtituta?*

1. *Quid? Damaſc.* CIRCVMCISIO, ſiue abſciſſio circularis præputij ſignum erat (doctore Damaſceno) Iſrael à gẽtibus diſterminãs, queiſcũ cõſeruabatur.

2. *Quare?* Præcepta autem, vt quiuis hoc inſignitus ſtemmate intelligeret ſe ad vniuerſam legem Moſis implendam adſtringi. Hinc Paul. *Teſtificor omni*

*homini*

*homini circuncidenti ſe, quoniam debitor eſt omnis legis ferendæ.* Galat. cap. 5. Deinde vt ex fide vel ſua, vel maiorum ſuorum ad ſacramentum Circuncifionis accedens, Deum, acceptâ gratiâ, & originariæ labis remiſſione, redderet manſuetum. Præterea ad comprimẽdam carnis concupiſcentiam, qua Iudæi maximè æſtuabant. Vulnerato enim generationis membro, minus procliues reddebantur ad venerem, vti Philo attigit. Inſuper ad proteſtandum ſibi futura myſteria, quæ nobis præterita inſunt. Ad hæc in lapideo gladio ſecante (adnotat Sarmer.) medicus Ieſus innuebatur, de quo Apoſtolus, *Petra autem erat Chriſtus.* 1. Cor. 10.

3. *Circumciſio ſimilitudo peccati ablationis.* D. Thom.

Habuit autem Circumciſio expreſſam ablationis peccati originalis ſimilitudinem (auctore D. Thom. 4. ſent. d. 1, q. 2.) & propter inflictum generationis mẽbro, per quam originis labes transfunditur, vulnus, & propter pœnam contra concupiſcentiæ delectamenta, in quibus fomitis virtus præcipuè viget: & propter ſanguinis effuſionem Chriſti pro hac culpa ſatisfacturi typum gerentem.

4. *Solis viris data. Et ſoli Hebræo populo.*

Data equidem ſolis viris Circuncifionis lex. Quia *licet peccatum* (loquor cum D. Thom.) *inceperit à fœmina, tamen transfuſionis originalis peccati cauſa non fuit fœmina: ſed vir. Quia ſi vir non peccaſſet, originale peccatum transfuſum non fuiſſet.* Data item & Hebræo populo tantùm, ex quo Chriſtus ducturus erat exortum, & vſque ad eius aduentum ſolummodo, per quem Circuncifionis perfectio erat tribuenda. Vnde meritò nos Circuncifionis vulnere minimè afficimur: nam qui circumciditur, Chriſtum nondum veniſſe profitetur. Nobis planè Sacramentum Baptiſmi præſentiſſimum peccati medicamen. An non tutius corporis ablutio aptius denotat, peccati illius maculas ſuper totum animum diffuſas abſtergi, quam vnici membri circuncifio? Num non faciliùs Baptiſmus medicamen, magiſque legis gratiæ dilutio, inunctio, quàm vulnus, quam cruoris effuſio conueniens?

## §. II.

### *Vndenam hi dies conſummati?*

5. *Difficultas.*

EXortus Chriſtus vigeſimâ quintâ die Decembris, poſt octo verò dies prima Ianuarij tenerrimam cultro carnem obtulit feriendam. Vtraque dies Dominica fuit. Poſtquam igitur conſummati ſunt dies octo à natalitio, Dominicâ die eſt vulnere affectus. Videtur ſanè nonâ à natiuitate die Chriſtus circumciſus, quia dies non conſummantur, niſi terminentur.

6. *Suppoſitio.* Gen. 17.

Vt vim dictionis expendam, ſuppono Circumciſionem ſecundùm legem octauo die fieri ſolitã. *Infans octo dierum* (Deus ait) *circumcidetur in vobis.* Geneſ. 17. At cùm hinc minimè conſtet, num poſt perfectum octauum diem deberet cultro infantulus committi, necne, ſic ex Leuitico apertè monſtratur. *Die octauo circumcidetur infantulus.* Cap. 12. Non igitur poſt diei octaui perfectionem, aut conſummationem; ſed priuſquàm dies octauus elaberetur; imò me iudice, octauâ illuceſcente die, Puer dignatus eſt Circumciſionis parêre præcepto. Quia videlicet, lege inſtante, intra octauæ diei terminum Circumciſio peragenda. Leu. 12.

7.

Senſus itaque ſic eliciendus: *Poſtquam conſummati ſunt dies,* id eſt, poſtquam dies à natiuitate octauus aduenit. Neq; enim Lucas vllâ poſſet ratione ſignificare conſummatos dies, ſeu vſque ad noctem tranſactos, ſi neceſſariò legis præſcriptum ſibi deberet obiicere. Quod ſi affirmare conaretur, die nonâ Puerum Circumciſionis vulnere affectum, dixiſſet proculdubiò, *Poſtquam conſummatus eſt dies octauus.* Signat igitur octonarij dierum numeri perfectionem, non diei octaui conſummationem affirmat. Caiétan. huic ſubſcribens ſententiæ fatur: *Non ſignificatur quod poſt conſummatum octauum diem (fuiſſet enim dies nonus) ſed refertur illa particula:* Poſtquam conſummati ſunt dies octo, *ad numerum dierum. Vnde non dixit; Poſtquam conſummatus dies octauus, ſed* Poſtquam conſummati ſunt dies octo. *Propter quod Euangeliſta apponit,* Vt circumcideretur Puer, *vt ſic conſummatos dies octo ſignificaret, vt exiguntur ad Circumciſionem.* Nonne lege (vt poſuimus) infans octo dierum, ſeu octauo die circumcidi debebat? Illa igitur dictio: *Conſummati,* refertur ad tempus ex lege determinatum, hoc ſenſu: conſummato, ſiue perfecto dierum numero iuxta legis præſcriptionem, Puer circumciditur. Sic Tolet. Maldon. Ianſen. & alij.

*Authoritas.* Caietan.

## §. III.

### *Quare octauâ die ſolita Circũciſio celebrari?*

CAuſam in primis naturalem veſtigamus, cur octauo die, & non antè, puerulus cultro traderetur? Equidem infantium maſculorum vita vſque ad ſeptimum diem incluſiuè in magno periculo verſatur, tum propter cauſas particulares, tum propter cæleſtium orbium impreſſiones, quę quidem ſummo cum imperio tenerrimæ huic præſunt ætati. Accipite ex Ariſtot 7. Hiſt. cap. 12. qui de infantibus differens, ſic ſcribit: *Plurimi ante ſeptimum diem intereunt, vnde fit, vt nomina ſeptimo die imponantur, tanquam ſaluti iam pueri magis credamus.* Eandem cauſam apud Romanos attulit Plutarch q. cen. cur nonâ die maſculis nomen imponeretur: *Dies enim ſeptimus,* inquit, *anceps erat; octauus autem, quia feminis numerus par adſcribebatur, relinquebatur, & ad nonum adferebatur.* Deus igitur noluit ante octauum diem Circumciſioni operam dari, ne periculum periculo adderetur, quin potiùs octauus dies ad id munus electus eſt, quando infantium vita tam adnatum periculum euaſiſſet. Rogas, cur vlteriùs poſt octauam diem Circumciſio minimè protraheretur? Ne, me auctore, iam valentior puer effectus, maiori dolore afficeretur. 8. *Naturalis cauſa.* Ariſt. Plutarch.

Quid ſi ante octauũ diem pueri incircumciſi diſcederent? Num alio lauacro à peccato originis mundarentur? Suppono ex Doctore Angelico, octauo die peragi Circũciſionem debuiſſe propter præcepti obligationem, non quantũ ad efficaciam Sacramenti, qualibet aliâ die ſuũ effectũ ſortituri. Aſt cùm infans ante octauũ diẽ intẽpeſtiuâ morte præreptus eſſet, non ideò Circũciſionis tẽpus deberet, aut poſſet inuerti, ne præcepti incurrerent tranſgreſſionem: ſed huiuſmodi morte properâ ſublatis puerulis ſubeſſe remediũ, quo ante Circumciſionem fideles vtebantur (ex Hug. Vict.) fidem ſcilicet parentum cum proteſtatione, vel aliquam orationem per parentes veroſimiliter fieri ſolitam, quando filius ad nouiſſimum diſcrimen aduocabatur, vti de Dauide ſeſe pro filio, quẽ de Berſabee ſuſceperat, affligente, legimus in Regnorum hiſtoria. 4. Reg. 12. Morales cauſas reddo. 9. *Remedium ſine Circumciſione obtentu.* Hug. 4. Reg. 12.

IN

## IN IESVM CIRCVMCISVM.

# Panegyricus primus Moralis circa Literam.

### EX CIRCVNCISIONIS TEMPORIS CONSVMMATIONE.

### *OBSERVATIO I.*

Ad il laverba:

*Dies octo.*

Tranſactâ hebdomade ſæculari, dies æternitatis eluceſcit.

*Quia caro & ſpiritus; ſeculum & ſuperi vna in ſede minimè commorantur.*

10. Cypr.

ADDVCO ex D.Cypr.ſerm.de Circ. primam cauſam myſticam, cur octauo die Circuncifio ſolita eſſet celebrari: *Circunciſio*, ait ille, *eùm octaua die iuſſa ſit celebrari, & nomen circunciſo aptari; intimatum eſt his, qui digni Sanctorũ conſortio cenſebantur, quod æternæ beatitudinis, quã poſt vita huius ſeptimanam octaua conſequitur, hæredes fierent, & conſortes, quicumque vita innocentia ſe ſe Domino conſecraſſent.* Tranſactâ itaque vitâ ſæculari cæleſtis vitæ felicitas eluceſcit.

11. *Ablue te à ſeculari hebdomade ad Dominicam ſanctificationem.* Tertull.

Totius hebdomadis ſæcularis elabatur decurſus, vt gloriæ plenitudine dies nos Dominica redonet. Eliſæus Naamano Syro lepræ inquinato fœditate, *Lauare* (inquit) *ſepties in Iordane*. 4 Reg. 5. Et quare ſepties lauari iubetur? Num vt omnia ſcelera capitalia, quæ ſeptem annumerantur, omnino abradenda ſignentur, priuſquam ſanitas adſit æterna? Id videtur ſentire Tert. 4. con. Marc. cap. 9. Attamen accommodatius argumento, ideo ſepties arbitror Naamanum ablutum, vt ſæcularis hebdomadis purificatio innueretur, Dominicæ æternæ ſanctificationi præmittenda. Nec longè abeſt idẽ Tertull. ab huiuſmodi mente: *Simul*, ait, *& vt totius hebdomadis curaret expiationem, qui vnius lauacri via, & plenitudo Chriſto dicabatur ſoli.* Ac ſi diceret: ſolus Dominicus dies, ſola octaua lux, ſeu Chriſtus Dominus vim habet ad mundandum omnino, ac purificandum cor hominis poſt ſeptẽ dierum, ſeu poſt ſæcularis hebdomadis tranſactum curriculum.

12. *Egredere à ſæculo vt coronã potiaris.*

Egrediendum prorſus nobis è ſæculari vita, ſi æternæ beatitudini hærere conamur. *Egredimini* (conclamant Cœlicolæ) *filiæ Sion, & videte Regem Salamonem in diademate, quo coronauit eum mater.* Cant. 3. An ſine egreſſione optato felicitatis obiectu potiemur? Egrediamini à ſæcularibus neceſſum eſt. Rem expendit Ambroſius ſerm. 15. in Pſalm. 118. Ambroſ. *Ad animas dicitur, vt è clauſtris exeant corporis, Chriſto occurrant. Quaſi Angeli Chriſti hoc loquantur: Non poteſtis videre claritatem eius, gloriam eius, niſi egrediamini ex humanæ fragilitatis erris.* Haud in vna ſede morantur terrenæ fæces, celeſtéſque diei interminabilis fulgores. Vel profanus cecinit Poëta Metamorph. 1.

*Hæc ſuper impoſuit liquidum, & grauitate carentem.*
*Æthera, nec quidquam terrenæ facis habentem.*

13. *Seculum fugienti conſolatio.* Paſch.

Procurauit Sponſa ſeptem hoſce laboris dies cum Sabbato gloriæ copulare. Num potuerit? *Surgam*, ait, *& circuibo ciuitatem, per vicos, & plateas quæram quem diligis anima mea.* Cant. 7. Non equidem inuenit. *Quare?* Reſpondet Paſchaſ. *Quia vita viam expetit, & longius vltra plateas requirit.* Sæculum fuge, cæleſtis illico aderit conſolatio.

14. *Deficiens à malo peruenit ad bonũ.* Pſalm. 62. Auguſt.

Aptiùs Dauid ad Dominicam properans requiẽ ait: *In terra deſerta, & inuia, & inaquoſa, ſic in ſancto apparui tibi, vt viderem virtutem tuam, & gloriam tuam.* Pſal. 62. Ad deſertum confugi, à ſæculari tumultu exulaui, vt tuâ frui gloriâ valerem. *Niſi enim* (Aug. ait) *prius deficiat in malo, in quo eſt, nunquam perueniet ad bonum, quod Deus eſt.* Fugæ te committe, vt malæ finem hebdomadæ imponas, *cuius dies mali ſunt.*

15. *Sæculum fugiens [illegible] hîc quodammodo beatus.*

Num poſt huiuſce vitæ curriculũ myſticæ Circunciſionis gloriâ ſumus potituri, an in præſenti? Non ſolùm equidem felicitas futura repromittitur, ſed & præſens datur à ſæculari quieſcenti tumultu, dum à ſæculari torpedine recedis, in deſerto conſiſtens, à via ſæcularium recedens, mundialium preſſus anguſtiâ, cæleſti quodammodo fruitus es conſpectu. Rurſum preme Dauidicum carmen: *In terra deſerta, & inuia, & inaquoſa; ſic in ſancto apparui tibi, vt viderem virtutem tuam & gloriam tuam.* Pſal. 62. Vbi (Agellio doctore) *virtus, & gloria* Teſtamenti arcam adumbrant. Pſalm 62. Agel. An non *Virtus* Arca appellatur? *Et tradidit in captiuitatem virtutem eorum.* Pſalm. 7c. Huiuſmodi autem nomine inſignita meritò fuit. *Nam per illius præſentiam* (inquit ille) *ſæpiſſime virtutis diuinæ opera edebantur.* Eadem *Gloria* vocitatur. Vxor Phinees puerum enixa, illum Ichabod adnominauit, *quia capta eſſet arca.* Ichabod enim ſonat *Vbi gloria*, de clade Arcæ captæ pueto nomen imponens. *Et ſic in ſancto apparui tibi.* Hebr. *Et ſic in ſancto vidi te*, Te, ô Domine, in Arca, ſiue in arcano incluſum myſterio facie quodammodo ad faciem vidi, dum omnino ſæcularibus, ac mundialibus nuncium remiſi. *In terra deſerta, inuia, inaquoſa.*

## OBSERVATIO II.

### Ad illa verba,

*Dies octo.*

### Circuncisio incidit figurato Reſurrectionis die.

*Monens, ne à peccato ſurgentes, rurſum moriamur.*

16. August. DIvvs Auguſtinus ſic ſecundam cauſam expendit: *In iſta Circunciſione ſignificabatur ſpoliatio carnis vita octauo die per Chriſti Reſurrectionem. Septimus enim dies hebdomadis Sabbato completur. Sabbato Dominus iacuit in ſepulchro. Octauo autem die reſurgendo nos innouauit? Nos ergo octauo die reſurgendo circuncidit, nos in ipſo viuimus.* Viuimus in ipſo? Vitam igitur Chriſti reſurgentis nos ſpiritualiter circuncisi imitari conemur. *Chriſtus reſurgens ex mortuis, iam non moritur.* Ita igitur circuncisi ex confeſſione vitam instituamus, vt rurſum delictis impliciti, minimè redeamus ad ſepulchrum, ſi Ieſus ex mortuis reſurgens iam non moritur.

17. *Sequamur Ieſum ſemel morientem.* Rom. 6. Ambroſ. Theod. Meam excogitationem Paulus illuſtrat: *Chriſtus mortuus eſt ſemel.* Rom. 6. Vbi D. Ambroſ. *Caue*, inquit, *ne cum mortuus fueris ſemel, moriaris iterum.* Reſurgentis enim Chriſti, nec iam iterum morituri ſequi veſtigia debemus. Vberiùs in rem præſentem Theodor. *Per hæc verba ſatis docuit eos, qui crediderunt, volens à peccato abducere. Semel, inquit,* mortuus eſt Chriſtus, *nec vt bis moriatur, fieri poteſt. Ita vos exiſtimate, vos eſſe quidem peccato mortuos, viuentes autem Deo in Chriſto Ieſu.*

18. *Et Arcam ſemel captam.* In cuius quidem typum *Philiſthiim* olim *tulerunt Arcam Dei, & aſportauerunt eam a lapide adiutorij in Azotum.* 1 Reg. 5. Ad quæſtionem reuoco num hæc fuerit prima, & poſtrema Arcæ captiuitas? Primam fuiſſe certum eſt, nec quiſquam aduerſatur: Arca enim ſemper victrix extitit in deſerto. Anoon illâ exurgente, inimici Dei diſſipabantur, & qui oderant eum, à facie eius fugæ ſe ſe committebant? Pſalm. 67. Porrò apud terram promiſſionis vſque ad Heli tempora oumquam fuit ſuperata. Vnde Baſil. Prol. ad lib. 1. aſſerit, *Tunc*, id eſt tempore Heli *Arcam ea pertuliſſe, quæ ante illam memoriam numquam fuerant audita.* Profectò non minùs certum exiſtimo hanc vltimam fuiſſe Arcæ captiuitatem, & poſtquam à Philiſtæis reſtituta eſt, nullam poſtea captiuitatem ſubiiſſe, neque Babylonicam per Nabuchodonoſorem, neque Romanam per Titum & Veſpaſianum, neque vllam per Regem Antiochum intermediam. Quorſum hæc? Arca ſemel capta, Chriſtus ſemel à morte captus, & ſtatim reſurgens non rurſum moriturus ſignificatur, quem pœnitens hoc octauo myſticæ reſurrectionis die ſecutus, à culpa, in quam cecidit, ſemel excitatus, non relabi deberet, teſtatus cum Dauide, *Non mouebor in æternum.* Pſalm. 29.

19. Calleo iam difficilis teſtimonij ſenſum: *Non iteres verbum in oratione tua.* Eccl. cap. 7. Num non preces iterandæ? Nequaquam Ieſus preces effundens, non ſemel eandem replicat petitionem. *Eandem orationem dicens*, & amicus propter importunitatem, ſeu orandi perſiſtentiam petita adquirit. Quænam igitur preces, ſeu oratio minimè iteranda? Exiſtimo ſermonem hic procedere circa verbum illud: *Peccaui*, quo pœnitens internũ dolorem manifeſtat, vt ſenſus ſit, Semel tantum dicas, *Peccaui*, pœnitentiâ haud replicari cura. Chryſoſt. Pſal. 50. *Magna vis*, inquit, *magna obſcuritas. Quid eſt quod dixit, Ne repetas ſermonem in oratione? Quis enim non repetat? An fortè illud intelligendum eſt de eo, quod dicit Deo, Peccaui.* Obſcurior profectò hinc nebula inſurgit; laudabile namque ſæpe vnicum peccatum pœnitentiâ diluere, Dauide clamante, *Amplius laua me ab iniquitate mea.* Pſal. 50. Oportet ergo pœnitentiæ affectum iterare. Expendo iam mentem. Non iteres verbum, *Peccaui*, ſeu non rurſum delinquas, qui ſemel te delicto contaminaſti, ne rurſus cogaris pœnitere. Sic Chryſoſt. *Non repetas factum, quia cùm repetis, id eſt, ad peccatum redieris, orationem repetis.* Seu repetere cogeris iterum pœnitendo. Certè expendens Pater, quonammodo alioqui de eodem delicto ſæpe dolere debeamus, adiicit. *Eligendum eſt à ſapientibus peccatum agnoſcere, & dolere: ſemper præterita vetuſta malè commiſſa, malè cogitata, peſſimè delectata, inordinatè dicta debent quotidie in mente manere & ſemper homo debet iſta delere.*

*Pœnitentia iteranda, & non iteranda* Eccl. 7.

Chryſoſt.

20. *Peccatum inſtar corui non reuertatur.* Geneſ. 8. Ambroſ. Omnes pœnitentiæ lauacrum maculas diluit, omnia obruit flagitia minimè replicanda. In cuius typum aquis diluuij caro mergitur, coruus ſeu carnis opera à iuſto Noë pœnitentis imagine emittitur, qui certè *non reuertebatur.* Geneſ. 8. Ad quẽ locum Ambroſ. de iis, qui myſt. *Aqua eſt, qua caro mergitur, vt omne abluatur peccatum. Sepelitur ibi omne vitium, coruus eſt figura peccati, quod exit, & non reuertitur.* Semel ſanctificatus cura, ne rurſum admittas inquinamentum.

21. *Ideo fuge occaſiones delinquendi.* Geneſ. 8. Caietan. Præſtatu id facile, ſi peccatorum illectamenta, peccandi ſcilicet occaſiones effugias. *Dimiſit Noë coruum, qui egrediebatur, & non reuertebatur.* Geneſ. 8. Hebr. apud Caietan. *Miſit coruum, & exiuit exeundo, & redeundo.* Exit equidem, quia à Noë emiſſus; redit autem, quia non erat, vbi poſſet requieſcere. Cur ergo ad Arcam non ſe ſe illico recipit? Quia, iudice me, poſt emiſſum coruum Noe mox feneſtram occluſit, ne aquarum obiectu auis timida protinus rediret. Non igitur reuertitur coruus, quia à Noe adhibetur cuſtodia. Peccatum vis à te æternùm ablegari, numquam reuerti? Cuſtodia prorſus adhibenda, claudendum oſtium, occaſio fugienda eſt. Appoſitè D. Ambroſ. citat. *Coruus eſt figura peccati, quod exit, & non reuertitur, ſi in te quoque iuſti cuſtodia ſeruetur.* Concinit Theodor. qui Ieſum ſemel mortuum obiiciens, noſque ad pœnitentiæ alliciens reſurrectionem cum affectu non rurſum excidendi, ad illud: *Chriſtus mortuus eſt ſemel.* Rom. 6. ſatur: *Oportet itaque nos huic doctrinæ mentem adhibere, & peccati quidem inſidias fugere.* Animam rurſus agere tenuis, & priſtinis peccatorum inſidiis implicaris? Quã verè naufragus ille Triſt. Eleg. 1.

Ambroſ.

Theod.

*Terretur minimo pennæ ſtridore columba,*
*Vnguibus, accipiter, ſaucia facta tuis.*
*Et mea cymba ſemel vaſtâ percuſſa procellâ*
*Illum, quo læſa eſt, horret adire locum.*

*Semel* percuſſus: horreas illum locum adire, ne rurſum percuſſus intereas.

OBSER

## OBSERVATIO III.

Ad illa verba.

*Dies octo.*

### Dum vita eſt incerta, ſeu pœnitendi varium propoſitum, non adeſt ſpirituali Circunciſioni opportunitas.

*Quia volubilitas obeſt pœnitentiæ.*

22. Tolet. TERTIAM denique cauſam ex noſtra literali expoſitione expreſſam ſic innuit Toletus: *Ante octauum diem puer cultro non radebatur, quia ſeptem diebus nondum vita hominis certa inter homines computatur.* Sunt qui ad myſticam circunciſionis ſanctificationem properare conantur, è tumulo ſurgere moliuntur: ſed parum ſtabiles in voto dubietatis fluctibus vltro citróque circunferuntur; iam diffugiunt illectamenta, iam voluptatibus illigantur. Horum incerta vita, non maturum vulnus medicamini.

23. *Inſtabilis coruo ſimilis non reuertitur.* Geneſ. 8. Caietan. Iterum me ad Noëmi Arcam recipio. Coruus ille ab Arca decedens peccator tibi ſit Dei linquens domicilium. *Egrediebatur, & non reuertebatur.* Geneſ. 8. Caiet. ex Hebr. *Exiuit exeundo, & redeundo.* Nec tamen rurſum receptus in Arcam, quia non firmiter conſilio reuerſionis inhæſit. O quiſquis ad Patrem remeare contendis, apud domum paternam firmiter manere cura, vt ipſe ad te veniens apud te conſtituat manſionem. *Ad eum*, inquit Ieſus, *veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Ioan. 14. Vbi Auguſt. *Veniunt ad nos, dum venimus ad eos.* Adde, manent apud nos, dum manſionem apud eos facimus. Vnde Gregor. *Sunt vt quorum corda Deus venit, & manſionem facit, quia per compunctionem reſpectum Dei percipiunt: ſed hoc ipſum, quod compuncti fuerunt, obliuiſcuntur.* Ac ſi diceret, Ideo Deus, dum ad illos venit, non manet, quia ij ad eum properantes, mox recedunt, prius conſilium illicò deponentes.

24. *Quadraturā ſtabilē Deus inhabitat.* 2. Eſdr. 3. Hebræi olim à domo paterna corui in morem deceſsēre. Qui cum reditum præpararent, *Quater in die, & quater in nocte confitebantur Dominum Deum ſuum.* 2. Eſdr. 3. Vbi forſan (ſi ad myſtica feramur) quadratæ figuræ memoria pœnitentis nobis obiicit firmitatem. Non nutat conſilium, diuerſum propoſitum non admittitur. Lyran. Pulchrè Lyran. *Per hæc ſignificatur, quod vera confeſſio peccatorum habet annexam quadraturam ſtabilem.* Quam appoſitè ſtabilis quadratura ſtatuitur, vt Deus apud nos æternam conſtituat manſionem!

25. *Epulonis non ſibi conſtanti medicina negatur.* Chryſol. Diues ille haud extinguibili igne immerſus, non ſemper damnati peragit ſimulacrum, ſed eius, qui conſcientiæ prauæ hîc igne diſtorquetur, agit perſonam Chryſol fante. Ser. 121. *Adhuc iſte conſcientiæ calor eſt, non illud extremum, quod te manet, & expectat incendium.* Iam requiro cur Abraham tam beneficus, tam pius, refrigerantis aquæ & ardenti, & poſtulanti denegauit ſtillam? Tātæne cæleſtibus iræ? Diues certè ille indignus, cui myſticū pœnitētiæ lauacrum flammas extinguēs, immitteretur. Quia etſi pœnitendi conſilio ferebatur, dum ait, *Mitte Lazarum:* mox à pœnitudinis propoſito excidit, dum adiungit, *Mitte eum in domum patris mei.* Luc. 16. Et quare ad domum patris immitti inopem procurabat? *Sub ſpecie pietatis*, inquit Chryſol. *ad vulnera, ad præteritos gemitus Lazarum vult redire.* Vide quemadmodum Epulonem præteriti facinoris pœniteret? Iam curat in gremium aduocari mendicum, iam ad præteritam vulnerum ſaniem redire deprecatur. Non crudelis Abraham diuiti indiſpoſito, ſed ipſe ſibi crudeliſſimus tanta laborans mobilitate.

Quod ſi epulo minimè varietate ferreretur, quis aſſerat Abrahamum à crudelitatis liberandum nota, qui clamanti, flagranti que non ſubueniret? Iobum audite, *Clamo ad te, & non exaudis me; ſto, & non reſpicis me: mutatus es mihi in crudelem.* Cap. 29. Quid ô bone? Crimenne Deo crudelitatis obiicis? Scio Strabum ab huiuſcemodi calumniæ ſuſpicione Dominum liberare, dum inquit: *In Deo nec crudelitas, nec mutabilitas venit. Sed adiungit: mihi, vt ipſa crudelitas, atque mutatio non ſit in qualitate iudicis, ſed in mēte patientis.* Deus igitur minimè crudelis, quia non ipſe, ſed homo mutatur. *Clamo, & non exaudis; ſto, & non reſpicis.* 26. *Deus perſiſtenter efflagitanti ſubuenit.* Iob. 29.

Lyran. *Clamo ad te orando, ſto perſeuerando, & non reſpicis me, remedium adhibendo.* Quid ergo? *Mutatus es mihi in crudelem?* Lyran. Porrò Deus Iobum perſiſtentem in oratione audiuit, ægrotantem ſanitate donauit. Id quod exprimit vir patientiſſimus hiſce verbis: *Veruntamen non ad conſumptionem emittis manum tuam, & ſi corruerint, ipſe ſaluabis.* Perpetuus ſit itaque planctus, perſiſtens pœnitudinis affectus. De bona ille cecinit pœnitentia in Antholog.

*Quem ſceleris, noxaque grauis bene pœnitet, illi*
*Perpetuus lacrymis obruit ora dolor.*

## OBSERVATIO IV.

Ad illa verba:

*Poſtquam conſummati ſunt dies.*

### Carnis ac ſpiritus Circunciſionem cum Reſurrectionis memoria Ieſus copulauit, quia quidquid in circunciſione amittis, in reſurrectione recipies.

*Vt Reſurrectionis memoria efficax ad ardua quæque reddatur.*

DIEM octauum Reſurrectionis nec non Circunciſionis ſibi mutuò reſpondere notanter Beda affirmat: *Bene Ieſus octauā die circunciditur, quia videlicet vtraque noſtra & moderna, & futura, & ſpiritus, & carnis innouatio, & eius reſurrectione præfigurata eſt, & in noſtra eſt quandoque perficienda.* Cur ergo circunciſio carnis & ſpiritus futuram connotat reſurrectionis innouationem? Quia quidquid carnis ac ſpiritus circunciſione amittis, tibi reſurrectio retribuet. 27. Beda.

28. *Reſurrectio Ieſu pelliculam reſtituit*

Reſurrectióne ablata à Circunciſione reſtituit? Non igitur datur ambigendi locus circa Ieſu pelliculam cultro abſciſſam lapideo. Quærit Titus Boſt, vtrùm pellicula venerabilis illa maneat apud nos? Pars aliquibus affirmatiua placet, quæ in præſenti à nobis improbatur, quia abſciſſa ex Circunciſionis vulnere particula in Reſurrectione debuit recuperari: *Certum eſt*, inquit ille, *qui ſponte ſe circuncidi paſſus eſt, cum modis, & rationibus, quas ille compertas habet, totũ illud, quod per Circunciſionem à corpore deceſſerat, ita conſeruaſſe, vt Reſurrectionis tempore nihil eorũ omnium, quæ ad perfecti corporis conſtitutionem depoſcuntur, omnino deſideratum fuerit.* Illud pende: *Qui ſponte ſe circuncidi paſſus eſt.* Opus illud non fuit obligatorium, ſed omninò ſpontaneum, magnæ exiſtens perfectionis documentum. Id igitur, quod perfectionis ſtudioſus voluntariè amputari permittis, tibi ex reſurrectione reſtituendum.

29. *Et ſpeciali celeritate donat eos, qui ſe nunc pedum libertate abdicarunt.*

Quare, dic mihi delicata virgo, clauſtra ingredi renuis? Meamne, ais, voluntatem carceri committam? Meos amputabo pedes, ne poſſim liberè per vicos & plateas, per agrorum incedere amœnitates? Oculis, quæſo, diem reſurrectionis obiicias, quæ tibi in integrum reſtituet quidquid amans Sponſi immaculati vltronea præcidiſti. Locutus veritatis Magiſter de reſurrectionis communis inſtaoria, profatur, *Væ prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus.* Luc. 21. Et cur tunc temporis prægnantibus præcipuè calamitas imminebit? Quia nuptæ, de quibus ſermo, non ſeſe voluntariè pedum libertate abdicarunt, ad clauſtra properantes cœleſtem Agnum ſecuturæ: vnde reſurrectio nihil ſpeciale velocitatis habebit, quod eis poſſit reſtituere. Haud ſic virginibus, ſeu verè viduis, ad Deum toto (vti verè viduas decet) affectu tendentibus, vel intra clauſtra degentibus accidet; nam quia ſe voluntariè libertatis velocitate abdicarunt, ſpeciali celeritate donabuntur neceſſariâ equidem expeditioni. Rem Tertull. ad Vxor. illuſtrat: *Cur Dominus væ prægnantibus, & nutricantibus cecinit, niſi quia filiorum impedimenta teſtatur in illâ die expeditionibus incommoda futura? Tamen autem ad viduas*, id eſt, ad non vxores, *non pertinebit. Ad primam Angeli tubam expeditæ proſilient.* Quia ſcilicet liberæ à lege viri, in morem virginum, pedes religarunt. Sic reſurrectio à circunciſione reſtituit ablata.

Luc. 21.

Tertull.

30. *Claudus nunc, tunc velute ceruus proſiliet. Iſa. 35.*

O quàm veloces tunc, qui abciſsâ nunc pedum celeritate claudicarunt! Iſaiam audite: *Ecce Deus noſter vltionem adducet retributionis. Tunc ſaliet ſicut ceruus claudus.* Cap. 35. Chriſti iudicaturi reſurrectionis die exprimit proprietates. Vltorem ſe ſe malis oſtendet, iuſtis retributorem. Quid? *Tunc ſaliet ſicut ceruus claudus.* Vndenam claudo tanta celeritas? Nonne claudicauit? Reſurrectio igitur iuſto reſtituit, quod ſpiritualis circunciſio abſciderat. D. Anſelm. *Ecce*, inquit, *cauſa ſecuritatis, Chriſtus, cui Pater dedit iudicium, vltionem adducet in iudicio retributionis.* Appoſitè equidem iudicium retributionis appellatur, quia dies iudicij retribuit. Quid? Pedum abſciſſorum celeritatem. Vnde *tunc ſaliet ſicut ceruus claudus. Saliet inquam*, adiicit ille, *de hoc mundo ad cœlum.* O quàm veloces ab ergaſtulo proſiliemus!

Anſelm.

31. Adnotabo id expreſſiùs ex Phaſe celebratione. Comedetis (Legiſlator ait) *feſtinanter. Eſt enim Phaſe, id eſt, tranſitus Domini* Exod. 12. Domini, inquam, reſurgentis è tumulo tranſitus hic memoria colitur. Leges autem pranſuris præſcribens, adiicit: *Hæc eſt religio Phaſe. Omnis ſeruus emptitius circuncidetur.* Ac ſi diceret, Tranſitus Domini eſt, quem ſequi debemus ad cœlos auolantem. Vnde circuncidamur oportet, id eſt, ſpirituali circunciſione abciſsâ pedum libertate religemur. Neque enim velocitate neceſſariâ ad inſequendum Dominum tranſeuntem reſurrectionis die donabimur, niſi nos religauerimus. Id exprimit verbum illud: *Religio Phaſe*, ſeu religio tranſitus. Non enim tranſit, qui non religatur. Lyran. confirmat, *Religio dicitur à religando; quia per cultum diuinum homines religantur Deo.* Religare itaque religionis tenens clauſtra, vt poſtmodum ſolutior incedas.

*Religetur qui feſtinantem Dominum reſurgentem inſequi conatur.* Exod. 12.

Lyran.

32. *Veteraſcat in Phœnicis morem innouandus.* Pſalm. 15. Tertull.

Quid inclamat Dauid? *Iuſtus vt palma florebit.* Pſalm 51. Tertullianus. *Vt phœnix florebit.* Quid phœnici cum florum reproductione? Adiicit Vates, *Adhuc multiplicabuntur in ſenectâ.* Vbi Theodor. *Symmachus hanc clauſulam ſic interpretatus eſt: Adhuc ſenes fructus ferent.* Senectutem *quidem*, ait Doctor, *perfectionem vocauit.* Iam ſententiæ nubes ablegatur. Qui ex profeſſionis exercitamento (quod quidem licitas amputat voluptates) quaſi ſeneſcunt, reſurrectionis die fulgentiſſimo innouantur phœnicis in morem. Id quod pulchrè exprimit Nazianz. Car. de præ. ad Virg. qui poſtquam huiuſce volucris veterem vitam innouantis obiecit naturam: ſic terminat ſententiam:

Nazianz.

*Hæc quiſquis bene proſpiciet, cum corpore fœdus*
*Non feriet?*

Omnia equidem fœdera rumpuntur, ſi ad reſurrectionis innouationem expectemus. Vel ſi feriendum cum corpore fœdus, id religandum, diſtorquendum, ieiuniis frangendum, ac verberibus. Cum oculis fœdus pangamus, ne cogitent quidem de virgine; cum pedibus autem, ne liberè diuagentur.

33. *Soli reſtituitur lux reſurrectionis die.*

Nec mirum humanis huiuſmodi fieri compenſationem, ſi reſurrectio inanimes etiam creaturas ſimili reſtitutione exhilarat. Domino reſurgente, Sol ortum maturauit, vnde manè ſummo, potuerunt feminæ ad ſepulchrum *orto iam Sole* appropiare. Mat. 16. Quod ſi cauſam requiras, cur Sol reſurgens tres circiter horas incrementi lucis acceperit? ea in promptu adeſt. Chriſto patiente, tribus ſeſe totidem horis expoliauerat, vti Soli iuſtitiæ laboranti in ſacrificium libaret veſpertinum. Rem perficit Anaſtaſius Sinait. 4. exam. *Cum defeciſſet impolluta Chriſti anima è corpore, ſimul etiam defecit Sol ex cæleſti ſuo corpore. Vnde etiam Chriſto exoriente, & reſurgente à mortuis manè vna ſabbatorum, vnà cum eo exoritur etiam Sol è terra faciens diem.* Vt videlicet reſurrectio Soli reſtitueret, quod è ſolari corpore diei propter Chriſtum circunciſio illa ſecarat, defectuſque redundantiâ rependeretur.

Sinai.

OBSER

# OBSERVATIO V.

## Ad illa verba:

*Poſtquam conſummati ſunt dies.*

## Actionis Dominicæ Circunciſionis intentio ſub initio totum opus effecit conſummatum.

*Quia feruens operis inchoatio quaſi perfectio eſt.*

34. DIES Octo ait Lucas eſſe conſummatos, vt Puer circuncideretur, cùm tamen octauo die nondum expleto, cultro percuſſus infans ſanguinem diffudiſſet. Caietanus acutè: *Euangeliſta apponit*, Vt circunciderctur Puer, *vt ſic conſummatos dies octo ſignificaret.* Ac ſi huiuſce diei aurora tanto opere Circunciſionis nobilitata diem iam perfectum ſortiretur. Hinc myſticè tam ingentis operis inchoatio totum quodammodo opus ſalutis perficit, ac conſummat. Vnde Beda præſcripto hoc dierum numero reſurrectionis gloriam figurari affirmat, vt vnico Circunciſionis actu totum quodammodo redemptionis opus perfectum valeat oſtentari.

Caietan.

Beda.

35. Aperit Deus olim imminentem Sodomorum cladem, nec ſemel Patriarcha fundens preces, inclamitat: *Quia ſemel cœpi, loquar ad Dominum meum* Geneſ.18. Chal. loco illius: *Quia cœpi*, ſic: *Quia multum locutus ſum.* Quonam modo, obſecro multum locutus eſt, qui ſolummodò ſtudio loquendi dedit initium? Num quia intensè ſermonis exordium feciſſe Patriarcham, idem quodammodo, ac ſi finem eiuſdem ſermonis aſſecutus eſſet? Ita planè. Ex D Thoma confirmo: *Significatur*, ait, *hic admirabilis efficacia precis.*

*Sermo Abrahæ efficaciter inſtitutus multus.* Geneſ.18.

36. Fidelis ipſe Patriarcharum parens filium iugulaturus, gladium ſtringit, vixque imminente ictus, cùm Angelus brachium retardans, eum abſque vulnere donat triumpho. Quaſi diceret: Satis militum fortiſſime, iam enim ſine ſanguine potitus victoriâ. Huiuſmodi etenim ad tantam actionem affectus intenſio (expreſſa ſatis dum Iotelligeotia te curaret ab inſtituto reuocare, vocem geminans, ait, *Abraham Abraham.* Geneſ. 22.) dum exoritur, fruitur conſummatione. Manus iſta gladium oſtentans ad caput filij amputandum, ſeu ad ooua huiuſce circunciſionis effectum, abſque vulneris executione ornatur triumpho, ac frontis inſtar, coronâ redimitur. Iſidorum Peluſ. Epiſt. 57. hæc excogitatio habet auctorem: *Erat*, inquit, *cernere naturam quidem cum ſuis armis atque copiis omnibus humi proſtratam, ipſum verò ſtantem, & manum extenſam non coronâ praditam, ſed gladio quauis corona illuſtriori fulgente ornatam.* Proh manus fortiſſimæ, gladiique ad ictum eoixè præparati matura victoria!

*Ideo opus hoc perfectũ, cum inchoatum.*

Peluſ.

37. Hæc prorſus ſpiritualis militiæ conditio, intentio affectus coronatur, & quaſi reputatur effectus. Vexillo huic Iob nomen exhibuit, vixque apparuit arma concertaturus, cùm ipſius tempora exiguo quidem tempore lauro cinguntur: *Tunc ſurrexit Iob, & ſcidit veſtimenta ſua, tonſòque capite, corruens in terram adorauit.* Cap. 1. Vbi pulchrè Origen. *Primum ſurrexit, & ita demum ſe proſtrauit. Surrexit ad prælium, proſtrauit ſe ad pacem. Surrexit ad victoriæ perfectionem, proſtrauit ſe ad coronæ perceptionem.* Perfectióne victoriæ eſt ſolummodo militem inſurrexiſſe? Cur non magis concertationi, quàm conatui victoria debetur? Quia illud feruenter exurgere ad pugnam, quaſi victoria eſt, quaſi eſt operis conſummatio.

*Iob ſurgens ad pugnam donatur triumpho.* Iob.1. Gregor.

38. Annon *Petrus dormiens inter duos milites vinctus catenis duabus* erat? Ecce Angelus Domini adſiſtit inclamans: *Surge velociter*, & ceciderunt catenæ. Rurſum cœleſtis Nuncius: *Præcingere, & calcea te caligas tuas, circunda tibi veſtimentum tuum, & ſequere me.* Actor. 12. vbi Proclus catenarum caſum verbis Angeli deputat; ſeu velocitati aſſurgendi ab Angelo indictæ, *Surge velociter.* Mox requirens, cur iubeatur Apoſtolus ſibi veſtimenta accommodare? Hoc inquit effectum fuiſſe, *ad eximendum Petri metum. Tanto*, ait, *Angelus præſidio illum munitum confirmat, vt otiosè pallium inducere, atque ſandalia, & laxatam adſtringere veſtem poſſit.* Hinc exoritur quæſtio, Quare Petro egreſſuro tanta velocitas indicitur, *Surge velociter*, ſi mox moras producit veſtimentorum accommodatio; ſi non Angelum currentem ſequitur Apoſtolus, ſed pedetentim gradiens, ne excitet cuſtodes? Profectò ſurgente velociter Petro, inchoante efficaciter fugâ, iam (ex mente Procli) excidêre catenæ, iam hoſtes deuicti, iam libertas aderat præparata. Nil nocet moris vti ei, qui feruenter inſtituerat carceris, periculíque euaſionem.

*Cum Petrus fugam inſtituit, iam libertate perfecta donatur.* Act.12. Proclus.

39. Redeo ad Puerum circunciſum. Dies in circunciſione conſummatos, ac opus redemptionis apud crucem conſummatum equidem contemplatus ſum. Domino inclamante, *Conſummatum eſt.* Ioan. 19. Aptè in cruce conſummatio, vbi corona, vbi victoriæ triumphus præparatur. At apud Bethleemiticam ſpeluncam, vbi à Circunciſionis vulnere opus exoritur redemptionis, perfectio, ac conſummatio prædicatur? Quid tanti operis initio cum conſummatione? Hug. Card. ad illud: *Conſummatum eſt*, inquit: *Non enim dicitur liber perfectus*, ſeu coosummatus, *donec rubricatus non eſt, & miniatus.* Tuoc perfectus liber, cùm rubricatus, cùm miniatus eſt. Quid ergo mirum Circunciſionis vulnere Ieſum affectum præ ſe ferre quodammodo operis totius redemptionis conſummationem? Vix exoritur octaua dies, & tota ſimul perfecta naſcitur, cum morte, cum reſurrectione Circunciſio copulatur, libro hodie ſanguine rubricato, miniato.

*Vt redẽptionis in Circunciſione conſummatur.* Ioann.19.

Hugo.

40. Inſtanti paſſionis articulo, *Cœpit Ieſus pauere, & mæſtus eſſe.* Matth. 26. Doctor Angelicus tantâ Ieſum ait tunc affectum triſtitiâ, vt longo interuallo omnes ſuperaret agoniſtas: *Chriſtus non ſolùm doluit pro amiſſione vitæ corporalis propriæ; ſed etiam pro peccatis omnium aliorum: qui dolor in Chriſto exceſſit omnem dolorem cuiuſcumque contriti.* Si igitur cœpit mæſtus eſſe, quonam modo finem, ſeu cumulum omnium

*Incipiens Ieſus mæſtus eſſe, omnes vincit contritos.* Matth 6. D. Thom.

omnium dolorum tunc attigit, cùm incepit perfundi mœrore? Annon quia tanti affectus intenſio totam triſtitiæ huiuſce continet perfectionem?

41. *Cùm incipit, liberare perfectus liberator.* Iud. 13. Lyran.

Iam igitur perfectus orbis redemptor Ieſus Circumciſionis die, quaſi omnes quodammodo hoſtes debellaſſet: In cuius typum fortiſſimus Samſon Iſraëlem liberaturus inſurrexit. Sic Angelus parenti: *Ipſe incipiet liberare Iſrael de manu Philiſtinorum.* Iud. 13. Ad illud: *Incipiet liberare*, inquit Lyran. *Per Samſonem non fuerunt filÿ Iſrael omnino liberati de ſeruitute Philiſtinorum, licet reſtricta fuerit tyrannis eorum.* At nos cum multis Doctoribus inter perfectos populi liberatores eundem adnumeramus. Sed ſi perfectè liberauit, quare ſolummodo cœpiſſe liberare adſeritur? Non minus, auctore me, inchoatio illa liberationis ſignificauit, quàm perfecta liberatio: quia efficax, ac affectuoſa inchoatio operis omnimodam videtur habere perfectionem. Tam vtilis intenſa ad opus quodlibet inclinatio.

Liceat mihi ex Iuuenali ſuperius argumentum illuſtrare. Cecinit ſic Satyricus, Sat. 10.

*Feſtino ad noſtros, & Regem transſeo Ponti,*
*Et Crœſum.*

Et quid poſt tantam feſtinationem? Adiicit acutè:

*—— Vox iuſti facunda Solonis*
*Reſpicere ad longa iuſſit ſpatia vltima vitæ.*

Quaſi illa feſtina itineris inchoatio faceret principium illud totius vitæ terminos exæquare.

## OBSERVATIO VI.

Ad illa verba:

*Poſtquam conſummati ſunt dies.*

### Vt circumciſus Puer nos omnibus donet, impatiens conſummationis temporis oſtentatur.

*Quia munificentia diuina inſcia moræ.*

42. AB exordio octauæ diei Circũciſionis præceptum inſtabat, cuius executioni tota dies naturalis deſtinata erat. Aſt infans noſter terminationis, ac conſummationis diei moras non ſuſtinens, licet ritè poterat Circumciſio ad diei exitum protrahi: vt vidit ritè poſſe peragi, habuit diem vt omnino perfectam, atque conſummatam. Nec illum vulneris ſuſtinendi timor fecit ad

Bernard. terminum diei vſque pigritare. *Vide*, inquit Bernard. Serm 1. *quantùm ad ſuſcipiendos labores feſtinauit, quàm promptus ſanguinem effundere circumciſus pro nobis die Natiuitatis ſuæ octauo. Chriſtus octauam diem à natiuitate ſua expectat, vt ſuum tibi impendere ſanguinem inciperet.* Expectabat ſanè octauæ diei inchoationem, quemadmodum ægrotans horam, quâ ſit vndæ donandus refrigerio. Circumciſionis etenim Ieſu articulus expectationis quidem, non timoris materiem miniſtrabat.

43. Neſcit diuina munificentia moras. Hominem, & cælo, & terrâ donaturus: *In principio creauit Deus cælum & terram.* Geneſ. 1. Quare non dixit, In principio, in progreſſu, & operis terminatione Deus cælum & terram aduocauit in lucem? *Incunctanter nos Deus donauit creaturis.* Geneſ. 1.

Longum eſſet Deo munificentiſſimo operis communem expectare progreſſum. In principio ipſo & progreſſum vidit, & terminationem. Huc reſpicit D. Ambroſ. fatus, *Pulchrè ait*, In principio fecit, *vt incomprehenſibilem celeritatem operis exprimeret, cùm effectum prius operationis impleta, quàm initium cœpta explicuiſſet.* Nec enim decebat rem lentè à munificentiſſimo peragi, & exhiberi. Ambroſ.

Id quod ex eodem loco confirmo. *Fecit cælum & terram.* Geneſ. 1. Non dixit, *Faciebat*, vti proceſſus operis innueretur. Totum ſimul opus ſine manibus, ſine arte effectum apparet. Adnotauit idem Ambroſ. profatus, *Pulchrè addidit: Fecit, ne mora in faciendo fuiſſe exiſtimaretur. Vel vt ſic intelligerent homines, quàm incomparabilis operator eſſet, qui tantum opus breui, exiguóque momento ſuæ voluntatis abſolueret, & operationem effectus ſenſum temporis præueniret. Nemo operantem vidit, ſed agnouit operatum.* Hinc Tragicus in Thieſt. 44. *Beneficiabus velociſſimè aduentans.* Gen. 1. Ambroſ.

*Res Deus noſtras celeri citatas*
*Turbine verſat.*

Haud tam velox copioſus grando ſe ſe è nubibus ad terram demittit, quàm diuina beneficia hominibus præſentantur. Hæc in generatione.

In regeneratione quid? Futuri temporis Dei liberalitas fert ægrè ſolutionem. Petentibus cœleſtis futuri Regni tabernacula Zebedæi filiis ſic Magiſter: *Sedere autem ad dexteram meam vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo.* Matth. 20. Quonam, quæſo, ſenſu verificari poteſt, munus Chriſti non eſſe, iuſtos cœlo donare? Chriſtus Patri futurorum bonorum remittit elargitionem, quaſi diceret, Non meæ munificentiæ, tam longam expectare moram, dum homo effectus, hominum inuigilo ſaluti. Pater munificentiſſimus, velociſſimus equidem munerum elargitor, attamen poteſt immorari ille, cui futura tempora præſentantur, vtique Deo omnium & molitori, & conſeruatori. Ego autem vt homo non expectabo: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Dicunt ei, Poſſumus. Calicem quidem* (ait) *meum bibetis.* Num poteſtis nunc calice potari? ſi nunc poteſtis quid in futurum protraham Regni elargitionem? An non ſalutari calice cœleſtia gaudia continentur? *Omne gaudium exiſtimate fratres, cùm in varias tentationes incideritis.* Iac. 1. Potabimini igitur modo calice propter tribulationum ſufferentiam, meamque mox omnia tribuendi exequar conditionem magíſque dabo, quàm promittam. 45. *Chriſtus magis dat quàm promittit.* Matth. 20.

Pueri Ieſu menti ortum obiicias, Nabuchodonoſore vidente. *Videbas* (ait Daniel) *ita*, nempe ſtatuam multiformis æris proceræ magnitudinis adſpiciebas, *donec abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus.* Daniel. 2. Mons hic Iuſtino & Irenæo Deipara, lapillus ille Chriſtus eſt. Hebræorum autem phraſi de petra ſcindi idem eſt, ac concipi, & naſci: ſuſcipere filios, ædificare domum eſt. Vnde filius Hebraicè *Ben*, ſiue ædificium, ſeu lapis qui ad domus adducitur conſtructionem. De monte verò, ſeu de petra abſcindi, naſci eſt: *Attendite ad petram, vnde excisi eſtis, attendite ad Abraham patrem veſtrum, & Saram, quæ peperit vos.* Iſai. 51. Sine manibus itaque lapis venit ad nos, quia nulla 46. *Sui ipſius velox elargitor.* Dan. 2.

tanto

tanto efficiendo negotio mora impenditur, non hic ars, non manus. Vnde noſter Gaſpar Sanct. *Sine manibus* (ait) *id fieri dicitur, à quo omnis ars abeſt, & omnis induſtria.* Id quod de muodi opificio Ambr. ad C. 1. Gen. adnotauit: *Nec artis vſum, nec virtutis expendit, qui momento ſuæ voluntatis maieſtatem tanta operationis impleuit, vt ea, quæ non erant, eſſe faceret tam velociter. vt neque voluntas operationi præcurreret, neque operatio voluntati.*

47. *Pater neſcit dona morari.* *Luc. 15.* Num rei indormiret, muneráque hodie Ieſus Pater futuri ſeculi moraretur? *Citò* (ait filij pœnitentis parens) *proferte ſtolam primam.* Luc. 15. Meo ſanguine intingatur ſtola, ad priſtinam peccator redeat puritatem. Et cur tam citò? Iſaias: *Vocabitur nomen eius Pater futuri ſeculi.* Cap. 9. Neſcit hodie Ieſus pater munera remorari. *Chryſol.* Chryſol. ſerm. 5. *Citò* (ait) *proferte ſtolam. Non dixit: Vnde venis? fuiſti vbi? vbi ſunt, quæ tuliſti? quare tantam gloriam tantâ turpitudine commutaſti? ſed* Citò proferte ſtolã. *Tardam miſericordiam pater neſcit.* Quid igitur mirum, Ieſum hodie Patris nomine inſignitum moratum impatientem tam feſtinanter filiis dona contuliſſe?

48. *Ieſus idem ac munerum feſtinatio.* Alio prætereà ex capite Puer ſe ſe ad donandũ omnia celeriter accingebat, ne moris vteretur. Ieſu nomen huiuſmodi feſtinationem inferebat: *Vocatum eſt nomen eius Ieſus, quod vocatum eſt ab Angelo, priuſquam in vtero conciperetur.* Luc. 2. Vocatus Ieſus, antequam natus? Non igitur ad diei terminationem expectabit, ſed illicò, vbi ritè poterit, nos omnibus Ieſus donabit, quia Ieſus idem, quod feſtinatio. *Voca nomen eius* (ait Anſelm. ex *Iſai. 8.* *Anſelm.* Iſa.) Accelera, Feſtina, *quia nedum natus populum ſuum ſolâ inuocatione ſaluabit.* Nedum natus inuocatione ſaluat? Quid non impatiens ſit temporis conſummationis, poſt natalitium? *Et tu, ò miſer peccator* (loquor cum Bern.) *poſt non dico octo dies, ſed nec poſt octoginta annos ſolam non rependis voluntatem.*

## OBSERVATIO VII.

### Ad illa verba:

*Poſtquam conſummati ſunt dies.*

### Ieſus ante diei terminationem circumciſus, illicò curauit à ſe peccati indicamenta proiicere.

*Quia ſpiritualis vir famæ ſiniſtram notulam à ſe procurat demoueri.*

49. *Bernard.* QVem nemo arguere poteſt de peccato (verbis Bernard. ſerm. 1. vtor) *ipſe peccati remedium & verecundum pariter, & auſterum ſine vlla neceſſitate ſuſcepit.* Et quare ſuſcepit medicinam, qui minimè laborabat? Apparuit equidem in ſimilitudine carnis peccati, ipſum enim noſtræ mortalitatis indumentum ſpeciem præ ſe inquinamenti originarij ferebat. Humanis oculis Ieſus incarnationis myſterium ignorantibus peccator apparet? Circumciditur ergo, quia non modò peccatum leuiſſimum à viro iuſto debet exulare, ſed minima quælibet peccati indicamenta longè ab illo remouenda ſunt. Illico autem, vt ritè potuit, vulnerari cultro patitur, vt oſtendat, quàm diligenter vir iuſtus à ſe peccati indicia vel leuiſſima teneatur remouere. Non te ſufficit cæleſti conſpectui iuſtum oſtẽtari, hominum debitor operam bonæ famæ nauare contende.

Abraham præceptum de immolando filio impleturus, adducens ſecum Iſaac, duobus comitantibus ſeruis, ad locum à Deo præparatum accedit. Geneſ. 22. Et quare inceſſit ſeruis ſtipatus? Caietan. *Nec intelligas, quod Abraham per ſemetipſum ſtrauerit aſinum, & sciderit ligna, ſed per famulos.* Vt igitur famuli miniſtrarent, domo egredi iuſſit. Aperuitne eis filij immolandi myſterium? Minimè. Ne (inquit Lyrao.) impedirent. Quanam vi à ſacrificio retardarent? Ambroſ. Gemitu, aut fletu. Apud montis fundamina ſic Patriarcha miniſtris: *Sedete hic cum aſino. Ego autem, & Puer illuc vſque properantes, poſtquam adorauerimus, reuertemur ad vos.* Cur non pateris ſeruos montis verticem tenere, vt teſtes tanti facinoris æternùm poſſint & parentis fidem, & filij obedientiam decantare? An prohibes, ne tibi obſtaculo ſint ad executionem? Quid, fluxus lacrymarum gladij aciem hebetaret, quem ignis paternis amoris non emolliuit? Conuenientius exiſtimo ideo ſeruos à montis cacumine prohibuiſſe, quia cùm non oporteret æterni eis Regis arcanum reſerari, fortaſsè in ſcandalum raperentur, ſibi obiicentes crudeliſſimum parentem filij aſſurgentem in vulnus. Ne igitur iuſtiſſimus vir ſpeciem præferret delicti, arbitros facti illius longè curauit dimoueri.

50. *Famulos ablegat Abraham, ne crudelis in eo appareat.* *Gen. 22.* *Caietan.* *Lyran.* *Ambroſ.*

Quæritur num Abraham filio aperuerit de ipſius immolatione præceptum, an in præſtantius cæcæ obedientiæ meritum ſilentio obſirmarit? Semper mihi prudens viſa eſt Ioſephi ſententia, qui in hæc verba ſenem ſcribit effuſum. 1. Antiq. c. 14. *Fili, mille votis te expectatum, poſtquam in hanc vitam veniſti, ſummâ curâ & ſolicitudine educaui, nihil beatius exiſtimans, quàm ſi te virum videre daretur, & tandem heredem mea ditionis relinquerè. Sed quoniam Deo viſum eſt, vt te ſuſciperem, & nunc rurſum vt te amitterem, fer generosè hoc ſacrificium* Requiris iam quare ſacramentum Regis filio aperuerit, qui à ſeruis id omninò retraxerat? Ne filius ad ſcandalum raperetur haud conſcius arcani illius, quod cordi fuerat parentis immiſſum. Locum alium non facilem expendo; *Ecce Angelus de cælo clamauit dicens: Abraham, Abraham, ne extendas manum tuam ſupra puerum.* Geneſ. 22. Cùm præceptum de immolando filio datur, non vocibus externis, ſed menti Patriarchæ loquutus eſt Dominus; cùm autem à ſacrificio prohiberetur, valido clamore, retardatur. Quare? Ne, ſecreto iam reſerato, fortaſſe Iſaac crederet genitorem patrio affectu à diuino obſequio retardatum, publico Angeli clamore gladij acies obtunditur. Nec enim decebat vel filio ipſi aliquam flagitij ſpeciem parentem exhibere.

51. *Filio aperit arcanum, ne criminis ſpeciẽ obiiceat.* *Ioſeph.* *Gen. 22.*

Moyſes interuentu virgæ procellas induxit: *Extendítque Moyſes virgam in cælum, & Dominus dedit tonitrua, & grandinem, ac diſcurrentia fulmina ſuper terram.* Exod. 9. At cùm intenderet Pharaonem ab exitiali plagâ liberare, *Egreſſus à Pharaone, & vrbe, tetendit manus ad Dominum.* Quare manus nunc leuauit, & non potiùs virgã, quâ æthera percuſſit, cælôque intonante, grando cecidit,

52. *Curat Moyſis Magus nõ haberi* *Exod. 9.*

cecidit, fulmina coruſcarunt? An virgæ æquè non datum ſanare, & percutere? Non dubium quin Muyſes procurarit, ne inter Magos ab Ægyptiis annumeraretur. Vnde cùm primùm aulam Regis ingreſſus eſſet, non ipſe, ſed Aaron virgam in ſerpentem mutandam proiecit; ne aulicis videretur Magicâ arte vſum illam mutationem præſtitiſſe.

Lyran. *Moyſes*, (inquit Lyran.) *diu fuerat abſens de Ægypto; ideo credere poterant Ægyptij, quod tunc fuiſſet imbutus magicis artibus. Sed Aaron à iuuentute manſerat in Ægypto; ideo non poterant eum ita ſuſpectum habere.* Cùm igitur virgæ eleuatione tempeſtatem excitauiſſet, *ne vulgus opinaretur* (loquor cum Procopio) *magicâ ſuperſtitione virgam eſſe factam*, manus præſtitit ſerenitatis effectrices. Tam diligens viro iuſto ſtudium, ne minus iuſtus ab hominibus habeatur.

53. *Sacerdos ſe expediat à malis indicamentis.* 1. Reg 1.

Strictiori id iure ad Sacerdotes attinet bono nomini accuratiùs inuigilaturos. Non bene Heli Sacerdos apud Doctores audit. 1. Reg. 1. Quare? Num propter negligentem filiorum educationem? Indignus prorſus laude, qui filiorum correctioni non incumbit. Id quod Patres adeò culpabili Heli exceſſui tribuunt, vt lethaliter deliquiſſe affirment, imò de via excidiſſe ſalutari. Aſt ego leuiori cenſurâ cum iis ſentio, qui opinantur, Heli correctioni quidem filiorum inuigilaſſe, nõ tamen id ſtudium publicum effeciſſe, vti omnibus conſtaret, Sacerdotem fideliter & naturæ, & officij munus expleuiſſe. Quia igitur Sacerdos Heli non fuit de bona fama ſolicitus, iuſtè decus illius à Doctoribus diuerberatur.

54. *Indicia mortalitatis excutiat.* Exod. 3. 1. Reg. 1.

Quid Dominus Muyſi ad celſum vocato miniſterium? *Solue calceamentum de pedibus tuis.* Exod. 3. Calceamenta quidem *mortalitatis indicia*, Origene auctore. Dicitur Elcana in Silu cum vxoribus aduentaſſe: *Erant autem Heli ibi. & duo filij eius Ophni & Phinees.* 1. Reg. 1. Deberet profectò Sacerdos Heli apud Silu excalceari, ſeu proiicere mortalitatis indicia, ſicut Moyſes apud rubum coruſcantem. Quia *Silo* (eodem Origene

Orig. atteſtante) *interpretatur excalceatio.* Templum profectò excalceationis locum Heli excalceatus honorare deberet. Non curauit ſeſe mortalitatis indicamentis ſpoliare; & ideò Sacerdos hic minus laudabilis prædicatur: *Nemo* (inquit Origen.) *viam vitæ cum mortalitatis indicio incedit. Talis ergo eſt locus iſte, vbi eſt Heli, minimè laudabilis.*

55. *Præcipuè Religioſi hac lege aſtringuntur.*

Quid dicam de Religioſis ab Ægypto diſcedentibus, montis cæleſtis petentibus cacumina? Quàm accuratè debent quamlibet ſiniſtræ famæ notulam prohibere. *Solue* (Angelus Moyſi apud deſertum conſtituto) *calceamentum de pedibus*

Exod. 3. *tuis; terra enim, in qua ſtas, terra ſancta eſt.* Exod. 3. Qui te ad religionis verticem ex Ægypto recepiſti, non modò corporis, ac mentis puritati operam da: verùm bonæ apud homines opinioni ſtudere procura. Integram do Origenis ſenten-

Orig. tiam: *Sic dicitur ad Moyſem: Solue calceamentum de pedibus tuis. Illud magis ponderandum eſt, quod cùm exiret de terra Ægypti, habebat calceamenta de pellibus mortuis, & erat velut quadam mortalitate conſtrictus. Cùm verò cœpit proficere ad virtutem, & aſcendere montem Dei; tunc dicit ad eum, vt indicia mortalitatis abiiceret, quæ in calceamentis pelliceis deſignantur.*

56. *Speciatim Concionatorum.*

Quod ſi ad eos Religioſus, qui Apoſtolico munere proximorum ſaluti incumbunt, doctrinam contrahere libeat, his Magiſter: *Nolite* (ait) *portare ſacculum, neque peram, neque calceamenta.* Edocentur, quemadmodum bonæ opinioni debeant conſulere, qui prædicationis ſuſcipiunt miniſterium. Rem perficiat Origen. *Ego puto, quod* Orig.
*præterea, & Apoſtolis ſuis Saluator præcepit, ne haberent calceamenta in pedibus ſuis. Vt ipſorum pedes, qui currebant, ad annuntiandam vitam æternam, omni carerent mortalitatis indicio.*

Soluit itaque illicò Ieſus calceamentum, ſiue 57.
mortalitatis indicium: Deus Serpenti: *Ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius.* *Ieſu exemplum.* Gen. 3.
Geneſ. 3. ex Hebræo Hieronym. *Ipſe conteret caput tuum, & tu conteres eius calcaneum.* Hieron.
Contritum genus humanum vulnere pedibus affectis, vt corrueret, nec poſſet per viam ſalutis incedere. Hinc quaſi verbis ludens Rupertus, data adſeruit calceamenta in emorſi pedis vulneris alligaturam. Rupert.
Calceamentum igitur myſtica mortalitatis erant indicamenta, quemadmodum vitta linea aſſolet eſſe emiſſi ſanguinis documentum, dum adeſt vulneris alligatura. Proh Ieſu puritas! *Etſi non eguit*, (inquit Bernard. ſerm. 1.) *tamen voluit circumcidi. Nec veſtigium quidem vulneris* Bernard.
*habens, alligaturam non refugit vulneris.* Vulneris peccati originalis Circumciſio erat alligatura. Et quis Ieſum circumciſionis vulnere affectum cerneret, qui non crederet, eum peccati originalis gladio ancipiti vulneratum? Ab hoc itaque mortalitatis indicio ſeſe expedit illicò primâ diei octaui luce ad lauacrum accurrens.

Iob Saluatoris typus, & diuitiis ſpoliatur, & ab 58.
vxore, ac familiaribus, conuitiis afficitur, & orbatur filiis, & carne ipſâ mutilatur: *Egreſſus Satanas à facie Domini, percuſſit Iob vlcere peſſimo à planta pedis, vſque ad verticem eius, qui teſtâ ſaniem radebat, ſedens in ſterquilinio.* Cap. 2. *Et Iobi.* Iob 2.
Quare ſolummodo lepræ Iob datur medicamen? Vxor in ſtultitia perſiſtit, diuitiæ magis elongantur, fugit regnum, amici adhuc moleſti, ſola ſanies leuamine donatur teſtulæ miniſterio, lepra ſola curatur. Profectò Iob Chriſti Domini ſimulacrum, quod ſine ſpirituali criminis ſanie quaſi leproſus oſtentatur, inclamante Prophetâ: *Vidimus eum quaſi leproſum.* Iſai. 53. Pereant igitur omnia, fama ſpiritualis viri non lædatur; omnium temporalium rerum iacturæ futurum tempus (vti Iobo accidit) det remedium; peccati autem indicamentum incunctanter oportet ablegari.

Quodnam, ais, huiuſmodi peccati indicium in- 59.
conueniens? Reſpondeo, ſpecie mali ſcandalum ſuſcitari, quod vitare operæpretium eſt. Paul. *Omnia probate, quod bonum eſt, tenete, ab omni ſpecie malâ abſtinete vos.* 1. Theſſ. 5. *Abſtinet igitur ab ſpecie delicti.* 1. Theſſ 5.
vbi non à malo ſolum, ſed ab ipſo nudo peccati indicamento nos iubet Apoſtolus abſtinere. Anſelm. argumentum, Anſelm.
perficiat: *Ab omni ſpecie mala abſtinete vos, id eſt non ſolum ab eo, quod veraciter malum eſt, ſed etiam ab ipſa ſimilitudine mali. Si quid malâ ſpecie malum aliquod prætendit, etſi malum non ſit, vos autem abſtinentes ſitis ab eo, ne malâ ſpecie malum exemplum detis hominibus. Non enim occaſionem malæ ſuſpicionis de vobis dare hominibus debetis, cùm vos malam conſcientiam non habeatis.* Hactenus ille.

OBSER

## OBSERVATIO VIII.

### Ad illa verba:

*Poſtquam conſummati ſunt dies.*

### Docet Puer maturè circumciſus pœnitentiæ maturitatem.

*Nam (ſi fieri poſſet) pœnitentia eodem tempore peragi deberet, ac peccatum.*

60. NON poſt octo tranſactus dies, ſeu poſt octauæ diei cõſummationem: ſed eiuſdem octauæ diei aurorâ illuceſcente, circumciditur Ieſus; vt doceat nos pœnitentiæ maturitatem.

*Ieſus Abel in morem illicò obtulit.* Gen. 4. Domino Abel & Caio expiationis ſacrificium obtulêre. *Reſpexit autem Dominus ad Abel, & ad munera eius: ad Cain autem, & ad munera eius non reſpexit.* Geneſ. 4. Et quodnam ſacrificantis Caini delictum? Paulò ſuperiùs adnotatur: *Factum eſt poſt dies obtulit Cain ex fructibus terræ munus Domino.* Abel illicò & adoleſcentior, & fidelior, Cain poſt dies ſenior, & indeuotior, minimè offerre maturauit. D. Ambroſ. *Duplex culpa Cain; vna, quod poſt dies obtulit, & non ſtatim, &c.* (Ambroſ.) Ieſus circumciditur verus Abel, *poſtquam conſummati ſunt dies*, non *poſt dies* ſicut Cain, cùm primùm illuxit octauæ diei aurora, non *poſt dies* exactos. Sacrificium etenim in peccatorum expiationem non eſt vllo prætextu differendum.

61. *Simul ægrotus & hærens medicamini.* Circumciditur Infans, & ipſum illud circumciſionis medicamini tradi, fuit in ſimilitudinem carnis peccati apparere. Docemur equidem tantæ ægritudini medendum (ſi fieri poſſet) in ipſa actione, ſeu in ipſo tempore delinquendi. Dauid: *Præueni in maturitate, & clamaui.* Pſalm. 118. (Pſalm. 118.) Alij, *in immaturitate.* LXX. *Surrexi adhuc in tenebris.* Ac ſi diceret: Meo mederi vulneri procuraui tempore immaturo, quando impoſſibile eſt conuerti ad Dominum, quia peccati affectus & effectus pœnitentiæ non in vna ſede commorantur. Adhuc in tenebris conſtitutus, ſeu in ipſo tempore, quo à Creatore auertebar, ad ipſum conuerti curabam, ſimul quodammodo cupiens & apud Creatorem, & apud creaturas commorari: Impoſſibile omnino eodem puncto peccatum, & pœnitentiam menſurari: ſed hac exaggeratione oſtendo, quàm ſit maturanda pœnitentia. Circumciſus itaque Ieſus ipſo eodem tempore, quo peccatori ſimilis apparet, noſtræ medetur ægritudini, dicente Bedâ: (Beda.) *Circumciſione, quam ſuſcepit, non ſua, quæ nulla erant, admiſſa purgauit; ſed noſtra in ſe natura vetuſtatem docuit innouandam.* Innouandam vtique (ſi fieri poſſet) tunc, cùm vetuſtate laborat, vt eandem quodammodo nouitas, & vetuſtas ſedem obtineant.

62. *Te ante tempus pœnitendi pœniteat.* Eccl. 51. Eccleſiaſtici conſilium prorſus ſalutare: *Operamini opus veſtrum ante tempus, & dabit vobis mercedem veſtram in tempore ſuo.* Cap. 51. Quonam modo *ante tempus* opus noſtrum præſtandum? Num ante obitus tempus pœnitentiam agere debeamus? Ita planè. Sed accommodatius inſtituto ante tempus pœnitentię iubemur pœnitere. Mentem expendo. Actio ipſa peccati minimè tempus pœnitentiæ eſt; quia non eâdem viæ arreptione, & à Deo recedimus, & ad Deum redimus. Prodigus primùm in regionem longinquam à Deo recedens proficiſcitur, poſtmodum in domum paternam regreſſus eſt. Poſt actionem, ſeu tempus culpæ, tempus pœnitendi. Docet itaque Sapiens, quàm velociter ſit nobis pœnitentiæ ſtudium aſſumendum, ſi quodammodo deberemus de peccato dolere, cùm ipſum perpetramus. Ad quem ſenſum magnum allicio Gregor. homil. 12. in Euang profantem: (Gregor.) *Si sciret quiſque de præſenti ſæculo quo tempore exiret, aliud tempus voluptatibus, atque aliud pœnitentiæ aptare potuiſſet.* Quaſi hinc concludat: Quia ignoramus exitus tempus, non debemus aliud voluptatibus tempus aptare, aliud pœnitentiæ, Sed, ſi fieri poſſet, idem tempus & voluptatibus, & pœnitentiæ adeò eſſet (poſitâ hominum ad voluptates deuiatione) tribuendum, vt ſi malè ſanâ (proh dolor) voluptate fruereris, ſimul & pœnitentiæ carpereris affectu.

63. *Sæpe peccandi tempore morte corripimur.* Rationem requiris? Ea in promptu adeſt. Non ſemel ea ipſa peccandi actio nouiſſimam vidit calamitatem, nec aliud nobis pœnitudinis tempus exhibetur. Ioannem audi: *Væ, væ Ciuitas illa magna Babylon, quoniam vna hora venit iudicium tuũ, & poma deſiderij tui diſceſſerunt à te.* Apocal. 18. (Apoc. 18. Aret.) Vbi Aretas idem ait eſſe *poma, ac opportunitatem.* *Poma* deſiderij Babylonis quid niſi voluptates? Quid niſi pœnitentiæ occaſio *opportunitas?* Quęrimus, quonam modo & voluptatis affectus, & pœnitentiæ ſtudium poſſint copulari? Hac exaggeratione innuitur, quàm illicò nobis ſit à caſu ſurgendum. Deberemus (ſi poſſet fieri) dum iniuſtè voluptati vacamus, dare ſimul operam opportunitati ad pœnitentiam exhibitæ. Quare? *Quoniam vnâ horâ venit iudicium.* Hoc eſt, ſæpè eâdem horâ, quâ fruimur voluptatibus, intempeſtiuo caſu corripimur.

64. *Dum cadis, reſurge.* Prouer. 24. Proh iuſtorum prudentia! *Septies in die cadit iuſtus, & reſurgit.* Prouerb 24. Septies, id eſt, ſæpe ſæpius grauiter fortaſſe delinquit. Si toties cadit, quonam modo iuſtus appellatur? Tam velociter reſurgit, vt quodammodo nomen iuſti videatur retinere quaſi eodem tempore cadens, & reſurgens. Pulchrè Paſch. 2. in Matth. (Paſchaſ.) *Cadit quidem iuſtus per varios delictorum exceſſus, ſine quibus noſtra mortalitas non ſubſiſtit; ſed reſurgit illicò per humilem confeſſionem. Alioquin non iuſtus intereà cenſeretur, dum incideret, ſi non iuſtificatus continuò veniam reſumeret.* Illud expendo: *Non iuſtus intereà diceretur dum incideret.* Dum incidit, iuſtus cenſetur? Nonne aptiùs iuſtus cenſeretur poſt reſurrectionem? Concurrunt duo velociſſimi curſores, quorum vnus læſus offendiculo cadit, ſed tam velox aſſurgit, vt vix nobis in mentem veniat eum incidiſſe: vnde illi ipſa actió ſeu tempus cadendi, quodam modo actiò, ſeu tempus reſurgendi oſtentatur. Annon, quemadmodum de quibuſdam peccatoribus Vates, *Deieciſti eos, dum alleuarentur.* Pſalm. 72. (Pſalm 72.) de excidentibus iuſtis poſſumus affirmare? Eleuaſti eos, dum dejicerentur; quia ſicut in illis *illud eleuari* (cum Auguſtino loquor) (Auguſt.) *iam deiici eſt*: in iſtis illud dejici, iam eſt quodammodo eleuati. Exaggeratio quidem pulchrè perficiens argumentum.

65. Multis equidem rationibus allicimur ad pœnitentiæ maturitatem. Sed illa non mediocriter videtur

Google

*Aſſurge ilicò, ne bene operandi omittas dexteritatem.*

videtur vim nobis inferre; vt videlicet antè actæ laudabiliter vitæ non omninò obliuiſcamur. Nam qui longo temporis interuallo permanet in culpa, cùm, Deo præſtante, ad gratiam reſurgit, immemor iam exercitamenti virtutum, nouæ facilitati inquirendæ debet operam nauare. Lapſo Epiſcopo Ieſus: *Memento vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac.* Apoc. 2. Duo iudicantur, lapſus & obliuio; duo ſuadentur, pœnitentia, & primorum operum exercitamentum. Qui non illicò ſurgit, quaſi oblitus eſt gradus, vbi commorabatur, nec ſcit quò tendat, amiſsâ bene operandi dexteritate; vnde difficilis huiuſcemodi delinquenti pœnitudo. Paſch. ad hæc: *Omnis qui manet in morte neſcit quò eat; quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius.* Quare neſcit *quò eat?* Quia manſit in morte, non per tranſennam, ſed diu apud crimina lethalia commoratus, neſcit quò tendat, prioris gradus oblitus. Vnde accuratè debet ad memoriam reuocare, ex quonam exciderit faſtigio. *Memento vnde excideris*, vt ad priſtinum gradum non quidem meritorum, quæ per pœnitentiam reuiuiſcunt, ſed dexteritatis ad rectè operandum non ſine ingenti difficultate peruenias. Ideo adiicitur: Prima opera fac, vt ſcilicet dexteritas operum recopilatione acquiratur. Hinc Naſo l. 1. de remed.

Apocal. 2.

Paſchaſ.

*Sed propera, nec te venturas differ in horas.*
*Qui non eſt hodie, cras minus aptus erit.*

Quia videlicet aſſidua prouolutione eam amittit dexteritatem, quâ faciſſimè ad iuſta quæque deferebatur.

## OBSERVATIO IX.

### Ad illa verba:

*Poſtquam conſummati ſunt dies.*

### Circumciſio propera Ieſu ante præcepti anguſtias cogit nos, vt ſaltem debito tempore promptè obediamus.

*Quia Principe pluſquàm obſeruatore legis, ſubditus iuſtus obſeruator exurgit.*

66. AMBROSIVS ad hæc: *Quis circumciditur Puer, niſi ille, de quo dictum eſt*: Puer natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis, cuius imperium ſuper humerum eius? *Factus eſt enim ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant, lucrifaceret.* Imò pluſquàm ſub lege effectum contemplor, dum eum obiicio ante terminatum diem à lege conſtitutum, circumciſioni parère. Legis limites prælatus obedientiæ perfectione tranſiliat, ſeu pluſquàm obediens oſtendatur, vt ſubditi ad libram legi pareant.

67. Abrahæ exemplo confirmabo: *Tolle* (inquit Deus) *filium tuum vnigenitum, quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis, atque ibi offeres eum in holocauſtum.* Subiicit illicò Moſes: *Igitur Abraham de nocte conſurgens, &c.* Gen. 22. Vbi Abul. *Hic ponitur Abrahæ obedientia. Fuit enim iſta reuelatio facta de nocte, & Abraham, quia valde obediens erat, non expectauit diem, ſed immediatè conſurgens cœpit tradere executioni.* Et cur, ô virorũ fideliſſime, non expectas ſolis exortum? An præceptum tibi, vt noctis articulo conſurgas? Minimè. Siſte ergo vſque ad plenam noctis conſummationem. *Valde obediens erat Abraham*, quia Ieſu referens imaginem, tempus non expectat præſcriptum, vt commodè filium ad necem adduceret: quemadmodum Ieſus non expectauit diei terminationem, vt circumciſionis vulnere afficeretur. Iam do quæſtioni, num pater filium renuentem colligarit? Reſpondet Abulenſis: *Non eſt putandum, quod Abraham ligauerit Iſaac inuitum; quia potentior erat Iſaac ſuo patri.* Vndenam allicitur adoleſcens ad promptè obediendum genitori, manuſque ad pedes voluntariis vinculis offerendum? Profectò Iſaac, patre aperiente, cognouit ſe cogente præcepto moriturum eodem tenore, quo proceſſit: vnde promptè paruit, quia ſibi parentem propoſuit pluſquam obedientem, aſſurgentem de nocte ante præcepti inſtantiam, pluſquam celerem, pluſquàm promptum. *Valde obediens erat.* Quid ſi Ieſum in parente contemplaretur?

*Abrahã pluſquã obedit, vt Iſaac obediens oſtendatur.*

Gen. 22.

Abul.

Ioſue Moſis miniſter appellatur. Exod. 24. Num. 11. Deut. 1. Succeſſor eiuſdem conſtituitur. Num. 27. O quàm meritò, qui ſeſe obedientem præſtiterat, in magiſtratus munus aſſumitur! D. Ephr. *Ieſus filius Naue perfecta ſua obedientia tantum donum promeruit, vt Moyſis ſucceſſor fieret.* Illud pondera: *Perfecta ſua obedientia.* Quia non ſolum obedire didicerat, ſed perfectè obedire, vltra debitum ſcilicet tranſiliẽs, ad prælaturam eleuatur. Deus ſic eum ad præſtandum obſequium inhortatur: *Confortare, & eſto robuſtus valde, vt cuſtodias, & facias omnem legem.* Ad imperandum autem in hunc excitat modum. *Confortare, & eſto robuſtus, tu ſorte diuides populos.* Ibid. Vbi acutè Caietan. *Bis dicit ad Ioſue verba: ſemel relatiuè ad diſtribuendum ſubactam terram filiis Iſrael: iterum relatiuè ad cuſtodiam legis, & hac vice adiunguntur duæ dictiones, Confortare, & Robora te valdè.* Ac ſi diceret, vt obedias eſto robuſtus valde, ſiue, ſis *valde obediens*, inſtar Abraham. Non autem opus eſt tantâ virtute ad imperandum, quia ſi te valdè obedientem Deo viderint ſubditi, promptè ipſi præſtabunt obſequium. 68.

*Aſſimile Ieſue exemplo.*

Ephr.

Ioſ. 1.

Caietan.

Prælationis munus Dominus iniuncturus Petro, ait; *Simon Ioannis, diligis me plus his?* Cui Apoſtolus: *Etiam Domine, tu ſcis, quia amo te.* Quod cùm ſæpè Ieſus replicaret, ſimiliter reſpondet Eccleſiæ Præſul, Ioann. 21. D. Thom. *Simon obediens, Ioannes gratia Dei, quaſi obediens gratia Dei.* Profectò Ieſus curat oſtendi Apoſtolum *plus his*, ſeu præ omnibus amantem, obedientem. *Nam licèt reſponderit Petrus*; Etiam Domine, tu ſcis, quia amo te, (cum Auguſtino loquor) *non autem addidit, Pluſquàm his.* Cùm autem Dominus, aperiente Petro, vellet manifeſtari obedientiam Petri eſſe omnium præſtantiſſimam, non ſemel eandem replicat quæſtionem. Oſtendo iam, quare de præſtantia obedientiæ Simonis ſolicitus Magiſter appareat. Singulis interrogationibus Domi- 69.

*Petro plus quàm obediente, ſubditi obediunt ad libram.*

Ioann. 21.

D. Thom.

Auguſt.

Dominus adiicit: *Paſce oues meas, Paſce agnos meos.* Omnium equidem prælationis munere fungens, obedientiſſimus deprehendendus eſt; vt, pluſquàm à lege præſcribitur, operante magiſtro, ad æqualitatem ſubditus legi ſatisfaciat.

70. *Centurioni vltra debitū ſeruus ſubmiſſo ſerui parent.* Matth. 8.

Fidelis Centurio ſuum ſic deſcribit præſulatum: *Domine, non ſum dignus, vt in domum meam intres; ſed tantùm dic verbo, & ſanabitur puer meus. Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites.* Matth. 8. Vim illius particulæ expono: *Habens ſub me milites.* Milites ſub te conſtituens, ſub militum teneris poteſtate? Hugo Card. *Prælatus debet conſiteri ſe eſſe ſub altero.* Rom. 13. *Omnis anima poteſtati ſublimiori ſubdita ſit.* Ac ſi diceret Centurio: Milites meæ ſubduntur ditioni, promptè obtemperant; *Dico enim huic, vade, & vadit; & alij, veni, & venit.* Nec à meæ voluntatis executione poterant remoueri, qui me prælatum ſibi vident obtemperantem, ac ſub poteſtate conſtitutum. D. Bernard. Epiſt. 42. *Dedignatio ſubiectionis prælationis reddit indignum. Videant in vobis ſubditi, quid redhibeant,* ſeu reddant. Id enim reddere debent ſubditi, quod à prælato accipiunt. Accipiunt obſequium à prælato? Hoc proculdubiò tenentur redhibere. *Quàm pulchrè*, ſubdit, *locutus eſt beatus ille Centurio: Ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites.* Id eſt, milites me ſub ſe continent obſequentem, vti milites ſub me contineam, qui quidem me pluſquàm obedientem obiicientes, non poſſunt non iuſtos ſeſe meorum præceptorum oſtendere obſeruatores. Illuſtro argumentum ex Solonis proloquio. Solon percontatus (ait Stob. Serm 41.) quâ ratione ſalua poſſet eſſe Ciuitas, reſpondit: *Si ciues obtemperent ſuis Magiſtratibus, Magiſtratus autem accuratius Regibus.* Illud: *Magiſtratus accuratius Regibus*, non ſine pondere dilabatur.

Hugo.

Bernard.

Stob.

71. *Chriſto ſub creaturis cōſtituto creaturæ obſequuntur.* Phil. 2.

Redeo ad Ieſum. Paul. *Semetipſum exinaniuit, factus obediens vſque ad mortem; propter quod & Deus exaltauit illum, &c. Vt in nomine Ieſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium & infernorum.* Phil. 2. E quonam, quæſo, exemplo excitantur cælicolæ, & inferni habitatores ad obedientiam? Num quia Ieſus æterni Patris voluntati ſeruit, an quia obedientiæ cultor erga parentes Mariam & Ioſeph, erga Præſidem oſtentatur? Certè non ex illo capite, quod Patri obtemperat cæleſti, nos excitat ad obediendum præpoſitis: (nec enim mirum ſi iuſtam Dominus, debitámque obedientiam exhiberet Genitori) ſed quia ſubditus hominibus, plus iuſto, plus debito exequitur. Excogitauit pulchrè Caietanus: *In hoc, quod Deus factus eſt homo, Deus filius Patrem non ſolum exiſtimauit, ſed fecit maiorem ſe, faciendo ſe minorem. Non inde propenſiores ad obedientiam ſumus, Ieſus namque ſoluit, quod debuit. In hoc autem, quod factus homo, humiliauit ſemetipſum ſub lege, ſub parentibus, ſub Præſide Pilato, propenſioris humilitatis, & obedientiæ noſtræ exemplum fuit.*

Caietan.

# OBSERVATIO X.

Ad illa verba:

*Poſtquam conſummati ſunt dies.*

## Circumciſionis Ieſu ſupererogatoria, ſiue ex abundantia, maturitas, cogit nos ad operum huiuſcemodi exercitamenta.

*Quia opera ex abundantia in Præſule ſubditorum exigunt imitationem.*

DEMVM anticipatiuè Ieſus vulnere hodie oſtentatur affectus, vt opera non ex debito, ſed ex abundantia nobis commendaret. Supererogationis profectò, ſiue ex abundantia opus, priuſquàm ſub fine diei præcepti neceſſitas vrgeret, anticipatiuè exordiente die, gladij ictum ſuſtinere. Priuſquàm vrgeat præceptum, anticipatiuè ieiuna, peccata aperi ante annuæ confeſſionis obligationem, menſæ inhære Euchariſticæ, anticipatiuéque ad extremam indigentiam manum inopi adaperi. Debetur hoc ſanè Ieſu & circumciſionis cultro vulnerato, & antè temporis inſtantiam legis, quâ non tenebatur, obſeruatori. 72.

Eſuriens aliquando acceſſit ad ficum, *Si quid fortè inueniret in ea, & cùm veniſſet, nihil inuenit præter folia; non erat enim tempus ficorum.* Matth. 11. Ficus ô Domine, requiris, cùm ficorum opportunitas aut elapſa, aut non mox aduentatura? Num in pecuniæ penuriâ largum ante ſolutionis tempus exigis debitorem? Ficum, vlterius maledictione afficis, quod extrà tempus fructibus non reperiatur onuſta? Quorſum talia? Doctores antiqui, & moderni multi ſunt in reddenda maledictionis huiuſce & literali, & myſtica ratione. Nouam, ni fallor, dabo inſtituto noſtro conuenientem. Dionyſius etenim Carthuſ. cauſam obiiciens, quare Dominus iuſſerit ficum velut inutilem areſieri, cùm nondum ficorum opportunitas aduentaſſet, inquit, *Reſpondendum, quod Dominus famem anticipatiuè aſſumpſit.* Ac ſi diceret, Chriſtus antequam paſſionis ſubeundæ tempus à Patre deſignatum appropinquaret, voluntariè famem pati non dedignatur, vti Matthæus ait: *Manè eſuriit, & videns fici arborem, &c.* Eſuriit, inquam, manè, vt opus hoc ex abundantia exiſteret ſui incredibilis erga nos amoris documentum. Si igitur Ieſus manè eſurit ante veſperæ illius tempus crudeliſſimū, quid ſi tu anticipatiuè, ante tempus operis ex præcepto efficiendi, ô ficus fatua, tanto Principi libes deuotionem! 73.

*Ante famis tempus eſuriens Ieſus fructuū tempus exit fructus.* Matth. 11.

Carthuſ.

Annon anticipatiuè Dominus eſurit, vt operibus anticipatiuè effectis illum reficiamus? Diuus Chryſoſtomus audiendus: *Eſt in arbore fici ſimilitudo hominis, ad quem Dominus eſuriens venit. Quid autem eſurit in te Dominus? Tu operaris, & Dominus paſcitur; tu obſequeris, & Dominus ſaginatur.* 74.

*Huiuſmodi operiꝰs Ieſus paſcitur.* Chryſoſt.

*natur.* Fructus ſanè præcoces debentur illi, qui amans hominum anticipatiuè eſurire dignatur.

75\. *Aquam libauit Dauid Ieſu ante tempus ſitienti.*

Siti olim belli excitatâ feruore Dauid vrgebatur Quod cùm ad extinctionem illius aquam de ciſtercâ Bethleemiticâ expeteret, datum ei optatis frui trium fortiſſimorum militum miniſterio. At cùm Rex fortior planè operam daret ſe vincendo, quemadmodum milites pericula ſuperando, aquam minimè hauſit, ſed prompto animo *libauit eam Domino.* 2. Reg. 3. Et cur non epotauit? Propheram ex Bethleem ciſternâ ad Pueri Bethleemitici contemplationem eleuatum reor. Eum profectò ſibi obiecit, & in natiuitate, & in circumciſione ſiti vexatum. Vnde cecinit ipſe ex ore Dominico, *Cucurri in ſiti.* Pſalm. 61. Vbi Auguſt. *Vſque in finem ab initio currit, & ſitit.* Si manè eſuriebat noſtræ anxius ſalutis, iam manè ante perfectum diem octauum ſitis ſtimulis effundendi ſanguinem agitatur. Opus itaque hoc ex abundantia conſecrat Dauid Domino ſupererogatoriè ſitienti. Pulchrè Ambroſ de Iacob. cap. 2. *Profudit aquam Domino, vt oſtenderet, quod concupiſcentiam ſuam Verbi conſolatione reſtingueret.* Et quænam ſitis non expleatur ſiti Pueri Bethleemitici menti expoſitâ?

2\. Reg. 3.

Pſal. 61. Auguſtin.

Ambroſ.

*Maturauit Abraham ſacrificium, Ieſu circumciſionem maturante.*

Gen. 22. Ambroſ. Lyran.

Iugulaturus Abraham filium, non expectatâ aurorâ, ſeſe accingit itineri. *De nocte conſurgens,* Geneſ 22. Heb. *Et anticipauit Abraham in mane.* Ambroſ. *Exurgens autem non ſolùm ſequenti die, ſed etiam diluculo.* Quare tam anticipatiuè exurgit? Reſpondet idem Pater, *Prophetauit.* Quid, Huiuſmodi planè anticipatum opus deberi ei, qui anticipatiuè ſimiliter ſurgere conabatur. Mentem expono ex Lyrani myſtica interpretatione: *Per Iſaac,* inquit, *qui interpretatur, Riſus, ſignificatur Ieſus, in cuius natiuitate riſum fecit nobis Deus, Angelo inclamante: Ecce euangelizo vobis gaudium magnum: Per Abraham, qui interpretatur, Pater multarum gentium, intelligitur Deus Pater, quem charitas, qua Deus eſt, tentauit, hoc eſt. ad offerendum Filium ſuum vnigenitū induxit. Igitur Abraham de nocte conſurgens, id eſt, Deus Pater,* attende, *vetus Teſtamentum quantum ad legalia relinquens.* Et quando de nocte, ſeu diluculo Pater ſurrexit, vt legalia relinqueret, niſi in Ieſu circumciſione, vbi auctore Epiphanio circumciſionis legalis acies hebetatur? Si igitur ante tempus debitum, ante diei octaui conſummationem diluculo primo Pater exurgit ad Filium vulnerandum: quid prophetans Abraham non exurgat *de nocte,* non *anticipet in mane?*

Mirum, ſi tantum opus non in Abrahæ filia effulſiſſet. *Poſtquam impleti ſunt dies purgationis* 77.
Mariæ *ſecundum legem Moyſi, tulerunt* Ieſum *in Hieruſalem.* Luc. 2. Duplici ex capite opus hoc ex abundantia fuit. Vno, quia lege Virgo non illigabatur. Tit. Boſtr. *Eleganter Euangeliſta procedit, quod impleti ſunt dies purgationis eius ſecundum legem Moyſis. Nam re vera non incumbebat neceſſitas Virgini ſacra, vt dies purificationis expectaret.* Altero, quia non ſolùm legi paruit, poſtquam conſummati ſunt dies; ſed, vt ritè potuit, poſt dierum expletum numerum, quadrageſimi diei aurorâ templum ingreſſa eſt. Vnde notanter Toletus: Expleto (ait) dierum numero, &c. Expleri autem dies, non idem, ac dierum numerum expleri, ſicuti de octo dierum circumciſionis expletione ſeu conſummatione expoſuimus. Iam quæris, cur anticipatiuè Deipara purificanda properauit? Equidem à die circumciſionis expectauit Maria purificationis tempus, quemadmodum Ieſus à natiuitatis articulo circumciſionis diem expectauit. Bernard. Ser. 1. *Chriſtus octauam diem a natiuitate ſua expectat, vt ſuum ſibi impendere ſanguinem inciperet.* Expectat vtique in morem ægrotantis horam, quâ poculi ſit refrigerio donandus. Debet ergo Ieſu affectui Deipara à circumciſionis die quadrageſimum purificationis diem adeò expectare, vt primo diei crepuſculo, vt ritè poſſit, ſe legi ſubiciat, in morem expectantis. Ad quem ſenſum allicio Cyrillum apud D. Thom. profantem: *Poſt Circumciſionem expectatur à Deipara purificationis tempus.*

*Maria expectat purificationis tempus, quia Ieſus circumciſionis horam expectauit.*

Luc. 2. Titus.

SECTIO SECVNDA.

# Circumciſionis Ieſu, certitudo & ambiguitas.

## *TEXTVS.*

Vt circumcideretur.

## *COMMENTARIVS LITERALIS.*

### § I.

### *An conſtet ex Luca Ieſum circumciſum?*

IAM conciſus Euangelicus ſermo de Circumciſionis myſterio vt non ſolum ſilentio locum, quo fuit Puer vulnere affectus, circumciſionis miniſtrum, cæterum pertinum vulneris inſtrumentum, præputium ſacratiſſimum reliquum nobis è circumciſione theſaurum prætererit, ſed tacitus omnino pretermiſiſſe ipſam circumciſi Pueri veritatem videatur. Vndè omnia hæc ſigillatim expendam. In primis autem Infantis circumciſionis

culto

cultro vulnerati veritatem adſtruo, hinc enim reliquæ aſſurgunt dilucidandæ quæſtiones.

2. *Videtur non conſtare.* De fide certum Ieſum circumciſum fuiſſe. Vndenam conſtat? Ita equidem vniuerſa intellexit Eccleſia verbum hoc: *Vt circumcideretur Puer.* Profectò ſi verborum tenori attendamus, vix ex præmiſſis verbis conſtare videtur Ieſum fuiſſe circumciſum. Euangeliſta etenim factâ mentione diei ad circumciſionem aſſignati, tranſitum fecit ad nominis impoſitionem, nec expreſsè affirmaſſe apparet Puerum vulneratum.

3. *Proculdubiò affirmauit.* Affirmauit id proculdubiò Lucas, ſed diuerſimodè veritatem hanc è textu Doctores eliciunt. Ammon. Alex. Ambroſ & alij ſic. *Poſtquam conſummati ſunt dies octo*, id eſt, poſtquam aduenit dies octauus circumciſioni puerorum indictus:& poſtquam in illo circumciſus eſt Puer, illi Ieſu nomen impoſitum eſt. Nam quia cõſuetum erat,& lege præſcriptum, vt infantes circumciderentur, ideò Euangeliſta potius id tanquam indubitatũ, manifeſtúmque ſupponere, quàm diſertè narrare viſus eſt. Quia verò nominis impoſitio propria,& peculiaris fuit, ideò de illa diſtinctiùs ſcripſit. Quod ſi textũ Græcum expendas, id apertiùs indicatur. Additur enim coniunctio, *Et*, hoc modo: Καὶ ὅτε ἐπλήσθησαν ἡμέραι ὀκτὼ τοῦ περιτεμεῖν τὸ παιδίον, καὶ ἐκλήθη τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἰησοῦς. *Poſtquã conſummati sũt dies octo, vt circũcideretur Puer, & vocatum eſt nomen eius Ieſus.* Illa enim dictio καὶ copulatiua manifeſtè ſupponit (Suario 3. p. diſt. 15. ſect. 1. auctore) illum circumciſum eſſe, & prætereà eidem impoſitum nomen Ieſu. Preſſius Caietanus, *Deeſt*, inquit, *coniunctio*, *Et. Unde apparet, quod textus conciſus eſt. Et vocatum nomen eius Ieſus.* Suar.

4. *Auctoris mens.* Enimverò nullum opinor verbum eſſe ſubintelligendum, aut coniunctionem ſupponendam; ſed ſententiam omnino in illo terminandam: *Vocatum eſt nomen eius Ieſus.* Nam cùm certum ſit in circumciſione nomen pueris imponi ſolitum, (vti inferius oſtendam) tantundem fuit, dixiſſe Lucam, conuenienti ad circumciſionem tempore Ieſu nomen impoſitum, ac fuiſſe circumciſum, apud noſtrates haud nomen accipit infans niſi cùm aquâ intingitur ſalutari. Si indicare contendas filium tuum heri fuiſſe ſacrâ dilutum vndâ, apertè innues, dum proferas; Heri puero meo nomen impoſui. Quis non intelligat ſacro eum fonte ſubmerſum, aquâ aſperſum ſacratiſſimâ? Lucas igitur expreſsè oſtendit Infantem noſtrum circumciſum, dum affirmat, impleto dierum octonario, quando puer circumciſionis vulnus ſuſtinebat, impoſitum ei fuiſſe nomen Ieſu; quod quidem iuxta Hebræorum conſuetudinem nullatenus niſi poſt cultri ictum imponeretur.

## §. II.

### *Vbinam Puer circumciſus?*

5. QVidam in Synagoga factam fuiſſe Ieſu circumciſionem exiſtimant, ei hærentes fundamento, quod Iudæi nunc in Synagogis circumcidunt. Queis equidem affirmantibus ſe id præſtare, quia olim ita effectum, non adhibenda fides vtpote tenebris infidelitatis obcæcatis: præcipuè cum Scriptura circumciſionem non in Synagogis, ſed in domibus, aut locis aliis extra Synagogas factam eſſe commemoret. Nonne Abraham vnâ die ſe, & Iſmaelem, vernaculos, cunctóſque domeſticos non in Synagoga, quæ tunc non erat, ſed domi circumcidit? Gen. 17. Num Sephora in diuerſorio, dum iter ageret, filium non petrâ vulnerauit, ne incircumciſus ab Angelo interficeretur? Exod. 4. Annon Ioſue circumcidit Iſrael filios in valle præputiorum? Ioſ. 5. Non igitur vllus locus ſpecialiter à lege præſcriptus, in quo circumciſio celebraretur.

Hinc minùs probabiliorem D. Hilarij cenſeo opinionem docentis in Templo Hieroſolymitano Dominum de more circumciſum: *In hoc*, inquit, *octauo dierum numero cùm Chriſtus circumciſione non egeret, oblatus in Templo eſt, vt in corpore eius humana carnis recideretur infirmitas.* Moueor, quia ante diem quadrageſimum à natiuitate ad Templum infans minimè adducebatur. Prætereà non poſſent infantes omnibus ex locis, vbi Iudæi commorabantur, intra octo dies ad Templum Hieroſolymitanum peruentare, ſi de more ſentit Pater commune Ieſu, & omnibus ad Templum causâ circumciſionis adduci. 6. *Haud in têplo.*

Obſtat Lucæ noſtri teſtimonium. Enarrás enim Ioannis circumciſionem, ait, *Et factum eſt in die octauo venerunt circumcidere puerum.* Cap. 1. Venerunt ſiue ad Synagogam, ſiue ad Templum. In domo ergo minimè circumciſio peracta. Imò cõtrarium prorſus ex hoc loco deducam. Si enim in Synagoga aut in Templo circumciſio eſſet celebrata, dicendum erat: Tulerunt Puerum, vt circũciderent eum, ſicuti de Ieſu affirmatur inferius, *Tulerunt Puerum, vt ſiſterent eum Domino.* Luc. 2. Quia in Templum, vt præſentaretur, portabatur. At dum dicitur: *Venerunt circumcidere Puerum*, ſignificatur, ad locum, in quo puer manebat, ventum eſſe, vt circumcideretur. Adde verbum: Venerunt, non ad Ioannis parentes referendum; ſed ad illos foris commorantes, vicinos vtique, qui causâ ſolennis circumciſionis aduenerant, de his namque ſtatim adiungitur, *Et vocabant eum nomine patris eius Zachariam.* ibid. 7. *Obiectioni reſpondetur.*

Tota iam controuerſia in eo ſiſtit, an Ieſus circumciſus apud domum Ioſeph, vel in ſpelunca Bethleemitica? Nicephorus lib. 1. cap. 12. in domo Ioſeph Ieſum circumciſum affirmat. Sentio tamen in ſpelũca, ſeu domo Bethleemitica Ieſum ſanguinem ſacratiſſimum circumciſionis accepto vulnere, profudiſſe. D. Epiphan. hæreſ. 2. *Chriſtus natus eſt in Bethleem, circumciſus in ſpelunca, oblatus in Hieruſalem.* In ſpelunca, inquam, id eſt, circa præſepium in communi diuerſorio, vbi à Magis poſtmodum adoratur. Huius ſententiæ validum fundamentum, quia (vt oſtendit Suar.) Deipara vſque ad Purificationis tempus ab ſpelunca, ſeu communi diuerſorio non receſſit. 8. *Auct. ris expoſitio.*

## §. III.
## Nullus Circumciſioni locus aſſignatus.

### *Vbi ſpiritualis Circumciſionis ſeu Confeſſionis facilitatem exprimo.*

VIdimus nullum à lege præſcribi locum, vbi Circumciſio celebrari deberet, quia & in domo, & in agro, & quouis in loco legimus Hebræorum infantes circumciſionis vulnere affectos. Et quàm iuſtè, ſi Circumciſionis Sacra- 9.

mentum non ſolùm noſtrum Baptiſma, ſed & pœnitentiam figurabat. Nullus ſpecialis pœnitentię, aut confeſſioni delictorum locus deputatur, vti hinc pœnitentiæ ac Confeſſionis facilitas valeat commendari.

10. *Sex Ciuitates refugij vbique peragendæ pœnitentia typus.* Num. 35. Cuius equidem geſſit Dei prouidentia typum circa ciuitates ad peccatorum refugium aſſignatas. *De ipſis* (inquit Deus) *oppidis, quæ Leuitis dabitis, ſex erunt in fugitiuorum auxilia præparata, vt fugiat ad eas, qui fuderit ſanguinem.* Numerorum capite trigeſimo quinto. Quidnam, obſecro, ſex præſcriptæ Ciuitates portendebant, niſi pœnitentiæ virtutem, & facilitatem? Præmitto pulchram Rabani allegoriam, & ominantis Vrbes, & earum inouentis ex appellatione myſteria. (Raban.) *Si fortè* (inquit) *pro conſcientia peccatorum Ciuitates terræ promiſſionis, id eſt, Eccleſiæ non audes intrare:* ſex tibi refugij Vrbes à lege præſcribuntur. Nonne prima *Boſor*, id eſt, *Anguſtia? Eſt Boſor citra Iordanem, quæ interpretatur Anguſtia, quæ bene eſt de Tribu Ruben, eius ſcilicet, qui patris thorum maculauit.* Secunda *Ramoth*, ſeu *Excelſa mors. Eſt Ramoth de Tribu Gad, quæ interpretatur excelſa mors; verè enim excelſa mors pœnitentia dicenda eſt, cum mortificatis membris, ducitur homo ad excelſa cæli, vnde excidit.* Tertia *Gaulon* ſeu *Volutatio.* Dictæ aperit myſterium: *Eſt Gaulon in finibus Manaſſe, qui interpretatur Obliuio, vt obliuiſcaris, quæ feciſti, & ad meliora te extendas.* Iam quartæ *Cades* ſcilicet, ſeu *Sancta* typum expendit. *Sed ſi quid vtiliter egeris, ad Cades poteris peruenire, quæ interpretatur ſancta, vt cum in tribulatione opus corruptionis abieceris, ad ſanctam tibi Eccleſiam tribuatur acceſſus, vt in ſorte Nephtali, quæ dicitur vitis, Dominicum ſanguinem participare merearis.* Quintæ *Hebron* videlicet, ſiue *Coniugium* pendit allegoriam: *Hebron quoque tibi patebit, quæ interpretatur coniugium; reuertetur enim anima tua ad ſponſum ſuum; quem amiſerat per peccatum.* Sextam denique *Sichem*, ſeu *Humerus, ac labor,* ſic deſcribit: *Tandem vero Sichem intrabis, quam Ioſeph noſter ſibi in hæreditatem elegit, in qua & ſepultus eſt, & interpretatur Humerus, vel labor. Vt oſtendat te per laborem pœnitentiæ ab errore tuo humeris Chriſti reportatum & nonaginta nouem ouibus adiunctum, effectum eſſe centeſimum; quia Sichem ab alienigenis comparata eſt centum agnis.* En ſex refugij Vrbes & affectus & effectus pœnitentiæ apprimè deſignantes.

11. *Confugiendi ad huiuſmodi Ciuitates ſeu peragendæ Confeſſionis facilitas.* Num. 35. Lyran. Iam pœnitentiæ facilitatem ex harumce vrbium ſpeculatione oſtendo. *Tres* (inquit lex) *erunt trans Iordanem, & tres in terra Chanaan.* Numerorum capite trigeſimo quinto: Terra Chanaan, id eſt, citra Iordanem. Lyranus, *Licet trans Iordanem habitarent tantum duæ tribus cum dimidia, tamen tot erant ibi Ciuitates refugij, quot erant citra Iordanem, vbi habitabant nouem Tribus cum dimidia.* Perquiro, cur Vrbes æqualiter non reſpondeant tribuum numero? Annon tribubus nouem cum dimidia, quatuor ſeu quinque Vrbes refugij aſſignari deberent, vna vel altera duabus cum dimidia tribubus ad reſeruata? Reſpondet appoſitè Rabbi Salomon, *Quia in terra Galaad, quæ erat trans Iordanem, habitabant homines, qui erant proni ad effuſionē ſanguinis.* (R. Sal.) Oſeas 6. *Galaad ciuitas operantium dolorem; ſupplantata ſanguine.* Hebr. *Torcular ſanguinis.* Magis igitur indigent ex familia exigua multi peccatores medicamine, quàm plurimorum ciuium exigua delinquentium caterua. Ingēti ergo peccantium cœtui ex duplici tribu & dimidia tres refugij Vrbes præparantur, vt faciliùs ad myſticum pœnitentiæ lauacrum accurrant. Aliam tradit Lyran. rationem argumento non minus cōgruentem: *Quia terra trans Iordanem erat longinqua à templo Domini; ideò ibi multiplicabantur Ciuitates refugij.* Lyran. Non opus ad templum pœnitentiæ causâ properare, *in cubilibus veſtris compungimini.*

Enimverò ſi trans Iordanem ingens delinquētium caterua, cur omnes ibi non exædificantur ciuitates, vti vberior ſit eis ſeu refugij, ſeu pœnitentiæ opportunitas? An oporteret, ſi citra Iordanem flagitio aliquis capitali macularetur, per Iordanē nauigio tranſduci? Graue aliquibus, & difficile traiicere flumen, vnde hinc illinc refugij ciuitates faciliter incolis offerunt delinquentibus immunitatem. 12. *Ideò non omnes vrbes hæ trans Iordanem.*

Nec tanto benefactori Deo ſufficeret ſex vrbes aſſignaſſe refugij. Tres vlteriùs iuſſit fugientibus deputari. *Cùm autem* (ait) *dilatauerit Dominus Deus tuus terminos tuos, & dederit tibi cunctam terram, addes tibi tres alias ciuitates.* Num. 35. Cur nouem refugij vrbes præſcribuntur? Vt Hebræorum familiis vberioribus effectis ad expiationem myſticam facilior innueretur acceſſus. Optimè Caietan. *Dictum fuerat ſuperius, quod Deus non in primo ingreſſu daturus erat totam terram promiſſionis, & propterea Moyſes decernit, vt in primo ingreſſu definiant tres ciuitates refugij, vt ſanguis innoxius poſſit commodè ſaluari.* Maior equidem pœnitentiæ facilitas. Nec enim ad vrbes refugij tibi properandum, ſed in cordis cubiculo datur compunctionis opportunitas. Et tu ô laborans deſidiâ, *fingis laborem in præcepto?* 13. *Aliæ tres ob maiorem fugientium commoditatem deputatæ.*

## §. IV.

### *Quiſnam Circumciſionis Ieſu miniſter?*

CVm Circumciſio ſacramentum legis eſſet antiquæ, committēda ſolis Sacerdotibus, vel ſaltem Leuitis videbatur. Attamen cùm in Lege nullus extet locus, qui munus huiuſcemodi Sacerdotibus, aut Leuitis adſcribat, probabilius eſt, circumciſionis nullum peculiarem miniſtrum aſſignatum, vti docet Abul. Ioſ. 5. Feminis licitum cultro infantem ferire. Exod. 4 Sephora Moyſis vxor filium circumcidit. Et 1. Machab. 1. feminæ circumcidentes filios ſuos trucidabantur. Licet autem & viris liceret cultro vti legali, veroſimilius reputo feminas in hoc munere frequentes, cùm lego Sephoram petram acutiſſimam tuliſſe ad infantis circumciſionem, cùm autem non vxori, ſed Moyſi mortem Deus fuiſſet minitatus. 14. *Num licitū feminis circumcideret* Abul.

Circumciſus igiturne Puer à Ioſepho, an à Deipara? À Ioſepho affirmant communiter Doctores. Ego autem ſuperiori nitens fundamine, opinor à Matre Puerum vulnus accepiſſe. Num ad miniſterium huiuſmodi animus defuit Marię, qui Sephoræ adfuit? Quænā, obſecro, manus aut mollior, aut ſuauior manu Dei parentis? Num dignior aliqua, quæ carnem contingeret ſacratiſſimam? Quæ Deifico ſanguine tingeretur? Mecum ſentit Auctor libri de vera Circumciſione, qui inter D. Hier. opera extat: *Chriſtus* (ait) *octauâ die circumciditur* 15. *Deipara Ieſū circumcidit.* Hieron.

*cidit ur à Matre ; vtique quaſi homo, qui promiſſus fuerat ipſi Abrahæ.* Auctor item Lament. Virg.
Bernard. Bernardo adſcriptæ : *Virgo* (inquit) *Chriſtum genuit, lactauit, octaua die circumcidit.*

## § V.

### *Num culter lapideus?*

16. *Affirmatiua pars.* DVbium parit illa Sephoræ acutiſſima petra, num lapideo cultro Chriſtus fuerit circumciſus? Auget difficultatem generalis illa, celebriſque Hebræorum circumciſio poſt Iordanis tranſitum in Galgalis, de qua ad Ioſue Dominus, *Fac tibi cultros lapideos, & circumcide ſecundo filios Iſrael.* Ioſue cap. 5. Magiſt. Sentent. lib. 4. d. 1.
Ioſ. 5. Magiſt. Bern. *Fiebat circumciſio octaua die, & petrino cultro.* Sentit ergo Ieſum petrino cultro vulneratum. Expreſsè D. Bernard. ſermone 1. *Non repulit* (inquit) *Chriſtus cultrum lapideum, in quo ſolo vetus illa, quæ raderetur, rubigo non fuit.* Et Auguſt. cap. 31. *Petra erat Chriſtus, vnde circumciſionis cultellus petrinus.*

17. *Ambarum ſententia.* Iuſt. Mea ſententia èſt, lapideum cultrum non fuiſſe ad circumciſionem neceſſarium. Sequor D. Thom. Hugonèm Vict. Bonauent. & alios ex antiquis, & modernis. Iuſtinum Mart. audiamus, *Beati nos* (inquit) *qui alterâ circumciſione non cultris lapideis circumciſi ſumus. In veſtra enim circumciſione ferrum adhibitum eſt, & adhibetur.* Sed quid ad cultrum Sephoræ petrinum? Sephora, me iudice, cultrum lapideum, quia ferreus non ſuppetebat, in trepidatione arripuit, vti Hugo Vict. adnotauit. Quid autem de generali apud Galgala circumciſione? Lapideis cultris præcepit Deus fieri tunc circumciſionem, vel in cultri petrini à Sephora arrepti memoriam, vel vti Chriſtus qui lapis eſt, cuius exemplo vitia noſtra circumcidimus, adumbraretur Ieſus igitur ſiue ferreo, ſiue lapideo cultro ritè potuit circumcidi.

## §. VI.

### *Quidnam de pellicula ex circumciſionis vulnere reliqua?*

ANtiquam de pellicula reliqua ex circumciſione concertationem fuiſſe, videre eſt apud Titum Boſtr. cuius equidem auctoritate fulciuntur, qui aſſerunt orbem iam minimè hoc ſacratiſſimo theſauro potiri. Integram accipite Doctoris ſententiam. Illos qui de Circumciſi præputio quæſtionem mouent, anxiéque, & curioſè, quid de eo factum ſit, diſputant, veluti qui circa incerta, planéque inacceſſa occupentur, miſſos hîc facimus: ſiquidem ſacris literis nihil de ea re proditum extat. Qui diceret, vt Crucis tempore immaculatus illius ſanguis vnà cum aqua in terram defluens, terram, in quam dimanabat, ſanctificauit: præputium per circumciſionem ablatum, terram, in quam ferebatur, contactu ſuo ſanctificaſſe: is meo iudicio, à veritatis ſcopo haud procul aberraſſet. Vtcumque res habet, certú eſt, qui ſponte ſe circumcidi paſſus eſt, eum modis, & rationibus, quas ipſe compertas habet, totum illud quod per circumciſionem à corpore deceſſerat, ita conſeruaſſe, vt reſurrectionis tẽpore nihil eorum omnium, quæ ad perfecti corporis conſtitutionem depoſcuntur, omninò deſideratum fuerit, adeóque vt integer, omniſquè prorſus vitij, etiam quoad hanc partem attinet, expers, à mortuis in vitam redierit. Nam & nos quoque communis reſurrectionis momento corpus noſtrum integrum, omnique ex parte perfectum recipiemus. Hactenus ille. 18. *Nō illâ fruimur* Titus.

Quam equidẽ ſententiam approbans, ſequerer omninò, niſi noſter Card. Toletus de inuẽto poſtmodum Saluatoris præputio, longam texuiſſet hiſtoriam. Cuius veritati, cùm propter adhibita fundamenta ab ipſo, tùm propter Apoſtolicæ Sedis expreſſam inibi auctoritatem, facilè ſubſcribo. 19. *Fruimur planè.*

---

# IN IESVM CIRCVMCISVM,

# Panegyricus II. Moralis circa Literam:

## EX CERTITVDINE ET AMBIGVITATE CIRCVMCISIONIS.

## *OBSERVATIO I.*

Ad illa verba:

*Vt circumcideretur.*

Quaſi per tranſennam magis innuit, quàm exprimit Euangeliſta Ieſu Circumciſionem.

### *Vt proximorum delicta haud eſſe ponderanda edoceat.*

20. AD hæc, non poſſum non Lucam, & Eccleſiæ ſtylum mirari, hæc enim Euangeliſtam ſecuta, nullam in ſacro officio de circumciſo Infante peragit memoriam. Num Lucas, Eccleſiáque id prætetiêre, ne peccati medicamen omnimodè Chriſti puritati detrare videretur? *Quod Jeſus non commiſerit peccatum, ac.u manifeſtat,* (Bernardo auctore ſermone primo)

primo ) *quod non contraxerit, multo certius probat Patris Diuinitas, Matris integritas.* Hoc apud fideles, apud ſapientes. Verùm piè Lucas & Eccleſia ſubticent, quia nullum vnquam proferendum eſt verbum, ex quo vel apud infideles, ſeu indoctos vir iuſtus aliquo inquinamento maculatus poſſit exiſtimari.

21. *Crimen fratrum Ioſeph à ſcriptura ſacra non manifeſtatur* Gen. 37. Burg.

In conſpectu Ioſeph fratres graui admodum crimine fœdantur, quod omnino Moſes ſilentio obuoluit. At cùm neceſſum fuiſſet oſtendere, Ioſephum ad patrem fratrum crimina detuliſſe, ait: *Accuſauit fratres ſuos apud patrem crimine peſſimo*, Geneſ. cap 37. in Hebr. habetur, Accuſauit fratres ſuos apud patrem, nec vlla de peſſimo crimine fit memoria. Sic Burgenſ. *In Hebraica lingua in hoc loco non eſt dictio ſignificans crimen peſſimum, nec rixam.* Cur ita? Scripturæ mos, peccatorum exceſſus quaſi per tranſennam magis attingere, quàm exprimere; eos innoens ſolummodo, quatenus aliquod crimen materiam deberet Ioſephi accuſationi miniſtrare.

22. *Nec Caini verba iniurioſè ſollicita.* Gen 4. Lyran.

Ingens profectò Cain flagitium, in fratrem innocentem inſorrexiſſe. Sed neſcio, an horribilius crimen, quæſiſſe occaſiones, vt à fraterna charitate recedens, fratrem crudeliſſimè interficeret: *Dixitque Cain ad Abel fratrem ſuum: Egrediamur foras.* Geneſ 4. Vbi Lyran. *Illud quod ſubditur in tranſlatione noſtra:* Egrediamur foras, *non eſt de textu. Et ideo dicunt Hebræi, quod Cain dixit Abel fratri ſuo verba iniurioſa, quærens occaſiones occidendi eum, licet non ſint in textu expreſſa illa verba.* Num à Moſe tantum flagitium prætereundũ? Mirum ſi ſacra Hiſtoria non obiter peccatorum indicaret exceſſus, ſed ex profeſſo recenſeret.

23. *Nec Saulis flagitia & damnationẽ.* Pſal. 35. Euthym. Genebr.

Cuiuſnam crimina minus huiuſcemodi comitate digna, quàm Saulis in ſibi obſequentiſſimũ, & munificentiſſimum inſorgentis? Audi obſecro, quonam modo Dauid & illa memoret delicta, & referat ſupplicium: *Manus peccatoris non moueat me. Illic ceciderunt omnes, qui operantur iniquitatem.* Pſalm. 35 Euthym. *Per peccatorem* (inquit) *Saulem intelligit, & ſubdit: Illic ceciderunt omnes, qui operantur iniquitatem.* In cuius expoſitionem quæris, quidnam particula hæc *Illic* ſignificet? Reſpondet Genebr *Illic idem eſt quod in gehenna Vt illud: Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc. Illuc non in vterum matris, ſed in ſepulchrum. Sic hic, Illuc, id eſt, in inferno.* Euthym. autem ſic expendit, *Illuc, id eſt, in loco à Deo conſtituto.* Vt *Illuc* ad quemcumque locum à Deo conſtitutum ſignificandum ſit indifferens. Iam expendo teſtimonij vim Si Saul ob horribilia flagitia iuſtè erat in gehennam amandandus, quare non id exprimit carmen Dauidicum? Profectò de more Scripturarum non modò non exponit apertè; ſed, omni adhibito conatu, fugit ab expreſſa tanti hoſtis damnationis enarratione. *Ceciderunt,* ait, *omnes*, ne de ſolo Saule ſermonem texere videretur, ſi fortè innoteſceret ſapienti alicui illa particula *Illuc* gehennam ſignificari. *Ceciderunt* (inquit) *in locum à Deo conſtitutum.* Quis ſcit ex textus expreſſione, an è ſuperbiæ faſtigio ceciderè ad locum à Deo præparatum, vt pœnitentiæ operibus diluant flagitia?

24. *Nec Angelorum caſum.* Gen. 1. Interl.

Quid ſi huiuſmodi vtatur Scriptura ſtylo, cùm diaboli crimen adferat in ſermonem? Rogas, num peccati Angelorum, eorúmque damnationis in ſacris mentio fiat? Affirmatiuè reſpondeo: *Diuiſit* ( inquit Moyſes ) *lucem à tenebris.* *Gen. 1.* Interl. Filios lucis edocet à filiis tenebrarum eſſe diuiſos. Hoc eſt, boni Angeli à nequam Spiritibus fuère ſemoti. Hic itaque & peccat. Angelorum ſub tenebrarum metaphora, & æterni ſuplicij ſub diuiſionis vocabulo memoria peragitur. Vide quàm breuiter perſtringat Scriptura tantam dæmonum malitiam, tam longum ſupplicium damnatorum!

Diabolus ſic aduerſus Iob patientiſſimũ, Creatori: *Tange* (clamat) *cuncta quæ poſſides, niſi in faciem benedixerit tibi.* Capite 1. Profectò textus vſus eſt benedicendi vocabulo pro maledicendi dictione, ſcripturus, Niſi in faciem maledixerit tibi. Quare per huiuſcemodi blaſphemiam percurrit oratio? Pulchrè Chryſoſt. *Benedixerit* (ait) *id eſt, maledixerit. Etenim Scriptura benedictis maledicta velans.* Accommodans autem noſtræ doctrinam vtilitati, ſubiungit, *Et quare hæc ſcripta ſunt? Vt tu fidelis diſcas, cum alicuius mali turpia narraueris, eadem verbi honeſtate valere.* En quare Lucas, Eccleſiaſticuſque ſermo tam leuiter attingat Pueri circunciſionem. 25. *Nec diaboli blaſphemia.* Iob 1. Chryſ.

## OBSERVATIO II.

### Ad illa verba :

*Vt circumcideretur.*

### Expreſsè aſſerit Lucas Puerum fuiſſe circumciſum, dum eum Ieſum appellatum affirmat.

*Quia vocari Ieſum, idem eſt, ac vulnerari.*

CVR non adijcitur: *Circunciſus eſt,* Quia tantundem fuit addidiſſe: *Vocatum eſt nomen eius Ieſus*, ac ſi apertè effectum circunciſionis tradidiſſet. Nam præterquam quod vti vidimus) eâdem circunciſionis opportunitate nomen puero ſolitum erat imponi: vocari Ieſum noſtrum Infantem, idem eſt, ac circunciſionis vulnere affici, non equidem vno lapideo cultro; ſed omnium hominum linguarum nouaculis percuſſo Saluatore. Hinc veſtrâ veniâ, innuerim meæ Societatis exteram infidelium, fidelium inteſtinam perſecutionem exortam. Quidni cultro linguarum percutiamur, ſi vocatum nomen noſtrum Ieſus? 26.

## CAPVT I.

*Appellari Ieſum, vulnerari eſt.*

DVcis noſtri, quæſo, oculis paſſionem, flagella, ſpineam coronam, crucem obiicite, calumnias perpendite; mox quæſtioni committite, quænam tribulationis tantæ, tam diræ mortis extiterit occaſio? quodnam tot tragœdias flagitium excitarit? Ad Pilatum accurrite facinorum Ieſu conſcium, vtpote qui eum morte damnauit 27. *Cauſa mortis Chriſti, appellari & eſſe Ieſum.*

damnauit. Dic mihi Romane Iudæorum Præſes, quantumuis aut timore, aut pecuniâ corrupte, quænam tanto viro cauſa extiterit capitalis? *Nullam* (inquit) *inuenio in eo cauſam,ſed nec Herodes.* Enimverò crucifixo Saluatore mortis ſuperſcripta cauſa oſtentatur. *Poſuerunt cauſam eius ſcriptam, Ieſus Nazarenus.* Matth. 27. Hæc totalis

Matth. 27.

paſſionis, calumniarum, mortiſque Dominicæ cauſa. *Ieſus.* Appellatur Ieſus? Ieſus eſt? Quid mirum totum orbem aduersùs hunc hominem conſpiraſſe? Pulchrè D. Hieronymus: *Non poſſum dignè admirari pro rei magnitudine, quod redempti pretio falſis teſtibus, & ad ſeditionem, clamorémq; populo concitato, nullam aliam inuenerint cauſam, niſi quod Ieſus eſſet.* Quid illuſtrius?

Hieron.

28. *Vis nominis Ieſu ad oſſa comminuenda.* Exod. 12. Ioan. 19.

Cùm Pater æternus in typico Agno prouidiſſet, ne veri Agni vllum os perfringeretur, *Os non comminuetis ex eo.* Exod. 12. ſpiritum Filij ſuſcepit in Cruce priuſquàm milites ad crurifragium appropinquarent. Illi namque latronum crura frangentes, ad Ieſum cùm veniſſent, *vt viderunt eum iam mortuũ, non fregerunt eius crura, ſed vnus militum lanceâ latus eius aperuit.* Ioann. 19. Et quare Ieſus non viuus milites tortores expectat? Quia venientes ad Ieſum adhuc viuentem, Ieſúque nomen ſupra ſuffixi caput aſpectantes quis dubitet illos crurifragio operam non daturos, niſi à Patre potentiſſimo prohiberentur? Ieſu etenim nominis magna vis ad oſſa comminuenda Eccleſiæ. Iſai. *Et vocabitur tibi nomen, quod os Domini nominauit.* cap. 62. Ex Hebr. *Os Domini perforauit,* complectens oris, & oſſis ſignificationem. Ac ſi ea eſſet Ieſu nominis vis, vt valeat non ſolùm carnem vulnerare, ſed & oſſa perforare, ac comminuere.

Iſai. 62. Lyran.

29. *Ieſus ideo habitum mortui repræſentat ne corpus vulneraretur.*

Cyrillus ad hæc lib. 12. cap. 19. *Iudæorum obſequentes voluntati milites, duorum latronum, qui cum Chriſto crucifixi fuerunt, vt morti citius traderent, crura fregerunt. Ieſum autem inclinatione capitis expiraſſe putantes, crura eius non fregerunt. Eorum tamen vnus ſubdubitans fortaſſis, an mortuus eſſet, lanceâ latus eius compungit.* Non ſolùm Ieſus ſpiritum emiſit, ſed *capite inclinato, tradidit,* vt militibus exanimati corporis documentum exhiberet O quàm ſæuiret crudelitas in oſſa viuentis Ieſu, ſi ſubdubitatio militis de viuo in mortuum irruens, lanceâ latus eius aperuit!

30. *Ieſus protegendo adeſt exercitus.* Interlin.

Vix clamarat cæleſtis Incola: *Natus eſt vobis hodie Saluator,* Ieſus inquam, cùm *ſubitò facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis.* Addit Interlinearis, *Quæ Ieſum Ducem ſequitur,* Hæc vtique militia *laudantium* erat, *& dicentium: Gloria in Altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus.* Luc. cap. 2. Sed quid cœleſti exercitui ad pugnam directi cum pacis præconio? Pax certè ſtabilita tunc indicitur orbi; ſed milites cæleſtis exercitus ad Puerum accedunt pugnaturi, quia iam ab Angelis vocatum erat nomen eius Ieſus, dicente Luca: *Quod vocatum eſt ab Angelo priuſquàm in vtero conciperetur.* Pace equidem, ô Princeps, vniuerſus fruitur orbis, attamen mox nominandus Ieſus: non potes non vel apud amicos ad bella vocari, tuos neceſſariò greſſus ſequitur perſecutio.

Luc. 2.

31. *Incipiũt bella cum Ieſu nomine.* Exod. 17.

O Puer orbem pacificans! Ieſu nomini imminet bellum. Pace fruebatur Iſrael, cùm Amalech pugnaturus acceſſit. *Venit Amalech, & pugnabat contra filios Iſrael.* Exod. capite decimoſeptimo. Et quando Amalech tentaturus Iſrael ſurrexit? Dixit *Moyſes ad Ioſue,* (Origenes homiliâ vndecimâ, *ad Ieſum,*) *Elige viros, & egreſſus, pugna contra Amalech.* Vbi idem Doctor: *Bello imminente, videamus, quid præcipiat Moyſes? Dixit ad Ieſum: Elige tibi ipſi viros. Vſque ad hunc locum beati nominis Ieſu nuſquam facta eſt mentio.* Ioſue itaque nominis Ieſu hîc typum agebat. Tunc ergo incipiunt, ablegatâ pace, ingruere bella, cùm primùm Ieſu reſonat appellatio; vt nominis Ieſu exortus ſit bellorum natalitium. Quod ſi dignoſcere patenter vis, bella huiuſmodi non tam aduerſus perſonas, quàm aduerſus Ieſu nomen fuiſſe excitata; peode illud: *Elige tibi ipſi viros.* Num non veriùs dixiſſet, Elige ô Ieſu, viros Iſraelis defenſioni, populi præſidio? An ſoli Ieſu defendendo militum copia præparatur? Ita planè.

Orig.



---

## Capvt II.

### *In noſtram Societatem hoſtium conſpiratio propter nomen Ieſu, ob idémque illius parta victoria.*

BEne Lamprid. Alex. *Nomina inſignia oneroſa ſunt.* Quid mirum Societatem noſtram inſigni Ieſu nomine honoratam ſub perſecutionum onere deſudare? *Nomen* (inquit Curtius lib. 5.) *inſigne, maximum in bello momentum.* Inde ô Ieſu Societas, vincis, hoſtes debellas, comparas triumphos, vnde afficeris tentamentis. Vincenti militi Ieſu nomen promittitur; vincens Societas hoſtes iam Ieſu nomine coronæ gerenti locum inſigniris. Sed aduerte. *Vincenti dabo* (Saluator ait) *calculum candidum, & in calculo candido nomen nouum ſcriptum.* Apoc. 2. Quid calculus? Lapillus ille inter pedum plantas & calceos furtim ſolitus diuerſari, pariens moleſtiam incedenti. Nõ Ignatius dat Societati vincenti nomen, ſed Ieſus. At ſimul calculus ſociis Ieſu moleſtiſſimus adhibetur, qui lapilli inſtar illius è monte ſine manibus quidem, ſine auctore frequenter ſolo penè faciat æquari. Vnde neceſſum viribus cæleſtibus pollere Ieſuitam, ne corruere cogatur. D. Chryſoſt. 2. Tim. 1. *Et hi* (inquit) *qui Chriſti nomen portant, non in bello ſolùm, ſed in pace ſummis viribus indigent, ne id maledictis linguis exponant.* Indigent ſanè viribus *in pace* validis vel inter fideles, inter amicos; ne calculo vulnus pedibus infligente, corruant, dum nomen à linguis feritur maledictis. Sed ſi à Ieſu nomine tentatio exoritur, ab eodem nobis victoria præparatur. 32.

*Inde Societas vincit, vnde tentatur.*

Apocal. 2.

*Dixit* (rurſum expendo) *Moyſes ad Ioſue: Elige viros, & egreſſus pugna contra Amalech.* Exod. 17. Orig. *Vſque ad hunc locum beati nominis Ieſu nulla facta eſt mentio. Moyſes vocat Ieſum, vt eligat ſibi ipſe viros potentes.* Quare virtute, ac potentiâ præſtantes viros Ieſus eligit? Quia ſibi ipſi, id eſt, in defenſionem Ieſu aſſumuntur. Profectò qui Ieſu nomen cuſtodiendum, inſtar Pauli, portát, *magnis viribus indigent. At Ieſus* (addit Orig.) *eſt, qui poſſit potentes viros eligere, qui dixit:* Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos. *Ipſe electorum Dux, ipſe potentium Princeps.* Si Ieſus eligit viros potentes, vincet Societas potentium parens filiorum nomine cuius cauſa vocatur ad pugnam. 33.

*Ex Ieſu nomine tentatur, & ex eodem fortis exiſtit.*

33\. *Socius Ieſu mox tentab. ris, & vinces.*

Et quãdo ſocius Ieſu ſine pediſſequo hoſtium incurſu? Cum Ieſu, eiuſque Societate, id eſt, cum Iſrael olim Gabaonitæ neceſſitudinem conſtituunt. Vix autem huiuſmodi amicitias Gabaon comparauerat, cùm prælia excitaturi quinque Reges inſurgunt. Ioſ 9. Nonne hi hoſtes Iſraeli fœdere erant copulati? Cur ergo aduerſum Iſraelis amicos concitantur? Quia ſocij Ieſu non poſſunt non ab ipſis amicis oppugnari. Eleganter Origen. *Iis, qui ſociauerunt ſe ad filios Iſrael,* (quorum Ioſus Imperator) *omnes qui priùs amici erant, inimici fiunt.* Aptiùs adhuc inferiùs Doctor: *Cum anima* (inquit) *Verbo Dei* (ſeu Ieſu, vti poſt paruum explicat interſtitium) *ſe ſociauerit*: ſiue Ieſu ſocietatem inierit, *dubitare non debet ſe inimicos habituram, & hos, quos habuerat amicos antè, in aduerſarios eſſe vertendos. Et ita fit, vt qui amicitias expetit Ieſu, multorum ſibi ſciat inimicitias eſſe tolerandas.* Attamen inde victoria, vnde perſecutio: *Annon tibi videtur hoc agere illud, Conſolamini puſillanimes, patientes eſtote.* Vndenam conſolatio, niſi quia propter nomen Ieſu, Apoſtolorum inſtar, & contumelias ſuſtinetis, & victoriâ donamini?

*Ioſ. 9.* *Orig.*

34\. *Societatis per ſecutionibus acta dies triplicatus ad triumphos.*

Hinc apparet, cur tam breui temporis interſtitio Societas tot triumphos perfecerit, dum hoſtes debellat, Prouincias quotidie penetrat inuias, excitat fideles, infideles allicit, Reges barbaros fidei acquirit, tranſmeat æquora, Idola comminuit, lucos ſuccendit, euertit altaria, hæreticos comprimit, libriſque effulgens innumeris, & doctrinâ potens, & variis miniſteriis, ac muniis efficax, egregiis operibus toti orbi ſalutaris oſtenditur. Quid cum tempore tam exiguo, tot, tantiſque concertationibus, & triumphis? Profectò Ieſuitis aduerſus hoſtes Eccleſiæ dimicantibus, ſi intereà vel inteſtino bello ab amicis excitato oppugnantur, dies extat triplicatus. Gabaonitæ Socij Ieſu effecti tanti Ducis auxilio muniri petiêre. Quid Dux fortiſſimus? *Sol* (inquit) *contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Haialon. Et ſteterunt Sol, & Luna* Ioſue capite nono. Vbi Doctores aliqui diem aſſerunt fuiſſe triplicatum, vti hoſtes Ieſu Socij delerent. Pauci Ieſuitarum dies ad pugnam, ſed boni, ſed longi, ſed triplicati. Nec enim tot victoriæ niſi tantorum dierum effectus exiſterent. Perficiat Origenis argumentum: *Gabaonitæ videntes quinque Reges aduerſum ſe in prælium conſpiraſſe: nequaquam propriis viribus confidunt; ſed mittunt ad Jeſum auxilia poſtulantes.* Quid Ieſus? *Stet Sol ſuper Gabaon. Hoc ergo modo Ieſus cum Ducibus, & Principibus ſuis adeſt ijs, qui pro nomine Ieſu à contrarijs virtutibus oppugnantur; & non ſolùm auxilium præſtat in bello, verùm & producit tempus diei.* Quid excogitatius? Oppugnati igitur Ieſuitæ à contrariis virtutibus, imò non ſemel à virtuoſis fratribus ſe obſequium Deo præſtare exiſtimantibus, diebus longioribus ad tot victoriarum aſſecutionem à Duce donantur.

*Ioſ. 9.* *Orig.*

## OBSERVATIO III.

### Ad illa verba:

### *Vt circumcideretur.*

### Mirum eſſet, ſi ſeſe Circumciſionis vulneri negaret, qui pro nobis eſt infans effectus.

### *Quia priori beneficio nobis præſtito, quaſi excitatur Deus ad alterum conferendum.*

QVID vlteriùs cauſæ, quod non apertiùs à ſacro Scriptore tam præclarum erga nos circumciſi Ieſu facinus adnotetur? Equidem illa ipſa charitas, quâ Saluator puerilem induit ætatem, apertè ſatis Circumciſionis opus inſinuat. *Vt circumcideretur Puer.* Tanto ardebat amore, vt antiquus dierum puer naſceretur nobis, infans efficeretur? Tempus igitur circumciſionis aduentauit. Num vulnus ritè ſuſtinendum aufugeret, qui infantilem pro te aſſumpſit ætatem? 35.

36\. *Puerum datũ fuiſſe nobis, Circumciſionis pignus erat.* *Iſai 9.*

Id Euangelicus expreſſit Propheta, fatus: *Puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, cuius imperium ſuper humerum eius, & vocabitur nomen eius, Magni conſilij Angelus.* Iſaiæ cap. 9. Et natiuitatis, & circumciſionis hic memoria peragitur, ſi nomen puero impoſuiſſe, idem eſt ac circumcidiſſe, cùm in circumciſione nomen infantibus imponebatur. Filius Dei nobis Puer natus exhibetur, ergo nomine accepto, fuit circumciſione vulneratus.

37\. *Natum fuiſſe nobis, pignus alterius muneris exiſtebat.* *Luc. 1.*

Pueri noſtri natiuitas in vtero, ex vterôque proceſſus fuit Spiritus ſancti effectus: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi, &c.* Luc. 1. Vnde fœtus ille Spiritus ſãcti exprimit proprietates. Porrò Spiritus ſanctus donum eſt, & tunc quando donum, pignus ſimul alterius muneris exiſtit. Paulus ita: *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Rom. 5. *Qui & ſignauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris,* 1 Cor. 22 Donum quidem eſt, quod mox exhibetur; pignus verò, quod promittitur in futurum. Quonam modo igitur Spiritus ſanctus & donum eſt, & pignus aſſeritur? Quia tunc quando donum exiſtit, alterius doni pignus procul dubio deprehenditur. Spiritus itaque ſancti effectus Ieſus puer hodie naſcitur, filius nobis perhibetur; & poſt præſcriptos dies nominis impoſitione vulnus circumciſionis ſuſtinebit. Quia puerum natum, filium datum eſſe nobis iuxta ſancti Spiritus, quas induit proprietates, pignus alterius muneris exiſtis.

38\. *Qui ſemel oritur, ſæpè muneribus replicatis exoritur.*

Cur exiſtimas in Eccleſia ſanctum, vt in die circumciſionis officium Dominicæ Natiuitatis celebretur? Vti oſtendatur Puerum Ieſum adhuc nobis exoriri; illud enim puerum ſemel natum fuiſſe, pignus eſt geminatæ crebrò natiuitatis: dum primum beneficium ſimilibus muneribus confirmatur. *Signum magnum* (Ioannes ait) *apparuit*

*apparuit in cælo: Mulier amicta ſole,&c. Et in vtero habens, cruciabatur, vt pareret.* Apoc. 12. Signum hoc magnum ex ſecundaria ſignificatione Deipara. Quid ergo Deiparæ ſine dolore parienti cum parturitione diſcrucianti? Parturiens Maria ſignatur,non quod cruciatibus afficiatur,vt pariat; ſed ★ ſemper edens partum oſtenderetur. Non ſemel Puer Ieſus naſcitur, ſed ſæpe ſæpius adeò gignitur, vt vna myſticæ alterius pignus exurgat. Naſcitur Puer noctis proceſſu: Naſcetur ergo rurſum Circuncisionis die. Numquam enim diuina munificentia enixa non eſt. Id quod D. Baſil.Seleucus orat.2 adnotauit. *Namque velut parturiens magnificentia ſua munera, non eſt contentus prioribus.* Semel enim natum fuiſſe, pignus eſt numquam interminabilis natalitij.

Apocal 12. — Baſil.

39. *Chriſtus opus ideò,& pignus.* Geneſ. 1. Tertull.

Plaſmator Deus: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Geneſ.1.Vbi Tertull.de reſur.car.cap.6. *Et fecit hominem Deus ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam. Id vtique quod finxit,ad imaginem Dei fecit illud,ſcilicet,ad imaginem,& ſimilitudinem Chriſti.* Adiicit acutè: *Ille enim tunc imaginem induens Chriſti futuri,non tantum opus Dei erat, ſed & pignus.* Opus erat Dei hominem pſalmantis,& Chriſti futuri ex typo pignus. Hic textui ſenſus accommodatus. At argumento conuenientiorem ſic elicio. Verbum illud: *Opus,& pignus*,ad prædictã illam pertinet clauſulã: *Iam tunc imaginẽ induens Chriſti.* Ac ſi diceret, limus ille,vt imaginẽ gerebat Chriſti,*opus* erat, & *pignus*;*opus* quidẽ,dum *nobis natus,nobis datus*;*pignus* autẽ, dum iterũ atque iterum in circunciſione, & in paſſione, & in cruce nobis eſt traditus.

40. *Quaſi ex natalitio vulneris circunciſionis debitor.* Pſalm. 18.

Quid ſi puer,qui voluntariè haud lege obligatus,ſe ſe circunciſionis vulneri expoſuit: quodammodo illigatus præſtitiſſet? Dauid: *Retribue ſeruo tuo,viuifica me.* Pſalm.118. Verſus hic inſcribitur littera *Ghimel*, hoc eſt, *Plenitudo, Retributio* Plenitudo equidem eſt natalis Dominici recordatio: *Cùm venit plenitudo temporis,miſit Deus filium ſuum factum ex muliere,factum ſub lege.* Quid autem *Retributio?* Debebat quodammodo Puer ex eo,quod factus ex muliere,ſe ſe legi ſubiicere, lege minimè exigente, ſed ad id impellente nimiâ charitate, quâ puerilem induit ætatem. *Factum ſub lege.* Quid moror Tertulliani citati acumen? *Mutuum debitum eſt inter ſe natiuitati cum mortalitate.* Ac ſi diceret, Naſci dignatus eſt? Puerilem non refugit ætatem aſſumere? Quodammodo igitur debuit pro nobis vulnerari. Proh hominũ ingratitudinem? Si beneficium à Deo in nos collatum, eum alterius conferendi conſtituit debitorem: tot beneficia accepta à Ieſu non te ſaltem efficient memorem gratiarum?

Tertull.

# OBSERVATIO IV.

## Ad illa verba,

### *Vt circuncideretur.*

## Impeccabilis Ieſus,hodie ex vulnere circunciſionis peccator apparet.

*Ediſce hinc apparentiis viſibilibus,fallibilibus ſæpe,non eſſe fidem impendendam.*

41. VEſtigium quidem (Bernard.ait ſerm.1.) *nullum vulneris habens, alligaturam non refugit vulneris.* Quis cordatus abſque fidei ducatu videns, audiens, cognoſcens Ieſum alligaturam vulneris requirentem, non putaret intus vulneratum? Ne credas ſpeciebus actionum exterinis, ſi aliquod præcipuè præ ſe ferant delictum. Vos corporei ſenſus,& animi potentiæ, ad tribunal aduoco,teſtes produco.

---

# CAPVT I.

## *Senſus corporei in errorem circa obiectas proximi actiones capiuntur.*

TEſtes adhibemini corporei ſenſus, *quid de nocte* delicti huiuſce, quod proximo imputatur? Vidi,andiui, terigi, odoratu ac guſtu deprehendi. O quomodo inſigniter externæ potentiæ decipiuntur! De viſu primum periculum faciamus. Balaam à Balac maledictionis gladio Iſrael vulneraturus adducitur. Qui ſuper montem conſtitutus, populi illius à Deo dilecti merita penetrans, ei benedictiones imprecatus eſt. Porrò Balac arbitratus Prophetam ſpecie externâ populi florentiſſimi ex ſpecula montis obiecti illectum, vt benedictionibus pro maledictis vteretur, ſic ait: *Veni mecum in alterum locum, vnde partem Iſraelis videas,& totum videre non poſſis,& inde maledicito ei.* Num.23. Vbi Strab. *Demens putauit Iſraeliticam gratiam loci abſtictione poſſe celari.* Qui ſpiritu Dei aguntur, rectè iudicium proferunt; quia quocunque in loco conſtituatur, totum hominem aſpectant, nec ex ſibi ſolummodo externa ſpecie obiecta iudicant; mundiales autem partem ſolummodo intuentes, aduerſus eas actiones, quæ laudibus deberent efferre, maledicta imprecantur; quia videlicet pars altera, ſeu intentio haud oculis patens, ſibi abſcondita eſt.

42. *Oculi ſeducuntur circa Iſrael.* — Num. 23. Strab.

Duxit Moyſes Sephoram Æthiopiſſam vxorem: *Locuta eſt autem Maria, & Aaron contra Moyſem propter vxorem eius Æthiopiſſam.* Num. 12. id eſt, (Strabo interprete) *quia mulierem alienigenam accepiſſet*, moribus videlicet omninò contrariam mariti virtutibus. Et vndenam colligitis huiuſmodi morum contrarietatem? Videmus equidem eam Æthiopiſſam, ſpecie nigram, atram mente. Proh oculorum dementia! R.Salom. *Dicitur Æthiopiſſa per contrarium, quia erat valdè pulchra moribus. Vnde interpretatur pulchritudo ſecundum Hieron.ſicuti de Ioanne Baptiſta Matth. 12. dicitur arundo vento agitata per contrarium.* En oculorum error. Ex atra pelle mentis arguit fœditatem, cum tamen ob morum pulchritudinem inter iuſtiſſimas feminas deberet recenſeri.

43. *Et circa Æthiopiſſam.* Num. 12. Strab.

Auditus exprimo deceptionem. Abrahæ filius ſeni promittitur, ſubridet genitor futurus. Porrò eâdem rurſum auditâ promiſſione, riſit Sara ætate confecta. At Angelus ægrè ferens feminæ leuitatem maritique indulgentiam taxans, ait, *Quare riſit Sara vxor tua?* Geneſ.18. Nonne Abraham à ſeueritate fuit ad riſum traductus cœleſti promiſſione? Cur ergo ſola femina reprehenditur? Sara ridendo deliquit? Ergo ridens Abraham irreuerẽtiæ reus. Iſte ſanctus, dum cachinnos profundit? Ergo & Sara commendabilis. Reſpondet Caiet. Saram ab Angelo taxatam, quia culpabiliter ſubriſit, ſecus Abraham, qui fideliter huiuſmodi operam nauauit affectui. Hebraicè; *Quare hoc riſit Sara?* Ad quæ Card. *Hoc eſt, quare verbum meum in*

44. *Auditus circa riſum Saræ & Abrahæ ſeductio.* Geneſ. 18.

*iocum deduxit ridendo, & conferendo ad ſuam ſenilem ætatem.* Abraham riſit, ſed non *hoc*, licet cordis non valuit affectum cohibere. At Sara *hoc* riſit, ſeu Dei verbum deduxit in iocum. Quonam modo ô Auditus, qui vtrumque ſonũ percipis, dignoſces, vtrùm ex affectu fideli, vel potius ex infidelitate ducat exortum? Multi ſine entitate ſoni exaudiuntur, ſicuti multæ ſine veritate aſpiciuntur ſpecies.

45. *Tactum falſum teſtem ſeductus probat Iſaac.* Quid ſi Auditui, & Viſui adhæreat manuum contrectatio? vti profari valeas, Hæc quæ profero, non ſolùm audiui, vidi, ſed manibus contigi. Num poſſit decipi Tactus, capite experimento. Cùm Patriarcha Iacob matris aſtu præriperet Iſaac benedictionem, *pelliculas* illa *hædorum circundedit manibus*, vt ſub ſpecie Eſau Iacob abſconderetur. Quid ſenex? *Accede huc*, inquit, *vt tangam te, fili mi, & probem, vtrùm tu ſis filius meus Eſau?* Acceſſit ille ad parentem, qui poſt contactũ, ait: *Vox quidem vox Iacob eſt, ſed manus, manus ſunt Eſau, & non cognouit eum.* Gen. 27.

Gen. 27. Lyran. *Voluit igitur*, Lyran. inquit, *eum probare, & cognoſcere per tactum. Quia ſenſus tactus in hominibus certior eſt, quia homo in tactu excedit omnia animalia.* Ecce Auditus, Viſus ſeductus; & Tactus, qui minus videbatur conſonus ſeductioni, toto cælo aberrauit. O quotiens Iacob ſub Eſau ſpecie latitat!

46. *Fallax Odoratus.* Famam, inquis, odoratus ſum. Ipſe planè decipitur Odoratus. Quid igitur Iſaac? Nec Tactui credens, ad oſcula filium inuitat, vti videlicet oſculi occaſione fragrantiam Eſau referentẽ perciperet. *Statimque vt ſenſit veſtimentorum eius fragrantiam, benedicens ait, Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni.* Gen. 27. Hebr. *Vide odorem*

Geneſ. 27. Caietan. *filij mei.* Caiet. *Vide odorem tanquam incitantem Iſaac ad benedicendum.* Ac ſi diceret ſenex, Odorem filij mei Eſau certiſſimè percipio, ipſe procul dubio adeſt, minimè ſubeſt ambiguitas. Sæpe fama peccatoris nobis afflat odorem, ſæpe iuſti opinio aſpirationem grauem ſubmittit, attamen Iſaac omnino ſeductus nos monet, nullatenus huiuſcemodi teſtimonio fidem adhibendam.

47. *Guſtus mendax teſtificatio.* Reliqua hîc ſolummodo Guſtus examinatio. In Guſtu ne fallentia? Ariſt. l. 2. de Ani. c. 9. *Guſtus in nobis acrior eſt, propterea quod ipſe eſt tactus quidam, qui fit in homine acerrimus.* Guſtus nihilominus aſpice deceptionem. Ioanni liber in cibum datus eſt guſtatu quidem dulcis, amarus digeſtu. *Et accepi*, ait, *librum de manu Angeli, & deuoraui illum, & erat in ore meo tanquam mel dulce. Et cum deuoraſſem eum, amaricatus eſt venter meus.* Apoc. 10. In hoc volumine lamentationes, carmen, & væ, hoc eſt (Alber. aucto.) peccatũ originale, actuale mortiferum, & veniale continentur. Ecce librum dulcem guſtui, amarum digeſtioni. Seducitur prorſus Guſtus, dum ſpecie effictæ dulcedinis conſumptâ, pungit felleâ dictorum acrimoniâ.

48. *Regis digerunt ſcripta, quæ ſubditorum defectus continentur.* Digerendus itaque cibus eſt, hauſta proximi ſeu bona, ſeu mala opinio diligenter ruminanda, num dulcedo reſultet? Apparet ſcriptura delictorum, ſiue codicillus hominis abſconditi manu exaratus proximi euulgans exceſſus Regi cæleſti præſentatur. *Hæc eſt autem ſcriptura, quæ digeſta eſt, Mane, Tecel, Phares.* Dan. 5. Ac ſi diceret, ſcripta quidem (lingua exponam patria, *vn memorial*) aduerſus Balthaſſarem Rex cœleſtis accepit. At

Dan. 5. non terrenorum Principum de more, protulit indigeſta. Rectè dignouit, num geſta dulcedine redundarent, an amaritudine diffluerent? Proh puerum Ieſum ſub ſpecie vulnerati omnium vulneribus præparantem medicinam! Quotiens ſub vili folio candidum abſconditur butyrum, ſub nigro cortice mel dulciſſimum latitat! Et quotiens ſub auro rutilanti amariſſimæ recluduntur herbæ, ſub ſaccaro abſinthium! Apparet virtutis ſpecies, latet delicti fœditas, dealbato pariete oſſa coniacent mortuorum, corio bouino Ioui nuda pecuini cadaueris apponitur exædificatio.

## Capvt II.

### *Animi potentiæ per errorem, dum de actionibus hominum ſententiam proferunt, dilabuntur.*

IAm ad tres alios nobiliores teſtes diſcutiendos diligenter accedo. Deficit Intellectus. Ioſeph 49. *Intellectus fratrum Ioſeph aberrauit.*
fratres coram Ægypti Prorege prouoluti ſuam vicẽ deplorabant, nec verba priſtina proferentia delicta deprimebant; ſed potius publicabant. Heus ſtulti, quare in tanti Principis cõſpectu cõſcientiæ arcana manifeſtatis? *Neſciebant*, inquit Text. *quod intelligeret Ioſeph, eo quod per interpretem loqueretur ad eos.* Gen. 42. Quiſnam vel magnæ prudentiæ Hebræus non tunc intelligeret Ægypti Principem nullatenus patrium percipere ſermonem? Genеſ. 42.
Lipom. *Hîc docemur lupum in fabula vereri, omnia tuta timere.* Non datum intellectui ad cedri medullam vſque ſemper penetrare. Lipom.

*Locuta eſt Maria, & Aaron contra Moyſem propter vxorem eius Æthiopiſſam.* Num. 12. R. Sal. 50. *Denias Aaron & Mariæ diſcurſus.* Num. 12. R. Sal.
*Cauſa obiurgationis Moyſi fuit propter hoc, quod Moyſes ſeparauerat ſe ab ea quantum ad thorum.* Id quod Aaron & Maria animo perpendentes, huiuſmodi diſcurſum expreſsêre. Proculdubio Moyſes vxoris conſortium fugitat, propterea quod illa laboret fœditate. Nec temerè videbatur id ab Aaron & Mariæ intellectu eſſe confictum. Oſtendam nihilominus quanto errore eorum diſcurſus circa præſens obiectum fuerit dilapſus. Moyſes etenim thorum fugiebat, non vt vitaret Æthiopiſſæ conſortium, ſed vt ad diuina præpararetur. Adnotauit hoc prædictus Doctor: *Separauerat ſe ab ea quantum ad thorum, eo quod frequenter loquebatur cum Domino, & ideo volebat eſſe paratus ſemper, cùm vocaretur à Domino. ad quod requiritur mundicia carnis etiam per continentiam ab actu matrimoniali.* Quàm fallax intellectus!

Memoriæ iam teſtimonium expendo. Mentem quæſo, ad Iudam Apoſtolum, & ad Latronem 51. *Memoria falſum affirmans ſeducit Intellectum.*
beatum obuoluite. Hîc pendens Apoſtolus, ibi latro Cruci ſuffixus obiicitur. Accede Memoria ab intellectu comitata. Dicitote mihi, quiſnam iuſtus eorum? quiſnam inter beatos ſit annumerandus? Vtriuſque facinora Memoria obiicit Intellectui. Sententiam proferamus. Proculdubio Apoſtolus iuſtitiam, quâ fuit initiatus amplectitur: Latro verò malitiam, quam per totius vitæ eſt ſpatium profeſſus, conſeruat. En ſeductum intellectum, errorem Memoriâ miniſtrante, Iudas etenim ſub ouilla pelle lupus, latro ſub lupino tegumento ouis exiſtit. Anaſt. Sinai. Serm. de Commun pulchrè ad intentum: *Latro ille, qui vnà cum Ieſu crucifixus eſt, ſicarius erat, & homicida; Iudas autem erat Apoſtolus, & diſcipulus Chriſti, & ex* Matth. 27. Luc. 23. Sinait.

veris

*veris & germanus diſcipulus. In exiguo autem tempore magna rerum commutatio facta eſt. Et Latro quidem in regnum, Diſcipulus verò in pernitiem factus eſt.* Ne famæ fidem adhibeas: Erat flagirioſus, virtute erat heri conſpicuus. Sub exiguo temporis interſtitio magna rerum fit commutatio; qui flagitiis implicabatur heri, iam hodie virtutis viam atripit expeditus, qui ad brauiom heri properabat, hodie iam properat ad ruinam.

52. *Voluntas fallitur.* Reliquum ſolummodo Voluntatis experimentum Iſaac filium benedictione donaturus, probare intendit, vtrùm ſit Eſau. Seductis ſenſibus, Voluntas bona accurrit, vt periculum faciat, magno in Eſau exæſtuat deſiderio, quem expetit adſublimitatem culminis eleuare Attamen à ſuomet affectu falſa eſt nobilis illa animi potentia, inclamante Iſaac: *Vox quidem vox Iacob eſt, ſed manus, manus ſunt Eſau.* Geneſ 27. Ad quæ Rupert. *His itaque falſus eſt Iſaac, vt diceret: Vox quidem vox Iacob eſt, ſed manus manus ſunt Eſau. Nec mirum, quod vir iuſtus aliquid contra voluntatem ſuam fecerit. Nullus enim homo, excepto eo, qui propter noſtram ſalutem carnem eſt indutus, humanam habuit certiſſimam veritatem.* Quippe cùm multa aliis accidant contra voluntatis præſcriptum, quia non ſemper bona voluntas obiecti attingit veritatem.

Geneſ.27. Rupert.

Cùm viderent ſerui Patrisfamilias zizania inter triticū apparere, renuntiantes Domino, ab eo eradicandi malum ſemen copiam expetunt. *Vis imus, aiunt, & colligimus ea:* Quibus Paterfamilias; *Non, ne fortè colligentes Zizania, eradicetis ſimul & triticum.* Matth. 13. Quæſtio eſt, vndenam ſerui agricolæ tritici eradicandi periculum incurrerent, intendente voluntate bona ſolam zizaniorum ſeu delictorum turbam ex hæreditate Dominica deturbare. Caietan. *Ne fortè,* inquit, *colligentes Zizania,* &c. *Non dubitantis eſt, ſed prædicentis euentum præter intentionem ipſorum. Nouit enim ipſe Paterfamilias Deus quod ſi homines colligerent zizania, ſimul cum Zizaniis præter intentionem colligentium eradicarent & triticum* Quia ſcilicet quāuis homines bona cum intentione ſeu voluntate accedant: cùm tamen ſint homines ſpeciei viſibili inhærentes, non poſſunt non ſæpiſſimè dilabi in errorem. O quot virtutes à bona intentione, & voluntate inter damnabilia opera adnumeratæ fuère! Si Voluntas bona ſeducitur, procul hinc Intellectus, & Memoria: Senſus corporei fallendi procoldubio, recedite. 53. *Recta intentio non ſemper obiecti veritatem attingit.* Matth. 13. Caietan.

SECTIO TERTIA.

# Dominicæ Circumciſionis cauſæ.

## TEXTVS.

Vt circumcideretur.

## COMMENTARIVS LITERALIS.

§ I.

### *Decem innuo cauſas circunciſionis.*

1. *Voluntariè paret legi Ieſus.* CHRISTVS Circunciſione minimè indiguit, nec fuit ſub circunciſionis præcepto comprehenſus ſed voluntariè ſeſe legi ſubiecit. Primò, quia circunciſio erat ſignaculum iuſtitiæ fidei. Rom. 4. At Chriſtus non ex fide iuſtificatus eſt, ſed ex vnione ad Verbum omni repletus iuſtitiā, & auctor iuſtitiæ fidei eſt effectus. Deinde, quia Circunciſio ſignum erat peccati, quod in omnem ab Adamo progeniem per generationem deriuatum eſt, ideo in eo membro, quod generationis eſt inſtrumentum, fiebat, auctore Auguſtinn. At Ieſus nullum habuit peccatum, nec ex viro, ſed ex Spiritu ſancto conceptus eſt. Præterea, quia Circunciſio erat remedium peccati paruulis, quibus exhibebatur, vti Cyprianus docet. At Chriſtus omni peccato carens, non indigebat purgatione.

2. *Prima cauſa. Epiphan.* Iam ergo innuam plures Circunciſionis cauſas. Nam licet voluntariè Circunciſioni traditur, rationabiliter tamen circunciſus eſt. Primam do ex D. Epiphan. Serm. 30. Vt oſtenderet ſuæ carnis veritatem. Quo quidem Manichæorum conuincitur error, carnem Chriſti non veram, ſed apparentem fuiſſe impiè docentium. At ſi vera, & realis caro non eſſet, non poſſet circuncidi.

Secundam ex eodem tradо Doctore. Vt carnem ſuam non ſolùm veram, ſed noſtræ etiam conſubſtantialem eſſe declararet; minimè quidem conſubſtantialem Diuinitati, vti Apollinaris; non naturæ cæleſtis, vt Valentinus tradit. Si enim eorum figmento Ieſu caro adaptaretur, nullatenus fuiſſet circunciſa. 3. *Secunda.* Epiphan.

Tertiam reddo ex D. Cyprian. Vt confirmaret circunciſionem Patrum vtilem, datámque à Deo, & inſtitutam fuiſſe. *Nec hoc,* inquit, *Sacramentum conſuetudinis antiquæ ſubtrahere voluit Chriſtus. Et licet non eſſet in hoc tempore neceſſarium: tamen, ne antiqua religio prorſus reproba videretur, in ſe voluit circunciſionis aptari ſignaculum.* Hinc Manichæi vincuntur legem veterem tanquam à malo principio datam, reprobantes, vnde damnant circunciſionem. 4. *Tertia.* Cyprian.

Quartam addo ex eodem contra Fauſt. l. 6. c. 2. fante: *Ideo debuit circuncidi, vt ipſe probaretur eſſe, qui Abrahæ promiſſus eſſet.* Ne ſcilicet Iudæi eum non recipiendi tanquam verum Chriſtum occaſionem acciperent inclamantes: Non recipimus 5. *Quarta.* Auguſt.

mus

mous ilum, quia non circunciſus de ſemine Abrahæ ſe prodiiſſe negauit.

**6. Quinta. Ambroſ.** Quintam ex D. Ambroſ. Epiſt. 74. accipire. Vt circuncisus Ieſus, ipſam circunciſionem diſſolueret. *Eâ*, ait, *ratione & circunciſus pro nobis eſt, vt circunciſionem legis auferret, daturus ſalutem Crucis.*

**7. Sexta. Epiphan.** Sextam ex ſuperiùs dato Epiphanio exhibeo, vt cui præceperat Abraham circuncidi in huiuſce typum circunciſionis, tantum ſignaculum confirmaret. Septimam colligetis ex Beda. Vt obedientiam nobis exemplo commendaret. Gloſſæ Magiſter adiicit octauam. Ne ſcilicet reſpuere videretur circunciſionem, & Baptiſma, qui in ſimilitudinem carnis peccati aduenerat. Ex D. Thoma didici nonã & decimam, vt cõprobaret ſe de genere Abrahæ, qui circunciſionis mandatum acceperat in ſignum fidei, quam de ipſo habuerat. Vtque legis onus in ſe ſuſtinens, alios à legis onere liberaret. Plures præterea Circunciſionis cauſas recenſeo, & illuſtro.

**Septima. Beda. Octaua. Gloſſa. Nona. Thom. Decima.**

---

# IN IESVM CIRCVMCISVM.

# Panegyricus tertius Moralis circa Literam.

## EX CIRCVNCISIONIS CAVSIS.

### *OBSERVATIO I.*

Ad illa verba:

*Vt circuncideretur.*

### Percuſſus Infans pro delictis alienis, vt nos ad propriorum caſtigationem moueat.

*Maxima enim vis exempli.*

**8. Vndecima cauſa Carth.** VNDECIMAM cauſam ſic expendit Carthuſ. *Ne pro peccatis noſtris punitis ſpernamus, videntes, quod Chriſtus, qui remedio culpæ non eguit, Circunciſionem, (quæ fuit remedium contra originale peccatum) ineffabili humanitate ſuſcepit.* Non ægrè ieiunium, flagella, reliquáque huiuſcemodi corporis exercitaméta pro peccatis ſuſcipiemus, ſi Saluatorem grauiora abſque peccato perpeſſum fuiſſe menti obiiciamus.

**9. Louis ieiunij moleſtia coram ſitu Ieſu. 3. Reg. 17.** Date mihi, vti in Vidua illa paupercula typum exprimam ieiunantis; graui namque vexatur ieiunio, quam magna premit egeſtas. *Non habeo*, Prophetæ mulier, *niſi quantum pugillus capere poteſt farina in hydria.* 3. Reg. 17. O ieiunantis parſimonia! Nonne tibi graue admodum feminæ fragili tam rigoroſæ inediæ perſequi inſtitutum? Minimè equidem. Quare? *En colligo duo ligna.* Crucem Chriſti oculis obiicio, vbi Dominus ob aliena delicta ieiunus adeò, vt nec aquæ ſtillâ reficeretur, **Rupert.** Id quod innuens Rupert. l. 5. in Reg. cap. 7. ait. *En colligo duo ligna, en meam conſolor inopiam, amplectens Crucem Chriſti.* Vbi tam inops Dominus, vt careret farinæ pugillo, necdum aquæ donaretur ſtilla, quæ æterno ſupplicio Diuiti denegatur.

**10. Inopia leuis ex Ieſu laborantis obiectu. Iſai. Bernard.** Iam verò ille inclamans, *Fodere non valeo, mendicare erubeſco*, habet vnde inopiæ & ieiunio ſolamen deferat. *Ingredere in petram, & abſcondere in foſſa.* Iſai. 2. Vbi D. Bernard. *Infirma anima, quæ iuxta quod in Euangelio quidam de ſemetipſo confitetur, fodere non vales, mendicare erubeſcis, foſſa oſtenditur humus.* Et vbinam terra apparet effoſſa? *Si intellexerimus*, adiicit, *illam, quæ ait, Foderunt manus, & pedes meos.* En foſſa humus, vbi ſine labore, laborem ac inopiam Domini recolens, ſine erubeſcentia omnibus abundabis, dum ab omnibus abſtinueris.

**11. Flagellatio ſuauis ex Ieſu memoria flagellati. Pſalm. 27. Hugo.** Venio ad flagellationem. Durum tibi percuti flagello? Sit ergo Ieſus abſque crimine diuerberatus vnica conſolatio tua. Dauid. *Et fui flagellatus tota die, & caſtigatio mea, in matutinis.* Pſalm. 27. Ad quem locum Hugo Card. *Et fui flagellatus flagello pœnitentiæ tota die, non ad horam.* Totâ die? Proh moleſtiſſima diuerberatio! Imò flagellatio mirum in modum ſuauiſſima. Vndenam ſuauitas huiuſcemodi flagellorum cruciatui? In reſponſionis gratiam do quæſtioni. Cur ait Dauid ſe totâ die flagellatum, ſi caſtigatio illa horâ ſolummodo matutinâ accidebat? Porrò matutina hora meditatio flagellati Domini eſt iuxta illud, *In matutinis meditabor in te.* Vnde Dauid totâ die flagris cædebatur, ſed in matutinis caſtigatio hæc, dum acriter in ſe ipſum verberibus ſæuiens, ſuam flagellationem Dominicæ verberationi copulabat. Nullus itaque totius diei longam flagellationem poſſet ſuſtinere, niſi diem huiuſmodi horæ flagellationis Dominicæ commiſceri curaret.

**12. Inter flagella pace fruimur Ieſu verbera recordati.** Solet qui in ſuum corpus animaduertit, non pace tunc temporis frui, ſed bello acri tentari, donec verberationis exercitamenta terminentur. Hoc itaque flagellato Domino debemus, quod illum obiicientes menti, verberum bellum cum pace copulamus etiam tunc, cùm punimur. Cuius meminit Iſaias fatus: *Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum.* Cap. 53. Cur paci diſciplina, ſeu punitio appellatur, cùm ad bella nos prouocet? Quia dum conſiderationi obiicimus eandem ſuper Ieſum

diuer-

Digitized by Google

diuerberationem, non poſſumus non pace fungi etiam tunc, cùm punimur. Excogitauit Gillebertus Abbas. *Diſciplinam*, ait, *debita nobis pœna Chriſtus ſuſtinuit, vt nobis pacem refunderet. Ipſe punitus; ſed pœna tua pacem tibi parturire non poterat.* Tunc autem punitio pacis parens nobis delinquentibus eſt, cum ſimul Ieſum punitione affectum ſine culpa proponimus.

## OBSERVATIO II.

### Ad illa verba,

*Vt circumcideretur.*

### Ieſus peccator apparens celat diabolo diuinæ filiationis ſacramentum

*Quia peccator non Dei, ſed Diaboli filius.*

13. *Duodecima cauſa.* Carth.

ADHVC Dionyſ. Carthuſ. duodecimam Circunciſionis cauſam exhibet. *Circunciſionem accipiendo, abſtulit diabolo occaſionem ſuſpicandi, quod ipſe eſt Chriſtus.* Et quonam modo abſtulit diabolo ſuſpicandi occaſionem? Circunciſionem accipiendo, peccatoris præ ſe ferendo ſimulacrum. Quid etenim tam à Dei filio alienum, quàm peccatum?

14. *De domo patris peccator egreditur, dũ diabolo renunciat.* G. n. 12. Auguſt.

Nil æquè tritum, quàm Diabolum peccatorum parentem exiſtere. Quid Abrahæ Deus? *Exi de terra tua, & de domo patris tui.* Geneſ. 12. Vbi D. Auguſt. ad ſpiritualem ſenſum afferens ſententiam fatur: *Pater noſter ante gratiam Chriſti Diabolus fuit, iuxta illud, Vos ex patre Diabolo eſtis. Patrem Chriſtus Diabolum appellat, non quod ex eo nati, ſed quod eius malitiam imitati ſunt.* Tunc ergo patrem Diabolum relinquimus, & de eius domo egredimur, quando auxiliante Deo, calliditatem, & nequitias eius vitamus.

15. *Idem oſtenditur ex Laban.* Geneſ 31. Lipom.

Sic Iacobo Laban: *Quare ita egiſti, vt me clam abigeres filias meas?* Geneſ. 31. Ad quem locum Lipomanus Diabolum inducit tragœdias excitantem, quòd Chriſtus eum peccatoribus filiis ſuo reliquerit orbatum aduentu.

16. *Separat Ieſus filium à patre, ſeu à diabolo peccatorem.* Geneſ 31. Lipom.

Annon Dominus venit ſeparare *filium à patre?* Ita planè. Sed vndenam Ieſu huiuſmodi occaſio diuiſionis? Profectò filium à parente ſemouit, dum à diabolo ſeiunxit peccatorem Lipoman. ad illud Geneſ. 31. *Non es paſſus, vt oſcularer filias meas*, ait, *Id eſt, non veniſti pacem mittere, ſed gladium, qui veniſti ſeparare patrem à filio*; quia videlicet peccator filius diaboli eſt.

17. *Dei filium eſſe Ieſus diſſimulat ſub peccatoris habitu.*

Conatur itaque Ieſus, ne diabolus cognoſcat, ſe eſſe filium Dei, qui debellaturus tartara appareat: hocque ſacramentum diabolo abſconditur, dum habitu peccatoris oſtentatur. Annon filij Dei per gratiam ſumus effecti, dum prius delictis lethalibus inquinati, diabolum parentem habuiſſemus? Ita planè. Tota equidem ſalutis noſtræ ratio in eo ſiſtit, quod diabolus numquam nos ſuos filios agnoſcat; ſi enim rurſum ſe ſe nobis dedat parentem, deperibimus. Si peccata totis viribus aufugiamus, diabolus nos ex ſe eſſe minimè cognoſcet; ſi autem graui implicemur delicto, mox reſerato deperditæ diuinæ filiationis, ſeu adoptionis ſacramento, dignoſcet Dæmon nos ex ſe, grauiter delinquendo, exortum habuiſſe, ad miſeramque filiorum conditionem reuocabit. Doctrinam confirmo Chromatij Epiſ. in Cap. 6. Matth. ſententiâ: *Qui iam dudum*, inquit, *nobis patrem diabolum voluntate propriâ adſciueramus, nunc renati per aquam, & Spiritum ſanctum, patrem Deum habere iam cœpimus. Oportet igitur diabolo abſcondi nos filios ſuos extitiſſe, vt in nobis non habeat quidquam.* Ioannes quidem nos edocet, quid præſtare debeamus. *Qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quia natiuitas Dei cuſtodit illum, & diabolus non tangit illum. Qui autem peccatum facit, non ex Deo ſed ex diabolo eſt; quia diabolus ab initio peccat.* 1. Ioan. 3. Ac ſi diceret: Ne peccet quicumque Dei vult filius haberi, ne ſi filius diaboli delinquendo appareat, pater improbus illum contingat, vt filiorum deducat ad gremium. Chrom.

Hoc itaque ſecretum noſtræ priſtinæ è diabolo filiationis ipſi celabitur, ſi nos videat peccatis minimè coinquinari: quemadmodum ſacramentum diuinæ filiationis Ieſu communi eſt abſconditum hoſti, dum Dominus ſub ſpecie peccatoris appareret. Eleganter Chromat. *Quia igitur tanti muneris gratiam conſecuti ſumus, vt non ſolùm ſerui, ſed & filij efficeremur, quaſi filij Dei agere, & conuerſari debemus, & idcirco ſacramentum natiuitatis noſtræ prioris cuſtodientes, ab omni peccato alieni eſſe debemus, vt verè iam filij Dei eſſe, & dici mereamur.* 18.

*Nos à peccatis abſtinentes diſſimulabimus filios Diaboli olim extitiſſe.*

## OBSERVATIO III.

### Ad illa verba,

*Vt circumcideretur.*

### Docet Ieſus circumciſionem linguę ad luxuriei infrænationem.

*Quia intemperantia linguæ & luxuries pariter aſſolent incedere.*

DECIMAM tertiam circunciſionis cauſam tradit Hugo Card. quærens, cur in præputij circunciſionem culter lapideus inſurgeret? 19. reſpondet: *Quia ibi concupiſcentia magis ſæuierat. Deinde ad inſinuandum, quod illud membrum, quod ſpirituali generationi deputatum eſt, multum indigebat circunciſione. Membrum deputatum ſpirituali generationi eſt lingua; lingua autem multum indiget circunciſione.* Vbi emphaticè linguam vtrique generationi innuit deſeruire.

*Decima tertia cauſa.* Hugo.

Pulchrè Antiochus homil. 2. linguam appellat incontinentem. 20. Quia continentia, aut incontinentia in linguæ manibus ſita. *Ab exitu* (ſubdit) *ſermonis ſui cognoſcitur vir, vtrùm ſcilicet pudicus, an incontinens ſit? Qui tales ſunt, id eſt loquaces, præſtringit Apoſtolus. Hi ſunt incontinentes, voluptatum amatores.* 2. Timoth. 3. O quàm effrænatio linguæ cum incontinentia effræni copulatur!

*Lingua incontinens.* Antio.

Inter huiuſmodi incontinentes adnumerat Doctor Iudam proditorem. 21. *Sed & effrænis ille linguâ*, inquit Antioch. *Iudas cognomento Iſcariothes dicebat: Vt quid vnguentum hoc non venijt trecentis denariis.*

Antioch.

*Neſcio quem incontinētia ex linguæ effrænatione arguatur in Iuda. Hugo.*

*denariis,& datum eſt pauperibus.* Audio linguam effrænem, incontinentem non video. Num luxurici notâ vnquam Iſcariothes inuſtus? Addit Pater: *Dixit autem hoc; non quod pauperes haberet curæ; ſed quia fur erat.* Furti huiuſcemodi adnotanda occaſio, Hug. Card. cenſet ea, quæ Iudas furabatur, vxoris adhuc ſuperſtitis applicari ſuſtentationi. *Habebat enim,* ait ille, *vxorem, iuxta illud: Fiat vxor eius vidua.* Num affectu Iudas in nuptiales voluptates deferretur? Minimè. Nec enim flamma hæc ad Chriſti collegas auſa eſt introitum inſtituere. Attamen id ſolummodo fundamentum apponitur, vt ingenioſè Antiochus ex linguæ effrænatione neſcio quam arguat in Proditore incontinentiam.

22\. *Epulo loquax & immundus* Luc. 16. Lyran.

Diues ille tartareo immerſus incendio ſoli linguæ expetit, & procurat refrigerationem. *Mitte Lazarum, vt intingat digitum in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Luc. 16. Et cur ſolius linguæ medelam procurat? Scio Lyranum reliquóſque penè interpretes cõtendere, vt probent plus in lingua diſcruciari loquacem: *Ibi plus,* ille ait, *cruciabatur, quia per linguam plus peccauerat ſecundum officia naturæ, in quibus lingua deſeruit loquela. Quia inter epulas ſplendidas magis laxatur lingua.* Sequor in præſenti Interlin. expoſitionem. Aſſerit enim diuite conflagrante myſticè deſignari luxurioſum. Iam igitur rurſum ad quæſtionem aduoco: Si luxurioſi hominis typus tartareo cæco voluptatum igne carpitur: quare ſoli ardenti linguæ petit refrigerium? Quia ſibi tam mutuò reſpondent linguæ & luxuries, vt extincto linguæ procacis incendio, luxuriei flamma extingui protinus videatur.

23\. *Palea verborum luxuries igni materiā ſubminiſtrat.* Iud. 12. Stephan.

Occupantibus vada Iordanis Galaaditis, per quæ Ephraim erat reditum molitutus: *Cùm veniſſet ad ea* quidam *de Ephraim numero fugiens, atque dixiſſet: Obſecro vt me tranſire permittatis,* obiiciunt Galaaditæ, *Numquid Ephrathæus es?* Quo reſpondente, *Non ſum:* periculum facturi circa hoc Galaaditæ, ſic conclamitant, *Dic ergo, Scibb leth,* quod interpretatur *ſpica. Qui reſpondebat Sibboleth,* quod ſonat *paleas, eadem litterâ ſpicam exprimere non valens.* Statímque apprehenſum iugularunt. Iudic. 12. Stephan ex Beda affirmat Ephraim idem eſſe ac fructificans temporaliter, ſeu qui temporariæ generationi operam impendit. Hi quidem non poſſunt *Scibboleth,* id eſt, ſpicam pronunciare, ſed *Sibboleth,* ſiue paleas exprimere. Vana, laſciua verba Pythonica volubilitate emittunt ad temporarium luxuriei fructum, non ad ſpiritualem generationem, ſeu multiplicationem ſpectantia. Concludit, *In temporalibus fructificantes, & amatores non poſſunt loqui de fructu pleno, ſed paleas rectè pronunciant. Vnde Iſaias, Et erit quaſi Pythonis vox tua.* Quando non procacitas cum libidine init conſortium?

24\. *Vel profani conteſtantur.*

Porrò linguæ fluxum intemperantiæ indicem extitiſſe Philoſoph. 3. Eth. affirmauit, fatus: *Qui fabellarum cupiditate ducuntur, vel ſtudio narrandi trahuntur, eos nos intemperantes dicimus.* O quàm appoſitè Laërtius l. 2. cap. 6. *Bias nauigans cum hominibus inuerecundis tempeſtate correptis, illis vociferantibus: Silete, inquit, ne Dij vos homines inuerecundos hic nauigare ſentiant.* Quaſi largiter diffuſa linguæ clamantium luxuriem inuerecundam quodammodo manifeſtaret. Ad circuncisionem ergo lingua afferatur, vt incontinentiæ adhibeatur medicamen. Id quod ad procaces dirigo feminas nimiùm ſuæ continentiæ iactatrices. De igne, aiunt, loquimur, haud igne perimus. Vix equidem impudica loquacitas ab immundis affectibus ſeparatur. Nam quæ paleas loquitur, igni voluptatum materiem ſubminiſtrat.

## OBSERVATIO IV.

### Ad illa verba:

### *Vt circuncideretur.*

## Omnimoda hominis ſpiritualis circuncisio ex Ieſu.

### *Vbi de mortificationis neceſſitate.*

QVARTAM decimam ex Beda Circuncisionis Ieſu cauſam accipite: *Redemptor noſter, qui vt peccata mundi tolleret, ſine peccato venit in mundum, ſicut ſuo Baptiſmate nobis remedia procurauit, id eſt, noſtris abluendis ſceleribus aquarum, quæ ſubiit, lauacra conſecrauit: ita etiam circuncisione, quam ſuſcepit, non ſua, quæ nulla erant, admiſſa purgauit; ſed noſtra in ſe natura vetuſtatem docuit innouandam.* 25. *Decima quarta cauſa.* Beda.

Porrò Dionyſ. Carth. quonam modo ſpiritualis circuncisio hæc ſit inſtituenda, & perficienda, hiſce verbis oſtendit. Circuncisio aliud non videtur, niſi alicuius ſuperfluitatis abſciſſio. Quid ergo ſuperfluit nobis niſi propria culpa? Propterea ſpiritualis circuncisio eſt peccati abſciſſio, omniúmque membrorum corporis, ac virtutum animæ ab inordinato, atque illicito motu, actu, & vſu repreſſio. Hanc ſpiritualem circuncisionem docet Saluator, dicens: Si manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum. Quæ verba non ſunt de corporali abſciſſione accipienda, quia nequaquam debet mutilare ſe homo ſed de abſciſſione ſpirituali, vt ſcilicet motum illicitum manuum, pedum, oculorum, & aliorum membrorum abiiciamus. Sic ille. 26. *Quomodo perficienda circuncisio hæc.* Carth.

Quam equidem ſpiritualem circuncisionem innuit Dominus, dum inquit, *Erit pactum meum in carne veſtra in fœdus æternum.* Exod. 17. Vbi Rupert. reuocat ad quæſtionem: *Quomodo circuncidendi ritus æternus eſſe poterit,* præcipuè cum vigente Baptiſmatis lauacro, omninò circuncisionis ritus fuerit ablegatus? Ruper. *Ad Chriſtum* (inquit) *reſpicit hoc dictum, qui vera caro de illorum carne eſt, in quo fœdus eſt in æternum, quia ipſe circunciſus eſt caro noſtra, qui fecit vtraque vnum.* Fecit inquam, vtraque vnum, quia populum vtrúque ad circuncisionis legem curauit allicere. Dum circuncisione carnis ablegatâ, legem ſpiritualis circuncisionis indixit. 27. *Mortificatio circuncisio eſt æternùm duratura.* Exod 17. Rupert.

Eadem veritas ex illo confirmatur: *Vt ſit ſignũ inter me, & te,* Exod. 17. Et quare *ſignum* appellatur circuncisio? Lipom. *Circuncisio ſignum dicitur, quia ſignificauit.* Quid? D. Ambroſ. *Intelligimus, quod circuncisio corporalis ſignum circuncisionis ſpiritualis fuerit. Ergo ſignum miſit, donec veniret veritas. Aduenit Dominus Ieſus, qui non partem exiguam corporis in ſigno, ſed totum circuncidens hominem in veritate, ſignum deſtruxit & veritatem induxit.* 28. *Signum ſpiritualis circuncisionis.* Exod. 17. Lipom. Ambroſ.

Tulit olim Sephora *acutiſſimam petram, & circuncidit* 29.

Digitized by Google

Eandem cultor figurabat. D. Thom.

*cumcidit præputium filij ſui.* Exod. 4. Num culter lapideus de circunciſionis neceſſitate? Reſpondet D. Thom. 3. p. q. 70. art. 3. *Cultellus lapideus non erat de neceſſitate circunciſionis. Leguntur autem multæ circunciſiones famoſa cultello lapideo facta. Per quod figurabatur circunciſionem ſpiritualem eſſe faciendam per Chriſtum, de quo Apoſtolus; Petra autem erat Chriſtus.*

29. *Hæc eſt circumciſio ſecunda.* Ioſ. 5. Lyran. Strab.

Expreſsiùs Dominus ſpiritualem circunciſionem prænotauit, dum apud Ioſue: *Fac tibi* (inquit) *cultros lapideos, & circuncide ſecundò filios Iſrael.* Cap. 5. Vndenam circunciſio hæc ſecunda appellatur? Num alia prima? Lyr. *Dicitur hæc circunciſio ſecunda reſpectu illius, quam fecit Abraham de mandato Domini.* Gen. 17. Strab. obiicit: *Quomodo poteſt quis ſecundò circuncidi circunciſione carnali?* Ego quidem circuncifionem hanc ſecundam affirmo cum Lyran. reſpectu Abrahæ circunciſionis, ac ſimul cum Strabo ſecundæ ſpiritualis noſtræ imaginem extitiſſe. D. Iuſtin. *Beati nos* (inquit) *qui altera circunciſione* (Chriſti ſcilicet) *circunciſi ſumus.*

30. *Omnia obligat membra mortificationis lex.* Orig.

Iam verò ſpiritualis circunciſionis, ſeu mortificationis ſeriem ſpeciatim exhibeo, præmittens pulchrum Orig. teſtimonium hom. 3. in Geneſ. *Vos ergo populus Dei ſuſcipite dignam circunciſionem in auribus, in labiis, in corde, in omnibus omninò membris. Circunciſæ ſint aures, vt vocem non recipiant obtrectantis. Circunciſus eſt labijs, qui diſponit ſermones ſuos in iudicio, qui verboſitatem reprimit. Circumciſus eſt corde, qui puram fidem in conſcientia veritate cuſtodit. Vt perfectus ſit homo, omnia circumcidenda ſunt membra. Manus quidem à rapinis; pedes, ne veloces ſint ad effundendum ſanguinem; oculi, ne concupiſcant aliena; guſtus, vt ad gloriam Dei manducet, & bibat; odor, vt Chriſti bonus odor ſimus.* Hæc carptim ex prædicto Doctore. Tu ſingula pende, ego autem quinque ſpeciatim membrorum circumciſionem breuiter illuſtrabo.

31. *Oculorum infrænatio.* Carth.

Quodnam prius membrum circumciſionis vulnere afficiendum? Oculi quidem è quibus via omnis accipit ducatum. *Primò* (inquit Carthuſ.) *circumcidere debet Chriſtianus oculos ſuos.* Profectò ab oculis reliqua membra viam ſpiritus arripientia capiunt directionem. Dauid: *Auerte oculos meos, ne videant vanitatem, in via tua viuifica me.*

Pſalm. 118. Pſalm. 118. Tunc equidem me apud ſpiritus viam vitâ vberiori donabis, cùm meos oculos dirigens auerteris à vanitatis mundialis aſpectu.

Incogn. *Lex Euangelica* (loquor cum Incognito) *omnes actus noſtros dirigit, ne vanis intentis, Deum offendamus. Dirigit pedes, ne affectiones animæ ad vanitatem dilabantur. Dirigit manus, vt in noſtris operibus vanam gloriam non quæramus. Dirigit linguam, ne in vanum nomen Dei aſſumamus. Et ſic de omnibus alijs membris. Et quia inter omnes ſenſus viſus eſt nobilior, ideò ſub illo ſenſu omnes alios Pſalmiſta à Deo petit dirigendos: Auerte oculos meos, ait, ne videant vanitatem, &c.* Neceſſaria ergo prorſus oculorum infrænatio, è quibus ſpiritualis totius profectus felicitas videtur dependere.

32. *Linguæ & aurium vna compreſſio.*

Profectò ſicut ab oculis totius directio pendet inceſſus, ita audiui lingua adeò copulatur, vt effrænatio vnius alterius arguat; imò influat effrænationem. Quare ſimul ſenſus vterque cohibendus. Moyſes, *Incircuncifus* (ait) *labiis ego ſum.* Exod. 4. Steph. clamat, *Incircumciſi auribus vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis.*

Act. 9. Act. 9. Ille labiis circunciſus reſiſtit Deo, quia aures incircunciſæ erant, ad diuinæ vocis directioni obtemperandum. Hi auribus incircunciſi, quia ſemper deteſtabili haud circunciſa lingua Spiritui ſancto reſiſtit. *Moyſes* (inquit Beda) *incircumciſum ſe labiis eſſe querebatur, Stephanus Iudæis non credentibus; Incircunciſi, ait, auribus vos Spiritui ſancto ſemper reſiſtitis. Ille itaque verà circunciſione mundatus eſt, qui obturat aures ſuas, ne audiat ſanguinem, qui cuſtodit vias ſuas; ne delinquat in lingua ſua, & attendit ſibi.* Qui ſibi ſæpe grauiùs delinquenti non attendit, proximi innoxium ſanguinem linguæ nouaculâ miniſtrante profundit. Hic autem effuſus ſanguis priùs exauditur, (ne audiat ſanguinem) quàm diffundatur. Eo aures, & lingua incedentes pariter obiiciuntur. Beda.

33. *Manus vel leniter contingentis fœminam illigatio.* Math. 18. Carthuſ.

Manuum iam ſuperflua aggredior reſecare. *Si manus tua* (inquit Dominus) *ſcandalizat te, abſcinde.* Math. 18. Manum tuam fœmineæ implicas manui? Abſcinde. Non equidem, ais, huiuſmodi contactu ſcandalizor. Scisne, cum manus tua alteri fœmineæ pariat ſcandalum? Iſte igitur contactus te, vel alium ad ſcandalum adferens reſecandus. Dionyſ. Carth. audiendus: *Circumcidare debemus tactum ab omni contactu laſciuo, palpatu, & oſculo, & maximè dum quis ex tactu ſentit in ſe motum inordinatum. Et quamuis in ſe ipſo non ſentiat, tamen debet timere, ne fiat alteri alicuius ordinatæ motionis occaſio.*

34. *Cordis circumciſio.* Beda.

Venio ad cordis circunciſionem, incircunciſos enim corde Iudæos affirmauit Stephanus. Hi profectò corde incircuncisi, qui ab ſpiritu hypocriſis arripiuntur. Præſtat ex Beda Venerabili audiſſe: *Ipſa bona altero circumciſione non minus indiget, vt cùm ieiunio, oro, eleemoſynam facio, gloriam intrinſecùs quæram. Nam ſi in angulis platearum ſto, faciem demolior, tubâ ante me cano, vt videar, & lauder ab hominibus: foris quidem circumciſus appareo, ſed immundus in corde permanens, pœnas ſimulatæ ſanctitatis incurro.* Subiicit Sichimitarum circumciſorum quidem opere externo, non affectu cordis, hiſtoriam: *In exemplum Sichimitarum, qui cùm Patriarcharum circumciſionem viderentur imitari: quia non ob Domini teſtamentum, ſed ob cauſam fecêre luxuriæ, non modò nihil acquiſiêre mercedis, verùm tertiâ die, quando grauiſſimus vulnerum dolor eſt, inter ſua Ciuitatis periêre ruinas. Tales namque obliti propheticæ admonitionis, Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium veſtrorum.* Sic ille.

35. *Mortificationes ad implenda præcepta reddit agiliores.* Gen. 17. Orig.

Nec ſine vberi fructu huiuſmodi circumciſionis perſequeris ſtudium. Primus ergo ſpiritualis fructus circumciſionis eſt ad implenda Dominica præcepta facilitas. Cultro ſpirituali percuteris, & caro tua Dei teſtamento conformatur. *Eritque* (inquit Deus) *pactum meum in carne veſtra in fœdus æternum,* Geneſis capite decimo ſeptimo. Vbi Origenes pro *pactum, teſtamentum* ponit. Ac ſi diceret, ſi percutiamini ſpiritualis circumciſionis gladio per membrorum mortificationem, vniuerſæ legis adhæreſcetis obſeruationi. *Si mortificauero* (inquit Pater) *membra mea, quæ ſunt ſuper terram, teſtamentum Domini habeo ſuper carnem meam.* Vix etenim ſub mortificationis aſpectu vlla poteſt aduerſus legis obſeruantiam difficultas præualere.

36. *Nos efficit dulciùs Deo cohærere.*

Deinde prædictæ circumciſionis effectu non ſolùm teſtamento Dei, ſed ipſi Domino dulciter, & firmiter copulamur. Ieſus circûciditur, poſt

*Neſcio quanã incontinẽtia ex linguæ effrænatione arguatur in Iuda.* Hugo.

*denariis, & datum eſt pauperibus.* Audio linguam effrænem, incontinentem non video. Num luxuriei notâ vnquam Iſcariothes inuſtus? Addit Pater: *Dixit autem hoc, non quod pauperes haberet curæ, ſed quia fur erat.* Furti huiuſcemodi adnotanda occaſio. Hug. Card. cenſet ea, quæ Iudas furabatur, vxoris adhuc ſuperſtitis applicari ſuſtentationi. *Habebat enim*, ait ille, *vxorem, iuxta illud: Fiat vxor eius vidua.* Num affectu Iudas in nuptiales voluptates deferretur? Minimè. Nec enim flamma hæc ad Chriſti collegas auſa eſt introitum inſtituere. Attamen id ſolummodo fundamentum apponitur, vt ingenioſè Antiochus ex linguæ effrænatione neſcio quam arguat in Proditore incontinentiam.

22. *Epulo loquax & immundus* Luc. 16. Lyran.

Diues ille tartareo immerſus incendio ſoli linguæ expetit, & procurat refrigerationem. *Mitte Lazarum, vt intingat digitum in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Luc. 16. Et cur ſolius linguæ medelam procurat? Scio Lyranum reliquôſque penè interpretes eò tendere, vt probent plus in lingua diſcruciari loquacem: *Ibi plus*, ille ait, *cruciabatur, quia per linguam plus peccauerat ſecundùm officia naturæ, in quibus lingua deſeruit loquelæ. Quia inter epulas ſplendidas magis laxatur lingua.* Sequor in præſenti Interlin. expoſitionem. Aſſerit enim diuite conflagrante myſticè deſignari luxurioſum. Iam igitur rurſum ad quæſtionem aduoco: Si luxurioſi hominis typus tartareo cœco voluptatum igne carpitur: quare ſoli ardenti linguæ petit refrigerium? Quia ſibi tam mutuò reſpondent lingua & luxuries, vt extincto linguæ procacis incendio, luxuriei flamma extingui protinus videatur.

23. *Palea verborũ luxurioſi ignem materiã ſubministrat.* Iud. 12. Stephan.

Occupantibus vada Iordanis Galaaditis, per quæ Ephraim erat reditum molituros: *Cum veniſſet ad ea* quidam *de Ephraim numero fugiens, atque dixiſſet: Obſecro vt me tranſire permittatis,* obiiciunt Galaaditæ, *Numquid Ephrathæus es?* Quo reſpondente, *Non ſum:* periculum facturi circa hunc Galaaditæ, ſic conclamitant, *Dic ergo, Scibboleth*, quod interpretatur *ſpica. Qui reſpondebat Sibboleth*, quod ſonat *paleas, eadem litterâ ſpicam exprimere non valens.* Statimque apprehenſum iugularunt Iudic. 12. Stephan ex Beda affirmat Ephraim idem eſſe ac fructificans temporaliter, ſeu qui temporariæ generationi operam impendit. Hi quidem non poſſunt *Scibboleth*, id eſt, ſpicam pronunciare, ſed *Sibboleth*, ſiue paleas exprimere. Vana, laſciua verba Pythonica volubilitate emittunt ad temporarium luxuriei fructum, non ad ſpiritualem generationem, ſeu multiplicationem ſpectantia. Concludit, *In temporalibus fructificantes, & amatores non poſſunt loqui de fructu pleno, ſed paleas reſtè pronunciant. Vnde Iſaias, Et eris quaſi Pythonis vox tua.* Quando non procacitas cum libidine init conſortium?

24. *Vel profani conteſtautur.*

Porrò linguæ fluxum intemperantiæ indicem extitiſſe Philoſoph. 3. Eth. affirmauit, fatus: *Qui fabellarum cupiditate ducuntur, vel ſtudio narrandi trahuntur, eos nos intemperantes dicimus.* O quàm appoſitè Laërtius l. 2. cap. 6. *Bias nauigans cum hominibus inuerecundis tempeſtate correptus, aliis vociferantibus: Silete, inquit, ne Dij vos homines inuerecundos hic nauigare ſentiant.* Quaſi largiter diffuſa lingua clamantium luxuriem inuerecundam quodammodo manifeſtaret. Ad circuncisionem ergo lingua afferatur, vt incontinentiæ adhibeatur medicamen. Id quod ad procaces dirigo feminas nimiùm ſuæ continentiæ iactatrices. De igne, aiunt, loquimur, haud igne perimus. Vix equidem impudica loquacitas ab immundis affectibus ſeparatur. Nam quæ paleas loquitur, igni voluptatum materiem ſubminiſtrat.

# OBSERVATIO IV.

## Ad illa verba:

## *Vt circunciderettur.*

## Omnimoda hominis ſpiritualis circuncisio ex Ieſu.

### *Vbi de mortificationis neceſſitate.*

25. *Decima quarta cauſa* Beda.

QVARTAM decimam ex Beda Circunciſionis Ieſu cauſam accipite: *Redemptor noſter, qui vt peccata mundi tolleret, ſine peccato venit in mundum, ſicut ſuo Baptiſmate nobis remedia procurauit, id eſt, noſtris abluendis ſceleribus aquarum, quæ ſubiit, lauacra conſecrauit: ita etiam circunciſione, quam ſuſcepit, non ſua, quæ nulla erant, admiſſa purgauit; ſed noſtra in ſe naturæ vetuſtatem docuit innouandam.*

26. *Quomodo perficienda circunciſio hæc.* Carth.

Porrò Dionyſ. Carth. quonam modo ſpiritualis circunciſio hæc ſit inſtituenda, & perficienda, hiſce verbis oſtendit. Circunciſio aliud non videtur, niſi alicuius ſuperfluitatis abſciſſio. Quid ergo ſuperfluit nobis niſi propria culpa? Propterea ſpiritualis circunciſio eſt peccati abſciſſio, omniúmque membrorum corporis, ac virtutum animæ ab inordinato, atque illicito motu, actu, & vſu repreſſio. Hanc ſpiritualem circunciſionem docet Saluator, dicens: Si manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum. Quæ verba non ſunt de corporali abſciſſione accipienda, quia nequaquam debet mutilare ſe homo ſed de abſciſſione ſpirituali, vt ſcilicet motum illicitum manuum, pedum, oculorum, & aliorum membrorum abiiciamus. Sic ille.

27. *Mortificatio circunciſio eſt æternum duratura.* Exod 17. Rupert.

Quam equidem ſpiritualem circunciſionem innuit Dominus, dum inquit, *Erit pactum meum in carne veſtra in fœdus æternum.* Exod. 17. Vbi Rupert. reuocat ad quæſtionem: *Quomodo circuncidendi ritus æternus eſſe poterit*, præcipuè cum vigente Baptiſmatis lauacro, omninò circunciſionis ritus fuerit ablegatus? Ruper. *Ad Chriſtum* (inquit) *reſpicit hoc dictum, qui vera caro de illorum carne eſt, in quo fœdus eſt in æternum, quia ipſe circunciſus eſt caro noſtra, qui fecit vtraque vnum.* Fecit inquam, vtraque vnum, quia populum vtrũque ad circunciſionis legem curauit allicere. Dum circunciſione carnis ablegatâ, legem ſpiritualis circunciſionis indixit.

28. *Signum ſpiritualis circunciſionis.* Exod. 17. Lipom. Ambroſ.

Eadem veritas ex illis confirmatur: *Vt ſit ſignũ inter me, & te*, Exod. 17. Et quare *ſignum* appellatur circunciſio? Lipom. *Circunciſio ſignum dicitur, quia ſignificauit.* Quid? D. Ambroſ. *Intelligimus, quod circunciſio corporalis ſignum circunciſionis ſpiritualis fuerit. Ergo ſignum miſit, donec veniret veritas. Aduenit Dominus Ieſus, qui non partem exiguam corporis in ſigno, ſed totum circuncidens hominem in veritate, ſignum deſtruxit & veritatem induxit.*

Tulit olim Sephora *acutiſſimam petram, & circuncidit* 29.

*Eandem cul-terfigurabat.* D.Thom. *cumcidit præputium filij ſui.* Exod. 4. Num culter lapideos de circunciſionis neceſſitate? Reſpondet D.Thom.3. p.q.70. art.3. *Cultellus lapideus non erat de neceſſitate circunciſionis. Leguntur autem multæ circunciſiones famoſæ cultello lapideo factæ. Per quod figurabatur circunciſionem ſpiritualem eſſe faciendam per Chriſtum, de quo Apoſtolus; Petra autem erat Chriſtus.*

29\. *Hæc eſt circumciſio ſecundo.* Ioſ. 5. Lyran. Strab. Expreſsiùs Dominus ſpiritualem circunciſionem prænotauit, dum apud Ioſue: *Fac tibi* (inquit) *cultros lapideos, & circuncide ſecundo filios Iſrael.* Cap. 5. Vndenam circuncifio hæc ſecunda appellatur? Num alia prima? Lyr. *Dicitur hæc circunciſio ſecunda reſpectu illius, quam fecit Abraham de mandato Domini.* Gen. 17. Strab. obiicit: *Quomodo poteſt quis ſecundò circumcidi circunciſione carnali?* Ego quidem circunciſionem hanc ſecundam affirmo cum Lyran. reſpectu Abrahæ circunciſionis, ac ſimul cum Strabo ſecundæ ſpiritualis noſtræ imaginem extitiſſe. D.Iuſtin. *Beati nos* (inquit) *qui altera circunciſione* (Chriſti ſcilicet) *circuncißi ſumus.*

30\. *Omnia obligat membra mortificationis lex.* Orig. Iam verò ſpiritualis circunciſionis, ſeu mortificationis ſeriem ſpeciatim exhibeo, præmittens pulchrum Orig. teſtimonium hom. 3. in Geneſ. *Vos ergo populus Dei ſuſcipite dignam circumciſionem in auribus, in labiis, in corde, in omnibus omninò membris. Circumciſa ſint aures, vt vocem non recipiant obtrectantis. Circumciſus eſt labijs, qui diſponit ſermones ſuos in iudicio, qui verboſitatem reprimit. Circumciſus eſt corde, qui puram fidem in conſcientia veritate cuſtodit. Vt perfectus ſit homo, omnia circumcidenda ſunt membra. Manus quidem à rapinis; pedes, ne veloces ſint ad effundendum ſanguinem; oculi, ne concupiſcant aliena; guſtus, vt ad gloriam Dei manducet, & bibat; odor, vt Chriſti bonus odor ſimus.* Hæc carptim ex prædicto Doctore. Tu ſingula pende, ego autem quinque ſpeciatim membrorum circumciſionem breuiter illuſtrabo.

31\. *Oculorum infrenatio.* Carth. Quodnam prius membrum circumciſionis vulnere afficiendum? Oculi quidem è quibus via omnis accipit ducatum. *Primò* (inquit Carthuſ.) *circumcidere debet Chriſtianus oculos ſuos.* Profectò ab oculis reliqua membra viam ſpiritus artipientia capiunt directionem. Dauid: *Auerte oculos meos, ne videant vanitatem, in via tua viuifica me.* Pſalm. 118. Tunc equidem me apud ſpiritus viam vitâ vbetiori donabis, cùm meos oculos dirigens auerteris à vanitatis mundialis aſpectu. *Lex Euangelica* (loquor cum Incognito) *omnes actus noſtros dirigit, ne vanis intentis, Deum offendamus. Dirigit pedes, ne affectiones animæ ad vanitatem dilabantur. Dirigit manus, vt in noſtris operibus vanam gloriam non quæramus. Dirigit linguam, ne in vanum nomen Dei aſſumamus. Et ſic de omnibus alijs membris. Et quia inter omnes ſenſus viſus eſt nobilior, ideò ſub illo ſenſu omnes alios Pſalmiſta à Deo petit dirigendos: Auerte oculos meos, ait, ne videant vanitatem, &c.* Neceſſaria ergo prorſus oculorum infrænatio, è quibus ſpiritualis totius profectus felicitas videtur dependere.

Pſalm. 118.

Incogn.

32\. *Lingua & aurium vna compreſſio.* Profectò ſicut ab oculis totius directio pendet inceſſus, ita auditui lingua adeò copulatur, vt effrænatio vnius alterius arguat, imò influat effrænationem. Quare ſimul ſenſus vterque cobibendus. Moyſes, *Incircunciſus* (ait) *labiis ego ſum.* Exod. 4. Steph. clamat, *Incircuncißi auribus vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis.* Act. 9. Ille labiis circunciſus reſiſtit Deo, quia aures incircunciſæ erant, ad diuinæ vocis directioni obtemperandum. Hi auribus incircuncißi, quia ſemper deteſtabili haud circunciſa lingua Spiritui ſancto reſiſtût. *Moyſes* (inquit Beda) *incircunciſum ſe labiis eſſe querebatur, Stephanus Iudæis non credentibus; Incircuncißi, ait, auribus vos Spiritui ſancto ſemper reſiſtitis. Ille itaque verà circumciſione mundatus eſt, qui obturat aures ſuas, ne audiat ſanguinem, qui cuſtodit vias ſuas, ne delinquat in lingua ſua, & attendit ſibi.* Qui ſibi ſæpe grauiùs delinquenti non attendit, proximi innoxium ſanguinem linguæ nouaculâ miniſtrante profundit. Hic autem effuſus ſanguis prius exauditur, (ne audiat ſanguinem) quàm diffundatur. En aures, & lingua incedentes pariter obiiciuntur.

Act. 9.

Beda.

33\. *Manus vel leniter contingentis fœminam illigatio.* Math. 18. Carthuſ. Manuum iam ſuperflua aggredior reſecare. *Si manus tua* (inquit Dominus) *ſcandalizat te, abſcinde.* Math 18. Manum tuam fœmineæ implicas manui? Abſcinde. Non equidem, ais, huiuſmodi contactu ſcandalizor. Sciſne, num manus tua alteri fœmineæ pariat ſcandalum? Iſte igitur contactus te, vel alium ad ſcandalum adferens reſecandus. Dionyſ. Carth. audiendus: *Circumcidere debemus tactum ab omni contactu laſciuo, palpatu, & oſculo, & maximè dum quis ex tactu ſentit in ſe motum inordinatum. Et quamuis in ſe ipſo non ſentiat, tamen debet timere, ne fiat alteri alicuius ordinatæ motionis occaſio.*

34\. *Cordis circumciſio.* Beda. Venio ad cordis circunciſionem, incircunciſos enim corde Iudæos affirmauit Stephanus. Hi profectò corde incircuncißi, qui ab ſpiritu hypocriſis arripiuntur. Præſtat ex Beda Venerabili audire: *Ipſa bona actio circumciſione non minus indiget, vt cùm ieiuno, oro, eleemoſynam facio, gloriam extrinſecùs quæram. Nam ſi in angulis platearum ſto, faciem demolior, tubâ ante me cano, vt videar, & lauder ab hominibus: foris quidem circumciſus appareo, ſed immundus in corde permanens, pœnas ſimulatæ ſanctitatis incurro.* Subiicit Sichimitarum circumciſorum quidem opere externo, non affectu cordis, hiſtoriam: *In exemplum Sichimitarum, qui cùm Patriarcharum circumciſionem viderentur imitari, quia non ob Domini teſtamentum, ſed ob cauſam fecêre luxuriæ, non modò nihil acquiſiêre mercedis, verùm tertiâ die, quando grauiſſimus vulnerum dolor eſt, inter ſua Ciuitatis periêre ruinas. Tales namque obliti propheticæ admonitionis, Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium veſtrorum.* Sic ille.

35\. *Mortificationes ad implenda præcepta reddit agiliores.* Nec ſine vberi fructu huiuſmodi circumciſionis perſequeris ſtudium. Primus ergo ſpiritualis fructus circumciſionis eſt ad implenda Dominica præcepta facilitas. Cultro ſpirituali percuteris, & caro tua Dei teſtamento conformatur. *Eritque* (inquit Deus) *pactum meum in carne veſtra in fœdus æternum,* Geneſis capite decimo ſeptimo. Vbi Origenes pro *pactum, teſtamentum* ponit. Ac ſi diceret, ſi percutiamini ſpiritualis circumciſionis gladio per membrorum mortificationem, vniuerſæ legis adhæreſceris obſeruationi. *Si mortificauero* (inquit Pater) *membra mea, quæ ſunt ſuper terram, teſtamentum Domini habeo ſuper carnem meam.* Vix etenim ſub mortificationis aſpectu vlla poteſt aduerſus legis obſeruantiam difficultas præualere.

Gen 17. Orig.

36\. *Nos efficit dulciùs Deo cohærere.* Deinde prædictæ circumciſionis effectu non ſolùm teſtamento Dei, ſed ipſi Domino dulciter, & firmiter copulamur. Ieſus circúciditur, poſt

circumciſionem autem ſiſtitur Domino: *Vt ſiſterent cum Domino.* Luc. 2. Quid poſt circumciſio-
Luc. 2. Beda. nem niſi ad Deum profectio, cum ipsôque perfecta copulatio? Beda: *Ieſus poſt circumciſionem Hieruſalem allatus, & Domino oblatus eſt.* Magnum
prorſus emolumentum coniungi Creatori. Quod
exprimens Iſaias, profatur: *Quis poterit habitare*
Iſai. 33. Hugo. *cum igne deuorante?* Cap. 33. Vbi ſic Hugo Card.
*De hac circumciſione habetur apud Iſaiam; Quis poterit habitare cum igne, id eſt, cum Deo? Deus enim ignis conſumens eſt, conſumens, inquam, malitia rubiginem. Et ſubiungitur: Qui ambulat in iuſtitijs: Ecce circumciſio linguæ. Qui proiicit auaritiã, &c. Ille in excelſis habitabit.* Quàm facilis huiuſmodi circumciſio ſub tantæ munerationis aſpectu!

37. *Æterno nos paradiſo donat.* Æterna denique felicitas ex ſpirituali circũmciſione ducit exortum. Nec enim æternùm durat huiuſce inſitio gladij percutientis. Deus olim *flammeum gladium, atque verſatilem collocauit ad*
Gen. 3. *cuſtodiendam viam ligni vitæ.* Gen. 3. Ponderanda huiuſce gladij & acies, & conditio obiicitur. Flammeus eſt, verſatilis eſt. Sine flammeo circumciſionis gladio paradiſi non patet ingreſſus, percutere, vulnerare, comburere quicumque ad cælum reditum paras. At gladius verſatilis oſtentatur; erit namque quando omninò gladius auferatur, ne circumciſionis acria vulnera ſuſtineas. Vtrumque
Lipom. adnotans. Lipom. ait, *Hic flammeus gladius figura fuit circumciſionis gladij, per quam ſaluantur homines. Sed verſatilis eſt, eo quod remouendus, & penitus tollendus.* Ita Doctor.

# OBSERVATIO V.

## Ad illa verba,

## *Vt circuncideretur.*

## Sapiens Conſiliarius Ieſus circumciſioni traditur, ne paruulos ſcandalizet.

### *Quia ſapientis eſt remouere ſcandali occaſionem; inſipientis autem anſam ſcandalo præbere.*

38. *Decimaquinta cauſa.* DEcimamquintam inſuper circumciſionis cauſam accipite. Circumciſionis vulneri traditur, ne paruulos ſcandalizet. Puer profectò valdè à prudentiâ, à ſapientia re-
Ambroſ. motus. Aſt quiſnam Puer noſter? Ambroſ. *Ille de quo dictum eſt, Puer datus eſt nobis, & vocabitur nomen eius, Admirabilis, Conſiliarius.* Iſai. 9. Et cur hodie Ieſus Conſiliarius admirabilis vocitatur? Quia omne ſcandalum curat remoueri, dicente Carthuſ. *Circumciditur, vt Iudæorum ſcandalũ euitaret.* Pollentis quippe conſilio, ac prudentiâ viri eſt, amouendo ſcandalo curam impendere. Porrò Anaſt. Nicen. hortatur eos, qui pollent ſapientiâ, ne licitis actionibus paruulis ſcandalum adminiſtrent. *Nam ſi quis* (inquit, aſſumens id ex Apoſtolo) *viderit te, qui habes ſcientiam, in idolio recumbentem, ædificabitur, ad veſcendum de idolothytis.* Vbi carpit eos, qui ſcientiâ vigent, quod illâ minimè vſi fuerint, ad vitandam ſcandali occaſionem. Inſcij proculdubiò, & imprudentis animi eſt, remouendo ſcandalo operam non nauare. Vtrumque oſtendam.

---

## Capvt I.

### *Prudentiâ præditi viri eſt, ſcandalum vitare.*

ABraham olim immiſſus, vt ſapientiæ Paleſtinos normam edoceret. Et quonam modo 39. *Abraham ſapiẽtia magiſter ſcãdalum vitare debebat.*
ſeſe ſapientiæ magiſtrũ oſtentauit? Dixit ad Loth: *Ne quæſo, ſit iurgium inter me & te, & inter paſtores meos, & paſtores tuos; fratres enim ſumus. Ecce vniuerſa terra coram te eſt, recede à me obſecro. Si ad ſiniſtram ieris, ego dexteram tenebo; ſi tu dexteram elegeris, ego ad ſiniſtram pergam.* Gen. 13. Qui Gen. 13.
igitur ſapientiæ magiſter aduentarat prudenter occaſionem ſcandali amoueri curauit. Pulchrè D. Chryſoſt. *Debebat* (inquit) *Abraham, vtpote* Chryſoſt.
*miſſus omnibus Paleſtinæ cultoribus ſapientiæ Doctor, nullam ſcandali dare occaſionem.* Huiuſmodi etenim debito ſapientiam illigari neceſſum eſt. *Debebat Abraham.*

Datur hinc cauſam dignoſcere, cur Deus ad 40. *Tribus Ephraim ſtulta, ex ſcandaloſo parente.*
Regnum Tribum Iuda, non autem Ephraim elegerit, dicente Dauide, *Tribum Ephraim non elegit, ſed elegit Tribum Iuda.* Pſalm 77. Vis Tribus Iuda aptitudinem adminiſtrando Regno recenſeam? Pſalm. 77.
*Elegit Tribum Iuda montem Sion, quem dilexit.* Auguſt.
Auguſt. *Tribum, inquam, Iuda, quæ futura ſpeculatur. Nam & Sion ſpeculatur futura.* O quàm ſapiẽs prouidentia neceſſaria regimini! Tribus autem Ephraim in Regnum nõ aſſumitur. Quare autem è Regum codice expuncta? Quia minimè pollens ſapientiâ, inepta erat gubernationi. Iam quæris, vndenam inſipientiam Tribus Ephraim ſapientiſſimi Proregis Ioſeph filiæ oſtentari? Mater hæc Tribus hominis ſcandaloſi. *Quia Roboam* (inquit Theod.
Theod.) *ex hac Tribu originem ducens ex Dauidico Regno decem Tribus abduxit.* Nunquid ſpinę vuas parturient? Inſipiens ſcandaloſus vir quomodo non ex ſtulta parente duxiſſe ortum obiiceretur? Iam calleo cur Ioannes Iſraelis Tribus recenſens alto Tribum Ephraim ſilentio prætererit, quippe quæ tam infelix, vt Ieroboam petram illam ſcandali peperiſſet. Et quonam modo inter homines mater quaſi bruti adnumeraretur?

De Puero Conſiliario Propheta ſic, *Butyrum* 41. *Ideo ſcandali occaſionem amouent Ieſus conſiliarius oſtenditur.*
*& mel comedet, vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum.* Iſai. cap. 7. Pende illud: *Vt ſciat.* In quonam huiuſmodi ſapientia ſita eſt? Nonne in electione boni, maliquen reprobatione? Ita planè. Cur ergo viri inſipientis eſt licitis hærere, licet inde ſequatur ſcandalum? Quia quod bonum eſt Iſai. 7.
ſecundùm ſe malum propter euenieos ſcandalum oſtentatur. *Bonum eſt,* (ait Apoſtolus) *non manducare carnem, & non bibere vinum.* Rom. 14. Ergo malum eſt manducare, & bibere. Addit, *Neque in quo frater tuus offenditur, & ſcandalizatur.* Propter ſcandalum etenim aduentans malum redditur, quod ſuapte naturâ bonum eſt. Audi Paſchaſ. Paſchaſ.
2. in Matth. *Bonum eſt mihi, carnem non manducare, & vinum non bibere, quoniam malum eſt*

*homini,*

*homini, qui per offendiculum manducat, & bibit.* Ieſus itaque ſapientiâ pollens, adhuc puer obiicitur, dum reprobat vti malum id, quod ſuapte naturâ bonum eſt, dum nullam pueriles ætatis obligationem non expleuit. *Butyrum, & mel comedet.* Id eſt, ſeſe vti puerum communem nobis dans in morem cæterorum, & vbera exuget, & vagitus excitabit, & circumciſioni eultro tradetur. Vt ſciat veluti malum reprobare, quod ex natura eſt bonum, ne ſcandalum fratribus excitetur.

## Capvt II.

*Inſcij, ac brutalis animi eſt, dare ſcandalo occaſionem.*

42. *Eua ſcandalizâtis inſcitia.* PRæmitto D. Baſilium ſantem: *Scandalizat quidem aliquis, quandocumque dictis, factisve legem violat, & exemplo ſuo alium ad legis violationem inducit, vt Eua Adam.* Parens ſcâdali Eua, Ad ſapientiæ mulieris examen veniamus. Paulus ſic: *Adam nõ eſt ſeductus, Eua autem ſeducta fuit.*

1. Tim. 2. 1. Tim. 2. Hinc Doctores inquirunt, num Adam fuerit abſolutè ſeductus? Affirmo nullatenùs vitum ſeductum fuiſſe. Placet attamen in præſenti

Chryſoſt. D Chryſoſt. expoſitionem recensère: *Non eſt* (inquit) *par Adami & Eue ſeductionis ratio. Ille ſeductus eſt à muliere, hac autem decepta eſt à beſtia que ſeruituti hominis fuerat addicta. Paulus ergo in comparatione mulieris affirmat non fuiſſe Adam deceptum.* Quæ ab animanti bruto ſeducta prædicatur, maiori proculdubiò inſcitiæ brutalitate tenetur, quàm beſtia ſeducens. Vnde Port. Cato feminam brutum animal appellauit effræne. Date (ait) frænum impotenti naturæ, & indomito animali. Et quomodo non brutali conditioni ſcandali adhæret ſcaturigo?

43. *Qui alicui ſcandalo eſt non ſapit.* Nec mirum feminam minore à natura ſapientiâ præditam, ab inſcitia excitari, vt ſcandalum moueat, ſi vir aliàs ſapientiâ ornatus, occaſionem ſcandalo exhibens, inſipientiæ arguatur. D. Petrus ad regimen Eccleſiæ aſſumendus, vt porè prudentiâ, ac ſapientiâ admodũ præditus, Chriſto ſe accingenti ad paſſionem ſic obiicit: *Abſit à te Domine, non erit tibi hoc.* Cui Redemptor, *Vade poſt me Satana, ſcandalum es mihi, quia non ſapis.*

Matth. 16. Matth. 16. Quam pulchrè cauſa ſcandali ſignatur inſcitia! *Scandalũ es mihi, quia non ſapis. Vtinam ſuperes* non vtique meæ paſſioni obſtacula obiiceres; quia *nouiſſima*, id eſt, ipſius paſſionis effectus *prouideres.* D. Baſil. *Scandalizat aliquis etiã quandocumque prohibet exequi voluntatem Dei. Vt Petrus Dominum, quando dixit, Non erat tibi hoc. Cui dictum eſt; Scandalũ tu mihi es, quia non ſapis.* Proh ſcandalizantis inſcitia, quando vel ſapientiſſimus Petrus inſipientiæ quodammodò arguitur, ſcandali improuidens excitator, ab omni tamen malitiæ ſuſpicione liber.

44. *Scandalizãs circa cibum aliàs nõ prohibitum molâ cibum teris aſinariâ. Matth. 17.* Porrò ſcandalum excitantis inſcitiam apud Matthæum apertiùs Saluator expreſſit; *Qui ſcãdalizat vnum de puſillis iſtis, expedit ei, vt ſuſpendatur mola aſinaria, & demergatur in profundum maris.* Cap. 17. En ſuplicium, quo Deus in ſcandali motores inſurgit. Exiſtimo planè aſinaria quem mola demergi, idem eſſe, ac propter inſcitiam cũ brutis amandari. Paſc. 8. in Matth. ſic, *Verum, ait, & molarum differentia ex hoc loco iure queruntur. Quia ſunt humana, ſunt & aſinarie, ſeu iumentorum. Aſinaria autem iſta eſt, qua imponitur ſcandalizanti, vt demergatur in profundum maris.* Videtur Pater nomeo *Mola*, non tam de molendino, (vt mihi certum) quam minus propriè de ore vſurpare, dum ait humanas eſſe molas. Ac ſi alios ſcandalizanti, cùm comedit, & bibit (licèt aliàs licitum ſit, vti Paulus ait) inſigne imponatur demergendo, collo eius mola aſinaria appenſa, quæ de iumenti more ſine prudentia cibos manducans attriuit, vnde ſcandalum habuit exortum.

Porrò expeditiori viâ incedens Abbas, vt ſcandalizantis exprimat conditionem, huiuſmodi hominem aſinariæ illigat molæ ſub alia ſignificatione, vt ſcilicet iumentorum exerceat miniſterium, memoránſque Samſonis ruinam, cùm aſſerit horumce brutorum typum geſtauiſſe, vnde eis oculi in deperditæ ſcientiæ ſignum eruuntur. *Samſon ille fortiſſimus* (ait) *non priùs ad molam, vt molat, mittitur, quàm ei oculi eruantur. Quia cacitate,* (ſcilicet inſcitiæ) *quicumque percuſſus fuerit, in circuitu iugiter ambulabis.* 45. *Scandali excitatores cũ Samſone molæ alligãtur.* Paſchaſ.

*Ant. de Eſcob. & Mendoza, de Sanct. Tom. I.*

# OBSERVATIO VI.

Ad illa verba:

*Vt circumcideretur.*

## Puer circumciditur, vt communitatis bona commendet, ſingularitatem damnet.

*Bonorum enim fons communitas, malorum ſingularitas ſcaturigo eſt.*

DEcimam sextam circumciſionis Ieſu cauſam Dionyſius ſubiicit Carthuſianus: *Propter communitatis commendationem, vt & nos ſingularitatem vitemus.* Hæret Ieſus peccatoris gerens perſonam, Abrahamo, Iſaaco, Iacobo, omnibus fidelibus circumciſis copulatur, ſequendo communitatis fructus commendans, condemnans ſingularitatis exitialis damna. Inſolens collega communitatis Sanctorum ſæpè immunitate perfruitur. Vir aliàs iuſtus ſingularitati adhæreſcens, non ſemel miſerè deplorat. Vtrumque perſequor. 46. *Decima ſexta cauſa.* Carthuſ.

## Capvt I.

*Communitatis bonum.*

O Quàm vtile vel cani immundiſſimo communitati filiorum adhærere! Sit tibi religioſus aliquis irreligioſus, canis vtique ad voluptatum ſecularium ſtercora accurrens, communi tamen menſæ hæreſcat, ſingularitatem fugiat, communitatis & in victu, & in veſtitu gaudeat parſimoniâ. O canis ex Dei munificentia 47. *Vt canis cõmunitati hærendo nutritur in filiũ.*

nificentia filiorum tandem reficiendus alimento! Apprimè quadrat Chananææ hiſtoria. Acceſſit ad Chriſtum pane filiorum reficienda. Cui Dominus: *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & dare canibus.* Aſt illa: *Etiam Domine, nam & catelli comedunt de micis, quæ cadunt de menſa Dominorum ſuorum.* Matth. 15. Se canem efficit filiorum, quia domini vel canes nutrire tenentur, cùm ſint familiæ pars. O Domine, me canem non decet ad panem filiorum accedere, ſed me familiæ partem filiis adhæreſcentem donare teneris alimoniâ. D. Chryſoſt. *Ille dicit,* Non eſt bonum. *Hæc autem dixit,* Vtique Domine. *Ipſe Iudæos filios vocat. Hæc dominum: ipſe canem eam nominauit. Hæc & opus canis adiecit. Ac ſi dicat; ſi canis ſum, non ſum aliena. Canem me dicis? ergo nutri me vt canem. Non poſſum relinquere menſam Domini mei.* Proh canis felicitas Dominicæ familiæ partis! Communitati copulare, ad bonam te fortaſſe frugem recipies.

Matth 15. Chryſoſt.

48. *An dum lignum communis irrigationis beneficio floreſcit.* Num. 24.

Quid cani cum filiis, quid arido ligno cum floribus? Profectò arbor infœcunda apud communitatis fluenta ſæpè conuertitur in hortum plenum abundantiâ: *Quàm pulchra tabernacula tua, Iacob, & tentoria tua, Iſrael! Vt valles nemoroſa, vt horti iuxta fluuios irrigui.* Num. 24 Nemoroſæ valles ſine fructibus diffluentis nomine inſigniuntur. Quid ſterili nemori cum horti abundantiâ? Profectò nemora infœcunda iuxta fluenta diuerſantur, communitatis irrigatione perfruuntur; quidni erunt tanquam lignum, *quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum* (licèt aridum nunc) *dabit in tempore*? Pſalm. 1. Ligna etenim ſterilia conuertuntur ſæpè in oleta, ſyluæ in hortos communis irrigationis beneficio mutãtur. Pulchrè Orig. *Rigatione enim ſyluæ & inundantur, & ad omnem agnitionem cæleſtem nutriuntur.*

49. *Vel dyſcoli hiſce bonis fruuntur.* Pſalm 78. Caſſiod.

Non benè audiunt finitimi hoſtes apud Dauid, à quibus Rex opprimebatur: *Facti ſumus* (ait) *opprobrium vicinis noſtris.* Conſequenter adiungit, *Et redde vicinis noſtris ſeptuplum in ſinu eorum.* Pſalm. 78. Quid ſeptuplum reddi vicinis? Caſſiod. *Vicinis, de quibus ſuprà ait;* Facti ſumus opprobrium vicinis noſtris: *Redde ſeptuplum. Septuplum hic perfectionem ſignificat muneris cæleſtis, quod accipimus, quando Spiritus ſancti illuminatione complemur. Redde dico, in ſinu eorum.* Si vicinis, ſi finitimis hæc, quid in medio Monaſterij inter viros, aut feminas ſanctiſſimas commoranti? Quid communitatis ſequendę amatoribus?

---

## Capvt II.

### *Singularitatis malum.*

50. *Fugiens à communitate hæret Diabolo.*

DEſerti Incola Dæmon, communitatis oſor. Quid ſi ſocius peculiaris cuiuſuis perfectionis ſtudioſus à communibus diſcedat exercitamentis? Hic proculdubiò adhæreſcit Diabolo apud ſolitudinem ſingulariter commoranti. Minimè inter ſocios Satanas apud deſerta conſtitutus, vbi ab Angelo religatus æternùm perſeuerat. *Dixitque Balaam ad Balac: Ædifica mihi hic ſeptem aras, & para totidem vitulos, & eiuſdem numeri arietes, ſta paulisper iuxta holocauſtum tuum, donec vadam, ſi fortè occurrat mihi Dominus.* Num. 23. Quare Balaam Iſraelem maledicturus, à Balac diſceſſerit? Num vt ad

Num. 23.

Deum preces effuſurus ſolitudinem capiat? Reſpondet Lyran. *Licet nominet hic nomen Domini, intendebat tamen habere reuelationem à Dæmone, quomodo procederet in populi Iſraelis maledictione.* Cur igitur ſermonem cum diabolo collaturus, properat ad deſerta? Quia diabolus ſemper extra communitatem eſt conueniendus. Pulchrè adiicit ille: *Recedebat à ſocietate aliorum, quia Dæmones communiùs apparent in ſolitudine.* Lyran.

51. *Singularitatis certamina expetit diabolus.*

O quàm periculosè à communitate recedis, licet acrioris pugnæ causâ Antonios ſequaris, Hilariones requiras, Paulos, (non eodem ſpiritu) ſtudeas imitari. Huiuſmodi receſſum tuum diabolus expetit, vt tecum ſingulare certamen texens auxilium ſocietatis non habentem poſſit debellare. *Væ ſoli, quia cum ceciderit, non habebit ſubleuantem ſe.* Reuoca ad memoriam Goliath illum, ad certamen ſingulare Iſraelem excitantis. *Eligite ex vobis virum, & deſcendat ad ſingulare certamẽ.* 1. Reg. 17. Quare ad ſingularem concertationem? Quia difficillimè communitas fortiſſimorum frãgitur, non difficilè ſinguli deuincuntur. Haud aliter diabolus te expetit ſingularitatis amatorem, altioris ſilentij, prolixioris ieiunij, profundioris contemplationis prætextu à communitate dimoueris: te ſolum ducit nihili, qui te apud ſocios commorantem aſpectans imbecilli formidine diſcutiebatur. Galfrid. appoſitè, *Nullus ex nobis animoſitate proteruâ ineat hoc certamen. Non eſt enim qui ad hoc ſufficiat. Non timet nos ſolos aduerſarius noſter. Idcircò prudenter prouocat ad ſingulare certamen, ſciens quia væ ſoli, quia cùm ceciderit, nullum habet ſubleuantem.*

52. *Solus Ieſus ad ſingulare certamen ſe poteſt accingere.* 1. Reg. 17.

Formidanda prorſus militibus fortiſſimis ſingularis certaminis inſtitutio. *Audiens autem Saül & omnes Iſraelitæ, ſermones Philiſtæi huiuſcemodi, ſtupebant, & metuebant nimis.* 1. Reg. 17. Nec enim regiâ dignitate dignus, nec verè Iſraelita, qui ad ſingularis belli compellationem non totis artubus contremiſcit. Quid exercitus Duces? quid Iſraelis luminaria? quid populi electi potentia? Nullus ad ſingularem concertationem egredi audet. Attamen quia huiuſmodi certamen erat ineundum, adeſt Dauid Ieſu gerens perſonam in deſerto diabolum ſuperantis, comminuentis. Quia ſolus ille, qui quando ſolus, Trinitatis hæret collegio, poteſt ad ſingularem dimicationem conuenire. Vnde Galfridus notanter adiunxit: *Quamobrem opus erat, vt veniret, & ſubueniret magnus ille Dauid manu fortis, & viſu deſiderabilis, id eſt, Chriſtus.* Galfrid.

53. *Iudas perijt à communitate recedens.*

Manus diabolus cum Apoſtolorum collegio conſeruerat, intendens Diſcipulum aliquem ad Magiſtri venditionem commouere. Vt vidit Iudam auaritiæ morbo laborantem, ſigna cum illo contulit, vti huiuſmodi ei facinus perſuaderet. At cùm beneficio communitatis tunc frueretur, licet auarus, licet diabolus, non potuit hoſtis præualere, donec Iudam à collegio præripuit, ad ſingulaŕéque certamen deſcendere perſuaſit. *Cum ergo accepiſſet ille buccellam, exiuit continuò.* Ioann. 13. Proh Iudæ dementia! Hæc ruinæ proditoris non leuis occaſio, (inter alias) communitatis ſubleuationem reliquit, periit ſingularis, vbi nullus adeſt collega qui leuare curet excidentem, qui ſingulari decertatione vulneratum gremio excipiat, qui præcipitem redire curet ad ouile. Audi Chryſoſtomum: *Quando vltima cœna communicauit Iudas nocte illâ poſtremâ, cæteris omnibus recumbentibus, ipſe ſe præripiens, exceſſit.* Ioann. 13. Chryſoſt.

*Niſi*

*Niſi enim exiiſſet, ille proditor factus non eſſet.*

54. *Tibi Diabolus et ſingularis.* Chryſoſt.

Duplicem Chryſoſtomi expende particulam. Illam in primis: *Ipſe ſe proripiens.* Nonne magis proprium diaboli hominem proripere, vt exiret, quàm ipſius hominis, qui quidem non tam proripit, quàm proripitur? Porrò Iudas diabolus iam effectus, ſemetipſum proripuit, vt diaboli vices expleret. Nec enim humanæ naturæ hoſtis ad collegam, ad Iudam ſcilicet commonitatis patrocioio munitum audebat accedere. Deinde illa ponderanda ſententia: *Niſi exyſſet, ille proditor factus non eſſet.* Licet ſacrilegus indignè communicans, non effectus proditor eſſet, nec omnino periiſſet, (auctore Chryſoſtomo) ſi eum recumbentibus recumberet, nec ſe à Sanctorum communitate proriperet. Periculoſum ſanè exteris in refectorio fratribus decumbentibus, me ſingularitatem ſectantem circa cibum, aut potum, aut locum, aut tempus tunc non adeſſe, non cum fratribus conuenire.

# OBSERVATIO VII.

## Ad illa verba,

*Vt circuncideretur.*

## Aptè hominum Princeps legi ſubditorum obtemperat.

*Vt leuiora reddat onera eorum, & eis emolumento maximo laborantibus aſſimiletur.*

55. QVINAM *Puer?* rurſum quærit Ambroſius: *Puer,* inquit, *circunciditur, de quo ſcriptum: Puer natus eſt nobis, cuius imperium ſuper humerum eius.* Iſai. 9. Quàm perfectè munus implet regiminis, qui ſubditorum legi dignatur obtemperare! Hinc Princeps fructus gaudet vberrimos collegiſſe. Duplicem præcipuè confirmabo.

### CAPVT I.

*Legi parens Princeps leuiora reddit onera ſubditorum.*

56. *Decima ſexta cauſa.* Beda.

AFfirmat Beda (decimam ſeptimam circumciſionis cauſam exhibeo) Ieſum circumciſionis legi paruiſſe, *Vt eos, qui ſub lege poſiti, legis onera portare nequiuerant, ſuà compaſſione iuuarentur.* Ea eſt exempli vis in præpoſito, vt ſubditus non ſolùm leuius legis pondus experiatur, ſed humeris quodammodo Principis aſportetur, dum eum aſpicit, legis onera comportantem. Quid hoc leuamine ſuauius?

57. Iſaiæ præmiſſum teſtimonium apprimè huic quadrat argumento: *Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum eius.* Cap. 9. Aliter: *Et recipiet ſuper ſe legem, ad ſeruandum eam.* Vbi Lyran. *Ex hoc patet manifeſtè, quod locus hic loquitur de Chriſto, qui expectabatur in lege, & Prophetis ad ſalutem mundi venturus. Quod autem ac tranſlatione ponitur: Et recipiet ſuper ſe legem, ad ſeruandum eam, loco cuius in Hebræo habetur: Erit principatus ſuper humerum eius, conuenit ipſi Chriſto, qui factus eſt ſub lege.* Iam quæris quid legis obſeruationi cum aſportatione principatus? Equidem tantundem eſt legis rigori ſubiici Chriſtum, ac principatum, ſiue ſubditos omnes gratià leuaminis, in humeris portare.

*Princeps obſeruator legis ſubditos in humeris portat.* Iſai 9. Lyran.

Refer in memoriam Ioſephum vinculis Ægyptiis illigatum, vinctorúmque præpoſitum. Gen. 39. In magnum prorſus carcere incluſorum leuamen, Ioſeph carceris tenet principatum, dum ſcilicet eàdem carceris cuſtodiâ vinctus detinetur. Mentem expono D. Paulini Epiſt. 42. *Vbi ſuſtinuerat ſeruitutem, & carcerem, ibi Regnum nactus eſt. Quaſi vinculatus præerit, vt receptos doceat exemplo ſuo catenis exui.* Expende illud: *Præerit vinculatus.* Profectò Ioſeph vinculatos appoſitè præeſt incarceratis. Subditi enim vinculis exuti liberè diuagantur, cùm vident præfectum ſuum eiſdem vinculis illigari. Vnde incarceratus præſes docet exemplo ſuo ſubditos exui catenis. 58. *Præſes incarceratus ſubditos docet exui catenis.* Paulin.

Iam Puer Ieſus circumciſionis affectus vulnere proclamat: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Matth. 11. Vbi Paſchaſ. 6. in Matth. *Iudæos vocare videtur, qui nimio labore legis vexabantur. Et ideò grauiter laboribus fatigatos, vel oneribus depreſſos benigniſſimus Saluator ad ſe vocat, ea omnia ablaturus, tantùm vt iugum eius ſuaue, & onus leue ſuſcipiant.* Quonam modo ab humeris priſtinę legis onera anferuntur, nouæque graue admodum ſubditis onus leue admodum redditur? *Diſcite à me,* ſubdit Abbas, *quia humilis ſum. Alioquin nemo niſi humilis ferre poteſt, quod iubet.* Idem itaque eſt, Ieſum humilem eſſe, ac eidem legi parère, quam aliis vult eſſe latam. Hinc igitur onus grauiſſimum leue fit, dum Princeps ſeſe eius legis, quam ipſe tulit, obiicit obſeruatorem. 59. *Suaue lex nobis poſt Ieſu exemplũ.* Matth. 11. Paſchaſ.

### CAPVT II.

*Subditis emolumento maximo aſſimilatur.*

DEbuit planè, decimam octauam circumciſionis cauſam ex D. Laurent. Iuſtinian. recenſeo, *fratribus aſſimilari, vt miſericors fieret, & fidelis Pontifex ad Dominum, & repropitiaret delicta populi. In eo enim, in quo paſſus eſt ipſe, & tentatus, potens eſt & in eis, qui tentati ſunt, auxiliari.* Quaſi impotens quodammodo ſit (terrenis loquor) ad opem ferendam Princeps in eo, in quo, tentatus non eſt. 60. *Decimaoctaua cauſa.* Iuſtin.

Pendentibus è crúce latronibus Chriſtus ſimul ligno confixus obiiciebatur. Tunc latro ille, qui à ſiniſtris: *Si Rex Iſrael es, ſaluum fac temetipſum, & nos.* Negabat hic Crucifixi potentiam ad ſui, ſociorúmque liberationem. Aduersũ quem latro alter inſurgẽs: *Memento mei, Domine,* 61. *Potens oſtentatur Ieſus ad latronem liberandum, quia ſuffixus & ipſe.*

Luc.23. Auguſt. inclamat, *cùm veneris in Regnum tuum.* Luc.23. D. Auguſt. Serm.45 ex diuerſ. *Dicito mihi latro, Regnum petens*, ac conſequenter è Cruce liberationem, *quid in eo tale vides ex eo, quod petis? Dic mihi, nam quod in conſpicuo eſt, clauos & cruce͂ cerno.* Vndenam igitur ſuffixi poteſtatem ad tui liberationem cognouiſti? *Sed hæc, inquit latro, Crux ipſa Regni inſigne eſt, & propter eam Ieſum Regem appello, quia video crucifixum.* Regem potentiſſimum profiteor, quia in eadem Crucis eſt damnatione, valens quidem in eo, in quo paſſus eſt ipſe, & nobis auxilium exhibere.

62. *Quodammodo ſe Deus pœnitentem obiicit, vt pœnitentes liberet.* Apoc.6. Anton. Solem, nouiſſimâ appropiante die, cilicio indutum, ſeſe peccatoribus oſtentandum Ioannes aſpexit. *Et factus eſt Sol niger ſicut ſaccus cilicinus.* Apoc.6. Rogo, num hæc horribilis Solis ſpecies ſit peccatoribus ad exitium, an ad ſalutem? D. Anton. Pad. Dom. 1. Aduent. Solem hunc Chriſtũ interpretatur. *Iſte Sol factus eſt niger ſicut ſaccus cilicinus. Sacco enim noſtræ humanitatis cooperuit lucem Diuinitatis.* Poſui, *inquit Pſalmiſta*, veſtimentum meum cilicium Pſalm.68. Quæſtioni igitur reſpondeo. Sol pietatis Dominicæ ſic obiiciendus peccatoribus, vt ad pœnitentiam moueat, à futuráque pœnitentes calamitate liberet. Iam obiicit Pater: *Hac veſte non Deus* potens vtique homines quantumvis peccatores liberare, *ſed reus; non Creator, ſed peccator merito debet indui. Pœnitentis, non peccata dimittentis eſt veſtimentũ. Quid ergo tibi & cilicio?* Profectò vt ad peccatorum liberationem potens appareat, eos ad pœnitentiam alliciendo, ſeſe obiicit pœnitentem. Scio Ieſu impeccabilitatem, ſed audio Deum imaginem pœnitentis præ ſe ferentem, dum inclamat: *Pœnitet me feciſſe hominem.* Proh Deus potentiſſimus! Sub ſpecie pœnitentis, ſub imagine peccatoris appares, vt nos ad pœnitentiam alliciens, ſalute dones, dum ſcilicet quodammodo tentatus obiiceris in his, quibus delinquentes feriuntur. Pulchrè meus adiicit Antonius: *Noſtrum quidem, & per omnem modum peccatori neceſſarium.* Pœnitet me feciſſe hominem, *id eſt. pœna tenet me pro homine.* Vndenam homini delinquenti neceſſarium, Deum quodammodo pœnitere, Chriſtum indui cilicio? Vt peccator Deum, ſeu Ieſum ſpecie pœnitentis aſpiciens indutum, currat ad pœnitentiam.

63. *Silent querimoniæ ſubditorum, dum commune onus.* Gen 28. Ad hæc, conqueruntur ſubditi, cùm communis non eſt ipſorum ac Principis obſeruatio legis, putantes ſine ſolatio laborare, quos Princeps nullatenus ab onere potens eripiet. Pergenti Iacobo in Meſopotamiam, ſomnóque habenas laxanti obiicitur ſcala cæleſtis quaſi humeris dormientis innitens, Dominus in ſuperiori ſcalæ faſtigio præſentatur, Gen.28. Hic noua lex, Euangelica Crucis aſportatio, noua difficilis via Iacobo indicitur percurrenda. Surgit Iacob, magnóque Crucis pondere defatigatus inclamat, *Quàm terribilis eſt locus iſte!* Quàm meis onus humeris impar! Proiiciam. Et cur Iacobo Crucis onus terribile apparet, niſi quia Deus apud thronum obiectus ab onere eximitur? Chald. pro ſententia præfata: *Quàm terribilis eſt locus iſte*, habetur, *Nõ eſt locus communis.* Non ſimul crux prælati, ac ſubditi humeris hæret. Deus eundem mecum locum obtineat, eidem ponderi humeros adiiciat, illicò ceſſabunt querimoniæ, conceptâ ſpe fore, vt ab illo protinus poſſim liberari.

64. Quàm iniuſtè conquereris, Iacob. Nonne vides iuxta te Chriſtum (ſic noſter depingit Alcaſar) ſcalam ſimul tenentem, crucis comportatorem, quam prædicat ab hominibus ſuſtinendam? Si Pater ſcalæ faſtigio oſtentatur, Filius è throno deſcendit, vt communis ſit principis ac ſubditi conditio. Me procul dubio ab onere liberabit, iam querimoniæ conticeſcunt. Ferrandus Diacon. Part. ad Reg. tom. 9. Bib. *Dux ſapiens illuc debet ire, quò cupit ducere ſubditos. Ideo enim dicitur dux, quia ducit. Et ſe ipſum ſeducit, ſi per viam regiam putat poſſe ambulare, quos ad foueam, non præbendo exemplum, perducit. Tu ergo eſto ſignifer doctrinæ ſanctiſſimæ, erige trophæum virtutis intuendum inter cæteris, tu imitandus appare.* Scalæ extremitati manus, ſiue humeri adhæreſcant, nec appareas faſtigio conſtitutus, qui ſubditos conatis allicere ad crucis pondus ſuſtinendum. *Vnius Crucis Ieſu & Iacob baiulo.* Ferrand.

Profectò Princeps communibus doloribus exagitatus à dolentibus ſubditis eximit turbationem. *Videns Cineſias Alexandrum*, cum Eraſmo, Apoc.6. loquor, *à pharmaco, quod ſumpſerat, vehementer turbatum. Quid, inquit, nobis faciendum eſt, cùm vos, dij, talia patiamini?* Tuam, ó Cineſia, ſine prudentia vicem doles. Nunquam Imperatores ad ferenda aptiores ſubditis medicamina, quam poſt communis ægritudinis experimentum. 65. *Princeps ægro ſubdito occurrat ægrotanti.* Eraſm.

# OBSERVATIO VIII.

## Ad illa verba:

*Vt circumcideretur.*

## Circumciditur Circumciſionem de medio ablaturus.

*Quia Princeps, & Magiſter ſeſe debent ſubditis aſſimilare, & lapſui obnoxios profiteri.*

AVGVSTINVS Sermone nono Natiuitatis decimam nonam Circumciſionis cauſam reddens, ait, *Chriſtus ſuſcepit circumciſionem, ablaturus circumciſionem ipſam.* 66. *Decimanona cauſa.* Hanc eandem cauſam generaliter docuit Apoſtolus de tota lege locutus, *Miſit Deus Filium ſuum factum ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant, redimeret.* Galat. capite quarto. Gal.4. Annon circumciſionem ablaturus, accommodatius carnem propriam à circumciſionis vulnere liberaret: ſi circumciſus potius videtur circumciſionem confirmare, quàm eandem de medio tollendam innuere? O quàm prudenter circumciſionis vulnere afficitur ablaturus circumciſionem, legis pacem introducturus! Princeps enim ac Magiſter ille facilius exauditur, qui ſe labilem, ac vulneri obnoxium prætendens vulneribus curandis operam nauat.

67. *Circũciditur Timotheus circũciſionis ablaturus circumciſionẽ.* Annon minus efficax doctrina magiſtri, qui non circumciſus nos circumciſionem edoceret? Timotheus D. Pauli ſocius, quodam oppido cõmorabatur. *Hunc voluit Paulus ſecum proficiſci, & aſſumens, circumcidit eum propter Iudæos, qui erant* in

Actor.16. *in illis locis.* Actor. 16. Hinc oritur haud facilis quæſtio. Si Paulus Baptiſmum, circuncisione extinctâ, prædicabat, cur Diſcipulum Chriſticolam circuncidendum curauit? Timotheus circunciſionis ipſius abolitionem erat prædicaturus, vti daretur Baptiſmo locus. Ipſe igitur Magiſter circunciſionis vulnere afficitur, vt à Iudæis exaudiretur. Nec enim incircunciſus magiſter efficaciter adeò circunciſionis extinctionem commendaret. Approbat

Chryſoſt. Chryſoſt. ſcitus, *Hæc eſt cauſa circuncidendi: Non enim ferebant audire verbum ab incircunciſo: Et cur? Vidit opus eſſe circuncidi, vt circunciſionem tollat.* Pulchrè planè.

68. *Timotheus ſimilis vulneratis apparens vulneribus medetur.* Mox Lucas prædicationis circunciſi magiſtri fructus vberes recenſens, adiicit, *Et abundabant numero quotidie.* Actor. 16. Nec enim poterant reſilire qui magiſtrum non ſanitatem omnino oſtẽtantem, ſed communia viderent vulnera perferentem.

Actor. 16. Chryſoſt. Chryſoſt. adhuc: *Vides pugnam, & per pugnam ædificationem, non per alia impugnant, ſed etiam ipſi contraria faciunt, ita Eccleſiam ædificabant, & dogma afferebant non circuncidendi, & circuncidebantur. Et abundabant numero quotidie. Vidiſti vtilitatem circunciſionis.* Non itaque magiſter ſpiritualiter, admiſſo crimine, vulneretur, vt vulnera curet diſcipulorum; ſed ſe illi omnino ſimilem, labilem ſcilicet, & caſui obnoxium profiteatur, vti ſub vulnerati imagine inſtar Ieſu veris vulneribus medeatur.

69. *Semẽ Abrahæ apprehendit vt circũciſus vulneratis ſpecie viſibili aſſimularetur.* Cur Dominus ſemen Abrahæ, non Angelicam naturam apprehendit, aut ex alio hominum ſemine non profluxit? *Nuſquam Angelos apprehendit.* Hebr. 2. Angelicæ naturæ aſſociatus non eſt, quia *Deus Angeli peccatum*, verbis

Auguſt. Auguſt. vtor, *non curare deſtinauerat, homo verè ad ſtatum priſtinum à Deo erat euocandus, & per clementiam ſuam veniam ſatisfactionem accepturus. Idcirco ſemen Abrahæ, non Angelos apprehendit.* Profectò etiamſi naturam Angelicam apprehendiſſet, facile Theologi admittunt, potuiſſe Angelum, etiam ſi noſtræ participes non fierent naturæ, hominum generi

Cyril. ſalutem afferre. D. Cyril. conuenientiorem meo argumento tradit ſolutionem. Quia vna Abrahæ familia pueros ſolita eſt circuncidere. Ideò nec Angelicam naturam, quæ circunciſioni minimè obnoxia, nec aliud hominum præter Abrahæ ſemen apprehendit. Quia circunciſionem de medio ablaturus, illi hæſit familiæ, vbi pueri ſoliti ſunt circunciſioni tradi, vt conuenientius lex clementiæ prædicaretur, rigore circunciſionis amputato à circunciſo Præceptore Vt enim Ieſus diſcipulos alliceret, debebat ſe vulneratum profiteri exterius, vt per omnia ſimilis ægrotis, eorum veris internis vulneribus mederetur. Chryſoſt. *Semen Abrahæ apprehendit. Debuit ſecundum omnia patribus ſimilis reddi, natus eſt, paſſus eſt omnia.*

70. *Petr. vinctus alios ſoluere addiſcit.* Petrus carceri addictus ab Angelo inuiſitur. *Et ceciderunt catenæ de manibus eius.* Actor. 12.

Actor. 12. Bofius. Cur, ais, excidere Apoſtolo innexæ catenæ? Spirituali hærens ſenſui affirmo aptè illius manus vel ſpecie viſibili illigari qui vinculorum effecturus eſt ſolutionem. Boſius de Sig. Eccl. *Namque manus*, inquit, *quæ nexus peccatorum, & ligamenta iniquitatum debebant ſoluere, catenis minimè debebant eſſe obnoxiæ.* Immunis enim omnino magiſter à delicto. Attamen dum Petrus ſe ſe obnoxium ex fragilitate humana priuſquam in gratia confirmaretur, grauibus vinculis profitetur, per omnia ſimilis, illigatus, eos facilius veris eximit à catenis. Non igitur iam circunciſo Ieſu, vulnus ſpecie viſibili præferente, per omnia ſimili ægrotanti circuncidendorum criminum habemus excuſationem. *Circunciſus eſt*, inquit Epiphan. ſerm. Epiphan.
30. *vt non haberent excuſationem. Si enim non fuiſſet circunciſus, poterant dicere, Non potuimus Chriſtum ſuſcipere.* Quaſi quodammodo diſcipulus non poſſit operari, quando magiſtrum haud ſibi ſimilem contemplatur.

## OBSERVATIO IX.

### Ad illa verba:

### *Vt circuncideretur.*

Circunciditur Chriſtus, vt Deitas indiuiſibilis, quæ in toto Saluatoris corpore continetur, minori in particula includatur, exiguæ noſtræ capacitati amplius accõmodanda.

*Vti Dei immenſitas in Euchariſtia hominum exilitati parens prædicetur.*

VIGESIMAM denique circunciſionis cauſam do ex Simone de Caſſia. 1. cap. 16. profante, *Circunciditur in carne Deitas incircunciſa, quæ nihil habet demendum, aut quomodolibet decidendum.* Et quonam modo circunciditur in carne Deitas incircunciſa, niſi quia corporis Dominici particula Diuinitati vnita poſt ſectionem Diuinitatem exhibet, quæ ſimul toto in Domini corpore continetur? Vti parua pellicula magis exilitati noſtræ accommodata incircunciſam ac indiuiſibilem Diuinitatem captu faciliorem nobis, ſpecie viſibili reddere, Euchariſtiæque myſterium prælibare videatur. 71. *Cauſa vigeſima.* Caſſian.

Id quod ſeptenarij numeri, quo Dei exprimebatur imago, myſterium repræſentat, auctore Valeriano l. 37. Numerus hic quaſi diſſolutus nulli ſocio numero adhæreſcit, ſed ſingulares quodammodo totus fertur in numeros. Quare? Vt ſignificaretur incomprehenſibilem Deitatem, immenſam maieſtatem ad totius ſeptenarij minorem numerum reduci, vti tota Deitas in qualibet numeri particula facilius à tantillis poſſe excipi hominibus appareat. 72. *Septenarij numeri id myſterio ſignatur.* Pier.

Hiſce æquidem particulis Dominici corporis totam Deitatem continentibus repleri Dauid efflagitabat; *Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea.* Pſalm. 62. Exiſtimo vatem Diuinitatis accipiendæ deſiderio affectum, cùm contemplaretur Saluatoris humanitatem Diuinitati coniunctam, ſeque aſpiceret tanti corporis incapacem efflagitare, vt Ieſus mundi luminare quaſi liquefiat, adipis & pinguedinis in morem, vti Chriſtiani corporis particulis Dauidicæ exilitati magis accommodatis repletus, totam exciperet indiuiſibilem Deitatem Egregiè D. Petr. Damian. Ser. de Annunc. vteri Mariani excellentiam commendãs, ait: *In cuius vtero Maieſtas*, ſiue Deitas, *Altiſſimi mirabiliter liquefacta eſt, ſicut adipe & pinguedine* 73. *Ideo petit Dauid Dei particulis repleri.* Pſalm. 62. Damian.

 *replenis*

*repleuit terras.* Ac ſi diceret, liquefacta eſt Diuinitas, dum tota io paruo Ieſu corpuſculo recluditur, quæ toto in corpore Saluatoris Maieſtas quaſi liquatur apud Virginis vterum, liquatur adhuc in pelliculam paruulam, in ſanguinis guttulas vbi totâm facilius Deitatem excipere videamur.

74. *Quaſi menſurabilē noſtra capacitati ſe Deus exhibet.* Pſalm. 10. Strab.

Rurſum Vates, *In reliquiis tuis præparabis vultum eorum.* Pſalm. 20. Strabus. *In his, quæ relinquit, præparabis vultum eorum, ad quos venit Chriſtus.* Ac ſi diceret, Eorum ad quos Chriſtus venturus eſt, vultus non auertetur quaſi ſtupore correptus in tantæ maieſtatis conſpectu. In reliquiis enim corporis Dominici (puta pelliculam, ſanguinis guttulas) abbreuiatam magis Dei immenſitatem (licet in eaſdem particulas minimè diuiſam) conſpicient, facilius vtique ab exiguis hominibus excipiendam. Hugo. Cardin. huiuſmodi reliquias particulas exponit panis illius, quo turbæ fuêre ſagiratæ. Annon aptiùs adhuc Euchariſtici panis reliquias, ſeu particulas interpretemur, vbi non modò tota Diuinitas, ſed & totum Chriſti corpus accipitur?

Hugo.

75. *Chriſtus aceruus tritici, cuius grano iuxta menſuram ſagitamur.* Cant. 5.

*Venter tuus*, inquit Sponſus, *ſicut aceruus tritici.* Cant. 5. Proh Dei parentis capacitas! Ventre excipis Deum, dum Chriſtus iam aceruo tritici comparatur. Quare? Quia Dei immenſitas, frumenti inſtar, tota eſt in tota Saluatoris humanitate, & tota in ſingula corporis (ſicuti in grana frumentum) membra minutiſſima illabitur. Vt ſcilicet quicumque tantillam excipias Saluatoris particulam, totam ſuſcipias Deitatem menſurationi capacitatis humanæ ſeruientem. Damianus ad hæc: *Hic*, id eſt in Virginis vtero, *exinaniuit ſemetipſum Exelſus, & Immenſus, menſuram coagitatam mittens in ſinum noſtrum.* Proh Deitas in grano incluſa, in particula Dominici corporis reſidens noſtræ capacitati menſuranda!

Damian.

76. *Totum panē ſub qualibet particula excipimus.* Matth. 15. Baſil.

Hinc lucis filius ſuam dignitatem recognoſcet. Datum iam ei, non ſolâ corporis Ieſu particulâ frui, ſed totum panem Euchariſticum in qualibet particula excipere. Panis particulis, ſeu myſticè corporis Dominici reliquiis Chananæa petebat exatiari. *Nam & catelli comedunt de micis.* Matth. 15. Cui Dominus in Chriſtiani populi figuram totum panem, non iam micas promiſit, Baſil. Seleuc. orat. 20. auctore: *Mulier, magna eſt fides tua. Totam tibi curationis menſam explico; non micas, ſed totum panem largior.* Fidelis namque totius panis integri corporis Saluatoris, vbi tota Diuinitas reſidet, capax omnino reperitur: Redibit argumentum.

# OBSERVATIO X.

## Ad illa verba:

*Vt circuncideretur.*

## Legi Circuncisionis paret Ieſus, vt eam à Deo vtiliter inſtitutam fuiſſe confirmaret.

*Quia Princeps legi parens, eam firmiùs ſtabilit.*

77. *Tertia cauſa confirmatur.*

CÆTERUM ex præſignatis in Commentatio circuncisionis Dominicæ cauſis nonnullas confirmabo. Ex Cypriano diximus (& erat tertia circuncisionis cauſa) intendiſſe Ieſum, dum vulnus circuncisionis ſuſtinuit, confirmare Patrum circuncisionem vtilem fuiſſe; & à Deo exhibitam. Id quod D. Epiph. Hær. 30. conteſtatur. Circunciditur Puer, *vt confirmet circuncisionem, quam olim* Deus *inſtituerat.* Nonne circuncisionis lex ſatis aderat ſanctorum Patriarchatum exemplo confirmata, qui tanto veteris legis ſacramento obſequiū præſtiterant? Ita planè. Sed tamen hac exaggeratione adnotatur, eam eſſe ipſius legiſlatoris exempli vim, vt quodammodo ſtabilis, aut conſiſtens lex minimè habeatur, dum legiſlator ipſe eiuſdem legis obſeruationi non accingitur. Prudenter Pittacus, per Aug. Pareto, ait, legi, quiſquis legem ſanxeris. Quaſi minimè ſancta quodammodo lex, donec à Principe impleatur.

Epiphan.

78. *Paſſibilis Ieſus mittitur, vt lex circuncisionis confirmaretur.* Pſalm. 67. Hugo.

Huiuſmodi legis confirmationem Dauid efflagitabat, præcinens; *Manda Deus, virtuti tuæ, confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.* Pſal. 67. Aliter iuxta Hebræ. *Præcepit Deus tuus, confirma Deus hoc.* Ac ſi diceret: Deus tuus, Pater tuus, ô Chriſte, difficilia hominibus exhibuit imperia, homines (exempli gratiâ) circuncisionis cultro vulnerari. Tu qui Deus cum Patre & Spiritu ſancto, confirma hoc Patris præceptum. Huc tendit Hugonis Cardin. expoſitio: *Manda Deus virtuti tuæ, id eſt, præcipe Filio tuo, vt incarnetur, & patiatur,* circuncisionis ſcilicet ictum, *Confirma hoc Deus.*

79. *Circuncisas legem Iſrael ſtabilit.* Pſalm. 79. Caſſiod.

Expreſſiùs adhuc Pſalmiſta: *Fiat manus tua ſuper virum dexteræ tuæ, & ſuper filium hominis, quem confirmaſti tibi.* Pſalm. 79. Vbi notanter Caſſiod. *Tandiu ſalus Iſrael dubitari potuit, donec Chriſtus venit.* Annon ob circuncisionem extincto originalis labis igne, ad ſinum Abrahæ fideles perducebantur? Quomodo igitur de Iſraelis ſalute poterat dubitari? Num quia illius Sacramenti ſalutaris effectus in dubium quodammodo poterat reuocari, non quod veriſſimè non ſortiretur effectum ſalutarem, ſed quoniam nondum Ieſus legi addiderat, eam implendo, confirmationem. Id audax affirmabo Hugone Card. ſalis granum exaggerationi immittente: *Fiat ergo manus tua ſuper Virum dexteræ tuæ.* Circuncisionis eum, vti Iobū torturæ, vulneri trade, *vt ad effectum promiſſa perducat. Non diſcedimus à te, viuificabis nos, quando nomen tuum inuocabimus.* Quo quidem nomine Ieſu Chriſtus circuncisionis die nobilitatur.

80. *Principis ex legis defectu ſubditi prima legis rudimenta ignorant.* Iſai 6.

Ad Principes accitro mundiales. Tam neceſſarium exemplum Regis ad legis ſtabilimentum, vt ſubditi ſæpè prima fidei rudimenta ignorent, dum non ſibi proponunt Principem eiuſdem legis obſeruatorem. Iſaiam audite: *In anno quo mortuus eſt Ozias, vidi Dominum ſedentem.* &c. Deſcriptis autem cœleſtibus Spiritibus adſtantibus, adiicit: *Et clamabat alter ad alterum, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus.* Cap. 6. Cur vſque ad Regis Oziæ obitum ſilent oracula, Deus non adſpicitur, Trinitatis illo expreſſæ triſagio: *Sanctus, Sanctus, Sanctus,* myſterium minimè penetratur? *Eximie*, inquit D. Chryſoſt. hom. 4. *Rex cum lepra, nec tamen eiecerunt eum è ciuitate, diadema illius reueriti; ſed conſedit in throno rurſus legem tranſgrediens.* Itaue? Sileant Prophetæ, conticeſcant oracula, homines velut exleges nec Deum agnoſcant, nec Trinitatis myſterium penetrent. Eleganter ſeſe dat D. Hieronym. *Oziam, quia ſibi illicitum ſacerdotium vendicabat, leprâ fuiſſe percuſſum ſacra narrat Hiſtoria. Quo mortuo Deus*

Chryſoſt.

Hieron.

*videtur*

*videtur in Templo, quod ipſe polluerat. Ex quo animaduertimus, regnante in nobis leproſo Rege, nos Dominum in ſua maieſtate regnantem videre non poſſe, nec ſanctæ Trinitatis noſſe myſteria.* En exlegis Principis defectu, tam peregrini ſunt ciues à legis rudimentis, ac ſi nullatenus eſſet confirmata, & ſtabilita.

81. *Hebræi ab ebrietate recedunt quaſi poſtliminiŭ Moſis lege ſtabilita.* Hieron.

Quid ergo Hebræos à ſingularis Deitatis repulit agnitione, dum legem præſcribentem eis: *Deus tuus, Deus vnus eſt*, nec lectantur, ſed potius, *Hi Dij tui*, &c. infideli inclamitant auſu? Nónne ebrietas. Quis autem pharmaca aduerſus tam diram præſcribet ægritudinem? Hieron. 2. con. Ioui. audite: *Moyſes detulit Iudæis legem à monte. Sed priuſquam deferretur lex, viſus eſt populus veritatem amiſiſſe.* Prima lex, *Dominus Deus tuus vnus eſt, & mandatum ſuſcepturi dicunt, Hi Dij tui. Quid ergo in huiuſmodi pharmacum? Ieiunat Moyſes, qui non peccauerat.* Non peccauerat, inquã, nec ebrietatis, nec idololatriæ tranſgreſſione. Adiicit Pater; *Veteris legis ratio à ieiunio initium ſumpſit.* Quonam modo ab hoc ſecundo Moyſis deſcenſu è montis vertice, ſiue à ieiunio lex dicitur initium ſumpſiſſe, ſi rurſum iam ſub primo deſcenſu lata fuerat? Quia indè ſtabilimentum lata lex prohibens ebrietatem adipiſcitur, vbi ieiunans legiſlator ad ipſius ſe accingit, confirmationis gratiâ, obſeruationem: & quodammodo non lata ante Principis exemplum videatur.

82. *Feſtorũ obſeruationis præceptum Deus Sabbatum ruſtiũ dicendo confirmat.* Exod. 20.

Id oſtendo in feſtorum cuſtodiâ Iudæis illis verbis indictâ; *Memento quod diem Sabbati ſanctifices.* At verò cæteris adſcribendis præceptis non adiicitur, aut præmittitur verbum illud: *Memento: Nõ habebis Deos alienos: Honora patrem tuũ: Non occides: Non mœchaberis, Non furtum facies, &c.* Exo. 20. Cur ergo feſtorũ sãctificationi adiicitur, *Memento?* Specialiter curat Legiſlator, vt Iſrael tenaciter in memoria feſtorum habeat obſeruationem. Enimuerò quaſi ad rem tanti ponderis ſatis non fuiſſet verbo huiuſmodi vti: *Memento*, vt Iſrael dies feſtos fideliter, ſpecialique deuotione cuſtodiret, huiuſce legis ſtabilitatem facto confirmauit. Refer, quæſo, ad mentem manna è cælo delapſum ſex hebdomadæ diebus, die autem Sabbati minimè excidens. Exod. 16. Quid cauſæ? Theod. q. 32. *Cum hominibus lege præcepiſſet, quieſcere die Sabbati, docuit illos ipſo facto ſeruare præceptum.* Numquam efficacius, ſeu accuratius legiſlator præcepto adiiciet illud verbum, *Memento*, quam ſe ſe accingendo quodammodo ad ipſius præcepti obſeruationem. Pareat legi Rex, eam firmiter ſtabiliet.

Theod.

## OBSERVATIO XI.

### Ad illa verba,

### *Vt circunciderctur.*

### Circuncisus Ieſus famulantem aduentui ſuo Circunciſionem honore cumulauit.

*Quia antiqui famuli non ſolum ære, ſed & honoribus munerandi.*

83. *Tertia rurſus cauſa illuſtratur.*

QVo aduentui ſeruierat (adhuc tertiam circunciſionis cauſam confirmo) Baptiſmo tuo, ô Princeps, antiquæ circunciſionis Sacramentum, vndè merito hodie circunciſionis eiuſdem parens præcepto, honore proſequeris miniſtram. Epiph. Circunciditur Chriſtus, *vt confirmaret circunciſionem, quam olim inſtituerat, eius aduentui ſeruientem.* Per tot ſæcula circunciſio tanti aduentus obſequio, tanti Regis eſt mancipata ſeruituti? Iuſtè à Ieſu ornata perhibetur. Diſcant hinc mundiales heri antiquos famulos non ſolùm ære debito munerare, ſed & honoribus augere. Famuli, qui vnius vel alterius anni, mercenariorum more, implent miniſterium, mercedem iuſtam recipiant, ſufficit. At qui longum interſtitium præſtando inſumunt obſequio, non iam mercede, ſed & honoribus ſed & ornamentis ſunt cumulandi. Non ſemel apud noſtrates vidimus, ſæpe legimus apud exteros ad affinitatis neceſſitudinem dominos antiquos famulos aſſumpſiſſe. Epiphan.

84. *Iacob poſt longum miniſterium iuſtè Racheli hera coniugio copulatur.* Geneſ. 29. Lytan.

Vidit Iacob pulcherrimam Rachelem, ciúſque amore caſtiſſimo ſaucius expetiit ſibi in matrimonium aptari. Ab ſpe cadit, dum ſe ſe obiicit panperculum, peregrinum: Rachelem autem ditiſſimi filiam parentis. Quid pro dote offerret Iacob, vt optatis difficillimis frueretur? *Seruiam*, inquit ad Laban, *tibi pro Rachel filia tua minore ſeptem annis.* Geneſ. 29 Vbi Lyra. *Non habebat diuitias, ad dandum pro dote.* Vnde vt conditionem ſuam ſeruilem tunc herili copularet, longi temporis offert miniſterium. Pende prius obſecro vxoris Rachelis præſtantiam. *Videbantur* Iacobo *ſeptem anni* miniſterij promiſſi *dies pauci.* Quare? Lyran. *In comparatione ad rem*, ſeu ad Rachelem, quam loco muneris erat accepturus. Verùm ſeptennio exacto, ſic ad Laban miniſter: *Da mihi vxorem meam, quia iam tempus meum impletum eſt.* Heus, ſerue, filiam Domini tui tam præexcelſam, tam præſtantem, tam à ſeruili conditione abſtractam tuam vocas vxorem? Vxorem meam iam appello, iuſtè matrimonio adſtringat Racheli dominæ poſt longum miniſterium. Quia antiqui famuli iuſtè à Domino non ſemel ad neceſſitudinis vincula aduocantur. Præclarè Lyranus concludit: *Quia iam compleuerat ſeruitium ſeptem annorum, ideò iuſtum erat, vt ſibi daretur.* iuſtum, inquam, erat, non ſolùm propterea quod parens promiſerat, ſed quia tanti temporis miniſtratio *iuſtè* tanto munere erat redonanda.

85. *Antiquus ſeruo Natura diuina diſpenſationis vinculo adſtringitur.* Beda.

Id quod in præſenti à Ieſu: Memini me apud Georg. Venet. cant. 2. tom. 7. cap. 13. Iſraelis exercitum ex duodecim tribubus recenſentem legiſſe, tribum Iuda, & tribum Iſſachar verſus Orientem caſtrametatas fuiſſe ad eam cæli plagam, è qua tribus Iuda ſignum reſpiceret *Geminorum*; tribui autem Iſſachar ſignum *Libræ* reſponderet. Cuius vt myſterium rimemur, Beda Iſſachar *virum mercedis*, Iudam autem *confitentem* interpretatur. En igitur quonam modo Deus famulos dignetur munerare. *Mercedis viros*, ſeu mercenarios *pondus diei & æſtus* portantes ſub diei fine Deus vocat ad *libram*; vt nullus labor abſque munere dilabatur. At tribus Iuda *confitens Deum*, dum Circunciſionis Sacramento ex Abraham nouæ legis confeſſionem exprimebat, non iam *librata* mercede, ſed Chriſti Filij Dei *geminatâ* natura eſt munerãda. Antiquum famulum Deus ad ſui propinquitatem aſſumat: Perſona Filij humanitatem ex fideli Iſraelitico populo aſſumptam ſibi copulet: Vt Geminorum, ſiue duarum naturarum, Diuinæ ſcilicet, & humanæ ſine confuſione conſortium in terra conſpiciatur.

Donato

Digitized by Google

86. *Esau post longum ſeruitutem ad Iacobi æqualitatem eleuatur.* Genef. 27.

Donato Iacobo patris illâ benedictione: *Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ*, accurrit Eſau, vt benedictionem acciperet. *Mihi quoque, ait, obſecro, vt benedicas. Cumque eiulatu magno fleret motus Iſaac dixit ad eum; In pinguedine terræ, & in rore cæli deſuper erit benedictio tua: fratri tuo ſerties: tēpúſque veniet, cum excutias, & ſoluas iugum eius de ceruicibus tuis*. Geneſ. 27. Vbi ad libram adfero harumce benedictionum differentiam. Iacobo pater, *Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ*. Eſau autem eadem votis imprecatur: *In pinguedine terræ, & in rore cæli erit benedictio tua*. Vndenam igitur innuitur differentia benedictionis. Ego opinor nullam, ſi ſubſtantiæ hæreamus, differentiam poſſe facilè ab hominibus reperiri. Cognitor Deus. At ſi tempus impletionis oculis ſuſpiciamus, de præſenti Iacob benedictione donatur, *Det tibi Deus*, Eſau autem de futuro, *Erit benedictio tua*. Vti oſtendat fore, vt aliquando Eſau fratri Domino aſſimiletur. Quæris iam, vndenam aſſimilandus ſit aliquando Eſau fratri dominanti? Id exprimit parens, dum adiicit: *Fratri tuo ſeruies, tempúſque veniet, cum excutias, & ſoluas iugum eius de ceruicibus tuis*. Ac ſi diceret, ſeruies fratri, cúmque tempus inſumas in obſequio, poſt longum interſtitium tempus veniet, cum iugum ſeruitutis excutias, dominóque tuo valeas adæquari. Ad Domini namque tui tantam venies neceſſitudinem nō tam ſanguinis vi, quam diuturni miniſterij efficaciâ: vt ſimul domineris. Ex ore D. Ambroſij hanc cogitationem audite: *Per hanc ſeruitutem, qui gratiam benedictionis amiſerat, credidit ſe ipſo futurum eſſe meliorem*. Iugo vtique proiecto ſeruitutis.

Ambroſ.

87. *Chriſto ſeruient è ceruice iugum transferri in humerum ſimiles effectus.* Geneſ. 27.

Ambr. putat Eſau *typum Chriſti veneratum in fratre*, eique diuturnum obſequium præſtitiſſe. Vnde hinc expendenda adhuc benedictionis particula: *Tempus veniet, cum excutias, & ſoluas iugum eius de ceruicibus tuis*. Geneſ. 27. Quare de ceruicibus iugum excutiendum? Quia Chriſto ſeruientes, iugum è collo in humeros transferunt. Rex quidem cœleſtis ſuper humerum geſtat onus principatus. *Cuius principatus ſuper humerum eius*. Iſai. 9 Seruit Eſau myſticè Saluatori? Excutiet iugū de ceruicibus, vti in humeros transferat ſuo Domino aſſimilatus. Chriſtus ad hæc: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos*. Seruos vocat ad præmium. *Tollite iugum meum ſuper vos*. Matth. 11. O bone Ieſu, præmio donaturus miniſtros, qui diu laborauerunt, loco priſtini iugi, rurſus ad iugum allicis? Audite Ambroſij ad Gen. acumen. *Non alligat iugum hoc ceruicem vinculis*. Potius à ceruicibus iugum excutiunt vſque adhuc ſeruientes. *Chriſtus, quos alligat liberat*. Quomodo *liberat*, ſi iugum ſuper nos tollere imperat? Quia nos ſibi facit aſſimilari, dum principatus pondus in humeris geſtamus Ieſu imitatores. Rem perficiat Ambroſius: *Æquitate Domini leuatur iniuria ſeruitutis. Æquitate*, inquam, *Domini*. Id eſt, non ſolùm iuſtitiâ Domini dantis ſeruo antiquo, quod ſuum eſt; *ſed æquitate Domini*, dum poſt diuturnum obſequium Domino aſſimilamur.

Matth. 11.

Ambroſ.

88. *Cæleſti Regno ſeruitus diuturna, velut ſponſa, potitur.* Luc. 17. Ambroſ.

Interrogatus Ieſus à Phariſæis. *Quando veniret Regnum Dei*? Reſpondit, *Non venit Regnum Dei cum obſeruatione: neque dicent: Ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim Regnum Dei intra vos eſt*. Luc. 17. Pende aduerbia illa. *Hic*, aut *Illic*. Intra nos eſt Regnum Dei. Quid itaque quæris, vbinam Regnum adeſt? *Hic* eſt, vbi obſequium antiquum eſt? *Illic* ineſt, vbi ſeruitus ſancta reperitur. Ea pars Regno hæret cæleſti, quæ diuino ſeruitio mancipatur. Belle Ambroſ. l. 8. in Luc. *Interrogatus Dominus, quando veniret Regnum Dei, ait: Regnum Dei intra vos eſt, vtique per veritatem gratiæ, non per ſeruitutem culpæ. Itaque, qui vult eſſe liber, ſit ſeruus in Domino. Eâ enim parte, quâ participamur ſeruitute, participamur & Regno*. Si pars ſeruitutis parti Regni cohæret, quid omnimoda ſeruitus, id eſt, longum totius vitæ obſequium? Annon cæleſti Regno, Sponſa ſcilicet cæleſti patria nobis præparata potiemur? Ita planè.

## OBSERVATIO VII.

Ad illa verba:

*Vt circunciderctur.*

### Circuncisionis legi Princeps Ieſus ſubiicitur, vt prælapſi legiſlatoris, ſeu Principis gubernationem approbare videatur.

*Prudentis enim Magiſtratus eſt, præcedentis non taxare gubernationem.*

MEÆ ſemper menti (quartam Circuncisionis cauſam recolo) hæſit infixum indè non mediocriter ſe Magiſtratum prudentem oſtentare, quando præcedentis Præfecti gubernationem approbat, neque de more quàm plurium, eorum ſiue deſidiam, ſiue zelum immoderatum carpit. Vt igitur *admirabilis Princeps* noſter præmiſſi Magiſtratus, ſiue Moſis legiſlatoris approbet inſtituta, hodie circuncisionis vulnere affici dignatur. D. Laurent. Iuſt. *Voluit circuncidi, vt veteris legis ſacramenta Patribus tradita inſinuaret fuiſſe ſancta*. Parum eſſet ſanctam à Ieſu laudari legem, ſi tam præcedentium Magiſtratuum obſeruator, vt nec malè lata imperia memoraret, vt taxari poſſent ab hominibus, licet illa minimè probanda cenſeret. 89. *Quarta cauſa illuſtratur.* Iuſtin.

90. *Chriſtus alapâ vulneratus Caiphâ defendit præſulem.* Matth. 26. Anton.

Flagellis Chriſtus percutitur, ſpineâ cæleſtis Rex pungitur coronâ, ſuſtinet mortem, nec tamen *agnus coram tondente*, coram mactante conqueritur. Enimuerò alapâ facies ſacratiſſima percuſſa rubeſcit, tunc labia profundunt vocem tam alto ſilentio compreſſam: *Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo*. Matth. 26. Proh Ieſu nunquam victa patientia! Manus vulgaris ictus te ad loquendum excitat, dum tot atrociſſima tormenta tua ſilentio labia amplius obſignarint? Porrò ex D. Antonio Paduano Serm. in Paraſc. didici Chriſti faciem Prælatos eſſe, Principes, Magiſtratus. *Facies Chriſti ſunt Eccleſiæ*, ſiue ſynagogæ tunc, *Prælati, per quos tanquam per faciem cognoſcimus Deum. Ab his igitur hæc facies percutitur, qui prælatis detrahunt*. O Caiphæ miniſter (Ieſus inclamat) tuum Dominum afficis rubore? Pontificei Synagogæ detraxiſti? Quis te Pontificis miniſtrum agnoſcens, non ſuſpicabitur, te ex eius imperio hoc dirum facinus fuiſſe executum? Ac ſi defenderet Dominus Caiphæ gubernationem, dum eius malè lata imperia operiri procurat.

Occubuit

91. *Detrahens prælapſi Regis imperiis à Rege nouo Dauide occiditur.* 2. Reg. 1. Caietan.

Occubuit Saul.ſe ſibi mortem infligente. Adfuit inibi Doëg Regis armiger, cuius filius Amalecites(nec obſtat patrem dici Idumæum,quoniam Amalech pars erat Edom, auctore Caietano)accipiens diadema regium, ad Dauidis conſpectum accurrit, falsò iactans,vti Regis gratiam adulatione aucuparet, ſe ſe Sauli iamiam vitam agenti vltimum vulnus intuliſſe. *Finxit ſe*, inquit Card. neſcio quonam fundamento, *interfeciſſe Saulem, arbitratus rem gratam Dauidi feciſſe.* At Rex illum verè iuſſit interfici. Num crudelis Dauid? *Dixit mihi Rex*, ſic ſe purgat Amalecites intendit à crimine: *Sta quaſo ſuper me, & interfice me*; cũ eodẽ Card. loquor, *quoniam tenent me anguſtia.* Quid plura? *Dixit Dauid ad adoleſcentem, qui nunciabat ei, Vnde es? Qui dixit, Filius peregrini Amalecita.* 2. Reg. 1. Ac ſi diceret, ait Caiet. *Filius ſum Doeg, qui ad præceptum Saulis Sacerdotes Domini interfecerat.* En iuſtiſſima regiæ occaſio vindictæ. Bis adoleſcens hic Regi præterito detraxit. Carpere primò intendit Saulis gubernationem, malè lata eius euulgans imperia: *Dixit mihi Rex, interfice me*, mox Sacerdotes eiuſdem præcepto innuit peremptos. Proh infamem Amalecitem! Regem capis prælapſum, eius licet malè præſcripta imperia ad publicum adducis? Miſerè iuſtus pœnas perſolues, me eius malè lata imperia operire procurante.

92. *Turpitudinem Regis prælapſi occultantes laudantur.* 2. Reg. 2. Lyran.

Nunciatum Dauidi, quod viri Iabes Galaad Saulem ſepulchro amandaſſent, eîque iuſta perſoluiſſent. *Miſitque Dauid nuncios ad viros Iabes Galaad, & dixit ad eos: Benedicti vos à Domino, qui feciſtis miſericordiam hanc cum Domino veſtro Saul & ſepeliſtis eum. Et nunc retribuet vobis Dominus miſericordiam, & veritatem.* 2. Reg. 1. Quare benedictione donantur Saulem ſepelientes? Lyran. in Gloſ. mor. *Per iſtos qui ſepelierunt Saul, ſignificantur illi, qui cooperire ſtudent turpitudinẽ Superioris ſui:* Qui quidem hic benedictione donantur, quemadmodum maledictione percutitur Chã parentis euulgans turpitudinem.

93. *Curat Dauid Saulis deſperationem occultari.* 2. Reg. 2.

Altiùs Dauidis prudentiam rimabor. *Retribuet vobis Dominus miſericordiam, & veritatem.* Reddet vtique, quod à vobis accepit, & ideo miſericordiam à vobis Dominus retribuet. At cur etiam dicitur, *Veritatem retribuet*, ſi ab illis Saulem veritatem accepiſſe non legitur? Qui voluntariè ex ſpe detruſus ſe ſe tradit internecioni, haud dignus ſepulturâ. *Feciſtis*, inquit Dauid, *veritatem*, verè eum dignum ſepulturâ innuendo, & eum ab adoleſcentis illius mendacio vindicantes. (Nec enim Rex Dauid de tam graui Regis delicto debuit fidem præſtare narranti.) Si verè dignus erat ſepulturâ, vobis *veritatem*, huiuſmodi facientibus *retribuet Dominus veritatem.* Principis quippe cadauer ſepeliendo, expreſſiſtis nullatenus eum ſpem ſalutis depoſuiſſe. Quod ſi credidit Rex, ſaltem curauit Saulis obuelari flagitium. Sic Dauid Ieſu patens prælapſi gubernatoris operit turpitudinem.

94. *Ieſus malè latum Moſis imperiũ diſſimulari intendit.* Matth. 17. Chryſoſt.

Redeo ad Dauidis Filium. Cùm Dominos apud Thabor vtriuſque ſæculi Princeps oſtenditur, Moyſes & Elias hinc illinc Ieſu hærentes manifeſtantur, *Apparuerunt Moyſes, & Elias.* Matth. 17. Quare? Chryſoſt. Vt oſtendat ſe vitæ, ac mortis Principem. *Propter hoc & Moyſem, qui morte defecerat: & Eliam, qui nondum mortem paſſus fuerat, in medium ducit.* Et quare cum ſe Principem oſtendit, Moyſem ad ſui ſocietatem admittit? Pulchrè idem Chryſoſt. reſpondet, *Eum continuè accuſabant Iudæi tanquam tranſgreſſorem legis. Apparet igitur Moyſes, vt oſtendatur ab hac accuſatione innoxius, dum eum, qui in obſeruatione legis fulſit, in medium ducit.* Exiſtimat Moyſem adductum innocentiæ, ac puritatis Saluatoris teſtem cum Elia legis obſeruatiſſimo. Nonne alium ſine exceptione teſtem poſſet aduocare, recordatus malè latum Moſis præceptum, dum crudeliter inſurrexit in petram, ictu vtens pro dictione? Imò & ideò à Ieſu Moſes in teſtem innocentiæ adducitur. Non laudat malè latum ex virgæ vulnerantis ictu præceptum: ſed curat nouus Rex ſilentio comprimi, Moyſémque antiquum Principem omnino commendabilem exiſtimari. Quàm principalis ſpiritus, præcedentium Principum non taxare gubernationem!

# OBSERVATIO XIII.

## Ad illa verba:

*Vt circunciderettur.*

## Onere experto circunciſus Ieſus ab eius obligatione ſubditos abſoluit.

*Vt edoceat Præſules priùs onus ſubditis imponendum eleuare.*

95. *Cauſa decima ponderatur.*

CAVSAM decimam, quam innui ex Angelico Doctore, illuſtrandam adſumo. Princeps Ieſus circunciditur, *vt legis onus in ſe ſuſtinens, alios à legis onere liberaret.* Edocet prælatos, præſides, legiſlatores, quidnam circa præceptorum difficilium rigorem peragendum.

96. *Pater æternus obuiàs paſſionem Filij Abrahamum à lege immolandi vnigenitum liberat* Geneſ. 22. Ambroſ.

Difficile admodum Deus Abrahæ præceptum indixit: *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Iſaac, & vade, &c. & offer mihi in holocauſtum.* Geneſ. 22. Exurgit parens, vt monito cæleſti præſtet obſequium, ſcandit montem, ligna parat, alligat filium, gladium ſtringit, brachium producit. Cúmque iam vulnus executioni mandaretur, ſuperni vox Parentis exauditur. *Abraham, Abraham. Tenuit*, inquit Ambroſ. *quodammodo manum eius diuina vox; & ictum vibrantis occupauit dexteram.* Quare hoc ſacrificium ſingulare tunc præpeditur, quando collo victimæ gladius hæreſcit? Contemplatur Zeno Veron. Patrem Deum de Vnigeniti paſſione tunc in ariete hærenti rubo, ſeu cruci figurati, quodammodo humanum ſimulantem affectum(vt hominum captui ſe accommodet)coluiſſe. Vnde ex his quæ paſſus eſt(ita liceat expendere) illico Abrahamum ab Vnigeniti immolandi imperio difficili abſoluit.

97. *Præfecti & ſubditi communis fragilitas ad onus portandum.*

Prudenter equidem magiſtratus onera ſubditis imponenda eleuant priuſquam aſportanda inferiores adſumant, vti valeant experimento comperire, num carneis dorſis poſſit illud pondus ſuſtineri: quippe cùm prælato, ac ſubdito communis humana fragilitas inſit. Ideo præfectura Ioſeph triticeis fuit deſignata manipulis. *Putabam*, inquit ille, *nos ligare manipulos in agro, & quaſi conſurgere manipulum meum, veſtróſque manipulos circumſtantes adorare manipulum meum*, Geneſ. 37. *Per quam viſionem*, ait Lyran. *præfigurabatur, quod* Geneſ. 37. Lyran.

*Ioſeph*

*Ioſeph deberet in poſterum dominari fratribus ſuis.* Iam pondero manipuli inſurrectionem. Cur non aureum exurrexit regale ſceptrum, ferrea ſeu virga, ſed triticeus manipulus? Num quia eadem Regis ac ſubditi fragilitas? Ita planè. Præfectura Ioſephi eiſdem eſt præſignata manipulis, ac fratrum obedientia, niſi quod regalis poteſtas plus paulo inſurrexit. Subditi manipuli ex palea? Rex non ferreus, nō aureus, ſed triticeus. Si igitur Rex, ſi prælatus onus carneo dorſo poterit ſuſtinere, ſuſtinebit & ſubditus. Non valet eleuare præfectus? Pondus igitur eſt viribus impar ſubditorum.

98. Ad vitam Dominus Lazarum reuocaturus, cùm acceſſiſſet ad monumentum, ait: *Tollite lapidem.* Ioan. 11. Interl. *Onus legis mouete.* Poteſtis ô Prælati (cum Ambroſio loquor) portare? Minimè. Remouete igitur ponderoſum imperium, à tali pondere ſubditos liberate. Fallor, niſi apud ſepulchrum Chriſtus prælatus edoceat, ſe mortales eſſe mortalium ſubditorum præpoſitos. Bene Tacit. lege 4. *Princeps ſe mortalem eſſe ſciat, & hominum officio fungi.* Proh crudelitas præfectorum! Mortuum penè iam morituri ipſi ſubditum premitis?

*Leuare iubet Dominus prælatos lapidem quo ſubditos premunt.* Ioan. 11. Ambroſ.

99. An putatis ferreum eſſe dorſum ſubditorum? Carneum procuIdubio eſt. Dormiente Adamo omnium Principe, Deus *tulit vnā de coſtis eius, & repleuit carnem pro ea.* Geneſ. 2. Vbi quæſtio, cur oſſeam Adami duritiem Dominus abſtulerit, carneámque dorſo Principis adhibuerit fragilitatem? Porrò carnea illa fragilitas feminæ eſt, ſubditi eſt. Tollit igitur Deus à Principis dorſo duritiem, additque mollitiem carnis ſubditorum, ne ſibi Princeps oſſeam ſubditorum fortitudinem, ſed carneam, ſed fragilem omnino eſſe videatur. Vnde inclamitat: *Hoc nunc,* cum Hugo. Card. loquor, *caro de carne mea. Hi ſunt ex compaſſione mea compaſſibiles. Ad hæc genera ſubditorum ſe debet conformare prælatus.*

*Prælati ac ſubditi dorſa carnea.* Geneſ. 2. Hugo.

100. Talem Paulus Pontificem Chriſtum veneratur, *Qui condolere poſſit his, qui ignorant, & errant, quoniam ipſe circundatus eſt infirmitate.* Hebr. 5. Syriacè pro *condolere*, *demittere ſe* ponitur. Demittere, inquam, ſe ad onus perferendum, vt probet, an ſit incomportabile? Quoniam ipſe humanâ eſt circundatus infirmitate. *Debet autem Pontifex*, ait Lyran. *moueri ad miſericordiam ex conſideratione propriæ fragilitatis.* Ac ſi Puer noſter ictu ſaucius inclamaret: Si vulnus hoc à me elicit lacrymas, procul à meis ſubditis ablegetur, aboleatur circuncisio: Baptiſmi dulcis vnda Dei lætificet Ciuitatem.

*Pontifex noſter infirmitate circundatus, vt cōdoleat infirmis.* Hebr. 5. Lyran.

# SECTIO QVARTA.

## Ætas puerilis circuncisi Ieſu.

### *TEXTVS.*

Puer.

### *COMMENTARIVS LITERALIS.*

### § I.

### *Appoſitè Pueri vocabulo vſus Euangeliſta.*

1. SÆPE Euangeliſtæ *Pueri* vocabulo vtuntur circa infantiæ Saluatoris myſteria, magnâ, me iudice, aduertentiâ. Quam innuit D. Ambroſ. dum exponens prædictum verbum, *Puer*, ſic ait. Vt circunciderettur Puer, *Quis Puer niſi ille de quo ſcriptum eſt Iſai. 9. Puer natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis.* Conteſtatur D. Thom. ad illud Matth. 2. *Inuenerunt Puerum cum Maria matre eius. Frequenter*, inquit, *Puerum vocat, vt ſcias illum eſſe, de quo dicitur: Puer natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis.*

*Alluſio ad Iſaiam.* Ambroſ.

2. Tantine momenti nos intelligere Infantem hunc illum eſſe, de quo Iſaias, *Puer natus eſt nobis*, vt toties Euangeliſtæ Pueri vocabulo vtantur? Profectò ex hoc pendet tota Incarnationis Verbi intelligentia. In cuius expoſitionem Iſaiæ locum accuratiùs expendo. *Puer natus eſt nobis, Filius datus eſt nobis, Puer, Filius.* Plerique interpretum animaduertunt hiſce duobus vocabulis Chriſtum verum Deum, & hominem prædici. Quà homo naſcitur, *Puer*; quà Deus eſt, *Filius* Dei *nobis* non temporaliter *natus*, ſed *datus*, ſed donatus, ſiue dono natus; cùm ex Patre natiuitas ſit interna, æterna, neceſſaria; natiuitas autem ex Matre ſit externa, temporalis, libera. Vt *Filius* Dei non potuit non naſci, vnde nobis natus non eſt; potuit item homo non fieri, & tunc neque vt homo *natus*, neque vt Deus nobis donatus fuiſſet. Confirmo ſententiam meam ex Conc. 11. Hiſpal. Puer *Chriſtus ad ſuſceptæ humanitatis naturam pertinet, quia homo eſt factus.* Filius *autem datus ad Diuinitatem; quia Dei Filius; Et vt oſtenderet*, addit, *in vtraque natura vnam eſſe perſonam Pueri nati, & Filij dati, adiecit, Vocabitur nomen eius magni conſilij Angelus.* Hinc conſtat, cur totiens Euangeliſtæ Pueri vocabulo vtantur circa Saluatoris natalitium. Si *Puerum* paſtores in præſepio conſtitutum inuenêre, ſibi ex femina natum autumant. Si *Puerum* vidêre Magi cum Maria matre eius, ſibi natus ille hominibus obiiciebatur. Si *Puer* denique circunciditur, ex ea parte, qua nobis *natus* eſt, non ex qua *Filius datus* circunciſionis vulnus ſuſtinuit impaſſibili Deitate.

*Expenditur Iſaias.* Iſai. 9. Conc. 11. Hiſp.

§. II.

Digitized by Google

## §. II.

*Cur ætas teneritudine tantâ laborans circunciſionis ſignaculo initietur?*

3. *Prima ætas accommodatior diſciplinæ.* Cypr.

TRaditis iam ſuprà rationibus adiiciam, ideo infantilem ætatem, cogente lege, circũncisioni obnoxiam, quia ætas puerilis accommodatior diſciplinæ. Mecum ſentit D. Cyprian. *Tenera*, ait, *infantia huiuſmodi erat imbuenda doctrina.*

4. *Quare?* Hieron. Procop. Hieron.

Ratio eſt, quia non ſine magna difficultate aboletur, quidquid in puerili ætate edíſcitur. Vnde D. Hieronym. *Difficulter eraditur, quod rudes animi perbiberunt. Lanarum conchylia quis in priſtinum candorem reuocet? Recens teſta diu & ſaporem retinet, & odorem, quo primùm imbuta eſt.* Id expreſſit ſapiens, dum ait: *Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea.* Prouerb. 22. Exponit appoſitè Beda fatus: *Conſtat pleroſque in ſenectute, Domino donante, ſeparari à vitiis, quæ adoleſcentes habuerant, & è contra nonnullos, illo ſe deſerente, deſerere circa ſenilem ætatem virtutes, quibus ab adoleſcentia videbantur illuſtrari. Sed quia multo ſæpius quiſque mores, quibus ab adoleſcentia imbutus eſt, in reliquum vitæ tempus exequi conſueuit: prouerbium eſſe dicit, quia quod adoleſcens quiſque cœperit, in ſenecta non mutauerit, non tamen ipſum ſemper ita venire confirmat.* Idcirco autem huiuſmodi prouerbium ponit, *vt auditores à prima ætate virtutibus ſtudere perſuadeat.* Hinc colligo puerum optimis & ſcientiâ, & virtute magiſtris tradendum, vt ediſcat non ſolùm litterarum cognitionem, ſed & ſimul virtutum ſtudium, morum grauitatem, obſeruationem legis ebibat.

Ad hæc Cyprian. (cuius inferiùs exprimam teſtimonium) ideo ſpeciatim puerum generationis in membro percuti ſolitum affirmat, vt ab infantia in frænanda luxurie opera nauaretur. D. Ambroſ. ſic Serm. 19. *Præcurrit ætatis maturitatem, quiſquis in adoleſcentia poſitus, iuueniles annos veterana continentia regit. Nam quid poteſt habere laudis, ſi effœtum corpus voluptatibus ad ſera deuotionis officia conuertatur?* Ad ſera, inquit, officia. Serò enim iam penè medicina tantæ paratur ægritudini. 5. *Caſtitas.* Ambroſ.

Adhuc Pueri Ieſu ætas immatura dum traditur circuncíſioni, nos edocet, pueros monaſticæ diſciplinæ iucundæ accommodatiores. 6. *Monaſtica diſciplina.*

Innoteſcit denique Ieſu humilitas, dum Puer traditus circunciſionis vulneri magis propter nos dignatur minorari. Singula perſequar, & illuſtrabo argumenta. *Humilitas.*

---

# IN IESVM CIRCVMCISVM.

## Panegyricus quartus Moralis circa Literam.

## EX ÆTATE PVERILI.

### *OBSERVATIO I.*

Ad illa verba,

*Circunciderctur Puer.*

Ieſus *Puer* circuncíſioni traditur,

*Inſtituendæ pueritiæ exprimens neceſſitatem.*

7. Cyprian.

TENERA *Infantia*, recolo Cypriani teſtimonium, *huiuſmodi erat imbuenda doctrina.* Neceſſum valde ætati primæuæ diſciplinam adhibere, ætati infantiam committere magiſtro & litteris, & moribus, ingenti quidem fructu, inſtituendam.

---

CAPVT I.

*Puer ſub præceptore.*

8. *Ferula à iuuentu.* Senec.

GRandior *Ætas*, inquit Senec. l. 3. Epiſt. 23. *dura, & intractabilis non poteſt reformari; Ant. de Eſcob. & Mendoz.* de Sanct. Tom. I. *tenera fingitur.* In morem videlicet luti ſub figuli manibus. Prouerbij loco ſolitum circunferri: *Senex pſittacus negligit ferulam.* Id quod exponens Plin. l. 10. c. 24. ait, *Pſittacus in primo vitæ ſuæ biennio facilè ediſcit; poſtea quantumuis flagelletur, non edocetur.* Plin.

Puerilis igitur ætas tradenda magiſtro. Filij flores ſunt? Imò & campi flores; nec enim puerilis æſtas, horti cuiuſdam terminis circunſcribitur, ſed quaſi per agros diuagatur. Titulus Pſalm. 44. ſic, *Pro iis, qui commutabuntur.* Hieronym. *Pro floribus filiorum.* Floréſne horti, an prati? Clem. Alex. 2. Pæd. c. 8. *Matrimonij flores liberi, quos quidem carnalium pratorum diuinus colligit agricola.* Quid agricolæ cum floribus pratorum? Imò quia pratorum flores liberi ſunt, 9. *Puer flos excolendus à magiſtro.* Pſal. 44. Clem.

ideo accuratiori egent agricolæ, ſeu magiſtri patrocinio; vti in campis liberi libertate minimè potiantur, ſed quaſi intra clauſtra hortorum colligentur.

10. *Theſaurus cuſtodiendus.* Luc. 12.

Filij theſaurus? Quanta cura adhibenda, vt theſaurus cuſtodiatur? *Amen dico vobis*, ait Magiſter, *quoniam ſi ſciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non fineret perfodi domum ſuam.* Luc. 12. Quemnam theſaurum paterfamilias cuſtodire debet? Num diuitias? Nū rem familiarem? Profectò filios, à quibus bene morigeratis diuitiæ obueniunt. D. Chryſoſt. ad Tim. *Magnum habemus pretioſum depoſitū filios, ingenti illos ſeruemus cura, ne fur id nobis aſtutus auferat.* Enimuerò tunc filius theſaurus eſt, cum à pueritia cuſtoditur, edocetur, litteris, boniſque moribus inſtruitur. Alibi Chryſoſt. Epiſt. ad Epheſ. hom. 21. *Omnia a nobis poſtponantur cura filiorum. Si filius ab initio didicerit, acquiſiuit parens diuitias maiores quibuſuis diuitiis.*

Chryſoſt.

11. *Nauis egens gubernatore.* Prouerb. 30. Clem.

Filij, nauis in medio pelagi conſtituta. Indiget proculdubio gubernatore. Salomon appoſitè viam adoleſcentiæ naui comparauit. *Viam nauis in medio mari, viam viri in adoleſcentia.* Prouerb. 30. Id quod Clem. Alexan. Pædag. c. 7. pulchrè ponderauit, dicens: *Quemadmodum gubernator non ſemper cedit ventis, ſed contra prorā obuertens, vniuerſis reſiſtit tempeſtatibus; ita pædagogus legibus, quæ ſunt in mundo, numquam cedit, nec eis puerum tanquam cymbam in libidinoſam viuendi rationem impellere permittit; ſed ſolo ſecundo veritatis ſpiritu in altum ſublatus, etiam pueri, aures inquam fortiter tenet: donec inoffenſum puerum in portum virtutis perduxerit.* Proh iuuentæ cymba medio in ſalo ætatis conſtituta fluctuans, quàm indiges nauiculatore!

12. *Pater non eſt, qui filium non tradit præceptori.* Tob. 1.

Huiuſce equidem veritatis ſeſe exemplar priſtini Patres præbuēre. *Cum factus fuiſſet vir ſenior Tobias, accepit vxorem Annam de tribu ſua, genuitque ex ea filium, nomen ſuum imponens ei: quem ab infantia timere Deum docuit.* Tob. 1. Mox poſt natum filium, poſt nominis impoſitionem doctrina inſtituendo adhibetur infanti. Illum genuiſti filium, quem litteris ac timore Dei imbuere curas. Vnde Lyran. *Tunc Sapiens gignit filium, quando facit diſcipulum.* Qui filiū ſuum diſcipulum non facit, vt à prudenti præceptore edoceatur, nec ſapiens eſt, nec pater eſt appellandus.

Lyran.

13. *Filius nō eſt, qui magiſtro non ſubicitur.* Tull.

Imò nec ipſe filius debet filius exiſtimari. Eſt enim velut eſſentia pueri committi præceptori. Hinc Tull. 1. de offic. Eſt, (inquit) *adoleſcentis, ex maioribus natu eligere optimos & probatiſſimos, quorum conſilio nitatur.* Eſt, inquam, *hoc adoleſcentis.* Adeò adoleſcentibus adnatum magiſtris ſubiacere, vt quaſi eſſentia quodammodo mutiletur, qui effugit teneræ ætatis informatorē.

14. *De eſſentia pueri magiſtro ſubijci.* Gen. 37.

*Ioſeph cùm ſedecim eſſet annorum paſcebat gregem cum fratribus ſuis adhuc puer.* Gen. 37. Videtur huiuſce ſententiæ illa particula, *Adhuc puer*, ſuperfluere; quia ſedecim annorum ætas adhuc puerilis eſt. Quare igitur verba iſthæc ſuperaddita? Affirmat Textus Ioſeph gregi paſcendo curam ſimul cum ſuis fratribus adhibere. At quia fratres non benè morigerati erant, poterat Ioſeph non bene apud poſteros audire, ac ſi eiſdem moribus ex fratrum ſocietate operam dediſſet. Vnde eum ab iſta Moyſes calumniā præſeruans dicit, *Adhuc puer* erat, ſe gerebat vt puerum; parenti enim præceptori de puerilis ætatis eſſentia, ſubiiciebatur. Chryſoſt. *Additur particula illa:* Adhue puer: *vt plenius ſcias adoleſcentis erga patrem obedientiam.* Idem namque eſt ſeſe vti puerum gerere, ac obedientiæ paternæ emancipari.

Chryſoſt.

15. *Hinc laudabilis puer Loth.* Gen. 12.

Quid memorē Loth? de quo Moyſes *Egreſſus eſt Abram ſicut præceperat ei Dominus, & iuit cum eo Loth.* Gen. 12. Laudandus profectò numquā ſatis puer iſte, quod in illius lubrico ætatis nō laxiora vitæ ſtudia cōſecutus impio adhæſit patruo Nachori; ſed optimam fecit electionem patrui tutoris, ac præceptoris Abræ. Quod adnotans Chryſoſt. fatur, *Quanta prudentia erat diiudicare, & probare, cui patruorū ſuiuuram permittere deberet:* Reddit optimè rationē Procop. *Lothus obſtupefactus Abra integritatē, & pietatē iactis noua vitæ fundamentis, ſe Abramo cōiunxit.* Nec enim firma exſurget exædificatio, ſi ætatis puerilis fundamina bonâ præceptoris inſtitutione non obfirmentur, & ſtabiliantur.

Chryſoſt.

Procop.

16. *Et Abraham magiſter.* Geneſ. 12.

Vis oſtendam, quàm neceſſaria ætatis puerilis apud pædagogum inſtitutio? Præcepit Deus Abramo, *Egredere de terra tua, & de cognatione tua.* Gen. 12. *At iuit cum eo Loth conſobrinus*, patruo permittente. Quid proficeret Abram è cognatione egredi, ſi ſecum cognationem deferebat? Inobedientiæne Abram arguendus? D. Chryſoſt. inquirit: *Quare cùm Dominus dixerit: Egredere de cognatione tua, Abram tamen ſecum aſſumpſerit Loth?* Reſpondet egregiè, *Quia Loth iuuenis erat.* Et quomodo cæleſti præcepto Loth ſub puerilis, ſeu iuuenilis ætatis exitiali poteſtate relinqueretur? *Temeritas* ſi quidem *florentis ætatis* ait Tull. cit. quæ equidem à pædagogo eſt comprimenda. Vnde Abram itaque adiudicauit præceptum illud: *Egredere de cognatione tua* appoſitè adimpleri, licet ſecum iuuenem adduceret inſtituendum. Neceſſitas informandæ pueritiæ tanta!

Chryſoſt.

Tull.

## Capvt II.

### *Infans ab vtero, imò nondum conceptus ſub præceptore conſtituendus quodammodo.*

17. *Bonum viro iugum à pueritia efferre.* Horat.

QVodnam Adoleſcentum inſtitutioni tempus præſcribemus? Horat. 1. Epiſt. 2.

*Fingit equum tenera docilem ceruice magiſter*
*Ire viam, quam monſtrat eques; venaticus ex quo*
*Tempore ceruinam pellem latrauit in aula,*
*Militat in ſyluis catulus; nunc excipe puro*
*Pectore verba puer, nunc te melioribus offer.*

Sed ſileant profana, cœleſti Magiſtro tempus informando iuueni præſcribente. *Bonum eſt*, inquit, *viro, cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua.* Thren. 3. Vbi Ieremias non indicat quod melius, quod optimum, ſed quod *bonum* eſt. *Bonum* igitur ab adoleſcentia portare, ſed melius ante florentis annos iuuentutis; ſed optimum (ſi poſſibile) ante ipſam effictionem. De *meliori* adoleſcentis informatione ſic Ambroſ. Serm. 2. in Pſal. 118. *Non ſolum tollere iugum verbi, ſed in iuuentute debemus tollere.* Protinus infert, *Præueniamus ergo iuuentutis annos correctione congrua.* Quaſi vix poſſimus id præſtare, quod *bonum* eſt, niſi ante iuuentutis annos id, quod *melius* eſt, præſtiterimus. Ægrè etenim portat in iuuentute iugum, qui ab infantia non præuenit.

Thren.

Ambroſ.

Conte

18. *Infans capax conſuetudinis.* *Prouer. 22.* Conteſtatur Salomon, *Adoleſcens iuxta viam ſuam etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea.* Prouerb. 22. Loco verbi illius: *Adoleſcens iuxta viã.* Ex Hebr. Caietan. *Aſſuefacito puerum ſuper os viæ ſuæ.* Cùm primùm puer viam ingreditur adoleſcentiæ, quæ quidem ipſa pueritia eſt, congruis ſaltem conſuetudinis capacem aſſuefacitu documentis. *Caietan.* *Monet*, inquit Caietan. *Salomon, vt non differatur inſtitutio pueri, ſed in ore viæ eius, id eſt, tunc cùm ad eius animum ingreſſus patere incipit, iã inde aſſuefaciat virtuti. Quamuis enim non ſit capax doctrinæ, eſt tamen capax conſuetudinis.* En conſuetudinis capax infantia.

19. *Melius ab vtero iugum portat.* *Melius* edocetur, vel aſſueſit ab vtero infantia. Adhuc apud vterum Iacob *fratris* Eſau ad lumen egredientis *plantam tenebat manu* Enimvero iuuenis iam effectus Iacob *coxit pulmentum, ad quem cùm veniſſet Eſau de agro laſſus, ait, da mihi de coctione hac rufa.* Cui Iacob: *Vende mihi primogenita tua.* Reſpondet venator: *En morior, quid mihi proderunt primogenita? Iurauit ergo Eſau, & vendidit primogenita.* Geneſ. 25. *Geneſ. 25.* Num ab vtero Iacob capax aſtus illius, quo primogenita fratris acquiſiuit? Minimè. At ſi non capax aſtus, haud omnino incapax quodammodo erat conſuetudinis. Vnde tunc, quaſi naturâ magiſtrâ, aſſueſit ad futuram aſtûs executionẽ. *Oleaſt.* Oleaſt. *Quia Dominus Deus, ſecundo genitum primogenitum facere voluit, eum iam ab vtero fratris primogenituram impedire diſpoſuit.*

20. *Optimè à conceptu.* Iam oſtendo *optimum* eſſe viro ante conceptionem quodammodo iugum portare. Anna olim Samuelem Deo magiſtro tradere curauit, priuſquam conciperetur, 1. Reg. 1. *1. Reg. 1.* *Plutarch.* Annon ſerpens pedes mulieris, ſiue filios maculare procurat? Geneſ. 3. Plutarchus l. 1. de educ. fil. Filios *pedes* emphaticè appellauit; parentéſque taxans, eos affirmat de calceis curam gerere, pedum autem ſeu filiorum tutelam negligere. Conterat ergo parens ſerpentis aſtum precibus ad omnium Parentem tunc emiſſis, quando expetit filios, vt prius Deo concipiat, & pariat, quàm ſæculo. Id quod Nazianzeni parens præſtabat mox poſt conceptum filiorum. *Nos* filius ait, *priuſquam naſceremur, Deo promiſit, vitaque lucem ingreſſos protinus conſecrauit.*

## CAPVT III.

*Puer non diſcens, difficilè, vir, legis iugum importat.*

21. *Via viri à pueritia facilis, aut difficilis.* *Thren. 3.* BOnum eſt viro, inquit Propheta *cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua.* Thren. 3. Ac ſi diceret: Ex adoleſcentia morigerata, ac ſub præceptore conſtituta bona virili redundare ætati. Malum è conuerſo, viro iugum ab adoleſcentia non deportanti. Difficilis namque eſt virilis ætatis recta via, ſi iuuentute non dirigatur. *Tria mihi*, Sapiens ait, *difficilia, quartum penitus ignoro. Viam aquilæ in cælo, viam colubri ſuper petram, viam nauis in medio maris, viam viri in adoleſcentia.* Prouerb. 30. *Prouer. 30.* *Paſchaſ.* De indiſciplinata iuuenta locum ſic exponit Paſchaſ. *Magnum eſt a vitiis abſtinere iuuenibus, & ea in ipſo iuuentutis veſtibulo deſerere. Lubrica enim, & perplexa ſunt via iuuentutis. Vnde Salomon tria impoſſibilia intelligit, & quartum non cognoſcit. Veſtigia aquilæ, viam ſerpentis, ſemitas nauis, & viam viri in adoleſcentia* Quare via *viri in adoleſcentia impoſſibilis vocitatur?* Quia via *viri*, ſiue progreſſus viri ad ſtudium virtutis difficile admodum ex adoleſcentia minimè ſalutaribus documentis imbutâ redditur. Tam difficile enim qui iuuenis dimauit, vir ſalutare iter tenet, vt huiuſmodi difficultas congruè impoſſibilitatis nomine adnotetur.

22. *Iuuenta infecta ſæpe totam inficit ætatem* Ipſium audiamus humanæ naturæ Conditorem: *Senſus & cogitatio humani cordis prona ſunt ad malum ab adoleſcentia ſua.* Geneſ. 8 *Geneſ. 8.* Num naturalis promptitudo ad malum in homine ſolummodo ab adoleſcentia ducit exortum? Porrò & ipſa infantia nullatenus ab huiuſmodi inclinatione (potiùs dixerim declinatione) liberatur, dicente Ambroſio: *Sed & infantia ſine peccato non eſt.* *Ambroſ.* Quare igitur præcipuè naturalis poſt peccatum prædicta ad malum promptitudo ab adoleſcentia originem ducere adfirmatur? Reſpondet Ambroſius. Quia *diligentia, & ſtudium peccati ab adoleſcentia.* Studet peccatum quoniam modo adoleſcentiam inficiat, vt creſcente ad malum promptitudine illâ, totam proculdubio maculet ætatem; quoniam *adoleſcens iuxta viam ſuam etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea.* Si ergo *diligentia, & ſtudium peccati*, incipit ab adoleſcentia, ab eadem diligentia & ſtudium rectæ inſtitutionis debet exordiri.

23. *Vir diſciplinata adoleſcentia percuſſus ſilet.* Proh vitilis ætatis gloria ex diſciplinata iuuenta! *Bonum eſt viro, cùm portauerit iugum ab adoleſcentia ſua. Sedebit ſolitarius, & tacebit.* Thren. 3. *Thren 3.* *Paſch.* Graue prorſus Euangelij iugum: *Poteſt graue*, inquit Paſch. l. 3. *iugum videri propter onera diſciplinæ auſteritatémque correctionis, pondus abſtinentiæ, reſtrictionem laſciuiæ.* Quid gratius, quàm me vnius maxillæ percuſſori & alteram exhibere? Proh adoleſcentia legis iugũ importans! Tu virum, ô morigerata iuuentus, ita comprimis, eius concitatos iniuriâ motus adeò componis, & moderaris; vt ſedeat, & taceat, licet iniuſtè ab inimico percutiatur. *Sedebit ſolitarius, & tacebit.* Pulchrè Paſchaſ. *Quia primano portauerit iugum verbi, hoc eſt à iuuentute: ille ſedebit, donec plenâ ſe perfectione virtutis erudiat, & magnam animi inducat patientiã, ita demum, vt percutienti ſe poſſit præbere maxillam.*

24. *Quaſi Angelicã naturam induit.* Quid ſi tam facilis legis obſeruatio morigerato iuueni, vt ad alteram peregrinam naturam homo eleuatus fuiſſe videatur? *Sedebit*, inquit Propheta, *ſolitarius, & tacebit, quia leuauit ſupra ſe.* Thren. 3. *Thren. 3.* Ac ſi diceret: Nec auxiliatore homine indigebit, nec immiſcebit querelas, quia ex eo quod ab adoleſcentia hoc iugum portauit, *leuauit ſupra ſe*, ſuammet quodammodo naturam tranſcendens. *Paſchaſ.* Paſchaſ. *Quis eſt, qui leuat iugum graue a iuuentate ſua, niſi qui renunciat delicijs, luxuriam fugit? Idcirco rectè ſuper ſe tuliſſe dicitur, quoniam vltra vires eſt corrupta naturæ.* Super ſe hic portat, leuat onus, iam non ipſe, ſed alius altiori quodammodo naturâ conſpicuus. Adeò itaque faciliter iugum quantumuis graue deuehit, ac ſi Angelicis humeris reportaret.

25. *Difficile vir iugum importat, quod à pueritia nõ duxit.* O quàm difficile vir legis iugum portabis, quod minimè à iuuentute aſportare didiciſti! Teſtor Paulum profantem; *Caſtigo corpus meũ, & in ſeruitutem redigo.* 1. Cor. 9. *1. Cor. 9.* *Cyprian.* Vbi Cyprian. *Adeò ſuum corpus mortificabat Apoſtolus, non tantùm circuncidens vnum membrum, ſed totum ſe crucifigens, & omnibus extraordinariis motibus*

*opponens cauterium, vſque adeò corpus ſuum redigens in ſeruitutem.* Pende illud: *Non tantum circuncidens vnum membrum.* Non ſeſe Paulus cum Ieſu infans ſpirituali circunciſioni tradidit, ſed iam vir Euangelicæ ſtuduit perfectioni. En difficultas reductionis in Ieſu captiuitatem ſingulos animi motus. Sub ætate puerili omnes inordinati motus ex vnica ſpirituali circumciſione, ſiue rectâ inſtitutione ac eruditione cohibentur. Verùm poſtquam ad virilem peruenitur ætatem, non in vno membro, ſed in ſingulis actionibus motus huiuſmodi inordinati comprimi neceſſum eſt. Enimverò poſt innumerabilium effrænatarum actionum compreſſionem *vſque adeò corpus redigitur,* auctore Cypriano, *ſed in ſeruitutem.* Vt innoteſcat, quàm violenter iugum aſportat, qui à pueritia diu ẽhere non didicit.

## CAPVT IV.

### *Fructus ex tradita præceptori iuuenta.*

26. *Puer edoctus vir eſt.* Num. 1. INptimis morigerati edocti pueri inter viros adnumerantur, ſecus qui ferulam effugiunt. *Quidquid ſexus eſt maſculini* numerabitis *à viceſimo anno, & ſuprà.* Num. 1. Poſtquam hi viriliter pugnauerunt, ad virorum ſunt redacti conſortium. Portò pueri ex tribu Leuitica ſub virorum numero adſcribuntur ab ipſis cunabulis, licet non pugnauerint, licet vigeſimum annum non expleuerint. Quid cauſæ? Opinor quia hi mox ab infantia, & tabernaculo ſeruiebant, & edocendi idoneis magiſtris tradebantur. Origen. Origen. hom. 1. ad hæc: *Puerilis ætas non numeratur, nec apta diuinis calculis ducitur, niſi forte è ſacerdotali, vel Leuitica ſtirpe deſcendant.* Primogeniti etiam adnumerabantur. *Iſti ſoli in pueris adducuntur ad numerum.* Reddens autem rationem, cur prædicti ſolummodò pueri adnumerentur, ſubiicit: *Si tranſcendero puerilis ætatis inſipientia*, id quod diſciplinâ, ac magiſterio præſtatur, *ſi deſiero paruulus eſſe ſenſibus dignus diuinis numeris computabor.* Qui igitur non ediſcit, inter homines haud eſt, conſpiciente Domino, adnumerandus.

27. *Diſciplina iuuenes liberat ab exitio.* Deinde diſciplina puerum & ab humanæ naturæ innatâ corruptione, & ab æterno liberat excidio: *Percute,* inquit Sapiens, *filium tuum virgâ, & liberabis animam eius à morte.* Prouerb. 23.
Prouer. 23. In teſtem adfero mundum puerulum cæleſti magiſtro traditum, flagello percuſſum, ac mirum in modum reformatum. Pulchram ſubiicio
Rupert. Ruperti ſententiam: *Deus totum mundum quaſi hominem ſuſceperat erudiendum. Scimus autem, quod hominis, cùm adhuc puer eſt, agẽdum ſit, quod timeat, ne dimiſſus ſua voluntati, præceps, & infrænis in malum, ad quod prona eſt humana natura, ſemper ſecuro collo ruat.* Percute filium tuum virgâ, *ait Scriptura*, & liberabis animam eius à morte. *Rectè igitur & vtiliter, vti ſapientiam Dei decuit, petulantem mundum recentem, tanquam ſtultum puerum corripuit, tali percutiens verbere, quod totâ ſuâ ætate non queat obliuiſci.* Ediſcant magiſtri à ſupremo hominum Parente ſapientis magiſterij eſſe diſcipulos flagris percutere petulantes, vt ab æterno hi exitio dimoueantur, quò ſoluto curſu miſerè deferuntur.

28. Præterea qui puerum edocet, eum efficit diuitem. *Si ſciret paterfamilias*, Chriſtus ait, *quâ horâ fur veniret, vigilaret vtique.* Luc. 12. Et *Edoctus iuuenis diues efficitur.* Luc. 12.
quid paterfamilias vigilanter cuſtodit, filioſne an diuitias? Et filios prorſus & theſauros, quia filio cuſtodito bonæ educationis curâ, diuitiæ Chryſoſt.
acquiruntur, & conſeruantur. Vnde Chryſoſt. Epiſt. ad Epheſ. hom. 21. *Si filius, ait, ab initio didicerit, acquiſiuit diuitias maiores quibuſuis diuitiis.* Maiores equidem, quia quæcumque ſæculares diuitiæ conſumuntur plerumque ſine reditu, ſapientia autem ſemper acquirendarum diuitiarum ſtudio iuueneſcit.

Ad hæc diſciplinata iuuentus vrbium muris 29.
adiicit ſtabilimentum. Iſaias mores laudat diſciplinatorum ab infantia ciuium Sion. *Reſpice Sion ciuitatem ſolemnitatis noſtræ, oculi tui videbunt Ieruſalem habitationem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit, nec auferentur claui eius in ſempiternum.* *Muros ſtabilit erudita iuuentus.* Iſai. 33.
Vrbem omnino contrariam taxans, inclamat, *Vbi eſt doctor paruulorum? Populum imprudentem nõ videbis.* Quid mirum inuiſam Deo vrbẽ, vbi pueri non edocentur? Verùm corruat huiuſmodi ciuitas neceſſum. Vnde pro doctore paruulorũ ponitur Hebr. *Numerator turrium*, ſeu qui curam gerit turrium numerandarum, vt comperiat, num aliqua exciderit. Qui pueros edocet, turres numerat, quia eas tuetur, & defendit. *Miſit ancillas ſuas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis. Si quis paruulus, veniat ad me.* Prouerb. 9. Vbi Caietan. *Miſit ancillas ſuas ſuper humeros excelſorum Ciuitatis.* Excelſos Ciuitatis officio præſtantes intelligit. Expono magiſtros, queis cura imminet mœniorum, dum iuuentæ ſuſtinent informandæ munus. Prouerb. 9. Caietan.

Denique huiuſmodi iuuentus non ſolùm 30.
Ciuitatis exædificationem tuetur, ſed ſemetipſam conſeruat gratam cæleſti Conditori. Iacob Ioſeph benedicturus, ait, *Deus qui paſcit me ab adoleſcentia mea vſque in præſentem diem.* *Pietatem ſouet.*
Gen. 48. Vſque in ſenectutem Patriarcha ſe à Domino refectum, ſe filium ſiue Deo gratum affirmat, quia à iuuentute paſtus huiuſce dulcedinem deguſtauit. Accipite D. Ambroſ. Serm. 2. Gen. 48. Ambr. 10.
in Pſal. 118. ſantem: *Non ſolùm tollere iugum verbi, ſed à iuuentute debemus tollere. Si enim ſerò tollamus, incipimus pœnitentiam ſuperiorum magis habere, quàm tenere gratiam. Præueniamus ergo iuuentutis annos correctione congruâ, vt magis dicamus ſinguli*, Deus, qui paſcit me à iuuentute mea, *quam recordationem habentes, lapſum defleamus:* Delicta iuuentutis meæ ne memineris Domine. Pſal. 24. *Hoc debilitatis eſt remedium, illud robur ſalutis.* Proh diſciplinatæ iuuentæ felicitas! Bene Virgil. Ethn. Virgil.

*Nec ſanctæ iuuenes attingunt ſordida fata,*
*Sed verè ceſſêre domos, & iura priorum.*

## CAPVT V.

### *Incommoda ob non commiſſam præceptori adoleſcentiam.*

31. *Sine diſciplina flamma ſpinas parit adoleſcentia.* Chryſoſt. DOminus ita: *Ignem veni mittere in terram.* Luc. 12. Quem ignem niſi iuuentutis diſciplinam, Chryſoſtomo hom. 50. in Matth. interprete: *Quemadmodum ager diu non proſciſſus, ſic iuuentus neglecta ſyluescit, ac paſſim innumeras vepres producit. Ignis ergo immittendus eſt,*

*dus eſt, quò impiis cupiditatibus concrematis, nouália excolamus, quæ ſpiritualia ſemina poſſint ſuſcipere.* Haud ſpinę diſciplinâ concremantur? Ciues compuogentur. *Adamauit eam, Dinam, illicito amore Sichem, & rapuit.* Cap. 34. *Vide*, inquit Chryſoſt. *quantum ſit iuuentutis malũ, quãdo rectæ rationis fræno caret. Vidit Sichem virginem, & totus propter affectum captus factus eſt; & concupiſcentiam opere compleuit.* Et fratribus, & cognatis, & toti ciuitati inculta terra hæc peperit ſpinas.

Gen. 34. Chryſoſt.

32\. *Semper puer qui non didicit à pueritia.* Quia pueri ſine magiſtro, etiam cùm ad ætatis virilis maturitatem perueniunt, ſemper pueri, immaturi ſemper obiiciuntur. Cham parentis aperuit nuditatem. Porrò Noë *videns quod fecerat filius ſuus iunior*, eum maledictionis gladio vulnerauit. Geneſ. 9. Vnde exoritur quæſtio, quare Cham filium vocat iuniorem, qui minor filiorum non erat, ſed ſecundus: nec abſolutè iuuenta florebat, quippe cum (Caietano auctore) centum annorum exiſteret? Num quia puer erat intellectu? Ita D. Ambroſ. de Noe. c. 5. *Iuniorem non ætate, non tempore accipias, ſed rudẽ ſenſu, & in quadam intellectus infantia conſtitutũ.* Et vndenam miſer ille perpetuæ adſtrictus eſt iuuentuti? Adiicit pulchrè Doctor: *Prouectioris doctrinam ætatis non hauſit.* Quandonam fuerat hauſturus ætatis doctrinam prouectioris? In pueritia planè. Nam pueritia totius ætatis mamilla eſt, vnde haurimus virilitatis grauitatem, maturitatem ſenectutis. Egregiè Clem. Alex. Pædag. c. 5. *Eſt nobis*, inquit, *vber ætatis ipſa iuuentus.* Qui puer abſtinuit ab vbere; ſemper puer maneat neceſſum eſt.

Gen. 9. Ambroſ.

33\. *Difficilis huic medicina.* Teſtor Hebræos à pueritia Ægypti cibis ſtolidioribus aſſuefactos, quibus cũ cæleſte Manna effluxiſſet, non modò eorum puerili volubilitati non medebatur, verùm eos excitabat ad nauſeam. Tot virium conſuetudo vendicarat! Id quod adnotans D. Chryſoſt aduerſus vitup. vitæ Monaſt. ait, *Et tamen illi*, Hebræi, *vitia non effugerunt. Sed cùm Manna cibo cæleſti alerentur, cepas, allia, & cætera Ægypti mala præferebant. Adeò conſuetudo valet!*

Exod. 16. Chryſoſt.

34\. *Citò moritur.* Quid plura? Iuuentus ſcholæ fugitans à vita maturè excidit temporaria. Iob: *Si audierint, pueri, & obſeruauerint, complebunt dies ſuos in bono, & annos ſuos in gloria. Si autem non audierint, tranſibunt per gladium, & conſumentur in ſtultitia. Morietur in tempeſtate anima eorũ.* Cap. 36. LXX. ex Hebræo. *Morietur in iuuẽtute.* Alij, *Morietur anima eorum per iuuenilẽ ſtoliditatem.* En ſtultitia iuuentutis cum immatura morte copulatur. At *qui audiunt, qui diſcunt*, Neſtorios frequenter annos adipiſcuntur. *Complebunt dies ſuos in bono.*

Iob. 36. LXX.

35\. *Damnatur.* Iam verò ab æterna ſæpe felicitate iuuenes ſine diſciplina excidere confirmat Magiſter inclamans, *Sinite paruulos venire ad me; talium eſt enim Regnum Cælorum.* Matth. 18. Alibi, *Inter natos mulierum nullus maior Ioanne ſurrexit.* Equidem *qui minor eſt in Regno cælorum, maior eſt illo.* Quia apud cæleſtem Patriam nullus paruulus eſt. Quare igitur Dominus paruulorum Regnum cæleſte eſſe affirmauit? Quia paruuli ad magiſtrum optimum accedentes, ea diſcunt, quæ decent electos. Roboro ex D. Chryſoſt. qui tractãs, quàm ſint pauci cæleſtis incolæ Regni, cauſam aſſignat & adoleſcentum effrænationem, & ſenum deſidiam circa iuuẽtutis mo-

Matth. 18. Chryſoſt.

*Ant. de Eſcob. & Mendoz.* de Sanct. Tom. I.

deramen. *Exemplaria*, ait, *diſparuerunt. Ideo nulli adoleſcentes fiunt admirabiles. Iacent omnes adoleſcentes frigidi, ac ſenes rident.*

Nec vitæ termino circumſcribitur non edoctæ iuuentutis malum, verùm ad omnem aſſolet non ſemel poſteritatem diuagari. Ipſum naturæ audiamus Conditorem: *Nequaquam vltrà maledicam terræ propter homines: Senſus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua.* Geneſ. 8. D. Bernard. Serm. 85. in Cant. *Ab adoleſcentia, hoc eſt, ab inſipiẽtia primæ mulieris.* Quid adoleſcẽtiæ cum primæ mulieris inſipientia? Quia adoleſcentes, qui non edocentur, inſipientes ſunt. At iuuentus inſipiens totam inficit quodammodo poſteritatem: ſicuti inſipientia primæ mulieris humanam progeniem maculauit. Parum eſſet ſuis poſteris exitio eſſe, ſi non vrbibus detrimentum inferret. Quam verè Verinus! 36. *Inficit ille poſteros.*

Geneſ. Bernard.

Verin.

*Præcipues iuuenum dementia ſubruit vrbes.*

Et Ariſtot. 8. Polit. c. 1. *Iuuentutis diſciplina neglecta facit magnum reipublicæ detrimentum.* Plura mitto.

Ariſt.

# OBSERVATIO II.

## Ad illa verba.

*Circumcideretur Puer.*

## Circumciſus Puer Ieſus ſuis Ieſuitis puerorum inſtitutionem committit.

## *Vbi de rectè inſtituendæ Iuuentutis norma.*

COGOR D. Ignatij alumnus hinc contemplari, quantum Chriſtianæ reipublicæ vtilitatis, ac commodi accreſcat, vbi Societatis noſtræ inſtitutio magiſtros puerorum educationi vacantes conſtituit. Recipit illa pueros veſtros iuga è collo excutientes, paternæ domus turbationem, vicinorum metum, pudicitiæ ſcandalum, ciuitatis periculum: reddit morigeratos, modeſtos, pudicos, ſeniles fructus in florente iuuenta proferentes. 37.

### Capvt I.

*Societatis Schola pueros litteras edocet, vt illi ſimul virtutum exercitamenta exhauriant.*

SPiritu ſancto aduentante, diſpertitæ apparent linguæ *tanquam ignis.* Act. 2. Inibi adeſt ignis bonæ voluntatis (nempe Spiritus illius, qui à Patre, & Filio per voluntatem procedit) vbi ineſt ſapientiæ ac intellectus linguarum flamma. *Ignem*, inquit Ieſus, *veni mittere in terram; & quid volo niſi vt accendatur?* Luc. 12. Noſtræ Societatis ſacerdotes penès iuuentæ inſtitutionem verſantes, ignem eſſe dixerim per Ignatiũ à Ieſu miſſum in orbẽ, 38. *Ignatius ignẽ præſtat iuuenis intellectui, vt voluntas ſuccendatur.* Luc. 12.

& intellectui puerorum linguarum Latinæ ac Græcæ miniſtrantem intelligentiam, ac pariter voluntati ſtudium virtutis immittentem. D. D. Ambroſ. Ambroſium: *Ignem veni mittere. Sacerdotibus præmiſſa videntur eſſe propoſita. Dominus eos inflammat, dicens*, Ignem veni mittere in terram *bonæ voluntatis auctorem, qui vaſa meliorat, fœnum conſumit, & ſtipulam.* Vox hæc eſt Societatis Sacerdotibus præmiſſa.

39. *Societatis alumnus eſt litteris virtutis eperit.* Pſal. 118. Pſalmus ille: *Beati immaculati in via*, pueros edocet omnium virtutum perfectionem. Vbi adnotare operæpretium eſt, ſingulas virtutes ſingulis Hebraicis litteris reſpondere. In cuius expoſitionem præmittit Pſalmum hunc iuuentutem ad litterarum intelligentiam adducere, ſed præcipuè ad virtutum exercitium afferre. *In quo corrigit*, inquit Pſaltes, *adoleſcentior viam ſuam? In cuſtodiendo ſermones tuos.* Enimuero intendens Dauid corrigendæ iuuentuti curam impendere, vt cuſtodiat illa legis præcepta, virtutiſque viam arripiat, eam ad litterarum intelligentiam aduocat, vt ſimul virtutis exercitamenta valeat haurire. Vnde ſingulis litteris ſingulas virtutes apponit, dicens, *Aleph, Beati immaculati in via.* O quis in via ſæculi huiuſce greſſus poſſet immaculatos collocare! *Ghimel, Daleth, Viuifica me, Viuifica me.* Me gratiâ tuâ ſemel atque iterum confirma. *He, Legem pone mihi Domine, viam iuſtificationum tuarum, & exquiram eam ſemper.* Spiritui meo feruorem immitte. *Vau, Et veniat ſuper me miſericordia tua.* Vti pauperibus valeam ſubuenire, tuam pietatem immitando. *Zain, In quo mihi ſpem dediſti.* Spei virtutem augeri iubebis. Heth, *Portio mea Domine, dixi cuſtodire legem tuam.* Cibus meus ſit, tuam exequi voluntatem. Sicque cæteris litteris reliquæ virtutes correſpondent. En Dauidis prudentiam, pueros edocentis vt litterarum rudimenta calleant, ſed vti ſimul cum litteris virtutum ſtudium ebibant. Bellè D. Ambroſ. Ambroſ. *Intelligimus per litteras Hebræorum Pſalmum hunc eſſe digeſtum, vt homo noſter tanquam paruulus, & ab infantia per elementa formatus, quibus ætas puerilis aſſueuit, vſque ad maturitatem virtutis excreſcat.* Non dixit: Aſſueſcit ætas puerilis hiſce litterarum elementis, vt vſque ad maturitatem ſapientiæ excreſcat; ſed *vſque ad maturitatem virtutis.* Id quod Societas Ieſu intendit, paruulos ſcilicet litterarum elementis ad virtutis perfectionem adducere.

40. *Deo ſeruit, dum degit ſub Societatis diſciplina.* Ad alios equidem præceptores attineat diſcipulos litteris informare, non æquè moribus, quia eorum inſtituti, ſolummodo intellectum illuminare. At Societatis ſchola intellectui lucem mittit, ſed vt voluntatem valeat inflammare. Si quando apud ſecularium gymnaſia improbos vidi adoleſcentes, ſemper Societatis alumnos recognoui Deo ſeruientes, quo tempore eius gremio adhæreſcebant. Ioſ. 14. *Seruiuit Iſrael Domino cunctis diebus Ieſue.* Ioſ. 24. Id eſt, quo tempore Ioſue, ſiue Ieſus magiſter Iſraelis extitit, populus ille obſequio Domini fuit mancipatus. Eam doctrinam præſtantiſſimam iudico, quæ non ſolùm magiſter pueri, ſed & pædagogus eſt. Hoc differunt pædagogus, & magiſter; quod pædagogus, non ſolùm doctrinam puero dictitat, ſed & eius vias dirigi procurat in ſalutem; magiſter autem ſolummodo vacat intellectus inſtitutioni. Verba doctrinæ Societatis potiùs dixerim à pædagogo, quàm à magiſtro proferri. Vnde Ieſuitarum doctrinæ illud Clem. Alex. 1. Pæd c. 6. apprimè conuenit, Clem. *Verbum eſt infantis pædagogus.*

Vis tibi diſcipulum Societatis obiiciam? 41. *Fidelis Societas doctrinæ.* Eum proculdubio depingit verbis hiſce Iſaias: Iſai. 33. *Qui ambulat in iuſtitiis, & loquitur veritatem, qui proiicit auaritiam, qui obturat aures ſuas, ne audiat ſanguinem, & claudit oculos ſuos, ne videant malum; iſte in excelſis habitabit, munimenta ſaxorum ſublimitas eius, panis ei datus eſt, aquæ eius fideles ſunt.* Mox populum contrarium deſcribit. *Vbi eſt Doctor paruulorum? Populum inſipientem non videbis.* Cap. 33. Duplex hîc gymnaſium præſentatur, vnum fidelium magiſtrorum: *Aquæ eius fideles ſunt*, ſcilicet magiſtri; alterum Doctorum curantium ſolummodo puerorum inſtitutioni circa litteras ſtudere; non ſic penes virtutis exercitium. Haud hi fideles pædagogi. Chryſoſt. hom. 9. in 1. ad Timoth. Chryſ. *Vt fundus ſit optimus, cuncta molimur, eúmque fideli viro magno cum ſtudio tradimus. Cæterùm quod nobis chariſſimum omnium eſt, omnino negligimus, neque curamus, quo pacto filium noſtrum fideli cupiam viro permittamus, qui ipſius tueri, ac ſeruare pudicitiam poſſit.* Hæc præcipua ſcholæ Societatis fidelis prorſus magiſterij cura, puerorum pudicitiam tueri.

Nec ſolùm procurat modeſtiam externam, 42. ſeu politicam diſcipulorum ſchola Societatis, *Curat pietatem promoueri.* ſed internæ vel componendarum cogitationum incumbit ſtudio. Sanctiſſimus Iob filiorum parens, ac magiſter Iob. 1. *mittebat* (ad eos) *& ſanctificabat illos, conſurgénſque diluculo offerebat holocauſtum per ſingulos dies. Dicebat enim: Ne fortè peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus ſuis.* Cap. 1. Pende illud: *Mittebat.* Quid mitteret? Orig. *Orationes ad Deum, preces, gratiarum actiones.* Eugub. *Ad templum hoſtias.* Chryſoſt. *Munus Sacerdotale.* Præ omnibus idem Origen. Orig. *Mittebat ad eos magiſtros, qui pietatis admonerent.* En Sacerdotum Societatis munus filios veſtros edocere, litteris informare, ac ſimul ad pietatem adducere. Enimverò Iob non ſolùm immittebat Magiſtros; ſed & offerebat holocauſtum, internæ filiorum conſulens puritati. Præclarè Olympiod. Olymp. *Admiratione digni ſunt filij, ſed admiratione dignior horum pater, & magiſter. Illorum enim nullum apertum peccatum apparebat; huius verò tanta in Deum, liberóſque ſuos charitas erat, vt peccatorum etiam, quæ mente concipiuntur, curam ſuſciperet.* Tanta magiſtrorum Societatis in Deum, ac in proximum charitas, vt non modò iuuentutem morigeratam reddat exteriùs; ſed ſacrificium Miſſæ quotidie offerens, alumnos ſuos curet ab internis ſcopulis eripere. Quis non miretur tam modeſtos, tam verecundos noſtrarum diſcipulos ſcholarum? Sed quis non magis in admirationem rapiatur, tam diligens obiiciens, tam accuratum perpendens magiſterium? *Admiratione digni filij, ſed admiratione dignior horum magiſter.*

---

## CAPVT II.

*Societatis Schola pueros mutat in ſenes.*

PRæcinebat Menander, 43.

*In memoriam redige iuuenis exiſtens*
*Quod ſenex eris quandoque.*

O puer

*Apud Societatis ſcholas nulli pueri.*

O puer quiſqois ad Societatis Ieſu pergis ſcholas, tibi dabitur de futura maturitate cogitare, mox ſenilibus moribus condecorato. Eâ eſt enim Societatis aulæ vis, vt pueros recipiat

Bernard.

veſtros, & illicò ſenes maturitate, ac grauitate reddat. D.Bernard.ſerm. 5.Pet.& Pau.de puero iugum portante locutus ait: *Quia cum adoleſcens eſſet, & ætatis lubrica ſentiret ardores, ſenem induit, relinquẽs, quod erat; aſſumens quod nõ erat.* Senes profectò non pueros Societatis inſtituit ſchola. Qui in hoc agro pleno (dicam paradiſo) iuuenes depaſcuntur, non iuuenum, ſed maturorum admodum ſenum præ ſe feruut grauitatem. Id quod de montis Caſinatis cœnobio, vbi pueri educabantur, D.Petrus Damian. Epi-

Damian.

ſtol.2.c.6. ſcribit: *Inter iſtos autem virtutum flores, quos in illo agro pleno, cui benedixit Dominus, reperi, fateor, hoc mihi non mediocriter placuit quod ibi ſcholas puerorum non inueni, ſed omnes ſenes.* Quonam modo ſenes, qui iuuentæ floribus vernabant? Num quia ſchola illa ſanctiſſima pueros mutabat in ſenes? Eadem prorſus vis ſcholæ Societatis. Non iouenies puerorum ſcholas, omnes ſenes intueberis; quia doctrina hæc pueros imperfectione expoliat ætatis, vt ſenili eos induat perfectione.

44. *Pueri Societatis in ſenectute geniti.* Gen.37. Burg.

Diligebat Iacob Ioſephum filium ſuum præ reliquis fratribus, *eo quod in ſenectute genuiſſet eum.* Geneſ.37. Placet Burgenſis expoſitio. Non enim amplius Ioſephum amatum exiſtimat à pareute, quia eum in ſenectute genuerit (nam potius dicendus foret plus amatum Beniaminum multo poſt Ioſeph progenitum,) ſed quia *genuiſſet eum in ſenectute*, hoc eſt ſenili prudentià præditum. Et vndenam puer ille ſenilem hauſit maturitatem? Quia apud ſcholam boni parentis ſimul magiſtri optimi commoratus eſt. Pro verbo illo: *Eo quod in ſenectute genuiſſet eum*, In Chald. Habetur, *Eo quod filius eſſet ſapiens ſibi*, id eſt, parenti; *ſibi* autem idem quod, *ſecum*, aut *apud ſe. Mulier, quam dediſti mihi.* Hebr. *Quam dediſti mecum, ſeu apud me.* Ac ſi diceret, Ideo ſenex, dum puer, quia apud ſe, ſeu apud optimum parentem commorabatur, ſapiens vtique ſtudio incumbens ſapientiæ, qui equidem patens accuratiùs ſecundæ generationi, educationi videlicet pueri operam nauabat.

45. *Diſcipuli ſimul & Doctores.* Luc.2.

Ieſus apud Ieroſolymæ templum vtroque inſcio parente commoratur. *Factum eſt poſt triduum inuenerunt illum* in templo *ſedentem in medio doctorum audientem illos, & interrogantem eos.* Luc. 2. Ieſus hìc & puerum agit, & ſenem, diſcipuli ſimul ac magiſtri gerit perſonam. Si diſcipuli in morem interrogat, inſtar magiſtri reſpondens obiicitur. Proh puerum ſenili nitentem grauitate! Alumni itaque Ieſu apud Societatis gymnaſia ſe ſimul, Ieſu imitatores, ſenili maturitate fulgidi, diſcipulos & magiſtros oſtentant. De noſtro iuuenum collegio profanus Chil. per Auſon. cecinit: *Illa iuuentus gratior, quæ ſimilis ſenecta.*

## Capvt III.

*Societatis Shola ſenes dierum malorum efformat in pueros.*

46. *Iuueneſcit inueteratus quiſque.*

QVod ſi quando vir dierum malorum ad meliorem ſe ſe frugem recipere intendens, adit noſtra gymnaſia, puer efficitur, vt rurſum ab vtero Societatis editus, in nouum virum excreſcat. Non ſemel ego (expertus loquor) apud aulas noſtras viros, ſenes vidi ita morigeratos & poſt belli tumultus, & poſt coniugij ſolicitudinem, & poſt effrænatæ vitæ libertatem, vt potiùs eos puerulos iudicarem ſub ſenilis indumenti effictione. Quid Ieſus? *Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in Regnum cœlorum.* Matth. 18. Ad die- Matth 18.
rum malorum inueteratos fortaſſe Ieſus dirigit ſermonem. Et quonam modo ſenes huiuſmodi puerilem modeſtam quidem, non inuerecundam induent ætatem? Eos viris, qui nomen habent Ieſu, committite. Orig.hom.5.appoſitè: Orig.
*Si quis vir habitudinem, quã habent pueri ex ætate, in ſe ratione ſuſceperit, expellens ea quæ mouent inſenſatos, factus eſt ſicut puer, non ſe extollens: iſte talis ſuſcipiendus eſt in nomine Ieſu.* Mihi liceat ludere verbo. Si quis vir ad puerilem ætatem recurrere oportuerit ex morum immutatione, *iſte talis ſuſcipiendus eſt in nomine Ieſu*, ad Societatis, cui nomen Ieſu, adducendus gymnaſia, vbi ſenes dierum malorum floridæ iuuentæ addicuntur.

Num hæc primi vis paradiſi? Adamus virili 47. *Societatis gymnaſium præſtantius paradiſo.*
exurgit ætati. Theop. Antioche. l. 3. ad Autol. *Cupiebat* autem *Deus, vt eſſet ſincerus quaſi puer*; vt in morem pueri edoceretur, eum ad paradiſi aulam perducens. *Tulit Deus hominem, & collocauit eum in paradiſo voluptatis, præcepitque ei dicens, &c.* Gen. 2. D. Thom. *Ibi dantur ei præcepta, vt proficeret ſapientiâ, & ætate.* Profectò quod non præſtitit, hominis malitiâ, paradiſus, ſchola præſtat Societatis, dum virum, dum ſenem puerilis ætatis ſinceritati reſtituit. Theoph. Gen.2. D.Thom.

Quonam, ais, aſtu Societatis ſchola ſenes 48. *Eſt pluſquam pater.*
huiuſmodi ad puerilem adfert innocentiam? Reſpondet Ieſus: *Niſi quis natus fuerit denuo, non poteſt videre Regnum Dei.* Replicat Nicodemus: *Quomodo poteſt homo naſci, cùm ſit ſenex? Nunquid poteſt in ventrem matris iteratò introire, & renaſci?* Ioan.3. Poteſt equidem. Socie- Ioan 3.
tatis ſchola mater illa, cuius in vtero ſenes in pueros reformantur. Et quidem magiſtri potiori iure parentum nomine inſigniuntur. Præcepit Pharao, *vt omnes coram Ioſeph genu flecterent.* Gen.41. Hebr. *Clamauerunt coram eo,* אברך Gen.41.
*Abrek. Abrek* autem idem eſt ac *pater tener.* Quare igitur Ioſeph non ſolum *pater*, ſed & *pater tener* appellatur? Quia venit in Ægyptum, *vt ſenes eius prudentiam doceret.* Qui imprudentes ſenes facit prudentiâ præditos, qui magiſter prudentiæ apud ſenes exiſtit, iuſtè *pater tener* compellatur.

## Capvt IV.

*Societatis Schola magiſtra caſtitatis.*

STatuit Dominus ad oſtium paradiſi Che- 49.
rub, & ſapientiâ præditum, & puritate fulgidum. Fidelis hic Dominicæ cuſtos hæreditatis. Audite Chryſoſt. hom.9. in 1.ad Timoth. ſupra iam ſub alio argumento exhibitum. *Vt fundus ſit optimus, cuncti molimur, eúmque fideli viro magno cum ſtudio tradimus. Cæterùm quod omnium charìſſimum nobis eſt, omnino negligimus,* *Cuſtos eſt caſtitatis fideliſſimus.* Gen.3. Chryſoſt.

*neque curamus, quo pacto filium noſtrum fideli cuipiam viro permittamus, qui ipſius tueri, ac conſeruare pudicitiam poſſit.* Non omnes Cherubim cuſtodes, non omnes magiſtri tuendæ pudicitiæ operam impendunt. Fidelis cuſtos Societatis aula.

50. *Iuſt iuueni qui d matrimonium.* Threni, 3. Chryſoſt.

Nimi impudicus adoleſcens? Trade Societatis gymnaſio non iam cuſtodi caſtitatis, ſed magiſtro. Profectò præſentiſſimum remedium laſciuiæ iuuentutis matrimonium. *Bonum eſt viro, cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua.* Thren. 3. Iugum ſcilicet matrimonij. *Vidiſtis* (inquit Chryſoſtom. cap. 34. Geneſ.) *quantum malum operata ſit vnius iuuentutis Sichem temeritas? Vidiſtis, quantam attulit perniciem omnibus ciuitatem habitantibus? Hac ſcientes, refrænemus puerorum noſtrorum impetus, magnumque furorem admonendo compeſcamus. Ne igitur negligamus iuuenes ſed ſcientes fornacis incendium, priuſquam in luxuria implicentur, ſtudeamus eos iuxta legem Dei nuptiis copulare.* Illud pendite: *Magnum furorem admonendo compeſcamus.* Priùſne admonitionibus curanda adoleſcentum luxuries, quàm hi matrimonij vinculo colligentur? Ita planè. Bonum igitur Societatis alumno, ſi portauerit iugum bonæ educationis, ſi à magiſtris noſtris admoneatur. Haud erit neceſſum ad coniugij recurrere medicamen.

51. *Sine coniuge ſedet & non queritur.* Thren. 3.

Iugum aliud comportat inibi adoleſcens, quo ſolitarius, nempe ſine coniuge, valeat impetus exitialiter laſciuientes reprimere. *Sedebit* (inquit Propheta,) *ſolitarius, & tacebit, & leuauit ſupra ſe.* Thren. 3. Quid *ſupra ſe leuanit?* Iugum equidem bonæ educationis iuxta illud: *Bonum eſt viro, cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua.* Bonum certè matrimonij iugum immoderato adoleſcenti; ſed bona ad id muneris adoleſcentum recta inſtitutio, ſub quo profectò iugo iuuenis ſedeat ſolitarius, & taceat, ſine coniuge habitet, & non conqueratur. Ea enim caſtitas præſtantior, quæ edocetur, dicente Chryſoſtom. *Illud veſtram charitatem rogauerimus, vt virtutis curam geratis, & continentiam filios veſtros edoceatis.*

Chryſoſt.

52. *Abſtrahitur à prauorum ſocietate.*

Crediderim planè iuuentutis effrænationem inde præcipuè cauſari, quod pueri cum aliis prauæ indolis ineant Societatem. Id quod apud Societatis ſcholas præcautum. Hinc noſtrorum puritas alumnorum. Rurſum pendo Ieremiæ teſtimonium: *Sedebit ſolitarius, & tacebit.* c. 3. Difficile prorſus iuuenes gregatim ambulantes (iuuenes inquã & ætate, & moribus) dum admiſcent colloquia, non ad libidinis barathrum prolabi. Quid Societatis ſchola? Iuuenes ab adoleſcentibus exteris immoderatis, haud diſciplinatis ſegregari efficit, ac tacere. Quam bellè Paſchaſ. 3. *Magnum eſt à vitiis abſtinere iuuenibus.* Iuuenibus, inquam, dum bonæ indolis iuuenes praui ingenij iuuenibus aſſociantur. Quid igitur? *Qui à iuuentute non ſe miſcuerit cum iuuenibus, is ſedebit ſeorſum, donec plenâ ſe perfectione virtutis erudiat,* Ita Abbas.

Thren. 3. Paſch.

* * *

## Capvt V.

### *Societatis ſchola ſuos alumnos ad Deiparæ allicit ſodalitium.*

SVb Eccleſiæ veſtibulo Chriſtiani Ieſſæi ſuipr vocitati *ſiue ex Ieſſe* (verbis Epiph. l. 1. con. hæt. vtor) *ſiue ex nomine Ieſu.* Ieſuitæ à Ieſu, & à Ieſſe virga nomen trahentes, Ieſſe virgæ ſeu Virgini, & Ieſu impendunt affectum. Vt enim fideliter Societatis ſchola ſuum impleat miniſterium, Virginis ſodalitium ſeu congregationem inſtituit, cui ſcholaſtici noſtri nomen dantes, ſpeciali Virginis donati patrocinio, Ieſu firmiter inhæreſcunt. Vnde nunquam non florent, nunquam non vernant, ſemper opimis fructibus ſtipantur. 53. *Pueri noſtri Virginis ſodales.* Epiph.

Huiuſce floridæ iuuentæ fragrantiam Iſaac ſubodoratus, inclamat: *Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Gen. 27. Filios flores eſſe agri Clemens Alex. affirmat, *Matrimonij flores liberi, quos quidem carnalium pratorum diuinus colligit agricola. Sicut odor agri pleni.* Profectò aptius iuuentutis cuſtodiæ, liberi flores, hortus vocitarentur. Quid agro cum florum tutela? Plenus ager hic ille, *cui benedixit Dominus.* Nonne Dominus benedixit *terram ſuam*, Matrem ſuam? D. Bernard. ſerm. 47. in Can. *Maria proculdubio hic campus eſt, non ſulcatus vomere, non defoſſus ſarculo, nec fimo impinguatus.* Diuinus agricola, qui ex matrimonij prato liberorum collegit flores, rurſum eoſdem libentius legit ſpiritualis ex prati Mariani ſimul clauſi hortus ſodalitio. 54. *Flores aſſeruati.* Gen. 27. Clem. Bernard.

O quanta puritas puero florenti ſub Virginis tutela! Aiebat Chryſoſt. homil. 60. in Matth. laſciuis iuuenibus mulierem in coniugium exhibitam frænum iniicere. *Quicquorum domitores agunt, vt ſtudioſiſſimè ſibi equos domitent, nec incuriâ cõmitunt ad firmiorem indomitos ætatem peruenire; ſed frænum, ac cætera, quibus opus eſt, incipientes adhibent. Liberos autem ſuos longè progredi abſque caſtigationis negligunt fræno, & dimittunt circuire ſcortis, aleis, & obſcœnis ſpectaculis inhiantes. Cum deberent antequam fornicationibus ſe traderent, prudenti, & modeſta vxori coniungere, quæ ab omni mala conſuetudine maritum eripiat, & frænum pullo facta, ſalutari domatione contineat.* Mulierem, ô Doctor egregie, iuuentutis laſciuientis efficis frænum, quia nondum Virginis fundatum ſodalitium? Nonne fortior virginitas, quàm matrimonium? Virgo, quàm vxor adoleſcentum infrænatio? 55. *Deipara puro frænum.*

Maior profectò virtus in Virgine ad adoleſcentes virgines efficiendos, ſeu conſeruandos, quàm in mundiali vxore eluceſcit. *Tria mihi difficilia, quartum penitus ignoro, viam aquilæ in cœlo, viã colubri ſuper petram, viam nauis in medio mari, viam viri in adoleſcentia.* Alibi *in adoleſcentula.* Prou. 30. Curſum aquilæ miror, colubri curſus me in admirationem abripit, nauis via admirabilis mihi. Sed tamen magis admiratione afficior, quando effrænis adoleſcentis rectum curſum aſpicio, eius laſciuientem impetum, *Adoleſcentulâ* Virgine infrænante. *Quis vnquam* (ait D. Epiph. Hær. 30.) *auſus eſt proferre nomen Maria, & interrogatus, non ſtatim intulit Virginis vocem?* Quonam fructu? *Ex ipſis nominibus epithetis etiam virtutis ſigna elucent.* 56. *Eius viam dirigit.* Prou. 30. Epiph.

Quis

Digitized by Google

Quis enim Mariam nominauit *Virginem*, qui non ſimul ſibi virtutem propoſuit ad cuiuſuis inordinati motus infrænationem? Virginis namque vox *virtutis* proculdubio eſt.

57. *Eius ſpinas conuertit in flores.* Hieron.

Commendans D. Hieronymus 1. Cor. 17. Paulam, cuius magiſterio & ſanctitatis attigit culmen, & maritus fidei præſtantiam eſt aſſecutus: pulchrè adiicit: *Ego puto etiam ipſum Iouem, ſi habuiſſet talem cognationem, potuiſſe in Chriſtum credere.* Potuiſſet cognatio cum Paula Iouem à laſciuia diuellere, ne cygni formam ſumeret, ne aurifera grana ſimularet, ne tauri celaretur indumento? Proh Virginis potentia circa cognatos ſuos, circa ſodales, circa filios! *Mulier* (inquit Apoſtolus Paulus) *ſaluabitur per filiorum generationem, ſi permanſerint in fide, & dilectione, & ſanctificatione cum ſobrietate.* 1. Tim. 2. Vbi D. Hieronym. pro *ſobrietate* poſuit *caſtitate*, hæc ſubiungens: *Saluabitur mulier, ſi illos genuerit liberos, qui virgines permanſuri ſint; ſi quod ipſa perdidit, acquirit in liberis.* Quanto, quæſo, efficacius id efficiet, quæ non *perdidit*, ſed poſt partum virgo permanſit?

58. *Sodalium mores.* Hieron.

Enimverò Deiparæ ſodales à pueritia ſacro aſſueti cubiculo, cum Ieſu puerulo nutriuntur, ac bonis moribus informantur. Id quod Iſaac ac Samuëlis io ſantiam memorans idem Hieronymus Epiſt. 7. expreſſit fatus: *Poſtquam ablactaueris eam* (Paulam) *cum Iſaac, & veſtieris cum Samuele, redde pretioſiſſimam gemmam cubiculo Mariæ, & cunis Ieſu vagientis impone* Da pueros tuos Virginis ſacello, ſacrum ineant ſodalitium. Quonam fructu? *Iurare* (adiicit Pater) *non diſcat, mentiri ſacrilegium putet, neſciat ſæculum, viuat Angelicè, ſit in carne ſine carne.* Eo ſodalium Deiparæ efficitio.

59. *Suos Deipara reficit Euchariſtia.*

Quid quod viuentium Mater viuifico ſodales ſuos frequenter Euchariſtiæ reficit Sacramento? Nonne Spiritus ſancti *vxor vitis abundans in lateribus domus?* Viuunt ſodales hiſce fructibus, vnde *oliuarum nouella in circuitu* ſacertimæ *menſa* appoſitè appellantur. Auis hæc pullos ſuos ad panem viuificum allicit, excitat; comedunt, & viuunt. Semper profectò hi illam percipiunt à Deipara admonitionem, quâ pueros D. Gauden. excitabat: *Contendite pulli generoſi ad ſacram offam, in qua eſt vita.* Gaud.

60. *Edocet eos myſteria.*

Ad hæc, quando ſcholaſtici feriátur vel religionis cauſâ, vel intermiſſionis, Deiparæ ſodales tempus id, quod ab exercitiis litterariis demunt, ſpiritualibus exercitamentis impendunt. Ad ſacellum enim Virginis accurrunt, vbi pro feſtorum opportunitate ſolemnitatum audiunt rationes, Diuorum laudes percipiunt, myſteriorum ſeriem edocentur. Sic Deus Hebræis circa feſtorum obſeruantiam, *Celebrabis hunc morem ſacrorum*, &c. Mox adiicit. *Narrabis filio tuo in die illa.* Exod. 13. Super quem locum Chryſoſt. *Summum* (inquit) *educandorum liberorum ſtudium induxit. Nam cùm dies feſtos agi ſtatueret, filijs ſuis celebrationis rationes, & cauſas vt aperirent imperauit.* Profectò *ſummum* optimè educandorum adoleſcentum Societatis ſchola *ſtudium* manifeſtat, dum ad Deiparæ ſacellum ſuos alumnos feſtis diebus allicit, & ſollemnitatum rationes, concionante præpoſito, eis curat aperiri. Exod. 13. Chryſoſt.

61. *Eorum felicitas.*

Viuite felices, quandiu ſub Deiparæ cuſtodia degetis, ô ſodales. Illa enim cuſtos *in vineis.* Vineæ equidem iuuentam æquauit Eraſm. Quàm fructibus plenæ vites ſub tanto cuſtode, quámque ſine illo effrænata iuuentus! Ei, quæſo, Horatianum carmen accommoda. Horat.

*Imberbis iuuenis tandem, cuſtode remoto,*
*Gaudet equis, canibuſque, & aprici gramine campi:*
*Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper,*
*Vtilium tardus prouiſor, prodigus æris.*

Adhibitâ autem Deiparæ cuſtodiâ cereus in vitia flecti; admonitionibus ſuauis totum ſe ſe virtutis addicit exercitamentis.

# OBSERVATIO III.

## Ad illud verbum,

*Puer.*

## Puer circunciſus non edocet ægritudini libidinis medendum, priuſquam illius motus erumpant.

## *Vbi de caſtitate à parentibus in filiis generanda.*

PRæmitto elegans D. Cypriani ſerm. de Circ. teſtimonium. *Antequam ebulliret* (ait circunciſionis remedium commendans) *ſartago libidinum, prouiſum eſt ventilabrum, quo refrigerari poſſet, & extingui depopulatricis flammæ vagus ardor, & vniuerſa perluſtrans incendium. Ideoque dolor voluptati, & ſanguini delectationis ſanguis tormenti opponebatur. Vt in primis elementis diſcerent paruuli, ſemper propria memores ſectionis, contraria curare contrariis & ad cohibendos, refrænandoſque libidinis appetitus, neceſſarium eſſe, ſale corroſorio carnis perfricare pruritus, & ſemper recrudeſcentes deſiccare putredines.* Triplex punctum pertractandum accipio, luxuriei infrænationem à pueritia, ab vtero, à lumbis parentum ductu ram exordium. 62. Cypr.

### Capvt I.

*Caſtitas à pueritia.*

63. *Leue caſtitatis iugum à pueritia.* Thren. 3. Paſchaſ.

PAſchaſius ad illud: *Tollite iugum meum ſuper vos.* Matth. 11. *Poteſt* (inquit) *graue iugum videri propter reſtrictionem laſciuiæ.* Vis hoc graue iugum tibi reddi ſuaue? A pueritia id importare procura. *Bonum eſt viro, cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua.* Thren. 3. Paſchaſ. l. 3. *Ergo qui tulerit in iuuentute iugum, graue propter iuuentutis ſuæ æſtus, ſederitque ſingulariter* à prauis ſociis abſtractus: *cum Deo,* exercitio orationis curam adhibens; *& ſiluerit, non opus habens excuſatione peccati cùm matura confeſſione præuenit, & propera depoſuit correctione, ſub iugo præſtolabitur ſalutare Dei.* Degit

oamque

namque huiuſmodi ſub iugo adoleſcens, ac ſi omnino excuſſiſſet è collo.

64. *Caſtitatis tutela.* Leuit. 1. Theodor.

Pullos Deus ſibi columbarum offerri, non ipſas columbas præcipiebat. Leuit. 1. Quare? Reſpondet Theod. quæſt. 1. *Quia deteſtabatur laſciuiam, innocentiam amplectebatur.* Vnde offerri ſibi pullos iubet, vt in conſpectu Altiſſimi à cunabulis caſtitas tutelam aſſequeretur. Periculoſum iuueni à Dei conſpectu moueri.

65. *Oculi puellarum infrænandi.*

Animis adeſtote parentes, iuuenes veſtros ab exitiali luxuriei infectione eripite; non ſolum virgines ab egreſſione ſuſpecta auertite, ſed & oculos ab aſpectu perículoſo auellere curate. Duplex Dinæ modeſtiæ virginalis commiſſum; vnum, quod egreſſa fuiſſet è domo, vbi virgines debent recludi; alterum, quod egreſſa oculos minimè infrænarit. *Egreſſa eſt Dina filia Liæ, vt videret.* Gen. 37. D. Hieronym. Epiſt. 7. matrem filiæ puerulæ moribus parum ſolicitam ſic carpit: *Solicita prouides, ne filia percutiatur à vipera; cur non eadem curâ prohibeas, ne feriatur à malleo vniuerſa terra? ne bibat de aureo calice Babylonis? ne egrediatur cum Dina, & velit videre filios regionis illius.* Reprehenſibile prorſus in parente, quod filia *velit videre* noxia quæque. Quia vel aſpectandi facultas in iuuenta indiget pædagogo.

Gen. 37. Hieron.

66. *Medicabiles puerorum exceſſus.* Gen. 6. Rupert.

Quod ſi iuuentus prolabatur in ſcelera, ſi epotetur calice Babylonis, ſi vniuerſæ terræ malleo contundatur: facilè iuueni paratur medicina, quæ difficilè ſeni præpararetur. In cuius typum videns olim Deus, quod *omnis caro corruperat viam ſuam*, ne peſtis illa vt cancer ſerperet ad ſenectam, puerulum mundum percuſſit, corripuit, infrænauit, aquiſque diluuij immiſſis laſciuienti iuueni indidit refrigerationem. Gen. 6. Pulchram rurſum Ruperti l. 4. in Gen. cap. 16. ſententiam exhibeo. *Rectè, & vtiliter, vt ſapientiam Dei decuit, in carne & ſanguine laſciuientem mundum recentem, tanquam ſtultum puerum corripuit tali percutiens verbere, quod tota ſua ætate non queat obliuiſci.* Hinc parentes ediſcant, operæpretium eſſe caſtigationi laſciuientium puerorum adeò incumbere: vt virilis ætas vix valeat memoriam huiuſmodi correptionis obliterare. Quod aiebat D. Cypr. *Vt diſcerent paruuli, ſemper memores ſectionis, contraria contrariis curare.*

## Capvt II.

### *Caſtitas ab vtero.*

67. *A matre eburnea eburnei filij.* Cant. 5. Nyſſen.

QVid è pueritia dico ediſcendam à iuuene caſtimoniam? Ab vtero planè tantæ naturæ ægritudini medendum. Aiebat Sponſus: *Venter eius eburneus, diſtinctus ſapphiris.* Cant. 5. Vbi Nyſſ. *Venter eius tabula eburnea.* Legis tabulas idem Pater exponit. Ac ſi diceret: Venter matris eburneus infanti legis tabulæ exiſtit. Tunc enim à ventris materni puritate eburnea ediſcit legis obſeruationem, ſeſeque offert alumnum puritatis. Reprimat in ſe ipſa mater quidquid in filio expetit cohiberi.

68. *Caſti filij matris commendant caſtitatem.* 1. Tim. 2. Hieron.

*Mulier* (inquit Paulus) *ſaluabitur, per filiorum generationem, ſi permanſerint in fide & dilectione cum ſobrietate.* Hieronym. *cum caſtitate*, 1. Timoth. 2. Quid ſi filij in caſtitate non permaneant? Annon mulier ſaluabitur? Profectò ſignum perſpicuum eſt huiuſmodi matrem caſtimoniâ præſtanti fulſiſſe, ſi filios genuit caſtitatis amatores; nec mediocre impudicitiæ parentis documentum, filiorum intemperantia. Vix etenim ab atro vtero eburnei filij, aut ab eburneo atri progrediuntur. Vnde pudica parens filij pudici plerumque deprehenſa ſaluabitur, inuerecundi autem nati impura ſæpè mater afficitur damnatione.

Ab vtero caſtiſſimæ Rebeccæ Iacob, fragilitate carnis ablegatâ, didicit aduerſus Angelum præualere. *In vtero* (ait Propheta Oſee) *ſupplantauit fratrem ſuum: in fortitudine ſua directus eſt cum Angelo, & inualuit ad Angelum.* Oſee 12. Nonne preſſiùs dixiſſet, *Directus eſt cum Angelo, & ad eum præualuit?* Date mihi, vt in ſecundario ſenſu duplicis hîc Angeli memoria fiat. Cum vno Angelo Iacob dirigitur, præualet ad alterum. *Datus eſt mihi* (inquit D. Paulus) *ſtimulus carnis meæ Angelus Satanæ, qui me colaphizet, propter quod ter Dominum rogaui, vt diſcederet à me.* Haud aliter Iacob primum Angelum, id eſt, Deum ipſum rogat, vt alter Angelus Satanæ aut diſcedat, aut bellari poſſit. Tacto demum ab Angelo, cœleſti ſcilicet Conditore femoris neruo, Satanæ Angelus arripit fugam. Hanc mentem debeo D. Thomæ in Gen. ſcam: *Carnalis concupiſcentia, quæ viget in femoris imo (en Angelum Satanæ) ad tactum Dei marceſcit.* Et vndenam Iacob tantâ virtute præditus, vt cœleſtis Angeli, ſeu Angelorum Principis ope myſticum concupiſcentiæ Angelum ablegaret? *In vtero ſupplantauit fratrem ſuum.* Ex vtero prudens obiicitur, ab vtero exuitur infirmitate, pugnax ex vtero egreditur. Confirmo ex Nyſſeno affirmante Iſaacum & Rebeccam poſt ſuſceptam prolem à coniugali commercio ad obitum vſque abſtinuiſſe. *Iſaac* (inquit) *non floreſcente ætate, vt affectioni coniugium ſeruiret; ſed exhauſtis iam adoleſcentiâ, ob Dei in ſemine benedictionē Rebeccam in matrimonium duxit. Cum cum vſque ad partum operam dediſſet, rurſus in rebus, quæ oculis non cernuntur, totus fuit, clauſis corporis ſenſibus.* Quid mirum ſi ex iam continentiæ penè vtero conſecrato Iacob præditus virtute exurgeret ad myſticum illum alterum Angelum Satanæ comminuendum?

69. *Iob ex vtero didicit contra luxuriem dimicare.* Oſee. 12.

D. Thom.

Nyſſen. l. de vir. c. 8.

## Capvt III.

### *Caſtitas à lumbis parentum.*

70. *Lumbi paterni conſtringendi vt caſta effluat progenies.* Luc. 12.

PArum quodammodo eſt, ab vtero caſtimoniam iuuenes edoceri: verùm cum in lumbis paternis filij, virtute, contineantur, inibi frænandos pruritus huiuſcemodi reor. *Sint lumbi veſtri præcincti*, Chriſtus aiebat, Luc. 12. Communis cunctis familiæ parentibus doctrina. Et cur lumbos iubet eſſe præcinctos? Num quia in lumbis proles quaſi ſuo in fonte continetur? Ita planè. Dominus itaque altè petens huiuſce ægritudinis medelam, ibi vult vtiliùs luxuriei præcingi, & infrænari motus, vbi filij in virtute paterna adſunt. Parentes igitur flagellis, ieiuniis conſtringantur. Annon è maceratis parentibus, conſtrictis illigata proles exurget? Ideo, auctore Nyſſen. mox nuptiarum memoria peragitur. *Et ſimiles hominibus expectantibus Dominum*

Nyſſen.

*rum ſuum, quando reuertatur à nuptiis*; vt conſtet, qualiter Eccleſiæ filios oporteat generari.

71. *Deipara puriſsima in lumbis paternis præparata.* Pſalm. 44.

Huiuſcemodi motus inordinati infrænationem (verè totalem extinctionem dicam) in cœleſti Sponſa requirens Dauid, inclamat: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui, & concupiſcet Rex ſpeciem tuam.* Pſalm. 44. Futuram ne, ô Princeps, ſobolem Mariam poſt tot progenies compellas? Vbinam illa puriſſima adeſt Sponſa? Nonne proauorum lumbis ſacerrimum puellæ germen continetur? Ideo (ait) profundo clamores. Adeò etenim cœleſtis Sponſa fulgere debet puritatis integritate: vt non ſolùm debeat oculos ab omni corruptibilitate iam inde à primis cunabulis auertere: ſed cùm adhuc in proauorum lumbis continetur, quodammodo mentem, oculos, aures, ab omni corruptibilitate teneatur eripere, vti Rex eius pulchritudine capiatur. Illuſtro Leonis Phil. ſapientiſſimi Imp. orat. de conc. teſtimonio: *Cum adhuc* (inquit) *in lumbis paternis contineteris, genitor tuus clamabat: Audi, & vide &c. Audiſti ô verè filia admonitionem.* Non poteſt altiùs excogitari aduerſum luxuriei motus infrænatio, quàm illa lumbos præcingens, vnde poſteritas effluxura, proferendi nepotes.

Leo. Imp.

72. *Dauid lumbos ideo diluebat.* Gen. 37.

Promiſerat Deus Iacobo, *Reges de lumbis tuis egredientur.* Gen. 35. Rex ſcilicet Dauid, Salomon, & Rex Regum Ieſus Lipom. *Ex te*, inquit, *erit gens Iudaica, & populi nationum de Iuda filio prodibunt, in ſpiritu filij, membra Chriſti Domini.* Ex te, *autem dicit, hoc eſt, ex tuo ſemine, de filiorum tuorum filiis.* Quorſum hæc? Memoriæ obiicite lugubre illud Dauidis carmen: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes meï, dum dicitur mihi quotidie, vbi eſt Deus tuus*, Pſalm 41. Cur tanta lacrymarum vis? Vt lumbos purificare valeam; ab eiſque (vti Caſſiodor.) delectationis reliquias abolere. Quotidie lacrymas profundebam; quia quotidie mihi dicebatur, *Vbi eſt Deus tuus?* Annon in paternis lumbis proles ſacratiſſima continetur? *O lumbi* mei *impleti illuſionibus*, vos conſtringam, præteritarum voluptatum imagines aboleri curabo; vt ſanctiſſimus inde fœtus haud effluere dedignetur, ſiquidem Rex *de lumbis* meis eſt egreſſurus. Hinc ſpeciatim Reges diſcant, quanta debeant puritate nitere, vt pudicos progignant ſucceſſores.

Pſalm. 41.

Caſſiod.

# OBSERVATIO IV.

## Ad illud verbum,

*Puer.*

## Oſtendit Ieſus puer circumciſioni traditus puerilem ætatem aptiorem ad regulare inſtitutum ineundum.

## *Vbi de adoleſcentia virtuti litanda.*

73. *Ieſus pueros auocat à parentibus ad clauſtra.*

QVÆSO oculos in gladium circumciſionis conuiciatis. Annon Ieſum vobis obiicitis gladium hodie geſtantem, vt ætate immaturos puerulos à parente, nurum ſemoueat à ſocru? *Veni non pacem mittere, ſed gladium.* Matth. 10. Quare gladij recens natus te obiicis geſtatorem? *quia veni ſeparare filium aduerſus patrẽ, & filiam aduerſus matrem, & nurum aduerſus ſocrum ſuam.* Noua lex Euangelicæ perfectionis indicitur, nouæ militiæ vexilla peruolant milites viros pollentes robore congregate. Quia ſicut ad temporariam militiam viri aptiores; ſic accommodatiores pueri ad ſpiritualis malitiæ profeſſionem.

Matth. 10.

74. *Quam ad id apta pueritia.*

Filios aduoco paruulos à maternis vberibus auulſos, virgines allicio ad clauſtra, abolito ſocrûs, ſeu nuptiarum deſiderio, vt caſtrorum hoſtilium debellent cateruas. *Sinite ad me paruulos venire.* Paſchaſ. l. 10. in Matth. appoſitè: *In hoc teſtimonio videtur mirabilis Artifex, ſcrutator naturarum. Dum per gladium verbi filium à patre diuidit, & filiam à matre, grandæuam ætatem deſerens, & ſemper in hoc loco, parentum iuniores aſſumens. Nimirum quia ſenior ætas longioribus, & diuturnis male aſſueta, vel implicata, vix aut nunquam abſoluitur. Quia ſic eſt quaſi à natura peſſima vita longa conſuetudo; iunior verò ætas faciliùs reuocatur. Faciliùs quidem* (loquor cum Senec. Epiſt. 97.) *tenera conciliantur ingenia ad honeſti rectique amorem.*

Paſch.

Senec.

75. *Ad bellum temporarium viri ad ſpirituale pueri.* Matth. 9.

Diſſerens Dominus de nouæ legis puritate, imò de Religionum caſtimonia, fatur: *Sunt eunuchi, qui de matris vtero ſic nati ſunt. Et ſunt eunuchi, qui facti ſunt ab hominibus. Et ſunt eunuchi, qui ſe ipſos caſtrauerũt propter Regna cœlorũ*, Matth. 19. Proximâ hac eunuchorum ſpecie ij deſignantur, qui, emiſſo voto, Deo libant puritatem, quales qui Religionis clauſtra ingrediuntur, vt mundo ſteriles, Deo fœcundiſſimi appareant. Paſchaſ. cit. ad hæc: *Tertium genus eunuchi, qui voto, & voluntate pro Deo caſtus efficitur. In quo ſpes Regni cœleſtis fide genita propagatur in charitate, quâ multos generare filios magis, quàm carne, creditur.* Quorſum talia? *Tunc* (inquit Matth.) *oblati ſunt ei paruuli.* Quandonam paruuli Chriſto Domino oblati ſunt? *Tunc* cum de regulari cœlibatu texebat ſermonem, paruuli ei oblati ſunt initiandi, ſeu conſecrandi ſacratiſſimæ manus impoſitione. Etenim primæua ætas aptiſſima ad perfectionem clauſtrorum ſectandam: *Tunc igitur* (pergit Abbas) *id eſt, quando de caſtitate faciebat ſermonem, & beatos eſſe dicebat eunuchos, qui ſe caſtrauerunt propter Regnum cœlorum*, (votis emiſſis;) *tunc audientes quidam, obtulerunt ei paruulos.* Quorum ætas ad regularem diſciplinam accommodatior eſt. Si iuxta Menand. *puerorum eſt ſcholis hæreſcere*: Monaſtica ſiue *vita* (Pet. Raben. verbis vtor) *cæleſtis doctrinæ ſchola eſt. Si flos quidem* (loquor cum Hieron.) *inter Eccleſiaſtica ornamenta monachorum chorus eſt.* Quid non vita monaſtica ad florentem deferatur ætatem?

Paſch.

76. *Optimum fundamentum pueritia regula.*

Ad temporariæ pugnæ malitiam viri, ad ſpiritualis concertationis diſciplinam pueri aſſumuntur. *Tollite* (inquit Deus) *ſummam vniuerſæ congregationis filiorum Iſrael per cognationes, & domos ſuas, & nomina ſingulorum, quidquid ſexus eſt maſculini, à viceſimo anno & ſuprà.* Num. 1.

Num. 1.

Num. 1. Rurſus de Leuitarum numeratione: *Numera* (inquit) *filios Leui per domos patrum ſuorum, & familias, omnem maſculum ab vno menſe & ſuprà.* Quare Leuitæ *ab vno menſe & ſuprà*, reliqui autem Iſraëlitæ *à vigeſimo anno & ſupra*, recenſeri iubentur? Quia Iſraëlitæ temporariæ militiæ vacaturi corporeis viribus indigebant. At Leuitæ Domini obſequio emancipandi, conuenienter ad militum ſacrorum numerum à cunabulis afferuntur. Huiuſmodi

Oleaſt.

quæſtionem excitat Oleaſt. *Cur in alijs tribubus numerentur à viginti annis, & ſupra, Leuitæ vero ab vno menſe?* Et reſpondet; *Leuitæ à pueris erant in miniſterio Domini edocendi, non ſic alij ad militiam, Ideo iſti à pueris numerantur, & non alij.* Militaris temporarius ſeruot puerilem non amat infirmitatem, ſed iuuenilem virtutem. Spiritualis autem militia, quæ perficitur innocentiæ, ac puritatis armis, diligit prorſus infantiam ſpiritualibus regulis in dies confirmandam.

77\. *Hoc ſtudium non in finem protrahendum.*

Profectò perfectionis monaſticæ faſtigium is faciliùs attingit, qui præmittit innocentiam. Audite Dauidem: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo?* Pſalm. 14. De religioſæ vitæ perfectione locutum Vatem cum Caſſiod. interpretor. *Secundum Auguſtinum* Tabernaculum *belli res eſt, & militantium, vnde & contubernales milites dicuntur. Quod bene conuenit Eccleſiæ militanti (imò & religioſæ inſtitutioni) in qua quaſi in tabernaculo ſumus, donec poſt victoriam ad domum perueniamus.* Iam exprimit Vates quodnam ſit ad monaſticæ perfectionis faſtigium appoſitum fundamentum. *Qui ingreditur ſine macula, & operatur iuſtitiam.* En fundamen perfectionis, ingreſſio immaculata. Ingrediatur igitur ſine macula, vti decet pueros innocentes, qui monaſticæ perfectioni dare operam ſtuduerit.

Pſal. 14. Caſſiod.

78\. *Qui pueros tradit religioni plures filios acquirit.* Pſalm. Caſſiod.

Ex eiuſdem Pſalmi titulo confirmabo. A primo vſque ad decimum tertium hoc Pſalmi titulo inſcribuntur; *In finem Pſalmus Dauid.* At Pſalmus quartus decimus ſic loco tituli adnotatur: *Pſalmus Dauid.* Et cur non titulus communis, *In finem* adiicitur? Vt reſpondeam, præmitto Caſſiod. *Propheticæ interrogationi reſpondet Dominus in decalogi exemplum decem virtutibus beatitudinis ſua atria perueniri.* Intendit itaque Propheta mores hominum non iam præceptis, ſed conſiliis, ſed virtutum exercitamentis inſtruere: *Talem enim virum decem dicit ſanctis præminere virtutibus.* Hoc profectô Religioſorum ſtudium, non ſolùm decem decalogi implere præcepta, ſed & *ad decalogi exemplum*, Euangelicis totidem operam nauare conſiliis, virtutibus vacare. Conſtat iam, cur Pſalmi inſcriptio *In finem* non præmittebatur? Quia huiuſmodi monaſticæ diſciplinæ perfecta inſtitutio difficilis admodum, ſi *in finem* vitæ protrahatur; facilis omninò eis, qui à cunabulis, ſeu à vitæ exordio eam aſſequi ſtudent.

79\. *Maximè id incremento.* Gen. 22.

Meam, inquis, progeniem extinguam. Adoleſcentem non clauſtrum decet, ſed coniugium. Matrimonium ineat meus adoleſcens, me & nepotibus, & diuitiis cumulaturus. Proh imprudens obiectio! Quonammodo Abraham, iugulato filio, ſibi adhuc perſuadebat fore, vt de multiplicanda ſobole diuinum impleretur oraculum? Quia, auctore me, dum vnicum Deo filium offerebat, ſibi acquirere filios plurimos, Dei equidem filios, videbatur, queis Iſaac innocens erat aggregandus. Bernardum Epiſt. 110. audite: *Si filium veſtrum Deus facit ſuum, quid vos perditis, aut ipſe quid perdit? Fit de diuite ditior, de nobili generoſior, clarior de illuſtri, & quod his omnibus maius eſt, ſanctus de peccatore. Sed vos non perditis eum; quia potius per eum multos acquiritis vobis filios, quotquot ſumus in Claraualle, ipſum in fratrem, vos in parentes recipimus.* Inibi Pater, confirmans, ait, *Si diligitis eum,* (Gaufridum ſcilicet à temporariis parentibus recedentem, vt cucullum indueret) *gaudebitis vtique, quia vadit ad Patrem, & talem Patrem. Ipſe vadit ad Deum, & vos per eum multos filios vobis acquiritis.*

Bernard.

## OBSERVATIO V.

Ad illa verba.

### *Puer.*

### Ieſus ſe effectum puerum adhuc circuncidi patitur, vt ipſa puerilis ætas propter nos amplius minorari videatur.

### *Vbi de Deo hominum ſe capacitati accommodanti.*

QVi *paruulus natus eſt nobis*, plus minorari intendis propter nos dum ex puero adhuc circuncidis, ex paruulo adhuc cædis particulam: *Vt circunciderettur puer.* 80.

Bellè Bernard. *Abbreuiatum in carne magis abbreuiatur, ſuſceptâ carnis circunciſione. Minoratus ab Angelis Dei Filius humanam naturam induit. Sed iam nec ipſum remedium reſpuens humanæ corruptionis, planè multò minoratus eſt.* Ex puerulo etenim adhuc circuncidit & reſecat: vt ſcilicet noſtras à fortuna ſectiones inſtauret, & ſe excipientis capacitati (quod ſuperiùs oſtendi) accommodet.

Bernard. Serm. 1.

Medetur equidem noſtris è fortuna mutilationibus. Obiicite vobis Iobum paticuriſſimum vndique minoratum, cuius eleganter Polychron. Caten. Græc. mutilationem rerum deſcribit, fatus: *Iam opibus, ſeruis, liberiſque expoliatum vlceris atrocitate mulctatur. Miſeranda, & confectrix lues toto corpore effluebat, rerum omnium neceſſariarum, atque etiam eorum, qui ægrotantem curarent, penuria premebatur. Deprauatio illa, & fœditas turpificati corporis ciuitate eiectum foris collocarat; degebátque ſub dio, atque in ſtercoris domicilio.* Quid plura? *Manu tetro cruore ſtillantia membra non abſtergebat, ſed teſtulâ ſaniem radebat.* Teſtula itaque Iobo extitit conſolatio. Et quænam illa teſtula niſi Ieſus? *Chriſtum* (ait Doctor) *ſignificabat teſtula noſtra corrigentem, & inſtaurantem.* An teſtula ad ſtercoris 81.

*Mutilatur Ieſus, vt noſtras à fortuna ſectiones inſtauret.* Iob. 1. Polych.

Digitized by Google

ſtercoris domicilium mittitur, cùm omnino integra eſt? Minimè, ſed poſtquam aliqua particula mutilatur. En Ieſum teſtulam, paruulum inquam, apud ſterquilinium, ſiue ſtabulum, particulâ expoliatum, *noſtra corrigentem, & inſtaurantem.* Quid fortunæ ſectiones nus ad anguſtiam mentis adſerant, ſi Ieſum paruulum adhuc mutilatum aſpectamus?

82. *Exinanitur captui aptandus.* Quid quod Puer ſectus noſtræ capacitati ſe ſe velit accommodare. Non eum poſſunt dierum antiquum adoleſcentulæ excipere: Vir Dominus appareat. Vir capacitatem excedit, paruulus obiiciatur. Adhuc non capit puerulum adoleſcentula? Puer circumcidatur, particulâ ablatâ minoretur. *Oleum effuſum nomen tuum, ideo adoleſcentulæ dilexerunt te.* Cant. 1. Vbi Philo Carpath. nomen vſurpat pro perſona Saluatoris. Aliter, pro oleo effuſo, *oleum exinanitum.* Christus exinanitus eſt. Effudit ſe ſe Ieſus hominum vaſculis, ad vallem lacrymarum aduentans; quod cùm homo tantillus haud poſſet tam ingentem vim olei recipere, (ne peccator oleum, & operam perderet) viſibili ſpecie exinanitus eſt, dum circuncisionis cultro peccatoris in morem vulnerari permiſit, carniſque ſacerrimæ repelli à corpore; non à Diuinitate particulam. *Tunc verè effuſum* (inquit Philo) *cùm ſe noſtra mortalitate contexit. Paſſus eſt aliquando in circuncisione, qui ſemper eſt impaſſibilis, ne nos ſemper pateremur. Exinanitus eſt Dominus, vt excellentiſſimè dominetur & ſeruus.* Num non ardentiùs adoleſcentulæ, diligitis quem vobis capere, excipere videamini? Vbilletamus ad Ieſum puerulum, & circunciſum:

*Vide placeas teneris in dulcis ſponſe, puellis.*

Cant. 1. Carpath.

Vbille.

*Botrus* (inquit adoleſcentula) *Cypri dilectus meus mihi.* Cant. 1. Mihi ſe ſe exhibet botrum. *Mihi,* inquam, vti meæ hæreat capacitati. Num botrus è vite pendens ſemper eodem pondere, & ſtaturâ obiicitur? Creſcit in dies. Botrus Cypri Ieſus à cœleſti Inſula in vitem Marianam tranſlatus. Puerulus, puer, adoleſcens, Vir, ſenex conſpicitur pro excepturorum hominum captu. Elegantèr Nyſſen. *Qui natus eſt puer, non eſt idem in omnibus; ſed pro modo eius, in quo eſt, quatenus is, qui ipſum capit, eſt idoneus, talis apparet aut infans, aut proficiens, aut perfectus. Conuenienter botri naturæ, qui non ſemper cernitur in vite eadem forma; ſed formam mutat cum tempore florens, perfectus, maturus, & vinum factus.* Quid magis egregium? 83. *Ideo aliis infans, aliis vir.* Cant. 1. Nyſſen.

84. *Quo dammodo diuiditur.* Ethnici ſeſe vnius Dei incapaces dignoſcentes, innumera cunfinxêre Numina. Deus ſic verus Ethnicum ex ore Prudentij redarguit contra Symmach. lib. 2.

*Tu, me præterito, meditaris Numina mille,*
*Quæ, ſimules parere meis virtutibus, vt me*
*Per varias partes minuas, cui nulla recidi*
*Pars, aut forma poteſt; quia ſum ſubſtantia ſimplex,*
*Nec pars eſſe queo, &c.*

Et quonam modo poteſt per varias partes minui, aut recidi, qui pars eſſe nequit? Proh circuncisi potentia! Qui pars eſſe nequit, ſub particula ex circunciſione reliqua tradi hominum amans minimè dedignatur. Quid igitur ô gentilis, innumera confingis Numina, vt innumeris faciliùs excipias hoſpitiis? Deum totum particulæ hærentem exiguâ domo excipere datur.

*Quare age mortalis, ſolo mihi conſtrue templum,*
*Meque vnum venerare Deum.*

## LIBER QVINTVS.

# NOMEN IESV.

## Paraphraſis, Commentariique Literales ad Caput ſecundum Lucæ.

### *PANEGYRICI MORALES IN DVLCISſimum IESV nomen.*

### PROLVSIO.

* *Dominici Vitalis ligni.* FRVCTVS IV.

ANXIVS Nominis Ieſu magnalia recenſere, non poſſum non corruere defectione. *Defecit* (inquit Dauid) *in ſalutare tuum anima mea.* Pſalm. 118. vbi D. Hilar. *Eſt ſalutare illud nomen Jeſu. Natura autem humana eſt, vt cùm id, quod deſiderat, non poteſt obtinere, per deſiderij ingem cupiditatem animi defectione teneatur.* Tam ingens laudibus efferendis nominis Ieſu pondus, vt illud ipſum hoc deſiderare, ſit animo deficere. Enimverò, ſi ipſum nomen Ieſu ſalus eſt, (adhuc Doctor) robur eſt, inde robore donabor, vnde cogor occumbere.

| LVCÆ CAP. II. | PARAPHRASIS. |
|---|---|
| *Verſ.* 21. Vocatum eſt nomen eius Ieſus, quod vocatum eſt ab Angelo, priuſquam in vtero conciperetur. | Verſ. 21. *Ipſo circumciſionis die vulneris cõmune medicamen nomen ex more inditum puero Ieſu, quod Hebrais ſonat Saluatorem. Nec hoc fortuitò, ſeu humana voluntate; ſed auctoritate diuina per Gabrielem profatum fuerat, antequam in Virginis vtero conciperetur.* |

## SECTIO PRIMA.

# NOMINIS IESV IMPOSITIO.

### *TEXTVS.*

*Verſ.* 21. Vocatum eſt nomen eius Ieſus, quod vocatum eſt ab Angelo, priuſquam in vtero conciperetur.

COMMEN

# COMMENTARIVS LITERALIS.

## §. I.

### *Cur Hebræis circuncisionis die nomina imponerentur?*

1. IN Græco exemplari habetur καὶ ἐκλήθη τὸ ὄνομα αὐτοῦ, *Et vocatum eſt nomen eius.* At neque in vulgata inuenio, nec immerito affirmarim huiuſmodi redundare particulam, *Et*, quæ quidem non rectè cum ſuperioribus cohæret.

2. *Eodem die nomen impoſitum.* Profectò eodem circuncíſionis die nomen puero impoſitum eſt. Hebræis etenim octaua à natali die nomina ſolita infantibus apponi. Necnon Romanis (auctore. Plut. Prob. 102.) vſitatum, filiis maſculis nono die, fœminis autem octauo nomen dare. Athenienſibus autem perpetuum (teſte Alex. l. 2. c. 25.) decimo à natiuitate die nomen indere infantibus. Ariſtot. l. 7. cap. 12. ſeptimo die infantes affirmat nominari.

3. *Poſt vulnus* Theop. Non ſolùm circuncíſionis die, ſed poſt circuncíſionis vulnus nomen imponi pueris cum Theophylact. affirmo. Ex contextu deduco, dum circuncíſionis verbum nominis conſequitur impoſitio.

4. *Quare eodem die?* Tol. Sed quare circuncíſionis die nomina imponebantur? Toletus; quia ante octauum diem puer non eſt in vita confirmatus, nec vt homo reputatus. Vnde Plut. ea ait ratione Romanos nomina poſt octauum diem pueris imponere ſolitos.

5. *Auctoris mens.* Beda. Ego autem potiùs exiſtimo morem huiuſmodi ab Abrahamo dimanaſſe, cui ritus circuncíſionis à Deo traditus eſt. Cum circuncíſionis præceptum Deus Abræ dedit, nomen illud addita littera *he* amplificauit. Dicebatur *Abram* ſine aſpiratione, id eſt; *Pater excelſus*; nomen accepit à Deo *Abraham* addita *he* Hebræa aſpiratione, id eſt, *Pater multarum gentium.* Ab Abrahamo igitur Hebræi accepêre pueros ſuos circuncíſionis occaſione nominibus inſignire. Ex Beda confirmo: *Ab Abrahamo exortum eſt, vt die circuncíſionis nomen paruulis aptaretur. Quia & ipſe, cum teſtamentum, id eſt, fœdus circuncíſionis à Deo acciperet, eadem prius die cum ſua coniuge nominis augmentum promeruit.*

## §. II.

### *Si inchoanti Dei obſequium nomen imponitur, iuſtè priuatur nomine, qui à diuino obſequio recedit.*

### Vbi de peccatore nomine carente.

6. *Inſtituenti Dei obſequium nomen adsciſcitur.* Theop. Chryſoſt. DVplicem prætereà attexam cauſam, cur circuncíſionis die nomina imponerentur; & illuſtrabo Theophyl. Itaque tertiam reddit rationem: *Quia per circunciſionem puer de populo Dei efficiebatur, & verè inter Iudæos computabatur.* D. Chryſoſt. perquirit, cur Apoſtolus, Sauli nomine mutato, Paulus fuerit vocitatus? Reſpondet in ſignum poteſtatis herilis, & dominij nomina ſolita fuiſſe mutari, & imponi. *Solent etenim. Domini emptis ſeruis noua nomina imponere.* Qua de cauſa dicit Adamum rebus nomina impoſuiſſe, quippe qui earum dominium accepiſſet. Cùm igitur per circuncíſionem puer de populo Dei efficeretur, & in nouum tranſiret ſtatum, meritò tunc nomen accipiebat. Quæ ſanè cauſa aſſignari poteſt, quare Chriſticolæ apud regenerationis lauacrum nominentur. Hinc elicio eum prorſus nomine priuandum eſſe, qui diuino obſequio non emancipatur, ſiquidem nomen à die, quo puer cæleſti herili ſubijcitur poteſtati, exoritur.

Saul & electus à Deo diuinæ ſubmittitur obedientiæ, & ſe ſe demum, proiecto iugo, dedit ruinæ præcipitem. *Erat ei filius, vocabulo Saul, electus, & bonus.* 1. Reg. 9. *Dixitque Dominus ad Samuelem, Vſquequo tu luges Saul, cùm ego proiecerim eum?* 1. Reg. 16. Quando eligitur à Deo, Saul; quando proijcitur, Saul etiam nominatur. Non igitur à nomine deturbatur, qui diuinæ herili non ſubmittitur poteſtati. Porrò Saul à verbo פלא *Pala*, quod eſt *ſegregatum*, ſiue *eximium* eſſe, idem Hebræis, quod *mirabilis* ſecundum Hieron. At à radice שעל *Schahal* per ע *Ain*, idem eſt, quod *pugnus*, ſeu *pugillus*, quod nomen etiam vulpi ſignificandæ accommodatur; quia vulpes adeo in morem pugilli ſe contrahit, & conſtipat ad frondes, vt penè inuiſibilis reddatur, dicente Bernard. ſerm. 65. in Cant. *Vulpes tam puſilla, ac ſubtilis eſt, vt facilè humanus fruſtretur obtutus.* Et vndenam tam diuerſæ nominum ſignificationes? Quãdo Saul eligitur, quando probus, nomen eius mirabiliter elucet, reſonatque *Mirabilis*. Aſt quando patans Dauidi inſidias, fraudulentum vulpis imitatur ingenium, nomen eius *Pugillus* eſt, contrahitur, & conſtipatur adeò, vt omnino reddatur inuiſibile, ab humaniſque (licet inſonare inaniter videatur) verè effugiat obtutibus: ſine nomine namque is, qui cæleſti voluntati non obſequitur. 7. *Saul reprobus nomine priuatur.* 1. Reg. 9. 1. Reg. 16. Bernard.

8. *Et Cham.* Cyril. Denudatus Noë, & à filio Cham ludibrio læſus inclamat, *Maledictus Chanaan, ſeruus ſeruorum erit.* Gen. 9. Vbi interpretes diſputationi committuntur, verum Cham fuit, an potius filius eius Chanaan maledictione fuerit percuſſus? Sequor in præſenti Cyrilli l. 4. in Gen. opinionem aſſirmantis non filium Chanaan, ſed patrem Cham maledictione affectum. *Cham* (inquit) *maledictis afficis, Chanaan eum appellans.* Hinc difficilis exoritur quæſtio, cur non eum proprio nomine compellarit, fatus, *Maledictus Cham?* Putarim ideo eũ alieno ſignaſſe nomine, quia delinquentem ſubitò ſine nomine reperit. Cùm autem nomen improbi filij obliteratum adparet, eũ ſignauit ex nomine propinquioris, qualis erat Chanaan Chami filius irreuerentis.

9. *Peccatores anonymi.* Gen. 1. Nomen Deus indidit firmamento, *Vocauitque Deus firmamentum cælum.* Gen. 1. At nominibus propriis ſignanda animantia *adduxit ad Adã, vt videret, quid vocaret ea.* Ibid. Cur Deus, qui nomen firmamento impoſuit, non ſimi-

liter animantia nomine donauit? Profectò animantibus peccatores ſignantur in ſacris, qui quidem apud homines nomine omninò mutilentur. Id quod exponẽs Rup. ait, *Peccatores per animalia ſignificati carent nomine in cõſpectu Dei.*

Rupert.

10. De filiis Iſrael Moyſes locutus, *Hæc* (inquit) *ſunt nomina filiorum Iſraël, qui ingreſſi ſunt in Ægyptum cum Iacob: Ruben, Simeon, Leui, Iudas.* Exod. 1. Stephan. ſic, *Hæc ſunt nomina filiorum Iſrael, id eſt, bonorum. Soli enim boni habent nomen. Vnde in Confirmatione, & Baptiſmo & Circumciſione* (olim) *puero nomen imponitur, ac ſi dicatur: ſoli mundi interius nomen habent.* Malorum enim nomen ſine re titulus inaniter ad auras iactatur.

*Haud ſi. filij Dei.* Exod. 1. Steph.

11. Quomodo enim verè nominabitur, quod in conſpectu Domini quaſi non eſt? Delinquente Adamo, iugúmque cœleſtis obſequij è collo excutiente, ſic Deus: *Adam vbi es?* Gen. 3. Et cui Deus præſens vbique, locum, *Vbi* Adam commoretur, videtur ignorare? Quia quod non eſt, non ſcitur. Adamus ab obſequio Conditoris recedens quaſi non erat, quaſi nullibi commorabatur. Pulchrè Philo Hebr. l. 2. Alleg. excogitauit. *Ad hanc Domini compellationem. Vbi es? poterat Adam reſpondere, Nuſquam. Nullum enim locum habet mali hominis anima.*

*Peccator carens eſſentia, caret & nomine.* Gen. 3. Phil.

12. Iam quæris, Si homo malus quaſi non eſt, quare malus hominũ parens appellatur *Adam?* Reſpondeo hominem primum non ſolùm eſſentia, ac exiſtentia quodammodo ſed & nomine priuatum fuiſſe. *Adam vbi es?* Hebraicè, האדם *Ha Adam*, id eſt, *ille Adam.* Emphaticè profectò articulus huiuſmodi Adami nomini apponitur. In cuius expoſitionem præmitto regulam quorundam aſſtruentium articulum, ſeu affixa nominibus propriis nullatenus adhiberi. Vnde hi Doctores (cuius ſententia in multis aberrat) vt adſtruant ſuam regulam, cum hic affixum præponitur homini *Adam*, dicunt eſſe commune ſignificans hominem vt ſic, non proprium nomen, vt primo Parenti accommodatur. Certè ſi non vera opinio, vera omnino opinionis ſequela. Non mirum proprio nomine hominem primum poſt peccatum non appellari, ſi peccator à Deo recedens ſine eſſentia quodammodo reperitur. Quod exprimens Conditor ait, *Ille Adam*, ſeu ille homo, vbi eſt? Ac ſi diceret, Ille qui homo creatus fuerat, vbinam? Hiccine iſte qui ad Dei fuerat factus imaginem? Iam quodammodo ad nihilum redactus eſt.

*Obiectioni ſit ſatis.* Gen. 3.

13. Conteſtatur Iſaias proclamans, *Aſpexi terram, & ecce vacua, & nihil.* Cap. 4. Eman. Sa, *Aſpexi plebem.* Pro illis autem verbis: *Ecce vacua, & nihil.* Hebr. affirmat haberi, *Et ecce erat inanis, & vacua.* Et vacua plebs opere, & nomine prorſus inanis, quia non conſtanter diuino obſequio adhæſerat. *Apparuit arida, & vocauit Deus aridam Terram.* Gen. 1. Terra iam accepiſſe nomen videbatur, *Terra erat inanis:* cum tamen poſtea *Terra* nomen ei inditum fuerit. Si terra iam appellabatur, quare Deus eodem illam nomine inſigniuit? Rupert. *Vt intelligamus transitoria apud Deum* (tranſitoria peccatores mutabiles appellat, quia *ſtultus ſicut luna mutatur*) *nomine carere, etiamſi apud homines nomina habeant.* Quot peccatores nominantur apud terricolas, qui in Dei conſpectu nomine expilantur.

*Terra nihil.* Iſai. 4. Sa. Geneſ. 1.

## §. III.

*Nomina eorum, qui ſpirituali circunciſioni traditi, caſtitatem colunt, in cælis ſcribuntur.*

Vbi de gloria caſtitati præparata.

QVartam Cyprianus ſic exprimit cauſam: *Hoc*; circunciſionis ſacramentum, *ſic celebrari, & nomen circunciſo aptari, intimatum eſt, ut, qui digni ſanctorum conſortio cenſebantur, quod eorum nomina ſcriberentur in cælis, quicumque vita innocentiâ, & cælibatus ſanctimoniâ ſe ſe Domino conſecraſſent.* O caſtimoniæ puritas! Quando non aſſeclas tuos in vitali libro poſt ſpiritualem circuncifionem conſtituiſti? 14.

Cyprian.

Viſio beatifica caſtimoniæ puritatem ſectantibus promiſſa eſt, *Beati*, ait Ieſus, *mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Matth. 5. A viſione Conditoris hominem ablegauit peccatum, è quo tenebræ prodiêre, ac ſimul concupiſcentiæ fomes. Paſch. *Quam pulchrè ſexto loco cordis munditia ponitur, vt homo ſenſim, qui ſexto die conditus eſt, per hanc redeat ad imaginem Creatoris, quam profectò non niſi caligo vitiorum obliterauit. Sed his depulſis præcepta ſalutis rectè exequamur, vt rurſus illuminati, Deum videre poſſimus.* 1…

*Mundi cor. Deũ aſpiciũt.* Matth 5. Paſchaſ.

Confirmat Abbas ſententiam, illud Dauidicum expendens: *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* Pſalm. 18. Et quodnam præceptum illuminans niſi caſtitas, quæ homines ad fulgentiſſimum Dei conſpectum adducit? *Præceptum, inquit Propheta, Domini lucidum caſtitas, oculos illuminans.* Nec vulgaris caſtimoniæ laus, tantâ luce perfundi, vt quodammodo ad Dei viſionem lumen gloriæ videatur miniſtrare. 16.

*Caſtitas illuminaris oculos.* Pſal 17. Paſchaſ.

Ioſeph *filius accreſcens* nominatur meritò ob ſingularem caſtimoniam, qua mirum in modum ſublimatur. Certè Dauid Ioſephi præcinens magnalia, profatur, *Et repulit tabernaculum Ioſeph* Pſal. 77. Quonam modo accreſcens Ioſeph, ſi ad Regnum minimè eligitur? Auguſt. pulchrè: *Ioſeph merito caſtitatis iuſtiſſimè ſublimatus eſt.* Quomodo ſublimatus Ioſeph, ſi repulſus à Regno? Quia parum erat in terris mundum corde regnare, cui beata eſt viſio promiſſa. Vnde Pater affirmat *tribum Iuda non pro merito electa* ad Regnum. 17.

*Ioſeph ob caſtimoniam ad cæli principatum aſſumptus.* Pſal. 7…

Caſtus profectò ad eſſentialem, & ad accidentalem gloriam aſſumendus, in præſenti dat quoddam & eſſentialis, & accidentariæ gloriæ documentum. *Aſael curſor velociſſimus fuit, quaſi vnus de capreis, quæ morantur in ſyluis.* 2. Reg. 2. Ceruum pro capra ponit Bachiar. de lapſis, *Quaſi vnus de ceruis.* Cuius profectò viſus perſpicacia, & maxima agilitas. Et quid in viſus perſpicacia niſi ad Deum videndũ aptitudo innuitur? Quid in agilitate, niſi dos agilitatis deſignatur? Vndenam Aſaeli & viſus perſpicaciæ, & agilitatis, donum? Reſpondet idem Pater: *Ob hoc credo, quod incoinquinati corporis puritas donum ei velocitatis indulſerat. Velox erat ſicut ceruus, & viſu acerrimus, qui perſpicacia mentis inimici laqueos euitabat.* En caſtus Aſael futuræ beatitudinis ſpecimen referebat. 18.

*Caſtus futuræ gloriæ refert imaginẽ.* 2. Reg. 2. Bach.

§. IV.

Digitized by Google

## §. IV.

### *Num Ieſu nomen Puero fuerit impoſitum ex euentu?*

19. *Nomina ex euentu.* Gen. 4. Gen. 5. Gen. 25. Geneſ. 26.

PRimis illis ſæculis, quando noua nomina imponebantur, ex euentu aliquo plerumque ſumpta eſſe comperimus. Eua primogenito *Cain* nomen impoſuit, dicens, *Poſſedi hominem per Deum.* Gen 4. Tertium *Seth* nomine deſignauit, fata, *Poſuit mihi Deus ſemen aliud pro Abel.* Ibid. *Lamech* filio ſuo nomen dedit *Noe*, clamans, *Quia iſte conſolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum noſtrarum in terra, cui maledixit Dominus.* Gen. 5. Quid memorem Abraham filium *Iſaac* compellantem, dicente Sarâ: *Riſum fecit mihi Dominus.* Gen. 25. Nonne *Iacob* huiuſcemodi nomen accepit, quia fratrem ſupplantauerat? *Eſau*, quia rufus? *Phares*, quia materiam vteri diuiſerat? Geneſ. 26. Quid denique de Moyſe dicam vocante filium ſuum *Gerſam*, & inclamante: *Aduena fui in terra aliena.* Veterem morem patentes *Ioannis Baptiſta*, Spiritu ſancto immittente, ſequentes ab ipſo euentu puero nomen indidêre. Cùm enim præcurſoris Chriſti munus obiret, per quem gratia facta eſt, Ioannis nomen accepit, quod Dei gratiam ſignificat, non quam ipſe daturus, ſed quam oſtenſurus populo immittebatur.

20. *Ieſu nomen ex munere.* *Vocatum* igitur *eſt nomen eius Ieſus.* Nomen Puero imponitur, quod ſumptum eſt ab eo munere, cuius cauſâ in mundum aduentarat, nempe ſalutem hominibus conferre. *Ieſus* enim idem apud Hebræos, quod apud Latinos *Saluator* ſignificat.

## §. V.

### *Etymon, & ſignificatio nominis IESV.*

21. *Doctorum varia ſententia.* VTrùm *Ieſus* Hebraicè יהושוע *Iehoſuah* exprimendus ſit, non conſtat inter Doctores. Cum iis ſentio, qui ישוע *Ieſuah* eſſe volunt. Pagninum, Galatinum, Ianſenium, Barrad. & alios quàm plures ſententia hæc habet auctores. Probo ex Euangelio Syri, vbi non *Jehoſuah* Chriſtus appellatur; & ex titulo crucis, in quo nomen *Ieſuah* extat exaratum. Meminit Pagn. fatus, *Ieſuah eſt nomen Saluatoris, & eſt in titulo Crucis, qui eſt Romæ in templo ſanctæ Crucis.*

22. *Ieſus à Salute.* Ieſus à verbo Hebr. ישע *Iaſah*, quod ſignificat ſalutem facere. Reperitur in ſcriptura in tertia coniungatione Hebræa. Quam etymologiam docuit nos Angelus prædicens: *Vocabis nomen eius Ieſum, ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Matth. 1. *Salus* dicitur, aut *Saluator*, quia ſaluum populum efficiet. Ergo nomen trahitur ab effectu, & operatione ſaluum faciendi, & à verbo eam actionem ſignificante.

23. *Trium litterarũ non eſt.* Abiegatur hinc error eorum, qui nomen *Ieſus* trium litterarum efficiunt; ישו *Ieſu* per litteræ ע *ain* ablationem; ne à verbo ישע *Iaſah* ſeu *ſalutem facere* deriuetur, ægrè ferentes nomen Chriſti ſignificare Saluatorem. Deinde non approbo ſententiam quorundam Catholicorum affirmantium nomen Ieſu à verbo ſaluandi ducere exortum, ſed ſcribendum quinque litteris י *Iod*, ש *Schin*, ו *Vau*, ע *Ain*, ת *Thau*: *Ieſuath*. Hi quidem quantum ad deriuationem, & quatuor litteras priores, verè dicunt quantum ad additam litteram *Thau* in vltimo minimè admittendi. Nam in titulo Crucis, qui maximâ nunc Romæ religione aſſeruatur, ſcriptum ſine *Thau* cum quatuor ſolis prioribus litteris repetimus. Nec rationabiliter credam illis Chriſti nomen temporibus ignoratum, aut non conuenienter ſcriptum.

*Ant. de Eſcob. & Menioz. de Sanct. Tom. 1.*

Concludo ex dictis Ieſus nomen eſſe quatuor litterarum à *Iaſah* trahens originem, vt *Saluator*, aut *Salus* Latinè diceretur. Aduertendum tamen nomen hoc & appellatiuum ſeu commune, & proprium Hebraicè reperiri; ſicut nomen Latinum *Saluator* commune multis, aut proprium alicuius viri eſſe poteſt. Priori modo toti conuenit Trinitati. Sic frequenter dicitur Deus *Saluator*, & *ſalus noſtra.* Poſteriori modo ſoli Verbo conuenit incarnato. Ipſum enim eſt, quod nomine proprio vocatum eſt *Jeſus.* 24. *Eſt quatuor litterarum.*

Num nomen Ieſu in veteris Teſtamenti libris Chriſtum ſignificans reperiatur? Reperitur ſæpiſſimè. Nomen enim hoc non eſt participium paſſiuum verbi *Iaſah*, quod in ſacris litteris non inuenitur, & ſignificat *Saluatum*, ſed nomen *Ieſuah* cum ע *ain* in fine. In libris propheticis ſcribitur propheticè cum ע *ain* & ה *he* in fine, & ipſam *ſalutem* ſignificat. *Salutare tuũ*, ait Iacob, *expectabo Domine.* Gen. 49. Hebr. *Ieſuah* ſiue *Ieſum tuum expectabo, Domine. Notum*, ait Dauid, *fecit Dominus ſalutare ſuum.* Pſal. 97. Hebr. *Ieſuah ſuum. Quis dabit ex Sion ſalutare Iſrael?* Pſal. 52. Hebr. *Ieſuah Iſrael*; Procop. *Vbi Saluatoris nomen vſurpamus, Ieſum Hebraica habent. Verbi cauſa, vbi legitur, Ecce Deus Saluator meus*, Iſai. 12. & ibi. *Factus eſt mihi in ſalutem. Et cum de fontibus Saluatoris dixit.* Hieron. & Septuag. idem nomen Hebræom in Saluatorem tranſtulerunt. Marius Victor. ad ſe adlatum teſtatur Chaldaicũ Euangelium, in quo Chriſtus *Ieſuah* per *ain* & *he* in fine terminatione fœminina appellatur. Leo à Caſt. etſi fœminina ſit terminatio, maſculinum tamen eſſe vult, cum Chriſti ſit nomen, cuius rei adhuc teſtes adhibeo. Hieronymum, & Lxx. Interpr. ferè vertentes genere maſculino. At ſi huiuſce nominis numerum octonarium obſeruare velis, Bedam adi ad Cap. 2. Lucæ, noſtrumque Barrad. accuratè diſſerentem. 25. *Reperitur in ſacris Chriſtum ſignificans.*

## §. VI.

### *An nomen Ieſu ſit tetragrammaton Iehouah?*

IAcobus De Val. Chryſop. Epiſc. opinatur nomen Ieſu eſſe nomen ineffabile *Iehouah. Chriſtus*, inquit, *Saluator noſter habuit nomen quatuor litterarum tanquam nomen proprium.* Probat autem ſic, *Iſta litteræ*; Iod, he, vau, he *præpoſitæ in illo nomine ſi rectè combinentur cum ſuis punctis appoſitis reddunt, & ſonant hoc nomen: Ieſuah, quod Latinè dicitur Ieſus, & interpretatur Saluator. Ex quo patet, quod Ieſus eſt realiter nomen quatuor litterarum ſecundum proprium ſonum.* Conteſtatur Galatin. lib. 3. cap. 20. preſſiùs inquiens, *Quidam ex noſtris dicunt nomen Ieſus aliud non eſſe, quam ipſum nomen* 26. *Sententia affirmans.* Val. Pſal. 8. Galat.

Philip.2. Burg.

*Dei tetragrammaton.* Probatur præterea ex Paulo: *Dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* Philipp.2. Nomen ſuper omne nomen erat *Iehouah*, ergo datum, & impoſitum Chriſto. Vnde Burg. de oomine *Iehouah*, quod Chriſto datum eſt, Apoſt. locum interpretatur. Adde illud Iſai.7. *Vocabitur nomen eius Emmanuel*, ſeu *Nobiſcum Deus.* Ergo ipſum nomen Chriſti Deum ſignificabat. Præterea Ierem.23. *Hoc eſt nomen, quod vocabunt eum: Dominus.* Hebr. *Iehouah.* Ac ſi diceret Proph rogantibus, qoonam ſit nomine appellandus Meſſias? *Vocabunt eum Iehouah.*

Exod 2. Iſai.7. Ier.23.

27. *Auctoris ſententia negans.* Burg.

Enimverò ſemper mihi compertum fuit nomen *Ieſus* non eſſe nomen *Iehouah*, ſed ab eo ductum. Moueor primò ex litterarum inſcriptionis varietate. *Iehouah* quatuor litteris conſtat, punctis remotis: *Iod, he, vau, he. Ieſuah* autem his quatuor diuerſis: *Iod, ſchin, vau, ain.* Deinde ex vtriuſque nominis ſignificatione. *Iehouah*, auctore Burg. eſſe ipſum, ſiue eſſentiam ſignificat. *Nomen*, inquit, *Tetragrammaton* Iehouah *licet non ſit in aliquo alio nomine, ſeu per aliud nomen transferibile, ſeu propriè exponibile; ex litteris tamen, ex quibus componitur, poteſt intelligi tam eſſe, quam eſſentia, nihil aliud connotando, nec limitando. Quod maximè conuenit eſſentiæ ſeu eſſe diuino.* Verùm *Ieſuah* noo ſignificat eſſentiam, ſed ſalutem. Ergo non eſt nomen *Iehouah.*

28. *Argumentum ſoluitur.*

Quid igitur Iacobi de Valent. fundamento? Vidimus falſum eſſe. Nomen enim *Iehouah* non eiſdem litteris componitur, ac nomen *Ieſuah.* Ad locum Pauli reſpondetur, germanam tradendo expoſitionem. *Dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* Hoc eſt, fecit Pater, vt Chriſtus ab hominibus agnoſceretur Deus, & *Iehouah* eſſe, & vt Deus coleretur. Sicut Apocal.5. *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & Diuinitatem.* Hoc eſt, Dignus eſt, qui ab hominibus Deus eſſe fortiſſimus agnoſcatur, & diuinis afficiatur honoribus. Iſaias denique Chriſtum *Emmanuelem* appellans, & Ieremias *Dominum iuſtum noſtrum*, non agunt de proprio Chriſti nomine ei in circumciſione impoſito, ſed de nominibus aliis; illius maieſtatem ſignificantibus. Tertull. Lactant. Chryſoſt. innuunt declarare Prophetam non eum, qui vocandus *Emmanuel, Iuſtus*, ſed qui futurus. Quemadmodum idem Iſaias prædixerat de Ieruſalem, *Poſthàc vocaberis ciuitas iuſti, vrbs fidelis.* Cap.1. Non quod eo nomine vnquam vocitanda; ſed quod talis eſſet futura, vt ita meritò poſſet compellari.

29. *Vtrùm de Ieſu nomine Paulus.* Origen.

Ad hæc rogas, num nomeo *Ieſus* nomen ſit ſuper omne nomen, ſicuti Paulus, *Dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* Philipp.2. Orig. *Donauit Deus nomen, quod eſt ſuper omne nomen, Domino Saluatori noſtro Ieſu Chriſto: Eſt autem nomen, quod eſt ſuper omne nomen,* Ieſus. *Et quia eſt iſtud nomen ſuper omne nomen, idcirco in nomine Ieſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Idem affirmant Haymo, Bernard. Catar. Gregor. X. Bernard. Senen. apud Barr. iopræſenti. Profectò communiter Doctores locum Pauli explicant de nomine dato in Aſcenſione, non de nomine Ieſu in circunciſione Puerulo indicto. Quia enim Ieſus *factus obediens fuerat vſque ad mortem crucis, Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* At nomen Ieſus in circunciſione ante mortis anguſtias Chriſto fuerat exhibitum.

## §. VII.

### *Vtrùm nomen Ieſu ſit nouum?*

Nouum minimè nomen Ieſu videtur. Nam licet Galatinus citatus omoino abneget aliquos olim vocatos oomine Ieſu, Ieſus ſummus Sacerdos, Hebr. *Ieſuah* nominatur, 1. Eſdr. 3. & 5. Alius ſimiliter Sacerdos eodem nomine inſignitur 1. Par.24. Præter hos tertium hoc nomioe donatum inuenies 2. Paral.31. Quod ſi Aggæus cap.1. & Zacharias cap.3. ſummum illum Sacerdotem, qui Eſdr.1. *Ieſuah* nominatur, *Iehoſua* appellant: conſtat vtroque nomine nuncupari. Noo igitur nomen Ieſu nomen nouum. 30. *Sententia negans.* Galat.

Certè nouum eſſe affirmo cum Iſaia ioclamante: *Vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominabit.* Cap.62. Vnde Cyrill. *Nomen*, inquit, *nouum Verbo diuino eſt Ieſus, & concurrens cum carnis natiuitate. Et propheticum oraculum adſtipulatur Iſai. Vocabunt nomen eius nouum, hoc quod Dominus nominabit.* Expendo igitur, quonam modo nouum hoc nomen abſolutè dici queat? Nouum profectò eſt, ſi rationem impoſitionis, ac ſignificationem ſpectes; quooiam nouâ ratiooe, & ſigoificatione eſt impoſitum. Numquam enim quis propterea Ieſus vocatus eſt, quod perfectiſſimam tum animis, tum corporibus ſalutem eſſet allaturus. Quam nouam rationem, ac ſignificationem Angelus hiſce verbis aperuit: *Vocabis nomen eius Ieſum. Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Luc.2. Præterea nomen eſt nouum Ieſu Chriſto homini inditum, quod ſignificant verba Cyril. *Nouum nomen eſt Ieſus, & concurrens cum carnis natiuitate.* 31. *Affirmans vera.*

## §. VIII.

### *Nomen Ieſu vocatum ab Angelo.*

Indicat Euangeliſta noo homano, ſed diuino conſilio nomen inditum Puero, dùm ab Archangelo, *priuſquam in vtero conciperetur* Chriſtus, hoc ei nomen fuiſſet exhibitum. Fuit namque ante Chriſti conceptionem Virgini prædictum: *Vocabis nomen eius Ieſum.* Fuit hoc ipſum à Cœlicola replicatum poſt Chriſti conceptionem, dum dixit ad Ioſeph, *Vocabis nomen eius Ieſum.* Euangeliſta verò non huius, ſed illius meminit vocationis, vt de ſola Deipara, non autem de Ioſeph Chriſtum conceptum ſignificaret. 32. *Diuino conſilio nomen hoc inditum.* Matth.1.

Deduco hinc Deiparam puero Ieſu nomen impoſuiſſe, quidquid Doctores quidam probare contendant non matres, ſed patres filiis nomina imponere fuiſſe ſolitos. Quod ſi credibile eſt vſitatum, conſtat tameo ooo fuiſſe perpetuum. Nam & Rachel vocauit filium ſuum *Benoni*, quod maximo cum dolore pepeniſſet, Gen.35. Et Iabes non pater, ſed mater nomen dedit. 1. Par.4. Quod ſi omnino abſtractum ab Hebræis matres infantibus nomina imponere, 33. *Deipara nomen Puero impoſuit.*

debeet

deberet hoc Deipara munere nobilitari, quæ ſine terreno patre peperit Saluatorem.

34. *Obiectioni ſit ſatis.* Obiicies, cur ergo & Ioſepho dictum: *Vocabis nomen eius Ieſum.* Non, quia neceſſariò huiuſmodi ad eum munus pertineret, ſed quia Archangelus Ioſephum voluit officio patris honorare; ſimulque probare, quod dixerat, de cœlo conceptum, cui de cœlo nomen imponeretur.

Ab vtroque itaque parente, citè tamen à Maria, à Ioſepho, dono cœleſti Ieſus nomen accepit.

Requiris quid *nomẽ* Ieſu eſſe *vocatum?* Phraſis Hebraica in ſacris peruia, *Et vocabitur nomen eius Admirabilis.* Iſai. 9. Vocatum *nomen eius Ieſus* tantundem ac *Ieſus vocatus eſt Puer.* Myſticam rationem phraſis huiuſce propriâ Obſeruatione panegyrica perſequemur. 35. *Quid nomen vocatum?*

# IN CHRISTVM IESVM.

# Panegyricus primus Moralis circa Literam.

## EX NOMINIS IMPOSITIONE.

## *OBSERVATIO I.*

Ad illa verba:

### *Vocatum eſt nomen eius Ieſus.*

Ieſus circuncisionis die nomen nouum acquirit.

*Homo enim pœnitentia alter effectus, malam priorem famam exuit.*

36. IEsvs Circunciſionis die nouum nomen acquirit, non ſolùm quia nomen Ieſu nouum, vt oſtendimus, ſed quia erat circunciſionis lex, vt etiamſi adultus alio inſignitus nomine ſacro vulneri ſubiiceretur, nouâ deinde adnotaretur appellatione. Hæc prorſus inſit ſpirituali circunciſioni, ſeu pœnitentiæ lex, vt priora dedecoris nomina aboleantur, noua acquirantur laudis, & honoris. Ad pœnitentiæ lauacrum peccator quantumuis flagitioſus accedit? Fama priſtina deleatur.

37. *Nomen ſpiritualis circunciſione immutatur.* Beda. Quando in circunciſione nomen vel accreſcendo non immutatur? Pater Ieſu prius *Abram* ſeu Pater excelſus vocabatur. At circunciſionis vulnus cum *Abraham* nomine donatur, vt Pater *multarum gentium* appellaretur. Quia in circunciſione nomen immutari neceſſum. Abraham, ait Beda, *eodem die ſuæ circunciſionis etiam nominis amplificatione ſimul cum ſua coniuge benedici promeruit. Vt qui antea Abram, id eſt; Pater excelſus dictus eſt, deinde Abraham, id eſt, Pater multarum gentium vocaretur.* En iuſto viro nomen immutatur adolente famâ, opinione incrementum accipiente. Strictiori id iure in pœnitentia contemplêre.

38. *Nomen aliud alteri effecto.* Rom. 6. Ambroſ. Quid mirum ſi nouum nomen acquirat, qui iam alter extitit? *Conſepulti,* inquit Paul. *ſumus cum illo per Baptiſmum in mortem vt quomodo Chriſtus ſurrexit a mortuis per gloriam, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Rom. 6. Vbi D. Ambroſ. *Veteris,* ait, *hominis conſcientia reſoluta, in alteram natiuitatem, rediuiua infantia reparatur.* Rurſum igitur nouo nomine priſtinam famam deleamus.

36. *Iniuſtè vocari immundus ob anteactam vitam.* Col. 2. Theod. Vnde idem Paulus Coloſſenſibus: *Si mortui,* ait, *eſtis cum Chriſto, ab elementis mundi huius, quid adhuc tanquam viuentes in mundo decernitis?* Capit. 2. Theophyl. illud, *Decernitis* ex Græco ad paſſiuam allicit terminationem. *Quid adhuc tanquam viuentes in mundo decernimini,* aut *iudicamini?* Ac ſi huiuſmodi argumento vteretur: Adeò cum Chriſto mortui eſtis, vt ab elementis mundialibus abſtineatis: nec terrâ nitimini, nec aëre vanitatis frui iuuat, nec diuitias aquarum in morem diffluentes amatis, nec luxuriei igne fouemini, mundo denique mortui Chriſto viuitis. Iniuſtè igitur tanquam viuentes mundo ob anteactæ vitæ euulgatam infamiam *decernimini, iudicamini.*

40. *Iam nō communis dicendus.* Act. 10. Linteum Petro obiicitur, *in quo erant omnia quadrupedia, & ſerpentia terræ.* Quod eum abſumere præciperetur, *Occide, & manduca*, Reſpondit ſe *omne commune, & immundum* numquam comediſſe. Cœleſtis rurſum vox inſonat: *Quod ſanctificatum iam eſt, tu commune ne dixeris:* Act. 10. In cuius expoſitionem ex Rupert. præmitto, animantibus hiſce ſignari peccatores. Præterea moneo in linteo magno Sacramenta, quibus ſanguinis ac mortis Dominicæ vi abluimur, denotari. Si quando communis fœmina, homo flagitioſus ad confeſſionis communioniſque fontem mundandi acceſſêre, à te diſcernantur à peccatoribus, tanquamque mundi priſtino abolito nomine iudicentur. Hilar. Can. 33. in Matth. cum ſindone corporis Ieſu Petri animantia componens, fatur: *Ioſeph mundâ ſindone corpus inuoluit. Et quidem in hoc eodem linteo reperimus de cælo ad Petrum vniuerſorum animantium genera ſubmiſſa. Ex quo fortè* Hilar.

P 4 non

*non ſuperfluè intelligitur ſub lintei huius nomine conſepeliri Chriſti Eccleſiam.* Vnum itaque linteum corpus Dominicum & peccatores continet? Ergo iam quod *commune & immundum* erat, commune iam, & immundum iudicandum non eſt. *Quod ſanctificatum eſt, tu commune ne dixeris.*

41. *Præcipuè ſi Euchariſtiá ſe reficit videant. Pſalm.41. Hieron.* David, *Iudica me, Deus, & diſcerne cauſam meam de gente non ſancta.* Pſal.42. *Iudica me, & diſcerne.* Sine, fac me ab hominibus tanquam alterum decerni, & iudicari. Quod Rex, in priſtini nominis abolitionem præſtitiſti. *Introibo ad altare Dei, ad Deum, qui lætificat iuuentutem meam.* Ibid. Vbi Hieronym. *Cum expurgato veteris hominis fermento, in nouo me homine tanquam iuuenculum conformabit.* Quia videlicet ad Dei altare accedens qui inter inimicos inueteraueram, iuuenis, imò infans effectus aſpiciot. Quare non iam inter flagitioſos adnumerari, ſed primo nomine deperdito, tanquam alter decerni debeo, ac iudicari.

42. *Magdalena altera re, nomine altera. Matth.17. Chryſoſt.* Reſurrectionis Dominicæ die, *venit Maria Magdalene & altera Maria videre ſepulchrum.* Matth.27. Vbi Chryſol. Serm 7. præteriens litteram, hæſit, non illepidâ annominatione, vocabulorum myſterio. Sententiam vulgariter vſurpatam, innouatam equidem rurſum ſub alio prætextu accipite. *Non dixit*, Venerunt, *ſed* Venit. *Sub vno nomine venerunt duæ myſterio, non cauſâ. Venit Maria, & altera Maria, venit ipſa, ſed altera; altera, ſed ipſa.* Altera inquam Maria & re, & nomine. Ideo non dixit, *fœmina altera*, ſed *altera Maria.* Altera Maria, non altera ſolùm mulier appellatur; quia mutatâ re, mutari debet & nomen. Cùm autem in Maria Magdalena iuſtis de cauſis nomen perſeuerat, nec immutatur (ſicuti Saulo poſt conuerſionem accidit) opus fuit, inconuenienṡ ab Euangeliſta præcaueri. Ne ſcilicet ſuſpicaremur eandem adeſſe vitam ſub nomine eodem, admonemur, alteram eſſe Mariam, & re, & nomine, non eandem. Si prius Maria *amarum mare* (vtrumque *Maria* inſonat) propter immunditiam extitit, iam *myrrha maris* propter pœnitentiam oſtentatur. Altera vita eſt? Nomen alterum inſit.

43. *Mores nomen immutant. Gen.32.* Quid non mores nomina immutabunt? Illuſtre ſubiiciam Geneſeos teſtimonium. Certamen cum Angelo init Iacob, vincit, nouo nomine inter femoris contacti dolores inſignitur. *Nequaquam* (inclamat Angelus) *Iacob appellabitur nomen tuum, ſed Iſrael.* capit.32. Nominum ſignificationi ſiſtendum nobis, qui de nominum agimus mutatione. *Iacob ſupplantator, Iſrael videns Deum.* In huiuſce loci intelligentiam præmiſſo luxuriem, & ſupplantationem, dolum, atque mendacium copulari. Bed. Iezabelem affirmat *fluxum ſanguinis* ſeu carnis appellari, idemque vocabulum *cohabitatricem*, & *ſterquilinium* inſonare dicit. En luxuriei dolos. Fluxus hic carnis ſterquilinio immundior cùm ſit, nobiſcum cohabitat in delicias, aſtu equidem potentiſſimo. Vnde luxuriem ſupplantatricem, deceptricem, dolorum matrem conuenienter appellarim. Iam D. Thomæ acumen pulchrum init huius teſtimonij expoſitionem. *D. Thom.* Tetigit Angelus neruum femoris eius, neruus emarcuit. *Quia ſcilicet carnalis concupiſcentia, quæ viget in femoris imo, ad tactum Dei marceſcit.* Ecce circunciſionis myſticæ gladius reſecans à Iacobo myſtico voluptates. Quid plura? *Non*, pergit Doctor, *ſupplantator hominum es, imò Princeps cum Deo.* Compreſſo igitur vitio, cuius geris imaginem, nomen mutetur neceſſe eſt. Non iam ſupplantatrix maculatio ſupplantatoris tibi nomen indat, ſed mundicies noua te Iſraelem, Deum ſcilicet videntem appellet. Quia mundo corde, & corpore Dei viſionem attingunt. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.*

Iam quartum illud myſterium minimè Salomoni videbitur inſcrutabile. *Via* ſcilicet *mulieris adulteræ, quæ abſtergens os ſuum, dicit, Non ſum operata malum.* Prouerb.30. Abſtergit, inquam, os pœnitentiæ lauacro. Vnde & opus abluit, & nomen, altera omnino reſurgens. Hinc Ambroſ. l. de ſal. c.4. *Meretrix iſta Eccleſiæ typus eſt, aliquando in gentibus conſtituta, idolorum cultibus vitiata. Hanc poſtquam Dominus noſter Ieſus Chriſtus puro fonte perfudit, ablutionem, & criminis accepit, & nominis.* Nec enim crimina expiantur, quin priſtini nominis aboleatur infamia. Taxantur hinc fœminarum, ſeu virorum à fœditate priſtina recedentium obiurgatores? 44. *Crimine abluto expiatum & nomen. Prouer.30. Ambroſ.*

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

## OBSERVATIO II.

Ad illa verba,

### *Vocatum eſt nomen eius Ieſus.*

### Dum in homine ſpiritualiter circunciſo minuitur carnalis voluptas, increſcit poſteritas.

*Vbi de puritate coniugali fœcunditatis parente.*

INſto adhuc Abrahami exemplo. Haymo ſic: *Abraham augmentum nominis ſui à Domino promeruit, vt qui antè vocabatur* Abram, Pater excelſus, *die circunciſionis vocaretur*, Abraham, Pater multarū gentium. *Similiter & Sara die circunciſionis viri ſui amplificationem nominis ſui promeruit, vt quæ antea vocabatur* Sarai, Princeps *tantùm, poſtmodùm vocaretur* Sara *id eſt*, Princeps *omnium credentium.* Quid in circunciſione, ſecundùm Cyprian. niſi voluptatum reſecatio innuitur? Circunciſus myſticè Abraham, ſiue a voluptatibus abſtractus, qui Pater excelſus ſolummodo, iam Pater multorum apparet, eam, quæ Princeps tantùm aderat, omnium credentium Principem efficiens. Proh coniugalis puritas parens fœcunditatis! Vulgaris hinc apud noſtrates æquiuocatio nominis vtriuſque. *Caſta* ſeu pura, & *Caſta* ſiue proles. Vbi puritas caſtitatis, inibi plerumque prolis abundantia. 45. *Puritas myſtica Abrahamū multorum parentem effecit. Haym.*

David, *Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus.* Pſal.2. Vbi Caſſiod. à vitiis noxiis nobis recedendum affirmat. Aliter carmen 46. *Puritas amans coniux filiū ſtipatur. Pſal.2. Caſſiod.*

men effertur: *Oſculamini puritatem, ſeu Oſculamini filios.* Quid, quæſo, cum filiis puritati? Profectò is puritatem oſculatur, qui ſectatur cordis ac corporis munditiem, quique diligit caſtitatem. At huiuſmodi puritatis amans filios oſculabitur; quia caſtitas coniugalis mater equidem filiorum.

47. *Cõfirmatur.* Matth. 16. Eandem Saluatoris ſententiam à Matthæo, & Marco accipite: *Omnis*, inquit ille, *qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios propter nomen meum, centuplum accipiet.* Matth. 19. Hic autem, *Nemo eſt, qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut filios propter me, &c.* Marc. 10. Nonne vides Marcum vxorem prætermiſſe? Beda: *Non innuit, vt ab vxoribus ſeparemur.* Vult Deus viros cum vxoribus habitare, ideo Marcus de ſeparatione ab vxore nullatenus fecit memoriam. At cur Matthæus huiuſmodi ab vxore ſeparationem prædicat? Immoderatum omnino curat amorem reſecari, voluptatéſque eas à licitis matrimonij amplexibus cohiberi, è quibus fortaſſe prohibita libido poteſt ducere exortum. O quàm merito vtrobique mentio peragitur filiorum! *& filios.* Quia caſtos nuptiarum amplexus filiorum turba conſequitur. Illud expende, *Centuplum accipies.* Num centum vxores, ſicut centum filij pro vnico filio recipiuntur? Profectò vſura hæc in vxore argueret in marito turpitudinem; vnde ſemper vnica vxor matrimonij fidem illuſtrat. At filij tunc potiori iure acceſcent, multiplicabuntur, ac ſi centum vxoribus fides præſtaretur; quia ex caſto connubio natorum familia coacervatur.

Marc. 10. Beda.

48. *Caſtitas diſpoſitio ad vbertatem eliingy.* Cant. 2. Bernard. Annon turtur caſtitatis coniugalis exemplar? *Vox turturis audita eſt in terra noſtra, tempus putationis aduenit.* Can. 2. Ad quem locum Bern. *Vox*, inquit, *turturis prædicatio caſtitatis.* Leges inquam caſto præſcribit coniugio. Num hinc penuria filiorum? *Tempus putationis aduenit.* Caſtitatis prædicatio vitis beneficium eſt. Cuiuſnam vitis? Illius vtique, de qua Vates. *Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. Filij tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ: & videas filios filiorum tuorum.* Pſal. 127. Turturis igitur vox, ſeu coniugalis caſtitatis præconium vitis ſiue vxoris beneficium eſt, cultura eſt ad filiorum parturitionem.

49. *Puritas & fœcunditas ad nuptias inuitantur.* Ioan. 2. Beda. Ieſus & Maria ad Canæ nuptias inuitantur. *Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ, & erat Mater Ieſu ibi, vocatus eſt autem Ieſus.* Ioan. 2. Et cur duo Eccleſiæ luminaria pro nuptialibus facibus inibi ſuccenduntur? Num vt nuptialis thalamus commendetur? Bedam audite: *Quia bona eſt caſtitas coniugalis, à nuptiarum celebratoribus inuitatus, hos præſentia ſuæ virtutis honorat.* Pende hæc proxima verba: *ſuæ virtutis.* Omnia Ieſus ſol verus producit omnium vtique rerum parens. Chriſtus & Deipara nuptiis adſunt, & fœcunditas in Creatore, & caſtitas effulget in Virgine. Vbi puritas, inibi aſſolet fœcunditas domicilium præparare. Animis adeſtote, ô fœminæ, prolis cupidæ, vti matrum ornemini appellatione, ad veſtras nuptias Ieſum & Mariam inuitate. Præcedat puritas, *Et erat Mater Ieſu ibi*; fœcunditas ſequetur, *Vocatus eſt autem Ieſus.*

50. *Venter tuus*, Sponſus ait, *aceruus tritici vallatus liliis.* Cant. 7. Vbi Honor. per Eccleſiæ ventrem quartum intelligit ordinem, id eſt, matrimonio coniunctos. *Quartus*, inquit, *ordo ſunt vxorati, qui vtuntur hoc mundo tanquam non vtantur, qui per ventrem demonſtrantur. Vtuntur*, inquam, hi *mundo tanquam non vtantur.* Hoc eſt, *habent vxores tanquam non habentes*, ſolummodo vſi voluptatibus, vt dent operam neceſſariæ multiplicationi. *Vallatus liliis, id eſt, ſtipatus virginum choris.* Ex caſto etenim connubio non ſolum multi filij habent exortum; ſed oriuntur ſanè virginitatis candore decorati. Id quod caſto vtero deberi, quis dubitet?

*Coniugium caſtum aceruus tritici.* Can. 7. Honor.

# OBSERVATIO III.

## Ad illa verba:

## *Vocatum eſt nomen eius Ieſus.*

## Saluus Dux appoſitè pro aliorum ſalute decertat.

### *Vbi de Euangelij Miniſtro priùs propriæ ſaluti incumbente.*

51. Cyprian. NOn priùs *Ieſus* ſiue *Saluator* ab hominibus appellatur, quàm circumciſionis cultro vulneraretur. Bene Cyrill. *Vocatum eſt nomen eius Ieſus, quod interpretatur* Saluator. *Editus enim eſt ad totius mundi ſalutem, quam ſua circumciſione præfigurauit.* Et quid eſt mundi ſalutem Ieſu circumciſione fuiſſe præfiguratam? Puerum equidem circumciſione ſubijci non obſcurum extitit documentum, eum mundi futurum Saluatorem. Tunc enim aptus ſalutis miniſter, cùm priùs ſibi conſulens, ſpiritualis circumciſionis vacauit ſtudio; vt ſaluus ipſe aliorum ſaluti operam impendat. Plutarch. in Pelo. *Ducis ſumma laus eſt, vt ſaluus ipſe vincat alios, patriam liberaturus.*

### Capvt I.

### *Non priùs infans appellatur Saluator, quàm vulnus ſuſtineat.*

52. *Ieſus cum ſanguinem fundit Saluatoris nomine inſignitur.* Exod. 2. DOminus recens natus pueri notatur appellatione. *Inuenietis Infantem*, non Ieſu cognomine nobilitatur. Nonne lachrymas profundens, vagitibus percutiens æthera, incipiebat eſſe Saluator? Quare igitur mox nomen ſalutare non accepit? Moyſem (reſpondeo) non ſemel contemplatus ſum fragili cymbâ aquis inuectum, emittentem eiulatus. Exod. 2. Num cùm lacrymas effundit, populi in captiuitate commorantis ſaluator extitit? Minimè. Hic erenim ſalutis impertiendæ triumphus non lacrymarum aquis, ſed circumciſionis ſanguini erat reſeruatus. Poſt vulnus circumciſionis Moyſes ad Ægyptum redit populum liberaturus.

Non

53. *Superfluorum reſecatio prædicationem præcedat.* Can 2. Orig.

Non priùs ſalutarie vox à magiſtro exaudiatur, quam circuncisionis gladio ſuperflua è vite reſecentur. *Surge*, inquit Sponſus, *& propera amica mea, & veni; iam enim hyems tranſiit, imber abiit, & receſſit, tempus putationis aduenit, vox turturis audita eſt in terra noſtra.* Cant. 2. Sic exponit Origenes: *Vbi hæc cuncta diſceſſerint, hyems vitiorum, ac peccatorum procella, deſideriorúmque tempeſtas effugerit, tempus putationis aduenerit, & ſi quid ſuperfluum, & minus vtile fuerit in ſenſibus, vel intellectibus, reſecabitur: Tunc vocem turturis, audiet anima, illius ſine dubio ſapientia, quàm diſpenſator verbi loquitur.* Magiſter enim propriæ perfectionis ſtudio præmiſſo, facile proximos ad ſpirituale conſortium alliciet.

54. *Inſeratur prius concionatori verbum.* Iac. 1.

Eodem omnino reſpectu Iacobus admonuit: *Suſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſaluare animas veſtras.* Cap. 1. Vbi verbum poteſt dupliciter *inſitum* appellari, vel quia fidelibus inſeritur, vel quia iam *inſitum* eſt ante huiuſmodi ſecundam inſitionem. Suſcipite verbum vobis inſerendum, Euangelica prædicatione clamante, ſed verbum quidem, quod prius inſitum eſt, dum prædicator, præmiſſo vulnere in veterum ramorum expoliationem, verbum accepit iteratò fidelibus inſerendum. Strab. *Suſcipite inſitum verbum, quod veſtris cordibus prædicando imponimus, verbum, quod inſitum eſt, ſuſcipite, & operibus implete. Quod certè poteſt ſaluare animas veſtras.* Saluus enim ipſe concionator (vt cum Plutarch. loquar) appoſitè Saluator ipſe proximis exiſtit ſalutaris.

Strab.

55. *Moyſi exemplum.* Exod. 3. Ambroſ.

Moyſes futurus Hebræorum Saluator audiuit, *Solue calceamentum de pedibus tuis.* Exod. 3. Ambroſ. *Nihil in nobis Dominus mortale vult eſſe, & ideo calceamentum ſoluere iubet, cum mittitur Moyſes ad populum liberandum.* Quàm ineptè non liber alios donabit libertate!

56. *Confirmatur.* Exod. 2. Nyſſen.

Conſtitutus apud Ægyptum idem Moyſes, eorum, qui rixabantur, ſalutem procurat, quod tamen non potuit præſtare. Quid cauſæ? Reſpondet D. Greg. Nyſſen. apud Lipom. *Moyſes antequam perfectiori ſe virtute firmauerit, duos inter ſe contendentes homines conciliare nequiuit.* Quid autem poſt mortificationis ſtudium? *Poſtea cum ſibi ipſi longo temporis ſpatio vacauit, à multis hominum millibus facilè in protectorem recipitur.* Vt non iam duorum hominum, ſed mundi Saluator nominaretur.

57. *Et Pauli.* 1. Cor. 9. Chryſoſt.

Quàm bellè Paulus! *Omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos.* 1. Cor. 9. Chryſ. ex Græco: *Vt omnino ſaluos facerem.* Quid *omnino?* Ego equidem omnibus omnia factus, in omnibus, & ſingulis habito, commoror, quia nec omnes, nec ſingulos volo ſaluos fieri ſine me. Nullius ſaluti inuigilabo, quin ſimul propriæ ſaluationi incumbam. Sic ingenioſè Bernard. *Inſtar illius, qui omnibus omnia factus eſt, colligat te intra ſe ſinus, qui omnes recipit.* Quid ſi omnes ſine te ſalutari ſinu recipiantur?

58. *Aſcende ad montem Saluator.* Abd. 1. Hieron.

*Et aſcendent*, Prædixit Abdias, *Saluatores in montem Sion, iudicare mõtes Eſau, & erit Domino Regnum.* Cap. 1. Ad quem locum Hieron. *Saluator Apoſtolos ſuos mundi eſſe voluit Saluatores, qui aſcenderent ſpeculam montis Eccleſiæ, & deponentes ſuperbiam Iudaicam, vniuerſorumque montium, qui aduerſum ſcientiam Dei erigebantur, Regnum Domino parauerunt.* Prius Iudaicam ſuperbiam deponent, & aſpera quæque ad vias planas adducent, quàm Euangelicæ ſtructuræ ſtatuant fundamina. Sequentes Lothum montem ipſi ſcandant, vt *ſalui* ipſi aliorum ſaluti operam impendant.

---

## CAPVT II.

### *Ieſuitæ propria ſaluti vacant, vt proximorum ſaluationi incumbant.*

59. *D. Ignatij monitum.* Ignat.

DVcem ſuum Ieſuitæ ſequuntur; & propriæ prius ſaluti, ac perfectioni ſtudent, & proximorum mox ſaluti, & perfectioni operam impendunt, id D. Ignatio Ex. c. 1. §. 2. præſcribente: *Finis huius Societatis eſt, non ſolum ſaluti, & perfectioni propriarum animarum cum diuina gratia vacare; ſed cum eadem impensè in ſalutem, & perfectionem proximorum incumbere.*

60. *Prius ædiſcit Ioſue.* Exod. 33. Ambroſ.

Et quando Ieſu alumnus propriam prius ſalutem non edocetur, quam mundo ſalutaris exiſtat? Sit tibi antiquus ille Ieſuita in exemplum. *Ioſue filius Nun puer Moyſi non recedebat à tabernaculo.* Exod. 33. Ad quem locum Ambroſ. 2. offic. *Nec exibat de tabernaculo iuuenis*, vti ſcilicet propriæ ſaluti ſtuderet. Quid inde? *Meritò vir huiuſmodi euaſit, vt ſiſteret fluminum curſus, diceret: Stet ſol. & ſtaret ſol.* Vt lux diuturnior populo exiſteret ſalutaris.

61. *Prius aqua ſpiritu repletur.* Gen. 1. Hieron. Auguſt.

Et quidem ſpiritu principali fouendus prius eſt, qui vt proximos confoueat eligitur. *Spiritus* olim *Domini ferebatur ſuper aquas.* Gen. 1. Hieronym. *Fouebat aquas*, auis in morem oua confouentis, vt illas redderet vitales. Cauſam D. Auguſt. l. 1. de Mirab. exhibet profatus, *Per aquam diluere maledictionem parauerat, quod per Baptiſmum indulgetur.* Superueniente Spiritu ſancto, viuat, quæ vitam miniſtratura eſt.

62. *Vas Ieſuitæ prius oleo plenum.* Act. 9.

An non ô Ieſuita, *oleum effuſum* Ieſu nomen? Vas ergo oleo ſalutari prius impleri cura, quod lampadi ad orbis illuminationem infundatur. Paulus electionis vas, vt ſalutare Ieſu nomen importet. *Vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coram Regibus.* Act. 9. Illud pondera: *Vas eſt mihi iſte.* Deo prius ſtatuitur vas implendum; mox coram Regibus profertur illuminaturum. Quid prudentes illæ? *Ne fortè non ſufficiat nobis, & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis.* Matth. 25. Vbi Bernard. Serm. 18. in Can. *Charitas vult abũdare ſibi, vt poſſit omnibus.*

Matth. 25. Bernard.

63. *Miles Ieſu prius gratia confirmatur.*

Expendas, obſecro, vocis huiuſce vim: *Finis huius Societatis.* Huius nempe exercitus. Arma ciet, lituo perſonat, bellum indicit, in Martem ruit Ieſuita, aduerſus errores, vitia, ſceleſtos homines, morum corruptelam, inimicos Dei, inferni furias prælium committit. Audi Apoſtolum ſic fortem diſcipulum inſtruentem: *Tu ergo fili mi, confortare in gratia, quæ eſt in Ieſu, labora ſicut bonus miles Chriſti.* 1. Tim. 2. Vbi D. Thom. *Officium Prædicatorum, & Doctorum eſt officium militum, in quantum ſurgunt contra hoſtes, & vitia.* Prius ergo ô miles, *confortare in gratia, quæ eſt in Ieſu.* Propriæ, inquam, ſaluti, ac perfectioni vaca, iuxta Ieſu præſcriptionem; mox autem *ſicut bonus miles labora*, ſaluti, ac perfectioni proximorum incumbens. Confirmat id Paulus inquiens ad Titum. *Vt potens ſit exhortari in doctrina ſana.* Cap. 1. Sana ſit doctrina,

1. Tim. 2. D. Thom. Tit. 1.

Hieron.

ctrina, quæ ſalutem, & ſanitatem adferat proximis; Vt autem ſana, ſiue ſalubris prædicatio ſit, potens miles, ſeu propriæ ſaluti inſudans oſtendatur. *Talis* enim potens miles (ait Hieronym.) *eligendus eſt, qui poſſit exhortari, & contradicentes arguere in doctrina ſana, quæ ſanat audientes.*

64. *Prius cuſtodiunt ſcientiam.* Malac. 2.

Militiæ huiuſce Sacerdotes illud Malachiæ ſibi indictum exiſtiment: *Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirunt ex ore eius.* Prius cuſtodiunt ipſi doctrinam, mox aliis cuſtodiendam tradunt. Quare? *Quia Angelus Domini exercituum eſt.* Cap. 2. Ducis Ieſu Socius, miles Dominici exercitus proprio ſtudet robori priùs, quàm proximo ſalutaris exurgat. D. Hieronym. *Non dixit:* Proferunt ſcientiam, *ſed,* cuſtodiunt, *vt loquantur in tempore.* Conteſtatur Paul. *Inſta opportunè, importunè,* 2. Tim. 4. Beda, *Importunè* ad auditorem; *Opportunè* autem ad miniſtrum adaptat. Quaſi *opportunè* accedat ad importunas preces, qui prius propriæ ſaluti operam impendit.

Hieron. 2. Tim. 4. Beda.

65. *Non ii à Societate deturbatur.*

Age verò, Ieſuitæ; qui propriæ ſalutis, & perfectionis ſtudium parui pendentes, proximorum ſaluti inuigilant, aduersùs hoſtes alienos pugnam inſtituentes, inermes miſerè à Societate recedunt. Tribus Ruben, Gad, & Manaſſes ſe ſe aliis tribubus offerunt pugnaturæ in terræ promiſſæ acquiſitionem huiuſmodi pactione, quod ſibi poſteà retrocedendum eſſet, vt non in terra acquiſita conſiſterent; ſed rurſum citra Iordanem permanerent. Num. 32. Ad quem locum Lyran. in tribu Manaſſe, quod quidem nomen idem eſt ac *Obliuio*, Religioſos exprimi affirmat. *Iſti, inquit, laborant pro aliis, vt habeant terram promiſſionis, ipſi tamen hac ſalute priuantur in perſonis propriis.* Quæſtionem excitat Auguſt. *Quomodo arca tam magna à quatuor hominibus Noe, & filiis eius centum annis potuerit fabricari?* Et reſpondet; *Non erat magnum fabros alios adhibere, qui operis ſui mercede accepta non curarent, vtrum eam Noe ſapienter; an verò inaniter fabricaret. Et ideò non in eam intrauerunt.* Quando non depetit Manaſſes, ſeu religioſus, qui propriæ ſalutis ac perfectionis oblitus, pro aliis, militum mercenariorum more, concertat: aliiſque conſtruit arcam, ipſo citra Iordanem conſtituto, intra diluuij aquas ſubmergendo?

Num. 32. Lyran.

Auguſt.

# OBSERVATIO IV.

Ad illa verba:

*Vocatum eſt nomen eius Ieſus.*

## Quare hodie Ieſus ſub peccatoris habitu appareat?

*Vbi de Euangelico Miniſtro ſub ſeculari aut materiali, aut myſtico indumento proximis ſalutari.*

66. NVM bene conueniunt, & in vna ſede morantur circunciſio, & Ieſus: Peccatoris habitus, ac ſalutaris effectus? Conueniunt, morantur. Ieſus etenim ſub peccatoris indumento mundi extitit Saluator. Memini equidem Græcos prudenti aſtu armis Troianorum indutos, faciliùs ipſos hoſtes habitu ciuico, vulnere hoſtili debellaſſe. Haud aliter Ieſus eiuſque Socij inter Eccleſiæ teterrimos hoſtes, inter hominum deprauatorum turbam ſæculari indumento mundo ſalutares exurgunt.

---

### CAPVT I.

*Ieſus ſub peccatoris habitu potentiam diſsimulans mundum ſaluat.*

67. *Sub communi habitu Ieſus ſaluat.* Luc. 16.

TAxatur iniuſtè Dominus, *quod ad hominem peccatorem diuertiſſet.* Luc. 16. Proh hominum dementiam! Suſpicamini ne communi indumento Chriſtum peccatorum ſpurcitiis inquinari? *Habitu inuentus vt homo,* peccator aſpectu, vt admiſſus ab hoſte, expugnata malitia hominis naturæ ſalutaris extitit. Ad rem Chryſol. Serm. 4. *Tu ergo qui reprehendis, qui murmuras, cur ad peccatorem diuertat Chriſtus? Vtam ſaluatis, miſericordiæ ſpem de tali ingreſſu cape.* Tunc etenim ſpes ſalutis, cùm ſub communi habitu Ieſus medius inter hoſtes apparet.

Chryſol.

68. *Piſcatores ſub piſcatoris capit indumento.* Matth. 4. Raban. Strab.

*Ambulans Ieſus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres.* Matth. 4. Ad quæ Raban. *Mare Galilææ idem eſt, quod ſtagnum Geneſareth, mare Tiberiadis, & lacus ſalinarum;* vbi ſcilicet piſces ſale condiebantur, piſcatorum equidem domicilium. Qui te ò Domine, apud piſcatorum aſpiceret habitacula, procul dubio putaret piſcatorem. Pulchrè Strab. *Decenter per piſcatoria vadit loca piſcatores piſcaturus.*

69. *Cum peruerſis vt peruertatur.* Pſalm. 17.

Quid canit Dauid? *Cum ſancto ſanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & cum peruerſo peruerteris.* Pſal. 17. Hæc proxima verba expendo, *Cum peruerſo peruerteris.* Quiſnam hic peruerſitate laborans? Hieron. *Peruerſi autem dicuntur, qui de recto declinant ad peruerſitatem, vt Hæretici.* Iam quæris, quonammodo Deus cum peruerſo Hæretico peruertatur? Exiſtimo tunc Deum cum Hæreticis peruerti, quando quiſquam Ieſu miniſter eorum externum ſimulat prudentiſſimo aſtu indumentum, vt illorum ſaluti, erroribus ablegatis, proſpiciat. Acutè Hugo Card. *Cum peruerſo peruerteris, id eſt, ad modum peruertentis Hæretici ſe habes.* Vt ſcilicet peruerſos omnino à peruerſitate eripias.

Hugo.

70. *Noſtra captiuitatis induit inſignia.* Col. 2.

Nonne Chriſtus hoc aſtu Principatus, ac Poteſtates, ſiue primores peccatores, delictis deletis, liberauit? *Spolians,* ait Paul. *Principatus, & Poteſtates, traducet confidenter, palam triumphans eos in ſemetipſo.* Col. 2. Sub ſpecie namque peccatoris & peccata debellat, & peccatores ad meliorem frugem adducit. Id Anaſt. Sinait. 3. de rec. fid. dog. adnotauit. *Oportebat eum qui verè, & ſecundum naturam Rex noſter erat, nos, qui tyrannico*

Sinaſ.

*tyrannico imperio premebamur, non deſerere impranſos, ſed inſignia noſtra captiuitatis ſibi induere, vt diſrupto pariete, ante nos ingreſſus, ad ſe traheret ipſos congeneres.* Vt ſcilicet eos verus Ieſus ſalute donaret.

71. *Sic Angeli Sodoma euertunt voluptates.* Geneſ. 19.

Angeli (ſeu Trinitas beatiſſima) quondam ſub peregrinorum ſpecie, forma elegantes ſunt Sodomam ingreſſi. Gen. 19. Quibus ſi obiicias, quid ſibi velit, iuuenes pulcherrimos ad deprauatorum hominum vrbes diuertere, quos proculdubio Sodomitica libido deprauare contenderet? Mox occurrerent Angeli ſe ſub delectationis indumento ipſa deſtructuros infanda delectamenta, ignique extinctis hoſtibus, domui iuſtorum futuros ſalutares. *Per quod,* inquit Strab. (Strab. Prouer. 21.) *deſignatur, quod homo iuſtus ſtudet alios ducere ad iuſtitiam iuxta illud* Prouerb. 21. *Excogitat iuſtus de domo impij, vt detrahat impios à malo.* Pondera illas particulas: *Iuſtus ſtudet, excogitat iuſtus. Studet,* inquam, quonam modo in hoſtes irruens, poſſit peccatores ſaluos efficere, *cogitat* exquiſitos decertandi modos, mente euoluit, vtrum ſub ſæculari ſpecie valeat ad ſe trahere peccatores?

72. *Sic Iudith luxuriem debellauit.* Iud. 10. Auguſt.

Huiuſcemodi prudentiâ Iudith legimus fuiſſe donatam. Populo oppreſſo, conatur victoriam adipiſci, dum hoſtilis exercitus caput obtruncat. *Illa,* inquit Auguſt. *obiecta formidine fœminarum, victoriam in periculis quærens, nec mortem in periculis timuit, nec ambiguitatem formidauit.* Ad caſtra hoſtis acceſſit, vt inter ipſa pericula latentem coronam abriperet. Quibuſnam viribus? Quibuſnam armis? Nonne Imperator luxuriei igne conflagrans? Indumenta igitur honeſtæ viduitatis abiiciat, iucunditatis, ac delectationis veniant ornamenta. *Lauit corpus ſuum, & vnxit ſe myro optimo, & diſcriminauit crinem capitis ſui, & induit ſe veſtimentis iucunditatis ſuæ,* Cap. 10. Quò tendis viduarum caſtiſſima? Veſtimentis veteris iucunditatis, artificio pulchritudinem ornas, cùm ad militem impudentiſſimum properas? O fœminarum decus! Debellatura impudicitiæ delectationem, ac iucunditatem, delectationis, ac iucunditatis indumentis ornata aggrederis? Auguſt. (Auguſt.) *Conſurgens, abluit aqua corpus ſuum, imponens ſibi ornamentum, pendulas aureas diuiſas ſuſpendit, & manibus lapillatos circulos ſplendentes induxit, fluentes ſinus purpureæ veſtis gemmato collegit pectore, caſto vultu prius dimicatura, quam ferro.* Quid plura? *At conſilium tela pudoris ſemper aduerſa hoſtem ferire didicerunt.* Pulchrè planè,

## Caput II.

### *Ieſuitæ ſæculari apud Hæreticos, & Gentiles indumento vtuntur, vt hæreſes & idololatriam extinguant.*

73. *Angli, & Hiberni ſocietati ſub ſeculari habitu congeneres liberant.* ...

Hinc communis habitus meæ Societatis inter peccatores degentis, ſiue ad Anglos, Hibernoſque ſub ſecularibus ipſorum indumentis permeantis; ſiue ad Iaponios, Sinas (veſtitu, aut miniſterio ſimulato) pergentis, vt Ieſum, vt fidem cordibus hominum immittat, in honore proculdubio habebitur, præconiis celebrabitur. Vos, fortiſſimos milites Anglos, Hibernos teſtor ad veſtros congeneres ſub communi indumento ſæculari feſtinantes, vt ad fidem Catholicæ veritatis adducatis. Nonne ducem Ieſum ſecuti, patriam ingreſſi, inſignia Anglicanæ, Hibernicæque captiuitatis induentes, ad vos, ſeu potiùs: ad Ieſum *trahitis vobis congeneres,* vti Sinaita adnotauit? (Sinait.)

74. *Indumenta ſecularia reſumunt Moyſis in morem.*

Ab Anglicano incendio nobiles adoleſcentes eripiuntur, ſub Societatis degunt magiſterio, noſtræ non ſemel militiæ dant nomina, & habitu, & ſæcularibus habitibus omnino ſpoliantur, nouum vtrumque habitum induentes. Rurſum Angli, Hiberníque Ieſu milites, cœleſtis Angeli ad palæſtram vocantur, ad Babylonicam fornacem redeunt, vti poſſint congeneribus ſalutares exiſtere. Quid plura? Reſumere Anglica Hibernicáque indumenta ſæcularia iubentur, vt prauitatis (ſic fari liceat) exuuiis exteriùs induti, prauitati ſint exitiales, proximos adducant ad ſalutem. *Solue,* Moyſi Deus, *calceamentum de pedibus tuis, terra enim, in qua ſtas, terra ſancta eſt.* Exod. 3. Ambroſ. (Exod. 3. Ambroſ.) *Vocaturus populum ad Dei Regnum, prius carnis exuuias deponere iubetur.* Sæcularibus ſe omnino exuit habitibus apud Religionis deſerta conſtitutus. At in patriam Ægyptum reuerſurus, vt congeneribus Hebræis ſit ſalutaris, indumentum ſæculare reſumit. De quo myſticè expono Exodi illud: *Et calceamenta habebitis in pedibus.* Cap. 12. Hieron. (Exod. 12. Hieron.) *Paſcha facturi calceamenta habere iubentur in pedibus. Apoſtolus calceatos prædicat pedes eorum, qui in Euangelium præparantur; ne dum per ſæculi huius, Ægyptum dixerim; graditur ſolitudinem, venenatis pateant animantibus, quæ debent Euangelico pede calcari, & conteri.* Eo Moyſes accedens ad ſanctam Religionis terram calceamento ſæculari ſpoliatur. Ad Ægyptum autem reditum paraturus, ſæculares reſumit exuuias ad animantium venenatorum, hæreſum ſcilicet conculcationem. Tunc enim facilius errores comminuuntur, quando miniſter Euangelicus futurus redemptor ſub redimendi, miſerandique ciuis graditur indumento.

75. *Aaronis virgam imitantur.* Exod. 7.

O quam ex hoc cruciformes Ieſuitæ! Virgam præfert Moſes ſalutis inſigne, crucem Saluatoris referentem. *Tulit Aaron virgam coram Pharaone, & ſeruis eius, quæ verſa eſt in colubrum.* Exod. 7. Proh ſerpentis aſtus! Nonne virga in ſerpentem verſa Ægyptiorum ſerpentes abſumpſit? Hæc ſapientia crucis, ſub errorum indumento errores comminuere, ab hæreſibus victoriam reportare. Pulchrè Origen. hom. 4. (Origen.) *Crux Chriſti, cuius prædicatio ſtultitia videbatur, conuerſa eſt in ſapientiam, vt omnium Ægyptiorum huius mundi ſapientiam deuoraret.* Pende illud: *Conuerſa eſt in ſapientiam.* Hoſtium indumento operiri ſapientiſſimus proculdubio eſt aſtus. Id quod cruciformes Ieſuitæ quotidie præſtant ſub ſæculari ſerpentium habitu occiſuri ſerpentes.

76. *Et apud gentiles idololatriam dimicant.*

Quid de militibus Ieſu ad Iaponias inſulas, ad Sinarum Regna, aliaſque Gentilium Prouincias ſub ſæculari tegmine, vt eas ad fidem adducant proficiſcentibus atrexam? Mirabile medicamentum illud idololatriæ à Moſe adhibitum: *Arripiens vitulum, combuſſit, & contriuit vſque ad puluerem quem ſparſit in aquam, & dedit ex eo potum filiis Iſrael.* Exod. 32. (Exod. 32.) Et quare redacto in pulueres capite vituli, filij Iſraël

aqua

aquâ illâ epotantur? Reſpondet Interl. pulueres Hebræis in idololatriæ medicamen adhibitos. Vt videlicet vitulus vitulo eſſet exitialis. Mentem expendam. Auri tegmine amariſſima pilularum medicarũ maſſa induitur ægritudini exitium paritura. Haud aliter ſub aurei pulueris indumento præſentiſſimum adeſt medicamen aduerſus exitiales vituli errores. Vt medicus ſub idololatriæ veſtitu idololatriam omnino comminuat.

77. Vidiſti Xauerium ſanctiſſimum Ieſuitam ad Sinarum Regna ingreſſum meditantem ſub mercatoris indumento? Nonne piperis præparari mercimoniam curauit, vt pretioſas Sinarum margaritas Dominici Sanguinis pretio compararet? Quàm appoſita tunc mercatoris ſpecies! *Vidit* Ieſus *hominem ſedentem in telonio.* Cui inquit, *ſequere me; & ſurgens ſecutus eſt eum,* Matth 9. Vbi eleganter Chryſol. Serm. 29. *Matthæus non ſubtrahitur operi, ſed mutatur, & telonium magis ſuſcipit, quàm relinquit, vt mãſura Deo, non homini peritura conquirat.* Sub mercatoris ſæcularis habitu iam animarum mercator exurgit. Accommodata equidem mercatoris ſpecies ad margaritas Euangelicas comparandas. O quàm verè Societas noſtra ſeu apud Anglos, ſeu apud Gentiles ſub ſæculari indumento ad maiorem Ducis Ieſu gloriam latitans, poteſt cum Seneca Epiſt. 2. inclamitare, *Soleo & in alienacaſtra tranſire, non tanquam transfuga, ſed tanquam explorator.* Vt hoſtes ad cœleſtis Imperatoris exercitum adducam.

*Xauerius, apud Sinas ſub mercatoris indumento certamen inſtituit.*
Matth. 9.
Chryſol.
Senec.

# OBSERVATIO V.

Ad illa verba:

## *Vocatum eſt nomen eius Ieſus.*

## Ieſu nomen minimè inane.

*Contra vanam nomenclaturam.*

78. NON iam perſona ſolummodo ſalutis appellationem adipiſcitur, ipſum Ieſu *nomen vocatum eſt Ieſus.* Pone, diſſerendi gratiâ, nomen *Ieſu* poſſe à perſona Chriſti ſeparari. Ipſum nomen eſt ſalus? Mundo ſaluatio ex nudo nomine emanaret? Ex ſequentibus perſpicuum reddam.

### Capvt I.

*Ipſum Ieſu nomen, perſonæ inſtar; meritò Ieſus appellatur.*

79. MOriturus Iacob *adorauit Dominum conuerſus ad lectuli caput.* Gen. 47. LXX. *Adorauit Iſrael ſuper ſummitatem virgæ eius.* Eius, inquam, qui Saluator Ægypti nuncupabatur, cuius nomen laminæ inibi aderat inſculptum, ſicuti virgæ magiſtratuum apud noſtrates aſſolent crucis ſigno notari. Quæritur, cur non virgæ medietatem, ſed ſummitatem ſolummodo adorarit? Variè Patres quæſtioni ſatisfaciunt. Ego in præſenti iis adhæreſcens, qui in virga illa Crucem Dominicam venerantur, (inter quos Damaſc. l. 4. fid. c. 12.) dixerim apud virgulę medietatem cruci ſuffixum innui Saluatorem *ſuper ſummitatem* verò crucis titulum conſpici: *Ieſus Nazarenus.* Vt igitur Iacob, qui mox erat inclamaturus, *Salutare tuum expectabo Domine,* ſalutem expectaret, tam velox ad Ieſu nomen accurrit, ac ſi ad perſonam properaret. Siquidem nomen Ieſu *ſuper* Crucis *ſummitatem* fulgurans ſalutem morituro impertiretur. Licet enim nudum Ieſu nomen abſque Dominicæ perſonæ reſpectu haud poſſit ſalutem operari, attamen ſalutari Ieſu nomini Chriſtus quaſi commiſit ſalutis operationem, vt inuocatum ſaluet; quia *vocatum eſt*, perſonæ inſtar, *nomen eius Ieſus.*

*Iacob ſalutē ex nomine Ieſu expectauit.*
Gen. 49.
Damaſc.

Vulgariter circunfertur ſalus illa Ioſue temporibus obueniens Hebræis, ſole conſiſtente. 80.
Ioſ. 10. Quiſnam huiuſcemodi ſalutem eſt operatus? Ieſu Naue perſona, an Ieſu Nazareni nomen? Profectò ſalus illa à ſalutari prorſus Chriſti Ieſu nomine promanauit. Pulchrè D. Baſil. Sel. Orat. de tranſ. *Conſtitiſti,* inquit, *Sol aliquando victoriam Hebræorum expectans, veritus es Ieſum ducem, qui imperauerat in conſeruo, honorans Domini appellationem.* Multa hinc moderni de Ieſu nomine hauriunt præconia, quibus adiicio ſolem hunc tam nouo, quam ſalutari effectu non modò ducis Chriſti perſonam honoraſſe, quam reuerebatur, *veritus es Ieſum ducem;* ſed quodammodo ſoli nomini Ieſu, quod quidem à perſona Chriſti virtutem trahebat, voluiſſe illam tunc temporis deberi ſalutem. *Honorans Domini appellationem.*

*Sol olim nominis Ieſu virtute conſtitit.*
Ioſ. 10.
Baſil. Sel.

Iam facilè ingenioſam Paralytici euaſionem, 81.
vt Chriſtum à Phariſæorum calumniis eriperet; eo quod Sabbati ſolemni ſanitatem ſibi eſſet impertitus, callere datur. *Nunciauit, Iudæis, quia Ieſus eſſet, qui fecit eum ſanum.* Ioã. 5. Vbi Chryſoſt. id aſſerit à Paralytico prolatum, vt Chriſtum omnino ex Ieſu nomine à calumnia liberaret. Ac ſi diceret, Chriſti perſonam damnare intenditis ob eam, quam diei feſti falſo putatis tranſgreſſionem. Nomen à perſona præſcindere edicite. Perſona Chriſti ſuo nomini Ieſu ſalutarem commiſit effectum, à nomine Ieſu ſum ſanitate donatus. At nomen Ieſu nequaquam poteſt à cauſanda ſalute contineri, quemadmodum ſol, non poteſt non lumen ſpargere, quia neceſſario operatur. D. Gaud. Tract. 2. de Paral. *Sciebat nomen Ieſu ex virtute deſcendere ſanitatis. Et quomodo poteſt ſalus per perſcriptam legem prohiberi, ne ſanet?* Quis vnquam agenti neceſſario leges indixit: Luci, ne illuminet; igni, ne calefaciat; ne ſanet, ſaluti? Et nomen Ieſu, quod, inſtar perſonæ, vocatum eſt ſalus, quomodo poteſt à neceſſario ſibi ſanandi effectu prohiberi? Quid igitur aduerſum Chriſti perſonam querelas excitatis?

*A nomine Ieſu inclamat Paralyticus ſe neceſſario ſanitatem accepiſſe,*
Ioan. 5.
Chryſoſt.
Gaud.

Pugnante Ieſu contra Amalech, Moyſes in 28.
montis vertice, brachiis in morem Crucis expãſis, commoratur. Exod. 17. Et cur apud montana Ductor populi detinetur, cum Ieſus aduerſus hoſtes viriliter decertat? Quare item

*Solum nomen pugnat.*
Exod. 17.

brachia Dominicam Crucem ſignans protendit: Scio Tertull. l. 3. con. Marcio. in Ieſu pugnante nomen ſeruatoris Ieſu fuiſſe veneratum. At ideò ait ille Moyſem Crucem Dominicam oſtentaſſe, *quia illic, vbi nomen Domini dimicabat, dimicaturo quoque aduerſus diabolum Crucis erat habitus neceſſarius.* Rectè quidem. Sed meo argumento conuenientius, ideò reor pugnante Ieſu Crucem totum apud montis cacumina commorari, quia Propheta futurum prævidebat euentum. Ac ſi diceret: In Cruce Dominum contemplor, adoro. Commoretur Chriſtus apud montana, non deſcendat in arenam. Nomen Ieſu pugnat, ſufficit ex commiſſo ſibi effectu ſalutari à perſona aduerſus validiſſimas hoſtium phalanges, copias diſperdet, penitus extinguet.

83. Quid ſi non ſolum totum nomen *Ieſus* ſalutares pariat effectus, ſed vnaquæque ſalutaris nominis litera mirabilem vim ad operandum obtineat, perſonæque in morem quodammodo, *Ieſus* appelletur: *Vocatum eſt* (ſic liceat expendere) *quæuis litera nominis eius Ieſus.* Id oſtendu in litera *he*, admittendo in præſenti, diſſerendi gratiâ, quod in Commentario reieci, nomen ſcilicet Ieſu idem eſſe ac nomen ineffabile. *Nec vltra* (inquit Deus Abræ) *vocabitur nomen tuum Abram, ſed appellaberis Abraham.* Gen. 17. Vbi Hieronymus. *Dicunt Hebræi, quod ex nomine ſuo Deus, quod apud illos tetragrammaton eſt, he literam Abrahe, & Saræ addiderit.* Quonam fructu? Profectò non ſolùm operata eſt huiuſmodi litera ſalutem, ſed ipſum quodammodo protulit Saluatorem: Lipomanum audite: *He litera, quæ inter ſacratiores literas, quibus nomina Dei ſcribantur, principalis eſt, & his ſcripta in nomine ineffabili, quando nominibus Abrahe, & Saræ addita eſt: indicat prærogatiuam quãdam maximam datam vtrique generandi Deum de ſemine ſuo in Chriſto naſcituro de beatiſſima Dei genitrice Maria, quæ vera fuit filia Abrahæ, & Saræ.* En ex vnica nominis Ieſu litera myſterium incarnationis omnibus ſalutare hominibus præſentatur.

Tertull. — *Vnaquæque nominis litera appellatur Ieſus.* — Geneſ. 17. Hieron. — Lipom.

## Capvt II.

### *Societatis noſtræ ex nomine Ieſu perſona gerenti vices magnalia.*

84. Ex prædictis apertè innoteſcit quibuſnam viribus recens nata Societas potuerit hoſtium vires cõfringere, victorias vndique comparare. Societas non ſolùm ſub Ieſu decertat quemadmodum fortiſſimi Eccleſiæ Proceres; ſed à Ieſu nomen accipiens, puerula cùm ſit, iam matura victoriis reperitur. Ieſu etenim nomini datum, pueros armare, vt aduerſus fortiſſimos dimicet hoſtes, victoriamque propriis viribus inæqualem valeat reportare. Dauid adhuc puer *percuſſit Philiſthæum in fronte.* O puerum ſtrenuos milites ſuperantem! Quis te contra hoſtem armauit potentiſſimum? *Ego* (ait) *venio ad te in nomine* Domini. 1. Reg. 17. Ego puerulus, inermis, ad te armatum, fortem, nominis Ieſu potentia nitens accedo; quid non reportabo triũphum? Rem perficit Chryſoſt. *Nec enim vulgaris modo protecit lapidem; ſed prius dixerat, Ego venio ad te in nomine Domini: Atque hæc vox* (nomen videlicet Ieſu) *lapidem velut manu direxit in Goliath; hæc pauorem incuſſit barbaro, hæc hoſtis confidentiam fregit.* Si nomen habemus Ieſu, cuius vox manu dirigit iacula, inſtarque tubarum ſuperbam illam corruere facit exædificationem, quid mirum, tanta nos exiguo temporis interſtitio facinora excitauiſſe?

*Nomen Ieſu pueros aduerſus hoſtes armat.* — Chryſoſt.

85. Ingentes proculdubio victoriæ, mirabiles triumphi illius exercitus, in quo nomen Ieſu. Dominus de Abrahamo: *Et eſt nomen meum in illo.* Exponit Rupert. illius præpoſitionis. *In* efficaciam: *Non dixit*, ſuper illum, *quod commune eſt omnium, iuxta illud Apocal. 3. Et ſcribam nomen Dei mei ſuper eum, & nomen nouum; ſed In illo, quod proprium eſt vnici.* Super omnes Euangelij miniſtrorum ſanctiſſimorum, doctiſſimorum, fortiſſimorum exercitus nomen Dei, nomenque Ieſu nonum exaratum eſt. At *in* vnica Societate Ieſu ſcriptum; quia propriuin (parcite mihi Ieſuitæ) hoc nomen Societatis.

*Peculiare Societati, à Ieſu nominari.* — Rupert.

86. Huiuſce equidem particulæ *Super* aut *Indifferentiam* ſequitur effectus. Quædam etenim ſunt ſpecialia miniſteria, quæ magna dexteritate exercet ille, *in quo* nomen Ieſu. Duplici teſte roborabo. Vnum do Societatis miſſiones. Oppida noſtra Militia percurrit, ſermo currit velociter, peccatores inueterati ſeſe ad bonam frugem conuertunt, per plateas inſonat puerorum cantus prorſus Angelicus, Chriſtiana proferens rudimenta, fidei myſteria eunlgans, confeſſiones, quas inualidas iam diu fecerat verecundia, iterantur. Quid plura? Non facilè potero ſermone fructus æquare præſtantiam huiuſce miniſterij, magis experimento comprobandam, quàm verbis exprimendam. Enimverò quanta dexteritate Societas Ieſu huiuſmodi implet miniſterium? Paulus Gentibus ſtatuitur luminare? *Poſui te in lucem gentium.* Actor. 13. Profectò in ipſo Ieſu nomen fulgurabat. *Vas electionis* (Chriſtus ait) *eſt mihi iſte vt portet nomen meum coram Regibus.* Actor. 9. Annon in Paulo quaſi in lampadis vaſculo nomen rutilat ſalutare? *Hoc* (inquit Bern. ſerm. 18. in Cant.) *nomen coram Regibus portare iuſſus eſt Paulus, & portabat nomen tanquam lumen.* In Apoſtolo tanquam in vaſe nomen Ieſu? *& nomen meum in illo.* Gentibus igitur ſpecialiter Paulus ſalutifer admodum eluceſcet.

*Dexteritas magna miſſionum incumbit Societati.* — Act. 13. — Act. 9. — Bernard.

87. Alterum teſtem exhibeo ſacratiſſimæ Euchariſtiæ adminiſtrationem. Quis dubitet omnibus ſanctiſſimus Euangelij miniſtris datum, Euchariſtici conuiuij oſtentare fulgorem, fideles ad communionis frequentiam alliciendo? Sed quæro, num ex quadraginta horarum ſolemni, ex generalis communionis celebritate, ex menſa quotidie fidelibus appoſita, ex celebri conuiuij apparatu rei frumentariæ munus vberius Societas Ieſu explere videatur? Ioſeph olim triticum cuſtodiæ traditit, quare Rex *vocauit eum linguâ Ægyptiacâ Saluatorem*, ſiue *Ieſum.* Gen. 41. Et quis niſi Ieſus frumenti myſtici tam oroatè tam aſſiduè menſas extrueret? Pulchrè ad noſtram mentem Rupert. *Nouerimus, quod nemo niſi nomen Domini noſtri Ieſu conſequi poteſt vita alimentum.* Omnibus Ieſu exhibitum, hoc epulo ſacratiſſimo fideles reficere; at Societati nominis Ieſu ſpeciatim datum,

*Feliciſſimè explet rei frumentariæ ſacratiſſima munus.* — Geneſ. 41. — Rupert.

C tum, ſæpius apparatu magnifico Euchariſticam menſam celebrare.

# OBSERVATIO VI.

Ad illa verba:

## *Vocatum eſt nomen eius Ieſus.*

## Perfectiſſimè Ieſus nominis implet ſignificationem.

*Vbi de nomine illuſtri operibus egregiis complendo.*

89\. Plat. Iſidor. NOMINA (aiebat Plato de Sap.) *cum re conſentiant.* Diximus Ieſu nomen à ſalute deriuari, dicente prætereа Iſidoro 7. etymol. *Ieſus Latinè ſalutaris, ſiue Saluator interpretatur, pro eo quod cunctis gentibus ſalutifer venit.* O quam egregiè Ieſus impleuit ſalutaris nominis ſignificationem!

### CAPVT I.

*Ieſus à ſalute hominibus impertienda.*

90\. *Nomen Ieſu humanæ ſalutis hiſtoriam continet.* Bern. Sen. D. Bernard. Senen. tom 2. ſerm 49. *In capite* (ait) *libri vitæ tanquam caput omnium ſaluandorum poſitum eſt hoc nomen Ieſus.* Quia videlicet dux eſt eorum, qui ſaluse æternâ donandi ſunt. Ad memoriam reuoca mundum à diluuio liberatum, Loth à Sodomitico incendio ereptum, Hebraicum populum vinculis ſolutum, tres pueros ab igne Babylonico immunes, innumeros à variis periculis fideles ad ſecuritatem reuocatos. Annon hæc omnia Ieſu nomini ſalutari debentur? Id equidem tam liberatorum, quam dehinc eripiendorum hominum continet hiſtoriam. Cur Chryſoſt. exiſtimas adfirmaſſe Chryſoſtomum homil. de Abrah. Abrahami nomen futurarum, imò & præteritarum *hiſtoriam habuiſſe?* Annon quia nomen Abrahæ Ieſu nominis myſterium continebat? Luculenter Bernardinus Serm. 48. *Nomen Ieſu eſt ſignum repræſentans tibi omnia, quæcumque Deus vndique fecit propter ſalutem humanæ naturæ.*

91\. *Deus ſaluos faciendi eſt.* Pſal. 67. Auguſt. Hoc inclamat Dauid: *Deus noſter Deus ſaluos faciendi, & Domini Domini exitus mortis.* Pſal. 67. Hebr. *Deus noſter ſaluationum, & Dei Domini euaſiones mortis.* Aug. *Deus ſaluos faciendi eſt Ieſus.* Nec enim vni ſolummodo homini, aut populo; ſed innumeris hominibus ac populis extitit hoc nomẽ ſalutare. Ieſu etenim *ſunt exitus mortis*, ſeu à morte liberationes, mortis vinculis, peccati compedibus confractis.

92\. *Efficaciſſimũ medicamẽn.* Pſal. 67. Salutaris ergo nominis baiulatoribus facile omninò iter ſalutare. *Proſperum* (canit Vates) *iter facit nobis Deus ſalutarium noſtrorum.* Pſal. 67. Omnes congerendo ſalutes noſter Ieſus ad exitum ſalutarem nos faciet peruenire. D. Lauren. Iuſt. de Circ. huiuſce ſalutaris medici aſperi itineris ſubleuatoris ſic peritiam commendat. Iuſtin. *Si tentaris à diabolo*, apud ſæculi viam conſtitutus patriam petẽs, *ſi ab omnibus hominibus opprimeris, ſi conficeris ægritudine, ſi doloribus fatigaris, ſi blaſphemiæ, ſeu deſperationis agitaris ſpiritu, ſi concuteris formidine, ſi dubietate pulſaris, Ieſu nomen edito. In arduis, in periculis, in erroribus, in via, in ſolitudine, in fluctibus, vbicumque extiteris, Saluatoris profer nomen, non ex ore tantum, ſed etiam ex corde.*

93\. *Oneramur à Ieſu nos portante.* Apud Regiam Bibl. huiuſce carminis talis verſio extat: *In onus imponet nobis Deus ſalutem noſtram.* Hieronym. *Portabit nos Deus.* Et quonam modo portat nos Ieſus, ſi ſalutem nobis apponit in onus? Num noſtram requirit cooperationem? Non inficior. Sed accommodatius ad argumentum, oſtenditur nos à Ieſu magni muneris pondere onerari, cum à portante iniquitates noſtras Ieſu exoneramur. Rectè Bernard. ſerm. 15. in Pſal. Qui habitat: *Oneriferum eſt animal homo tempore ſuæ mortalitatis. Si adhuc portat peccata ſua, onus eſt graue. Si iam forte* Ieſu portantis beneficio *exoneratus eſt à ſuis peccatis, minus quidem graue; ſed ſi ſanum ſapiat, non minus graue onus inueniet hanc ipſam exonerationem. Onerat nos, cum exonerat Deus, onerat beneficio, cum exonerat peccato.*

94\. *Ex Ieſu ſalutaris Crucis effectus.* Luc. 23. Si mortiferi olim arboris fructus intulit damnationem, Crucis lignum attulit ſalutem. Nomen autem Ieſu, quod Crucis caput oſtẽrabat, quid aliud innuebat, niſi exitiale lignum à Ieſu ſaluſeram naturã induiſſe? Iam ſaluat lignum, quod priùs inſtrumentum extitit damnationis. Id quod Galfr. citatus apud Tilm. ait: Galfr. *Scriptus eſt* (inquit) *olim titulus Crucis Hebraicè, Græcè, & Latinè, quod vnum hoc lignum ſalutem omnibus miniſtraret, quibus illa quondam tranſgreſſionis arbor damnationẽ mortis intulerat.* Nomẽ itaque Ieſu litteris ad omnes gẽtes ſpectãtibus ſcribitur, vt oſtendat ſibi deberi huiuſce ligni exitialem vim in ſalutares effectus fuiſſe mutatam.

95\. *Cadem ab hoc nomine extiaus à ſalute.* Cur, quæſo, Hebræorum familia vbique terrarum exulans miſerè exulat à ſalute? Quia à nomine Ieſu longè eſt ſegregata. Olim Hebraica ſimul concinens lingua, hoc nomen dulciſſimum exprimebat. quia Hebraicis litteris Cruci Ieſu nomen legimus exaratum. Iam Hebræi perfidi à Ieſu nomine deturbantur & conſequenter excidunt à ſalute. Acutè Galfrid, Galfrid. *Nunc vbi eſt lingua tertia, lingua videlicet Hebræorum? Numquid non Chriſtum exaltauit Pater, vt omnis lingua confiteatur illum? Heu Hebræa hodie lingua à laude Conditoris ſola ſilet!* Sola non modulatur, quæ à ſalutari nomine excidens, (heu) ſimul concidit à ſalute, & cum Pharaone demerſa ſuffocatur.

96\. *In nomine Ieſu nos ſaluos fieri oportet.* Hinc Dauid; *Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* Pſal. 115. Vt ſalutem accipias, inuoca Seruatorẽ. *Nomen Domini.* Num *Chriſtum?* Nomen eſt Regni. Num *Emmanuelẽ?* Iã nobiſcum Deus commoratur. Num *Deum?* Immò non vocatus Adamum puniturus accurrit. Num *Dominum?* Diabolus etiam Dominum aduocans non ſalute donatur. Num *Principium, Finem, os Dei, Verbum, Vitam, Veritatẽ?* Silete, ſolummodo Ieſum inuocabo; quia præcipuè Ieſu nomẽ mihi inſonat ſalutare. D. Aug. ſerm 14. Auguſt. de verb. Apoſt. audite. *In nomine Domini noſtri*

*Ieſu. Non enim eſt alind nomen, in quo oportet ſalnos fieri nos, nec omnes puſillos cum magnis. Si autem fieri oportet nos ſalnos in hoc nomine, ſine hoc nomine proculdubio nec ſalus erit.*

97. *Diabolus incapax effectus ſalutaris à Ieſu nominis prolatione prohibetur.* Gen. 3. Luc. 4.

Et quiſnam Ieſu nomen vnquam inuocauit ex præcordiis, qui ſalubre id non experiretur? Dei nomen diabolus vſurpauit. *Cur præcepit* (inquit) *vobis Deus, ſiue Eloim*, quod *Iudices* interpretatur. Gen. 3. Sed & nomen Ieſu fœdo protulit ore: *Ieſu Nazarene, veniſti ante tempus perdere nos.* Luc. 4. Vbi ponderandum accurrit, Chriſtum dæmonem a Ieſu nominis inuocatione prohibuiſſe, dum ait, *Obmuteſce*, cùm minimè prohibitus ille fuiſſet à nominis Dei ſiue *Eloim* vſurpatione. Quid cauſæ? Profectò nomen *Eloim* iudicium ſignificat. Aſſumat impunè iudicij vocabulum, qui Dei ſubiacens tribunali æternùm torquebitur. At Ieſu nomen halans ſalutem non audeat ore indigno proferre ſpiritus nequam, qui ſalute minimè donandus eſt, dum ore, & corde proferunt illi, qui capaces ſunt effectus ſalutaris.

98. *Procul abeſt ab hoc nomine damnationis vocabulum.* 1. Cor. 6. Auguſt.

Vultis oſtendam, quàm à nomine Ieſu alienum damnationis vocabulum? Recenſens D. Paulus peccata illa, quibus imminet gehenna, profatur: *Neque fornicatores, neque idolis ſeruientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces Regnum Dei poſſidebunt.* 1. Cor. 6. Vbi Auguſt. dat quæſtioni: *Cur non dixit, Illi, & illi, tales, & tales igne æterno torquebuntur; ſed Regnum Dei non poſſidebunt?* Num quia ſubtracta dextera non remanebit niſi ſiniſtra? Quàm acutè Pater innuit ſolutionem! Adiicit enim mox poſt quæſtionem proxima Pauli verba: *Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Ieſu.* Ac ſi diceret, vbi nominis ſalutaris Ieſu memoria peragitur, procul abſit vocabulum damnationis.

---

## CAPVT II.

### *Ieſuitæ ab effectibus mundo ſalutaribus.*

99. *Datus Societatis exercitus orbis defenſioni.*

SOcietas noſtra num implet ſalutaris nominis Ieſu ſignificationem? Audax fortaſſe Ieſuita dixerim, ſufficienter prouiſum à Deo circa totius orbis ſalutem, ſi vna Societas Ieſu pugnax hominum incumberet ſaluationi, dum eius miniſterio pueri informantur, adoleſcentes inſtruuntur, viri edocentur, qui vbique terrarum omnibus Religionum familiis nomen dantes proximorum ſaluationi incumbant. Perquirit Rupert l. 10. de vict. Ver. cap. 25. quare ſolummodo Machabæi fidelis populi defenſioni incumberent, cum Iſraël à tot tantiſque hoſtibus impugnaretur? Reſpondet: *Satis fuit illi genti, loco illi prouidere Principes quales fuerunt Machabæi, quorum præliis, & victoriis non quærereter, vt vlla fieret preſſura mundi, ſed vt defenderetur gens, unde eſſet ventura ſalus mundi.* Non ſolùm populi Iſraëlitici Deus commodis incubuit vnam Machabæorum excitans Societatem in fidelis gentis defenſionem; verùm totius orbis cauſam aſſumpſit; ſi (Rupert.) à Machabæis defendebatur gens, vnde eſſet ſalus mundi ventura. Totíne orbis ſufficiens Societas Ieſu, cuius præliis, ac victoriis gens illa comparatur, inſtruitur, quæ Religionum cunctarum hæreſcens inſtituto, in Martem ruit, totius mundi ſaluationi curam impendens?

*Noſtræ vocationis eſt* (cum D. Ignatio loquor part. 6. cap. 3. §. 5.) *diuerſa loca peragrare, & vitam agere in quauis mundi plaga, vbi maius Dei obſequium, & animarum auxilium ſperatur.* Iſraëliticæ terræ diuiſæ pars tribubus ſingulis contigit. *Tribui* autem *Leue* Dux fortiſſimus *non dedit poſſeſſionem, ſed ſacrificia, & victima Domini Dei Iſraël ipſa eſt eius hæreditas.* Ioſ. 13. Ieſuitarum ſacerdotalis ordinis domicilium, vbi ſpiritus contribulatus ſacrificium Deo offerre meditatur. Viſus mihi Origen. hom 17. ſacerdotalis ordinis noſtri inſtituta præuidiſſe, dum ait: *Hi ſunt qui in populo ſaluandorum ſapientia, & ſcientia operam tribuunt, & mentem ſuam puram cuſtodiunt, & omnibus præclaris virtutibus excolunt, & ſimplices docent. Ordo ſacerdotalis, qui Dei ſapientia, & ſcientia opera impendit, non potuit accipere ſortem habitationis. Ieſus noſter habitacula ſapientibus præbet.* Ioſue igitur, ſiue Ieſus ſacerdotali, ſeu clericali ordinis Societatis totum orbem aſſignat, oblatâ opportunitate habitaculum. 100. *Totus orbis Ieſuitarum habitaculum.* Ignat. Ioſ. 13. Orig.

101. *Vbi peccator conuertitur, ibi Ieſuita.*

Ab hæreticis nomen Ieſu vexatur? Ibi adeſt ſacerdotalis ordo ſuum Magiſtrum tutaturus. A gentibus nomen Chriſtianum conculcatur? Ineſt ibi Societas Ieſu & Domino obſequium, & auxilium peccatoribus miſeris præſtituta, Dei populum Heliodoro opprimente: *Apparuit quidam equus terribilem habens ſeſſorem, optimis operimentis adornatus, iſque cum impetu Heliodoro priores calces eliſit. Alij etiam apparuerunt duo iuuenes virtute decori, optimi gloria, ſpecioſique amictu, qui circumſteterunt eum, & ex vtraque parte flagellabant.* 2. Machabæorum 3. Societatis noſtræ Ieſum ducem ſequentis, interprete Strabo, hæc magnalia recenſentur: *Heliodorus inuaſor, aut ſpoliator ærarij Domini Paganos, & Hæreticos ſignificat. Succurrit Ieſus, qui eſt via, veritas, & vita, ad debellandos inimicos, & deterrendas prauorum præſumptiones. Duo iuuenes, qui Heliodorum flagellabant ſine intermiſſione, Doctores, qui circumſtantes Ieſum virtute fidei, ac bonorum operum decori, gloria miraculorum optimi, & amictu ſcientia ſpecioſiſſimi, prædicationibus ſuis verberant prauorum inſenſibilitatem. Sicque fiet, vt iſte, qui ante templum ingreſſus eſt ſuperbus, per correctionem diſciplinæ appareat inualidus.* Pulchrè planè. 2. Mach. 3. Strab.

102. *Societas militaris Ordo ſanando pugnax.* Pſalm. 67.

Propheráuit Dauid: *Pluuiam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ, & infirmata eſt; tu verò perfeciſti eam. Animalia tua habitabunt in ea.* Pſalm. 67. Hebr. loco verbi illius: *Animalia* eſt חיה *haiyath ſiue Societas.* Lxx. *Ordo militaris.* Mundus igitur preſſus infirmitate multos medicos ſortitus eſt, dum Ieſu Societas militaris Ordo ſaluti vacat ægrotorum. *Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa*, quia milites & ipſi, inſtar Ioſue, ad ægritudines debellandas. *Quid enim* (inquit Caſſiod.) *fortius, quàm animas ſaluare, quæ errorum ſuorum vitiis poterant interire?* Caſſiod.

OBSER

# OBSERVATIO VII.

Ad illa verba:

## *Vocatum eſt nomen eius Ieſus.*

## Quare nomen Ieſu fuerit cum vulnere copulatum?

*Vbi de illuſtribus cognominibus ſine operatione mendacibus.*

103. EVANGELISTA Circuncisionis vulnus expreſſurus, non dixit, *Poſtquam conſummati ſunt dies octo, vt circuncideretur Puer, circunciſus eſt*; ſed loco circuncisionis, ac vulneris, ait, *Vocatum eſt nomen eius Ieſus.* Vt Ieſu nomen ipſius ſit vulneris expreſſio. Quia ſcilicet tam coniuncta huic nomini operatio, vt non aliud fuiſſet nominare Ieſum, quàm vulnus circuncisionis exprimere. Profabatur Laert. *Plato rogatus, et quod eſſet futurum ipſius monumentum, quemadmodum ſuperiorum? Primum, inquit, parandum eſt nomen, ita monumenta futura ſunt multa.* Haud ſic nomen Ieſu. Non primum paratur, ſuccedentibus poſtea præclaris monumentis; ſed illud ipſum nomen parari, idem eſt, ac præclara monumenta oculis præſentare tuis. Laert. L. 3.

### CAPVT I.

*Ieſus non tam ex nomine, quàm ex operibus amat agnoſci.*

104. *Nomen Ieſu magis videndum, quàm audiendum. Luc. 2.* NATO Domino, Angelus ad paſtores, *Natus eſt vobis hodie Saluator*, id eſt, Ieſus. Mox paſtores *Transeamus (inquiunt) vſque in Bethleem, & videamus hoc verbum, quod factum eſt.* Luc. 2. Cur non dixerunt, *Audiamus*, ſi verbum magis ad aures, quàm ad oculos pertinere videatur? Hoc *verbum* equidem *factum* eſt, ad viſus attinet diiudicium. *Vniuerſus*, intonante cælo, *populus videbat vocem* (Dei ſcilicet) *apertiſſimè*. Exod. 20. Si vox audiri ſolet, non videri: quonam modo eam populus aſpectauit? Num quia Dei vocabula magis ſunt opera? Phil. I. de Decal. *Quæcumque Deus dicit, non verba ſunt, ſed opera; quorum iudicium non tam penes eſt aures, quàm penes oculos. Videamus igitur verbum hoc*, id eſt, Ieſum re ipſa Saluatorem aſpectemus; non ſolùm inaniter inſonantem audiamus. Exod. 20. Phil.

105. *Res eſt & nomen. Iſai. 7. Matth. 1.* Matthæus videtur cum Iſaia pugnare. Hic, *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Cap. 7. Ille, *Vocabis nomen eius Ieſum.* Cap. 1. *Ieſus* certè Saluator, *Emmanuel* autem *Nobiſcum Deus* interpretatur. Profectò idem vtrumque præſignauit, in vnum recidunt & *Ieſus* & *Emmanuel*, adiiciente Matthæo: *Hoc autem totum factum eſt, vt adimpleretur, quod dictum eſt à Domino per Prophetam dicentem: Ecce Virgo in vtero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emmanuel, quod interpretatur, Nobiſcum Deus.* Ibid. Ieſu etenim nomen tam eſt rei, effectui, ac operi annexum, vt nuſquam adſit *Ieſus*, quin *nobiſcum* ſit *Deus* in nominis ſalutaris executione.

106. *Magis opus quàm nomen. Ioan. 3.* Id Dominus expreſſit, fatus: *Non miſit Deus Filium ſuum in mundum, vt iudicet mundum; ſed vt ſaluetur mundus per ipſum. Qui credit in eum non iudicatur; qui autem non credit, iam iudicatus eſt; quia non credit in nomine eius.* Ioan. 3. Debebat planè iudicii huiuſcemodi cauſam in hunc mundum reddere: *Iam iudicatus eſt, quia non credit in eum.* Nam ſi *qui credit in eum non iudicatur*, ſic qui non *credit* debet iudicari, quia *in eum non credit.* Quare igitur ſuppoſitionem variat, *Quia non credit in nomine eius?* Nonne quia nomen & perſona idem omnino, ſi perpendas effectus? Ita planè. Nomen Ieſu non titulus fuit, ſed ipſum nobiſcum Deum, ipſum Dominum, ipſam ſalutem nobis præſentat.

107. *Quando non operetur ſalutem? Luc. 4. Beda.* Perſpicuus hinc fit mihi Lucæ locus efferetur. *Quid nobis (clamat dæmon) & tibi, Ieſu fili David? Veniſti ante tempus perdere nos. Et increpauit illum Ieſus dicens, Obmuteſce.* Cap. 4. Quare ô Ieſu, non ſinis dulciſſimum nomen ab inferis laudari, *Vt in nomine Ieſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum?* Annon dixit parens tuus David, *Salutem ex inimicis noſtris?* Equidem ſi inimicus ſalutem ex Ieſu nomine inclamaret, non eum ab ipſius inuocatione prohiberent. Ideo obmuteſcere efficis; quia non ſalutem ſed damnationem proclamat. Certè vel non inaniter, vt tunc nomen Ieſu proferrerent, miſer ille homuncio, cuius labiorum organo vox diaboli inſonuerat, mox ſalutaris nominis inuocatione liberatur. *Dæmonium exiit ab illo, & nihil illum nocuit.* Beda, *Vt virtute patefacta Saluatoris claret, ad vitam ſaluti inuitet.* Victus enim Ieſu patefacta tunc non tam ex dæmonum tortura, quàm ex ſalutari hominis liberatione, vt nominis ſignificatio compleatur.

108. *Antichriſtus nomen habebit Ieſu, ſed ſine re.* Hinc ô fideles ſeculi nouiſſimi, vnde non poſſitis à Chriſto Antichriſtum diſcernere, indicabo. Multa aderunt & ex miraculis, & ex moribus diſſimilitudinis documenta: Attamen oculis obiicio, illum ab vero depopulatorem, humani generis deſtructorem nomine Ieſu appellandum, & vanio ſalutis titulo, notandum eſſe; completa Chriſto æternis operibus ſalutaris nominis Ieſu ſignificationem. *Multi* (inquit Veritas) *venient in nomine meo, dicentes, quia ego ſum.* Matth. 24. Expende hoc: *Quia ego ſum*, & confer cum illo: *In nomine meo.* Venient quidem in nomine, ſed non ſunt; ego autem in Ieſu nomine *ſum* id quod ſalutari nomine ſignificatur. Origenes homil. 27. *Conſidera etiam illud, quod multi venient in nullo alio, quàm in nomine. Solum enim nomen Chriſti Antichriſtus ſuſcepit, nec opera facit.* Luxuria ille, inuidia, ira, cæteriſque nequitiis ſeceudetur in futuræ ruinæ documentum. Matth. 24. Orig.

## Capvt II.

### *Ieſuitæ magis operibus, quàm nomine nituntur.*

109. *Nunquam nō pugnat Ieſuita.*

QVod equidem Ieſuitæ *communi modo viuendi in exterioribus*, (iuxta Ignatij præſcriptionem) vtentes, implere conantur, non ex nomine Ieſu tantùm, vel ex veſtitu, ſed ex ſalutaribus operibus cupientes dignoſci: Militat Societas noſtra ſub magno Imperatore Ieſu aduerſus Principes tenebrarum harum, nunquam non in conflictu eſt, ſemper docendo, vel concionando, vel ſcribendo, vel confeſſiones audiendo, vel alia exequendo munia manus cum hoſte conſerit; vnde non vacat, quando poſſit de Ieſu nudo nomine gloriari. Vulgare eſt, priuſquam exercitus ſigna conferant, milites præclaris ornari miniſteriis. Ducum, Tribunorum, Centurionum, aliáque huiuſmodi glorioſa nomina pugnaturi ſortiuntur, ex quibus poſſint efferri. At interea dùm bellum committitur, furor militaris exardeſcit, hoſtéſque vulnerantur, quis nominis dignitatum meminit, quando ſola potentia nominatur? *Quomodo in legionibus* (Hieron. ait) *ſunt Duces, ſunt Tribuni, ſunt Centuriones, commiſſáque pugna, vacant nomina dignitatum, & ſola fortitudo quæritur: ita in hoc campo quo contra dæmones dimicamus, non quæruntur nomina, ſed opera: & glorioſior ille ſub vero Imperatore Ieſu non qui nobilior; ſed qui fortior.* Cùm igitur ſemper Societatis Ieſu milites cum hoſtibus concertent, nunquam non prælium faciant; haud tempus ſortiuntur exiguum, quo poſſint de nudo præclariſſimo nomine gloriari; ſed totum eorum ſtudium in roboris, ac fortitudinis conſtantia impenditur.

Hieron.

110. *Nomen Societatis vocatū Ieſus, quia iam mundo ſalutaris.*

Quare exiſtimas Societatem noſtram à Ieſu nomine compellatam? Non certè quia debebat deinceps hominum ſaluti vacare; ſed *Vocatum eſt nomen eius Ieſus*, quia iam ab vtero, imò ante conceptionem cùm peregrinus Ignatius ſalutaris incolis orbem peragrabat, iam vtilitati, ac ſaluti proximorum incumbebat. Chriſtus non accipit nomen ſalutis ſolùm, vt mundo ſalutaris exiſteret; ſed quia Saluator iam erat ab *vtero*, imò *priuſquam in vtero conciperetur*. Pulchrè D. Bernard. *Vocatum eſt planè, non impoſitum. Nempe hoc nomen ei eſt ab æterno, à natura habet, non inditum ab humana, aut Angelica creatura.* Societati accommoda.

Bernard.

111. *Ideo ipſum eſt nomen eius.* Gen. 2.

Quæcumque nomina Adam creaturæ impoſuit, *ipſum eſt nomen eius.* Gen. 2. Si tunc nomina induntur, quonam modo iam *eſt* ipſum nomen earum? Quia iam *eſt* illud, quod nominatur, iam exiſtit operatio, per quam nomen vnicuique aptatur creaturæ. Iam leo (ver. grat.) à natura habet inſitum id, cui leonis nomen congrueret. Nomen Ieſu Dominicis operibus accommodatur, non opera nomini præmiſſo adnectuntur. Iam etenim ipſe ab æternitate, ab vtero Paterno, *priuſquam in Matris vtero conciperetur*, erat Ieſus, ſiue Saluator. Rectè Abbas Cellen. *Hic virtutem non inferiorem nomini ſuo implet, quin iſto & tempore excellentiorem. Parum dixi, & tempore; melius dicerem, æternitate.* Vnde *Ieſus* nominato in tempore, *ipſum eſt nomen eius*, quippe cùm operibus præmiſſis ſit accommodatum. Haud aliter (ſeruatâ proportione) non ideo Societas noſtra Ieſu nomen accepit ſolummodo, vt dehinc ſaluti proximorum ſtuderet; ſed quia *priuſquam in vtero conciperetur*, iá Ignatij recens exorta ſoboles mundum illuſtrabat, iam Xauerius ad Indorum, ſuperiorumque pondus ſuſcipiendum proficiſcebatur, iam Lainius, Bobadilla, Paſchaſius, reliquique fortiſſimi Socij aduerſus vitia dimicabant, iam ipſe Ignatius Romæ commorans illuſtres Duci Ieſu victorias obtulerat, ſacrauerat.

Cellen.

112. *Societas ſic ſecundus Adam ex operatione indit nomen.* Gen. 2. Lipom.

Societas ergo Ieſu ab ipſa re potius, quam à ſalutari nomine nuncupatur. Adamo dormiente, è coſta eius ſuſcitatur Eua viri Societas; quia non erat bonum hominem eſſe ſolum. Quid tunc Adam? *Hæc vocabitur Virago, quia de viro ſumpta eſt.* Gen. 2. Lipom. ibi. *Theodotio aliam etymologiam ſuſpicatur. Hæc vocabitur Aſſumptio, quia de viro aſſumpta eſt.* Adam Societas ab Adamo viro *Virago* vocatur. Sed vt oſtendatur, nequaquam vacuum nomen accepiſſe, illud vocari Viraginem, idem eſt ac *Aſſumptionem* vocitari. Quod equidem nomen non tam ab appellatione viri, quam ab ipſo effectu, ſeu opere aſſumptionis illius eſt deriuatum. Societati ſuæ Adamus nomen ex operatione indit? Ieſus ſimiliter ſuæ Societati dat nomen; quod non ſolum ex Ieſu nomine, ſed ex Ieſu præclaris operibus aſſumptum. Aiebat aliquando Demoſth. *Non decet ex nominum ſignificatione de moribus, ſeu de operibus iudicare.* Attamen (hoc mihi liceat Ieſuitæ) audito Societatis Ieſu nomine, mox menti cordatæ opera egregia ex Ieſu Ducis fulgore obiiciuntur.

113. *Ipſa operatio virtutis eſt pro nomine Societati.* Pſal. 39.

Imò ipſa virtutis operatio eſt noſtræ Societati pro nomine. Dauid: *Beatus vir, cuius eſt nomen Domini ſpes eius, & non reſpexit in vanitates, & inſanias falſas.* Pſal. 39. *Nomen Domini* Incognitus Ieſu nomen interpretatur. Beatus igitur vir, cuius nomen Ieſu *eſt ſpes eius*, id eſt, cuius ſpei virtus eſt illi pro nomine Ieſu; vt magis re nominis, quàm vocabulo effulgeat, ad quod (*vanitatem* certè, *& inſaniam falſam* cùm operibus minimè completur) aliqui vanitatis reſpiciunt amatores. Vultis ô Socij Ieſu veſtrum nomen implere? Virtutes, quæ in Ieſu nomine rutilant, imitari curate. Nam *cùm nomino Ieſum* (loquor cum Bernard. ſerm. 15. in Cantic.) *hominem mihi propono mitem, humilem corde, benignum, ſobrium, caſtum, miſericordem, & omni ſanctitate conſpicuum, eundémque ipſum Deum omnipotentem, qui ſuo me exemplo ſanet, & roboret adiutorio. Hæc omnia mihi ſonant, cùm inſonuerit Ieſus. Sumo mihi exemplum de homine, & auxilium à potente.* Qui ſe audit eſſe Ieſuitam, ſiue ſocium Ieſu, ſibi arbitratur in exemplum dari, & in auxiliatorem, Ieſu virtutibus, & fortitudine coruſcantem.

Bernard.

114. *Operibus non ſecutus Ieſum priuatur eo nomine.* Eccl. 49.

Proh dolor! quàm miſere à nomine Ieſu excidit, qui vacuo Ieſu nomine gloriatur, nec exempla parentum procurat implere: *Memoria Ioſiæ in compoſitionem odoris facta opus pigmentarij.* Eccl. 49. Huius filius Eliacim impiiſſimus fuit. Vnde qui Dei nomine inaniter gloriabatur, (*El* enim nomen Dei) nomine merito eſt ſpoliatus. *Regemque conſtituit Pharao Nechao Eliacim filium Ioſiæ pro Ioſia patre eius, vertitque nomen eius Ioacim.* 4. Reg. 23. Quare *Eliacim* Dei nomine *El* priuatur? Quia indignus præclariſſimo

4. Reg. 23.

hoc

hoc nomine inſigniri, qui patris geſta, ac virtutes non eſt imitatus: *ſi muſcæ morientes perdunt ſuauitatem vnguenti*, ſeu quiſquis peccat (Lyran. Eccl. 49.) *diſperdit nomen, quod ſimile erat oleo vnctionis.* Ieſuita huiuſmodi iniuriam Ieſu nomini irrogans, quod eſt oleum effuſum, ſuauiſſimum vnguentum, & ſpoliatur nomine, & à Societate miſerè deturbatur.

# OBSERVATIO VIII.

Ad illa verba:

*Quod vocatum eſt ab Angelo.*

## Nomen Ieſu inuocaturis puritas neceſſaria.

*Vbi de diuini nominis ore proferendi reuerentia.*

115. CVR ab Angelo primùm, non ab homine nomen hoc ſanctiſſimum fuit prolatum? Reſpondet Anſelm. *Non decuit tam glorioſum nomen primum ab hominibus appellari; ſed ab excellentiori natura.*

### Caput I.

*Nomen Ieſu ab Angelis proferendum.*

116. *Vbi primùm nominatur Ieſus Angeli creantur laudatores.* PRimùm profectò Angelus protulit Ieſu nomen non ſolùm quandò *vocatum eſt nomen Ieſu ab Angelo, priuſquam in vtero conciperetur*; ſed ab ipſo iam olim creationis veſtibulo. *In principio creauit Deus cœlum.* Gen. 1. Oleaſt. *In principio creauit Iehouah cœlum. Iehouah* autem (Epiſcopo Chryſopolit. auctore) idem eſt quod Ieſus *Creauit cœlum.* Innuitur (vti ait Alcuin.) *creatura ſpiritualis ab exordio perfecta.* Exiſtimat Strab. illicò poſt cœli Empyrei molitionem *Angelis repletum eſſe*, vt videlicet nomen Creatoris efferrent iuxta illud. *Vbi eras cum me laudarent aſtra matutina?* Iob 38. Iehouah igitur cœlo ſeu Angelis aptè adnectitur; quia Iehouah ſiue Ieſus primùm Angelos creauit laudatores. Vt oſtendatur quam Angelis adnatum, ſit hoc nomen iure aſſumere, & præconijs celebrare.

Can. 1. Oleaſt. Alcuin.

Iob. 38.

117. *Moyſes Angelus Ieſu, nomen ore profunit.* Enimverò ex hominibus Moyſes primùm Ieſu ſacratiſſimum nomen promulgauit. Nam cùm filij Iſrael bellum committerent, Moyſes *vocat Ieſum, & dicit ad eum: Elige tibi viros, & pugna contra Amalech.* Exod. 17. Profectò ſi aduertas quiſnam dux ille fuerit Ieſum nominans potiùs eum Angelum vocitabis quàm hominem: *Ecce ego* (inquit Dominus) *mitto Angelum meum, qui præcedat te.* Exod. 3. Caiet. *Per Angelum intelligit Dominus Moyſem.* Si Moyſes puritate nitebat Angelicâ, quid mirum ei commiſſum, in terris primùm nomen Ieſu puro ore proferre?

Exod. 19. Exod. 3.

Caietan.

118. *Non audet Iſaias proferre.* Conatus Iſaias dulciſſimum nomen euulgare Ieſu, ait; *Paruulus natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis: Et vocabitur nomen eius, Admirabilis, Conſiliarius, Deus Fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis.* Cap. 9. Faciliùs dixiſſet, *Paruulus natus eſt nobis, & vocatum eſt nomen eius Ieſus.* Ex cordis abundantia Vates tot Ieſum innuentia vocabula exprimit; ſed non omnino audet ſalutare nomen proferre. Pulchrè Bernard. Serm. 2. de Circ. *Exultauit Iſaias, vt videret diem hunc, & vidit, & gauiſus eſt. Denique & loquebatur gratulabundus & laudans Deum: Puer natus eſt nobis, & vocabitur nomen eius.* Quid vocabitur? Dicam apertè, vocabitur Ieſus: Proh hominis audacia! *Vocabitur Admirabilis, Conſiliarius, Deus Fortis, &c. Sed vbi eſt nomen quod eſt ſuper omne nomen Ieſu?* Reſpondet mellifluo Abbatis ore Propheta: *In his omnibus vnum illum inuenies, ſed expreſſum quodammodo, & effuſum.* Exprime haſce appellationes; Ieſu nominis oleum redundabit, quod quidem haud ſum apertè auſus nominare, quia munus eſt Angelorum.

Iſa. 9.

Bernard.

119. *Nec Matthæus.* Euangelicum Iſaiam Matthæus Euangeliſta imitatus, ait, *Chriſti generatio ſic erat.* Cap. 1. Cur proprium perſonæ nomen non potiùs expreſſit, *Ieſu generatio ſic erat*; ſed nomen officij? Exiſtimo Euangeliſtam ab Ieſu nomine abſtinuiſſe, ob reuerentiam illud relinquens Angelo euulgandum. Didici à Paſcha. l. 1. ſante: *Chriſti nomen ſolum ſine additamento Ieſu hic poſuiſſe creditur; vt eum intelligeres, de quo Propheta dixerat, Vnxit te Deus tuus oleo lætitiæ. Et nomen Ieſu, quod ſubſtantialiter illi inerat, Angelo dicendum reſeruauit.*

Matth. 1.

Paſch.

### Caput II.

*Ieſuitæ Angeli, vt nomen Ieſu ore proferant.*

120. *Angelorum Ieſuitarum cantus nomi Ieſu.* MIrabar aliquando illam loquendi rationem, qua D. Ignat. Societatis caſtimoniam exprimebat. *Quæ ad votum* (ait) *caſtitatis pertinent interpretatione non indigent, cùm conſtet, quàm perfectè ſit obſeruanda; nempe enitendo Angelicam puritatem imitari & corporis, & mentis noſtræ munditiâ.* Angelos cupit Ignatius Societatis alumnos. Quare? Quia ſæpe nomen Ieſu debent cantibus concelebrare. Nos D. Vincent. Ferrar. tract. de vit. ſpirit. iam olim concinentes audiuit, cuius ſententia noſtræ Societatis (vti non infimæ notæ auctoribus placet) extitit vaticinium. *Meditandus eſt nobis* (inquit) *ſtatus virorum Euangelicorum futurus: pauperrimorum, ſimpliciſſimorum, manſuetorum, humilium, abiectorum, charitate ardentiſſimâ ſibi coniunctorum, nihil cogitantium, ac ſapientium niſi ſolum Ieſum.* Adiecit poſt plura: *Et per conuerſationes imaginare debes eos ipſos, vt canentes canticum Angelorum in iubilo citharizantium in citharis ſuis.* Quodnam hoc Ieſuitarum Angelorum canticum, ſi nihil cogitabant *niſi ſolum Ieſum?* Ieſus profectò cantici materiam ſuppeditabit. Quàm aptè à Vincentio Angeli deſcribuntur, ac requiruntur Ieſuitæ, vt continuo nomen Ieſu ore proferant!

Vincent.

121. *Ore, & opere proferunt.* Apud Societatis habitacula Ieſu perſonat nomen? Cœleſtem inibi curiam expreſſam intueor,

tutor, omnes domeſticos Ieſu Angelos contemplor. *In omni* (Filius Dei ait priuſquam carnem adſumeret) *loco, in quo memoria fuerit nominis mei, veniam ad te, & benedicam tibi.* Exod. 20. Vbi Lipom. *In Chaldæo habetur: In omni loco, in quo habitare fecero gloriam meam.* Gloriam nomen appellauit, quia vbi fuerit nomen Dei, ibi adſit cœleſtis curia, Angelicique exercitus commorentur neceſſum eſt, ad ineffabilis nominis prolationem.
Exod. 20. Lipom.

122. Societas cœleſtium ideo ſpirituum domicilium. Zac. 3.

Viſionem expendo Zachariæ: *Et oſtendit mihi Dominus Ieſum Sacerdotem magnum ſtantem coram Angelo; & Satan ſtabat ante pedes eius, vt aduerſaretur ei.* Cap. 3. Quæritur, vtrum prædictus Ieſus Sacerdos, eiuſque Sacerdotes filij Ieſum Sacerdotem magnum ſecundum ordinem Melchiſedech exprimant, ipſiuſque Sacerdotes Ieſuitas in ſalutem animarum operam impendentes: Quidquid plures interpretes ſcripſerint, ab eis ſum, qui negant potuiſſe Ieſum Sacerdotem, eiuſque filios typum gerere Ducis noſtri Ieſu, eiuſque militum, eorum, inquam quicumque animorum inuigilant ſaluti. Ratio eſt in promptu, quia Sacerdos ille Ieſus vxorem ducens alienigenam (vt Hier. contra Iouin. adnotat.) filios habuit ab Angelica, quæ Sacerdotes decet Ieſuitas, puritate cadentes, vxoribus etiam alienigenis implicitos. Et quonam modo Sacerdotalis familia Ieſum, eiuſque refert Ieſuitas, ſi familia non eſt, ſi non eſt Angelorum domicilium? Hieron.

123. Societas inſtar Ioſue Angeli. Exod. 23.

*Ecce ego* (inquit Dominus) *mittam Angelum meum, qui præcedat te, & introducat in locum, quem præparaui. Obſerua eum, & audi vocem eius, nec contemnendum putes; quia non dimittet, cum peccaueris, & eſt nomen meum illo.* Exod. 23. Ad quem locum Raban. *Per hunc Angelum intellige Ioſue, ſeu Ieſum ſecundum ducem populi.* Ieſus Societatis noſtræ dux primus, dux Chriſtiani populi eſt; Societas autẽ Ieſu dux ſecundus aptè nominatur. At ſub Angeli typo (*mittã Angelum meũ*) ideo eſt figurata, quia Ieſu appellationis aſſumptio ad Angelos ſpectat, vt ſcilicet primũ valeant Ducẽ Ieſum ore proferre.

## SECTIO SECVNDA.

# Nominis IESV magnalia.

*TEXTVS.*

NOMEN EIVS IESVS.

*A ſuperiori lectione literam perquire.*

*IN IESVM.*

# Panegyricus ſecundus Moralis circa Literam.

## EX MAGNALIIS NOMINIS.

*OBSERVATIO I.*

Ad illa verba:

*Nomen eius Ieſus.*

Nomen IESV oleum effuſum.

*Vbi de præſule ſui in ſumptione lucente, paſcente ſubditos, ac medicamen adhibente.*

1. NON Ieſu meo Societatis alumnus ſatisfaciam, niſi huiuſce nominis laudibus præferendis penitus incumbam. Quid nimirum effundatur ſermo, *ſrolei unguentum*
Cant. 1. *effuſum nomen Ieſu?* Cant. 1. Quam equidem olei metaphoram ſic D. Bernard. ſerm. 15. in Cant. Ieſu nomini accommodat. *Eſt procul dubio inter oleum, & nomen ſponſi ſimilitudo, nec otioſe Spiritus ſanctus alterutrum comparauit. Ego autem dico in triplici qualitate olei, quod lucet, paſcit, & vngit. Fouet ignem, nutrit carnem,* Bernard.

*leuat dolorem, lux, cibus, medicina. Vide idem nunc & de Sponſi nomine, lucet prædicatum, paſcit recogitatum, inuocatum lenit, & vngit.* Illuſtro Doctoris teſtimonium.

## Capvt I.

### *Nomen Ieſu oleum ex ſui in ſumptione relucens.*

2. *Oleo lucenti hunc adnatū en ſumi.* Bernard.

LVcet Nomen Ieſu *prædicatum.* Et quidem olei inſtar inſumitur Ieſus, vt eluceat. Id quod idem Bernard. adnotauit: *Hoc nomen coram Regibus, & gentibus, & filiis Iſrael portare iuſſus eſt Apoſtolus, & portabat nomen tanquam lumen, & illuminabat patriam, & clamabat vbique: Nox præceſſit, dies autem appropinquauit; abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Et monſtrabat omnibus lucernam ſuper candelabrum, annuncians omni loco Ieſum, & hunc crucifixum.* Igitur Ieſu nomen luci ac ſimul oleo inſumendo quidem vt luceat, deſignatur.

3. *Ieſus moriendo ſaluat.* Pſal. 67.

Quam equidem Ieſu conditionem expreſſit Dauid fatus: *Deus noſter Deus ſaluos faciendi, & Domini Domini exitus mortis.* Pſalm. 67 Deus ſaluos faciendi Ieſus eſt. Sed quomodo ſaluat? Quomodo lux hæc ſalutaris expenditur? *Domini Domini exitus mortis.* Morti traditur Ieſus, vt inſumptus eluceat. Auguſt. 17. de Ciu. cap. 18. acutè excogitauit: *Deus ſaluos faciendi Dominus eſt Ieſus, quod interpretatur Saluator, ſiue ſalutaris. Nam ratio nominis huius hæc reddita eſt:* Saluum faciet populum ſuum. *In quorum peccatorum remiſſionem quoniam ſanguis eius effuſus eſt, non vtique oportuit eum de hac vita exitus alios habere, quàm mortis. Ideo cùm dictum eſſet,* Deus noſter ſaluos faciendi, *continuo ſubiunctum eſt,* & Domini exitus mortis. *Vt oſtenderetur,* (attende) *moriendo ſaluos eſſe facturus.* Oleū enim hoc relucet inſumptum.

August.

4. *Mortis Dominicæ cauſa, quod Ieſus oleum erat.* Matth. 27.

Iam cauſam Dominicæ mortis cognoſcere datur. *Poſuerunt ſuper caput eius cauſam eius ſcriptam, Ieſus Nazarenus.* Matth. 27. Et quanam cauſam, ſi nullam in Ieſu Pilatus capitalem inuenit? Nonne Ieſus? Hæc mortis cauſa. Si oleum eſt, ſi lucet, opus eſt, vt inſumatur. Ambroſ. l. 10. in Luc.: *Lego cauſam ſuper caput eius ſcriptam.* Quid legis? *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.* Nonne Ieſus innocens, quem nullus arguere de crimine valeat? Nonne Nazarenus virtutum floribus ſtipatus? Nonne Rex Iudæorum populo ſalutaris, dignus, qui æternum viuat? Vbinam igitur adeſt Chriſti necis cauſa? Ieſus eſt lucens. An lucerna aſſolet ſine inſumtione lucere?

Ambroſ.

5. *Saluator apparet ex eo, quod in ſumptus decubuit.* Luc. 23. Matth. 27.

Magnum hoc luminare occiduo expirauit patibulo: *Videns autem Centurio, quod factum fuerat, glorificauit Deum, dicens. Verè hic homo iuſtus erat.* Luc. 23. Matthæus autem: *Verè Filius Dei erat iſte.* Cap. 27. Ex quo enim, ô miles, creaturarum conditorem, mundi ſeruatorem es contemplatus? Quia obcæcata mundi luminaria obſcurantur? Quia latro inclamitans ſe ab illo petit paradiſo donari? Quia terra contremiſcit? Quia poſt tot tormenta, valida voce emiſſa, animam tradidit? Profectò ex eo, *quod ſic clamans expirauit*, ſeu quod lucerna extincta eſt, orbem, celſo edito clamore, illuminando, ego ſimul illuminatus exurgo. Strab. appoſitè: *Videns Centurio, quod ita haberet poteſtatem emittendi ſpiritum, quod non haberet niſi conditor animarum.* Quas equidem, oleo inſumpto, ſalutari lumine complet.

Strab.

6. *Noluit ſine ſui in ſumptione illuminare.* Matth. 17.

Obiicientes forſan Crucis titulum, *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum,* hoſtes inclamant. *Si Rex Iſrael eſt, deſcendat de Cruce & credimus ei.* Matth. 27. Quare igitur non deſcendit, vt facili triumpho Iudæos ad credulitatem afferet? Quia illud ipſum è Cruce deſcendere, ſe quodammodo negare Saluatorem extitiſſet. Nomen enim Ieſu, quod eſt oleum, & lumen, nullatenus illuceſcere vult, quin ſimul inſumatur: Athanaſ. ſic, *Dominus re vera Saluator,* hinc Ieſus, *non in ſe ſaluando, ſed in creatura reaſſumenda, Saluatorem ſe eſſe innoteſcere volebat.*

Athanaſ.

7. *Regnum Ieſu luce & ideo Ieſus inſumitur.* Ioan. 18.

Iam calleo Dominicæ ſententiæ vim. *Si ex hoc mundo eſſet Regnum meum, miniſtri mei decertarent, vt non traderer Iudæis. Nunc autem Regnum meum nō eſt hinc.* Ioan. 18 Regna tenebrarum harum non inſumuntur, quia minimè poſſunt elucere. At Ieſu Regnum luminare clariſſimum, lucendo quodammodo inſumitur. Chryſoſt. hom. 82. in Ioan. *Hoc dicit, quoniam non tenet Regnum, vt Reges terreni tenent; ſed quoniam deſuper habet principatum, qui non eſt humanus, ſed multo clarior,* imò ſolus clariſſimus. Si clariſſimum elucet Regnum Ieſu, quonammodo volet ab inſumptione, oleum vtique, contineri? Haud ſic terrena imperia, nec lucent, nec ob ſubditorum vtilitatem conſumuntur, (illico tamen miſerere conſumenda) quia Regna ſunt *tenebrarum harum. Oleum effuſum, nomen tuum.* Cant. 1. Ambroſ. *Oleum exinanitum.* Lampadi igitur apponatur lux, oleum inſumatur. Nonne *exiuit ſanguis & aqua* ex Saluatoris latere vulnerato? Præcurrit profectò oleum inſumendum, vnda ſanguinis exhauritur, lampas euacuatur, mox aqua prodit quaſi affirmans oleum vſque ad aquam ſubmiſſam omnino exinanitum.

Chryſoſt. Ioan. 19.

## Capvt II.

### *Nomen Ieſu oleum paſcens, & induens fideles.*

8. *Omnia ſine Ieſu inſipida.* Bernard.

NOmen item Ieſu olei in morem *paſcit recogitatum.* Id probat Bernard. ſubiiciens. *Annon totus confortaris quoties Ieſu nominis recordaris? Quid aquè mentem cogitantis impinguat? Quid ita exercitatos reparat ſenſus, virtutem roborat, vegetat bonos mores, atque honeſtos caſtas fouet affectiones? Aridus eſt omnis animæ cibus, ſi non hoc ſale conditur.* Parum eſſet nominis Ieſu munificentiæ tantum paſcere ſuos; ſi non ſimul induere dignaretur. Eſt enim materfamilias, de qua Sapient. *Surrexit de nocte, deditque prædam domeſticis ſuis, & cibaria ancillis ſuis?* Num officium matrisfamilias impleret, ſi non etiam domeſticis veſtimenta præpararet? *Quæſiuit lanam & linum. Omnes enim domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus* Prouerb. 3. Hæc nominis Ieſu effuſi olei munia, cibi ac veſtimenti domeſticos ſuos abundantia donare.

Prouer. 31.

9. *Vacua fames Ieſu ſuauitate exſatiatur*

Quid de matrisfamilias huiuſce præparata alimonia? Nulla tam ingens fames, quæ dulciſſimo Ieſu nominis alimento non compleatur

Coquet

Pſal. 58. Caſſiod. *Conuertatur ad veſperam, & famem patiatur, vt canes.* Pſalm. 58. Vbi Caſſiod. *De iis loquitur, qui in fine credituri ſunt. Cum enim ſubintrauerit plenitudo gentium, tunc omnis Iſrael ſaluus erit.* Patietur preſſa fame valida miſera Synagoga, ſed ſuauiſſimo tandem Ieſu nominis cibo ſaturabitur. Bernard. Attigit hoc Bernard. fatus: *Habuit Iudæa quoſdam Ieſus, quorum vacuis gloriabatur vocabulis. Illi enim non paſcunt. Idcirco Synagoga eſt fame, & infirmitate laborant. Nec ſaturabitur, quouſque ſciat meum Ieſum dominari Iacob, & finium terræ, & conuertatur ad veſperam. & famem patiatur vt canes.* Conditio prærequiſita, vt Synagoga nomine Ieſu donetur, famе premi, vt vtiliter tam ingenti poſſit ſaturaritate frui, Ieſu nomine *vacua vaſa non pauca* repleturo.

10. *Ieſu pleum paſtor eſt conſequenter.* Cant. 1. Poſtquam dixit ſponſa: *oleum effuſum nomen tuum* inferius adiecit, *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas?* Cant. 1. Paulo ſuperius ô Regina, eum Regem nominaſti, *introducit me Rex in cellaria ſua.* Iam appellas paſtorem? Quonam, ais, modo nomen Ieſu oleum erit effuſum, niſi paſtoris mox officio fungatur? *Oleum* (ait Bernard.) *paſcit.* Si paſcit oleum Ieſu, cur id non paſtorem hominum vocitabo? *Indica mihi, vbi paſcas?*

11. *Ioſeph Saluator neceſſariò fuit.* Gen. 49. Rupert. Ioſeph Ægyptiorum Saluator typum egit Ieſu Seruatoris. *Inde paſtor egreſſus eſt lapis Iſrael.* Gen. 49. Rupert. *Ipſe Ioſeph ſeu Saluator paſtor egreſſus dicitur. Nam dicit, Ego paſcam vos, & paruulos veſtros.* Et quando Saluator, Ieſus inquam, ſimul paſtor non eſt?

12. *Oleo nominis Ieſu fidelium veſtimenta præparantur.* Annon parat mater illa familias, ſiue Ieſu nomen, ſuis domeſticis veſtimenta? Mittens manus ad fortia digitis fuſum apprehendentibus, ac lana colo appenſa, ducit fila ad texendum miniſtrantibus indumenta. Porrò ea eſt lanæ natura, quod non poſſit abſque olei aſperſione ad telam præparari. Oleum igitur nominis Ieſu non ſolùm paſcit famelicos, ſed & nudis præſtat indumentum. Quærit Bernard. ad illud: *Oleum effuſum nomen tuum*, cur Ieſu nomen oleum appellatur? & reſpondet: *Non aliud eſſe reor, niſi quod fortis mulier ſapientia miſit manum ad colum, & digiti eius apprehenderunt fuſum. Nouit enim modicam lanam in longum producere filum, atque in tela extendere latitudinem, & ſic omnes domeſticos ſuos veſtire duplicibus.* Oleum namque nominis Ieſu lanæ infuſum, eam aptam ad opus reddit efficiendum.

13. *Agnus eſt enius lana operimur.* Paſtor Ieſus ſimul & Agnus, vnde facilè poteſt propria lana fideles induere. *Fuit autem Abel paſtor ouium.* Gen. 4. Rupert. in Abelis innocuo ſanguine effuſo Ieſum mundi ex profluenti ſanguine Seruatorem eſt veneratus. Hier. aſt in cap. 53. Iſa. *Hic Agnus eſt, cuius cruor linitus in poſtibus exterminatorem fugabat Ægypti.* En Saluator, en Ieſus. *Non ſolum* (pergit ille) *ſanguine ſuo nos redemit, ſed & lanis operuit, vt algentes infidelitate, ſuâ veſte calefaceret.*

---

## Caput III.

### *Nomen Ieſu oleum inungens, & ſanans ægrotantes.*

14. *Nomen Ieſu aduerſus crimina medicamen.* Medicina denique eſt ſalutaris nominis oleum. Bernard. ad hæc: *Triſtatur aliquis veſtrum? Veniat in cor Ieſus, & inde ſaliat in os, & ecce ad exortum nominis lumen nubilum omne diffugit, redit ſerenum. Labitur quis in crimen, currit inſuper ad laqueum mortis deſperando? Nonne, ſi inuocet nomen vitæ, confeſtim reſpirabit ad vitam? Inuoca me* (ait) *in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me* medicum ſapientiſſimum. *Nihil ita iræ impetum cohibet, ſuperbiæ tumorem ſedat, ſanat liuoris vulnus, reſtringit luxuriæ fluxum, extinguit libidinis flammam, ſitim temperat auaritiæ.* Bernard.

15. *Super noſtra vulnera vnguentum.* Epiph. D. Epiphan. con. hær. *Ieſus Hebr. lingua curator appellatur, aut medicus.* Medicum equidem peritum (humanis alloquor) peritiorem medicatarum ægritudinum reddit experimentum. Sapientiſſimus medicus Ieſus (quando experimento poſſet indigere) huiuſce olei nominis ſalutaris efficacitatem expertus eſſet, cùm in ſimilitudine carnis peccati apparens circumciſionis fuit vulnere affectus. Tunc nominis Ieſu oleum effuſum ſuper vulnus, leniuit dolorem, vulneribuſque noſtris veris vtique probatiſſimum reliquit vnguentum. Approbat D. Ambroſius ſerm. 21. in Pſalm. 118. dum edocet nominis *Iehouah* litteram Hebræam *ſin* addendam, vt nomini Ieſu correſpondeat. Verum *ſin* idem eſt ac *ſuper vulnus.* Quaſi diceret, Nomen Ieſu ſuper vulnus tunc externum, ſeu materiarium Circumciſionis Dominicæ, nunc autem ſuper interna, ac vera peccatorum vulnera adeſt medicamen. *Super vulnus* (inquit Ambroſius) *quid eſt niſi medicamentum, quo vulneris acerbitas mitigatur? Super vulnus hoc oleum infunditur, vt omnis vulneris acerbitas molliatur.* Ambroſ.

16. *Ieſus haud capax ægritudinis indè in nos ægrotantes vim ſalutaris nominis effudit.* Hoc enim habet medicus Ieſus præſtantiſſimum, quod ipſe non indigeat medicamine; quia ægris ſalutaris medicina non valentibus præparatur. Pendente Ieſu è patibulo, nomini vitali hoſtes improperabant, dum dicerent, *Alios ſaluos fecit, ſe ipſum non poteſt ſaluum facere.* Matth. 27. Quid Ieſum illud vocitatis? Vbinam medicina, ſi ſibi ipſe haud valet ſalutaris exiſtere? *Medice cura te ipſum.* Se equidem ſanare non poteſt, quia æger non eſt. Vndè totam ægrotantibus nobis ſalutaris nominis confert efficaciam. Athanaſ. Euang. de Paſ. pulchrè excogitauit: *Dominus re vera Seruator, qui non ſua, ſed noſtra quæreret; non in ſe ſaluando, ſed in creatura redimenda Saluatorem ſe eſſe innoteſcere volebat. Non enim medicus eo quod ſe ipſum ſeruat, declaratur medicus. Itaque Dominus non ſe ipſum ſaluauit, ſiquidem nulla ſalute indigebat, cùm eſſet Saluator. Sed ex ſuis in alios beneficiis voluit Saluator declarari.* Hactenus Pater. Matth. 27. Athanaſ.

17. *Nominis huiuſce oleum areſcentes præ timore exhilarat.* Luc. 21. Iam verò Bernardi teſtimonium accuratiùs expendo. *Triſtatur aliquis veſtrum? Veniat in cor Ieſus, &c.* Quidnam te ad triſtitiam impellit? Nubeſne illa iudicialis Chriſti ferculum, quando homines *præ timore* exareſcent? Luc. 21. Chriſtus vnctus *oleo lætitiæ*, non vt ſibi reſeruet; ſed *præ participibus. Areſcentibus* itaque *hominibus* medicamen adhibeatur, adſit inuocatus Chriſtus, adſit Ieſus. Chriſtus vnctus innunget, Ieſus oleum exiſtet, ariditas timoris parens triſtitiæ coram certa ſalute profligabitur. Mecum ſentit Chryſolog ſerm. 27. *A chriſmate vocatus eſt Chriſtus, qui diuinitatis vnguentum aridis iam mortalium membris pius medicator infudit. Et vt à Chriſmate Chriſtus, ſic Ieſus* Chryſol.

vocatus

*vocatus eſt à ſalute. Qui ob hoc nos diuino inſudit vnguento, vt ægris certam ſalutem, perditis perpetuam redderet ſanitatem.* Quid mirum iuſtitiæ ſolem timentibus iudicij aduentum exoriri leuandis, ſi in pennis eius inuncti equidem nominis Ieſu ſanitas volitat?

18. *Oleum hoc ſanit iugum vitiorum cõputreſcere. Iſai. 10.* *Nihil* (concludit Pater) *ita iræ impetum cohibet, &c.* Vitiorum huiuſmodi iuga à facie Ieſu olei auferuntur. *Et erit in die illa auferetur onus eius de humero tuo, & iugum eius à collo tuo, & computreſcet iugum à facie olei.* Iſai. 10. Et quonam modo iugum computreſcet? Infirmabitur, & tanquam lignum putrefactum comminutum proiicietur. Gillebert. *Computreſcit iugum à facie olei, ex quo cœpimus nomine alio vocari, & inuocatum eſt ſuper nos nomen ſecundi Adam, cuius oleum effuſum nomen eius.* Solus nominis Ieſu conſpectus potens tyrannidis peccatorum iugum comminutum putredine excutere.

*Gilleb.*

# OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

## *Nomen eius Ieſus.*

## Ineffabilis Ieſu nominis Dulcedo.

*Vbi de cœleſtium ſuauitate.*

19. ALiâ metaphorâ Bernardus Ieſu nomine mellifluus, eius proſecutus eſt præconia. *Ieſus* (ait) *mel in ore, in aure melos, in corde iubilus.* Id quod triplici ſimiliter Capite illuſtrabo.

### Capvt I.

*Nomen Ieſu mel ſuauiſſimum diffluens miſericordiâ.*

20. *Nomen Ieſu amplexando ſanat. Exod. 17.* NIhil non ſuaue in Ieſu reperitur. Medicamentorum planè aliud dulce, aliud amarum, vtrumque tamen conferens ſanitatem. Vt Moyſes & Amalechitas percuteret, & myſticè ſanaret, manus leuauit. Exod. 17. At vt Ieſus mundiales deuincat ægritudines, brachia non leuat, ſed extendit. Leuat ille manus, vt percutiendo ſanet; extendit hic, vt amplexando peccatores ſanitati reſtituat. *Aduertite,* (inquit Auguſtinus ſermon. 92. de Temp.) *Moſes manus quidem leuat, non tamen extendit. Cui ergò ſeruabatur, vt manus extenderet niſi Domino noſtro Ieſu, qui extentus in cruce, vniuerſum orbem complexurus, brachia pietatis expandit?* Quàm efficax pietatis oleum, ad ſanandum! Vicit profectò legis ſeueræ amaritudinem.

*August.*

21. *Dulcius ideo Ieſum ore ferimus. Abac. 3.* Præcinit Abacuc: *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo.* Cap. 3. Æger indigeo medicamine. Vis medicus adſit diuinitas, an humanitas Saluatoris? Gaudebo quidé Domino Deo aduentáte; ſed exultabo meo Ieſu opem adlaturo, quia amicius nomino, dulcius excipio. Pulchrè Auguſtin. 18. de Ciu. c. 32. *In Domino gaudebo, quia Dominus Deus meus virtus mea, ſtatuet pedes meos in cõſummationem.* Me, inquã, ſanitati reſtituet. Sed tamen ex Dei maieſtate deterreor. *Exultabo* itaque *in Deo Ieſu meo, quod* quidem nomen *eſt nobis amicius, & dulcius nominare.* Dulcius nomino Ieſum, cuius nomen mel in ore ſuauiſſimum. *Auguſt.*

Quàm ſuauiter Ieſus ſanitatem impertitur? *Ecce mulier, quæ ſanguinis fluxum patiebatur ab annis duodecim, acceſſit retro, & tetigit fimbriam veſtimenti eius.* Matth. 9. Chryſol. ſerm. 24. reſpondet: *Mulier, magni maris inſtar, æſtibus iactabatur; agebat, vt ſibi rediret ſanitas, & verecundia non periret; curabat, ne cura ſua ad curantis redundaret iniuriam; prouidebat vt redderetur ſibi ſanitas, ſalua reuerentiâ Saluatoris.* Ad quemnam te exiſtimas, ô tremens femina, acceſſiſſe? Ad Dei Filium. Attende eum Ieſum eſſe omni ſuauitate, omnimodâ dulcedine redundantem. Bellè adiicit ex Euangeliſta Chryſologus. *At Ieſus inquit, Confide filia.* Quid Ieſus dulciſſimus niſi filialem halaret confidentiam? Noë filiis, à quibus habitus in honore, *Benedictus Dominus Deus Sem.* Gen. 9. Cur non & *Iaphet?* Reſpondet Diodor. *Hoc ſpiritu prophetico prædixit Noe. Norat enim, quod de Sem naſciturus erat Abraham, & tandem ex eius ſemine Ieſus, in quo benediceretur vndequaque Deus.* Quare Deus benedicitur in Ieſu *vndequaque?* Quia *vndequaque*, homines ſanat: vbique dulcem, vbique ſuauem homines experimur. 22. *Ad Ieſum ſuauiſſimum non vereatur accedere. Matth. 9. Chryſol. Gen. 9. Diodor.*

Num vidiſti, auribúſve vnquam percepiſti Ieſum aliquando fuiſſe, aut futurum amarum? Reſpondeo: Iudicaturus Ieſus illud proferet horribile verbum: *Diſcedite maledicti in ignem æternum.* Matth. 25. Proh Ieſu vel tunc expreſſa dulcedinis redundantia! Simon de Caſſia, lib. 1. cap. 10. Ieſu nomen per omnes acutè caſus voluens, ſic ludit: *Si primum rectum caſum accipimus, per eum nomina ſaluandorum ſcripta ſunt in cœlis. Si ſecundum, per eum vocamur ad veram refectionem. Venite ad me omnes. Si primum obliquum, per ipſum Pater voluntariè genuit nos verbo veritatis, vt ſimus &c. Si ſecundum, omnia dedit ei Pater in manus. Si tertium, accuſatos damnat, quos ipſe excuſare non poteſt. Si quartum, aufert à ſuis electis omnem tribulationem.* Damnat igitur Ieſus accuſatos iam à Diabolo peccatores, & qui impœnitentes haud poſſunt excuſari. 23. *Ieſus damnat eos, qui non poſſunt excuſari. Matth. 25. Caſſiod.*

### Capvt II.

*Nomen Ieſu melos in aure, omnem è corde ablegans triſtitiam.*

NOmen Ieſu (ait Bernard.) *in aure melos. Triſtatur aliquis veſtrum? Veniat interim Ieſus &c. Sume tibi* (inquit Deus) *aromata prima myrrhæ, oleum de oliuetis.* Exod. 30. Ad quem locum Cyrillus lib. 12. in Leuit. *Hoc oleum, quod ex myrrha, & caſia confectum eſt, non poteſt dici oleum Dei. Vis autem videre oleum Dei? Audi Prophetam,* Propterea vnxit te Deus oleo lætitiæ præ participibus tuis. *Chriſtus enim ſolus magnus Sacerdos oleo Domini vnctus eſt.* Illos autem 24. *Nomen Ieſu ſine melodia non exauditur. Exod. 30. Cyril.*

D. Hiero

D. Hieronymus participes huiuſmodi lætificantis olei appellat, qui ex ore Ioannis IESV nomen exaudiunt. *Participes autem huius olei lætificantis puto, ad quos loquitur Ioannes: Et vos vnguentum habetis &c.* Quis enim Ieſu nomen poteſt audire, qui non cœleſti melodia lætificante præcordia perfundatur?

25. *Infauſtum quid inſonare non poteſt. Luc. 4.* Nullateous Ieſu canticum nouum cum triſtitiæ eiulatu commiſcetur. Cum Diabolus, Ieſu aduentante, inclamitaret, *Quid nobis, & tibi Ieſu, Venisti perdere nos. Luc. 4.* Dominus prohibuit, ne nomen ſacratiſſimum perualgaret, *Obmuteſce.* Venit iam rurſum in quæſtionem, cur Chriſtus voluerit nomen Ieſu à dæmone minimè proferri? Num quia labia inclamantis immunda? Num quia laus mendacis ſuſpecta? Num quia adulatoris infrænanda inclamatio? Profectò ideò reor obturata dæmonis labia, ne ore fœdo dulciſſimum nomen effunderet, quia plorans, eiulatúſque emittens infelix nominauit. *Neque enim* (loquor cum Tertulliano 4. contra Marc. cap. 4.) *dixit, Quid tibi, & nobis, Ieſu? ſed quid nobis & tibi? ſe deplorans, ſorti ſua exprobrans.* Si enim proclamaſſet. Quid tibi & nobis ô Ieſu? ex præmiſſione ominis dulciſſimi ſibi innueret aliquid lætitiæ ingeri poſſe. At præmittens illam particulam: *Quid nobis* priuſquam Ieſu nomen proferret aperto ſe excluſum ab huiuſce lætificantis vocabuli fructibus manifeſtat. *Obmuteſce* igitur. Nec enim Ieſus nomen quod deceat vſurpari ab eo, qui proferendo non poſſu illicò ad lætitiam redire, & melodiâ mox auribus immerſi mœſtitiâ gaudium immittente eo mirificè perfundendum.

*Tertul.*

26. *Querimonia audito Ieſu nomine ſilet. Ioſ. 10.* Cùm ſalutaris extitit Iſraelis confœderatis Ieſus ille, qui Domini geſtauit, in morem ſigni, appellationem, hoſtibus omnino exitialis. *Sol* (inquit) *contra Gabaon ne mouearis.* Ioſue 10. Hebraicè loco illius verbi: *Mouearis*, eſt דום *Dum*, ſeu *ſilere tacere.* Ac ſi diceret, *Sol ſile*, ne quæſo querelas excitate velis, ne gemitus producas. Et cur eôquereretur, cur Sol ingemiſceret? Quia lucem præſtare ad hoſtium internecionem cogebatur, quod certe à tam benefico alienum luminari. *Sile* igitur. Quia dum in Ieſu nominis baiulo Ioſue ſalutaris nominis dulciſſima reſonat melodia, cuius ſonus te ſiſtere effecit iam præcipitem, non decet exaudiri lamenta turbatura vtique cõcentus ſuauitatem.

27. *Ieſu nomen reſonans quæcumque facit ſilere concentum.* Siue magis arridcat Rab. Salomon explanatio illius verbi: *Sol ſile*, ſeu, *Non moduleris.* Putat enim ille ſolem qualibet hora aliquod in Dei laudem carmen proferre, Platonicorum dogmate imbutus, Syrenes quaſdam in cœleſti orbe concinentes falſo collocantium. Ac ſi diceret Ioſue, (*Dixit* namque *Ioſue*, ſeu Ieſus *coram Domino.*) Cœleſtia cedant modulamina, dum Ieſu nomen dulciſſimè reſonat. *Concentum cœli* (quærit Iob) *quis dormire faciet?* Cap. 38. Quis poterit impedire? Profectò nomen Ieſu reſonans quemcumque obruit concentum, quamcumque facit harmoniam conticeſcere.

*Ioſ. 10. R. Sal.*

*Iob. 38.*

28. *Scientiam vocis habet. Leuit. 14.* Quid de gloria audientium Ieſu nomen attexam? In mundatione leproſi, *Quod reliquum eſt olei* (inquit lex) *fundetur ſuper extremum auriculæ eius, qui mundatur.* Leuit. 14. Huiuſmodi oleo nomen Ieſu deſignatur aurium melos, & exultatio, adnotante Cyrillo. *Tangat oleo auriculam. Vngetur oleo exultationis. Quo oleo* (nomine Ieſu) *qui fuerit linitus, vnus cum Deo ſpiritus efficitur, & vbi Pater, & Filius eſt, ibi etiam & ille erit.* Quare non addit, *vbi Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus.* Homo Ieſu nominis oleo linitus pro Spiritu ſancto, eius imago effectus Patri quodammodo adſtat & Filio. Proh gloriæ immenſitas!

*Cyrill.*

## CAPVT III.

### *Nomen Ieſu Cordis iubilatio.*

*IN corde iubilus Ieſus*, concludit Bernardus. Cordis lætitia ex eo ducit ortum, quod vel ad nos omnia bona appropinquant. Ex vtroque capite in Ieſu noſtro exultamus. Ac primus cordis noſtri iubilus Ieſu nomen, quia à malis abſtrahimur *Annuncio vobis* (ait Angelus) *gaudium magnum, quia natus eſt vobis Saluator*, ſeu Ieſus Lucæ 2. Ponderandũ exhibeo Simon. de Caſſia lib. 1. cap. 10. teſtimonium. *Magna quidem ingeritur humanis cordibus de nomine Ieſu lætitia. Quod in tam magnis, & variis periculis exiſtentibus Saluator de cœlis aduenerit, & ſic vocari voluerit.* Proxima hæc verba expendenda ſunt. Lætitiâ cor noſtrum cauſa duplici afficitur, & quia Saluator *aduenerit*, & quia ſic *voluerit nominari*, id eſt, quia *vocatum eſt nomen eius Ieſus.* Ad libram præterea illam adfero particulam: *Ingeritur humanis cordibus de nomine Ieſu lætitia.* Ac ſi Cœlicolæ, nomine Ieſu prolato, humanis cordibus *in magnis, & variis periculis exiſtentibus* cœleſtis gaudij lætitiam infeırent, quæ quidem, ſolummodo magna poteſt nuncupari. 29. *Auditu Ieſu nomine magna cordis lætitia inſertur.* *Luc. 2.* *Caſſia.*

Ieſus item cordis noſtri iubilatio, quia id bonis omnibus explet. Simon de Caſſia nomen Ieſu adiectiuum adfirmat apparere, ſubſtantiuum cum ſit quodammodo adiectiuum nomen oſtentatur? *Adiectiuum* (ait) *eſt nomen Ieſu. Adiicit enim omnia ſuper naturam creatam.* A te omnia exulant bona? Veniat in cor vnum Ieſu nomen, omnia illico præcordiis bona adiicientur. Omnia mundi bona recedunt; Ita planè. *Ficus enim non florebit, & non erit germen in vineis, mentietur opus oliuæ, & arua non afferent cibum, abſcindetur de ouili pecus, & non erit armentum in præſepibus.* Abac. 3. Quid igitur in tanta terum inopia? Alij alia requirant paupertatis ſolatia, *Ego autem exultabo in Deo Ieſu meo.* Vide num bonis præcordia repleantur? Quorumnam, rogas, cor humanum bonorum copia capax eſt? Omnium profectò. *Sicut pupilla oculi* (inquit Machar.) *cum ſit exigua, tamen eſt vas ingens, quoniam intuetur vna cœlum aſtra, ſolem, lunam, orbes, & alias creaturas: ita & cor ipſum eſt vas quoddam exiguum ſed ibi ſunt omnia.* Vis itaque modum indicem, quo facili negocio omnia tuo in corde contineãtur? *Ibi etiam Angeli, ibi vita, & Regnum, ibi cœleſtes orbes, ibi theſauri gratiæ, ibi ſunt omnia.* Si omnia in corde, vbi regnat Ieſus, quid mirum illud ineffabili diffluere iubilatione? En quonam modo ſubſtantiuum Ieſu nomen omnium ſit bonorum adiectiuum. 30. *Omnia bona vbi Ieſu nomen omnium bonorum adiectiuum.* *Caſſia.* *Abac. 3.* *Machar.*

31. *Omnis lætitia abſque nomine Ieſu ſorme damnat.* Vis huius lætitiæ indicem præſtantiam? An non Reges, ac Pontifices poteris beatos inclamitare, queis omnia obſequium videntur impendere? Omnis eorum lætitia fallax in dulciſſimi nominis Ieſu conſpectu. Memorans D. Leu. 14. Cyrillus leproſi inunctionem, ponderat Cyril. leproſum frequenter vnctum reperiri. Vnde quæris, cur homo idem toties inungebatur? Myſticè autem reſpondet. *Nos intelligimus de eo, cuius ſemper augetur vnctio* adeò, vt ad omnes lætitiæ vnctione delibutos aſcendat. *De leproſi oleo migrat ad oleum populi, de oleo populi ad oleum peruenit Sacerdotum, & à Sacerdotibus tranſcendit ad chriſma Pontificis, à Pontifice quoque ad Regem, à Rege ad Patriarcham?* Quid plura? *A Patriarcha peruenit ad Ieſum, & tunc inungitur oleo exultationis.* Quaſi minimè oleo exultationis iniungeretur, donec Ieſu nominis oleo delibutus eſt. Fallax vtique omnis temporaria exultatio in dulciſſimi nominis conſpectu.

# OBSERVATIO III.

## Ad illa verba:

### *Nomen eius Ieſus.*

## Nomen Ieſu cognomina Chriſti complectens.

*Vbi de inuocationis diuini nominis; ſiue orationis potentia.*

32. ADIICIT Lucas, *Quod vocatum eſt ab Angelo*, Gabriele vtique paulò ante incarnationis myſterium, priùs autem ab Iſaia ſpiritu Angelico Iſa. 9. pronunciatum, dum inquit; *Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis: Et vocabitur nomen eius Admirabilis, Conſiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis.* Cap. 9. Quid ais Propheta Euangeliſta? Nomen Parouli vocatum eſt *Ieſus*, non *Conſiliarius*, non *Admirabilis*, non *Deus*, non *Fortis*, E- quidem nomen Ieſu cunctas illas cootinet appellationes. Bernard. *Magna quidem nomina,* Bernard. *ſed vbi eſt nomen, quod eſt ſuper omne nomen Ieſu? In his omnibus vnum illud inueniat. Abunde effuſum eſt ſacratiſſimum nomen in tot nomina Chriſti.* Id ſingulatim oſtendam.

### CAPVT I.

#### *Nomen Ieſu, Admirabilis.*

33. *Nomen Ieſu faciat mirabilia.* ADfer ad memoriam puerum illum Prophetæ miniſtrantem, qui ad infantis cadauer præmiſſus non valuit id ad vitam baculi contactu reuocare. 4. Reg. 4. Prophetæ equidem huiuſmodi facinus ſeruabatur. Quid mirum præmiſſos Naue & Ioſedech Ieſu nominis balulos abſque miraculi excitatione receſſiſſe, ſi admirabilia quæque Chriſti Ieſu nominis virtuti conſecrantur? *Illi quidem* (Bernar. ſerm. Bernard. 25. in Cant. ait) *Ieſus Naue, & Ioſedech præmiſſi ſunt tanquam baculus ad mortuum, Prophetam præuenientes, & ſua interpretari nomina nequiuerunt; vacua quippe erant. Superpoſitus mortuo baculus eſt, & non erat vox, neque ſenſus; quia baculus erat. Deſcendit Ieſus, qui baculum miſit; iam vox, iam ſenſus eſt.* Mox profectò miracula proſiliunt, vbi nomen reſonat admirabile.

Abrahami, & Saræ ſenio confectorum nota omnibus ſterilitas, notior adhuc fœcunditas 34. admirabilis. Et quiſnam tantum miraculum *Admirabilis ab eo Abrahæ fœcunditas.* excitauit? Exiſtimo nomen Ieſu, cuius littera Gen. 17. ſingularis vtriuſque coniugis nomini inhæſit. Nominis ſalutaris ſuperaddita littera iam *pater multarum gentium* Abraham eſt, iam Sara *princeps* abſolutè appellatur, ſterilitateque ablegatâ, mundus rapitur in admirationem. Quænam non proferet mirabilia totum admirabile nomen, ſingularis dum littera tam ſingulariter naturam tranſcendit?

Claudo ad portam ſpecioſam conſtituto, ac 35. eleemoſynæ ſubſidia efflagitanti ſic Apoſtolus: *Et Claudi ſanitas.* *Argentum, & aurum non eſt mihi, quod autem habeo, hoc tibi do. In nomine Ieſu ſurge, & ambula.* Actor. 3. Chryſoſt. *Mihi Chriſtus in ſuo nomine* Act. 3. *aurum, & argentum reliquit ſuum.* Pecuniæ tem- Chryſoſt. poratiæ omnia temporaria ſeruiunt; Spirituali huic admirabili theſauro æterna, ſupernaturalia ſubiiciuntur.

Vidiſti Paralyticum piſcinæ probaticæ aſſi- 36. dentem per tot annorum interſtitium, nec ta- *Hoc oleum paralyticus debebat expetere.* men ad ſanitatem perductum: Quare ô miſer non è lecto reſurgis, vt aquis ſalutaribus intingaris? *Hominem non habeo.* Ioan. 5. Num non Ioan. 5. vinculis illigatus ægritudinis potes Ieſum la- Bernard. biis exprimere? *Si doles*, (loquor cum Bernar. ſerm. de Diu.) *ecce oleum ſalutiferum Ieſu, cuius nomen eſt oleum. Quid tibi cum aqua? Si vis recipere ſanitatem, ecce fons olei miſericordiæ.* Proh hominis miſeria! ſanitati poſt tot annos reſtitueris, qui ſi admirabilis nominis virtutem calluiſſes, tam iodè à Ieſu circumciſione lecti vincula fuiſſent comminuta.

Num ſufficiat mihi Ieſu nomen admirabile, 37. vocitaſſe? Signum profectò eſt hoc nomen *Hic mirabilium fons.* auguſtiſſimum omnia mirabilia ad ſalutem hominum effuſa repræſentans. *Memoriam* (ait David) *fecit mirabilium ſuorum miſericors, & miſerator Dominus.* Pſal. 100. Et quodnam admi- Pſal. 100. rabilium ſignorum admirabile ſignum niſi nomen ſalutare? Quod edocet Bernardinus Tom. Bernard. 4. ſerm. 48. *Nomen Ieſu eſt ſignum* (ſeu miraculum) *repræſentans ſibi omnia, quæ Deus vndique fecit propter ſalutem humanæ naturæ.* Lazarum ſuſcitauit Dominus? mundauit Paralyticos? illuminauit cæcos? pauperes fecit Euangeliſtas? conſtitit Sol aliquando; fortiſſimus Goliath ab adoleſcentulo percuſſus fœdo cruore volutatur? Holophernes à fœminea fragilitate interimitur? manna è cœlo prolabitur?

Omnium nomen Ieſu miraculorum fons, admirabilium cunctorum admirabile ſignum.

## CAPVT II.

### Nomen Ieſu, Conſiliarius.

38. *In nomine Ieſu abyſſus conſiliorum Dei.* Ioan. 13. Pet. Dam.

NVm non conſiliarij titulo nomen Ieſu effulget, ſi totius perfectionis exhibet magiſterium? *Vos (ait) vocatis me Magiſter, & Domine; & bene dicitis: ſum etenim.* Ioan. 13. Quàm ſapiens Magiſter, qui Dominatus, ſeu Deitatis continet conſilia! Damian. ſerm. de Nat. *Dominium nomen eſt maieſtatis, Magiſter pietatis. Videamus igitur quod horum inſuſum nomen! Abſit vt miſericordia in potentia* (ſeu magiſterium in dominatione) *includatur. Certum igitur eſt, quod poteſt ei Dei in maiorem pietatem diffuſa ſit. Non habuit enim dulciorem modum abyſſus illa conſiliorum Dei. Quia quidquid pietatis in diuinitatis theſauro lateuerit eſt, totum in vtero Virginis eſt aggeſtum, & genitus Filius Ieſus appellatus eſt.* Vide conſiliorum Dei abyſſum in Ieſu nomine effuſam, vnde appoſitè *Conſiliarius* appellatur.

39. *Conſilium magnum nomen Ieſu.* Iſai. 4. Orig.

Fœminarum ſeptem illarum vna *Sapientia* eſt apud Iſaiam, ſi Origeni hom. 4. fides adhibenda. Clamant illæ, *Tantummodo inuocetur nomen tuum ſuper nos*, cap. 6! Quare nomen Ieſu ſuper ſapientiam, tam enixis precibus ſummiſſis, oportet inuocari? Quia Magiſtra hominum ab abyſſis conſiliorum Ieſu conſiliis ſuis dirigere debet errantes; *Vt conſilium magnum* (inquit Orig.) *nominetur Ieſus.* Quod quidem nomen fons eſt perennis conſiliorum.

40. *Electrum cuius conſiliarius greſſus.*

Filius hominis *in medio ſeptem candelabrorum aureorum* inambulans apparuit, Ioanne vidente. Eius equidem *pedes ſimiles aurichalcho.* Apoc. 1. Quid aurichalchum? Græcè, *ſimiles chalcholibano.* Quod, Suida auctore apud Virg. cap. 1. com. 2. ſect. 1. eſt genus electri ex auro, & aliquali argenti parte confectiſ. Chriſti conſiliarij greſſus hominibus ſalutares Ieſum referunt, imò Ieſu nomen pro pedibus deſeruit Saluatori. Annon Ieſu nomen chalcolibanus ſiue Electrum? Ad illa verba: *Argentum, & aurum non eſt mihi, quod autem habeo hoc tibi do. In nomine Ieſu ſurge, & ambula.* Actor. 3. inquit Chryſoſt. *Mihi Chriſtus* (ex ore Petri) *in ſuo nomine aurum, & argentum reliquit ſuum.* Aurum, & argentum in nomine Ieſu? Electrum eſt, Chalcholibanus eſt? Ieſu nomen Epiſcopis conſilia rectè exhibet gradiendi. *Tuum* (huic ait) *primam charitatem reliquiſti. Eſto* (alij) *fidelis. Confirma* (huic) *cætera, quæ moritura erant.* Greſſus namque Ieſu nominis vocales ſunt, exiſtunt conſiliarij.

Act. 3. Chryſoſt.

41. *Virginitas ex conſilio nominis Ieſu.* Iſa. 4. Greg.

*De virginibus* (ait Paul.) *præceptum Domini non habeo, conſilium autem do.* Nomen Ieſu virginitatis *conſiliarius.* Septem illæ mulieres meretrices quid aliud proclamant? *Tantummodo inuocetur nomen tuum ſuper nos.* Iſa. 4. Vt conſilium virginitatis excipientes in virgines conuertamur. *Septem* (Gregor. ait) *mulieribus vniuerſitas meretricum ad Dominum reuertentium deſignatur.* Ad quid reuertuntur? Nonne vt ex Rege Ieſu ſimul & medico audiant, vnde cũ poſſint patrem virginitatis ducem appellare?

42. *Conſilium & vires præſtat.*

Et quænam, obſecro, vis fragiles fœminas in virginitatis mirabilis conſilio continebit? Ieſu nomen dans conſilium, præſtans & vires ad executionem. *Et vocabitur nomen eius Admirabilis, Conſiliarius, Deus, Fortis.* Iſa. 9. *Conſiliarius* inquam, ſiue Ieſus, qui conſilia virginitatis exhibet. At quia ingens huiuſce conſilij exequendi difficultas, propterea adijcitur, *Deus, Fortis.* Ac ſi diceret, ipſe Ieſus, qui dat puritatis conſilium, *Deus* eſt, & *Fortis* ad auxilium ferendum; vnde facili negotio huiuſmodi conſilij valde difficilis perfectionem exequaris. D. Cypr. hom. de Nat. *Quod ſi diuinis conſiliis obtemperent tentamentis, & liberam mentem ad cardinales reuocauerint appetitus, adeſt Deus, & Fortis.* Ideo enim *Dei poteſtas*, Damiano authore, in nominis Ieſu pietatem effuſa eſt.

Iſa. 9. Cyprian.

## CAPVT III.

### Nomen Ieſu Deus, Fortis.

43. *In nomine Ieſu plenitudo Diuinitatis.* D. Thom.

CIrcumcidiſur, (ait Bernar.) *vt Abrahæ filius: Ieſus vocatur, vt Filius Dei.* Sanct. Thom. 3. part. quæſt. 16. art. 6. affirmat nomen Ieſu formaliter humanam naturam ſignificare; ſed etiam indicare diuinum ſuppoſitum, cui eadem natura hypoſtaticè vnita eſt, & per conſequens etiam diuinam naturam, ac proinde omnipotens nomen eſſe. Concinit Theodor. exponens illud Cantic. 1. *Oleum effuſum nomen tuum. Multiplices* (inquit) *ac varij fontes, qui totum orbem terrarum odoris ſuauitate repleuerunt, vnicã habent venam, & originem vnguentum tuum. In eo habitauit omnis pulchritudo Diuinitatis.*

Theod.

44. *Quid non diuinum in Ieſu nomine.* Leuit. 26. Cyrill.

Conatur Deus homines ab idololatria, aliiſque horribilibus criminibus auertere, multipliciaque ſuppliciorum genera congerit, quibus poſſint peccatores timore concuti. *Mittam peſtilentiam in medio veſtri, & trademini in hoſtium manibus, poſtquam confregero baculum panis veſtri, & comedetis, & non ſaturabimini.* Aggrauat adhuc minarum effectus: *Corripiam vos ſeptem plagis ita, vt comedatis carnes filiorum veſtrorum. Deſtruam excelſa veſtra, cadetis inter ruinas idolorum veſtrorum.* Quid plura? Aliud horribilius omnibus ſupplicium minitatur. *Et abominabitur vos anima mea.* Cyrill. *Dico, quod anima Dei nomen Ieſus eſt.* Quid non diuinum in Ieſu? Proh ſupplicij pondus incomportabile! Nulla tam ſæua tribulatio, quam nos miſeros ſalutari, benefico, dulciſſimo nomini Ieſu eſſe abominationi, ſuprema hic calamitas à Ieſu inuocato nomine non foueri.

45. *Fortitudo nominatur.* Iſa. 4.

Si nomen Ieſu diuinum, quid non omnipotenti fortitudine condecoretur? *Omnipotens nomen eius.* Exod. 15. Mulieres illæ (in quarum iam non ſemel incidi memoriam) rurſum inclamant, *Tantummodo inuocetur nomen tuum ſuper nos, aufer opprobrium noſtrum.* Iſa. 4. Quid ô fœminæ à Ieſu nomine deſideratis? Num reſtitum indui? Panis eſt, agnus lanam offerens eſt: *Panem noſtrum comedemus, & veſtimentis noſtris operiemur, tantummodo inuocetur nomen tuum ſuper nos, aufer opprobrium noſtrum.* Te fortiſſimum nomen adimus opprobrij noſtri ſublatorem. Num in ſuauiſſimo Ieſu nomine fortitudo ad vindictam? Pulchrè Orig. *Fortitudo nominatur Ieſus.* Ne exiſtimetis nomen Ieſu adeò eſſe oleum, vt ſimul non vigeat fortitudine. Tam eſt, & nominatur *Fortitudo*, quàm oleum eſt, & nominatur.

Bella

46. *Fortis eſt ad fortis debellationem.* Exod. 17. Auguſt.

Bello olim ab Iſraelitis contra hoſtes terribiles inito, ſic Moyſes ad Ieſum, *Elige tibi viros, & pugna.* Exod. 17. Vbi notanter Auguſt. Serm. 96. de Temp. *Hic primum (a t) vocabuli huius, ſcilicet Ieſu, ſplendor effulſit.* Quare ſibi exercitus copulat fortitudinem? *Ipſum eſt,* (ait ille) *quod domum fortis intrauit, & vaſa eius diripuit.* Vt fortem vincat Ieſu nomen, fortitudine vigeat neceſſum eſt. *Vocabitur nomen eius, Fortis,* ad fortem vtique debellandum.

## Capvt IV.

### *Nomen Ieſu, Pater futuri ſæculi.*

47. *Ex hoc nomine Abraham futuri ſæculi accepit paternitatem.* Iſidor. Bernard.

ISidor. lib. 7 Origin. *Abram prius vocatus eſt Pater videns populum, propter Iſraelitas ſcilicet tantum. Poſtea appellatus eſt Abraham, quod transfertur, Pater multarum gentium. Sarai interpretatur Princeps mea, eo quod eſſet tantummodo vnius domus mater. Poſtea cauſa nominis immutati dicitur Sara, id eſt, Princeps; omnium quippe gentium futura erat mater.* Quorſum hæc? D. Bernard. affirmat *iam tunc* in Abrahamo, & Sara *ſalutifera effuſionis* nominis Ieſu *celebratum, præfiguratumque myſterium.* Pater equidem, & mater præſentis ſæculi ſubito ſæculi futuri parentes efficiuntur. Hoc autem illis in Ieſu nominis myſterium contigit, cuius vel vna littera Abrahamum futuri ſæculi conuertit in parentem.

48. *Singularis numeri cum ſit plurificatur bonorum filiorum pluralitate.* Pſal. 44.

Futuri equidem ſæculi patrem appello, futuri ſæculi gignentem filios, cœleſtes vtique, & ſuperno virtutum lumine coruſcantes. Quid aliud præcinens expreſſit Dauid: *Speciòſus forma præ filiis* Pſal. 44. Strab. *Eum in ſuo genere commendat.* Pulchri filij, ſed à parente pulchriori. An non corporis membra ad ſpeciei capitis pertinent ditionem? Si ergo Ieſu membra ſumus, noſtri capitis ſpeciem referemus. Expendens Simon de Caſ. citat. huiuſce ſalutaris nominis numerum. *Singularis* (inquit) *numeri eſt, quia ſolus vnus Deus, vnus eſt Chriſtus. Plurificatur verò pluritate bonorum filiorum. Quia vnius corporis caput in pluralitate membrorum.* Pater igitur de cœlo cœleſtis nos futuri etiam cœleſtis ſæculi excitat filios.

49. *Cuncta paternis muneris complet.* Bernard.

Quid *Pater ſæculi futuri?* Nonne paſtor, qui ſuauiſſimo ſpirituali cibo reficit oues? *Quid ita* (Bernard Serm. 15. in Cant.) *exſiccatos reparat ſenſus, virtutes roborat, vegetat mores bonos,* ſicut nomen Ieſu? Quid *futuri ſæculi Pater?* Nonne parcere, noſtra ſanando vulnera? Ieſu nomen omni ægritudini præſentiſſimum adeſt medicamen. *Cui aliquando* (pergit ille) *ſtetit antè faciem ſalutaris nominis duritia cordis, ignauia, torpor, rancor animi, languor, laſciuia? Cui fons fortè ſiccus lacrymarum, inuocato Ieſu, non continuo erupit vberior, fluxit ſuauior? Nimirum morbi, & languores animi iſti ſunt, illud medicina. Pater futuri ſæculi* quid? Nonne pati, vt filij ad ſalutem perducantur? *Niſi granum frumenti* (adiicit Abbas) *mortuum fuerit, ipſum ſolum manet, ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Moriatur igitur Ieſu granum, & ſurgat gentium ſeges. Oportet pati Chriſtum, & prædicari in nomine Ieſu pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum.* Hæc & alia innumera parentis ſæculi futuri Ieſus exerit munia.



Nec ſolummodo pater appellatur, quia omnia patris munera circa ſæculum futurum exequitur; ſed quia in nomine Ieſu ſemper futuri ſæculi Patrem habemus, nam Patris futuri ſæculi officia Ieſum ſequuntur inuocatum. Vnde ipſe Ieſus, *Si quid* (inquit) *petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Ioan. 16. Dabit, inquam, vobis, quia in nomine Ieſu Pater futuri ſæculi includitur, mox hominum ſtudia executioni traditurus. En quam breui curſu è Ieſu nomine tendimus ad Patrem! Locum pendens Rupert. lib. 12. in Ioan. ait: *Salutaris mos, & Catholicæ ſanctæ Eccleſiæ orandi regula eſt, vt in omni oratione, quam ad Patrem dirigit, ſubiungat, Per Dominum noſtrum Ieſum. Quia videlicet præter hanc nulla via, nullumque eſt aliud oſtium, ad quod reſpiciens efficaciter dicat,* Dirigitur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo. *Solum huius vnigeniti Filij Dei nomen, quod eſt Ieſus, neceſſarium vniuerſæ orationis eſt vehiculum, quo in cœlum directo curſu perlata conſiſtat ante Patris conſpectum ſalutémque de ſinu eius, & gratiam ſugere valeat.* Sic ille. 50. *Affectu paterno nos geſtat ad Patrem.* Ioan. 16. Rupert.

## Capvt V.

### *Nomen Ieſu, Princeps pacis.*

51. *Dignum nomen principatu.* Matth. 27.

O quàm Ieſu nomen dignum principatu! Supra caput ſuffixi Saluatoris *poſuerunt cauſam eius ſcriptam, Ieſus Rex.* Matth. 27. Cur Regem eum appellaris, qui imperium à Patre efflagitat; *Da imperium tuum puero tuo,* quod ſe videat à vobis inter latrones nequiſſimos adnumeratum? Sunt qui aſſerant ſuper crucifixi caput patientis nomen ſolitum adſcribi. Placet. Sed nomen ſolummodo *Ieſus* apponatur. Quare vocabulum illud: Rex, ſuperadditum legimus? Quia nomen Ieſu non poteſt à principatu ſeparari. Id quod pulchrè Orig. apud D. Thom. excogitauit. *Verus Princeps Ieſus & in cruce quidem habet ſcriptum, Rex Iudæorum.*

52. *Non poteſt principatus ab hoc nomine ſeiungi.*

Filius olim Naue Auſe nominè, Ieſus vocatus eſt. Quare? Quia electus populi in Principem, Ieſus conuenienter appellatur. Haud enim poteſt vel Ieſus à principatu, vel principatus à Ieſu nomine diſiungi. Quod adnotans Cyprian. ait, *Legimus in libro Moyſis, quod Ieſus Naue filius, cum electus eſſet ex populo, commutato nomine Auſe, Ieſus cognominatus ſit. Quo ſcilicet oſtenderetur, hoc eſſe nomen, quod principibus conueniret.* Ac ſi diceret, Tantundem fuit Principem eſſe, ac Ieſum neceſſariò nominari.

53. *Principatus hoc omnino pacificus.* Gen. 18. Ambroſ.

Iam verò Principatus Ieſu omninò pacificus. Coërcitiua vis? In vinculis equidem charitatis. Vidiſti tres Cœlicolas apud Abrahamum commorantes? *Tres profectò ille vidit, & vnum adorauit.* Gen. 18. Exiſtimo id in Trinitatis myſterium. Iam verò Pater, & Spiritus ſanctus properantes ad Sodomam, Filium (ſic liceat exponere) ſolum reliquêre. Quid cauſæ? Conuenienter Ambroſius: *Vbi gratia largienda eſt, Chriſtus adeſt, vbi ſeueritas exercenda eſt, deeſt Ieſus.* De nomine quæſtio procedat. Cur non dixit, *Deeſt Chriſtus,* ſicut dicit; *Chriſtus adeſt;* ſed *deeſt Ieſus?* Vt innuat quare Sodomitarum punitioni non interfuit, qui elargiendæ Abrahæ miſericordiæ adfuerat. Chriſtus ille Ieſus

appellabatur, erat Ieſus. Vnde quodammodo neceſſariò ab infligendo ſupplicio receſſit, qui *Princeps pacis* nominatur.

54. *Alas indit, vt à periculis eruamur.* Exod. 15. Populo iam in vlteriori ripa poſt exactum pelagus conſtituto, Moyſes, & filij Iſrael cecinêre: *Cantemus Domino.* Exod. 15. Aliter *Cantemus Iehouah.* O quam conuenienter nomini Ieſu ille pacis effectus adſcribitur! Num ſatis non eſt tibi populum fidelem à Ieſu nomine duci, vt ſicco pede profundum ſuperaret? Alas equidem nobis indit ſalutare nomen, vt à periculis eruamur. *Lampades eius lampades ignis.* Cant. 8. (Cant. 8.) Aliter, *Alæ eius.* Si *oleum effuſum nomen Ieſu*, Lampas hæc alas expandit, vt, aquilæ in morem pullos excipiat. Pulchram audite Macharij ſententiam. (Mach. 44.) *Nequit anima per ſe ipſam tranſmittere acerbum mare peccati, & difficilem abyſſum caliginis affectionum, niſi ſuſceperit ſubtilem, cœleſtem, & volatilem ſpiritum nominis Ieſu.* O quam nomen Ieſu inuocatum volatilis ſpiritus! *Princeps pacis* alas nobis indit, vt ad vlteriorem ripam adferamur.

55. *Sic lex manſueſcit.* 1. Reg. 6. Plauſtrum olim, quo Arca legis inſidebat, *venit in agrum Ioſue, & ſtetit ibi* 1. Reg. 6. Et quare ad domum Ieſu lex diuertit? Num quia tota lex, bella difficilia carnis ac ſpiritus indicens Hebræis, dum legis obſeruationi tentamenta excitantur, iam apud Ieſu ditionem requieſcit? (Iuſtin.) D. Iuſt. Mar. Dial. cum Triph. *Non ad enim* (inquit) *venere locum, vnde Arca arrepta fuerat; ſed in agrum hominis cuiuſdam Ieſu dicti.* Et quænam vis vaccas allexit? *Quo facto* (adijcit) *indicatur per virtutem nominis Ieſu ductas eſſe vaccas.* Non lex iam mihi, vnde arrepta fuerat inter armorum ſtrepitus, inter belli tumultus collocatur; ſed ad Principem Ieſum tendit, vbi manſueſcat, vbi oleo ſalutaris nominis infundatur, vbi pacis principatus inchoëtur.

# OBSERVATIO IV.

Ad illa verba:

*Nomen eius Ieſus.*

## Nomen Ieſu ſuper omne nomen, Cœleſtibus, Terricolis, ac Infernis venerabile.

*Vbi de mundialium bonorum inanitate.*

56. PAVLVS ad hæc: *Donauit illi Pater nomen, quod eſt ſuper omne nomen. Vt in nomine Ieſu omne genu flectatur Cœleſtium, Terreſtrium, & Infernorum.* Phil. 2. (Phil. 2. Bernard.) Vbi Bernard. Serm. 15. in Can. Oleum effuſum nomen tuum. *Effuſum plane, quod non ſolum cælum, terráſque perfudit, ſed aſpergit, & inferos adeò, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur Cæleſtium, Terreſtrium, & Infernorum.* Verba ſingula illuſtro.

CAPVT I.

*Nomen Ieſu ſuper omne nomen.*

QVod eſt ſuper omne nomen. Illam particulam: *Eſt* expende. *Eſt* equidem nomen Ieſu. Non vacuum, non inane eſt nomen, ſed verè hoc nomen *eſt*, habet eſſentiam haud ſine re titulus. Notanter Orig. hom. 1. in Ioſ. *Et quia eſt ſuper omne nomen iſtud nomen, idcirco in nomine Ieſu omne genu flectitur.* Nomina vacua nullatenus ſunt reuerentiâ proſequenda. Solum nomen, quod *eſt* omnibus venerabile obijcitur. 57. *Nomen Ieſu verè eſt.* Origen.

Omnia profectò confictæ diuinitatis nomina nullam habent eſſentiam, tituli ſine re. Teſtor vos tanta apud Gentiles reuerentia obſecuta numina, quorum nomina, vacua omninò extitere. Nonne *Pan* id eſt *Totus* nomen inane? Nonne *Apollo* inaniter ſuper igneam virtutem conſtitutus? *Iupiter* ſuper cœlos? ſuper lunam *Diana*? ſuper edacem flammam *Veſta*? ſuper aërem *Iuno*? ſuper aquas *Thetis*? ſuper maria *Neptunus*? ſuper flumina *Nymphæ*? Numquid non vacua nomina ſortita *Rhea* ſuper lapidoſam regnans terram? ſuper arbores fructiferos *Ceres*? ſuper ſemina *Perſephon*? ſuper plantas *Dionyſius*? ſuper flores *Athis*? ſuper fructus *Adonis*? Quid referam vacua omnino nomina *Martis* ad bella conficti? *Veneris*; & *Cupidinis* ad amores? *Mercurij* ad vim interpretandi? Quid poſtulem à vacuis nominibus Mineruæ, & *Nemeſis* iuſtitiam? *Iouis* Regnum? *Hymenæi* nuptiarum felicitatem, *Ventorum* proſperam nauigationem? Huc ades, ô *Ieſu* nomen ſacerrimum; quod *es* ſuper omne nomen, horum in te mirificè complens inanitatem, *palam triumphans* de fictis Principatuum, ac Poteſtatum nominibus *in temetipſo.* Tu Pan, tu Totius totus omnes implens ſuauitate. Apollo Sol iuſtitiæ, cuius in pennis ſalus peruolat, vt feſtinantius ægrotantibus ſuccurras. Iupiter, cuius ſedes cœlum; cuius luna thronus, cuius flamma gladius, cuius venti pennæ, cuius maria & flumina ferculum. Tibi terra paret, montes ſubijciuntur, agri, & ſemina offerunt munera, flores ſpirant odoramenta, fructus referunt ſuauitatem. Iam qui ſapientia indiget, poſtulet à Ieſu ſapientiæ fonte. Qui vitã, imploret à Ieſu, de quo ſcriptum, *Miſit verbum ſuum*, ſeu nomen ſuum, *& ſanauit eos.* Qui proſpero itinere terraque, marique; Ieſum adeat pelago, & ventis imperantem. Qui frugibus, Ieſus cibus, & potus, quinque panes multiplicans, aquas de petra eliciens. Qui diuitijs, Ieſus *diues in omnibus, qui inuocant illum.* Qui aquis, fugiat ad Ieſum, cuius qui potatus fuerit aquis, non ſitiet. Qui delicijs, à Ieſu poſtulet, qui torrente voluptatis reficit ſuos. Supervacua itaque confictæ diuinitatis numina, nomẽ Ieſu *eſt.* Illi profectò dij gentium (quemadmodum de Ieſu Naue, & Ioſedech diſſerit Bernard. citat.) *ſua interpretari nomina nequiuerunt, vacua quippe erant.* Interpretatus eſt Ieſus, in ſe omnium nominum replens vacuitatem. 58. *In ſe Deitatū Nudulum implet vacuitatem.* Bernard.

59. Mitto confictorum ſiue deorum, ſiue hominum vacua nomina; iam venio ad veros

hominēs

*Super omne plenum nomen Ieſu.* homines ſanctitate conſpicuos, quorum nomina plena. Ieſu nomen *eſt ſuper omne nomen. Facies* (inquit Deus) *& laminam de auro puriſſimo, in qua ſculpes opere cælateris, ſanctum Domino.* Exod.28. Auguſtin. quæſt. 120. *Sculpes nomen Iehouah*, ſiue nomẽ Ieſu. Arnold. Carnot. ſic profatur: *In ſuperioribus quidem hoc nomen ponitur. Vt quidquid vndique eſt, quantumcumque ſit, ſe cognoſcat inferius:* Proximè cum nominibus vacuis nobis erat colluctatio, quæ quidem minimè erant. At in præſenti eum nominibus, cum hominibus, cum rebus quantumcumque *ſint* certamen inſtituimus. Nomen *eſt* ſuper omne nomen, ſuper omnem virum, ſuper omnem rem *quantumcumque ſit.*

Exod.28. Auguſt.

60. *Super ipſum principium honoratur.* Exod.28. Rupert.

Quid ſi nomen Ieſu honoris gratia ſuper ipſum increatum Principium coronæ in morem leuetur? Pende vlterius huiuſce aureæ laminæ inſcriptionem. *Sculpes opere cælateris Sanctum Domini.* Vbi Rupert. *Huius rei myſterium, id eſt, nominis, quod eſt, ſuper omne nomen, in eo eſt, quod lamina Sanctum Domini tetragrammaton, ſeu quatuor litterarum. Significant quatuor illæ litteræ Principium iſte, & iſte. Principium iſte Pater, & Principium iſte Filius eſt. Iam verò quod Pater ſit Principium patet. Quod Filius ipſe dixit interrogantibus Iudæis, Tu quis es? Principium, ait, qui & loquor vobis.* Concludit Doctor Chriſtum in Pontifice ſuper frontem nomen Ieſu geſtante deſignari. Quinam Pontifex Chriſtus? *Principium,* (ait) *qui & loquor vobis.* Si Principium Chriſtus eſt, & nomen Ieſu ſuper caput Principij ſtatuitur, ſuper Principium equidem oſtentatur. Quare Rupert. nomen Ieſu Principium etiam appellauit. *Hoc nomen profectò ſuper omne nomen; quia ſuper Principium nihil eſſe poteſt.* Et quanam Principium pulchriori coronâ cingeretur?

61. *Præmij loco ei donatur patiens Dominus.* Philip.2.

Hinc elucet, quare Pater ſuum Filium, Principium vtique nomine Ieſu donauit, poſt quam obediens exitiali patibulo mortem ad exitium adlaturus addicitur. *Propterea Deus* (ait Paul.) *exaltauit illum.* Quonam modo Principium potuit exaltari, ſi nihil *ſuprà Principium eſſe poteſt*, vti aiebat Rupert. *Donauit illi nomen, quod eſt ſuper.* Philipp. 2. Decus Chriſto Principio accreſcit, dum nomine Ieſu coronatur? Nullum profectò præmium excogitari poterat, nullum decus ſuper Chriſti, Principij vtique, gloriam aſcendens, niſi Chriſtus nomine rurſum Ieſu donaretur. Eleganter Rupert. *Maximum Pontificis decus eſt, lamina aurea inſculptum habens ineffabile nomen. Quia Chriſto Pontifici propter paſſionem mortis reſurrectionis gloria coronato nomen, quod eſt ſuper omne nomen, Pater donauit.*

62. *Id expreſſit Eſau benedictio.*

Acceperat iam Chriſtus Ieſu nomen propter Circunciſionis ſanguinem (licet non independenter à morte.) Accipiat nunc à Patre aliud munus præſtantiſſimum ob mortis paſſionem. Quonam præmio tot præclariſſimis geſtis reſpondente Chriſtus poterat munerari niſi iterum Ieſu nomen accipiat? Mentem expendo. Iacob circa paſcendum parentem diligentia panis ac vini abundantiâ eſt muneratã. *Det tibi Deus* (precatur Iſaac) *de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini.*

Geneſ. 27.

Geneſ.27. Quod cum Eſau eiulatibus, & orationibus impetrarat, vt ſibi etiam benedictio impertiretur, Pater inclamat, *In pinguedine terra, & in rore cæli erit benedictio tua.* Donaſti iam Iacob munere eodem, quare rurſum huiuſce benedictionis abundantiam fratri elargiris? Subodoratus Paſchaſ. de corpore, & ſanguine Domini cap.21. hinc Panem Euchariſticum, adeò eum omnium bonorum complexionem eſſe affirmat, vt nullum Deo largitori dignum munus ſupereſſet Eſau erogandum, niſi eadem illum panis ac vini impleret abundantia. *Tantus, ac talis Dei cultor nihil inuenit filio vltrà quod præbeat, niſi eadem illi vetus impleret.* Profectò nomen Ieſu tam neceſſariò eſt omnium datorum optimorum, ac perfectorum donorum cœleſtium clauſula, ſeu mauis appellare collegium: vt vel ipſe Pater æternus tantus, ac talis non habeat quodammodo quid vltrà ſuo Filio largiatur *propter paſſionem mortis*, niſi eodem Ieſu nomine illum redonaret, quod iam Puer ipſe à cunabulis ob vulnus circunciſionis acceperat. Quemadmodum Eſau loco benedictionis accepit, panem & vinum quo Iacob fuerat donatus, quia extra Euchariſtiam nullum bonum adeſt.

In cuius confirmationem affirmo Spiritum ſanctum adeò circa Ieſu nomen affectum, vt dona ſua ex hoc nomine velit appellari. *Omne datum optimum &, omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à Patre luminum.* Iacob. 1. Nonne Spiritus ſancti munera ſeptem? Sapientiæ, Intellectus, Conſilij, Fortitudinis, Scientiæ, Pietatis, Timoris Domini munera adnumerantur. Huiuſmodi equidem dona Ieſu nomine inſigniuntur. Septem illas apud Iſaïam fœminas conclamantes: *Tantummodo inuocetur nomen tuum ſuper nos.* Cap.4. ſeptem dona Spiritus ſancti deſignare Origen. hom.4 affirmat. Cur hæc dona Ieſu nomine nobilitari poſtulant? Audite Doctorem: *Quid eſt,* Inuocetur nomen tuum ſuper nos? *Ego ſum Sapientia, volo tuo nomine vocari, vt ego Sapientia dicar Ieſus. Vt Intellectus, & Conſilium magnum, & Fortitudo, & Scientia, & Pietas, & Timor Dei nominetur Ieſus.* Iam reddit rationem. *Vt omnia in omnibus nomen tuum fiat.* Ieſus in omnibus, extra Ieſum nullum optimum datum. Si igitur Pater dato optimo, ſeu dono perfecto, Spiritus ſancti ſcilicet munere *propter paſſionem mortis* Chriſtum donare intendit, quidnam loco præmij elargiretur, niſi nomen Ieſu, quo iam Chriſtus Dominus propter paſſionem circunciſionis, eum mortis reſpectu, muneratus fuerat, rurſum impendat.

63. *Omnia bona Ieſu nominantur.* Iac.1.

Iſai.4.

Orig.



## Capvt II.

### *Nomen Ieſu Cæleſtia venerantur.*

64. *Aſtra hoc nomen venerantur.* Ioſ.10. Ambr.

QVidnam Cæleſtia? Num aſtrorum luminaria? Parent nomini ſalutari. Ad vocem Ieſu Naue aliquando Sol, & Luna conſtitêre. *Sol,* (clamat ille) *contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon. Steteruntque Sol, & Luna.* Ioſue 10. Steterunt planè non tam Ioſue filium Nun, quam Ieſu Patris æterni Filij reueriti appellationem, vti Ambroſ. Apol. Dau. & Iuſtinus Martyr. quæſt.48. aſſeruêre.

Iuſtin.

65. Verum illud: *Omne cæleſtium* ad Angelos re-



Digitized by Google

ferendum iuxra commnoem Patrum expoſitionem. *Angeli adoratores.* Angeli nominis Ieſu adoratores. Nato Matth.1. Domino,inclamitarunt,*Gloria in altiſſimis* Deo, *& in terra pax hominibus.* Matth.1. Quare non ſimul homioes & gloriâ donantur? Quia gloria hominum fidelium eſt nomen Ieſu ab Augelis adotari. Huc reſpicit D.Athanaſ. Ora.2. adu. Athanaſ. Arri.fatus, *Gloria noſtra eſt,quod cum Poteſtâtes, Angeli, & Archangeli eum ſemper adorauerint, nunc adorent ſub nomine Ieſu.*

66. *His hoc nomen ſalutare.* Nec gratis Augeli hoc Ieſu nomini impendunt obſequium. A Ieſu enim redempti,gratiarum actionis ergò,ſalutare ſibi nomen venerantur. Luc. 2. *Vocatum eſt ab Angelo prius,quam conciperetur.*Cur *prius quam conciperetur.* Chriſtus, Ieſu nomen Aogelis familiare? Reſponder Bernard. Bernardus: *Ieſus Angeli Saluator, & hominis. Sed hominis ab incarnatione, Angeli ab initio creaturæ.* Vnde antequam in vtero conciperetur,ore Angelorum Ieſu nomen exprimebatur. Aduertiſti, audiens Angelos proloquentes, & D. Paulum ſcribentem circa Chriſti natalitia, in nullo omnino niſi in nomine Ieſu conuenire? Bernard. *Vnum eſt* (inquit Bernard.) *in quo conueniunt Apoſtolus & Angeli,qui de Chriſti natiuitate loquuntur hoc eſt,de nomine Saluatoris.Bene* (adiicit) *dulce nomen Ieſu nullus ex ipſis tacuit.* Quare? Num quia dulce?Num quia omnium linguæ ad ſalutaris nominis prolationem inuitantur?Ita planè. Sed conuenientius adhuc inſtituto; appoſitè Angeli Ieſu nomen concelebrant, licèt alia Dominici natalitij myſteria prætereant; quia ſe per Ieſum donatos ſalute profitentur.

67. *Cæleſtia bona obſequuntur.* Aliter illud: *Omne cæleſtium* exponam, ad omnia beatæ felicitatis bona referendo. Omnia flumina mari præſtant obſequium, dum ad immenſum pelagus dilabuntur. *Omne* igitur *cæleſtium*, ſeu bonorum theſaurus genu curuat in Ieſu nominis conſpectu,dum ad hoc mare magnum inibi continendus percurrit, confluit. Iſai.52. Quid Iſaias? *Quàm pulchri pedes euangelizantium pacem,euangelizantium bonum!* cap.52. Paulus autem *bona* vertit. Rom.10. Rom.10. Quænam *bona?* Origen. *Annunciantis Ieſum.* Leo à Caſtr. & Procop. *Prædicantis ſalutem,prædicantis Ieſum.* Ieſus igitur idem ac omnia bona, *Nec miretur* Orig. *quiſquam* (loquor cũ Origen.) *ſi nomine bonorum numero multitudinis expoſuerimus, Annunciantis Ieſum. Facilè enim intelligas, quomodo multa bona ſit Ieſus. Vita bonum eſt?* Et è cœleſti lapſum fonte, *Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ. Ieſus eſt vita. Reſurrectio bonum eſt?* Ipſe cœleſtis Princeps ſe reſurrectionis ſignat appellatione, *Ego ſum reſurrectio. Ieſus eſt reſurrectio. Lux mundi bonum eſt?* E cœleſti prorſus auguſtiori dilapſa luminari. *Ieſus eſt lux mundi, via, veritas, ſapientia. Theſaurus denique omnis bonorum Ieſus eſt.*

## CAPVT III.

### *Nomen Ieſu Terreſtria adorant.*

68. *Quaſi vim infert nomen Ieſu genibus decuruandis.* OMne *terreſtrium genus* in nominis Ieſu conſpectu prouoluitur Deus planè à nobis interna cordis, & externa corporis inflexione adorandus. Nomen Ieſu diuiniſſimum planè neſcio quam adhuc vel ipſis genibus vim inferat, quod nos faciat à facie tantæ maieſtatis procidere. Ad Abrahami tabernaculum Pater, Spiritus ſanctus, & Ieſus properant, Ambr. authore. Gen. 18. Ambroſ. At Patriarcha *tres videns, vnum adorauit* Ieſum, eodem interprete. Quare non iugiter Patris, & Spiritus ſancti adoratur maieſtas? Adorauit quidem Patriarcha Patrem, & Spiritum ſanctum; ſed vis nominis ſalutaris adeò genua proripuit adoratoris, vt vix quodammodo potuerit ſe ab humili prouolutione continere.

69. *Id in Magis procidentibus oſtendo.* Ad memoriam adferas paſtores illos claritate Dei circundatos, qui *videntes Verbum quod factum eſt, quod fecit Dominus.* Lucæ.2. non dicuntur Puerum adoraſſe; enimvero poſtea Luc. 2. Magi *procidentes adorauerunt eum.* Matth.2. Et cur Reges genua curuant Infanti, quem paſtores præfata genu inflexione non adorauêre? Proh nominis Ieſu potentia! Puer equidem *poſtquam conſummati ſunt dies octo,* Ieſus nominatur, paſtores accedentes reuerentur, cordis ſubmiſſione adorant. At Reges poſt *vocatum nomen eius Ieſus* accurrentes non ſolum interno, ſed externo adhuc habitu prouoluuntur, *procidentes adorauerunt.*

70. *Regna hoc nomen adorant.* Quod ſi mauis illud: *Omne terreſtrium*, ad terrenum Imperium ſpectare, vti idem ſit ac omnis ſæcularis poteſtas: Ieſu nomini imperium omne exhibet reuerentiam. Lapis ille è vertice montis ſine manibus abſciſſus, præpotentem ſtatum, ſiue plurium Regnorum coaceruationem comminuens, Ieſus eſt, Anſelmo doctore. Quod certè nomen ſalutare omnia mundi fecit curuari imperia ſalutis authorem adoratura. Iul. Firm. Mater. de myſt. & error. c. 21. ad hæc: *Quis locus in terra eſt, quem non Chriſti Ieſu poſſederit nomen? Quà ſol oritur, quà occidit; quà erigitur Septenerio, quà vergit Auſter, totum venerandi nominis maieſtas impleuit.*

71. *Hebræi & Gentiles proſternuntur.* Regnum Ieſu litteris Hebraicis, Græcis, atque Latinis ad caput crucis legimus exaratum. *Erat autem & ſuperſcriptio ſcripta ſuper illum litteris Græcis & Latinis, & Hebraicis: Ieſus Nazarenus Rex.* Luc.23. Vt innueretur Ieſum Regem totius orbis, cuius nomen non ſolum Hebræorum, ſed & Gentium populi adorant. Bernard. ſerm. 13. in Cant. *Iam meritò clamatur de terra, Oleum effuſum nomen tuum. Ego ſum, ait Dominus, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob.* Ecce Hebræos. *Et non amplius? Effunde, aperi manum tuam adhuc, & imple omne animal benedictione. Veniant ab Oriente, & Occidente, & recumbant cum Abraham, Iſaac, & Iacob: Veniant, veniant tribus Domini, ad confitendum nomini Domini.* En Græcos, & Latinos adoratores.

## CAPVT IV.

### *Audito Ieſu nomine, Inferna prouoluuntur.*

72. *Diabolus hoc nomine tremit audito.* OMne denique *infernorum* genu flectitur, audito nomine Ieſu. Non equidem tam durum Diabolo numen Ieſu illi minimè profeciſſe, ſi non incredibile exitium inferret. Nomen etenim ſalutare vim infert Dæmoni, vt cootremiſcens, & expauens protinus voluteNazian. tur, prouoluatur. Nazianzen. *Auguſtum illud nomen vix plerumque pronuncians, cum ſtatim*

Dæmon

*Dæmon non ſine ſtridore, grauiſſimoque dolore longiſſimè ſe proripuit, Dei immortalis vim, ac potentiam clamans.*

73. *Se victum profitetur.* Athanaſ.

Ipſius hoſtis tartarei ore fœdo nominis ſalutaris victoriam exaudite. *Rogo.* (inquit Magno Antonio Satanas) *nonne legiſti, Quia defecerunt inimici framea in finem, & ciuitates eorum deſtruxiſti? En nullum iam habeo locum, nullam poſſideo ciuitatem, iam mihi nulla ſunt arma, per omnes nationes cunctáſque Prouincias Ieſu reſonat nomen.* Quam equidem Ieſu nominis potentiam vt Abbas tunc experiretur, inclamat. *Verè Ieſus tuas funditus ſubruit vires, & honore nudatus Angelico, voluntaris in ſordibus.* Adiicit Anton. *Vixdum verba compleueram, & ille ſublimis Saluatoris nomine deiectus eſt.* Athanaſ. ſic in vit. Anton.

74. *Id per ſe notum.* Matth. 28. Chryſoſt.

Quod ſi Diabolus ſe victum non profiteretur, ſatis id per ſe notum. Ieſus Diſcipulis: *Data eſt mihi* (ait) *omnis poteſtas in cœlo & in terra.* Matth. 28 Vbi Chryſoſt. apud Hug. Car. requirit: *Cur non dixit, & in inferno?* Reſpondet: *Quia planum erat, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur infernorum.* Quid magis planum quid amplius per ſe notum, quàm nomen Ieſu infernis ſpiritibus omnino eſſe exitiale? *Planum erat.*

75. *Nomen hoc Diaboli incantatio.* Chryſoſt.

Hinc Chryſ. hom. 8 in Epiſt. ad Rom. *Si in illum* (ait) *diuinas incantationes canere noueris, ſtatim vulnerabitur. Sunt enim nobis cantationes ſpirituales ipſum nomen Domini Ieſu, Sanctum* (ait Dauid) *& terribile nomen eius:* Pſal. 110. Experimento quippe compererat, dum in hoc nomine Goliath Diaboli typum ad exitium reuocauit. Qua de re Serar. noſter conſulendus.

76. *Num hanc virtutem imminuat proferentium improbitas?* Nazianz. Matth. 7.

Quid ſi immunda ſint hominis labia proferentis? Nazianz. *Nec ob hominum improbitatem huius nominis vis imminuta eſt.* Confirmat Origen. peccatorum teſtimonio inclamitantium, *Domine, nonne in nomine tuo dæmonia eiecimus?* Matth. 7. Ac ſi Ieſu nomini vis aduerſus diabolum à quacumque digni ſeu indigni prolatione independens hæreſcat.

77. *Cur diabolus nomen hoc protulit?* Luc. 4. Ambroſ.

Ad calcem denique huiuſce tractationis, dum diabolum obiicio primum Ieſu nominis vſurpatorem. *Quid nobis & tibi Ieſu?* Luc. 4. inquiro, Quare à ſalutari nomine, incantamento ſibi, Diabolus non abſtineat? Et quonam modo aufugiet audito, qui impunè videtur protuliſſe? D. Ambroſ apud D. Thom. reſpondet: *Nec quemquam mouere debet, quod Ieſu nomen Diabolus dixiſſe primus inducitur. Nec enim ab eo Christus nomen accepit, quod de cælo Angelus ad Virginem detulit. Eſt huius impudentiæ diabolus, vt inter homines primus vſurpet, quo terrorem ſuæ poteſtatis incutiat.* Diabolus itaque primum fœdo ore Ieſu nomen aſſumens, intendit homines ab illius ſalutari inuocatione reuocare. Nam cum audiunt Diabolum nominare Ieſum, falsò ſibi perſuadebunt, haud fortaſſe tanti eſſe momenti aduerſus tartarei hoſtis inſidias Ieſu nominis vti inuocatione.

# LIBER SEXTVS.

# CHRISTI EPIPHANIA:

## Paraphraſis, Commentariique Literales ad Caput ſecundum Matthæi.

### *PANEGYRICI MORALES CIRCA Literam in IESVM à Magis adoratum.*

### PROLVSIO.

*Dominici Vitalis ligni* FRVCTVS VI.

NON latuit Magos ad Solis ortum longis terrarum ſpatiis diſſitos veri Solis natiuitas: Stella duce, tanti fulgoris fontem, Ieroſolymam ingreſſi, requirunt. Formidabilis Tyranno veri appellatio Regis, dum Magi de loco natalitij inſtructi, eiuſdem ducatu Luminaris in Betheleem delati, muneribus exhibitis, Deum, hominem, moriturum venerantur. In ſomnis haud à dormitanti Numine moniri, ne ad Herodem reditum molirentur, alia incedentes via eos iam alios Patria recepit. Annon Stella tantorum origo bonorum? Mirarer profectò, ſi Chriſtus non myſticè Luminaris illius morem indueret, vt Magos ad ſua alliceret cunabula. Paſchaſ. *In Magis iſtis* (ait) *iam fides gentium, velut primitiæ Domino conſecratur; qui per fidem in Oriente Sydus cernentes, matutinam Stellam quæ Chriſtus eſt, feliciter ſunt ſecuti. Niſi enim Lucifer matutinus primùm eorum cordibus oriretur, nequaquam Stella praua, Regem Judæorum tam conſtanter inquirerent*. Hæc ille.

| MATHÆVS CAP. II. | PARAPHRASIS. |
| --- | --- |
| *Verſ.* 1. Cum natus eſſet Ieſus in Bethleem Iudæ in diebus Herodis Regis, ecce Magi venerunt Ieroſolymam. | 1. *Nato Ieſu in Oppido, cui nomen Bethleem eo tempore, quo Regnum apud Iudæos non Iudæus obtinebat Herodes, Magi, ſeu ſapientes quidam ſeſe conferunt Ieroſolymam.* |
| *Verſ.* 2. Dicentes: Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum? Vidimus enim Stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum. | 2. *Vbi (inquiunt) eſt ille, qui nuper natus eſt Rex Iudæorum? Nos enim certo indicio natum illum cognouimus. Nam cum procul hinc ageremus in Oriente, Stellam eius admirabili ſpecie vidimus. Vidimus Stellam, & ſenſimus afflatum. Proinde huc ſumus profecti, vt adoremus, nouoque Regi debitas honoris primitias exhibeamus.* |
| *Verſ.* 3. Audiens autem He- | 3. *Metuens Herodes ne Regno, quod occupauerat* |

rodes Rex turbatus eſt, & omnis Ieroſolyma cum illo.

*rit alienigena, deturbaretur, ſi tantus Princeps de Iudæorum ſtirpe extitiſſet: conturbatus ſanè eſt animo, ſimulque cum hoc tota Ciuitas Ieroſolymorum, aliis ad metuentibus, ſeu ſperantibus.*

*Verſ.* 4. Et congregans omnes Principes Sacerdotum & Scribas populi, ſciſcitabatur ab eis, vbi Chriſtus naſceretur?

4. *Cum totus arderet Herodes in nati Pueri exitium, accerſit ad ſe ex ordine Sacerdotum cunctos Primores, ac Scribas populi Iudaici, quorum hæc peculiaris profeſſio, vt ſi quid exoriretur rerum nouarum, è Prophetarum Oraculis, è diuinis libris reſponſa darent. Ab his igitur Rex ſciſcitatus eſt, vbinam naſciturum Chriſtum promiſiſſent Oracula.*

*Verſ.* 5. At illi dixerunt ei: In Bethleem Iudæ; ſic enim ſcriptũ eſt per Prophetam:

5. *At illi nondum odio furentes in Chriſtum, quem non viderant, reſpondent: In Bethleem Iudæ. Ac ne parum ponderis haberet ipſorum authoritas, ecce in promptu habent Michææ Prophetæ vaticinium.*

*Verſ.* 6. Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in Principibus Iuda: ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Iſraël.

6. *Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in Principibus Iuda; ex te enim exorietur Dux, qui regat populum meum Iſrael.*

*Verſ.* 7. Tunc Herodes, clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus Stellæ, quæ apparuit eis.

7. *Sacerdotibus itaque & Scribis dimiſſis, clanculum, ne Iudæi dolum ſuſpicarentur, accerſit ad ſe Magos, & communicata re, quaſi idem agerent vtrique, diligenter percontatus eſt, quantum eſſet temporis, ex quo illis primum ſtella apparuiſſet, cuius indicio tantum itineris emenſi, veniſſent Ieroſolymam.*

*Verſ.* 8. Et mittens illos in Bethleem, dixit: Ite, & interrogate diligenter de Puero; & cum inueneritis, renunciate mihi, vt & ego veniens, adorem eum.

8. *Magos vltrò ituros etiam ſuo nomine flagitat Rex adire Bethleemum, ſummâque diligentia veſtigare de Puero, vt eo comperto, mox Ieroſolymam reuerſi ſe facerent totius negotij certiorem, cauſam prætendens admodum piam. Vt & ego (inquit) eodem me conferam, vóſque imitatus, eum adorem.*

*Verſ.* 9. Qui cum audiſſent Regem abierunt, & ecce Stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, vſque dum veniens, ſtaret ſupra, vbi erat Puer.

9. *Magi, audito Rege, contendunt Bethleem. Stella autem, quæ ad tempus diffugerat, rurſus adeſt: quæ quidem ſic eorum pietati ſeruiebat, vt non ſolum Bethleem, ſed ipſam etiam domunculam, & ob hoc inuentu difficilem, indicaret: atque adeò ipſius Pueri capiti imminens è propinquo, eum digito expetitum demonſtrabat Infantem.*

*Verſ.* 10. Videntes autem ſtellam, gauiſi ſunt gaudio magno valde.

10. *Hæc vbi rurſus apparere cœperat, omnem ſolicitudinem ex animis illorum diſpulit, iámque certa ſpe, ſimul & gaudio pleni, neglectis hominum indiciis, cœleſtem ducem ſecuti ſunt.*

*Verſ.* 11. Et intrantes domum, inuenerunt Puerum cum Maria Matre eius, & procidentes adorauerunt eum: & apertis theſauris ſuis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.

11. *Domum, qua, relicto iam ſtabulo, Puer commorabatur, ingrediuntur, reperiunt Infantem, reperiunt Matrem nil præ ſe ferentem magnificam, paupertatem tota ſupellex teſtabatur. Magi ad vagientis Pueruli cunas procumbunt, adorant pro... nondum fari potentem. Depromunt de repoſitoriis ſuis deſtinata munera ex hiſce rebus, quarum regio Perſarum diues erat; aurum, thus, & myrrham.*

*Verſ.* 12. Et reſponſo accepto in ſomnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam.

12. *Cæterùm, cum ſecum agitarent, an redeundum eſſet ad Herodem, vt illius animo ſatisfacerent, in ſomnis admoniti ſunt Oraculo diuino, ne ſe ad illum referrent. Illi non ſegnes parent Oraculo, ac diuerſâ viâ reuerſi ſunt in Patriam apud ſuos, noui Regis noui facti præcones.*

## SECTIO PRIMA.

# Magorum ex Oriente profectio.

## *TEXTVS.*

*Verſ. 1.* Cum natus eſſet Ieſus in Bethleem Iudæ, in diebus Herodis Regis: ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam.

## *COMMENTARIVS LITERALIS.*

### §. I.

### *Cur Jeſus voluerit in Bethleem naſci?*

1\. *Quanam Bethleem Iudæ.* Hieron.

CV. 1. *Natus eſſet Ieſus in Bethleem Iuda.* Bethleem prius dictam Ephrata Strabus affirmat. Plerique codices habent, *In Bethleem Iudææ.* Sic legunt Chryſoſt. & Euthymius. Sequor Hieronymum aſſerentem legendum *Iuda*. Iudæa enim tota duodecim tribuum terra eſt. Cum autem duæ fuiſſent Bethleem, altera in tribu Iuda, altera in tribu Zabulon: *Iuda* dixit; ad differentiam alterius, quæ in tribu Zabulon erat conſtituta; vtraque verò in Iudæa commorabatur duodecim tribus complectente.

2\. *Quæſtioni reſpondetur.* 1. Reg. 16. Caietan.

Exiſtimo itaque ideò natum Ieſum in Bethleem, vt ortus de Dauidis ſtirpe probaretur. Dauid enim Bethleemiticus & ortu, & proſapia, vti 1. Reg. 16. conſtat. Obiicis. Sion etiam Ciuitas Dauid. Quare ergo in Sion potius ortus non eſt? Reſpondeo non æqualiter pertinere ad Dauid Bethleem & Sion, cum ipſe natus non fuiſſet in vtraque. Quod ſi æqualiter ad Regem pertineret vtraque ciuitas, adhuc affirmarem conuenienter à Ieſu electam Bethleem ad natalitium. Quare? Pulchrè reſpondet Caietan. *Vt ex electo loco natiuitatis inciperet aſſumere vilitates noſtras, eligendo naſci in vili terra.* Id breuiter illuſtro.

### §. II.

### *Natus in Bethleem Ieſus.*

Quia de more iuſtorum ſemper eligit quod ſibi vilius, & vtilius nobis.

3\. PONderanda verba illa: *Eligendo naſci in vili terra.* Quaſi à Patre Chriſto datum, vt eligeret locum natiuitatis, ipſe autem, qui poterat ad vrbem Romanam ſe recipere, aut in Regia Ieroſolyma naſci, aut aliam opulentam Ciuitatem Patriam ſibi efficere: elegit Bethleem Ciuitatem abiectam, exque huiuſmodi Ciuitate tugurium elegit abiectiſſimum. Nunquam non Ieſus elegit id, quod orbiſ celſius, ſuauius eſt.

Id expreſſit Ioannes egregiè hiſce verbis: *Sciens Ieſus quod omnia dedit ei Pater in manus. Poſuit veſtimenta ſua, & cœpit lauare pedes Diſcipulorum ſuorum.* Cap. 13. Quid omnia à Patre poſita in manus Ieſu? Exiſtimo idem eſſe, ac feciſſe ei Patrem copiam eligendi quidquid voluiſſet circa paſſionis negotium, penéſque omnia, quæ ad eandem dirigerentur. Sciens igitur Ieſus, quod haberet eligendi poteſtatem, cùm occurreret abluendi Diſcipulos occaſio, *cœpit* non manus, ſed pedes abluere. Profectò licet idem myſterium (venialium ſcilicet ad communionem mundatio) quod in pedum dilutione repræſentatur, rectè in manuum lotione deſignatum fuiſſet, ſi placuiſſet Ieſu, abiectionis ſtudioſus, pedes, quia viliores, eligere dignatur. Adnotauit hoc D. Auguſt. apud D. Thom. fatus: *Cum ergo illi Pater omnia dediſſet in manus*, ſiue ad electionem faciendam propoſuiſſet, *ille non manus diſcipulorum, ſed pedes lauit.* 4. *Pedes non manus Diſcipulorum eligit abluendos.* Ioan. 13. August.

D. Paulus, *Dominus quidem Ieſus in qua nocte tradebatur.* &c. 1. Cor. 11. Quærit Chryſoſt. *Quare meminit noctis illius?* Reſpondet, vt innueretur ſe Dominum oſtentaſſe circa electionem eorum, quæ ſibi vilia magis, nobiſque exiſterent vtiliora. Menti etenim præſentatur, *illa nocte audita, quomodo cum Diſcipulis triſtis erat, quomodo traditus eſt, quomodo ligatus, quomodo iudicatus, quomodo denique omnia paſſus eſt. Cera mollior fies, & omnem terra abiicies cogitationem. Quomodo triſtis erat.* Propoſito ſibi, an velit hilaritate præmiſſa, vel triſtitia preſſus ad paſſionem currere? Elegit triſtitiam, quia lætitia minuit paſſionem, *Quomodo traditus eſt.* Data ſibi poteſtate ad permittendum hoſtem Phariſæum, aut Diſcipulum proditorem, permiſit Diſcipulum proditorem, vt viliori apud inimicos pretio haberetur. *Quomodo ligatus.* Potuit ſine illigatione comprehendi; at elegit ligari, vt in morem latronis vilius ad tribunal adduceretur. *Quomodo iudicatus.* 5. *Mirabilis electio Ieſu circa paſſionis articulos.* 1. Cor. 11. Chryſoſt.

Cupiebat Ieſus à Iudæis minimè iudicari, & damnari, adeo enixè orans inclamat, *Tranſeat* 6.

à me

*Quando non oportebat abiectiùs eligere, Patri dat electionem.* Matth. 26. Hieron.

*à me calix iſte.* Matth. 26. Vbi Hieron. *Signanter dicit. Calix iſte, hoc eſt populi Iudæorum, qui excuſationem ignorantiæ habere non poſſunt, ſi me occiderint, habentes legem.* Vocò ad diſputationem, quare obiecto populo Iudæorum, & gentibum, vt eligeret ſeu ab hoc ſeu ab illo damnari, & trucidari, non elegit damnari à Præſide gentili, à militibus gentilibus torqueri, & occidi; ſed totum negotium diuinæ voluntati remiſit? *Non mea voluntas fiat. Non ſicut ego volo.* Chriſto profectò vilius à chariſſimis Iudæis damnari, ipſis autem omnino exitiale. Quando igitur propter ipſorum hominum malus bonum non oportuit Chriſtum eligere quod ſibi abiectius, & horribilius fuiſſet, Patri omnino reddidit electionem.

7\. *Pauperem eligit parentem.* Can. 5. Guiller. Abulen.

*Vna eſt*, inquit Sponſus, *matri ſuæ electa genitrici ſuæ.* Cant. 5. Vbi Guillerm. *Singulariter electa Maria ad miniſterium redemptionis.* Electa à Filio Dei. Cur ergo eam non curauit prædiuitem ſæculi Reginam? Quia quando Verbum eligit, nihil magis curat, quàm id quod ſibi humilius & abiectius futurum, cum apud terricolas commoraturus eſt. Aptè ad rem Abulenſis c. 2. Matth. qu. 4. *Chriſtus elegit pauperem Matrem, noluit enim fauores Principum; nec familiaritates eorum, quas habuiſſet, niſi eas ſpreuiſſet.* Mirum fuiſſet, ſi pauperem humilitatis ſtudioſus non Matrem elegiſſet, qui elegit *naſci in vili terra.*

## §. III.

*Aptè naſcitur in Bethleem domo panis Ieſus, qui panis futurus erat.*

Id enim filius aſſolet eſſe, quod domus vbi educatur.

8\. Paſchaſ.

MYſticam aliam rationem reddit Paſchaſ. Aptè in Bethleem natus, *Bethleem quippe domus panis interpretatur, ex quo nimirum præſagium inducitur futurorum, quod ibidem panis viuus, qui de cœlo deſcendit, ad refectionem eorum, qui credituri erant, quandoque naſceretur.* Haud rectè videtur Doctor inferre. Naſcitur in domo panis, ergo panis viuus futurus eſt. Egregia profectò excogitatio. Illud namque filius aſſolet eſſe, quod eſt domus apud quam naſcitur, apud quam educatur. In domo panis, in domo virtutis naſceris? Panis proculdubio eris, virtutibus condecoraberis: ſpinarum totum domicilium? Exitiali pleruraque ſtipaberis fructu.

9\. *Crux arbor mort fera à morte patria.* Pſal. 1. Caſſiod. Brun.

*Et erit*, ait Vates, *tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum.* Pſal. 1. Quodnam hoc lignum? Caſſiodor. *Lignum Crucis plantatum eſt ſecus decurſus aquarum.* Quinam aquarum decurſus? D. Brun. *Id quod labitur, & defluit in mortem.* Vnde hic deſignatur noſtra mortalitas, humana fragilitas, imò ipſa hominum inimica mors. In domo mortis (ſic fari liceat) Crux educatur! Naſcitur Crux ſecus mortis defluxus? Lignum mortiferum exiſtet Saluatori. At poſtmodum arbor vitæ Crux, quia myſticè tunc Dominico hæſit paradiſo totius fontis vitalitatis.

10\. Iſaias inclamat: *Væ mihi, quia tacui, quia vir*

*pollutus labiis ego ſum, & in medio populi polluta labia habentes ego habito.* Cap. 6. Lxx. transferunt. *Homo cum ſim, ego habito in medio populi immunda labia habentis.* Homo cùm ſim non poſſum non à Patria, à natiuitatis loco mores ebibere, ſicuti cæteri mortalium: Egregiè Hieronym. *Peccauit non ſuo vitio, ſed populi ſui habentis polluta labia.*

*A polluto labiis non ſuimus Iſaias.* Marc. 6.

Ideo Dominus Cæcum illum donaturus & viſu & vita ſpirituali, *Apprehensâ manu cæci eduxit eum extra vicum.* Marc. 9. Ad quem locum Hieronym. *Eduxit eum extra vicum, id eſt, extra viciniatem malorum.* Natalis itaque ſpiritualis erat tunc celebrandus: En cur Dominus Cæcum eduxit extra vicum; quia vicinitas malorum obeſt adeò ſpiritualis vitæ progreſſui, vt qui inter improbos naſcitur, poſt breuem interſtitium, prauo illectus exemplo, miſerè decumbat. 11.

*Cæcum, Ieſus, vitâ donaturus à mortuorum auſonut eminatè.* Marc. 9. Hieron.

## §. IV.

*Aptè in Bethleem domo panis naſcitur, qui leges laturus eſt in Hieruſalem.*

Quia Princeps prius ſuos debet paſcere, quàm legibus onerare.

OBiicit Abulenſis in præſenti, qu. 4. *Quidam dicunt quod Chriſtus debuit naſci in Ieruſalem, quia Iſaiæ ſecundo dicitur: De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem.* Profectò ſi Dominus in Ieruſalem erat legem laturus, aptè prius in domo panis natus obiicitur. Nullus enim aptior Rex, quàm ille, qui paſtoris officio fungens, prius curat reficere gregem, quàm ei legum indicere obſeruationem. Se expedire prudens ille à regimine curans, obiiciebat, *In domo mea non eſt panis.* Nec appoſitè legibus oneraæ, qui non prius alimonia alleuat ſubditos. Haud itaque ò Rex Regum, te tam poteris à gubernatione eximere inclamans: *In domo mea non eſt panis*, ſi in domo panis ortus, panis viuus hominum alimentum effectus es. 12. Abul.

Audite Regum omnium principem: *Ex omni ligno comede, de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas* Gen. 2. Quærit hîc D. Thomas, cur prius Dominus dixerit, *Ex omni ligno comede*, quàm indiceret, *ex ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas?* Nonne ſufficeret vnum lignum prohibere, vt homo cognoſceret licere ſibi ad quodcumque lignum manum admouere, cuiuſcumque arboris decerpere fructus? Ingenioſè reſpondet: *Hæc fuit prohibitioni ligni vetiti annexum.* Ac ſi diceret: Qui indicturus erat legem circa abſtinentiam ab arbore ſcientiæ boni & mali, qui legibus ſubditos ligare volebat, debuit prius de illorum victu eſſe ſolicitus, vt è domo panis efficaciùs aſcenderet in Ieruſalem legem prolaturus. Quid ſi poſtquam Legiſlator ſubditi ſuſtentationi ſtuduit, contumax perſiſteret circa legis obſeruantiam? *Ex hoc*, inquit ille, *conuincetur magis ſua contumacia.* Nullam enim ſubditus tranſgreſſionis excuſationem habet, ſi totus eſt Princeps eius victui, & vtilitati addictus. 13.

*Prius Deus comedendi de omni ligno tradit copiâ, quam de abſtinentia legem ferret.* Gen. 2. D. Thom.

Vnde inclamat Dauid. *Quoniam hic eſt Deus* 14.

*Deus*

*Prius fungitur paſtoris officio, quàm ſeſe accingat ad regimen. Pſal. 47. Athanaſ.* *Deus noſter in æternum, & in ſæculum ſæculi, ipſe reget nos in ſæcula.* Pſal. 47. D. Athanaſ. pro *reget*, poſuit, *paſcet*; quia aptè committitur regiminis munus ei, qui paſcere oues didicit. *Hic*, inquit, *qui populum paſcendo paſtoris officio fungitur*, Dominũ intelligit, *is eſt qui nos in futura ſæcula reget.* Vnde aptè prius paſtor eſt D. Athanaſio, poſtea Rex. *Paſtoris officio fungitur*, de præſenti; *nos in futura ſæcula reget.* Si prius paſcis ſubditos, poſtea conuenienter & efficaciter leges ferre valebis.

15. *Quos iudicat, alit, Deut. 10. Philo.* Hebræis Moyſes: *Facit Deus iudicium pupillo, & viduæ, amat peregrinum, & dat ei victum, ac veſtitum*, Deut. 10. Quare Deus iudex viduæ & pupilli, id eſt, deſolatorum deſignatur, & non potius ſatraparum, tyrannorũ, quos comprimere magis oporteret? Depingitur Deus peregrinorum altor, deſolatorum procurator, non ſatraparum nec tyrannorum. Vnde iudex deſolatorum aptè nuncupatur; quia eis leges indicere debes, eos ad tribunal vocare, queis impertitus prius es alimoniam. Excogitauit eleganter Philo de exat. Prim. *Deus magnus*, ait, *fortiſque, qui nullius perſonam reſpicit. Maxque addit quos iudicet, non ſatrapas, tyrannóſque, terra & mari latè imperitantes; ſed aduenam, pupillum, viduam.* Quare hos, non illos legibus ſuis moderandos accipiat? Quoniam *huic orbitati, deſolationique numquam deſore prouidentiam cæleſtis Numinis tanquam peculiari ſuâ Prouinciæ pollicetur Dominus.* Vnde ſi ſpecialiter ſunt cibo refecti & legis iugo ſunt onerati.

## §. V.

### *Quiſnam Herodes Rex?*

16. *Herodes Idumæus tyrannus.* IN *Diebus Herodis Regis.*] D. Ambroſ. ab Idumæis latronibus affirmat Antipatrum Aſcalonitam captum, imbutum fuiſſe myſteriis Iudæorum, & ab Hircano Iudææ Rege legatum miſſum ad Pompeium, eiúſque filium Herodem ſub Antonio Senatuſconſulto Iudææ Regnum adeptum. Hic autem, (vti aduertit Chryſoſt. non fuit qui Ioannem interfecit, Chriſtum irriſit, Iacobum occidit, Petrum vinculis illigauit; ſed pater interfectoris Ioannis, irriſoris Ieſu auus, occiſoris Iacobi, Petri perſecutoris, magnus Aſcalonita nuncupatus. Legendus Ioſephus. Quod ſi requiras, cur additum ab Euangeliſta, *Regis*? Variè reſpondetur à Doctoribus. Sed facilè reſpondet Maldonatus,
*Maldon.* Vt diſtinguat à Tetrarcha, de quo Cap. 14. A Chryſoſtomo didicit.

17. *Cur texitur hiſtoria per Herodem non per Auguſtum?* Hugo Card. huiuſmodi excitat quæſtionem. Cur dixit: *In diebus Herodis Regis*? *Potius videretur dicendum. Tempore Auguſti Imperatoris, à digniori enim fit denominatio.* Ab Haymone accepi ſolutionem. *Vt demonſtraretur prophetia Iacob eſſe impleta, qui dixit, Non auferetur ſceptrum, &c. Iam*, proſequitur Hugo, *ablatum erat ſceptrum de Iuda, quia Herodes erat alienigena, & ideo patet, quod ille natus erat, qui promiſſus erat in lege.* Non (tanti viri venia) rectè infertur, Alienigena regnabat, ergo natus erat Ieſus promiſſus in lege. Herodes enim regnauit in populo Iudæorum triginta ſeptem annis, cuius triceſimo primo Ieſus natus eſt.

18. Enimuerò ideo cenſeo Herodis hic, non Auguſti factam mentionem, quia Magorum hiſtoria non cum Auguſto, ſed cum Herode texebatur. Id quod exprimit Caietan. *Matthæus non dicit: In diebus Cæſaris Auguſti, ſed in diebus Herodis Regis, quia hiſtoria aduentus Magorum cum inde ſubſecutus ex Herode, non ex Auguſto Cæſare pendebat. Herodes enim, non Auguſtus inquiſiuit de loco natiuitatis Chriſti, direxit Magos in Bethleem.* Quæris an Herodes hic Idumæus, fuiſſet circumciſionis vulnere affectus, vt Hebræis imperaret? Caiet. reſpondet ob amorem vxoris Idumæum fuiſſe circumciſum. *Auctoris ſententia. Caietan.*

## §. VI.

### *Quinam Magi?*

ECce.] Aduerbium hoc demonſtrandi eſt, cùm autem Magi die decima tertia à natalitio Ieſu venerint, quomodo per *ecce* demonſtrantur? Reſpondet Scribus viſa ſtella, ſtatim ſe ad iter præparaſſe. Vnde particula *ecce* magis inchoationem diligentem profectionis, quàm acceſſum ad Ieroſolymam innuit. 19. *Aduerbij Ecce vis.*

*Magi.*] Quare Magos appellat? Num quia malefici? D. Auguſt. S. Thom. Ambroſ. Baſil. Iuſtin. Mar. Hilar. Theophyl. Orig. & Tertul. maleficos fuiſſe Magos ſentiunt. Pro omnibus D. Baſil. *Magi*, inquit, *incantationibus, & magicis, & naturalibus quibuſdam affectibus, Aſtronomiaque, & rebus ſublimibus vacabant, cuius Magiſter Balaam videtur fuiſſe.* Mouentur, me iudice, hi Doctores ex ipſo nomine Magorum, quod maleficium inſonat, præcipuè cum in Euangelio Hebræo nomen hoc, *Magus* ſignificet præſtigiatorem. Si autem malefici non fuiſſent, quid opus fuit infami nomine eos afficere Euangeliſtam? 20. *An Magi maleſici fuerint.*

Profectò cum illis ſentio, qui maleficos fuiſſe inficiantur. *Magi* enim idem prorſus ac *ſapientes*. Auctor Imp. *Magi apud Perſas non malefici, ſed ſapientes intelliguntur.* Pro hac ſententia militant Anſelm. Beda, Rupert. Nicephor. Strab. Innocent. D. Leo. Cyprian. Chalcid. Magiſter. Hiſt. Lyran. Carthuſ. Hugo Card. & recentiorum communis receptio. D. Hieron. audiendus: *Magi habentur apud gentem ſuam, eo quod ſint Philoſophi Chaldæorum, & ad artis huius ſcientiam Reges quoque & Principes eiuſdem gentis omnia faciunt. Vnde & in natiuitate Domini ipſi primi etiam eius ſtellam intellexerunt.* 21. *Magi idem qui ſapientes.*

Cuinam, ais, ſapientiæ ſtudio dediti? Seu cuinam addicti facultati? Strabus reſpondet. *Magi non malefici, ſed Philoſophi Chaldæorum, qui de ſingulis philoſophantur.* Conteſtantur Beda & Innocentius. Ego autem cum D. Anſelmo, Leone, & Cyprian. Aſtrologiæ fuiſſe deditos affirmo. Vnde ſtellæ nouæ exortum mirabilem penetrare potuerunt. *Erant*, inquit Cyprianus, *viri ſiderum inſpectionibus aſſueti, qui arte Mathematicâ vim, diſcurſumque nouerant Planetarum qui ex elementorum natura rationem temporum metientes, aſtrorum miniſteria certis experimentis, propriis didicerant effectibus aſſignata. &c.* Vnde eis ſtella Ieſu nuncians natalitium mirabilis planè eos ad noui cuiuſdam effectus conſiderationem impulit. 22. *Cuinam ſapientiæ addicti. Strab. Cyprian.*

Hos equidem diſcipulos opinor Balaam, imò de eius genere, per quam naſciturum Regem 23.

de Iſrael

Digitized by Google

*Diſcipuli Balaam. Baſil.* de Iſraël acceperunt. Præſtat audire ex Baſil. hom. de hum. Chr. gen. Balaam in quarta parabola talia de Domino dicit. *Homo videns, & audiens verba Domini, qui nouit Altiſſimi doctrinam, & viſiones omnipotentis vidit, qui dormit apertos habens oculos, videbo eum, ſed non modò: intuebor illum, ſed non propè. Orietur ſtella ex Iacob, & cōſurget homo ex Iſrael. Quoniam igitur,* adiicit Pater, *aſtrum ortum natura prodigium habuerunt, ſciſcitari decreuerunt, quinā homo ex Iſrael exurgeret? Quamobrem Iudæa locum inueſtigantes, ex antiquo vaticinio in Ciuitatem venerunt, interrogantes, Vbinam eſt qui natus eſt Rex Iudæorum?*

## §. VII.

### *Num Reges?*

24. *Reges fuere Magi. Tertul. Pſalm. 71.* AN fuēre Magi Regiâ dignitate fulgidi? Eccleſia Reges fuiſſe non certâ & Catholicâ fide, ſed probabili opinione credit. Probabili inquam, nam multi ab hac ſententia graues Doctores antiqui, & noſtri temporis receſsēre. Vigeat tamen Eccleſiæ traditio, quam approbant Tertull. Chryſoſt. Cyprian. Hilar. Baſilius, Idatius, Hieron. Auguſt. Iſidor. Beda, Strabus, ſic exponentes illud Pſal. 71. *Reges Tharſis & Inſulæ munera offerent.*

25. *Fundamenta.* Hiſce nitor coniecturis. *Ab Oriente venerunt,* vnde priuati Philoſophi tam longè ſuſcepto itinere, non veniſſent adoraturi Regem natum, quod ſoli Reges, ſeu Principes facere aſſolent. Theſauros habuerunt. Ab Herode nouum inclamantes Regem comprehenſi non ſunt. Ipſe Herodes dixit ſe quoque adorandi causâ, cùm vbi ſit intellexerit, iturum. Simulatè, non inficior, veritatem tamen ſimulabat, quaſi omnes Reges deberent Magorum exemplo nouum Regem adorare. Priuatine homines vnquam auſi fuiſſent coram tyranno profiteri, legitimum Iudæorum Regem eſſe natum?

26. *Obiectioni ſit ſatis.* Non, ais, Reges eos appellauit Euangeliſta. Nec auctor libri Iob amicos eius Reges nominauit, cùm tamen Tobiæ libri auctor appellet. Et, me iudice, notanter Euangeliſta eos Magos nominauit, vt tacitè redderet rationem, cur ex ſtella Chriſtum natum eſſe cognouiſſent.

27. *Reguli erant, ſeu Proceres.* Cæterùm, vt aliquid demus oppoſitæ ſententiæ auctoribus non infirmo ſcipione nitentibus, vt Magos Reges non fuiſſe exiſtiment, ſequor Simonem Caſſianum aſſerentem hos non fuiſſe potentes Reges, ſed Regulos, ſiue Toparchas, vti nominat Eraſmus, Primores ſuæ gentis. *Erant* (inquit Caſſian.) *in Regione aliqua Orientalis plagæ tres viri nobiles, pares tamen Regis.* Si quem magno apparatu incedentem aſpiceres, nonne Procerem exiſtimares? Magos itaque Proceres nomino magno apparatu profectos, vt accepi ex Strabo.

## §. VIII.

### *Quotnam.*

28. *Tres fuēre Magi.* ENimuerò verbum illud *Magi* numero multitudinis nos allicit ad veſtigādū, quotnam fuerint hi viri? Strabus plures fuiſſe tantū affirmat, nec certo cognoſci numerum eorum. Auctor Imperf. duodecim teſtatur, ſed ex apocrypho tractatu deſumens. Caluinus quatuordecim annumerauit ſine fundamento. Tres fuiſſe, communiter ab Eccleſia receptum. Sunt huiuſce ſententiæ D. Leo, Anſel. Innocentius, Bernard. Rupert. Hilar. Arelat. Beda, Maxim. & ex recentioribus omnes.

Non equidem ſine myſterio. Primò, vt acceſſuri ad fidem ex tribus Noë filiis exprimerentur. Gloſſa, *Vt per eos gentes, quæ ex tribus filiis Noë natæ ſunt, ventura ad fidem præfiguretur.* 29. *Aptè quidē.* Deinde vt Trinitatis myſterium innui poſſet, Hilar. Arel. D. Epiphan. *In eo quod à Magis tria offeruntur, Trinitas intelligitur. In eo vero quod tres vni, & ſinguli ſingula offerunt, in Trinitate vnitas declaratur.* *Hilar.* Præterea, vt tres tribus orbis partibus adorationis magiſtri obiicerētur Rupert. in Matth. *Tres homines tribus partibus orbis Aſiæ, Europæ, atque Africæ fidei, confeſſionis, atque adorationis exemplar exiſtere meruerunt.* *Rupert.*

Nomina Magorum ſic Magiſter Hiſtoriæ Scholaſticæ aſſignat: *Hebraicè Appellius, Amerius, Damaſcus. Græcè Balaath, Magalat, Saratin. Latinè autem Gaſpar, Balthaſar, Melchior.* Porrò eorum ætatem expēdit Beda collect. in hunc modum. *Dicitur fuiſſe Melchior ſenex, & canus, barbâ prolixâ, & capillis. Secūdus nomine Gaſpar, iuuenis imberbis, rubicundus. Tertius fuſcus, integrè barbatus, Balthaſar nomine.* Horum equidē Regum, ſeu Procerū Prouincias Magiſter iuxta Perſarum, & Chaldæorum collocat fines. 30. *Nomina, ætas. Magiſt. Beda.*

## §. IX.

### *Vndenam?*

AB *Oriente venerūt.*] Difficilis quæſtio volui aſſolet, vndenā Magi venerint? D. Cyprianus, Tertul. & alij ex Arabia veniſſe affirmant. Alij alias & contingunt, & recenſent opiniones. Ego autem communi hæreo ſententiæ ex Perſide veniſſe teſtanti. Plures habet auctores Chryſoſtomū, Cyrillum Iuuencum, Theophyl. & omnes ferè poſteriores. Moueor & quia nomen Magorum Perſicum eſt, & quia Perſicos præ ſe mores ferūt hi Principes Reges enim adorare, non ſine munere adire, Perſica lex. 31. *A Perſide.*

Difficilem reddit hanc quæſtionem aduentus properatio. Quonam modo enim vndecim aut duodecim diebus, (do equidem eis vnum ſiue duos dies integros, vt in Herodis conſiſterent conſpectu) venire potuerunt? Non hoc impoſſibile (inquit Strabus) cùm equos Arabicos ac Dromedarios haberent, qui ſunt ad iter velociſſimi. Haud difficile (Remigius ait) cùm Puer, qui nunc natus eſt, in tam breui ſpatio temporis de vltimis terræ finibus ad ſe perducere potuerit. 32. *Quomodo tā citò?*

Faciliùs ſentio Magos ex Perſidis ſeu Chaldææ Orientali regione veniſſe, ita Bethleem propinquâ, vt paucis prædictis diebus abſque miraculo, & moleſtiâ intolerabilique feſtinatione iter conficere potuerint. Non Magi Balaam ſucceſſores? Ergo veriſimile in eadem, quâ Balaam habitaſſe Regione. Hic verò in Meſopotamia habitauit, vti Abul. Num. 23. affirmat: *De Aram id eſt de Meſopotamia, adduxit me Balac Rex Moabitarum de montibus orientis:* Ex Meſopotamia verò diebus paucis ad Chriſtum venire Magi potuerunt, dum conſtet Gen. 31. Labanum ex Meſopotamia profectum ſeptem dierum ſpatio ad montem Galaad perueniſſe. Fuiſſe autem Meſopotamiam orientalem ex Abul. verbis citatis liquet deſumptis è Num. 23. *De Aram adduxit me Balac de montibus Orientis.* 33. *Auctoris ſententia.*

*Orientis.* Meſopotamia denique appellatur à D. Stephano terra Chaldæorum. *Deus* (inquit) *gloria apparuit Abraha, cùm eſſet in Meſopotamia, & dixit ad eum: Exi de terra, &c.* Deinde adiungit: *Tunc exiit de terra Chaldæorum.* Id eſt de Meſopotamia. Act. 7. interpretantibus Strabo, & Abulenſi.

34. *Quandonam venißent?* Ad hæc, breuiter diſcutiam D. Epiphanij, & Auctoris Imperf. ſententiam affirmantem Magos poſt duos ab ortu Chriſti annos veniſſe adoraturos. Mouetur Epiphan. quia Herodes occidi infantes iuſſit *a bimatu & infra, ſecundum tempus, quod exquiſierat a Magis* Ergo acceperat à Magis Chriſtum tunc temporis iam duos annos egiſſe. Addo Deiparam in Purificatione pauperis, non diuitis munus obtuliſſe. Ergo nondum aurum ei Magi conſecrarant.

35. *Vera ſententia.* Vera equidem ſententia, decimatertiâ poſt ortum die Magos Ieſum adoraſſe reor. A me ſunt Eccleſiæ traditio, ferè omnes antiqui Patres, & recentiores interpretes. Colligo ex verbis Euangeliſtæ, *Cùm natus eſſet Ieſus in Bethleem Iuda, ecce Magi ab Oriente venerunt.* Particula *ecce* Magos oſtendit paulo poſt natiuitatem veniſſe, non autem poſt annos duos. Si dixiſſet, *Cùm natus eſſet &c. Ecce Magi itineri ſe commiſêre.* Innueretur itineris longitudo, Prouinciæ diſtantia. Vnde Epiphanij ſenſus confirmaretur. Præterea Deipara anno poſt natiuitatem ſecundo non erat apud Bethleem, ſed apud Ægyptum. At Magi Chriſtum in Bethleem adorauerunt.

36. *Fundamentis reſpondet.* Vni Epiphanij rationi reſpondeo Herodem pro abundantia cautionis ætatis infantilis tempus protuliſſe. Altera non fortior ratio ad librum de Purificatione ſpectat. Breuiter innuerim aut pauperibus Magorum munus à Virgine erogatum, aut ſeſe geſſiſſe in Purificationis oblatione, ac ſi Ioſephi vxor munera nullatenus à Proceribus accepiſſet.

## §. X.

### *Quare Magi veniunt Ieroſolymam?*

37. *Varij Doctores.* VEnerunt *Ieroſolymam.*] Mirum, Ieroſolymam veniſſe, cùm in Bethleem Stellâ ducerentur. Anſelmus ideo Ieroſolymam ingreſſos arbitratur, quia Regni caput. *Credebant enim,* adiicit Remig. *non niſi in vrbe Regia Chriſtum naſciturum.* Auguſtinus ideo ait in vrbem ſeſe contuliſſe, *Vt Regem Meſſiam Iudæis prædicarent.* D. Thomas, *Vt de ciuitate, in qua Chriſtus naſci deberet, etiam à Iudæis fierent certiores.*

38. *Auctoris mens.* His, & aliis miſſis, arbitror, ideo veniſſe Magos Ieroſolymam, quia prope Vrbem ſtella ductrix ſeſe ab eorum conſpectu proripuit. Cùm autem ſtella eos dirigeret ad oſtendendum natiuitatis locum, & tunc introëuntibus eis Ieroſolymam diſparuiſſet, rationabiliter arbitrati ſunt, ibi ortum Saluatorem. Vnde requirunt, *Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum?* Ac ſi dicerent: Quanam in parte huiuſce Vrbis commoratur, qui natus eſt Iudæorum Princeps? Scimus hîc natum eſſe, hîc commorari ex Stellæ diffugientis admonitione; ſed in qua Vrbis adſit parte, ignoramus.

39. *Non ſine fructu diſparuit Stella.* Haud equidem ſine fructu Stellam abſconditam reor. Prætereo plures circa id Patrum excogitationes, duplicem Remigij annectens fugientis Stellæ cauſam, vti cogeret Magos Ieroſolymam ingredi. Primò, *Vt Iudæi inexcuſabiles manerent. Poſſent enim alias obiicere, Non locum natiuitatis Meſſiæ ſcimus, ſed tempus ignoramus, ideò ad ipſum adorandum non vadimus. Nunc autem Magi tempus oſtenderunt, & ſic manſerunt inexcuſabiles.* Deinde, *Vt per ſtudium Magorum condemnaretur incredulitas Iudæorum; quia Magi fuerunt ſoliciti veniendo ad adorandum Chriſtum: Iudæi autem fuerunt negligentes, imò de eius turbati ſunt natiuitate.*

## §. XI.

### *Quem alienigena adorat Chaldæa, patria perſecutionibus afficit Ieroſolyma.*

### Pluris enim Deus ſæpe à ſæcularibus, quàm à Sacerdotibus habetur.

ID D. Petrus Chryſol. hiſce exprimit verbis: *Plus cæleſte de Magis, quàm de Stella ſignum eſt, quod legis auctorem Magus ſcit, neſcit Iudæus, Ieroſolyma aduerſatur, & refugit; Syria ſequitur, & adorat.* Mirum equidem, quod filij optimum fugiant parentem, quem ipſa mancipia venerantur. Quotiens à ſæculi filio Deo obſequium præſtatur, quod denegatur à Monacho? 40. Chryſol.

41. *Gentilitas ſequentur Synagogâ.* Esther. 1. Gloſſa. Anſelm. *Ieroſolyma* vtique *fugit, Syria ſequitur.* Quàm propinqua Synagoga, quàm remota gentilitas. Hæc paret Ieſu voluntati, illa repugnat. Aſſuerus inter epulas *præcepit ſeptem Eunuchis, qui in conſpectu eius miniſtrabant, vt introducerent Reginam Vaſthi cum Rege, vt oſtenderet cunctis populis pulchritudinem illius, quæ renuit, & ad Regis imperium venire contempſit.* Eſth. 1. Quid plura? Reiecta Vaſthi, obediens aſſumitur Eſther. Quid Vaſthi? Gloſſæ Magiſter, Synagoga repugnans. Quid Eſther? Anſelmus: Abſconſa erroris & ſuperſtitionis filia gentilitas. Quis crederet Synagogam auerſaturam, quando gentilitas ſequeretur, & adoraret?

42. *Magi hauriunt ex ciſterna Bethleem aquã, quam Iudæi profundunt.* Sophron. Tres fortiſſimi milites Dauid è ciſterna Bethleemitica, magno vitæ diſcrimine, hauſerunt aquam, quæ quidem ad Regem Dauidem allata, in terra effunditur. *Noluit eam bibere.* 2. Reg. 23. Hiſce tribus militibus deſignatos accipe tres Orientis Proceres, qui profectò ad hauriendam è Ciſterna Bethleemitica aquam viuam non ſine ingenti periculo perrexerunt. En *Syria ſequitur.* Vis oſtendam quonam modo *Ieroſolyma fugiat?* Sit tibi Dauid Iſraëlita typus Iudæorum proiicientium aquam: Pulchrè Sophronius Orat. de Nat. *Cur noluit bibere* Dauid? *Quia prophetiæ lumine illuſtratus, fore prævidebat, vt Iudæi aquæ illi viuenti, omniáque viuificanti, ſecundum carnem à Bethleem exituræ, & è lacu virgineo naſcituræ, & in lucem proditura, hoc eſt Chriſto, fidem denegaturi eſſent. Vt Vates ergo ſanctiſſimus Iudæorum in Chriſtum perfidiam facto adumbrabat. Ob id, inquam, diuinus ille vir aquam ad ſe delatam haurire noluit: quia inſanos, ſceleratóſque Iudæos Chriſti prædicationi in ſuum ipſorum interitum & perditionem nequaquam credituros præſagiebat, certóque prauidebat.* Sic ille.

IN

# IN IESVM A MAGIS ADORATVM.

# Panegyricus primus Moralis circa Literam.

## EX IPSORVM PROFECTIONE

## *OBSERVATIO I.*

Ad illa verba

*Cum natus eſſet Ieſus in Bethleem Iudæ.*

In diebus Herodis tyranni Chriſtus adeſt ſubditos liberaturus.

*Solius enim Dei, Sanctos ab iniqui Principis liberare tyrannide.*

43. Chryſol. QVÆSTIONEM excitat Chryſol. Serm. 156. *Quid eſt, quod tempore Regis nefandi, Deus deſcendit ad terras; miſcetur Diuinitas carni; fit terrenorum cum corpore cæleſte commercium?* Soluit in hunc modum: *Merito ergo genti ſanctæ, quia humana deſunt, diuina ſuccurrunt, & adeſt Deus ipſe, cui homo non erat, qui adeſſet.* Tunc equidem deſunt humana, tunc malus eſt, qui adit, quando prauus gubernator clauum populi tenet. Improbus imperat? Periit populus; deſperata res eſt; medicus cæleſtis genti ſanctæ ſuccurret.

44. *Velociter capra ſanctos liberaturus aduenit.* Can. 8. Theod. Sanctam audiſti inclamantem Sponſam? *Quæ habitas in hortis,* (Theodor. *Qui habitas) amici auſcultant, fac me audire vocem tuam. Fuge dilecte mi, aſſimilare capreæ hinnuloque ceruorum.* Cant. 8. Theodor. *Sponſe mi, qui requieſcis in hortis, hoc eſt, in ſanctis, quos tanquam hortos plantaſti; ego quæ huiuſmodi adſtricta ſum vinculis, vereor ne deficiam. Itaque ſecundum aduentum tuum ſedulo flagitans ſupplico; vt audire me facias vocem illam tuam optatiſſimam. Venite benedicti.* Gens ſancta, à tyranno Principe opprimitur? O quam velociter Ieſus aderit liberator! *Fuge dilecte mi &c.* Num petit, vt diſcedat? Minimè; ſed vt accedat, precatur. *Fuge.* Hebr. *barah,* id eſt, (R. Sal. Rabbi Salomone interprete) *curre cum magna feſtinatione.* Vidiſti capras, ac ceruorum hinnulos ſuapte natura velociſſimos, animantes curſum cum volatu commutare, dum à canibus vrgentur? Haud aliter in mei ereptionem accelera.

45. *Sancto populo ſalus quia ipſi effectus videntur tyrannos.* Pſal. 42. Dan. 2. Illud Dauidis, *Diſcerne cauſam meam de gente non ſancta.* Pſal. 42. vocatur ad libram, Iudex viuorum & mortuorum ſeparari curat oues ab hædis. Quare? Quia populus, mirum in modum ab iniquis Principibus diuexatur. Obiicite mente titanicam illam multiplicis regiminis ſuper rectas ſubditorum vires exprimentem tyrannidem. Quis lutans humerus non ingemat tanti ponderis, tam crudelis gubernationis ſuſtinens iniurias? Quid plura? En lapis Chriſtus ſine manibus decidens ab vtero virgineo, miſerandos ſubditos ab Herode liberaturus. Dan. 2. Super quem locum D. Irenæus l. 4. cap. 37. Irenæus. *Filius,* inquit, *Dei viſus eſt percutiens temporalia Regna, & ventilans ea.* Id eſt, à teſta & luto aurum, argentum, æs, & ferrum ſeparans, ſicuti à paleis grana in area ventilando ſecernit agricola. Quàm velox lapis Ieſus, vigente tyrannide, vt iniquum comminuat Principatum!

46. *Ad eripiendos à Regis tyrannide venit.* Dan. 3. Babylonicam fornacem teſtor trium Puerorum ſanctiſſimorum cuſtodiam: Deſperata prorſus res eſt; Principis miniſtris igni materiam ſubminiſtrantibus. *Ecce Angelus Domini.* Dan. 3. Num Angelus, an Creator ſub nomine Angelico? Verum ipſe Dei Filius vinculis eos ſoluturus, ab ignisque vi erepturus adeſt. *Et ſpecies quarti ſimilis Filio Dei.* Vbi Irenæus: Irenæus. *Viſus eſt Filius Dei cum iis qui erant in camino liberans eos de igne.* Nonne Angeli deſcenſio ſufficeret? Filij Dei adnatum facinus, tyrannum aduerſus Sanctos ſæuientem infrænare.

47. *Ionam à tyranno eripere gubernatore.* Lucæ. Ieſu inter Doctores inuento ſic Deipara: *Fili, quid feciſti nobis ſic? Ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Cui Puer: *Et quid eſt, quod me quærebatis? Neſciebatis, quod in iis, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Lucæ 2. Num Ieſus à Patre immiſſus tribus diebus iſtis, vt ſanctos aliquos oppreſſos à tyrannidis eximeret iugo, vel Patris munus expleret? Timoth. Ieroſol. Ion. 1. Timotheus Ieroſolym. *Vbi me quærebatis? In tecto Ioſeph non habitaui. Quid eſt ergo, quod me quærebatis? Neſciebatis, quod in iis, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Quid ſi ad ceti magni ventrem cum Iona deſcendamus? Videbitis ſanè ſanctum ſubditum à malo gubernatore oppreſſum ſub prætextu iuſtitiæ, quæ quidem tyrannidum maxima. *Quæſumus,* inquit nautarum Princeps, *Domine, ne pereamus in anima viri iſtius, & ne des ſuper nos ſanguinem innocentem. Et tulerunt Ionam, & miſerunt in mare.* Ion. 1. *Vbi me quærebatis?* Si eo (Ieſus ait) loca peteretis, vbi ſanctus ſub mali

præſulis exactione gemit, ſibi me Patris explentem officium inuenietis.

Si Deus itaque eſt à Tyrannis oppreſſorum ereptor;

*Quid tantum miſeri ſæuos Tyrannos*
*Mirantur ſine viribus furentes?*
*Nec ſperes aliquid nec extimeſcas*
*Exarmaueris impotentis iram.*

Potentiſſimus etenim afflictis adeſt liberator.
Boetius. Hæc Boetius de Phil. conſ. l. 1. met. 4.

# OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

## *Cùm natus eſſet Ieſus in diebus Herodis.*

## Rex Chriſtus in noſtro imperans corde nunquam non excludit tyrannum.

*Nec enim iuſtus poteſt duobus dominis inſeruire.*

48. Chryſol. RVRSVM vocat ad quæſtionem Chryſolog. Serm. 156. *Quid eſt, quod tempore Regis nefandi Deus deſcendit ad terras?* Reſpondet: *Quando non verus Rex expulſurus tyrannum adueniat?* Rex verus Ieſus? Tyrannum igitur debet expellere. Sub Herodis appellatione triplex capitale ſeu regale vitium condemnatur: Quid Herodes? *Mons gloria, Draco ignitus, de pellibus glorians,* Beda venerabili auctore, Beda. tom. 2. Gloriæ mons omnem mundialem gloriam, diuitias nempe deſignat. Draco ignitus ſuperbiam Diaboli progeniem refert. De pellibus autem gloriatio pulchritudinem fragilis noſtræ pellis repræſentat. Regnat Ieſus? igitur & tyrannum à peccatore detrudit, & iuſtum à tyrannica eripit actione.

### CAPVT I.

*Superbiæ Tyrannidem excludit.*

49. *Ad Domini ingreſſum Diabolus fugam arripit. Matth. 8.* DIabolus ſuperborum parens, è corde, aduentante vero Rege Ieſu, pellitur. Acceſſit olim Centurio ad Ieſum: *Domine, inquit, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur.* Matth. 8. Torquetur, inquam, à Dæmonibus ſiue, à ſuperbia, Paſchaſio interprete. Quod cùm Dominus ſe in Centurionis domum iturum promitteret, miles obiicit? *Non ſum dignus, vt in domum meam intres.* Quare? Paſch. *Ideirco* Paſchaſ. *tandiu, quam talis eſt, non æſtimatur dignus, vt Ieſus ſub tectum eius ingrediatur.* Quia verus Rex & Diabolus tyrannus haud in vna ſede morantur. *Multum eſt igitur, ad quem Chriſtus intrare dignatur, vt manſionem apud eum faciat.* Quare hoc *multum*? Quia ad eius ingreſſum Diabolus tyrannus detruditur, vnde multum mihi à Dæmone, à ſuperbia vexato, Dominum præcordia poſſidere.

50. *Vanitatis amor neſcit. Gen. 12. Caietan.* *Dixit Dominus ad Abraham.* Gen. 12. Caiet. *Dixit fons eſſendi,* Princeps vniuerſi. Quid? *Egredere de terra tua.* Caietan. *de Chaldæa.* Arias Montan. *Chaldæa* idem eſt ac *Quaſi Dæmones, Quaſi deprædatores.* Non deprecator iis vti Diabolus, vti Adam, ſed quaſi deprædator, amator vanitatis. Dominus inquit ad Abram. *Egredere de Chaldæa,* à te expelli cura vanitatis amorem. Quare? Quia Dominus eſſendi fons, Rex creaturarum in te molitur tabernaculum exædificare. Egreſſus itaq; Patriarcha de Chaldæa. Nec iudicauit fore, vt Rex verus & vanitatis idolum in vna ſede morarentur. Pulchre D. Hieronym. Hieron. Epiſt. 28. *Reliquit Meſopotamiam, ſiue Chaldæum. Non enim arbitratus eſt ſimul ſe habere poſſe Patriam, & Dominum.* Chaldæa equidem quaſi Dæmon quaſi deprædator in conſpectu veri Principis euaneſcit.

### CAPVT II.

*Auaritia tyrannidem expellit.*

51. *Dum auaritiæ Matthæi decurrit tyrannum Ieſus perreniſit. Matth. 9. Chryſol.* MVndus exultat, vbi Princeps Ieſus habitare dignatur. *Cum tranſiret Dominus, Vidit hominem ſedentem in telonio Matthæum nomine, & dixit illi: Sequere me.* Matth. 9. Cur ô Domine, non ingrederis domum, cur tranſis, & pertranſis? Reſpondet apprime D. Petrus Chryſol. Serm. 32. *Homines, quos pecunia poſſidebat, ſeruire Deo nequeunt pecuniæ ſeruientes:* Vnde dum tyrannus cor miſeri tunc hominis poſſidebat, verus inibi Rex non commorabatur. *Matthæum,* inquit ille, *diuitiæ ſic cupiditatis publicabant magiſtrum, fornace auaritiæ ſic coquebant, ſic alligabant vinculis cautionum, ſacculorum ponderibus ſic premebant, vt leuari ad innocentiam, ad iuſtitiam ſurgere, ad virtutem progredi non valeret.* Sunt quibus diuitiæ hærent, & ſunt qui hæreant diuitiis. Matthæus ex iis, qui auaritiâ continentur, includuntur, incarcerantur, & ideo non curat tyrannum excludere à corde Ieſus, ſed potius cor ab auaritia dimoueri. Vnde inquit: *Sequere me.* Me Regem verum, quare neceſſario me ſortiturus habitatorem, à tyrannico dominatore recede. *Non enim* (ſubdit Chryſologus) *poteſtis Deo ſeruire, & mammonæ.* Id exprimit fuſiùs D. Chryſoſt. hom. 39. in Ioan. *Nemo poteſt duobus dominis ſeruire, Deo, & mammonæ, Chriſto contraria præcipienti.* Siquidem *Chriſtus dicit: Da indigenti; & mammona, Rape ab indigentibus.*

52. *Diſperge pecuniam, vt congreges iuſtitiam. Pſal. 111. Chryſoſt.* Diſperſit, Vates ait, *dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi.* Iuſtitiæ Rex idem cum affectu immoderato pecuniarum tabernaculum non occupat; non regnat Ieſus, vbi huiuſmodi deſiderium ſedem ſortitur. Bellè Chryſoſtom. hom. 2. in 2. ad Cor. *Diſperge pecuniam, vt congreges iuſtitiam. Neque enim illa cum pecunia adeſſe vult. Non habitant ſimul pecuniarum cupiditas, & iuſtitia, ſed tabernacula ſeparata habent.* Illa equidem hominis pars quæ amore mundialium afficitur, tanti Principis non admittit gubernationem.

CAP.

## Capvt III.

*Voluptatum tyrannidem propulſat.*

53. *Accumbens apud animũ Ieſu impura diffugiunt voluptates.*

NOxiæ ad veri Regis ingreſſum diffugiunt voluptates. Quonam modo in conſpectu Regis Ieſu, luxuriei exitialis exactio, & tyrannis? Septem illæ meretriculæ ad Regem Ieſum accedentes nihil aliud intendunt, (vti ſuperius vidimus) quam à luxuriei tyrannide liberari. Vnde ſolummodo efflagitant, vti earum Princeps dignetur nominari. *Tantummodo inuocetur nomen tuum ſuper nos.* Iſaiæ 4. Ad harum numerum myſticè refero Magdalenam. Quæ quidem *vt cognouit, quod Ieſus accumberet in domo Phariſæi attulit &c.* Lucæ 7. Illud pende? *Quod Ieſus accumberet.* Vbi D. Ambroſ. Chriſti regnantis in Eccleſia, in animo ſubodoratus imperium, ait: *Domus Phariſæi terra, in quam Dominus deſcendit, vt ſanaret animam.* Stans igitur retrò quaſi Regem agnum ſecutura ab omni voluptate proripitur. Anſelm. ſic. *Tergebat capillis, quos ad compoſitionis vultus exhibuerat; oſculabatur ore, quo ſuperba dixerat; vngebat vnguento, quo ſibi pro odore ſuæ carnis exhibuerat.* Proh meretricis affectus! Cur tibi aliquid non retines voluptatum? Quia *cognouit, quod Ieſus accumberet*, ſederet, hæreret cordis tabernaculo. Vbi ſedet verus Rex, ibi haud poteſt luxuries tyranna thronum occupare. Conſpiciens Plato Agrigentinos magnis impenſis ædificare, dum eodem modo ſine modo luxuriarentur: Argentini (inquit) ſibi, diis minimè, quaſi ſemper (proh dolor) ſine diis victuri ædificant. Quia ſcilicet voluptuoſi haud vnam cum Deo ſedem ſortiuntur.

Iſa. 4. — Luc. 7. — Ambroſ. — Anſelm.

54. *Ingreſſus Ieſu vel ſanctum quandoque propulſat affectum.* Gen. 35.

Profectò tam efficax noſtri Principis dominatio, ad ablegandas voluptates, vt natus nobis Rex vel ipſas ſanctas voluptates, caſtum propulſet amorem. Quid non in Rachelem ſuam Iacobi increſceret affectus? Ad ingreſſum tamen Bethleemiticæ ditionis *mortua eſt Rachel.* Geneſ. 35. Quod formoſiſſima fœminarum à morte raperetur, quid? Debitum perſoluit & naturæ, & pulchritudini labenti. Illud ad trutinam affero, mortuam ſcilicet *iuxta Bethleem.* Nonne Bethleem veri Regis Ieſu patria? Vbi ergo naſcitur verus Rex Ieſus, ibi pereat neceſſum eſt quælibet vel caſti affectus exactio immoderata. Rem perficit D. Hieron. l. 1. con. Iouin. *Illa quondã dilecta coniux, pro qua erat Dominus naſciturus, à filio doloris occiditur.* Quid non pereat Herodis tyrannis *nato* vero Rege Ieſu: ſi *naſciturus* licitas, ſanctas in fugam dedit voluptates?

Hieron.

# OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

## *Ecce Magi.*

## Si Reges Ieſu adoratores, conuenienter Magi, ſiue ſapientes appellantur.

*Ant. de Eſcob. & Mendoz.* de Sanct. Tom. I.

*Quia inepti ad imperium Principes inſipientes.*

55. Carthuſ.

MAgvs idem ac *ſapiens*, vti vidimus. Dionyſius Carthuſianus: *Ecce* (inquit) *ſapientes venerant cum grandi comitatu, vt pote Reges. Illis namque temporibus ſapientes regnare ſolebant quales erant amici Iob.* O tempora felicia, quando tempora hominum coronabat ſapientia, non hæreditas!

56. *Regina Auſtri vere imperatrix ex ſtudio acquirendi ſapientiam.* Luc. 11. Nyſſen.

De Auſtri Regina ſic Dominus: *Regina Auſtri ſurget in iudicio cum generatione iſta, quia venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis.* Lucæ 11. Vbi D. Gregorius Nyſſen. eam cum Magis Chriſti adoratoribus componit. *Vbi pacificus Rex Chriſtus oritur, tunc tacentibus Iudæis, accedunt gentiles, offeruntque Chriſto pietatis aromata, & aurum diuinæ notitiæ.* Quid femineæ inſipientiæ cum Magis, cum ſapientibus? Ideo equidem ad verum Salomonem accedit, vt ſcientiæ ad regimen neceſſariæ acquirat cognitionem. D. Ambroſius in Regina Auſtri ſibi obiiciens Eccleſiam de gentibus congregatam, *In Regina* (inquit) *Auſtri per ſtudium percipiendæ ſapientiæ de orbis finibus congregatur, Regina planè.* Regalis etenim conditio ſtudium ſapientiæ tam neceſſariæ ad gubernationem requirit.

Ambroſ.

57. *Infinita quadam mens ſapientia gubernatori.*

Profectò ſcientia quodammodo ſcientiarum homines regere, tantâ per ſingula momenta ſibi varietate diſſidentes. Vnde ad id munus Dei ſcientia requiritur omnes complectens ſcientias, & facultates? Dauid Rex experimento didicerat, fatus, *Deus, iudicium tuum Regi da.* Pſalm. 71. Vti enim imperet conuenienter, tua ſcientiarum ſcientia omnino indigere videtur, non ſufficit hominum facultas. Appoſitè D. Gregor. Nazianz. *Ars quadam artium, & ſcientia ſcientiarum mihi videtur eſſe homines regere, animal ſcilicet maximè varium.* Infinita quodammodo hominis varietas, infinitam quodammodo rectoris exigit ſapientiam.

Nazianz.

58. *Dei ſcientia debet imitari.*

Quiſnam Deus? *Ego* (inquit) *ſum, qui ſum.* Exod. 3. Rex, iudex, prælatus inclamare deberet: *Sum, qui ſum.* Scientiâ diuinâ præditus ſum, vti poſſim ſubditos huiuſcemodi gubernare. Iam facilis quæ olim mihi difficilis ſententia apud Eſther: *Ne tradas Domine, ſceptrum his, qui non ſunt.* Capite 14. Ac ſi diceret, Ad Regni gubernationem ne aſſumas eos, qui certo quodam modo dicere non valeant: *Ego ſum, qui ſum.* Sum diuinâ pollens ſapientiâ. Hinc Anaſtaſius Nicen. qq. in ſcript. tom. 1. Bibli. inſipientem Epiſcopum carpit, quaſi *non ſit*, hiſce verbis: *Nec Epiſcopus ignorantiâ preſſus, eſt amplius, ſed falſo nomine ita appellatur.* Deus appellatur, quia *Ego dixi: Dij eſtis*; ſed falſo ſibi arrogat inſipiens Dei appellationem; quia non *eſt*.

Eſth. 14. — Anaſt. Nicen.

59. *Et Dei ſpiritu imperet.*

Moyſes creaturus Regem, inclamat; *Prouideat Deus ſpirituum hominem, qui ſit ſuper multitudinem hanc.* Dixitque Dominus ad eum; *Tolle Ioſue filium Nun, virum, in quo eſt Spiritus Dei, & pone manum tuam ſuper eum.* Numerorum 27. Vbi Origen. hom. 22. *Gubernatio populi illi tradatur homini tali, qui habeat in ſemetipſo Spiritum Dei.* Profectò Dei Spiritum ſapientiſſimam ideam appellat, me interprete, quâ

Num. 27. Orig.

omnes ad vitam excitauit creaturas. Huc refe-
Gen. 1. ro illud Geneſeos: *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* cap. 1. Vt ſcilicet viuentium inui-
Lyran. gilaret procreationi. Lyranus, *Accipitur hic Spiritus Dei voluntas, quæ ferebatur ſuper illam congeriem elementorum, ſicut voluntas artificis ſuper materiam, quam formare, & ornare intendit.* Quam ſapiens artifex Spiritus Dei! *Habeat* igitur *in ſemetipſo Spiritum Dei* ſapientiſſimum, qui ad populi regimen aſſumendus eſt.

60. *Rex ſapiens incantator.* Quod ſi libeat Magorum nomini hærere ſub priori ſignificatione, (de qua ſupra) ita vt Magus idem ſit ac maleficus, & incantator: non parum Regiam horumce virorum commendabis ſapientiam, Rex enim ſapiens debet eſſe incantator, ſicuti prædicat Dauid, *Et venefici in-*
Pſalm. 57. *cantantis ſapienter.* Pſalm. 57. Quam aptè Reges Magi, ſeu incantatores obiiciuntur, vt ſapienter homines in morem ſerpentum degentes ad Dei alliciant voluntatem! D. Hieronym. *Incantator* (inquit) *mihi videtur eruditus eſſe.* Rex igitur Dauid *Magus* apprime deſcribitur, vt Saulem ſerpentem ſapienter carminibus emolliret. Ac-
Euthym. cipite Euthymij ſententiam: *Commodè ſerpentis, & aſpidis exemplum adducit, cum Saul iraſceretur vt ſerpens, & obſurdeſceret velut aſpis, cum blandos ac mollitos Regis Dauid ſermones sperneret, quibus tanquam ſuauibus quibuſdam, & efficacibus carminibus emollire illum, ac delinire contenderat. Veluti cum Saulem principem, ac Regem ſuum appellabat, ſe verò ſeruum, canem mortuum, & prorſus abiectum.* Seſe quandoque ſubmittere ſubdito prælatum, genus quoddam incantationis eſt, quo inobediens ad obſequium adducitur.

61. *Inſipiens gubernator fur.* Patet ex dictis meritò Paulum inclamaſſe: *Non eſt poteſtas niſi à Deo.* Roman. 13. Quia Deus ſolus infinitè ſapiens poteſt dignoſcere; vtrum ſufficienti Reges polleant ſapientia. Vnde Anaſtaſius Nicen. *Eſſe* (inquit) *Principes, ac alios regere, dico eſſe opus Dei ſapientia.* Quid ſi electi inſipientes exiſtant? Profectò huiuſmodi Reges non à Deo ſunt electi, ſed regimen videntur vſurpauiſſe. Eleganti ſimilitudine exponit Nicenus. *Quando dicit quidam ſapiens: A Domino coniungitur viro mulier, hoc dicit, quod Deus fecit matrimonium, non quod Deus coniungit vnumquemque viuentem cum muliere. Videmus enim multos in malo, & illegitimo matrimonio; neque hoc eſſe Dei reputauerimus.* Licet poteſtas ſit à Deo, is, qui ſtultus cùm ſit, ſe ſe ingerit gubernationis muneri, quaſi illegitimè coniunctus eſt poteſtati: amaſius Rex, non maritus: non vxor, ſed meretrix poteſtas.

# OBSERVATIO IV.

Ad illa verba:

*Ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam.*

## Magi, acceptâ à Ieſu epiſtolâ, eum quæſituri proficiſcuntur.

*Deus enim ad peccatores longius recedentes inſpirationum epiſtolas immittit, vt reuocet.*

EXpendens ingenioſè Chryſologus Serm. 156. prædicta verba, 62.
fatur; *Ab Oriente ad Orientem veniunt Magi, vt ſuſciperet venientes ipſe, qui iuſſerat, vt venirent. Quando enim Deum Magus niſi Deo iubente perquireret?* Quonam modo iuſſerat, vt venirent? *Vidimus* (inquiunt) *ſtellam eius, & venimus.* Ac ſi dicerent, Stellam vidimus, ac ſimul epiſtolam æterni Regis recenter nati legimus. Chryſol.

Fideles namque delinquentes monet, ad 63. *Gentiles Deus per litteras allicit.*
longè diſſitos infideles ſcribit. Delicto maculatur Adam, mox adeſt cœleſtis Parens correptu-
rus. *Adam vbi es?* Cur ab interdicta tibi arbore Gen. 3.
non abſtinuiſti? Cain efficitur fratricida, proti- Gen. 4.
nus Deus verbis crudele facinus reprehendit. *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Creſcente filiorum proteruia mutantur illi in ſeruos, in canes, ſtellis obſequium impendunt, arbores, animantes adorant. Quid tunc optimus Parens? Ad eos prodigos, in regionemque longinquam ſeſe recipientes epiſtolas mittit, vt alliciat ad reuerſionem. Tenorem litterarum accipite: *In principio creauit Deus cœlum & ter-*
*ram.* Genel. 1. O filij tenebris infidelitatis ac Genel. 1.
inobedientiæ obruti, ego cœli creator ſtellarum molitor, arborum terræ & animantium effector. Quid ſtellis thura libatis, quid immundis ignibus aromata immittitis? Reuertimini ad paternam domum ô fame pereuntes, dum apud
me panibus abundant mercenarij. Elegantem Chryſoſt.
do Chryſoſtomi apud Lipom. confirmationem. *Humani generis Conditor ab initio per ſe ipſum hominibus loquebatur, quo modo hominibus audire eum poſſibile eſt. Sic enim ad Adam venit, ſic Cain increpauit. At vbi in magnam malitiam hominum genus degenerauit, neque tunc ſe ſe totum ab hominum genere auertit Opifex omnium. Sed quia familiaritate ſuâ indigni facti fuerunt, iterum erga illos amicitiam innouare volens, quaſi longè agentibus epiſtolas mittit, conciliaturus ſibi vniuerſam hominum naturam. Et has quidem litteras dedit Deus, attulit autem Moyſes. Quid igitur dicunt hæ litteræ? In principio creauit Deus cœlum, & terram.* Num ſubodoratus Homer. beneficam huiuſmodi Dei conditionem, dum canit: *Facilè Deus ſcribens procul exiſtens virum ſaluaret?* Deo etenim munificentiſſimo adnatum, auerſum peccatorem, immiſſis epiſtolis, ſiue inſpirationibus admonere. D. Chryſoſt. ſtellas Dei manu epiſtolas exaratas affirmat.

Ieſus itaque ad magos myſticè Ioannis ca- 64. *Epiſtola ad Magos immiſſa argumentum.*
lamo ſcripſit: *Angelo* (inquit Dominus) *Epheſi ſcribe.* Epheſi, inquam gentilium domicilij, vbi Luna ſub Dianæ nomine colebatur. *Hæc dicit,*
*qui tenet ſeptem ſtellas in manu ſua.* Apocal. 2. Apoc. 2.
Epiſtolam accipite, legite, &c. Haud (eis ſcribe) ſtellæ dominatrices, ſed conſeruæ in manibus dominantis, iuxta illud: *Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ.* Pſalm. 122. Epiſtolam Domini adoratis, ſcribentem contemnitis? Peruolat ad Magos ſtellarum adoratores ſtella fulgentiſſima, & epiſtolæ vices gerens, & tabellarij; non illa Deus, ſed epiſtola, ſed conſerua.
Appoſitè Chryſologus citat. *Stella per cœlum ſic* Chryſol.
*curſum dirigit, vt Magorum mittatur ad vſum:*

nam

*nam ambulante Mago, ſtella ambulabat; ſedente Mago, ſtat ſtella; Mago dormiente, excubat ſtella. Sic ſentit Magus,* (poſt epiſtolæ lectionem) *vt quibus viandi par conditio eſt, par ſit neceſſitas ſeruiendi: & ſtellam iam non Deum credit, ſed iudicat eſſe conſeruam, quam cernit taliter ſuis obſequiis mancipatam,* O quotes peccatores exules literis à Deo Solem, Lunam, aurum, argentum recipimus, nec tamen recurrimus, ad Patriam!

# OBSERVATIO V.

Ad illa verba:

## *Ab Oriente venerunt Ieroſolymam.*

## Magi Spiritus ſancti velociſſimis alis collocati, tam citò venire potuerunt.

### *Dei enim effectus ad ſalutem hominum velociſſimi.*

65. AB Oriente in Ieroſolymam tredecim Magi, imò, vt vidimus, vndecim dierum ſpatio venêre.

Hieron. Hieron. *Si de finibus terræ fuerunt, quomodo tam breui ſpatio Ieroſolymam venire potuerunt?* Cum eis in præſenti (differendi gratia) ſentiens, qui eos in finibus terræ conſtitutos autumant, vel de receſſu ſpiritaali locum interpretatus, aſſero Spiritus ſancti alis collocatos Gentiles tam præpeti volatu ad Ieſu acceſſiſſe cunabula.

66. *Feſtina Magorum profectio ex Spiritus ſancti ducatu.* August. Requirit accuratè D. Auguſtinus de Mirab. lib. 3. Cap. 4. quænam ſtella illa, quæ Regibus hiſce præbuit ducatum? Poſtquam autem ſententiam impugnauit illorum, qui faciunt illam Angelum, aut ſtellam veram ab initio inter cæleſtia lumina annumeratá, (de quo Sectio. 2.) ſic diſſoluit quæſtionem. *Spiritus ergo ſanctus hæc ſtella fieri cōcedatur, qui ſicut poſtmodum corporali ſpecie columbæ deſcēdit ſuper Ieſum Dominum in Iordane, ſicut in igne ſuper Apoſtolos poſteà in cœnaculo Sion deſcendit: ſic gentes adoratrices ſtellæ ſpecie duxit ad cunabula Domini naſcētis in carne.* De cuius nunc non diſputo veritate ſententiæ, ſufficit in præſenti mihi, ſi ſtella hæc Spiritus ſancti typum agat, licet ſtellæ forma verè (vt certum eſt) non apparuerit. Sub ſenſu itaque myſtico pendo, & illuſtro.

67. *Alas hic indit profecturis.* Iob. 39. O quàm veloces Spiritus ſancti alæ, quàm præpes volatus! *Numquid* (Deus ad Iob) *per prudentiam tuam plumeſcit accipiter, expandens alas ſuas ad Auſtrum?* Cap. 39. D. Gregor. l. 31. Mor. Cap. 21. *Tunc accipiter, id eſt, homo plumeſcit cùm ad Auſtrum alas expanderit; quia tunc vnuſquiſque ſe pennis induit, cùm ſancto Spiritui cogitationes ſuas ſubſternit.* Si plumeſcit, quando ad Auſtrum expandit alas, quonam modo iam alas habere depingitur, cùm ſe vertit ad Auſtrum? Quia Spiritus ſanctus effectu velociſſimus. Ideò ad Auſtrum alas expendit, quando alis carens, plumeſcere deſiderat: quia primus Spiritus ſancti conſpectus ei indidit alas.

Difficilem admodum volatum inſtituere David conabatur: *Si aſcendero in cælum, tu illic es, ſi deſcendero in infernum ades: ſi ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me,* Pſalm. 138. Quibuſnam plumis velociſſimis huiuſmodi Propheta perficiebat volatum? *Si ſumpſero* (ait) *pennas meas.* Spiritus ſancti alas expono. Hiſce pennis velociſſimè David huc illuc defertur. Id quod expendens D. Gaudentius, Tract. 14 de parad. primis fatur: *Si ſumpſero* (inquit) *pennas meas. Quas pennas? ſancti Spiritus alas, quæ mea quidem ſunt. Bene quod pennas ſuas habet quibus aſſumptis, quocumque deſideras, penetrat. Cæterum qualiter Propheta in corpore conſtitutus vel in cælum aſcenſurus erat, vel in infernum deſcenſurus, vel trans vltima maria perrecturus,* niſi Spiritus ſancti pennis donaretur? 68. *Hiſce David vſus pennis ad cælum eleuatur.* Pſal. 138. Gaud.

Hiſce profectò alis vtens Chriſtus tam præpeti volatu, ſubito toti orbi terrarum illuxit. Tardo (ſic fari liceat) curſu Sol Iuſtitiæ, licet gigantæâ vtens deambulatione, lucem ſpargebat: poſt annum à natiuitate trigeſimum *notus in Iudæa Deus.* Da mihi alis vti, ſanctiſſime Pater, vt breui temporis interſtitio totum poſſim mundum luce complere. *Lampades eius, lampades ignis.* Cant. 7. Lxx. *Alæ eius, alæ ignis.* Spiritus ſanctus ſupra capita Apoſtolorum rutilet, volatu velociſſimo totum Ieſus mundum repleat fulgore. Audite Gaudentium Tract. 3. Dom. 1. Paſch. *Quod Sol iuſtitiæ Chriſtus ſepties tantum terris hodie luceat, quàm lucebat, radij eius teſtes ſunt, qui illuminant omnem hominem venientem in hunc mundum.* Quis te, ô Ieſu, velociſſimis donauit alis? *Nunc enim coruſcat igneus Spiritus ſeptiformis.* Quid inde: *Prius notus in Iudæa Deus tantùm, nunc in omnes gentes fulgor claritatis Dominicæ peruaſit. A ſummo cælo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius, nec eſt, qui ſe abſcondat à calore eius.* En ſeptiformis Spiritus vis Ieſum fecit ſepties tantùm terris hodie lucere, ei etenim alas indidit ad volatus celeritatem. 69. *Et Chriſtus totum orbem motitus eſt.* Cant. 7. Gaudent.

Iam verò Spiritus ſancti effectus obiiciens, nullus non, velociſſimam prædicat operationem: *Pſallite Domino qui habitat in Sion, annunciate inter gentes ſtudia eius.* Pſal. 9. Montis Sion Spiritus ſanctus habitator, cùm ſub linguarum ardentium apparuit aſpectu. *Annunciate inter gentes ſtudia eius.* Aquila: *Annunciate inter gentes mutationes eius. Re vera* (Theodor. ait) *mutatio fuit rerum maxima. Qui quondam inimici erant, amici ſunt; longinqui, proximi.* Proh Magorum mutatio! Quàm velociter Spiritus ſancti, conſtituti ſub alis inter proximos adnumerantur? 70. *Ad immutanda gentilium præcordia aſilitas Paracleti.* Pſal. 9.

Ideo Spiritus ſanctus ſub vehementis auræ celeritate venit: *Factus eſt repentè de cælo ſonus tanquam aduenientis ſpiritus vehementis, & repleuit totam domum.* Actor. 2. Quàm velociter ſpiritus totam repleuit domum, tam ſubito implentur ſacro Spiritu corda. Teſtes adhibeo cum Gregorio fante: *Implet citharœdum Puerum, & Pſalmiſtam facit.* 1. Reg. 16. *Implet Paſtorem armentarium, & Prophetam facit.* Amos 7. *Implet abſtinentem puerum, & Iudicem ſenum facit.* Dan. 13. *Implet Piſcatorem, & Prædicatorem facit.* Matth. 4. *Implet Perſecutorem, &* 71. *Quàm velociter corda hominum impleas.* Act. 2. Gregor.

*Doctorem gentium facit. Act.4. Implet Publicanum, & Euangeliſtam facit. Matth.9.* Effectuum verò huiuſcemodi celeritatem commendans, adiicit: *O qualis eſt artifex iſte Spiritus! Nulla mora agitur inamne, quod voluerit, ſolùmque tetigiſſe docuiſſe eſt. Nam humanum animum ſubito vt illuſtrat, immutat.* Si tam velox Spiritus; quid mirum Magos ſub eius veligerantibus alis tam breui temporis interſtitio longum iter confeciſſe?

# SECTIO SECVNDA.

# Magorum quærentium Ieſum conſtantia.

## TEXTVS.

*Verſ.* 2. Dicentes: Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum?

## COMMENTARIVS LITERALIS.

### §. I.

### *Quæſtio Magorum apud Jeroſolymam.*

1 SÆPE viſus mihi mirabilis Deus ex manifeſtatione hac gentilibus factâ. Si Deus ſeſe amicis manifeſtat, vti patet Iob.37. Magi inimici eſſe videbantur. Iudæis promiſſa, non gentilibus Saluatoris natiuitas. Licet fides gentilibus communicata eſt, non tamen mox, ſed Chriſto à Iudæis ablegato. Iam profectò non mirot audiens Magos inclamantes: *Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum?* Nonne Puerulo in tugurio commoranti honor debitus, à Regibus requiri, à proceribus prædicari? Nonne hinc meritò Iudæorum durities damnaretur, dum Meſſiæ natiuitas innoteſcit, tam præclari præconij diffuſa concentu?

2. *Magorum ſtudium.* *Vbi eſt, qui natus eſt Rex?*] An non ſtultum Regem, alicuius Prouinciæ requirere, eiuſdem Principe ſuperſtite? Reſpondet D. Augſt. *Talem natum eſſe didicerunt, in quo adorando, ſe ſalutem, quæ ſecundum Deum eſt, conſecuturos minimè dubitarent.* Regem igitur cœleſtem ſuper alios Reges imperantem requirunt, vnde de Herodis haud curant turbatione.

3. *Cur natum Regem Iudæorum peruulgant?* Obiicis, Si Regem cœleſtem ſtellis imperitantem quærunt, quare Iudæorum Principem peruulgant, *Vbi eſt Rex Iudæorum?* Quia à Magiſtro Balaam acceperant Regem hunc cœleſtem ex Iſraëlitico populo naſciturum. *Video eum* (inquit Balaam ex Chald. paraphr.) *& non modò, intueor eum, ſed non eſt prope. Cum conſurget Rex de domo Iacob, & vngetur Chriſtus de domo Iſrael. Et occidet Principes Moab, & dominabitur omnium filiorum hominum.* Vnde Herodes poſt Magorum præconium quæritabat à Sacerdotibus, *Vbi Chriſtus naſceretur.*

### §. II.

### *Magi antequàm ex præſepis faſciarúmque vilitate Chriſtum Deum cognoſcerent, ſunt confeſſores effecti.*

### Vbi de humilitate, ac paupertate Deum manifeſtante.

ILluſtrabo paucis Chryſoſtomi ſententiam; *O beatos, qui ante crudeliſſimum Regem antequàm Chriſtum cognoſcerent, Chriſti facti ſunt confeſſores!* Antequam, inquam, Chriſtum viderent cunis vagientem, faſciis illigatum, eum Regem profitentur. Ea profectò eſt Ieſu inter infirmitatem, inter abiectionem maieſtas, vt nos impellat ad confeſſionem. Vnde magna prorſus Magorum conſtantia ex eo exurgit, quod Ieſum Principem omnium euulgant, priuſquam eius ſibi obiiciant abiectionem. Dices, ex Stellæ ducentis fulgore innotuit Magis Regia nati maieſtas. Proculdobio equidem minus efficax ſtella micans ad illiciendos Magos, vt confiterentur, quàm Pueruli vagientis obiectus. 4. *Chryſoſt.*

Latronem illum ſub vitæ termino confeſſorem effectum compone cum Iudæis cruci affigentibus Ieſum. Latro Chriſtum Regem profitetur, quem Iudæi patibulo exitiali addicunt. Quid cauſæ? Efficacior equidem Ieſu humilitas & abiectio ad illiciendos animos in confeſſionem veri Regis, quàm potentiæ fulgor. Præclarè D. Chryſoſtom. *Iudæi* (inquit) *viderunt ſtellam rutilantem, Magos concurrentes, Herodem turbatum. Hic Latro nil horum vidit; ſed* 5. *Mortalem Meſſiam latronis effatus* Chryſoſt. in Pſal. 50.

*ſed conſiderabat ſputis repletum, crucifixum, aceto potatum, & felle; & cum hæc omnia videret, Regem cælorum confeſſus eſt.*

6. *Hæret Ieſus in præſepio, aut guſtibus, quàm Herodes throno. Matth. Impert.* Magi equidem in ſomnis admoniti, *ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuerſi ſunt in Regionem ſuam.* Matth. 2. Memoria retinete, ô Proceres, vos fidem veſtram obligaſſe Herodi, nullatenus inſalutato hoſpite receſſuros. Quænam, vis adeò potens traxit Reges, vt in ſtro-nuncias ſuas reuerterentur, priuſquam ſuam fidem adimplerent? Viderunt tuguriolum, præſepe, abiectáque cunabula Saluatoris. Quæ quidem ad mirabiles effectus potentiſſima. Quid plura? Herodes à magis deluſus in Bethlehemiticos deſæuiit infantes. Haud cognita Regi tyranno abiecti Ieſu vis ad hominum animos à mundialibus quibuſcumque abſtrahendum. Ad hæc Imperfectus Hom. 2. *Iraſcebatur Herodes, quia quibus ille ſedens in throno Regni, & veſtitus purpura, ſuadere non poterat; his Ieſus paruulus, & pannis inuolutus placuit.* Imò ideò placuit, quia pannis inuolutus, quia paruulus, quia natus Rex inter infantilia conſtitutus.

## §. III.

*Quid Rex natus?*

7. *Rex natus, Deus, homo. Haym.* V*Bi eſt, qui natus eſt Rex?* Natum Iudæorum regem perquirunt, vti eum Deum, hominem, ac Regem faterentur. Haymo ſic: *Magi illuminati à Domino trinum eum eſſe crediderunt, id eſt, hominem, Deum, & Regem. Hominem crediderunt, cùm dixerunt: Vbi eſt, qui natus eſt? quia hominis eſt naſci. Regem crediderunt, ſubdentes: Rex Iudæorum. Deum crediderunt addentes, & venimus adorare, quia Deus debet adorari.*

8. *Exponitur.* Enimverò, dum Magorum aſſertionem adnoto, (non enim dubitantes interrogant, an natus ſit, ſed certi tanquam à Deo docti natum eſſe aſſeuerant) duobus modis hæc verba iungi poſſe arbitror. *Vbi eſt Rex Iudæorum, qui natus eſt?* Vel vbi eſt, *qui natus eſt Rex Iudæorum?* Probabilem vtrumque do ſenſum; ſecundum tamen reputo probabiliorem. *Vbi* (inquiunt) *eſt, qui Rex Iudæorum natus eſt?* Non enim (cum *Strab.* Strabo loquor) quærimus de Herode Iudæorum Rege minimè nato. Non equidem Herodes Iudæorum Rex natus fuerat, quia cùm eſſet Idumæus, ſceptrum Iudææ aut vſurpauerat, aut iniuſtè à Cæſare acceperat. Ieſus autem Rex natus eſt, Regis Dauidis hæres. Nec enim (vti alibi diximus) Magi poterant ignorare Herodem legitimum, & naturalem non eſſe Regem: ſed factitium, & à populo Romano datum. Hugo Card. legendus.

## §. IV.

*Magi taxant Iudæos, quod ſint amentiores boue, & aſino Deum reuerentibus.*

A brutis, heu! humanus ediſcat.

9. *Chryſol.* L*Audo, & pondero D. Petri Chryſologi Serm. 156. myſticam interpretationem. Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum? Hoc eſt dicere: Cur Rex Iudæorum in præſepio iacet, & non decumbit in templo? Cur non fulget in purpura, ſed ſqualet in pannis? Cur latet in ſpecu, & manifeſtus in ſanctuario non habetur? Receperunt iumenta in præſepio, quem in domo ſua recipere vos ſpreuiſtis. Agnouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui: tu autem Iſrael tuum Dominum non quæſiſti.* Bruta equidem Deo præſtant obſequium, quod homines audent negare.

In cuius expoſitionem integrum Iſaiæ locum (quo vſus eſt Chryſol.) pendendum accipite: *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui: Iſrael autem me non cognouit.* Cap. 1. Vbi Forerius: *Videbar, quòd amentiores brutis ſint Iudæi, nam bos cognouit poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui; Iſrael autem me non cognouit.* Cap. 1. Quare ſicuti pigri ad formicas à Domino immittuntur edocendi ab eis diligentiam; *Vade ad formicam piger:* haud aliter ad bouem, & aſinum accedant peccatores, vt obſequendi, & cognoſcendi Deum accipiant documenta. 10. *Brutorum documenta. Iſa. 1. Forer.*

Vade igitur ad bouem, quiſquis ingrato animo es. Nabuchodonoſor in aula Babylonis deambulans in Procerum conſpectu hæc profert arroganter. *Nonne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificaui in domum Regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* At cùm ſermo eſſet adhuc in ore Regis, *vox de cælo ruit, Regnum tuum tranſibit à te, & ab hominibus eiicient te, fœnum quaſi bos comedes.* Quid plura? *Fœnum vt bos comedit. Igitur* (Rex inclamat) *ego Nabuchodonoſor oculos ad cælum leuaui, & Altiſſimo benedixi, & viuentem in ſempiternum laudaui, & glorificaui.* Dan. 4. Vndenam Regi ad Deum cognoſcendum aptitudo? Pulchrè Theodoret. *Experientia didicit, quis Deus.* Ac ſi diceret. Miſſus ad bouem didicit Deum venerari: *Bos enim cognouit poſſeſſorem ſuum.* 11. *Nabuchodonoſor bos ſpecie viſibili effectus Deum cognouit, quē homo ignorauit. Dan. 4. Theod.*

Quod ſi non adhuc Deum cognouiſti ex bouis doctrina, vade ad aſinum. Obſerua mirabilem Dauidis clamorem: *Quàm bonus Iſrael Deus, his qui recto ſunt corde.* Pſalm. 72. Caſſiodor. *Bonus eſt Deus; ſed quibus? His qui recto ſunt corde, ſcilicet qui opera eius ſtudio pietatis intelligunt.* Bonus igitur Deus ſe cognoſcentibus. Quiſnam verò Deum cognoſcit? Num homo? *Mei autem moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus mei.* Caſſiod. *Significat mentis arbitrium penè fuiſſe commotum, quando à vero intellectu* (ſeu cognitione Dei) *eius animus diſcrepat.* Quomodo ergo homo Deum dignoſcet? *Vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum.* Iam intelligo, iam cognoſco, iam adoro. Vndenam? Caſſiod. *Ille loquitur, cuius moti ſunt pedes.* Ac ſi ore Dauidico loqueretur Doctor: Te minimè humana indutus natura cognoſcebam; ſed iam vt *iumentum factus tecum ſum*, in tua quodammodo verſor cognitione. *Cognouit aſinus præſepe Domini ſui.* Proh hominum ſtoliditatem; *Amentiores* (inquit Forerius) *brutis ſunt Iudæi.* Exaggerationibus hiſce Iudæi ingrati ſtoliditas innoteſcit. 12. *Dauid iumentum effectus, vt Deum cognoſceret. Pſalm. 72. Caſſiod.*

IN

# IN IESVM A MAGIS ADORATVM Panegyricus ſecundus Moralis circa Literam.

## EX MAGORVM CONSTANTIA.

### *OBSERVATIO I.*

Ad illa verba:

*Dicentes, vbi eſt, qui natus eſt?*

Quàm conuenienter natus Ieſus, Gentilibus (tunc improbis,) illico manifeſtatus eſt.

*Vbi parentum cura circa filios ſingulos comendatur.*

13. Abulen. MOVET quæſtionem Abulen. quæſt. 4. *Chriſtus promiſſus fuerat Iudæis, & non gentibus. Quia licet fides Chriſti gentilibus communicata eſt, hoc non fuit à principio, ſed poſtquam Iudæi noluerunt recipere Chriſtum.* Quare ergo gentilibus illico manifeſtatur? Reſpondet: *Fuit hoc conueniens. Quia Chriſtus non ſolùm naſcebatur in ſalutem Iudæorum, ſed etiam in ſalutem omnium gentium. Natiuitatem ergo ſua ita debuit gentilibus, ſicut Iudæis manifeſtari.* Ac ſi diceret, Chriſtus Rex tunc Iudæorum, ſed ex eo capite, quòd Saluator etiam gentilium naſcebatur. Iſaias: *Puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & vocabitur nomen eius Pater futuri ſæculi,* Cap. 9. Id eſt, Ieſus, quod quidem nomen ſonat Saluatorem. Quando igitur Saluator non omnium Pater eſt? Parentis conditio omnibus proſpicere; ſi Regis, ſolis ſubditis apparere.

Iſai. 9.

14. Pastor bonus pastor curat ſingulos oues. Matth. 16. Chryſoſt. Eleganti id metaphorà Saluator expreſſit, dum diceret ad ſupremum Antiſtitem: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Matth. 16. Quæ verba ſic D. Chryſoſtomus hom. 55. expoſuit: *Eccleſiæ futura paſtorem eum conſtituit.* Haud aptè videtur Chriſti ſententia explicata fuiſſe à Doctore. Debuit enim eidem hærere metaphoræ exædificationis. Quid ædificio cum gregis magiſtro? Profectò tale requirebat Ieſus Eccleſiæ fundamentum, quod in morem paſtoris ſe gereret? & talem eligebat paſtorem, qui fundamentis exprimeret conditionem. Nonne fundamentum domus omnes ædificij partes ſimul indifferenter excipit? Sic paſtor Eccleſiæ, in morem fundamenti, omnibus indifferenter ouibus prouideat. Qualis paſtor non ſit, dum non omnes continet oues. Huc refero Paſtorem illum, nonaginta nouem oues dimittentem, erroneam vnicam requirentem ouiculam. Luc. 15. Annon conuenientius forent omnibus prouidere, derelictis, quam ad vnam

Luc. 15.

erraabundam ſeſe accingeret inquirendam, & alliciendam? Profectò nullatenus ſe eſſe paſtorem ſibi videbatur, ſi non omnibus indifferenter ouibus proſpiceret; ſi non vel ſolum tunc minimè dilectum ad gregem vocitaret.

Typum Saluatoris Saulem recognoſco. Saul de tribu Beniamin, id eſt filij dexteræ: Chriſti Domini familia, quæ ab eo paſcitur, ac regitur, tota dextera eſt. Saul altior vniuerſo populo: Chriſtus ſanctitatis ac poteſtatis gloria cunctos facilè ſuperabat. Saul in Regem vngendus *abſconditus eſt domi.* Chriſtus Dominus cum venturi eſſent vt raperent eum, & conſtituerent ſibi Regem, fugit. Accommodatius Beda Reg. 1. Cap. 9. ſic: *Saul miſſus eſt à Patre ad quærendas aſinas: Chriſtus ad quærendas animas.* Vnam expendam analogiæ: *Cùm autem veniſſent in terram Suph, dixit Saul ad puerum, qui erat cum eo: Veni, & reuertamur: ne fortè dimiſerit pater meus aſinas, & ſolicitus ſit pro nobis.* 1. Reg. 9. Quam ſententiam exponens Caietanus, ait: *Ne maior ſolicitudo de nobis, excludat à Patre meo ſolicitudinem de aſinis.* Cur Saul tam ſolicitus de aſinis oſtenditur. Quia *Saul quærens aſinas, Chriſtus animas quærens.* Nonne aſini typo gentilitas deſignatur, teſte Auguſtino: Chriſtus igitur de gentilibus curat inuchiendis, & Iudæis, & gentibus ſuam natiuitatem manifeſtat.

15. Idem Saul typum gerit Saluatoris.

Beda.

Caietan.

*Ite* (inquit Dominus Diſcipulis Ieroſolymam ingreſſurus) *in caſtellum, quod contra vos eſt, & ſtatim inuenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea. Hoc autem totum factum eſt, vt adimpleretur quod dictum eſt per Prophetam dicentem, Dicite Filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit manſuetus, ſedens ſuper aſinam, & pullum filium.* Cap. 21. Ioannes autem: *Et inuenit Ieſus aſellum, & ſedit ſuper eum, ſicut ſcriptum eſt.* Cap. 12. Sedit ſicut ſcriptum? Igitur ſuper vtrumque iumentum ſedit, dicente Propheta: *Sedens ſuper aſinam, & pullum.* Iam quæris, cur Chriſtus vtroque ſimul iumento vtitur ad equitandum? D. Auguſti-

16. Super vtrumque iumentum equitat Chriſtus. Matth. 21.

Auguſtinus: *Pullum aſinæ, in quo nemo ſederat, intelligimus populum gentium, qui legem Domini non acceperat: aſinam verò, quia vtrumque Domino adductum eſt, plebem eius, quæ veniebat ex populo Iſrael.* En Dominus ſic Iudæos complectitur, vt gentiles minimè deſpiciat. Ac ſi non videatur ſibi Saluator triumphum agere, niſi quando Rex Iudæorum, ac ſimul Pater gentilium non ſimul vtriſque beneficia præſtaret.

17. *Vterque populus muneribus à Patre donatur.* Quid memorem hominem illum duos filios habentem? Quorum certè adoleſcentior ſic Patri: *Pater da mihi portionem. Et diuiſit illis ſubſtantiam.* Luc. 15. Audi D. Auguſtinum in Caten. D. Thom. ſantem. *Hic homo habens duos filios, Deus habens duos populos intelligitur, & tanquam duas ſtirpes generis humani: vnam eorum, qui permanſerunt in vnius Dei cultu, alteram illorum, qui vſque ad colendum idola deſeruerunt Deum.* Non equidem Pater optimus diſtulit beneficium, ſed mox à principio munera in gentilium populum euexulit, poſt multa ſæcula charitatis gremio recipiendum. Vnde pulchrè adiicit Auguſtinus: *Ab ipſo ergo exordio maior filius ad cultum vnius Dei pertinet, minor autem petit, vt pars ſubſtantiæ, quæ eum tangeret daretur à Patre. Hanc autem accepit.* Quid non acciperet ab ipſo mox exordio munera, ſi Deus vtriuſque populi pater exiſtebat? Ediſcant hinc parentes ſingulis filiis licet non æqualiter dilectis, æqualiter tamen proſpicere circa temporaria ſubſidia; ne vnus omnibus donatus ſit, cæteris inanibus derelictis.

# OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

## *Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum.*

## Cùm Magi à Iudæis exquirunt conſilium, illuminanti fulgore priuantur.

*Vt edocearis probos tibi conſiliarios ſemper adhibere.*

18. AD ingreſſum Vrbis Magi ſtellæ ducentis priuati fuêre grato conſpectu. Quare? Quia Reges (myſticum ſenſum Strabi amplector) teſtimonium habentes cœleſte; à peruerſis Iudæis intenderint (licet piè) ſumere conſilium. Tunc profectò lux cœleſtis abſconditur; cùm Rex ab improbis ducitur conſiliariis. Sic myſticè Strab. *Dum à malis conſilium quæritur, vera illuminatio perditur.*

19. *Ad conſilium capiendum promptior, ad* Quantò igitur quis ad capiendum conſilium promptior, tantò aptior ad Regnum. Filij Heth ad Abraham: *Audi nos Domine, Princeps Dei es apud nos.* Gen. 23. Veram huiuſce loci expoſitionem do ex Lyrano. *In dubiis recurrebant ad Abraham, & ipſe dirigebat illos, ac ſi conſulerent Deum.* Ideo eum Principem Dei apud ſe vocant. Alius grauis quidem interpres non tam verè quàm ingenioſè in hunc morem explicauit. *Audi nos Domine,* id eſt, bonis noſtris conſiliis acquieſce. *Princeps Dei es apud nos.* Si acquieſcis conſiliis, apud nos Regiam dignitatem obtinebis. Aptus etenim regimini, qui bonis vtitur conſiliariis. Iacub matris ſuæ conſiliis obtemperauit. Quid inde? Eſau præripuit principatum. Gen. 27. Moyſes ſoceri ſui conſilia ſecutus eſt. Quo fructu? Inter populi rebelliones ſuum primatum ſtabiliuit. Exod. 18. Dauid Ionathæ conſilio vſus eſt. Quid emolumenti? Regnum, fugiens mortem, apprehendit. 1. Reg. 19. Eſther Mardochæi hæret conſiliis. Inaniter? Seruitutem cum Regno commutauit. Eſth. 2. Quàm ad regimen aptus, qui promptus ad bona conſilia capeſſenda.

*Regnum accommodatior. Gen. 23. Lyran.* — *Gen. 27.* — *Exod. 18.* — *1. Reg. 19.*

20. *Rex Ieſus aſſidet in Conſilio. Iſai. 9.* Rex nobis à Deo Deus & homo donatur: *Puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, cuius principatus ſuper humerum eius.* Rex hominibus datur? Pulchrè igitur, vt eiuſdem Regis aptitudo ad regimen innoteſcat, ſubiungitur: *Et vocabitur nomen eius Admirabilis, Conſiliarius.* Iſai. 9. Quid Conſiliario cum Rege? Conſiliarius ille, qui conſilia dat, ſed non abſque alio ſocio conſiliatore, ſicut in conſiliis plures aſſident diſquirendis quæſtionibus deputati conſiliarij. Princeps igitur noſter vt rectè munus ſibi iniunctum exequi innoteſcat, & præbebit conſilia petentibus, humiliter ſubditis, & petere ab aliis non dedignabitur. Sic in Doctorum conſilio Conſiliarius Ieſus & interrogabat, conſilia accepturus; & reſpondebat, conſilia traditurus Doctoribus, Luc. 2.

*Luc. 2.*

21. *Bonis Reges Conſiliariis hæreſcant.* Enimverò Reges ad bonos conſiliarios accedere oportet, nec vlla ratione prauorum conſiliis aut prauis aut dubiis ad hæreſcere. *Perierant aſinæ Cis patris Saul; & dixit Cis ad Saul filium ſuum: Tolle tecum vnum de pueris, & conſurgens vade, & quære aſinas.* 1. Regum 9. Secum itaque tulit Saul Doëg probum tunc temporis adoleſcentem, à quo optimum accedendi ad Samuëlem accepit conſilium. *Ecce* (inquit Doëg) *vir Dei eſt in ciuitate hac. Omne quod loquitur, ſine ambiguitate venit. Nunc ergo eamus illuc, ſi fortè indicet nobis de via noſtra, propter quam venimus.* Ibid. Quid aſinæ à Saul requiſitæ? Nonne ſubditi ſub Regis prouidentia? Philo l. De Ioſeph in hunc modum: *Poetæ Reges vocant paſtores populi; nam qui ſummus eſt in arte pecuaria, facilè bonus Rex euadet, pulcherrimo gregi hominum præpoſitus.* Subditis requirendis Princeps dat operam? O quàm prudenter conſiliario tunc probo Doëg vtitur ad ipſorum diſquiſitionis felicem exitum!

*1. Reg. 9.* — *Philo.*

22. *In manu conſilij Regnorum proſperitas, aut exitium. Pſal. 119. Auguſt.* Tota Regni felicitas, aut euerſio in manu boni aut improbi conſilij eſt. Hic Pſalmi centeſimidecimi noni titulus: *Canticum graduum.* Graduum inquam, (doctore Auguſtin.) vel *deſcendentium, vel aſcendentium.* Vel tibi eſt aſcendendum ad Deum, vel deſcendendum ad exitium. *Ad Dominum, cum tribularer, clamaui, & exaudiuit me. Domine, libera animam meam à labiis iniquis.* Me ab impio auuca conſiliario. Nam in poteſtate conſilij poſitum, vel ad ſuperna Regem eleuari, vel ad inferna deiici. *Videamus* (inquit Pater) *quemad-*

*modum*

*modum patiatur linguas retrahentium, & quod eſt grauius, quaſi conſulendo à ſalute auertentium. Quis enim,* bene *conſulit alicui, ad ſalutem conſulit, ille autem* qui malè, *quaſi conſulens, retrahit à ſalute.*

23. *Principes hominum ob improbum periêre Conſiliarium.* Geneſ. 3. Rupert.

Nonne Adam & Eua hominum Principes conſiliario prauo aquieſcentes fuêre percuſſi cæcitate? Eis improbus conſiliarius. *Nequaquam moriemini.* Gen. 3. Obtemperant conſilio, miſerè depereunt. Proh Regum ſtultitia! Rupertus ſic: *In hoc caſu docemur, vt à malis conſiliis declinemus*

24. *Si bonus non adſit Conſiliarius, à ſe ipſo Rex conſilium capiat.* Auguſt.

Profectò conſiliarius improbus nunquam non ſuſpectus eſſe debet, licet ſalubria conſilia ferre videatur. Teſtor Dauidem Regem. *Lauda anima mea, Dominum.* Pſalm. 145. Dic mihi, quæſo, quiſnam extitit tam ſalubris conſilij auctor? Corpus. Proh ſpiritus dementia! Ab hoſte ſalutare expectas conſilium? *Quis dicit, Lauda?* cum Auguſtino loquor) *Caro dicit: Lauda anima mea Dominum. Et poteſt caro animæ bonum conſilium ſuggerere? Chariſſimi, vbique conſilia à melioribus petantur.* Quid ſi Rex ſuummet animum animo conſiliarium adhibeat pro capiendi à bono conſilij neceſſitate? O anima, audi te ipſam tui ipſius optimam conſiliatricem. *Quid tibi* (loquor cum Auguſtino,)) *places in ſæculo? quid eſt, quod vis laudare? quid eſt, quod vis amare? Lauda anima mea Dominum.* A ſe ipſo Rex poſt præmiſſam orationem bonum capiat conſilium, ſi non adſint probi conſiliatores. Videtur Doctor ex obiectu Magorum hæc adiecisse: *Diu ô anima, occupata vixiſti, diuiſa per amores multos, vbique inquieta, nuſquam ſecura. Quidquid tibi foris placebat, quære quem habeat auctorem. Nihil melius in terra, quàm aurum, quid melius in cœlo ſideribus? Omnia iſta ſimul bona valde, vbique pulchritudo operis, quæ tibi commendat Artificem. Miraris fabricam? Ama Fabricatorem.* Ac ſi Reges noſtros auro onuſtos, ſidere ductos alloqueretur, *Quid melius in terra auro? Quid melius ſideribus?* O Magi naturalium rerum dediti contemplationi, audite animi conſilium, quærite tanti auctorem theſauri, tanti fontem fulgoris.

25. *Cœleſti lumine priuantur Reges, qui malos adeunt conſiliarios.* Matth. 2.

Enimverò propiùs accedens ad argumentum, oſtendo iam cœleſti lumine priuari Reges, qui accipere conſilia ab improbis contendunt. Data Herodi Regi, ſimul ac omnibus hominibus à Propheta Michæâ fante: *Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in Principibus Iuda, ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Iſraël, & dies eius dies æternitatis.* Cap. 5. En tibi Chriſtus natus homo obiicitur in Bethlehem, ſimul Deus æternus prædicatur. Profectò Rex Herodes qui ab huiuſce ſideris ſplendore duci poterat ad præſepium, improbos adit conſiliarios, Sacerdotum videlicet Primores, & populi Scribas, qui equidem ſic Prophetæ truncant teſtimonium. Naſcetur Chriſtus *in Bethlehem Iudæ, ſic enim ſcriptum eſt per Prophetam dicentem: Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in Principibus Iuda, ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Iſraël.* Matth. 2. Illud autem: *Et dies eius dies æternitatis*, prorſus obuoluêre ſilentio. Cur ita? praui conſiliarij *in adulationem Regis* (ſicuti ait Chryſoſt. hom. 7.) id ſubticent, ex quo fulgor Regio cordi debebat immitti. Chryſoſt.

Quam iuſtè Rex ad improbos accedens conſiliatores, & generali illo à Propheta oblato iubare priuatur. *Et dies eius, &c.* Quia *dum à malis* (verbis vtor Strabi) *conſilium quæritur, vera perditur illuminatio.*

## OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

### *Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum?*

### Magi cœleſtem Regem requirentes, nullâ poſſunt corripi formidine.

*Nam qui Deum quærit ab omni periculo liberatur.*

MIRATVS in Commentario Magorum conſtantiam ideo eos à formidine liberaui, quia qui Deum requirit, timore corripi nullo modo poteſt. Id confir- 26.
mabo præmittens Dionyſij Carthuſ. ſententiam. *Iam Romani legem dederunt, vt ſub periculo mortis nemo aliquem Regem vocaret ſine eorum conſenſu. Fuit quoque præceptum, & Magis non ignotum, vt qui, Rege viuente, alium Regem pronunciat, aut adorat, punitur in ſanguine. Quomodo ergo Magi audebant, viuente, & regnante Herode, in eius præſentia ſine Romanorum licentia Regem alium profiteri?* Audi illos interrogantes: *Vbi eſt, qui natus eſt Rex?* Quiſquis illum, qui à natura diuina accepit eſſe Regem, requirit, proculdubio ab omni eſt periculo immunis, ab omni alienus incommodi ſuſpicione. *Proculdubio* (ait ille) *iſtam eis audaciam Rex natus influxit.* Ac ſi diceret, Reges ideò audaces, ideò conſtantes, quia Regem natum requirebant. Carthuſ.

27. *Fœminæ Deũ quærentes formidine carent.* Matth. 29.

Sub Sepulchri lapide aduoluto: *exterriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt velut mortui. Reſpondens autem Angelus, dixit mulieribus, Nolite timere vos.* Matth. 28. Timore milites corripiuntur, & nos fœminæ, tam formidini obnoxiæ non pauebimus? Timeant illi, vos pauore non teneamini. Quanam ſecuritate? *Scio enim* (inquit Cœlicola) *quod Ieſum, qui crucifixus eſt, quæritis.* Non eripit à timore militaris diſciplina, non bellica præſidia: ſed Deus, cuius res geritur, cuius exequimur voluntatem. *Cuſtodes* (cum Caiet. loquor) *intus timent, exterius concutiuntur: nolite timere vos. Angelus appoſuit pronomen* Vos, *ad differentiam cuſtodum. Scio enim quod Ieſum quæritis. Angelus aperit ſe noſſe quid quærerent, hinc enim animæ quietes reddebantur.* Hinc quies, hinc conſtantia habet exortum. *Quæritis Ieſum.* Vel fœminea fragilitas requirentis Dominum robuſtiſſima eſt. *Miles Chriſti* (Origen. Hom. 9. ait) *timorem & formidinem depellat, & confidenter dicat: Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum. Solent* Caietan. Origen.

*in*

*in his caſtris mulieres vincere non corporis robore, ſed fidei virtute* A timore namque eripit non militaris fortitudo, ſed diuinæ voluntatis requiſitio.

28. Perpendite Magdalenæ euentum. Petrus, Ioannes, & Magdalena ad ſepulchrum accedunt, non inuento Dominico corpore Apoſtoli redeunt *ad ſemetipſos.* Maria autem hærens ſepulchro conſtanter perſeuerat. Illi timent, hæc fœmineæ trepidationis oblita inter ſepulchrorum funereas vmbras, cuſtodum inter arma ſtetit abſque formidine. Quid cauſæ? Diſcipuli ad illam aufugiunt domum, *vbi fuerant congregati propter metum.* Ioan. 20. Porrò ibi metus, vbi Diſcipoli non ſunt de Domini inquiſitione ſolliciti Ibi adeſt fortitudo, & conſtantia, vbi fœmina fragilis naturæ quærit Saluatorem. Sola plorat Magdalena, ſola non timet, viri congregati, viri non ſoli timore corripiuntur. Dionyſium Carthuſ. audite: *Stabat ad monumentum. In quo elucefcit eius conſtantia, quia abeuntibus Apoſtolis, non receſſit.* Vndenam contra formidinem præſidium? *Erat autem vnicum et ſolatium, quod vel in loco eſſe potuit, quo Dominum ſuum reliquit.* Ibi quærit, quia ibi amiſit; ibi, canis in morem, fidelis expectat, donec reuertatur.

*Magdalena apud ſepulchrum ſine metu.*

Ioan. 20.

Carthuſ.

29. Timidum proculdubio efficit hominem greſſus ad praua dirigere à Dei requiſitione recedentem. *Timidum non facit animum niſi reprehenſibilis vita à Deo recedentis conſcientia mala.* Hæc Pontan. devet. Fort. Pedes igitur fons formidinis. Si ad Dei diriguntur requiſitionem, validi; ſi ad praua deuiant, infirmi oſtenduntur. Vnde prouerbium, *Animus in pedes decidit.* Hinc illud:

*In firmitas ex delicto.*

Pontan.

*— — Panor ingruit ingens*
*Omnibus, inque pedes animus mox decidit imos*

Pes etenim aut accedens ad Deum, aut recedens ab ipſo, animo aut ſecuritatem aut pauorem immittit.

# OBSERVATIO IV.

Ad illa verba:

## *Vbi eſt qui natus eſt Rex Judæorum?*

## Dum Magi Regem futurum conſiderant iudiciali hærentem throno, non timent præſentem.

*Vbi de ſalutari Iudicij finalis formidine.*

30. SECVNDAM ſubiicio rationem cur non timuerint Orientales Herodis aſpectum, dum noui Regis in conſpectu Principis priſtini inclamant natalitium? *Magi dum conſiderant Regem futurum, non timent præſentē.* D. Chryſoſtomus hac ſententia affirmat et nulla ratione formidabilem temporariam poteſtatem, cui Rex in iudicio futurus cogitationum, actionumque ponderator obiicitur.

Chryſoſt.

31. Paulum apud Macedones, poſt mulierem Pythoniſſam liberatam, domini eius, *perduxerunt ad Principes*, à quibus Apoſtolus flagellis cædi iuſſus, in carcerem coniectus eſt. Cuius rei memoriam peragens ipſe, ſic ad Corinthios: *Macedonia nullam requiem habuit caro noſtra, ſed omnem tribulationem paſſi ſumus. Foris pugna, intus timores* 2. Corinth. 7. Vbi Sanct. Thom. *Hic facit mentionem de perſecutione, quam paſſus eſt in Macedonia, cum liberauit ancillam Pythoniſſam.* Iam expendo ſententiam illam: *Foris pugnæ, intus timores* O militum fortiſſime! Præſentem infirmam prorſus times poteſtatem? Equidē verba illa: *Intus timores*, non referenda ſunt ad præſentem Principum perſecutionem, ſed ad Regis æterni futurum tribunal. Ac ſi diceret, Præſentē Regem *(foris pugna)* non timeo, dum futurum menti obiicio Regem *(intus timores)* valde timendum. Pulchrè Doctor Angel. *Foris, id eſt, extra me ipſum ſunt pugnæ perſecutionum. Sed tamen intus, id eſt, in corde eſt timor de malo, timens perſecutionem de futuro.* Dum conſidero Regem futurum, non timeo præſentem.

*Paulus timore Iudicij externas perſecutiones propellebat.*

2. Cor. 7.

S. Thom.

32. Vigeſimus primus octonarius Pſalmi centeſimi decimi octaui litterā *Sin* loco tituli inſcribitur, quæ quidem ſonat: *ſuper vulnus. Quid autem* (inquit Incog.) *ſuper vulnus ponitur, niſi medicamentum? Quæ autem ſunt vulnera noſtra niſi perſecutionum aduerſitates, quibus medicamentum ſuperponitur, dum verbis diuinis ad patientiam ducimur.* Quænam iſta verba: Reſpondet Doctor: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* Et adiicit. *Quanto magis homines ignes formidant æternos, fortiores efficiuntur ad labores tolerandos.* Iudæorum vulnera, *Venient Romani, & tollent Ciuitatem noſtram, & gentem.* Aduerſus timorem à Rege præſenti excitatum Regis futuri apud tribunal horrorem immittit. *Diſcedite maledicti.* Quid Iudæi? *Illic* (inquit Dauid) *trepidauerunt, vbi non erat timor.* Pſalm. 52. Exponit Strab. *De terrenis ſcilicet trepidauerunt, vbi non eſſet timendum, Iudæi timentes ne perderent locum, & gentem*, Præſens Romana potentia quid, ſi Regem futurum conſideratione perpendatis? Curauit cœleſtis medicus Babylonem, ſed nullatenus fuit ſanitati reſtituta.

*Chriſtus timentibus Cæſarem cœleſtē iudicem obiicit*

Pſal. 118.

Incog.

Pſal 52.

Strab.

33. Chriſtus Diſcipulis; *Cùm audieritis prælia, & ſeditiones, nolite terreri: oportet enim primùm hæc fieri, ſed nondum ſtatim finis.* Luc. 21. Quænam tribulationes? *Surget Regnum aduerſus Regnum*, id eſt, Regnum mundiale aduerſus Eccleſiam, vbi præeſt, qui regnauit à ligno. Tunc igitur cùm temporaria poteſtas Regum Eccleſiæ perſecutionibus tentauerit, nolite terreri. Quare? Quia *nondum ſtatim finis.* Nondum ea, quæ futura ſunt, oculis obiiciuntur, nondum cœleſtis Rex conſpicitur Principes temporarios æternùm damnaturus. *Diſcedite maledicti in ignem æternum.* Adagium illud appoſitum: *Ante tubam trepidas?* Vna equidem tuba nouiſſima nos debet ad timorem aduocare. At qui bellicis temporalis imperij lituis exauditis expauet, priuſquam verum appareat periculum, animo conſternatur.

*Diſcipulis ſeuenturum proponit vt à perſecutionū formidine abducat.*

Luc. 21.

34. Diſceſſurus Ieſus à mundiali inhabitatione, Diſcipulis in hunc modum: *Eritis mihi*

*Sic Apoſtoli teſtes Angeli confortant. Act. 1.*

*teſtes in Ieruſalem & in omni Iudæa, & Samaria, & vſque ad vltimum terræ.* Poſtquam autem deſcripſit Domini aſcenſum Euangeliſta, Angelos induxit locutos: *Viri Galilæi, qui aſſumptus eſt à vobis in cælum, ſic veniet.* Act. 1. Quare obiiciunt venturum Iudicem Chriſtum tunc diſcedentem? Teſtes Diſcipulos futuros vbique terrarum prædixerat; quare perſecutionibus Principum temporariorum tentandis, vulnerandis adhibet medicamen, futuri iudicij proponens obiectum. Teſtes Diſcipuli in Ieruſalem? Trucidandus ibi Iacobus? Nolite timere. *Scrutabor* enim aliquando venturus Iudex *Ieruſalem in lucernis.* Soph. 1. Babylon gentilium vobis exitialis, cùm mihi teſtes vſque ad vltimum terræ? Ne timeatis. *Quid* enim (loquor cum Bernardo,) *tutam in Babylone, ſi in Ieruſalem manet ſcrutinium?*

35. *Eadem conſideratione Epiſcopi armantur.* Apoc. 1. Apoc. 2. Apoc. 3.

Septem Epiſcopis Ieſus: *Gratia vobis & pax ab eo, qui eſt, & qui erat, & qui futurus eſt.* Apoc. 1. *Futurus*, inquam, iudex viuorum, & mortuorum. Cur præ oculis Rex futurus iudex Epiſcopis apponitur? Vt perſecutioni Regum temporariorum non ſuccumbant. Epheſi Epiſcopo, *Suſtinuiſti propter nomen meum.* Cap. 2. Smyrnæ, *Scio tribulationem tuam.* Pergami, *Scio vbi habitas, vbi ſedes eſt Satanæ.* Thyatiræ, *Noui patientiam tuam.* Sardis, *Qui vicerit.* Cap. 3. Philadelphiæ, *Non negaſti nomen meum.* Laodiciæ, *Suadeo tibi, emere à me aurum ignitum, & probatum.* In magnum, ô principes, Eccleſiæ diſcrimen verſamini, ſi vultis Regum terrenorum potentiam negligere, ad Regem futurum reſpicite, qui omnipotentia inductus iudicaturus veniet. *Qui futurus eſt omnipotens.*

36. *Et Moyſes.* Exod. 4.

Moyſes ad Ægyptum miſſus, Regis Pharaonis potentiam formidabat. Vt autem Ducem Deus à concepta formidine liberaret, *Occurrit ei, & volebat eum occidere.* Exod. 4. Quàm conuenienter, & efficaciter maiori formidine conatur Dominus minorem expellere! Ad hæc Theod. *Angelus gladium nudatum oſtendit Moyſi, vt occideret eum, quia Pharaonem formidabat; vt timorem timore expelleret, itemque maiori minorem. Quaſi diceret: Pharaonem times, magis me time, qui nemine cernente, plagam tibi facilè inferre poſſum.* Sanctè igitur Magi Proceres *dum conſiderant Regem futurum, non timent præſentem.*

Theod. Chryſoſt.

## OBSERVATIO V.

Ad illa verba:

### *Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum.*

### Magi miraculoſè ab Stella ducti, crediderunt fore, vt à nullis hoſtibus impeterentur.

*Deus enim ex vnius beneficij collatione ad alterum conferendum quaſi debitor accingitur.*

TERTIAM denique cauſam innuo, quare Reges Orientis primitiæ non veriti fuerint coram Herode nouum Regem inclamare. *Videbant* (inquit Abulenſis) *ſe dirigi miraculoſè, cùm Stella eos regeret; ideo credebant, quod nemo poterat eis nocere.* Reges ſcilicet conſiderantes ſe à Domino beneficium Stellæ ductricis accepiſſe, futuri alterius beneficij collationem conſequenter expectabant. Tam enim Deus munificentiâ præſtans, vt vnius doni elargitione ad alterius præſtitionem aſſurgat. 37.

Abul.

38. *Mortē Chriſtus à ſuis euertit eadem manu, qua ad eos ductrices Stellas immittit.* Apoc. 1.

Pendo verba illa: *Cùm Stella eos regeret, credebant, quod nemo poterat eis nocere.* Mortem minimè timeat, qui ductricem accepit Stellam. Tam enim Chriſtus mortis rector, quàm Stellarum moderator. Ille mittit Stellas ductrices, promotrices? Sub eodem imperio reſidet inimica mors. Chriſtus Ioanni, *Noli timere, habeo claues mortis.* Apocal. 1. Ideo Apoſtolus formidine concutitur, quia claues mortis habes, corpus occidis, Principibus tyrannis clauem committis, martyres trucidaturis. Hæc dicit, *qui habet ſeptem Stellas in manu ſua.* Siue in *dextera.* Eadē manu (ac ſi diceret) geſto claues mortis, qua Stellas teneo. Si igitur eadem manus, quæ mittit Stellas in ſalutem, mortis eſt moderatrix, cur non laxans Stellæ illuminantis habenas, ſimul mortem horribilem infrænabit?

39. *Ex Stellarum ſtatione tuſe ſuis ſecuritatem promittit.* Ioſ. 10. Lyran.

Dimicante Iſraëlis exercitu, Amorrhæi è nube lapſis lapidibus impetuntur. At Ioſue inſecutus victoriam: *Sol* (inclamat) *contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon. Steteruntque Sol & Luna.* Ioſ. 10. Vndenam Ducis menti affixum, fore, vt Sol maximo prodigio, cōmoraretur? Reſpondet pulchrè Lyranus: *Videns primum ſignum datum de cælo aereo, ex hoc confidens, petiuit ſecundum de cælo ſydereo.* Quid plura? Sic Ioſue poſt Solis ac Lunæ ſtationē ad milites: *Nolite timere, nec paueatis, confortamini, & eſtote robuſti, ſic enim faciet Dominus cunctis hoſtibus veſtris, aduerſum quos dimicatis.* Vndenā ô Principes à futuris periculis milites liberandos affirmas? Quotiēs Deus in hoſtiū manibus ſuos tradidit diſcerpēdos? Quā ergo fiduciā illos eximis ab exitij timore? Profectò ſi ex primo miraculo lapidum è nubibus emiſſorū, credidit Stellas minimè progreſſuras: ſed rapido infrænato curſu, aſpectui in obſequium hominum obiiciendas; videns Stellas hominum ſaluti ſeruientes, quòque efficacius debuit credere milites illos ab hoſtiū potentia minimè ſuperandos? *Videns primum ſignum, confidens petiuit ſecundum.* Videns igitur ſecundum, cōfidentius militibus promiſit ſecuritatem. Quia videlicet miraculum illuminantium Stellarum illos ab imminentis exitij formidine liberarat. Quā appoſitè Abulenſis! *Videbant Magi ſe dirigi miraculoſè, cùm Stella eos regeret, ideo credebant, quod nemo poterat eis nocere.* Quando enim vnius muneris exhibitio nos non inuitat ad alterius receptionē? Vident Magi ſe dirigi ſigno exhibito, miraculo excitato, Stellæ videlicet mirabili exortu ad Ieſu cunabula. Nemo ergo (inquiunt) nos poterit ad exitium reuocare.

Abulen.

Dominus vt ſecuros redderet ab omni hoſtium irruptione Diſcipulos, *Nolite* (inquit) 40.

*timere*

*Qui Stella duce Magos ad ſui Regni participationē inuitauit, non eximeret à pauore?* Luc. 12. Chryſol.

*timere puſillus grex, quoniam complacuit Patri veſtro dare vobis Regnum.* Luc. 2. Ac ſi Magos alloqueretur: Ego Rex natus vos mundiales Reges Stellæ ducatu ad cœleſtis Regni inuitaui conſortium. Non igitur vos hoſtium potentia ad pauorem afferat. Neque enim Deus ſemel dat; quippe cum vnius beneficij elargitio ad alterius eum collationem alliciat. Chryſol. Serm. 23. *O bonitas effuſa! Ad conſortium Dominationis ſeruos Dominus adſciſcit. Sic, ſic dat, cui deficere cenſus non poteſt.* Duo pondero. Vnum: *ſic, ſic dat.* id eſt, *dat, dat.* Vnius enim doni collatio ad aliud impellit, Alterum verò: *Cui deficere cenſus non poteſt.* Quaſi primi beneficij elargitio in morem cenſus à Deo ſemel & iterum nouas accipiat, & quodam modo exigat vſuras. Reges ad veri Regni conſortium, Stellà nunciâ vocantur: Igitur vſuræ loco Magis, ac ſi pecuniam contuliſſent in quæſtum, accipiunt coram tyranno Rege minimè formidare.

41. *Semel datus panis redit quotidie.* Matth. 6.

Diſcurſûs parumper iam habenæ laxentur. A Domino cum Ieſu panem petimus nobis præberi. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Matth. 6. quotidie neceſſarius nobis panis eſt, quare ſolummodo hodie eo petimus donari? Nonne aptius diceremus: *Panem noſtrum quotidianum da nobis quotidie?* Pulchrè inclamamus: *Da nobis hodie.* Tantumdem enim eſt, ac ſi dari nobis quotidie poſtularemus. Deū namque hodie nobis munificum ex panis elargitione ſic affectum relinquit illa ipſa panis collatio: vt proculdubio craſtina die ad eiuſdem muneris iterationem accingatur, hæc ſequentis diei cibum obtineat, ſequentis autem diei cibus proximæ lucis conſequatur alimentum, vnde ſine termino cœleſti munificentiâ repleamur. Chryſ. *Sic dat cui vacari poteſtas non eſt.* Fontis enim in morem, primam vndam tota inexhauribilis ſequetur plenitudo.

Chryſoſt.

42. *Semel paſci gregem à Deo continuationē obfirmat.* Cant. 1. Philo.

Ideo Eccleſia: *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie?* Cant. 1. In meridie paſcit, & cubat. Cur diſcubatio ac requies paſtoris exprimitur tunc, quando oues donat refectione? Quia non reficit per tranſennam, qui numquam non de ouium ſuarum refectione curat. Illud namque hodie ſatiari gregem bonum mouet paſtorem ad vlterioris elargitionem gratiæ. Vnde Philo. l. Quis rerum Diu. ſit hæres, diuinam munificentiam fontem appellauit *Tua* (inquit) *gratia fontium more inexhauſta. & ſubſiſtentis perpetuè.*

43. *Deus circa nos à cura in curam afficitur.* Matth. 6.

Iam meritò clamat Magiſter: *Ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ, quid manducetis, nec corpori veſtro, quid induamini.* Matth. 6. Væ qui à ſolicitudine in ſolicitudinem impellimini! Cibi cura vos ad veſtimenta procuranda arripit. Ab huiuſmodi igitur ſolicitudine dimoueamini. Quâ ſpe? Deus certè prouidebit vtrumque. Liberalitas enim diuina æmula eſt ſolicitudinis humanæ. Si hominum ſolicitudo ex cibi procuratione afficitur ad veſtitus acquiſitionem: Dei munificentia ex collatione cibi mouetur, ſeu potius dixerim, impellitur ad veſtimentorum exhibitionem. Mecum ſentit Tertullian. 4. con. Marc. *Qui nollet curam nos agere animæ de victu, & corporis de veſtitu, niſi qui iſta homini antè proſpexit, & exinde præſtans meritò curam eorum tanquam æmulam liberalitatis ſuæ prohibet.* Sic ille. *Æmulam* (inquit) *ſuæ liberalitatis.* Quàm aptè! Sicut enim homo ex acquiſitione cibi afficitur ad veſtitus inquiſitionem: haud aliter Deus ex vnius muneris à largitione ad alterius exhibitionem inclinatur.

Tertull.



44. *Abraham beneficiis acceptis, vlteriora accipere præparatur.* Gen. 15. Phil.

Plurimis à Deo Abram muneribus donatur. *Noli* (inquit Dominus) *timere Abram. Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis. Dixitque Abram. Domine Deus, quid dabis mihi.* Geneſ. 15. Num vox dubitantis? Philo citat. *Non dubitantis eſt verbum.* Certiſſimè enim Patriarcha ſe à Deo maximis beneficiis (nam pateos Saluatoris) ornatum recognouit. Si ergo ſe deuinctum videbat ex tot munerum exhibitione, quare nouis poſtulat donis cumulari? Ac ſi diceret: Compertum habeo te ex vnius doni exhibitione affici ad alterius elargitionem: ſed qui me iam ſupremo munere cumulaſti, Saluatore videlicet, quid in tuæ munificentiæ documentum iam poteris præſtare?

45. *Magdalena munus accepit, vt munus accipiat.* Matth. 26. Orig.

Peccatrix illa *ſtans retrò ſecus pedes* Domini *lacrymis cœpit rigare pedes eius, & vnguento vngebat.* Luc. 7. Rurſus *acceſſit ad eum habens alabaſtrum vnguenti, & effudit ſuper caput ipſius.* Matth. 26. Quæris, vtrùm eadem Magdalena ſemel ac iterum Dominum deliniuit? Obſtat præpropera immutatio. Tam citò peccatrix pedibus hærens, potuit ad caput Dominicum eleuari? Origenem audite: *In Euangelio mulier accipiens alabaſtrum vnguenti, caput Ieſu, pedéſque perfudit. Peccatrix ſuper caput eius fuiſſe monſtratur.* En Domini munificentia. Accepit cœleſti munere Magdalena ad Dominicos pedes prouolui, vt vngeret peccatrix? Iam ipſam Chriſtus & gratiâ donat, & ad caput attollit ſuper id vnguentum effuſuram.

46. *Vnum Dei beneficii citat alterum.* Senec. Trag. Manl.

Eleganter huiuſmodi Dei Tragicus conditionem expreſſit in Thyeſt,

*Res Deus noſtras celeri citatas*
*Turbine verſat.*

Cur res noſtras citatas compellauit? Annon quia res vna nobis cœleſti beneficio expoſita quaſi alteram mox citat impertiendam? Ita planè. Manlius ad hæc lib. 1.

*At cur diſpoſitis vicibus conſurgere ſigna,*
*Et velut imperio præſcriptos reddere curſus*
*Cernimus, ac nulli s properantibus vlla relinqui?*
*Cur eadem æſtiuas exornant ſydera noctes?*
*Semper & hibernas eadem, certamque figuram,*
*Quiſue dies reddit mundo, certáſque relinquit?*

Nonne quia vnum Dei beneficium nobis elucens quaſi alterum obuenturum citat? Quis ambigat?

# OBSERVATIO VI.

Ad illa verba:

## *Qui natus eſt Rex.*

## Rex natus Chriſtus.

### *Vbi probi Regis exprimo proprietates.*

T 2 Merito

47. MERITO à Magis *Rex natus* requiritur. Non inclamant, Vbi eſt Rex, qui natus eſt? Sed *Vbi eſt, qui natus eſt Rex?* Alij mundiales Principes naſcuntur, vt poſtea temporis decurſu regnent, regant, gubernent. At Ieſus natus eſt Rex, iam ab ortu, ab incunabulis regalia munia implet. Nam & defendit ſuos, & ſuper humeros portare minimè dedignatur. Vtrumque perſequar argumentum.

## CAPVT I.

### *Chriſtus Rex natus, illicò ſuorum ſtudet protectioni.*

48. Hugo. MAgi apud Ieroſolymam: *Quærimus* (inquiunt ex ore Hugonis Card.) *Regem natum, non Herodem ſolio collocatum.* Proh Reges mundiales ſine corona, ſine poteſtate naſcentes, fragilitate, debilitate laborantes! Quis tunc hoſtium potentiam euertet? Quis tuebitur ciues? Quis vrbes defendet? Solus Rex natus Ieſus ſine manibus faſcijs dum illigatur, Regnum ſtabilire valet, ac comminutis hoſtibus ciues cuſtodire.

49. *Mundiale Regnum non naſcitur ſed ſtatuatur.* Gen. 37. Immiſſum adoleſcentem Ioſeph in agrum ad meſſem colligendam Ioſephus teſtatur. Hinc exorta ſomnij phantaſia, ſeu futuri Regni oraculum appellato. *Putabam*, inquit, *nos ligare manipulos in agro, & ſtare; veſtroſque manipulos circumſtantes adorare manipulum meum.* Geneſ. 37. Hic planè futura Ioſeph mundialis poteſtas exprimitur. Ipſi namque fratres ingenuè profitentur potius, quam perquirunt, *Numquid Rex noſter eris? Quaſi dicant*, inquit Carthuſ. *Hoc videtur euidenter prætendere ſomnium tuum.* Quæris iam, Cur non fuerit Ioſeph poteſtas in exorienti à terra ſuper reliquos expreſſa manipulo? Num quia mundiale Regnum non naſcitur? Ita planè. Ioſeph exoritur infirmus, inermis, poſtea, autem manipulus omnibus ſubditis præponitur non ſine Pharaonis manibus. Haud hic natus Rex, ſed Herodis inſtar, *in ſolio collocatus.* Non itaque mox ſuorum ſtudet protectioni, ſed poſtea Ægypti prorex effectus; ſolus namque Ieſus ſuis naſcitur ſalutaris.

50. *Chriſtus à radice virga regnans exoritur mox profecto.* Iſai. 11. Strab. Prophetam accipite huiuſce veritatis aſſertorem: *Egredietur virga de radice Ieſſe.* Suprema poteſtas, *& flos de radice eius aſcendet.* Iſai. 11. Vbi Strabus ex D. Hier. per virgam Chriſti regnantis potentiam intelligit. *Virginem & florem Iudæi ipſum Chriſtum interpretantur; quia virga regnantis potentia.* Huiuſmodi Regia poteſtas incipiens à virga profectus, inſtar floris, an à radice? Pariter exoriuntur; quia Chriſtus Rex naſcitur. *Egredietur virga*, id eſt, regalis poteſtas *de radice, & flos* (ſeu Lyrâ interprete, Chriſtus) *de radice aſcendet.* Simul Puer & Rex exoriuntur; quia nunquam non Ieſus ſuos gubernat, moderatur, atque defenſat.

Lyra.

51. *Vtiuſtme Regis differentia Nabuchodonoſor cadente ſtatua* Dan. 2. Statuam Nabuchodonoſor oculis ſubiicite. Illa ſanè à lapillo ſine manibus excidenti comminuta. Regno poteſtiſſimo illico dedit locum. *Videbas ita* (ait Daniel) *donec abſciſſus eſt de monte lapis ſine manibus, & percuſſit ſtatuam. Lapis autem qui percuſſerat ſtatuam factus eſt mons magnus.* Dan. 2. *Videbat Rex*, & ecce *ſtatua grandis* pedes luteos tanto ponderi præbens. Super lutum natiuitatis aurum, argentum, & æs conſtituitur. Nabuchodonoſor paruulus natus, magnus, potens, fortis poſt natiuitatis puluerem efficitur. Sic Lyranus: *Deus Regnum, & imperium, & fortitudinem dedit tibi*; (ferro teſtæ diuinitus admiſto;) *quia de infimo ſtatu per diuinam diſpoſitionem eleuatus es ad omnia iſta.* Lyran. Manibus quippe indiguiſti ad ſceptrum poſt ortum capeſſendum. At Ieſus ſine manibus è virgineo monte decidens, tunc cum exoritur, Regnum valet, comminutis hoſtibus, ſtabilire. *Natus* enim *Rex*. Id quod idem Lyranus confirmans, adiicit. *Iſlud Regnum inchoatum eſt, quo tempore natus eſt Chriſtus.* Regni inchoatio à natiuitate: quia Rex naſcitur, qui à Regibus *Rex natus* requiritur.

Huiuſce Regis ditioni ſubdi cura, qui nunquam non potens ad te liberandum, hoſteſque tuos comminuendum. *Leo, & ouis ſimul morabuntur, & Puer paruulus minabit eos. Et delectabitur infans ab vbere ſuper foramina aſpidis, & in cauernam reguli, qui ablactatus fuerit, manũ ſuam mittet.* Iſai. 11. Ad quem locum Lyranus. *Et Chriſtus, qui ſupra Cap. 9. vocatur paruulus, ducet eos ad voluntatem ſuam.* Qui videlicet tunc cum *paruulus natus eſt nobis, & filius datus*, imperium *ſuper humerum eius*, Tum vocatur *Conſiliarius*, vt ſubditos doceat; *Deus, & fortis*, vt defendat; *Pater*, vt paſcat; *Princeps pacis*, vt ad æternam felicitatem adducat. 52. *Potentiſſimo Regi nato cur ſubmitti.* Iſai. 11. Lytan.

## CAPVT II.

### *Chriſtus Rex natus ſubditorum mox onera portat.*

VIs dignoſcere inſuper, an *natus* ſit *Rex?* Tunc, cùm infantula membra faſcijs illigantur, potens eſt peccata non ſolùm Orientis, ſed mundi portare totius. Nonne hodie Mariana, cuius vberibus pendet agniculus? Proba igitur, verùm grauiſſimam valeat tuorum criminum ſarcinam ſuſtinere? Suſtinet: Rex natus procuIdubio eſt. 53.

Sic Præcurſor vociferatur. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hic eſt, de quo dixi vobis. Poſt me venit vir, qui ante me factus eſt.* Ioan. 1. Chryſ. *Cùm dixiſſet: Agnus, qui tollit peccata mundi, ſubdit: Quoniam ante me factus eſt, accipit peccata mundi.* Quoniam naſcitur *ante me*, ſiue *Rex* meus & omnium naſcitur; Agnus dum eſt paruulus peccatorum onera ſuſtinet. 54. *Ante omnes factus omnia debet peccata ſuſtinere.* Ioan. 1. Chryſol.

Hinc diſcant prælati, quàm muneri aſſonum, ab exordio imperij peccata, oneraque ſubditorum ſuſcipere. Ruben futurus *maior in imperio*. Gen. 49. Transfert Hier. *Maior ad portandum*: Quaſi ab a portatione gubernatio nullâ ratione diuidi poſſit. D. Bern. Epiſt. 42. *Meditantibus quidem honores blandiuntur; ſed onera pẽſantibus verendo ſunt, atque formidini. Non autem omnes capiunt verbum iſtud. Multi enim non tanta fiducia, & alacritate currerent ad honores, ſi eſſe ſentirent & onera, grauari profectò metuerent.* Honorem muneris, ais, ſuſcipiam, non pondus. Et poteſt honor à pondere ſeparari? Naſcitur poteſtatis honor? Mox equidem ponderis exoriatur grauitas neceſſum eſt. 55. *Maior in imperio maior ad portandũ.* Gen. 49. Bernard.

Obucite vobis Saulem à Samuele vnctum in Regem, quem huiuſmodi ſigno reddidit de cœleſti 56.

*Saul eligitur Rex ad ſubditorum flagitia ſuſtinendum.*

1.Reg.10.

cœleſti electione ſecurum. *Et hoc tibi ſignum, quod vnxit te Deus in Principem.* Inuenies duos viros, qui te de aſinarum inuentione faciant certiorem. Rurſus alij tres viri occurrent, quorum vnus tres hœdos portabit. Porro Saul requiſitus, vt Regni clauum ſuſciperet, *non eſt inuentus.* 1.Reg.10. Cur Saul ſe te in abſconditum recepit, Regiam aufugiens poteſtatem? Crediderim ideo receſſiſſe, quia in ſignum regiminis, & aſinæ inueniendæ, aſſetuandæque occurrunt, & hœdi obiiciũtur aſportandi. Quæritis me ad Regnum, & pondus mihi hœdorum, ſeu peccatorum ſuſcipiendum offertis? An ſimul & Regalis auctoritas, & onus peccatorum portandum exoriuntur? Fugiam igitur tam ponderoſum Principatum. Pulchrè confirmat Gregor.lib.4. *Abſcondunt quippe ſe, ne inueniantur, quia ſubire dignitatem refugiunt, cuius oneris ſe eſſe impares arbitrantur. Habet quippe ſpiritualis prælatio exteriorem gloriam dignitatis, habet & interiorem magnitudinem oneris. Nam Rector & honoratur à ſubditis, & portat eos, à quibus honoratur. Cum honoris ergo principio cauſa naſcitur oneris; quia vnde honor à Rectore excipitur, inde illud ſuſcipit, quo grauetur.* Illud pende: *Cum honoris principio cauſa naſcitur oneris.* Quia non poſt temporis interſtitium; ſed mox ab exortu regiminis pondere adnaſcitur obligatio. Quam equidem ſolus ille adimpleuit, qui Rex natus mox à natiuitate peccata tulit vniuerſi. Perpulchrè Menander.

Gregor.

*Natus imperio, paternitati exortus.*

57. *Natus ſimul Ieſus imperio, & paternitati.*

Vnde mox à Regni inſtitutione debet Princeps ſubditos brachiis geſtare paternis. De Ieſu nato & Regno, & paternitati Iſaias: *Paruulus natus eſt nobis, cuius principatus ſuper humerum eius.* Mox à natiuitate Rex portat peccatores. Quare? *Et vocabitur nomen eius Pater.* Naſcitur Regno, paternitati exoritur. In cuius typum Moyſes *Tulit Iſrael de mari rubro.* Exod.15. Expendit Rupertus, quam Regi adnatum *infantiles ſubditorum mores portare*, cum primum eleuantur ad Regnum. *Quod primum Moyſes in ſe ipſo expertus, dicit ad Dominum, Nunquid ego concepi multitudinem hanc, vel genui eam; vt dicas mihi, porta eos in ſinu tuo?*

Exod.15.

58. *Per ſingula momenta nobis noſtra portaturus onera naſcitur.*

Chriſtus ad Patrem, *Adueniat Regnum tuum, dimitte nobis debita noſtra.* Matth.6. Si Rex iam nobis natus eſt. Si Regnum appropinquauit, cur aduenire Regnum Dei quotidie poſtulamus? Tam eſſentialiter aſportatio morum ſubditi, & Rex natus connectuntur: vt quoties humeris Chriſti deuincendum apponimus peccatum, *Dimitte nobis Debita*: toties Dei Regnum neceſſario quodammodo naſcitur.

Matth.6.

59. *Quid mundialis Rex.*

O quàm Principes mundiales, qui nati Reges non ſunt, diſſimiles! Dominatu etenim gaudent, non vt protegant, non vt portent, ſed vt omnibus ſint nocumento. De his Tragic.

*Vrit miſerum gloria pectus.*
*Cupit hic gazis implere famem.*
*Perdatque aliquos, nullumque leuet,*
*Tantum vt noceat, cupit eſſe potens.*

SECTIO TERTIA.

# MAGORVM STELLA.

## TEXTVS.

*Verſ.* 1. Vidimus enim Stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.

## COMMENTARIVS LITERALIS.

### §. I.

### *Stellæ materia, locus, ſplendor, motor.*

1. *Aduentus Magorum ratio.*

VIDIMVS *enim ſtellam*]. Rationem Magi ſubiiciunt, vnde dignouerint veri Regis natalem. Sed priuſquam ad huiuſce ſententiæ enodationem accedamus, operæpretium duximus huius ſtellæ & naturam tibi obiicere, & proprietates, aliaque non vulgaria circa nouum ſydus recenſere.

2. *De nouo creata ſtella materia.*

Potuit quidem Deus vnam ex cœleſtibus fixis, vel errantibus ſtellis ad indicandum Chriſti mittere natalitium, ſed non fuit opus ratos eorum motus inuertere, & ad præſepium vſque cœleſte ſydus cœlo auulſum deiicere. Satis fuit Deo omnia ſuauiter ordinante nouam ſtellã ex aëre figurari Angeli miniſterio. Orig. *Stellam* (inquit) *nouam fuiſſe arbitramur, nec vlli ex notis iſtis ſimilẽ, quæ vel in firmamento ſunt, vel in orbibus inferioribus; ſed eius generis, quales cometæ viſuntur. Nouo* (inquit Aug.l.2.con.Fauſ.) *Virginis partu nouum ſydus apparuit.* Rationem innuit D.Damaſcenus. *Quod ea ſtella nunc ab ortu ad occaſum, nunc à ſeptentrione ad auſtrum progrediebatur: nunc deliteſcebat, nunc ſe ſe rurſum aperiebat; id quod à ſyderum ordine & natura diſcrepat.* Vberius D.Baſilius. Adiicio, quia nulla ſtella motu recto pergit, ſed motu recto, & lineali vtebatur ducatum Magis præſtans. Aliæ non niſi inter tenebras elucent: hæc etiam coram magno luminari mittebat fulgorem. Aliæ motum habent continuum, hæc euntes Magos,

Origen.

August.

*Ant. de Eſcob. & Mendoz.* de Sanct. Tom.1.

columnæ in morem igneæ, præcedebat, cum conſiſtentibus morabatur. Stet ergo denouo creatum ſydus ſeu ex aëre probabilius ab Angelo efformatum.

3. *De loco & ſplendore.* Ex materia colligo locum. In aëre enim, non in cœlo, propè terram veluti cometa conſpiciebatur. Motorem autem Angelum fuiſſe reor. Quemadmodum antiquam illam columnam Iſraelitici populi in deſerto ductricem Angelus monebat, & gubernabat. Quid dicam de huiuſce luminaris ſplendore? Num cætera ſydera ſuperabat? D. Leo. Ser. 1. Leo. *Tribus Magis ſtellæ nouæ claritatis apparuit, quæ illuſtrior cæteris, pulchriórque ſyderibus in ſe intentium oculos conuerteret.* Num ſolis vicit ſplendorem? D. Chryſoſt. Serm. 3. Chryſoſt. *Ipſos ſolis radios proprio quodam, præcipuóque fulgore ſuperabat.* Reddit rationem adiiciens: *In tanto radiorum ſolis lumine magis ipſa ſplendens.* Ex qua ſtellæ de ſole victoria Magos magis affectos fuiſſe ad huiuſce bonitatis inquiſitionem affirmat D. Ignatius Ignat. Epiſt. 14. ad Epheſ. dicens: *Cætera ſydera ſimul cum Sole & Luna coruſca facta ſunt illi ſtellæ, illa verò ſuperabat omnes ſplendore ſuo, & facta eſt perturbatio, vnde fuiſſet illa nouitas, quæ apparuerat?* An ideo exiſtimas ſolem magnitudine ſuperaſſe? Minimè quidem. Erat ſplendida ſtella, (me auctore) haud certè vincens ſolis radios, ſed coram ipſo fulgens, ſicuti primo crepuſculo rutilant planetæ, vel quemadmodum poſt ortum ſolis adhuc luna conſpicitur, multo ſanè minor duobus, maior reliquis ſpecie viſibili. Quare hyperbolicè locutum Chryſoſtomum apparet. Non longè à terra diſtabat, adeo ſolis radiis non obſcurabatur; ſicuti luce diei perfundente cubiculum, adhuc lampadis iubar effulget perſpicacius, quia tibi propinquior.

## §. II.

### *Non quod magis rutilat, magis fulgidum eſt.*

### Aduerſus Hypocriſim.

4. Chryſoſt. HAud itaque Chryſoſtomi ratio ſatis firma eſt: *Solem fulgore ſuperabat quia in tanto radiorum ſolis lumine magis ipſa reſplendeſcebat.* Non enim quod magis ſplendeſcit, magis lucidum eſt. An non folium vilis æris aurum vincit ſplendore? Quotiens ſub vilitatis atque abiectionis nube ſol latet ſanctitatis, theſaurus abſconditur perfectionis, dum aſpicientium oculos ementitus fulgor perſtringit.

5. *Aliquando res inaurata auro eſt rutilantior.* Pſal. 44. Id expreſſit Vates. *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato.* Inferius autem. *Omnis gloria Filiæ Regis ab intus in fimbriis aureis.* Pſ. 44. Vbi ex Doctorum placito vniuerſæ Eccleſiæ imago obiicitur. Hîc peccatores, hîc iuſti deſignantur. Peccatorum cœtus fidei ſplendore coruſcus, nondum nitens operum fulgore. Ideo ſubiungitur: *Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui: & concupiſcet Rex ſpeciem tuam.* Ergo nondum quæ retrò erant obliuiſcens digna effecta fuerat, quæ ab ſponſo diligeretur. Huiuſce expoſitionis auctor Niceph. Niceph. *Audi quæ dico; & vide omnia illa, quæ propter te paſſus eſt Sponſus, & quæcumque fecit admiranda; inclina aurem tuam præceptis illius, & obliuiſcere gentis tuæ, prauæ, nimirùm conuerſationis illius, & prioris viæ, ac templi diaboli patris tui.* Se ſe iam Dauid conuertit ad iuſtos & fide & operibus fulgidos. *Omnis gloria Filiæ Regis ab intus in fimbriis aureis.* Filia Dei non ſicut Diaboli filia, in filiam vtique Dei immutanda. Nam fidei ſimul opera adhibet. Sic Nicephor. Niceph. *Fimbrias aureas* (inquit) *mihi intelligas velim virtutes multas, ac ſpiritualium donorum varietatem, quorum pretium per aurum inſinuat.* Iam iuſtorum ac peccatorum indicaui differentiam. Peccatores nitent *in veſtitu deaurato*, non in auro; quia fides minimè operibus aſſociatur. At iuſti *in fimbriis aureis* ſplendeſcunt; quia fidem operibus complent. Enimverò quænam hîc maiori ſplendore coruſca, quæ ex auro ſolido, an quæ ex leui inauratione procedit? Profectò ſolidum aurum lucis fons, inaurata autem veſtimenta exiguo lumine donantur. Difficilis iam carminis facilis expoſitio redditur. Deaurata veſtimenta fulgorem ſuum proferunt, aureæ fimbriæ gloria & ſplendor *ab intus*, minimè manifeſtatur. Maior fulgor minùs aſpicitur; minor ſplendor magis aperitur. Quid cauſæ? Quia non ſemper id, quod magis ſplendeſcit, magis lucidum eſt.

6. *Lucifer apparenter lucet, vera Angelorum lux nube obtegitur.* Luciferum non ſemel conſideraui nomine fulgidum, opere tenebricoſum, de quo Bernard. *Bonum tibi, ſi magis eſſes ignifer, quàm Lucifer.* Ioannes Angelum vidit è cœlo lapſum peregrinantis habitu, nube amictum. *Et vidi alium Angelum fortem deſcendentem de cœlo, amictum nube, & facies eius erat vt Sol.* Apoc. 10. Apoc. 10. Quare nube obtegitur? Quia ſolis in morem fulgens, vult gloriam hominibus diſſimulari. Non enim peregrinantes Angelos cœleſtis decet pulchritudo. Locum Iob iam expendo. Iob. 10. *Lapidem caliginis, & vmbram mortis diuidit torrens à populo peregrinante.* Cap. 28. Lapidem caliginis Luciferum vocat, qui quidem licet nomine lapis fulgore nitens, inſtar pyropi; at operibus ipſa caligo eſt. Populus peregrinans Angelos deſignat, quorum fulgor hic nullatenus conſpicitur; quia peregrinorum more nobiſcum commorantur. Tobiam, & Abrahamum teſtor, Num vnus aut alter peregrinantes Cœlicolas fulgore ſplendeſcentes viderint? Torrens igitur diuinæ ſententiæ bonos Angelos à malis diuidit. Lyranus, Lyran. *Dæmonem cum Angelis ſuis diuidet torrens diuina ſententia à populo peregrinante, ab electis Angelis.* Iam datur electos Angelos à reprobis diſtinguere. Hi Luciferi, illi igniti; hi nomine coruſci, illi operibus nitentes; hi ementitâ luce foris ſplendeſcentes, illi verum nubibus operientes fulgorem.

7. *Ignis fons luminis non aſpicitur.* Nyſſen. Non igitur quod magis ſplendeſcit, magis lucidum eſt. Dixit olim Deus, *Fiat lux,* Geneſ. 1. Vbi Nyſſen. affirmat ignem, qui latebat in terrâ Dei potentiâ exiliiſſe, & in ſupremam mundi oram ſubuolaſſe, indéque mundo claritatem, lucémque impertiuiſſe. At lux primo die facta permanſit poſtea, & permanet etiam tunc; non autem nunc luce ignis huiuſce mundus illuminatur. Quia cum elementum ignis totam terram, atque aërem circundet, vndique totum orbem ſemper illuminaret, nec vnquam ſineret vllo tempore eſſe tenebras, nullaque eſſet diei, & no-

ctis

ctis viciſſitudo. Ignis igitur (ſi Nyſſeni ſententiæ aſſenſus præbeatur) omnium luminariū parens; ergo omnium fulgentiſſimum. At non tenebras ablegat, non æternum efficit diem; quia fulgorem infrænat? Solne, ſeu ſtellæ magis fulgidæ, quia ſplendeſcunt? Minimè. Nec enim quod magis ſplendeſcit, maiori luce donatur.

Bonauent.

Confirmat id D. Bonauentura docens, locem quæ inhæret in corpore lucente, formam eſſe eius ſubſtantialem, fulgorem autem, & lumen quod inde dimanat, & diffunditur ad alia corpora, eſſe accidens. Quàm accidentarium, quod exterius rutilat, ſi cum eo, quod intus lucet, componatur!

8\. *Peccatores petra attrita. ſcintillas emittens, iuſtus ſilex. ſplendore cuſtodiens.* Ezech. 3. Nyſſen.

*Domus* (inquit Deus) *Iſraël attrita fronte eſt, & duro corde.* Pagnin. ex Hebr. *Dura fronte.* Dura ſiue lapidea frons attrita ſcintillas emittit. Pergit, *Vt ſilicem dedi faciem tuam, ne timeas eos, nec metuas à facie eorum.* Ezech. 3. Quomodo à facie eorum non timebo, ſi perpetuò attrita frons lapidea ſcintillas profert, fulgorem emittit oculos perſtringentem? Illi petra attrita? Tu ſilex ſuo tempore atterenda. Quid ſilex? Nyſſenus: *Silices in tenebris obſcuræ iacent, licet vim lucidam, atque illuſtrantem naturaliter in ſe contineant: quippe quæ pariant ignem, ſi inter ſe collidantur.* Peccatores itaque petra attrita vnam vel aliam ſcintillam immittens. Iuſti ſilices fontem luminis fouentes, quia omnino ignei, penitus lucidi ſunt, licet exterius minimè manifeſtent. En minor ſplendor magis rutilans, lux maior nullatenus oculis præſtans obiectum.

## §. III.

*Num Spiritus ſanctus vel Angelus Stellæ ſpecie Magis apparuerit?*

9\. *Non ſpiritus ſanctus.* Auctor de mirab.

RVrſum requiro. Num ſtella illa Spiritus ſanctus? Auctor de mirab. Sacræ ſcriptur. tom. 3. Aug. l. 3. cap. 40. id videtur affirmare. *Sicut in igne Spiritus ſanctus ſuper Apoſtolos deſcendit: ſicut ſpecie columbæ deſcendit ſuper Dominum in Iordane, ſic gentes ſtellæ ſpecie duxit ad cunabula Domini.* Ego equidem Spiritum ſanctum ſtellæ ſpecie Magis apparuiſſe inficior. Nulla ratio hoc ſuadet, tanti Principis diſſuadet maieſtas. Effulſit tamen eorum cordibus, vti ſe ſe difficili committerent viæ, ſuaſque Prouincias dimittentes, arduæ prouinciæ ſuſcipiendæ darent operam.

10\. *Non Angelus.* Auctor de mirab. Theophyl.

Angelúſne ſub ſtellæ ductricis ſpecie apparuit? Doctor citatus ſic reſpondet: *Quid repugnat, ſi hoc loco ſtella Angelus dictus eſſe ſentiatur? Iſta Angelus dux Magorum efficitur, qui Aſtrologis in ſtellæ ſimilitudinem transformatur.* Theophylactus: *Ne talem putes ſtellam quales videmus: ſed diuinam virtutem, & Angelicam in figura Syderis apparentem.* Reddit rationem: *Quod autem Angelica virtus fuerit ſtella, manifeſtum eſt, ex eo quod & in die refulſerit, & ad motum Magorum ſe mouerit, & ad quietem eorum quieuerit.* Ego equidem, qui Angelum ſtellæ fuiſſe motorem dixi, in ipſam ſtellam transformatum minimè ſentio. Nam licet non diſſuadeat Angeli maieſtas Spiritus ſcilicet adminiſtratorij, nullatenus ratio id ſuadet.

11\. Habuitne ſtella Pueri crucem geſtantis ſimilitudinem? Hoc indicat Imperfectus, ſed non admitto. De Virginis Deiparæ effigie ſub ſtellæ ambitu incluſa infra propius inſonat Panegyricus.

*Stella imagines.* Imperfect.

## §. IV.

*Ex eo, quod Stella Magorum voluntati ſeruiebat, benè arguitur Angelum fuiſſe.*

### Vbi de Angelo Cuſtode ſe ſe hominum rectæ voluntati accommodante.

THeophylacti in præſenti rationem redditam, cur Angelus ſit quæ apparebat Stella, & enodabo, & illuſtrabo. *Quod* (inquit) *Angelica virtus fuerit Stella manifeſtum eſt ex eo, quod ad motum Magorum ſe mouerit, & ad quietem eorum quieuerit.* Sidus Magorum rectæ voluntati ſeruiebat? Angelus Stella proculdubio eſt. Angelis enim nobis præſidibus, & ſuperioribus quaſi innatum noſtræ bonæ voluntati ſeſe accommodare, nobis præſtare obſequium. 12. Theod.

*Nec abſurdum eſt* (loquor cum Valeriano lib. 44.) *Angelos per Stellas intelligi, qui Stellarum præſides habentur. In Moſeos etiam traditionibus, vt ſummi viri locum interpretantur, per Stellas Angeli ſignificabantur.* Quod ſi de noſtra Magorum Stella ſermo texatur, Angeli refert conditiones. Apparuit Stella? Quid Angelis magis aſſonum, quàm viris, ac fœminis apparere? Teſtor Agar Saræ ancillam, Gen. 16. Abraham, Gen. 18 Loth, Gen. 19. Iacobum, Gen. 28, Balaam, Iſraëlitas, parentem Sanſonis vtrumque, Gedeonem, Dauidem, Tobiam, Danielem, Iſaiam, Machabæos, Deiparam, Ioſephum, Zachariam. Magos Stella ad gloriam Deo impertiendam inuitauit? Angeli homines & ad dandam Deo gloriam inuitant, Pſal. 9. & Deo gloriam impendunt. Iſaias 6. Stella pro lingua radiis vtebatur ad Gentilium doctrinam? Angelis à Paulo linguæ tribuuntur. 1. Cor. 13. Reges Stella adduxit ad præſepium? Angelus paſtorum ad Ieſu cunabula ductor. Luc. 2. Quid plura? Quotiens videris aliquod ſpirituale lumen Stellæ Magorum in morem humanis obſequiis mancipari, ſeu peccatores à tenebris vitiorum reuocando, ſeu ad ſalutarem viam dirigendo, ſeu errorem infrænando, ſeu cœleſtia renunciando myſteria: Angelus proculdubio eſt. Ad hæc appoſitè D. Greg. Hom 6. in Euangelia: *Vnuſquiſque, ſi à prauitate proximum reuocet, ſi exhortari ad bene operandum curat, ſi æternum Regnum erranti denunciat, cùm verba ſancta annunciationis impendit, profectò Angelus exiſtit.* Profectò Stella tibi eſt, quæ Magos à gentilica reuocauit prauitate, æternum Regnum denunciauit errantibus. 13.

*Angelus & ſtella componuntur.*

Pieri. Gen. 16. 18. 19. 28. Iſa. 6. 1. Cor. 13. 13. Luc. 2. Gregor.

Quid ſi Angeli, Archangeli, Seraphim ipſo nomine ex reſpectu ad hominum obſequia inſigniantur? Idem Gregor. citat. *Qui parua capiunt, ſed hæc eadem annunciare hominibus non deſiſtunt, iſti in Angelorum numerum currunt. Qui ſecretorum cœleſtium ſumma capere præualent, & nuntiare, iſti in Archangelorum numerum deputantur. Qui amando ardent, & loquendo alios accendunt, iſti Seraphim dicuntur.* Ac ſi 14.

*Ex beneficio hominis illato Angeli nomina accipiunt.* Greg.

nomine Angelorum, Archangelorum, & Seraphinorum homines donentur non tam quia bona participant, aut arcana ſumma capiunt, aut ardent amore; quam quia & annunciant hominibus, & eos curant inflammare.

16. *Angeli inſtar verbi Dei omnibus omnia.* Geneſ. 1. Rupert.

*Factum eſt veſpere & mane dies vnus.* Gen. 1. Vbi Rupert. apud Lipom. diem primum exponit Verbum Dei, & naturam Angelicam. Obiicit autem huic interpretationi. *Verbum eſt dies primus. Si Verbum eſt primus dies, ergo hic idem dies, id eſt natura Angelica erit ſecundus.* Reſpondet nequaquam Angelos die ſecundo deſignari: ſed primo, quo etiam Verbum Dei exprimetur. Quia Angeli & Verbum Dei penes noſtram vtilitatem verſantur. Angeli igitur Dei Verbum æmulantur; quia verbum Dei idem, quod Manna omnis partes dulcedinis, & ſuauitatis, iuxta hominum bonam voluntatem, cui quidem Angeli ſubiiciuntur.

17. *In morem Manna hominum bona voluntati deſeruiunt.* Pſal. 77. Sap. 16.

Confirmo excogitationem meam pulchro Dauidis teſtimonio. *Panem Angelorum manducauit homo* Pſal. 77. Cur Manna panis Angelorum appellatur? Num quia illorum operâ confectum, ac demiſſum? Sic Lyranus. Num quia de cœlo, Angelorum patria, deſcendere videbatur? Num quia vires integras, ac ſanitatem conſeruabat, qua in re ſimiles Hebræi Angelis videbantur? Num quia ſine hominum labore, quomodo Angeli non laborant circa ſpiritualem ſuum cibum illum, de quo Raphael Tob. 12? Num quia tam delicatus cibus, vt ſi veſci Angelis liceret, non alio veſcerentur? Ita Doctores. Addo conuenientius ad argumentum, ideo vocari Manna panem Angelorum, quia ſicut Manna hominum voluntati ſeruiebat, haud aliter Angeli iuſtorum parent voluntati. Vnde Sapiens: *Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum, & paratum panem de cœlo præſtitiſti illis ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuauitatem, & deſeruiens vniuſcuiuſque voluntati.* Quia ſcilicet Manna Angelorum miniſtrantium, ac ſeruientium bonæ hominum voluntati naturam referebat, Angelorum panis appellatur.

## §. V.

### *Stellæ apparitio.*

18. *Num ipſa nocte natalis.* Chryſoſt.

*Vidimus Stellam.*] Num ipſa Dominici ortus nocte, an multo antè, vt longum iter poſtulabat? Multò antè apparuiſſe Chryſoſt. hom. 7. ſentit. *Quia Magi plurimum erant itineris longinquitate remorandi, vt poſſent mox nato puero aſſiſtere ante multum tempus Stella ſe demonſtrat.* Si enim quando Puer natus eſt in Palæſtina, tunc eis Stella apparuiſſet in Perſide, plurimum in itinere tempus inſumentes, nequaquam Ieſum in pannis potuiſſent inuenire. Biennio autem antè natiuitatē apparuiſſe affirmat Niceph. *Stella duos ante annos, quam Chriſtus natus eſſet, exorta apparuit.* Item. *Duobus ante natiuitatem annis ſe in viam Magi dedêre, & in Bethleem venêre, cum adhuc in præſepi iaceret Chriſtus.* Eadem Auguſt.

Niceph. l. 1. c. 13.

19. *Nego ſtellam ante biennium apparuiſſe.*

Attamen qui affirmaui Magos ex propinquis profectos, ſemper credidi Stellam ipſa Chriſti orti nocte à Magis conſpectam. Erat enim ſignum non naſcituri, ſed iam Regis nati. Vnde quærunt, *Vbi eſt, qui natus eſt Rex?* Reddentes autem huiuſce diſquiſitionis rationem, adiiciunt. *Vidimus* enim *Stellam eius*, id eſt Stellam, quæ eius indicat natiuitatem; ideo iam natum requirimus. D. Anſelmus, *A die natiuitatis creditur Stella tantum apparuiſſe.* Quem omnes ferè ſequuntur recentiores. Obiicitur ab Auguſtino Serm. 7. Epiph. Matthæi locus. *In cœlo vidêre Magi ignotiſſimam Stellam ante fermè biennium, ſicut Herodi patefecerunt; vnde à bimatu & infra occidit infantes ſecundum tempus, quod exquiſierat à Magis.* Reſpondeo cum Chryſoſtomo Hom. 7. Herodem *pro abundantia cautionis* ætatis infantilis tempus protuliſſe.

Anſelm.

Auguſt. Chryſoſt.

20. *An in Oriente apparuit vel ex Oriente viſa ſicut Haym.*

*In Oriente.*] Duplicem ſenſum ſententia admittit. Primus eſt: Nos in Oriente conſtituti, vidimus ex ipſo Oriente Stellam ſuprà Iudæam exortam? Alter: *Vidimus Stellam* ortam in ipſo Oriente, id eſt ſupra Patriam noſtram Orientalem. Affirmat Procopius ſupra Iudæam Stellam à Magis conſpectam. Eiuſdem ſententiæ Haymo fatus: *Vidimus Stellam eius in Oriente, hoc eſt, nos in Oriente poſiti, vidimus Stellam in Occidente contra Ieroſolymam.*

21. *Auctoris expoſitio.*

Vero ſimilius tamen eſt Stellam in ipſa Magorum Regione fuiſſe conſpectam. *Vidimus Stellam eius in Oriente*, fulgentem videlicet. Si enim ſuprà Iudæam vidiſſent Stellam, dixiſſent potiùs Iudæis: *Vidimus Stellam eius* ſupra Iudæam exortam. Præterea illo nitor præcipuè teſtimonio, *Ecce Stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos.* Potius hic, me iudice, dixiſſet, Quam viderant ex Oriente, cum iam eſſent in Iudæa conſtituti; ſi ſuprà Iudæam conſpecta Stella fuiſſet.

## §. VI.

### *Num Stella tota in itinere conſpecta? Illius occubitus.*

22. *Negant.*

*Et venimus.*] Num Stellâ præeunte? Negat præiuiſſe toto itinere Haymo, quoniam ſuprà Iudæam, non in Oriente apparuiſſe arbitratur. Hunc ſequuntur Iſidorus Clarius, Caietanus, & Ianſenius. Probatur primò: *Vidimus* (inquiunt Magi) *Stellam eius in Oriente.* Si Stella præiuiſſet, dixiſſent potiùs. *Dux nobis itineris fuit Stella eius*, quam equidem poſt toto itinere non viderunt. Secundò, Si columnam Deus Iſraëlitis viæ ductricem conceſſit, neceſſaria prorſus fuit iis, qui ignoto tramite gradiebantur. Via autem in Iudæam ſatis his nota erat ac trita, qui acceperant à Balaam Chriſtum in Iudæa naſciturum. Tertiò Matthæus, *Stella, quam viderant in Oriente*, videlicet in Oriente ſolum.

23. *Affirmant.* Chryſoſt.

Affirmat autem D. Chryſoſtom. fatus: *Vſque ad Palæſtinam venientibus Magis, quaſi dux itineris ſemper apparuit Stella. Cum verò Ieroſolymam introiſſent, ſe ſe rurſus abſcondit; deinde, iterum Herode relicto, ſe illis monſtrauit. Cum eos oporteret pergere, etiam ipſa pergebat; cùm verò ſtandum eſſet, ſtabat, ſicut illa in eremo columna nubis.* Idem ſentiunt D. Chryſol. Leo, Euthym. Theophyl. D. Thom. Simon de Caſſ. Lyran. Abulenſ. Hæc ſunt huiuſce ſententiæ fundamenta. Stella Magos ab Ieroſolyma Bethleem

vſque

vſque præceſſit, vti aſſerit Euangeliſta. Veriſimilius ergo ab Oriente vſque Ieroſolymam præceſſit, ibique per aliquod temporis interſtitium diſparuit, vt in metropoli Iudææ Chriſti exortus à Magis nunciaretur. Deinde, Stella, poſtquam videlicet dignè natiuitatis Dominicæ, Ieſu nempe in præſepio conſtituti myſteria contemplaretur, & penetraret. Nonne Maria & Ioſeph mirantes erant ſuper Pueruli Stella, poſtquam à Magis eſt in Oriente conſpecta, vel eſſe deſiit, vel in aëre permanſit. Non deſiit; nam alioquin duæ Stellæ Magis apparuiſſent, altera quidem in Oriente, quæ euanuerit: altera, quæ poſtea facta illos duxerit ad præſepium. Permanſit ergo Aſtrum in eo hemiſphærio, in quo Magi commorabantur, atque adeò ab eis ſemper viſum, & vſque in Iudæam progreſſum credibile eſt.

24. *Auctoris iudicium.* Propenſior ſum in ſententiam priorem, licet alteram probabilem putem, cuius duplici fundamento facilè reſpondeo. Vni. Non vtroque præiuit itinere, quoniam iter ab Oriente in Iudæam notum erat Magis; iter verò in præſepe Chriſti & Magis, & omnibus Iudæis ignotum. Vnde opus Stella fuit, quæ iter, præſepéque ipſum demonſtraret. Alteri. Haud ſydus diſparuit, poſtquam in Oriente eſt conſpectum; ſed vaporibus, ſeu nubibus fuit obtectum, quouſque iterum poſt receſſum ab Herode Regibus apparuit.

25. *An in puteo nunc Stella conſpiciatur à virginibus? Abul.* Circa occubitum denique Stellæ nouiſſimum Haymo: *Stella poſtquam Magos ad Dominum duxit, deſiit videri ab hominibus; Gregorius Turonenſis dicit, quod occiderit in quendam puteum Bethlehem; vbi poteſt modo videri ab eis, qui virgines ſunt in fundo putei illius. Fuerunt illuc tres homines vnus virgo, duo non virgines. Qui virgo erat, vidit Stellam, reliqui non viderunt.* Friuolum prorſus & ſine fundamento. Cum Abulenſi quæſt. 16. igitur ſentio Stellam ſuo officio peracto, in præiacentem materiam rediiſſe.

## §. VII.

### *Stella Magorum nunc ſpiritualiter videtur ab iis, qui virginitatem colunt.*

### Vbi de cœleſti virginitate.

26. Haym. ENimuerò ſi non placeat Haymonis hiſtoria de Stella in puteo commorante, arridet doctrina. Expendo illam clauſulam: *Qui Virgo erat, vidit Stellam.* Lux enim natiuitatis Chriſti, iis innoceſcit, qui colunt puritatem.

27. *Abraham pater Stellam non vidit, virgo intuitus eſt.* Deus olim Abræ: *Suſpice cœlum, & numera Stellas, ſi potes. Et dixit ei. Sic erit ſemen tuum.* Gen. 15. Quidnam in Stellis deſignatur? Anſelm. *Populus Chriſtianus*, Lyran. *Beati*. Alij conuenientius, *Chriſtus.* Ac ſi diceret, Reſpice, ſi potes, Dominicæ natiuitatis lumen. Sic enim erit ſemen tuum. Sic Chriſtus ex te in morem Stellæ fulgentiſſimæ exorietur. Cur adiicitur: *Si potes?* Myſticè expono. Num poterat Abram *pater* Stellæ fulgorem aſpicere, quem ſolus virgo poteſt penetrare? Ideo rurſum poſtquam filium Deo obtulit in holocauſtum affectu equidem quemcumque vincenti affectum, ſic Deus: *Quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut Stellas cœli.* Gen. 22. Iam datur Abrahæ poſſe Stellas numerare, hoc eſt, Dominicæ ex ſe natiuitatis intueri myſterium qui myſticam exhibet virginitatem, ſicuti exponit D. Hieronymus de vet. circun. fatus. *Humani contemptor ſeminis, pater vocatur Aſtrorum* En Stellæ ſeu fulgoris natiuitatis Chriſti particeps fit virginitatis cultor, ſecus parens vnigeniti. Gen. 22. Hieron.

28. De myſticis Eunuchis ſic Dominus. *Sunt Eunuchi, qui ſe ipſos caſtrauerunt propter Regnum cœlorum.* Matth. 19. Super quem locum Auguſtin. de virgin. cap. 2. *Qui ſeipſos non in corpore, ſed in ipſa concupiſcentia radice caſtrantes;* (nempe virgines) *cœleſtem vitam in terrena mortalitate meditantur.* Vitam hîc cœleſtem æternam, & temporariam Chriſti natiuitatem Stellam vtique fulgentiſſimam interpretor. Egregiè Hieronymus: *Talem fuiſſe eunuchum, quem Ieſus amauit plurimum Euangeliſtam Ioannem Eccleſiaſtica tradunt hiſtoria, qui in ſecreta ſe natiuitatis immergens, auſus eſt dicere, quod cuncta ſæcula neſciebant: In principio erat Verbum: & Verbū caro factum eſt.* Neque enim tam fulgentis Stellæ fulgorem fortè non virgo aſſequeretur. *Virgines Deū terrenâ in mortalitate conſpiciunt.* Matth. 19. Hieron.

29. Ad illud: *Miſſus eſt Angelus Gabriel ad Virginem deſponſatam viro.* Lucæ. 1. Doctores Ioſephi hîc virginitatis virile propoſitum innui affirmant. Quæris, cur Ioſephus fuerit virginitatis cultor? Mitto plures cauſas. Illam vnā amplector: vt exorientis cunabula penetraret. Confirmo excogitationē hāc D. Petr. Damia. Opuſ. 17. ſententia: *Numquid ignoras* (ait) *Dei Filium adeò carnis elegiſſe munditiam, vt nequidem de pudicitia coniugali, ſed de clauſula potius incarnatus ſit virginali. Et ne hoc ſufficere videatur, vt tantummodo virgo ſit Mater: Eccleſiæ fides eſt, vt virgo fuerit & is, qui ſimulatus eſt Pater. Redemptor igitur noſter tantoperè dilexit floridi pudoris integritatem, vt non modo de virgineo vtero naſceretur; ſed etiam à virgineo nutritio tractaretur, & hoc cùm adhuc paruulus vagiret in cunis.* Noluit etenim Deus natiuitatis myſterium euolui, & tractari niſi à virginibus, quibus tantus fulgor Solis manifeſtatur. Conſpiciens Iſocrates Sophoclem ſequi puellam formâ illius captum: *Oportet ſanè ô Sophocles, hominem non manus tantùm apud ſe continere, verùm & oculos, qui Aſtrorum fulgore delectandi ſunt.* Quaſi non valeant oculi poſt cæcum è libidine aſpectum, fulgentium luminarium (quid cœleſtium myſteriorum?) oblectatione frui. Solis ac Lunæ fulgore Ieſu natalitium figurari rubi ex myſterio Bernard. affirmat. Id quod poſtmodùm Ioſue manifeſtatur. Profectò calceamentum ſoluere Moyſes iubetur *Solue calceamentum de pedibus tuis.* Exod. 3. *Iure vincula nuptiarum*, auctore Origen. Nec enim Dominici natalis fulgor non virginibus coniugatis, (quid laſciuis?) oſtentatur. Ideò non ille tot miraculorum excitator, ſed Ioſue Solem ac Lunam iuſſit commorari, *Sol contra Gabaon ne mouearis.* Ioſ. 10. quia doctore Hieronymo 1. cont. Iouin. Moyſes fuit nuptiis illigatus. Ioſue virginitatis typus. Stantis enim tanti fulgoris ac apud nos commorantis gloriam ſola puritas contemplatur. *Ioſeph virgo vt natiuitatis Ieſu myſteria penetraret.* Luc. 1. Pet. Dam. Exod. 3. Ioſ. 10.

§. VIII.

# IN IESVM A MAGIS ADORATVM. Panegyricus tertius Moralis circa Literam.

## *OBSERVATIO I.*

Ad illa verba:

*Vidimus Stellam.*

Per Stellam Magi docentur, vt ex eorum mundiali exercitio ſalutarem cœleſtis Magiſter eliceret doctrinam.

*Vbi edoceris, ex mundiali ſermone ſalutaria ipſi ſæculari loquenti elicienda à te documenta.*

36. Greg. DVPLICEM attexam rationem, cur per Stellam Magi Ieſu natalitium edocerentur: Vna eſt D. Greg. ſantis: *Vt qui in Stellarum obſeruatione verſabantur, ex Stellis Chriſtum cognoſcerent.* Sequentes Stellarum ducatum ab itinere cœleſti longè aberant? Terminus igitur illius viæ factus eſt veri itineris inchoatio. Ediſcant hinc qui ſaluti proximorum incumbunt, nō eſſe vulgaris prudentiæ ex ipſo mundiali ſermone (quo fabrilia fabri) ſalutaria elicere documenta. Id quod D. Ignatius meus optimus parens prudentiſſimè præſtabat. Nobilitatis quis tibi obiicit, non ſine vanitatis ſcrupulo, ſtemmata? Tunc ſpiritualis vir, Proh (clamet) diuitum, & pauperum; & nobilium & ignobilium commune ſepulcrum! Meminit ille voluptatis, quam vix magnis exantlatis laboribus, eſt aſſecutus? Proh (pergat hic) difficilis perditionis via!

37. *Id Abrahæ oſtenſum.* Gen. 15. D. Thom. Deus ad Abraham, *Suſpice cœlum, & numera Stellas, ſi potes. Et dixit ei: ſic erit ſemen tuum.* Geneſ. 15. Chriſtus videlicet primogenitus in multis fratribus. Quærit D. Thom. Cur Magis Ieſus Stellæ indicio præſentatur? & reſpondet: *Voluit oſtendi indicio Stellæ, quia congruebat iis, quibus demonſtrabatur, ſcilicet gentilibus, quorum vocatio promiſſa fuit Abrahæ in ſimilitudinem Stellarum.* Quia igitur Magi Stellarum errantium morem ſequebantur, Stella fuit veritatis adminiſtra proferendæ.

38. *Praua Stellarum via Magorum hodie venit ad rectitudinem.* Luc. 3. Gregor. Praua itaque Stellarum, quibus Magi præſtabant obſequium, via venit ad rectitudinem. Præcurſor inclamabat; *Parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius. Erunt praua in directa & aſpera in vias planas. & videbit omnis caro ſalutare Dei.* Luc. 3. Vbi Gregorius: *Praua ſiūt directa, cùm deorta corda ad iuſtitiæ regulam diriguntur.* Deorti planè gentiles Stellas ſequentes: Stella fecit deuiate: Stella eos duxit ad viā *Ego* (ait Ieſus) *ſum via. Et videbit omnis caro* (Interl. *Iudæus, & Gentilis*) *ſalutare Dei.* Rectæ itaque ſemitæ ſunt, dum ex errore ſalutare elicio documentum, ad ſecularium doctrinam; dum ex vanitate (verbi gratia) illos excito ad virtutis ſtudium; ex profano amore ad diuini affectus moueo voluptatem; & dum, (vt vulgariter ex doctrina D. Ignatij mei Parentis explicem) *Entrò con la ſuya, para ſalir con la de Dios.*

39. *Ex altari Idololatriæ ſtella ad præſepium defertur.* Exod. 27. Beda. Ex cœleſti præſcriptione parantur *forcipes, & ignium receptacula.* Exod. 27. Beda & forcipibus & ignium receptaculis prædicatores deſignari affirmat. Quid cum receptaculis ignium prædicatori? *Ad hoc* (inquit ille) *facta ſunt ignis receptacula, vt per hæc ignis ad altare thymiamatis deferretur. Quæ & ipſa figuram tenent doctorum, qui ignem de altari ad altare deferunt.* Cor tuum efficitur Veneris altare, vbi exitialis ignis accenditur? Transferat conſiliarius, ſeu doctor, ignem ab altari in altare, dum affectus igne ſacri altaris accenditur, veras iam voluptates amat, qui falſa dilexerat illectamenta. Sic cæleſtis Parens ex altari idololatriæ ſtellam detulit ad præſepium, altare ſcilicet abſconditæ in carne Deitatis.

40. *Non Deus ſic idololatriæ fulcrum apponit, ſed fidei ſuſtentaculum.* Num Deus fulcrum idololatriæ apponit, dum Planetarum adoratoribus Signorumque cultoribus Stellam offert ductricem itineris; noui Regni indicem, cœleſtis doctrinæ magiſtram. Profectò panum propoſitionis menſa quaſi cœlum referebat duodecim ſignis ſiue ſtellis ornatum, auctore Ioſepho. Nonne Gentilitas filiorum pane reficienda ibi exprimebatur? Attende: *Parabis* (inquit Deus) *phialas, & cyathos, in quibus offerenda ſunt libamina ex auro, & pones ſuper menſam panes propoſitionis,* Exod. 25. Ad hunc locum D. Greg. *Quid per phialas & cyathos niſi menſura prædicationis accipitur, vt ſingulis iuxta capacitatem ingenij conferatur.* Gentilibus igitur in menſa propoſitio-

ris

Exod. 25. Greg.

nis deſignatis pane vtrique filiorum reficiendis iuxta eorum ingenium ſalutaris doctrina offertur. Porrò cyathus ab Hebræo נקה *Nacah*; à quo plurale מנקיות *menakkijjoth* idem eſt quod *fulcra*. Oleaſter: *Quidam cyathos furculas eſſe dixerunt, quæ ſtabant in terra, & ſupra menſam eleuabantur, ad ſuſtentandum calamos, ne pondere panum frangerentur.* Cyathus itaque ſiue furcula orbem ſignorum ſeu ſtellarum fulcit, ne cadat. Quonam modo ergo poteſt menſuram prædicationis, ac doctrinæ ſalutaris exprimere? Profectò non fulcrum adhibetur idololatriæ, vt perſiſtat; ſed vt panis fidei ab huiuſmodi menſa minimè excidat. Iuxta gentilium ingenium Stella menſæ furcula adhibetur, non vt ſtellis ſed vt panibus fulcrum adiiciat. Quia licet primo aſpectu furculas adiicere videatur ſæculari ſtudio, iuxtà proximorum ingenium prudentiſſimè adhibet fidei ac virtutis ſtabilimentum.

# OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

## *Vidimus ſtellam eius.*

## Magi docentur per Stellam, vt veritatis doctrina audientium capacitati accommodaretur.

*Prudentis enim, ſubtilis, ac critici concionatoris prædicatio captum ſequitur auditoris.*

41. Haym.

RATIO altera ab Haymone traditur requirente: *Quare paſtores Angelus ad cunabula Chriſti perduxit, & Magos non Angelus, ſed Stella? Huic* (inquit) *quæſtioni reſpondendum eſt, quia Iudæi rationabiles erant, & ratione vti nouerant, & ideo paſtoribus tanquam fidelibus Angelus apparuit; Gentiles verò, quia irrationabiles erant, & ratione vti neſciebant, ideo non per Angelum, ſed per Stellam ad adorandum Dominum perducti ſunt.* Veritatis etenim doctrina debet audientium captui accommodari. Quid Angelo cum gentilibus idololatriæ tenebris obcæcatis? Quid Stellæ cum Iudæis Dei veri cultoribus? Ruſticitate igitur laborantes ſinceræ doctrinæ ſerie informare cura, altiora doctis arcana reſeruans.

42. *Subtilitas hinc concionatoris oſtentatur.* Exod. 25. Gregor.

Expendo rurſum proximum Exodi teſtimonium: *Parabis phialas, & cyathos quibus offerenda ſunt libamina.* Cap. 25. Phiala ore patulo, cyathus ore eſt anguſtiore. D. Greg. *Debet ſubtiliter qui docet proſpicere, ne plus ſtudeat, quam ab auditore capitur, prædicare. In phialis larga prædicatio, in cyathis minima, & tenuis ſignificatur. Alius enim doctrina veritatis plenus auditores inebriat, & quaſi phialam porrigit; alius explere, quod ſentit, non valet, ſed etiam quia vtcumque denunciat, per cyathum guſtum præbet.* Illa initio huiuſce teſtimonij appoſitè particula appoſita non cadat ſine pondere: Debet *ſubtiliter*, qui docet proſpicere. Propriæ enim ſubtilitatis exhibet documentum ille, qui noſcit quandonam vti ſubtilitate oporteat; quandonam ſit à ſubtilitatibus abſtinendum. Non ſemper ſubtilis, qui ſubtilitates profert auditoribus; ſed qui iuxta illorum capacitatem doctrinam menſurat.

Vnde Dominus: *Quis putas eſt fidelis ſeruus, & prudens, vt det illis in tempore tritici menſuram.* Lucæ 7. Tota prudentia hîc haud ſtatuitur in frumenti ſeu doctrinæ exhibitione: ſed in menſuratione; vti iuxta auditorum capacitatem impendatur. Gregorius Paſt. p. 3. cap. 5. *Per menſuram* (ait) *tritici exprimitur modus verbi: ne cum anguſto cordi incapabile aliquid tribuitur, extrà funditur.* Modum huiuſmodi edocet prudentia, verbi præconi maximè ſicut fidelitas neceſſaria, ideo ipſi fidelitati prudentiam copulauit. *Fidelis ſeruus, & prudens.* 43. *Prudens miniſter qui triticum doctrinæ menſurabile præſtat.* Luc. 7. Gregor.

Apptimè Iob dicitur: *Quis dedit gallo intelligentiam?* Cap. 38. Aptiùs diceret. *Quis dedit gallo inſtinctum?* Certè id, quod in præſenti laudatur in gallo, potiùs videtur ad rationabilis prudentiam, quam ad irrationabilis inſtinctum pertinere. In cuius expoſitionem præmitto D. Gregorij ſententiam: *Gallus profundioribus horis noctis altos edere cantus ſolet; cùm verò matutinum iam tempus in proximo eſt, minutas ac tenues voces format.* Ac ſi diceret: In tenebrarum conſpectu rudi Minerua cantat, coram luce ſubtili vtitur modulo. *Qui rectè* (transfert ad prædicatorem Pater) *prædicat obſcuris adhuc cordibus aperta clamat, nihil de myſteriis occultis indicat; vt tunc ſubtiliora quæque de cœleſtibus audiant, cùm luci veritatis appropinquant.* En galli intelligentia cognoſcere, quibuſnam myſteriis capaces ſint auditores, quænam ſint ſilentio prætereunda. 44. *Galli concionatoris intelligentia, altos aut ſubtiles canens opportunè cantare.* Iob. 38. Gregor.

Nonne ſapientiſſimus Moyſes dum legiſlatoris munus obit, ſubtilia arcana populo abſcondit incapaci! *Impletis ſermonibus, poſuit velamen ſuper faciem ſuam.* Exod. 34. Non omnes tanti ſunt capaces fulgoris. Vnde Gregor. adhuc, *Moyſes* (inquit) *à ſecreto Dei exiens, coruſcantem coram populo faciem velat; quia nimirum turbis claritatis internæ arcana non indicat.* 45. *Sapienter Moſes rudi populo abſcondit arcana.*

Hinc cognoſco, cur Plinius ſeminatoris, ſeu agricolæ artem & peritiam extulit. Quid bono agricola ſapientius? *Exiit* (inquit Ieſus) *qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum.* Luc. 8. Vbi Theoph. reduplicationem adnotat: *Exiit qui ſeminat, ſeminare.* Si ſeminat, quare adiicitur ad ſeminandum exiiſſe? Reſpondet: *Sæpe egreditur agricola, ſed propter alia, non ſolùm vt ſeminet.* Sæpe Euangelico ſeminatori egrediendum eſt, non vt ſemper ſemen ſpargat, ſed vel vt terram euoluat aratro, vel vt ſtercus immittat noualibus, vel vt tribulos & ſpinas omnino ableget. Haud ſemper eiuſdem operationis capax hæreditas, id quod non vulgarem agricolæ peritiam requirit. 46. *Doctor ſapiens agricola vt cognoſcat quonam beneficio indigeant hæreditas.* Luc. 8. Theoph.

Propterea D. Paulus, *Non miſit me* (inquit) *Chriſtus baptizare, ſed euangelizare.* 1. Cor. 1. Ac ſi diceret. Baptizandi munus facile prorſus. A baptizandi munere abſtineo ab indoctis faciliſſimè exercendo. Dum cœleſti donatus ſapientia, ac myſteriorum celſiorum ſub axe cœleſti imbutus ſubtilitate, proferendi verbi muneri incumbo, 47. *Ideo Paulus ſapientiſſimus prædicabat.* 1. Cor. 1.

incumbo, maximam ſapientiam requirenti, vti iuxta capacitatem auditorum doctrina proferatur. Allicio ad hanc mentem D.Anſelmum: *Quia & minores poſſunt baptizare, qui ſapientiam non habent, ideo non baptizare miſſus eſt Paulus.* Anſelm.

## OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

*Vidimus ſtellam eius:*

### Stella Magorum Spiritus ſancti vmbra.

*Vbi de mirabilibus Paracleti effectibus.*

48. Auguſt. EX Auguſtino innuimus Spiritum ſanctum Magis ſub Stellæ ſpecie apparuiſſe. Quam ſententiam licet à littera reiecerimus, ſub ſpiritu tamen & amplectimur, & illuſtramus. Stellæ illius effectus transfero ad Paracletum.

49. *Spiritus ſancti ſtella Magos lumine aſperſit.* Geneſ. 1. Auguſt. In primis equidem Stella Spiritus ſancti Magos lumine aſperſit. *Et Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Geneſ. 1. Vt non ſolum terra Iudæorum, ſed gentilium aqua Spiritus ſancti acciperet ſplendorem. Theodor. *Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas, id eſt illuſtrabat omnia.* Siue (auctore Auguſtino) *ſicut ſuperfertur lux iſta Solis his corporibus, quæ illuminat in terra.* Ferebatur itaque Spiritus ſanctus ſuper aquas gentilium, vt illas cœleſti lumine viuificaret.

50. *Conſcios effecit incredulitatis.* Iſai. 6. Anſelm. Deinde tanti luminaris fulgor Magos priſtinæ miſeræ incredulitatis conſcios effecit. Nec enim quis Spiritus ſancti donatur lumine, quin ſimul propriæ miſeriæ in cognitionem adducatur. Iſaias gloriæ Spiritus ſancti attigit fulgorem, canentibus cœlicolis, *Sanctus Sanctus, Sanctus.* Siue (interprete Anſelm.) *Pater, Filius, & Spiritus ſanctus. Et commota ſunt ſuperliminaria cardinum à voce clamantis* Spiritus ſancti. Cap. 6. Ac ſi huiuſmodi vox, fulgor, & gloria Spiritum ſanctum haberet auctorem. Mox Propheta: *Væ mihi, quia tacui; quia vir pollutus labiis ego ſum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito.* Ad gentiles transferet Anſelm. Quaſi gentilitatis primitiæ Magi videlicet, inclamarent: O nos immundiſſimos in medio populi idololatriæ ſeruientis habitantes! En Spiritus ſancti ſolaris lux gentibus effulgens. D. Gregor. Nazianz. Nazian. *Iſaias priuſquam Domini gloriam conſpexiſſet, nihil huiuſmodi loquitur: poſteaquam verò vocem illam ſanctam* (Spiritus ſancti videlicet vti ex Anſelmo vidimus) *auribus vſurpauit: tunc demum velut ſeipſum magis agnoſcens, Me miſerum, inquit, quia compunctus ſum. Nam quemadmodum Sol oculorum imbecillitatem prodit, eodem modo Deus animæ morbum aduentu ſuo indicat.*

Prætereà Magos huiuſce luminaris ſplendor docuit ſeſe veteri homine ſpoliare, vt nouo induerentur. 51. *Docuit ſe ſe veteri homine ſpoliare.* *Eſtote* (inquit Diſcipulis Seruator) *prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Matth. 10. Vbi D.Hieronym. Matth. 10. Hieron. typum columbæ expendens. *Simplicitas* (ait) *columbarum ex Spiritus ſancti ſpecie commendatur.* Cur ſerpentes in Spiritus ſancti conſpectu Dominus collocauit? Nonne vt gentilitatis innouatæ innueretur effectus? Huc accedite, ô Magi, *Qui* quidem (cum Ambroſio Ambroſ. loquor) *velut boni ſerpentes depoſitis carnis exuuiis, tentationem hyemalium rigore ſuperato, & Spiritus ſancti renouati gratia, æſtiua mundo luce fulsêre.*

Ad hæc, Magos Spiritus ſancti Stellæ ſiue Solis fulgor ad veræ Eccleſiæ adduxit vnitatem. 52. *Ad fidei vnitatem adduxit.* Olim Moyſes. *Fecit candelabrum ductile de auro mundiſſimo, fecit & lucernas ſeptem.* Exod. 37. D.Iſidor. Exod. 37. Iſidor. *Candelabrum* (inquit) *iſtud ſeptem ramorum Spiritus ſancti gerebat imaginem, qui ſeptiformi gratia illuſtrat Eccleſiam omnem in vnitate fidei conſtantem.* Stella profectò hæc ſeptem continet Stellas, quas Dominus veluti totidem annulos geſtat, ſeptem ſiue omnium Eccleſiarum illuminatrices. Apocal. 1.

Addidit denique Magis Stella Spiritus ſancti vires, vt Regem natum in Tyranni conſpectu profiterentur. 53. *Animos illis addit.* Non deliteſcunt nemorum errore, non montium ſeu collium fragminibus occultantur; ſed Ieroſolyma eos audiuit noui Regis præcones: vndenam huiuſmodi effectus niſi à Spiritu ſancto? Huc refero Apoſtolorum à die Pentecoſtes fortitudinem. Acto. D.Bernard. Sermon. 1. Pentecoſt. Bernard. *Venit* (inquit) *Spiritus ſuper Diſcipulos in linguis igneis, vt verba ignea loquerentur. Conſtantius modò prædicant, quàm deliteſcerent antè timidius.* Probat Petri exemplo: *Mutationem illam dextera Excelſi manifeſtè declarat. Principis Apoſtolorum prius quidem inter ancillæ verba formido, poſtmodum inter Principum verbera fortitudo.* Quando non inter Principum terrores illius conquieſcit animus, qui huius Stellæ lumine perfunditur, igne crematur?

## OBSERVATIO VI.

Ad illa verba:

*Vidimus Stellam eius.*

### Stella Magorum Deipara.

*Vbi de Dei genitricis erga nos munificentia.*

54\. PRÆMITTO ſi non ſequendam, haud contemnendam ſententiam illorum, qui affirmant Magos nauibus mare tranauiſſe, vt paucorum dierum interſtitio in Bethlehem reciperentur iuxta illud Dauidicum: *Reges Tharſis, (aliter naues) & Inſulæ munera offerent.* Anoon nauigio adducti marinæ Stellæ ſecuti ſunt ducatum, Mariæ ſcilicet, cuius imago (ſi quibuſdam non mediocris authoritatis Doctoribus credendum ſit) inter luminaris fulgores expreſſa Regibus Puerum geſtās in vlnis ubi[illegible]cibatur? Huc reſpicit D. Petr. Damian. *Erat* (inquit) *Stella in aere, Stella in terra, Sol in præſepio. Stella in aere corpus illud lucidum. Stella in terra Virgo Maria. Sol in præſepio Chriſtus Dominus. Maria Stella maris dicitur, quia ipſa tanquam ſydus ſingulare refulſit in mundo, & cuius ſplendor illuminat mundum, & ex ſe radium illum emiſit, qui illuminat omnem hominem venientem.* Reges igitur venientes Ieſum adoraturi, huiuſce Stellæ ducatu, ſiue Deiparæ interceſſione ad tanti fulgoris participationem deuenêre.

Damian. hic.

55\. Expreſſerat Balaam Magorum parens, & magiſter ſub Stellæ huiuſce ducatu eorum aduentum *Orietur Stella ex Iacob, & conſurget virga de Iſrael.* Num. 24. Ad quem locum Galfridus fatur: *Quæ eſt Stella orta ex Iacob, niſi ea, quæ nobis nata eſt, Virgo Maria, ex progenie Abrahæ, clara ex ſtirpe David, Stella prorſus magis re, quam nomine, cuius vita glorioſa lucem dedit ſæculo? Attendamus ſyderis claritatem, vt aliquando valeamus intueri Solis quoque ſplendorem, de quo in præſenti additur propheta ſecundum aliam litteram: Et exurget homo ex Iſrael. Hæc petiſſimum orientis Stellæ ſumma lætitia, quia ex ea homo natus eſt, de quo Propheta; Homo natus eſt in ea.*

*Stella Maria à Balaam promiſſa.* Num. 24. Galfrid.

56\. Lucas Deiparæ annunciationem expendens. *Et nomen* (inquit) *Virginis Maria.* Cap. 1. D. Epiph. hæt. 78. *Beata Maria non fortuitò, aut ſolum placito, ſed diuina diſpenſatione nomen accepit. Interpretatur Stella Maris.* Oportet vniuerſos *Chriſticolas inter fluctus huius ſæculi confugere ad Mariam, quæ ſupremo rerum cardine Deo proxima eſt. Quod qui fecerit, non iactabitur vana gloriæ vento, nec frangetur ſcopulis aduerſorum, nec abſorbebitur voragine voluptatum; ſed proſperè veniet ad quietis æternæ portum.*

*Naufragio addictis neceſſaria.* Luc. 1. Epiph.

57\. Profectò Albertus Mag. plures marinæ obiicit Stellæ proprietates Deiparæ congruentes; vnam aut alteram expendam. Maris Stella omnium minorum Regina luminarium. Maria inter omnes Beatos principatum obtinet. *Et in capite eius corona Stellarum.* Apocal. 12. Omnes Stellæ fulgentiſſimæ ad imperij Mariani pertinent ditionem. Albert. *Vna eſt proprietas illius Stellæ, quæ eſt ſita in ſummo poli reſpectu hominum: & beatiſſima Virgo eſt ſuprema omnium Sanctorum.*

*Inter fulgentiſſima luminaria obtinet principatum.* Apoc. 12. Albet. ſuper Miſſus cap. 185.

58\. Neſcio quid virgineum in Stella marina licet contemplari, à qua omnis generationis exulat appellatio. Cur exiſtimas Matthæum, qui per generationem duxerat Chriſti genealogiam, dicens: *Abraham genuit Iſaac, Iſaac genuit Iacob,* cùm ad Ioſephum peruenit, inquit, *Genuit Ioſeph virum Mariæ*: nullumque verbum generationem exprimens appoſuit? Quia Maria Stella virginea, à qua omnes generationis communis exularunt iniuriæ; dum videlicet à peccato originis libera oritur; ideo & ipſa generationis compellatio longè à virginea Stella dimouetur. Id quod Albertus proſecutus, ait: *Iſta Stella maris numerum implet ſeptenarium* à Trionibus ſeptem, *qui eſt numerus virgineus. Quia, vt dicit Macrobius, omnes numeri infra decadem vel generant, vel generantur, præter ſeptenarium. Et cui magis hoc proprium, quàm illi, quæ nec ſecundùm naturam genuit, nec genita fuit?* Non equidem genuit ſecundum naturam; quia virgo concepit: non genita ſecundum naturam fuit; quæ ſine labe prima, à natura noſtra iam ebibita, fuit concepta.

*Ab ſtella Virginea generationis communis iniuria exulant.* Matth. 1. Albert.

59\. In cauda Stella illa vltima & ſuprema dicitur. Huc ades, ô Virgo, humilis, & excelſa. Cum omnes Eccleſiæ Proceres ſub ſolemnitate Pentecoſtes recenſerentur, Deipara in nouiſſimo loco collocatur. *Vbi manebat* (inquit Lucas) *Petrus, & Ioannes, Iacobus, & Andreas: Hi omnes erant perſeuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre Ieſu.* Act. 1. *Cum Maria* quidem vltima propter humilitatem. *Matre Ieſu.* Propter maternitatis celſitudinem ſuprema. Sic Doctor ille: *Stella maris eſt ſuprema & vltima in cauda; & quid eſt hæc niſi illa, quæ eſt ſuprema dignitate, & vltima humilitate.*

*Humilis & excelſa.* Act. 1. Alber. vbi ſupra.

60\. Ferrum trahere Stella hæc dicitur, magnetis in morem. Nonne Mariæ vis allicit peccatores? *Ferrum* (ait Albertus) *attrahit Stella illa, & beatiſſima Virgo per inſitam ſibi naturaliter miſericordiam peccatores ad cœlum trahit.* Inter magnetem & Stellam adnotanda ſeſe dat differentia. Magnes enim ad ſe, Stella ad cœlum, ad patriam, ad portum pertrahit peccatores. Nonne Chriſtus, magnetis inſtar, peccatores alliciens? Teſtor Matthæum, quem præteriens Ieſus allexit ad ſe. *Sequere* (inquit) me: *& ſecutus eſt eum.* Matth. 9. Vbi pulchrè ad meum intentum Hieronymus in Cat. D. Thom. *Fulgor ipſe, & maieſtas Diuinitatis* (Stellæ maris in morem) *ex primo ad ſe venientes trahere poterat aſpectu. Si enim in magnete lapide hæc vis eſſe dicitur, vt annulos ſibi copulet; quanto magis Dominus rerum omnium ad ſe trahere poterat, quos volebat. Fulgor ipſe* trahit. Quid Stellæ maris congruentius? Ad ſe igitur trahit Chriſtus peccatores; at Stellæ Marianæ fulgor attrahit ad Chriſtum. *Adducentur Regi virgines poſt eam.* Ipſa dirigit, ipſa ducit, ipſa allicit, non ad ſe, ſed ad Chriſtum, ſicuti Stella Magorum eos ad Ieſu cunabula perduxit.

*Magnetis à morem ſuo ſimilis alter.* Alber. Matth. 9. Hieron.

61\. Profectò Stellæ huiuſce ſitus circa Aquilonem. Quare? Nonne ab Aquilone panditur omne malum? Nonne olla ſuccenſa, tartareus fornax è conſpectu Aquilonis, quando euigilans virga peccatores deturbat in infernum? Ibi igitur Deipara, vbi poſſit peccatoribus ſuccurrere. *Stella* maris *ſita eſt* (loquor cum Albert.) *circa Aquilonem; & beatiſſima Virgo ſemper verſa eſt ad peccatorem.* Nam ſi *Stella nautas dirigit: beatiſſima Virgo omnes naufragantes vniuerſaliter ad portum ſalutis tranſmittet.* Plura mitto.

*Huius ſtellæ ſitus, vbi panditur omne malum, vti peccatoribus ſuccurrat.* Ierem. 1. Albert.

OBSER

# OBSERVATIO V.

Ad illa verba:

## *Vidimus ſtellam eius.*

## Stella Magorum Chriſti paupertas.

*Vbi de religioſa paupertate ſeculares alliciente.*

62. MYSTICA præterea Magis adoraturis Chriſti illuxit Stella, nempe ineffabilis paupertas Saluatoris. Etenim Stella illa totum quodammodo facta eſt Ieſu ſupellex, inclamantibus Regibus:
Chryſol. *Vidimus Stellam eius.* Id quod adnotans D. Petrus Chryſol. Serm. 146. fatur: *Et quid tamen eſt, quod videtur?* Verè, *ſicut dixit Apoſtolus, cum eſſet diues pauper factus eſt, cum eſſet in Deitate ſua diues, noſtra fit pauper in carne: & habere cæpit Stellam vnam, totam qui fecit, habet, & continet creaturam.* Quid igitur eſt, quod videtur à Magis, vti ad huiuſcemodi iter ſuſcipiendum, mouerentur? Verùm Puer (Deo, vt vidimus, myſterium reuelante) Stellæ vnius poſſeſſor
Ex Græc. Comico. obiicitur. Paupertas itaque tibi Stella ſit, de qua congruentius cum Comico proclames: *Inopia honeſta lucidior opibus improbis.* Hæc enim animum aduocant iis caliginem, illa autem Stellæ in morem præſtat ducatum. Proh paupertatis voluntariæ vis ad Principes alliciendos! vt humile obſequium præſtent, vt adorent!

63. Cecinit David hunc paupertatis voluntariæ triumphum. *Illuc aſcenderunt Tribus Tribus Domini.* (Chryſoſt. *Sceptra, Sceptra*, (ſiuè *Reges.*) *ad confitendum nomini Domini.* Pſal. 121. ſiue ad confitendum Dominum, qui externâ ſpecie ſolum nomen octlum Regiæ poteſtatis præferre videbatur, in ſumma paupertate conſtitutus. Quænam igitur vis potuit *Sceptra, Sceptra* ad pauperculi pedes deturbare? Profectò paupertas Infantis. Propriis non tenetur? Omnibus ergo dominatur. Vnde Chryſol. Serm. 22. *Non poteſt* (ait) *omnibus dominari, niſi is, qui propriis non tenetur.* Regibus proinde dominatur pauperculus Infans, qui nullis tenetur propriis, natus in alienis.

*Reges à paupertate edocti eum adorat, qui ſolum Domini nomē proferre videbatur.*
Pſal. 121.
Chryſoſt.
Chryſol.

64. Sedente diuite Matthæo in telonio, tranſiuit Ieſus, Stellæ inſtar, radiis illuminans cæcum. *Cum tranſiret inde Ieſus, vidit hominem ſedentem in telonio Matthæum nomine, & ait illi: Sequere me. Et ſurgens, ſecutus eſt eum.* Matth. 9. Non ſtetit, ſed pertranſiit, vt gereret Stellæ pertranſeuntis morem. Quænam itaque vis diuitem pecuniarum pondere preſſum traxit ad Ieſum? Hugo Cardin. *Fulgor*, inquit, *ipſe trahere poterat.* Et quiſnam hic fulgor Stellæus? A paupertate equidem

*Chriſti paupertas in morem Stellæ Matthæum traxit.*
Matth. 9.



exoriebatur. Id exprimit D. Paſchaſ. 5. in Matthæum fatus: *Nec ideo iſtum diuitem vocat, vt permaneat diues; ſed vt, relictis omnibus, beatam amet paupertatem, & exemplum ſequatur Præceptoris. Si quidem non ſolum ingreſſu pedum, verum imitatione perfecta vitæ. Quapropter non alium ad imitandum, quam ſe proponit.* Paſchaſ.

65. *Venit* olim quidam *ad Eliſæum Dux* (pergit Nilus) *Naaman Syrus, multaque munera ſecum attulit. Quid igitur Propheta? Num illi proceſſit obuiam? Non proceſſit.* Ex lib. 4 Reg. 5. Quæſtionem committam, quare, aduentante Principe, Propheta pauper haud proceſſit obuiam? Num quia terrenam deſpicit poteſtatem, qui cœleſtibus hæret? Num quia ſalutem perquirere deligenter oportet eum, qui ſe profitetur ægrotum? Num quia ſpiritu des viri vix ſe ſæcularibus anxiè quærentibus debent oſtendere? Ita planè. Sed argumento conuenientius, voluntaria paupertas non indiget diligenti proceſſu, vti ad te ſe Principes attrahat: ſiquidem Reges, ſicuti magnes ferrum, ad ſe currere efficiat. Recedit, ais, iratus. Fateor, ſed protinus reuertitur. Fugit equidem, ſed in morem capti piſcis paupertatis hamo, ad manus tandem veniet piſcatoris. *Venit ergo Naaman cum equis, & curribus, & ſtetit ad domum Eliſæi.*

*Eliſæi paupertas Naamanum adduxit.*
4. Reg. 5.
Nilus.

66. Appoſitè D. Iſaac: *Paupertas*, inquit, *voluntaria ipſa eſt via. Audiamus pauperem, experto credendum eſt. Pauper natus eſt. Quid volumus?* Quærimus inclamant Magi verum Regem, veras *diuitias*, Regem qui homines Regno donat, *Reges facit. De paupertate ſumitur plenitudo, de inopia ſatietas, de extremitate primatus.* Inopia enim voluntaria *Via eſt* ad veri Regis ducens tabernaculum.

*Hæc via ad Ieſum ducit.*
Iſaac.

67. Videor mihi Reges & ſequentes Stellæ ducatum, & Regem promiſſum requirentes, Iſraëlitas referre ductricis inſecutores columnæ, & terræ promiſſæ inclamatores. *Profecti* equidem *ſunt filij Iſrael de Ramaſſe in Socoth.* Exod. 12. Vbi, Origen. *Si quis*, inquit, *eſt, qui proficiſci de Ægypto parat, & errorum tenebras dereliquere, primo omnium de Ramaſſe ei proficiſcendum eſt, id eſt, ex commotione tineæ. Non theſaurizes, ait Ieſus, vbi tinea demolitur, ſed veni ſequere me pauperem. Si vis vt tibi Dominus dux ſit, & in columna* ſeu Stella *te præcedat, exi ex Ramaſſe, & veni in Socoth. Id eſt, diſcute à te tineas totius corruptelæ, & habitabis in tabernaculo*, Vbi natus eſt Ieſus, & docet viam, & allicit, & amatores paupertatis ſui efficit ſectatores. En ô ſacræ Religionis alumne, quonam modo principes trahantur, ſanctæ ſcilicet paupertatis obiectu.

*Et columna nos ad Ieſum referens.*
Exod. 12.
Origen.

# OBSERVATIO VI.

Ad illa verba:

## *Vidimus Stellam eius.*

## Stella Magos ſeduxerat, Stella duxit ad ſalutem.

*Vt edoceamur proprio mucrone hoſtes ſpirituales configendos.*

68. QVINAM veniunt adoraturi? Magi. Quonam ductore? Stella. Proh Deus immortalis! Nonne Magi Stellarum vacantes aſpectibus, ab itinere aberrantes ſalutari confictis diis obſequium præſtitere? Ita ſanè. At ea fuit mirè nati Infantis potentia, facere hoſtem proprio percuſſum interiore mucrone. Id quod Chryſol Sermon. 157. expendens ait. *Quare Magi, Quare Stella? Vt per Chriſtum ipſa materia erroris ſic fieret ſalutis occaſio, quemadmodum per Chriſtum mortis cauſa, cauſa facta eſt vita. Hoſtem proprio mucrone turbare, ſingulare eſt inſigne virtutis.* Si igitur Stella vna Magos ſeduxerat, altera ducit ad ſalutem, hoſte proprio mucrone comminuto. Id in tribus animi hoſtibus oſtendam.

Chryſol.

## CAPVT I.

*Quadam iuſtâ animi elatione vanitas vincitur.*

69. AD ſingulare voco certamen illos potentiſſimos animi hoſtes. Equidem ſuperbiæ robur non ſemel proprium gladium fœdo ſanguine cruentauit. Incidit aliquando in mentem ſuperbiendi appetitus? Generoſus animus hoſti reſiſtit, dum ſtatuit vilis animi eſſe, & abiecti, tam vili, tam inani obedire principatui. Honor igitur ſalutari quadam vanitatis ſpecie, ſi licet ita impropriè loqui, vt morem rudi vocabulo geram, non patitur, à viliſſima ſuperbia deuinci. Hoc forſan, ſpiritu David Goliath ſuperbum proprio myſticè gladio interfecit. *Tulit gladium eius.* 1. Reg. 17. *Quem*, Anſelm. *Diabolus in manu habebat, per quem alios trucidabat.* Quonam gladio Diabolus ſuperborum parens homines trucidabat? Vanitate. Depereat igitur vanitate vanitas, ſi quidem vanitas appellari debeat motus ille animi, quem maternâ linguâ voco: *Punto de henra*, quo planè vile reputamus, & abiectum, tam inani, ac infimo percuti hoſte.

*Hoc gladio David Goliath interfecit.*

70. 1 Reg. 17. Anſelm.

71. Huiuſmodi pugnandi rationem Deus docuit Iſraëlitas. *Non*, inquit, *eiiciam eos* hoſtes *à facie tua anno vno, ne creſcant contra te beſtiæ.* Exod. 23. Ad quem locum Rupertus: *Quaſi dicat, Non abſque legitimi certaminis labore vitia delebo in te; ne extollat te in ſuperbiam repentina gloria victoria. Satius enim eſt pugnare contra homines, quam beſtiis ſubdi.* Quonam modo vitia inde delebit? Proprio equidem transfigentur mucrone. Superbiam beſtiam abiectiſſimam Rupertus appellat. Vincitur ergo ſuperbia, dum huiuſmodi cogitatio animo immittitur. Quàm abiecta res hominem beſtiis ſubiici, beſtiis viliſſimis obtemperare!

*Affectus huiuſmodi fecit Iſraelitas ſuperbia non ſubdi.* Exod. 23. Rupert.

72. Inſtruxerat Deus homines iam inde à mundi veſtibulo huiuſcemodi aſtu militari. *Ecce*, inquit, *Adam, quaſi vnus è nobis factus eſt*, Geneſ. 3. Theodoret. *Per ironiam à Domino dictum eſt, vt oſtenderet falſiſſimam fuiſſe Diaboli promiſſionem.* Huius ſum ſententiæ; ſed non audebo improbare illos, qui aſſertiuè talia verba prolata fuiſſe non ſine vero fundamine aſſerunt. Verè enim Adam quaſi Deus factus per participationem fuerat, ad imaginem & ſimilitudinem Dei effectus. Vnde non improbabiliter exiſtimo hiſce verbis Deum intendiſſe Adamum vehementi dolore afficere, quod ſe ſe ad ſimilitudinem Dei factum, ſuperbiæ, viliſſimo vtique hoſti ſubdidiſſet. Quare Gennadius, *Vehementi* (inquit) *dolore affecit ipſum Adam Deus hoc dicens.* Me prodigum omnino! tam nobilis diuinitatis æmulator tam vili hoſti ſuccumbam? Abſit. *Nunquam* (ait ille) *de te ſuperbam opinionem concipias? ne contra de te humiliter ſentias.* Abiecti animi eſt, ſubdi vanitati. Diſce itaque vtiliter ſuperbire.

*Hoc aſtu Adam ſe à ſerpente vincere expediuit illato.* Gen. 3. Theod.

Gennadius

Stob.

## CAPVT II.

*Luxuriei ignis igne tartareo ſuffocatur.*

IN arenam deſcendat luxuries proprio mucrone debellanda. Magnæ enim inſigne potentiæ, eam efficere proprio igne carpi, proprio incendio cremari. Annon luxuriei tartareus ignis? Profectò huiuſce voluptatis cæca flamma à cæco tartareo igne duxit exortum. Ignis igitur igne ſuffocari opus eſt, dum menti luxuriei voluptatem meditanti tartareum ignem obiecerimus. Appoſitè Dominus ad Diſcipulos: *Sint lumbi veſtri præcincti, & Lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Luc. 12. Vbi Caietan. Venereo exiſtimat incendio nobis tradi à Chriſto medicamen. Lumbos præcingite: prurientem luxuriei ignem infrænate. Quibuſnam armis? Sint *Lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Faces obiicite facibus, ignis igne ſuperetur, flammæ immundiſſimæ luxuriæ, æternæ flammæ meditatione deferueſcant. Huc reſpicit D. Chryſoſt. de verbis Iſai. Serm. 3. fatus: *Ne aſpectes temporariam illam, quæ ex aſpectu proficiſcitur, voluptatem; ſed perpetuum dolorem conſidera, qui naſcitur ex concupiſcentia. Nam illa inflicto vulnere auolat: at vulnus non auolat; ſed manet, & interficit.* 73.

*Ignis æterni meditatio flammam libidinis extinguit.*

Luc. 12. Caietan.

Chryſoſt.

*Manus Moyſi erant graues.* Excidunt pondere preſſæ, indeque grauedini medicamen inuenitur, Aarone & Hur apponentibus ſtabilimentum. Hinc D. Gregorius conſiderat luxuriei pugnam, qua quidem animus deiicitur; ſed mirum in modum ipſa deiectione eleuatur, *Aaron & Hur*, id eſt *fortitudine* & *igne* adhærentibus. Quando enim animus carnis cupiditatibus depreſſus, ad ignis tartarei meditationem deſcendit, mox adiicitur variis cogitationibus ſtabilimentum. *Ne ergo* (inquit Pater) *manus laſſeſcant, Aaron, & Hur lapidem apponant. Aaron quidem mons fortitudinis, Hur ignis vocatur.* Quam aptè ignis igne extinguitur, hoſtis proprio mucrone ſuperatur! Siquidem luxuriæ ignis è tartarea deriuatur flamma, dicente Chryſoſtomo Magdalenam à Demoniaca luxuria cœleſti fuiſſe potentia liberatam. 74.

*Ex huiuſmodi meditatione noſtra infirmitati ſtabilimentum adiicitur.* Greg.

In communi prima illa mundi clade *Arca ferebatur ſuper aquas.* Gen 7. Ad quem locum D. Cyril. Alex. contemplatur corruptam carnē 75.

mortuo

*Et homines à diluuij communis voluptatum flagello liberantur.* Geneſ. 7. Cyrill.

mortuorum tartareo obrui abyſſo, viatores homines ſuper aquas deferri. Quare ſuperſtites homines capaces adhuc luxuriei incendij ſuper aquas ferantur? Vti carnem tartareo abyſſo obrutam valeant contemplari, vnde ab immundiſſimo igne liberentur.

76. *Et Paulus à carnis ſtimulo eripitur.* 2. Cor. 12. Auguſt.

Paulus: *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ Angelus Satanæ.* 2. Corint. 12. Vbi Aug. ad Pſal. 55. & 130. per ſtimulum carnis concupiſcentiæ motus, per Angelum Satanæ cruciatus quaſi gehennæ interpretatur. Quàm benignè à Domino, ſi datus carnis ſtimulus Apoſtolo ad probationem, ad examen, ſimul tartareus ignis eſt ad præſidium obiectus; vt luxuriei flamma æterni ignis meditatione ſuperetur.

77. *Vos à luxuriei igne non ſuccendit. Cura à tartareo igne myſticè deuorari.* Exod. 15. Orig.

De miſeris enim voluptuoſis à terra deuoratis ſalutare conficitur hominibus medicamen. *Extendiſti manum tuam,* (canit Moyſes) *& deuorauit eos terra.* Exod. 15. Ad ſupplicium hominum carnalium transfert Origen. ſatus. *Si quem videris luxuria carnis, & voluptatibus corporis deditum, in quo animus nihil valet, ſed totum libido carnis obtinuit, dicito & de hoc, quod deuorauit eum terra*, nempe inferous. Haud aliter conſideratione à terra cura deuorari, qui luxuriei flammis accenderis. Quo fructu? Aditus patebit omnino, vt ab exitiali baratro egrediaris, ſicuti Ionas in ventre ceti, ſeu in corde terræ conſtitutus liber aſcendit. *Nec tamen* (adiicit ad hæc Origen.) *penitus deſperandum eſt. Poſſibile namque eſt, vt rurſum poſſit euomi, ſicut Ionas.* Ille videlicet, qui æternas luxurioſis præparatas ſibi flammas obiecit, vti equidem hoſtis proprio mucrone feriatur. Canebat Menander: Menand.

*Plurimum Veneris non habet nox abyſſi.*

Quia vbi æternæ noctis tenebræ peruolant, haud poteſt voluptas Veneris commorari.

## Capvt III.

### *Diuitiæ ſuiſmet funibus flagellandæ, ſuffocandæ.*

78. *A diuitiarũ flagello auaritiam odio proſequere.* Ioan. 2.

Avaritiæ denique iam rutilant arma. Profectò diuitiarum potentia ſua ipſarum fallacia debellabitur. Quot curæ, quot moleſtiæ diuitias comitantur, dum acquiruntur, dum conſeruantur: tot verberibus miſer diues percutitur. Chriſtus vt templum ſuum à prophanatoribus liberaret. *Cum feciſſet quaſi flagellum de funibus*, queis mercimoniæ illigabantur, eos è ſacratiſſimis ædibus deturbauit. Ioan. 2. Nonne funibus hiſce merces ad cuſtodiam accinguntur? Profectò ipſe diuitiæ magnis perceptis laboribus cuſtodiendæ dant flagellum, quo percuti poſſit hoſtis petulantia. Quid dico flagellum?

79. *Auaritia dat auaro laqueum.* 2. Reg. 18. Drogo.

Dant proculdubio laqueum, exitium miſerabile auaritiæ. Abſalonis comæ publicum ſanè auari animi pondus. At miſerandi auari adoleſcentis laquei nouiſſimæ calamitatis extitere. 2. Reg. 18. Pulchrè Drogo Hoſtienſ. de Sacr. paſſion. *Abſalom crines ſuos ponderabat pondere publico; vnde in eodem crine ſuſpenſus.* En auaritia laqueum præbet, quo auarus ſuſpendatur, non equidem poſt obitum in abyſſo, non vt auarus puniatur ſine termino; ſed vt adhuc dum ſuperſtes eſt, puniatur. Ideo Abſalom non illicò ac ſuſpenſus, periit, donec Ioab pectus confixit, vt oſtenderetur auaritiâ ſuſpenſum, ab auaritia torqueri viuentem. En auaritia laqueos præbet, vt auarus ſuſpendatur. Ipſius ergo auaritiæ curas ſuſpendi curemus, dum menti obiicimus diros auaritiæ exitus, fallaciam diuitiarum.

80. *Auaritia funiculus ad flagellum ad laqueũ funis.* Ioſ. 17.

Huc pertinet expoſtulatio filiorum Ioſeph cum Ioſue: *Locuti ſunt filij Ioſeph ad Ioſue, & dixerunt. Quare dediſti mihi poſſeſſionem ſortis, & funiculi vnius, cum ſim tantæ multitudinis, & benedixerit mihi Dominus?* Ioſ. 17. Hæreditatis ſors funiculi nomine adnotatur iuxta litteram, quia funiculo menſurabatur; iuxta ſpiritum autem quia ipſa hæreditas & eſt funiculus ad flagellationem, & funes ad ſuſpenſionem, & exitium. Quot ſortes, tot funiculi. Vnde ille textus, *Et ceciderunt funiculi Manaſſe decem.* Ibid.

81. *Aurum potius laqueus ſuffocationi, quam cibus nutrimento.* Ambroſ.

Quando non ad ſuffocationem, ad laqueum mundiales diuitiæ? Teſtor Regem Midam totius Phrygiæ potentiſſimum ſibi vni lautiſſimum conuiuium apparantem. D. Ambroſium audite, lib. 6. in Luc. cap. 9. *Ferunt certè gentilium fabulæ, fuiſſe Regem quendam, qui quidquid tangebat, aurum fiebat. Nam & cibus in ore crepitabat, ferens non alimenta; ſed vulnera; & in gutture potus hærebat, nec penetrare facilis, nec redire.* Eo aurum minimè nutrientem, proculdubio ſuffocantem; laqueum præbet, non alimentum. *Digna* (adiicit Pater) *beneficia votis, digna tanto munera precatore, digna liberalitas conferente. Talia ſunt idolorum beneficia, vt cum videntur prodeſſe, plus noceant,* Quam aptè Dauid! *Miſit ſaturitatem in animas eorum.* Pſal. 105. Ex Hebræo, & Græco poteſt transferri. *Miſit maciem.* Quia macies exitij, ſeu ſuffocationis ſaturitatem diuitum comitatur. Quis non à diuitiis flagellatus, ſuffocatus, exurgat, vt ipſam flagellis percutiat, & ſtrangulet? *Hoſtem* equidem (vti aiebat D. Chryſol.) *proprio mucrone turbare, ſingulare eſt inſigne virtutis.*

SECTIO QVARTA.

# Herodis, ac Ieroſolymæ turbatio.

## *TEXTVS.*

*Verſ. 3.* Audiens autem Herodes Rex, turbatus eſt, & omnis Ieroſolyma cum illo.

*Verſ. 4.* Et congregans omnes Principes Sacerdotum, & Scribas populi, ſciſcitabatur ab eis, vbi Chriſtus naſceretur?

*Verſ. 5.* At illi dixerunt ei: In Bethleem Iudæ: ſic enim ſcriptum eſt per Prophetam.

*Verſ. 6.* Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in Principibus Iuda, ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Iſraël.

## *COMMENTARIVS LITERALIS.*

### §. I.

### *Vndenam Herodes turbatus?*

1. *Sex Herodianæ turbationis cauſa.* Abul. Chryſoſt. Paſchaſ.

AVDIENS *autem Herodes Rex, turbatus eſt.*] Plures huiuſce turbationis cauſas ex Patribus collegi. Turbatione afficitur, propter magnam ex Magorum præconio, ex Stellæque apparitione nati Regis obiectam ſibi potentiam, cui quidem creſcentibus in dies ſignis minimè reſiſtere valeret. Ex Abulenſi. Perturbatus fuit, quia nullus facilius commouetur, quàm in celſo faſtigio conſtitutus tunc præcipuè, quando iniuſtè poſſidet. Nonne Herodes Regnum Hyrcani violenter inuaſit? Annon adoleſcentem filium Hyrcani iam ſummum Sacerdotem occidit? Ex Chryſoſtomo. Conturbauit Herodem noui Regis inclamatio, qui ab Octauiano non fuiſſet conſtitutus. Prohibitum enim à Romanis fuerat, ne aliquis vel Rex, vel Deus ſine eorum licentia vocaretur. Ex Iudæorum id collige concilio. *Venient Romani &c.* Commotus vehementer eſt Herodes Magorum conſpectu; quia terrena altitudo cõfunditur, cum celſitudo cœleſtis aperitur. Ex Gregor. Hæſit Herodes, vti Ieſu iudiciaria poteſtas peccatoribus formidabilis innoteſceret. Ex Auguſt. Obturbatus Rex, vt deiectio Diaboli per Chriſtum adumbraretur. Ex D. Leone. Sed quid plura congero infirmitatis Tyranni indicamenta? Annon imbecillis tyrannidis eſt vel tunc eum terret, concuti timore? Appoſitè Claudian. 4. Honor.

Gregor. Auguſt. D. Leo. Claud.

*Qui terret, plus iſte timet, ſors iſta Tyrannis*
*Conuenit, inuideant claris, fortéſque trucident,*
*Munitis gladiis viuant, ſeptique venenis,*
*Ancipites habeant arces, trepidique minentur.*

Profectò timor hic tyrannidis ſuplicium. Quid vnum non timeat Tyrannus, ſi (Publio Mimo auctore) *multos timeat neceſſe eſt, timens vnum, quem multi timent?*

2. *Auctoris mens.* Caietan. Chryſoſt.

Attamen nos ideo exiſtimamus tyrannum Herodem diſturbatum, quia timuit à Regno deturbari. Alienigena ipſe, Regem Iudæorum natum audiebat. Sic Caietan. *Idumæus erat & propterea audita natiuitate Regis tam deſiderati à Iudæis, timuit perdere Regnum.* Expendit magis id Chryſoſt. fatus: *Turbatus eſt Herodes, quia audiens Regem natum Iudæis ex gente Iudaica, cum eſſet ipſe genere Idumæus, ne, Regno reuoluto iterum ad Iudæos, ipſe à Iudæis expelleretur, & ſemen eius poſt ipſum præſcinderetur à Regno.* Equidem à tali eum diſturbatione, & ſuſpicione D. Fulgentius liberare curans, ait: *Quid eſt, quod ſic turbaris Herodes? Quoniam natum Regem Iudæorum audiſti, turbaris, ſuſpicionibus agitaris, inuidiæ ſtimulis inflammaris, & ob hoc natum Regem occidere conaris. Inanis eſt iſta turbatio tua, & vana prorſus cogitatio tua. Rex iſte, qui natus eſt, non venit Reges pugnando ſuperare; ſed moriendo mirabiliter ſubiugare. Nec ideo natus eſt, vt tibi ſuccedat; ſed vt in eum mundus fideliter credat. Venit ergo non vt pugnet viuus; ſed vt triumphet occiſus. Inaniter inuidendo timuiſti ſucceſſorem, quem credendo debuiſti quærere Saluatorem. Quia ſi in eum crederes, cum eo regnares. Et ſicut ab illo accepiſti temporale Regnum, acciperes etiam ſempiternum. Puer, qui nunc à Magis dicitur Rex Iudæorum, idem creator eſt, & Dominus Angelorum. Quapropter cuius times infantiam naſcentis, magis timere debes omnipotentiam indicantis. Noli ergo timere eum* Fulgent.

*Regni*

Digitized by Google

*Regni tui ſucceſſorem; ſed time infidelitatis tuæ iuſtiſſimum damnatorem.* Hactenus ille, cuius vel particulam piaculum duxi præterire.

## §. II.

### *Quare turbata Ieroſolyma?*

3. *Non omnes turbati.* ET *omnis Ieroſolyma cum illo.*] Quæris, num verbum illud: *omnis* totius ciuitatis viros, ac fœminas adeò complectatur, vt nullus fuerit ciuis, qui audito hoc nuncio, perturbatus non fuerit? Reſpondeo de Scripturarum more in præſenti partem vſurpari pro toto, vti ait Lyranus. (Lyran.) Neque enim Simeon diſturbatus eſt, neque Anna propheteſſa turbatione affecta; neque plures iuſti Meſſiæ aduentum expectantes potuerunt non vehementer lætari, audito noui Regis præconio. (Caietan.) *Cum veritate* igitur *horum verborum* (loquor cum Caiet.) *ſtat, quod multi viri iuſti lætati fuerint, quoniam omnis Ieroſolyma non cõprehendit ſingulos ſigillatim; ſed populum in communi.* (Gen. 6.) Sicut illud Geneſeos 6. Omnis quippe *caro corruperat viam ſuam:* non complectitur ſingulos. Si quidem Noë minimè fuerat ſaucius corruptione.

4. *Auctoris expoſitio.* Lyran. Verum enim exiſtimo particulam illam: *Omnis Ieroſolyma*, ſpeciatim accipiendam eſſe pro illa parte, quæ fauebat Herodi, ſiue pro Ieroſolymitana curia. Lyrã ſequor ſantem: *Omnis Ieroſolyma accipitur pro illa parte, quæ fauebat Herodi. Sicut communiter dicitur, quãdo maiores ciuitatis aliquid faciunt, quod tota ciuitas facit. Sic in propoſito, illi, qui erant ibi maiores, & in Regalibus officiis aſſiſtentes Herodi, cum ipſo turbati ſunt.*

5. *Turbationis cauſa.* Quænam igitur huiuſcemodi turbationis cauſa? Profectò gaudere maximopere debuiſſet Populus Iſraeliticus, quia Iudæorum nato Rege Princeps alienigena ablegaretur; qui quidem Iudæorum Rex à lege & prophetis promiſſus futurus erat populi Redemptor. Attamen ſi *omnis Ieroſolyma* pars illa ſit, quæ fauebat Herodi, vti poſuimus, iam conſtat qua de cauſa fuerit perturbata: (Chryſoſt.) *Quia iniuſti* (inquit Chryſoſt.) *non poſſunt gaudere de aduentu iuſti. Erant autẽ Iudæi* (adiicit Abulen.) (Abul.) *mali: ideo non gaudebant de aduentu Chriſti.* Mali etenim proprium eſt, nunquam poſſe de felicitate gaudere; quia nunquam non infelix exiſtit. Vndè Menander,

*Vir malus infelix eſt, & ſi felix ſit.*

Quia ſcilicet dum regnat peccatum, quonam modo vel in mediis voluptatibus poteſt animus verè lætitia frui?

6. *Num iuſta turbatio?* Certè licet particula illa: *Omnis Ieroſolyma* vniuerſam ciuitatem complecteretur, adhuc cauſa turbationis iuſta vel iuſtis viris, ac mulieribus ſuppetit. Ideo enim omnes turbati, quia licet Meſſias aduentaſſet, non ſine graui Populi clade Herodem ablegaturus, ſedemque Regiam occupaturus eſſet. (Chryſoſt.) Accepi ex Chriſoſtomo fante: *Sicut ventis contrauenientibus, vnda concutitur: ſic Regibus inuicem contrariantibus, populus conturbatur. Et ideo ex hoc timuerunt, ſcilicet ne præſente, & venturo Rege ad inuicem certantibus ipſi perturbationibus, inuoluerentur.*

7. *Iuſtè turbatur Ieroſolyma.* Vera hæc; ſed aliter iudico totius Ieroſolymæ turbationem iuſtificandam. In cuius expoſitionem præmitto duplicem turbationem. Vna eſt admiratio ex re inſolita, licet illa proſpera ſit. Credebat Iacob Ioſephum iam fuiſſe à fera peſſima trucidatum: cum verò audiſſet eum omni Ægypto dominari, quaſi de graui ſomno euigilans, nullatenus credebat. *Et illa,* inquit Abulen. (Abul.) *eſt turbatio.* Altera turbatio eſt quædam paſſio proueniens ex alicuius aduerſi enunciatione ſeu cognitione. Turbati igitur ſunt ciues Ieroſolymæ vniuerſi, non quod Magorum præconium aliquam populo aduerſitatem portenderet, quæ vel odium, vel timorem excitaret: ſed propter eius nouitatem ſunt rapti in admirationem, & ſtupore correpti, equidem in gaudium conuertendo.

*Cum illo.*] Quam tyrannicè Rex trahit populares affectus! 8. *Regis exemplum ſequuntur ſubditi.* *Turbata eſt cum illo* (ait Caietan.) (Caietan.) *Ieroſolyma, vt oſtendat quod imitando Regem Herodem omnis Ieroſolyma turbata eſt.* Tanta vis praui exempli Magiſtratus. Quanta? *Vt non ſemel* (Strab.) *populus eis faueat, quos ſuſtinet crudeles.* Plura in Panegyricis.

## §. III.

### *Sacerdotes & Scribæ aduocantur.*

9. *Congregat Sacerdotes, & Scribas.* ET *congregans omnes Principes Sacerdotum & Scribas populi,*] Quonam modo plures Sacerdotum principes, ſi vnus tantum modo Princeps Sacerdotum fuit, vti ex pluribus ſcripturæ locis comprobatur? Matt. 26. Mar. 1. Luc 22. Actor. 4. Vocantur multi Sacerdotum Principes, ſiue capita familiarum Sacerdotalium, ſiue præſtantiores inter illos, qui Sacerdotali munere fungebantur.

10. *Quinam Scribæ.* Remig. Lyran. Quinam autem populi Scribæ? Remig. *Scribæ dicti ſunt, non tantum ab interpretatione Scripturarum, erant enim legis Doctores.* Ideo Herodes eos adit, vt locum Dominicæ natiuitatis requirat. *Quia volebat* (inquit Lyran.) *Chriſtum perdere, ideo voluit de loco natiuitatis eius diligenter inquirere ab illis, qui ſcripturas Prophetarum nouerant de Chriſto, & genealogias deſcendentes à Dauid ſciebant.* Proh hominum ſocordia! Ad crimen horribile patrandum doctos adis, ad crimina abluenda ſtultos requiris Sacerdotes?

11. *Quid ſciſcitari.* Remig. Remig. *Sciſcitabatur ab eis, vbi Chriſtus naſceretur.*] Sciſcitari idem eſt; ac palam inquirere. *Vbi naſceretur?* Siue, vbi eſſet naſciturus Dominus. *Vbi Chriſtus?* Cum Magi Regem Iudæorum quærerent, cur Herodes non de regis, ſed de Chriſti requirit natalitio? Num quia Chriſtus idem eſt, ac vnctus: nouerat autem Herodes Reges Iudæorum ſolitos inungi? Sic Remig. Quare autem quæſiuit, vbi naſciturus eſſet, & non potius, vbinam eſſet natus? Hoc callidè factum exiſtimo cum eodem Remig. Vt ſcilicet *poſſet agnoſcere, ſi de Rege nato lætarentur,* præcauens ſimul, ne omnino à tyranno recederent. Si enim dixiſſet: Vbi natus eſt, vereri poterat, ciues illicò ad præſtandum nouo Regi Iudæorum obſequium acceſſuros. Regis ergo venturi memoria explorat; (vti Strabus ait) (Strab.) *an lætos faciat eorum Rex.* Vt ex externo affectu, quonam modo ſe erga tyrannum haberent, dignoſceret.

## §. IV.

### *Prophetiam Michææ de Dominico aduentu expendo, ac cum Matthæi textu compono.*

12. *Cur dixit Iudæ,*

AT *illi dixerunt ei: In Bethlehem Iuda.*] *Iuda* dixit, ad differẽtiam alterius Bethleem, quæ ſita erat in tribu Zabulon, vti ſuperius annotauimus. *Sic enim ſcriptum eſt per Prophetam,* Michæam ſcilicet.

13. *Pugna Michææ & Matthæi expenditur.* Mich. 5.

*Et tu Bethlehem terra Iuda, &c.*] Ad huiuſce loci expoſitionem, integram Michææ ſententiam accipite. *Et tu Bethlehem Ephrata paruulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael, & egreſſus eius ab initio, à diebus æternitatis.* Cap. 5. Iam apparet pugna inter Prophetam & Euangeliſtam: Matthæus, *Et tu Bethlehem terra Iuda.* Michæas, *Et tu Bethlehem Ephrata.* Matthæus, *Nequaquam minima es,* ſiue *paruulus es.* Michæas *Minima es,* ſiue *paruulus es.* Matthæus, *In Principibus Iuda.* Michæas, *In millibus Iuda.* Matthæus, *Ex te exiet Dux.* Michæas, *Ex te mihi egredietur.* Matthæus, *Qui regat populum meum Iſrael.* Michæas, *Qui ſit dominator in Iſrael.* Adiicit Vates, *Et egreſſus eius ab initio, à diebus æternitatis.* Quod omnino ſilentio preſſit Euangeliſta.

14. *Vndenam pugna exorta?*

Quænam igitur tantæ pugnæ cauſa? Opinor cum Hieron. Euangeliſtam non quid Propheta dixerit, ſed quid Sacerdotes, & Scribæ reſponderint, narrare voluiſſe. Difficilior quæſtio, Vtrùm ſacerdotes ex ignorantia an ex malitia Michææ verba infideliter recitarint? Doctorum alij Sacerdotes malitiæ incuſant, alij arguunt ignorantiæ. Ego illos cum Lyrano ab vtraque nota libero. Herodes enim erat alienigena, & ſcripturas Prophetarum ignorabat. Vnde Scribæ reſpondentes, aliqua verba in Prophetæ teſtimonio immutauerunt, vt planius Regi loquerentur. *Tamen* (inquit ille) *eandem ſententiam tenuerunt.*

*Vtriuſque lectionis idem ſenſus.*

Singula percurram. *Et tu Bethlehem Ephrata. Et tu Bethlehem terra Iuda.* Idem prorſus. Hæc enim Bethelehem olim fuerat vocata *Ephrata*, poſtea autem propter ſuperuenientem fami panis abundantiam *Bethlèhem*, ſiue *Domus panis*, nuncupari cœpit, cuius Herodes hiſtoriæ minime erat conſcius. *Nequaquam minima es: Minima es,* ſiue *Paruulus es.* Non diſſident. Quia ſecundum Hieronym. talis eſt ſenſus. Licet paruulus es viculus reſpectu millium ciuitatum Iuda, ſi murorum ambitus ſpectetur: at propter Regem naſciturum in te, non inter minimas vrbes, ſed inter maximas debes caput attollere. *In Principibus Iuda. In millibus Iuda.* Idem principes & millia. Quia Hebraicè dicitur, *In ducibus Iuda.* Duces autem idem ſonat ac millia, vti mox confirmabo. *Ex te exiet Dux, qui regat populum meum Iſrael: Ex te mihi egredietur, qui ſit Dominator in Iſrael.* Parum in verbis, in ſenſu nihil diſſident.

15. *Cur ſacerdotes ſupprimũt Prophetiæ clauſulam?*

Enimverò indicare oportet, cur ſacerdotes particulam illam ſuppreſſerint? *Et egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis.* D. Chryſoſt. increpat Iudæos, quod non totam Prophetiam Herodi protulerint. *Adhuc* (inquit) *ipſam Prophetiam præcidentes, interficiendorum paruulorum facti ſunt cauſa.* Si ergo integram Prophetiam intuliſſent: obiiciens ſibi Herodes Regem, cuius dies à diebus ſæculi, in tantum furorem minimè exarſiſſet. Profectò neque hinc ſentio carpendos Iudæos; quia illud non attinebat ad reſponſionem. Interrogati enim ſunt: *Vbi Chriſtus naſceretur*, non autem, Vtrùm eſſet æternus Filius Dei, nec ne?

Ad hæc circa Prophetæ locum triplici ad- 16. *Triplex quæſtio.*
huc dubio ſatisfaciam. Cur Michæas non dixit, *Rex vel Filius Dei;* ſed *qui regat?* Reſpondet Chryſoſt. *Non dixit: Ex te exiet Filius Dei, ſed Dux qui paſcet populum. Oportebat enim in principio condeſcendere, vt non ſcandalizarentur.* Qui regat. Chriſtúſne rexit Populum Iſraël totum? Minime, quia non omnes credidêre. Attamen iuxta eundem Chryſoſt. *Hic dicis eos, qui crediderunt ex Iudæis.* Si autem non omnes Chriſtus rexit, eorum eſt accuſatio. Per ſynedochem igitur aliquos regens, Populum dicitur gubernaſſe. Quare denique nulla de Gentilibus ſit memoria? *De gentibus* (reſpondet idem pater) *tacuit, ne ſcandalizaret Iudæos.* Chryſoſt.

## §. V.

### *Quid ſignificet:* In Principibus Iuda, *ſiue* in millibus. *Vbi de prælati ac ſubditi identitate.*

VIdimus Matthæum ſcripſiſſe, *& tu Bethlehem terra Iuda nequaquam minima es in Principibus Iuda.* Michæam autem pro Principibus, ſeu Ducibus poſuiſſe, *In millibus Iuda.* Maldonatus noſter, *Nomen* (ait) *Hebræum vtrumque ſignificat & duces & mille: quia duces plerumque mille hominibus præerant.* Dux & mille idem prorſus? Num idem videtur ſubditos nominare, quam præſulem? Num idem eſt, Bethlehem magnam eſſe in Ducibus, in Principium ac ſubditorum identitatem, morum ſimilitudinem? Ita planè. 17. Maldon.

*Omne caput languidum*, (inclamat Iſaias) *à planta pedis vſque ad verticem capitis non eſt in eo ſanitas.* Cap. 1. Quænam capita iſta? Reges, iudices, prælati, queis contingit regimen Iſraëlis. Sed Hugo Cardin. particulam illam: *Omne caput* vniuerſalem ad omnes etiam ſubditos extendit. Vnde capitis verticem appellat Principem, Præſulem, iudicem; reliquum verò capitis ſubditos eſſe, quis dubitet? *Omne caput languidum: non eſt ſanitas in eo,* capite ſcilicet, *à planta pedis* capitis vſque ad ipſius verticem. Quare ergo ciues ſubditos etiam capita ſicuti Præſules appellauit? Quia membra omnia tam ſunt frequenter circa bonos, prauoſque affectus ſuo ſimilia capiti: vt omnia illa quodammodo capita exiſtant. Cum *caput dolet* (inquit Hugo) *cætera membra dolent: ita quia Principes infirmi ſunt, ablata eſt à populo medicina, & hoc eſt: Omne caput languidum.* Ac ſi diceret. Dolent membra, ſed in morem capitis; quia tam capiti aſſimilantur membra: vt capitis appellatione deſignentur. Expreſſit ingenioſè Demoſthen. huiuſmodi identitatem, fatus, *Reſpublica potius ſocietatem Rerum publicarum, quam Principem colunt.* Ac ſi Princeps nil aliud quam Rerum publicarum ſeu ſubditorum ſocietas exiſtat. 18. *Omnia membra ſeu ſubditi inſtar capitis afficiuntur.* Iſai. 1. Hugo. Card.

Propter

19. Propter Dauidis peccatum Deus per Nathan adulterino filio mortem eſt minitatus. *Ieiunauit Dauid ieiunio, & ingreſſus ſeorſum, iacuit ſuper terram.* At mortuo infante, *Surrexit Dauid de terra, lotus, vnctus.* 2.Reg. 12. vbi D. Ambroſ. Apol. Dauid. cap. 22. *Filio* (inquit) *ægrotante, Dauid fleuit, humi iacuit, cilicio ſe operuit & ieiunauit. Vbi mortuum cognouit, ſurrexit, lauit, cœnauit, alios conſolatus eſt.* Quoſnam alios eſt conſolatus? De Bethſabee conſolatione affecta per Dauidem tacet Textus: *Conſolatus eſt Dauid Bethſabee vxorem ſuam.* Nil de aliorum agit conſolatione. Quos igitur alios conſolatus eſt? Profectò capitis vertice, Rege ſcilicet languido, mœrente, omnes ciues ſunt confecti languore, mœrore. Vnde ad lætitiam Rege vocato, ſimul omne caput, languore ablegato, conſolatione afficitur. Quid exprimeret Textus, quod per ſe ita patebat? *Regum* (ſubdit Pater) *lapſus, pœna populorum eſt. Sicut enim eorum virtute ſeruamur, ita etiam errore periclitamur.*

*Conſolatione patris Regem eidem eſt, ac ſubditos ad conſolationē allicere.*

2.Reg. 12.

20. *Turbatus eſt* (ait Matth.) *Herodes Rex, & omnis Ieroſolyma cum illo.* Cap. 2. Cur illa particula: *Cum illo,* ſuperaddita? Annon ſufficeret poſuiſſe: *Et omnis Ieroſolyma?* Rectè inquit *cum illo.* Quia in capite omnis ciuitas, capitis in morem, nutabat praui exempli efficacia. *Videbantur* (inquit D. Thomas) *quod deberent gaudere:* quod videlicet tam expectati Regis inſtabat aduentus. Quænam igitur cauſa turbationis? Ad caput hæc membra pertinebant, ideo turbato capite, *cum illo,* ſiue in illo omnia membra, capitis in morem, turbantur. Pulchrè magnus Albertus: *Cauſa turbationis ciuitatis fuit in Principibus.* Quia in Principibus, ſiue in capite, non inſtar membrorum, ſed in morem partium ipſius capitis integrantium ob ſimilitudinem actionum cuncta ciuitas quodammodo reſidebat. Tanta boni, aut praui Præſulis in ſubditos influxio.

*In Herode omnis ciuitas capitis in morem nutauit.*

Matth. 2.

D. Thom.

# IN IESVM A MAGIS ADORATVM.

## Panegyricus quartus Moralis circa Literam.

### EX HERODIS, AC IEROSOLYMÆ TVRBATIONE.

### *OBSERVATIO I.*

Ad illa verba:

*Audiens autem Herodes Rex turbatus eſt.*

Herodes & quia Rex, & quia tyrannus in Ieſu conſpectu turbatur.

*Quia maior poteſtas maiori timori ſubiicitur.*

21. QVID turbaris Herodes, quid timore concuteris? Magi loquuntur, non denudant enſes. Profectò timet Herodes, quia Rex, *Herodes Rex turbatus eſt.* Quia (vti ſcribit D. Chryſol) *Semper grandis poteſtas maiori timore ſubiecta eſt.* Et adiiciens rationem ait: *Sicut enim rami arborum in excelſo poſitarum, etiam ſi leuis aura flauerit, mouentur: ſic & ſublimes homines etiam leuis nuntij fama conturbat.* Rex turbatur ad Magorum vocem, auram leuem? Imò ideo leni aura commouetur, quia Rex. Quare tyrannum Herodem Euangeliſta Regem appellauit? *Audiens Herodes Rex.* Annon accommodatius ſcripſiſſet, *Audiens Herodes Tyrannus?* Si quidem tyranno timor adnatus. Certè vt timorem inteſtinum Herodis expoſuiſſet, eum Regem etiam appellauit. Auguſta enim *poteſtas maiori timori ſubiecta eſt.*

Chryſol.

22. In loco quis excelſo collocatur? Adeò igitur contremiſcet; vt indigeat funibus illigari, ne corruat agitatus à vento. *Coma capitis tui ſicut purpura Regis vincta canalibus.* Cant. 7. Transferunt LXX. *Coma capitis tui purpura, Rex ligatus in tranſcurſibus.* Vt ſit ſenſus: Reges, capillorum in morem, ſupremum in capite Eccleſiæ locum obtinent. Si autem quæras, cur Rex ligatus in rerum vertice appareat? Ratio eſt in promptu: quia eo ipſo, quod celſum teneat locum, indiget funibus illigari, ne leuis eum aura conturbet. Dicebat Seneca, *Quod Regnum eſt, cui non ſit parata ruina?* Illud enim tibi ſtatui thronum, idem eſt ac ruinam ex turbatione capitis præparari, aura noui alicuius nuncij conturbante.

*Rex in alto conſtitutus debet illigari ne turbato capite excidat.*

Cant. 7.

23. Huc verba Dominica tendunt: *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare*

*vobis*

*Promiſſionem Regni ſequitur formido, Luc. 12.* Chryſoſt.

*vobis Regnum.* Luc. 12. Quænam cauſa timoris? Quia ſumus à patre Regni gubernationi deſtinati; nec nobis conſtat, num temporaliter, an ſpiritualiter hæc adimplenda ſint? Proh homines ſpiritus abiecti! Quid Regno illuſtrius? quid iucundius? quid ſecurius? Imo potius quid inſtabilius? quid dignius timore? Quam iuſtè totis artubus contremiſcunt qui ſuſcepturi erãt temporarij Regni (ſicuti forte exiſtimabant) gubernationem! Eleganti Chryſol. ſententia confirmat. *Dominus ſeruorum mentes tali voce confirmat, ne eos repentinæ promiſſionis Regni proſternat auditus. Regnum audire periculum, temeritas non timere.* Si ſoli Regni auditio periculum; quid Regni adminiſtratio?

24. *Non poteſt non timere qui ſuper altum ſtatuitur.* Ioſ. 10.

Haud poteſt ſine timore adeſſe celſitudo: *Cum adducti eſſent* ad Ioſue quinque *Reges, qui* fuerant obſcuro antro incluſi, *vocauit omnes filios Iſrael, & vocauit principes exercitus, qui ſecum erant. Ite* (inquit) *& ponite pedes ſuper colla Regum iſtorum.* Qui cùm perrexiſſent, & ſubiectorum colla pedibus calcarent, ruſum ait ad eos. *Nolite timere, nec paueatis, confortamini, & eſtote robuſti.* Cap. 10. Superiùs Dominus ad Ioſue: *Ne timeas eos, in manus enim tuas tradidi illos.* Iam quæſtio ſuboritur. Si liberauerat Deus Ducem, & milites à timore ante debellationem, ac ſubiectionem Regum illorum, cur poſtquam militum pedibus conculcantur, quando nulla adeſt formidinis ſuſpicio, milites victores curat Dux à formidine, à timore eripere? *Nolite timere.* Ex Abulenſi pulchrè, ratio præſentis timoris militum erat victoria. Ac ſi diceret nullatenus timere debebatis, quando Reges illi vobis ſuperiores erant; at nunc ſuper celſorum Regum colla conſtituti quid non paueatis? Quia *Sublimes homines* (loquor cum Chryſoſt.) *etiam leuis nuncij fama conturbat.* Sublimitas enim & celſitudo nunquam non eſt perturbationi obnoxia. Oſtendere intendens Tull. ad Quint. frat. regiam poteſtatem minimè poſſe eſſe *diuturnam*, bellè ait: *Nulla eſt Imperij tanta vis, quæ tanto premente metu poſſit eſſe diuturna.* Ac ſi non aliud ſit quem Imperatorem eſſe, quàm maximo premi timore.

Abulen.

Tull.

25. *Vel Seraphini metum ineffabilem alis ex vertice declarant.* Iſai. 6.

Nec mirum homines timore in gradu celſiori collocatos, ſi quodammodo paueant Seraphini. *Vidi Dominum* (Iſaias inquit) *ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum: Seraphim ſtabant ſuper illud, ſex alæ vni, & ſex alæ alteri, duabus velabant faciem.* Cap 6. Ad examen voco Seraphinorum ſupremo loco conſtitutorum ſpeciem; velant enim oculos ſubiectis alis. Quare? Vt referant obedientiam tanto Numini? Dixerim potiùs vt hac exaggeratione inſinuant, quàm ſit *periculo* excidendi obnoxia loci ſuperioris Maieſtas. Hanc ſuo auctori Chryſoſt. cogitationem dabo: *Timoris,* (ait) *ac ſtuporis erant plena; ipſa enim ſpecie metum ineffabilem erant declarantia, duabus enim alis velabant faciem.* Oculos quippe claudit, qui loco ſuperiori conſtitutus quando viſu ſtabili caret omnino, procurat, ne capite conturbato, ſit caſui obnoxius.

Chryſoſt.

26. *Timet Rex habens quod cuſtodiat.* Iſa. 60.

Quid non timeat, qui præterquàm quod loco celſo conſtitutus eſt, habet præterea quod cuſtodiat? Iſaias cum diuitibus ſermocinatus, ait: *Tunc videbis, & afflues.* Cap 60. E ſupremo vertice, diuitum more, oculos coniicis, vti greges, arua poſſis conſiderare, *Multa* (inclamans) *bona habeo.* Quid inde? LXX. Pro illa particula, *& afflues* transferunt, *& timebis.* Quid non timeat qui ſupremo gradu collocatus affluit, habens quod debeat, nec facilè poſſit cuſtodire. Vnde illud ipſum affluere, timere eſt. En timoris, ac turbationis Herodianæ occaſio: *Idumæus erat,* (cum Caietano loquor) *& propterea auditâ natiuitate Regis tam deſiderati à Iudæis, timuit perdere Regnum.* Et quidem ille timet perdere, qui habet aliquid cuſtodiæ deputatum. Quantæ curæ, quot moleſtiæ ſequuntur diuitias! Quis vnquam diues non inſtar calami, pauore commouetur?

27. *Charitas Ieſu quia benigna eſt, curat nos à temporaria poteſtatis curu dimouere.* Matth. 20.

Filij Zebedæi cum ſpeciali Chriſtum amore proſequerentur, temporarium principatum (in quorundam opinione) à Chriſto efflagitant, *Dic vt ſedeant* (inquit Salome) *hi duo filij mei vnus ad dexteram, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo.* Matth. 20. Quibus Magiſter, *Non eſt meum dare vobis.* Non eſt tuum? Regem ſequimur, qui nos Regno non poſſit donare? Quàm ſe ſe hic Chriſti charitas oſtendit immenſa! *Charitas* (inquit Paulus) *benigna eſt.* Chriſtus autem diſſimulat ius ad Regnum temporarium elargiendum hominibus, ne non benigna Charitas videretur. *Non eſt meum dare vobis.* Num meæ feruidæ in vos charitatis facinus, vobis amicis, cognatis, diſcipulis dare Regnum temporarium, quod equidem tot timoribus, tot curis ſcatet animi vermibus: quot ipſum Regnum continet diuitias, includit vrbes tutandas, ciues cuſtodiendos? Ambr. *Noluit his, quos diligeret, videri quod peterent denegaſſe. Sanctus & bonus Dominus, qui maluit aliquid diſſimulare de iure, quàm de charitate deponere. Charitas enim benigna eſt.* Annon charitas quaſi innatæ oblita benignitatis, ſeuera potius oſtẽderetur, id elargita Diſcipulis, quod maximo timore, incredibilibus curis erat cuſtodiendum? Si cuiuſuis Regis propria paſſio timere, quid tyranni? Si Chriſti Regis pacifici dignum facinus quoſcumque Reges veros à poteſtatis iugo liberare, quid tyrannum? O quàm ſalubriter, ô Herodes, Rex natus tibi incuſſit timorem, inuitauit ad requiem; ſed tu potius elegiſti tyrannidis curis magis implicari.

Ambroſ.

## OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

*Audiens autem Herodes Rex turbatus eſt.*

Turbatus Herodes, quia Magos noui Regis præcones neceſſariò ſequitur iudicij formido.

*In Euangelici ſermonis contemptores.*

REDDENS

28. Albert.

REDDENS Magnus Albertus cauſam huiuſce turbationis, ait; *Magi bonum nuncium apportantes, læta putabant nunciare Regi & ciuitati, perſonantes nouitatem noui Regis. Malignitas autem Herodis ea male accipiebat auditum.* Ideo timet Herodes, quia numquam non veritatis præconium ſequitur Ieſu iudicaturi aduentus. Abulenſis: *Hoc congruebat, ad ſignificandum Chriſti iudiciariam poteſtatem, de qua Herodes tanquam terrenus timebat.* Iudiciaria itaque Chriſti poteſtas aperitur; iudicium horribile obiicitur Herodi noui Regis præconium audienti. Quia poſt veritatis præconem iudex adeſt.

Abul.

29. *Poſt Ioannem præconem venturum iudicium.* Ioan. 1. Anſelm.

Regem præſentem, & venturum Ioannes anouncians, inquit: *Poſt me veniet vir, qui ante me factus eſt.* Ioan. 1. Ac ſi diceret: Qui ante me factus eſt iudex viuorum & mortuorum veniet poſt me præconem veritatis. Pulchrè Anſelm. prædicta verba ſic interpretatur: *Poſt præconem Iudex.* Vt ſcilicet qui prædicationis voci non obtemperauit, terribili ſubiaceat iudicio. Subit enim iudicium, qui prædicatione non præſtat obſequium.

30. *Poſt tonitru prædicationis iudicij fulmē.* Act. 2.

Cumpletis Pentecoſtes diebus, *factus eſt de cœlo ſonitus, & apparuerunt diſpertitæ linguæ tanquam ignis.* Act. 12. Vndenam ſonitus ille procedebat? A linguis reor proceſſiſſe ſonum. Cur verò ignis linguas comitatur, ſonum ſequitur vocis, ſi fulminis in morem ſonitus ſequi deberet coruſcationem? Equidem poſt prædicationis præconium ignis adeſt iudicij. Subdit Lucas, *Seditque ſupra ſingulos.* Sedet? Quare dicitur ſedere ignis? Egregiè Hugo Cardin. *Seditque, quod eſt Regiæ poteſtatis*; ſiue (vti ipſe addit) ſedit in morem iudicis iuxta illud Sap. 7. *Iudex iudicibus nullo ab eis crimine effugandus.* En iudex poſt prædicationis ſonitum, fulmen poſt tonitru.

31. *Res tibi cum igne ſi ad ſonum prædicationis non reſipiſcis.* Pſal. 17. Incog.

Pſalmiſta inclamat: *Intonuit de cœlo Dominus & Altiſſimus dedit vocem ſuam, grando, & carbones ignis.* Pſalm. 17. Vbi Incog. *Ponitur claræ veritatis prædicatio: Intonuit de cœlo Dominus, & Altiſſimus dedit vocem. Sed quid ſequitur ex tali manifeſtatione? Grando & carbones ignis.* Hinc prædicationis voces reſonant, illinc examinis fulmina micant. O quantâ afficior formidine, dum reſonante tonitru præconis, timeo, ne propter deſidiam exequendi, fulmine percutiar indignationis!

32. *Deipara poſt venturi Ieſu præconiū turbatur vicem peccatorum dolens.* Luc. 1. Chryſol.

Ad vocem Archangeli Deipara turbata eſt. Ex ſpecie ne, an ex ſermone? *Turbata eſt in ſermone eius.* Luc. 1. Putarem magis ex virili ſpecie diſturbandam Deiparam, quæ virginali erat verecundiâ condecorata. Quærit Chryſol. Serm. 140. *Quid eſt quod perſonam videt, & de ſermone turbatur?* Reſpondet: *Quia venerat Angelus blandus in ſpecie, in ſermone terribilis, humana proferens, Diuina repromittens. Vnde & Virginem, quam leuiter viſus ſolicitauerat, nimium turbauit auditus.* Quare ex auditione turbatur? Quia Angelus, concionatoris in morem humana proferebat, repromittebat Diuina. Hoc eſt, Chriſti natiuitatem prædicabat, Diuinam Regis naſcituri euulgabat hominibus munificentiam. Non equidem fugiebat Deiparam ſapientiſſimam, prædicationem eſſe (peccatoribus vtique, quorum curam iam ſuſcipiebat) tonitruum, quod diuini iudicij fulmen ſequeretur. Vnde pulchrè adiicit Chryſol. *Quid plura? Mox ſenſit in ſe ſupremum ſuſcipi iudicem.* Conturbor propter vos, ô miſeri ad tribunal aduocandi, veſtram vicem dolere incipio.

33. *Beneficium manna peccatoribus in vermem vertitur arguentem.* Exod. 16. Orig.

Manna illud, quo Hebræi veſcebantur, *ſcatêre cœpit vermibus, atque computruit.* Exod. 16. Vbi Origen. *Si manna verbum Dei, quomodo vermes facit? Non te hic turbet auditus. Audi Prophetam ex perſona Domini dicentem, Ego ſum vermis. Ipſe eſt ergo ſermo Dei, qui iniquorum mentes arguit, qui & ignis efficitur. Ideo peccatoribus nec vermis arguens moritur, nec ignis reſtinguens aliquando reſtinguitur.* In iudicem enim verbum ipſum conuertitur, vti arguat, & puniat. Audite proinde filij, Magorum præconium, ac ſimul Regis iudicaturi timorem edocemini.

## OBSERVATIO III.

### Ad illa verba:

### *Et venimus adorare eum.*

### Docent Herodem Magi muneribus exhibitis, Iudicem emollire.

*Vbi de eleemoſyna apud nouiſſimum tribunal præſidio.*

PROFECTÒ Magi præconio veritatis deterrêtes Herodem, dum iudicaturi Domini obiiciunt tribunal, ſimul vulneri medentur, innuentes, quonam modo ſit tam horribilis Iudex leniendus. *Vidimus* (inquiunt) *ſtellam eius, & venimus adorare eum.* Noſter Barradius, & alij (ex quo codice neſcio) addunt, *Et venimus cum muneribus adorare eum.* Ac ſi indicarent, vndenam poſſit venturus iudex emolliri. Expendo verba illa: *Et apertis theſauris ſuis obtulerunt ei aurum, thus, & myrram.* Auro Regem, thure Deum, myrrhâ hominem Magi ſapienti conſilio donauêre. Chriſtus enim velut Rex venturus erat iudicare iuxta illud, *Tunc dicet Rex.* Tanquam Homo, ſecundum id, *Cùm venerit Filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ.* Vti Deus, dicente Prophetâ, *Iudica me Deus.* Magi ergo congruè aurum Régi, incenſum Deo, Myrrham homini præferunt iudicaturo; vt Deus Homo, Rex iudex ante inflictionem ſententiæ emolliatur. *Venimus* (inquiunt) *cum muneribus adorare eum*, qui tam terribiliter ô Herodes, tibi minax exiſtet: vt edoceamur, quonam eum aſtu valeamus inflectere. 34.

Barrad.

Mat.

35. *Læta ſuſcipit cumulatum muneribus Chriſtū ſponſa, cui ante munera non audet aperire.* Cant. 5. Gregor.

Iudicaturus accedit Sponſus, pulſat: *Aperi mihi.* Cant. 5. Repugnat iudicanda. *Spoliaui me tunicâ meâ.* D. Gregor hom. 3. in Euang. manifeſtum ad hunc locum innuit reſpectum, dum ait: *Et vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum, quando reuertatur à nuptiis; vt cum venerit, & pulſauerit, confeſtim aperiat ei.* Luc. 12.

*Venit*

*Venit*(inquit) *Dominus, cum ad iudicium properat. Aperire enim iudici pulſanti non vult, qui exire de corpore trepidat.* At piiſſimus Dominus vnde trepidatio ceſſet, oſtendit, manum immittens per foramen. *Dilectus meus* (clamat ſponſa) *miſit manum ſuam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius. Surrexi, vt aperirem Dilecto meo.* Ibid. Vndenam, ablato timore, ad aperiendum ſurgis? Ad excipiendum iudicem geſtis? Miſit manum ſuam, quaſi eam porrigens, ad munus accipiendum; ei exhibui munera; iam iudicium minimè timendum, ſed omnino eſt redditum expectabile. Ad rem

*Maxim.* D. Maximus Serm. 7. de Eleemoſ. *Nihil enim iudicem timeamus, qui ante iudicium manum porrigit. Nihil iudicem metuamus, qui recipere non recuſat.*

36\. *Baltaſſari iudex manum porrigebat vt muneribus expleret.* Baltaſſari apparet. *Quaſi manus hominis ſcribentis.* Dan. 5. Quid portenderet manus, ſi requiras? Dei, & hominis iudicantis, ac ſcribentis capitalem ſententiam prorſus innuit tribunal, vti placet Doctoribus. Datur miſericordiæ locus? Recordare obſecro quidnam Nabuchodonoſori

*Dan. 5.* Daniel: *Conſilium meum audi Rex, peccata tua eleemoſynis redime.* Cap. 4. Num non tibi hanc mentem ipſe iudex iniecit? Quid neceſſum reuelari conſilium? Nonne vides Deum ante iudicium manum hominis porrigentem? Nihil timeas iudicem, qui ante iudicium extendit manum; quia vti recipiat, proculdubio

*Auguſt.* expandit. *Ergo ſi conſilium* (inquit Auguſtin. Serm. 56. de Temp.) *eſt hoc, non ſimus pigri in tam bono conſilio. Da, laturario tuo das, ad cœlum portat. An excidit tibi. Venite benedicti Patris mei; eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare?* Quid ſententiam manus illius meis plenæ muneribus formidabo? Manus plena iuſtum adducit: *Venite.*

37\. *Fugit à ventura ira qui pauperi ſuccurrit.* Præcurſor inclamat: *Genimina viperarum, quis vobis oſtendit fugere ab ira ventura? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Luc. 3. Auguſt. cit.

*Luc. 3. Auguſt.* *Qui ſint iſti fructus, ipſe conſequenter oſtendit. Nam poſt hæc eius verba interrogabant eum turbæ dicentes: Quid ergo faciemus? Reſpondens autem, dicebat illis: Qui habet duas tunicas, det vnam non habenti: & qui habet eſcas, ſimiliter faciat.* Hiſce ergo fructibus prolatis, à iudicij venturi rigore liberaberis. *Quid* denique (adiicit Pater) *ſonat quòd ſuperius ait, Omnis arbor non faciens fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur; niſi quod ſiniſtri audituri ſunt: Ite in ignem æternum: eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare.* Manus vacua ablegat impium: *Diſcedite.*

38\. *Manus eleemoſynam accipiens operātur miſericordis liberationi.* Quomodo poteſt non eſſe propitia ad liberationis ſcribendam ſententiam manus illa, quæ quidem obſequium accepit in paupere? *Compulit* Loth peregrinos *oppido vt diuerterent ad eum, ingreſſiſque domum illius, fecit conuiuium.*

*Gen. 19.* Inſtante autem *iudicij horribilis exitio, cogebant eum Angeli, dicentes, ſurge. Diſſimulante illo, apprehenderunt manum eius.* En manus prius apprehenſa à Loth, vt muneribus cumularet, eum apprehendit, vt ab imminenti eriperet iudicio.

*Chryſol.* Benè Chryſol. *Loth, quia hoſpitio ſuſcepit Angelos, iudicium præuenit.* Neque enim manus, quæ cogebatur repugnans ad hoſpitium, poterat non manum benefactoris cogere ad liberationem.

39\. Admonuerim tamen illa Iudicem munera placare, quæ ab offerente mundo exoriuntur. Magi prius procidētes *adorauerunt*, mox autem *apertis theſauris ſuis obtulerunt munera.* Sit tibi Herodes hodie Cain, Magi autem in offerente *Iudicem mūda manus offerentis placant.*

*Gen. 4.* Abele deſignentur. Vterque frater obtulit. At Deus: *Reſpexit ad Abel, & ad munera eius, ad Cain autem, & ad munera eius non reſpexit.* Gen. 4. Prius Iudex integerrimus reſpicit munera afferentem, quam ipſa munera, num cordis mundicie condecoretur? Apprimè Grego-

*Gregor.* rius: *Mundari debet prius animus, qui eleemoſynam præbet. Quia omne quod datur Deo, ex dantis mente penſatur, & iram Iudicis placare neſcit oblatio, niſi ex mundiria placeat offerentis. Neque enim ſacrum eloquium tantum dicit, quod reſpexit Dominus ad munera Abel, & ad munera Cain non reſpexit; ſed prius ait quod reſpexit ad Abel, deinde ſubiunxit, & ad munera eius. Ex dantis quippe corde, id, quod datur, accipitur.*

# OBSERVATIO IV.

Ad illa verba:

## *Et omnis Ieroſolyma.*

## Turbatur Ieroſolyma, audito noui Regis aduentu.

*Quia induratus peccator ex conſuetudine odit medicamen.*

MIROR turbatam Ieroſolymam ad cœleſtis Medici aduentum, cuius in pennis ſanitas; ſed magis hinc rapit in admirationem cauſa ab Euthym. reddita. *Excæcauit* (inquit) *eos inuidia. Audientes turbati ſunt quaſi timentes, ne fortè ſalutem conſequerentur.* Eò cordis humani malitia deuenit, vt ipſa ſalus ſit ei cauſa perturbationis. Quæ quidem dementia præcipuè tenet aulicos, luxurioſos, iracundos, adulatores, ac ex conſuetudine delinquentes. 40. *Euthym.*

In primis fauor apud Principes reddit hominem ita propriæ miſeriæ addictum, vt doleat vehementer ſi quando ab eiuſmodi ſit tenebris eruendus. Cuius equidem cæcitatis oſtentiam plorat Iſaias: *Et ducam cæcos in viam.* (Anſel. Id eſt *in Chriſtū qui eſt via.*) *Quis cæcus, niſi qui venundatus eſt?* Cap. 42. Illorum ſcilicet morem ſecutus, qui venditur lætus, vt miſerè aſſideat remigio. Remiges profectò illos appellarim, qui, vt aucupentur Principum fauores, nolunt à tranſtris dimoueri. Huiuſmodi homines, ne dicam mancipia, turbatione afficiuntur, in tanti liberatoris conſpectu. Deplorans D. Paſchaſ. lib. 2. in Matth. hanc Ieroſolymæ imò Iſraelis calamitatem, fatur: *Dei quondam Populus, ob fauoris gratiam turbatus dicitur, dolens repromiſſum iam cælitus adueniſſe.* 41. *Non vult ſanari aulicus.* *Iſai. 42.* *Anſelm.* *Paſchaſ.*

Deinde carnis illecebræ adeò mentem afficiunt, vt nullatenus velit luxurioſus à volutabro dimoueri, ſuamque nuditatem operiri. In quem 42. *Medicū ad luxurioſ.*

quem ſenſum expendo Adami & Euæ nuditatem. *Cumque agnouiſſent ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata.* Geneſ.4. Id profectò foliorum viriditas efficit dum vulneribus inſident, quod nullatenus eis medeantur, ſed conſeruent. Foliis igitur Protoplaſti vulnera operiunt, vt carnis illecebras poſſint myſticè æternare. Ambroſ.lib. Parad. cap.3. *Iacit Adam ſupra ſe folia, qui culpam velare deſiderans carnis prætendit illecebras.* Non curat vulneri mederi, ſed vulnus ſtudet conſeruare.

(Gen. 4. — Ambr.)

44. *Iracundus fugit remedium.* Prætereà iræ perturbatio, ac vindictæ deſiderium odit plerumque medicamina. Poſtquam Cain fratrem deliberatò interemit, medici præſentiens aduentum, triſtitiâ afficitur, dicente Domino: *Quare iratus es, & cur concidit vultus tuus?* Quia vulneris alligaturam fugio, in medici conſpectu afficior mœrore. *A facie tua ſinſeriùs abſcondar.* Gen.4. Quare? D.Ambroſius: *Abſcondit ſe, qui velare vult culpam, & tegere peccatum. Amat enim tenebras ſuorum, & latibula peccatorum.* Si tenebras amat, graue certè illi ad lucem reuocari.

(Geneſ. 4. — Ambr.)

45. *Adulatir amat ægritudinem.* Ad hæc adulatio amat ſuam miſeram conditionem, nec vult à collo tam graue iugum excutere. Id oſtendit Paſchaſ lib.2. in Matth. in Ieroſolymæ ciuibus læto illo nuntio perturbatis. *Eis Ieroſolyma fauet iniuſtè, quos, Dei iuſto iudicio, crudeles ſuſtinet oppreſſores, neque iis metuit adulari, quos Dei in ſemet quotidie voluntati conſpicit reluctari.*

(Paſch.)

46. *Qui adulatori acquieſcit difficile reſurgit à crimine.* Quid adulatorem dico? Verùm nec qui vana improborum adulatione nutritur in ſceleribus ſuis, ad vitam facile reuocatur. Adoleſcenti Dominus, *Sine, vt mortui ſepeliant mortuos ſuos.* Luc.9. Chriſtus Filiam Archyſinagogi ſuſcitauerat, Viduæ filium Adoleſcentem ad viuentes attulerat, Lazarum vocauerat à ſepulchro. Euſeb. Emiſſ. ſermon. de Lazar. *Per hos tria mortis genera ſignificantur. Moritur homo praua, & illicitæ cogitando: moritur malè operando: moritur in peccatis perſeuerando.* Cur igitur quartum hunc defunctum patentem illius adoleſcentis non ſuſcitauit? Porrò quarto defuncto deſignatur qui peccatorum habitu illigatur adulatorum vitio in ſuis ſceleribus nutritur, cuius difficilis valde reſurrectio. D.Gregor.4. Moral.c.25. audite: *Quartum mortuum Redemptor noſter, nunciante Diſcipulo, agnoſcit, nec tamen ſuſcitat; quia valde difficile eſt, vt is quem poſt vſum malæ conſuetudinis, etiam ad vltimum adulantium linguæ excipiunt, à mentis ſuæ morte reuocetur.* Nec mirum Herodem ad adorandum Ieſum minimè acceſſiſſe, ſed potius ei mortem fuiſſe meditatum, ſi mortuus erat à mortuis ſepultus adulatoribus.

(Luc. 9. — Emiſſ. — Greg.)

47. *Ex conſuetudine delinquens non vult à miſeria recedere.* Denique tunc maximè peccator medicum effugit, ne ad ſanitatem reuocari valeat, cum, additis criminibus, praua conſuetudine tenetur. Cum primi Parentes audiſſent vocem Domini; ſub hominis ſpecie ambulantis in Paradiſo, ad auram poſt meridiem: *Abſcondit ſe Adam, & vxor eius à facie Domini.* Gen.3. Chryſoſtom. homil. *Quanta* (inquit) *hoc eſt inſipientia, quod à Deo, qui vbique præſens eſt, qui abſcondita ſcit, qui fingit ſigillatim corda hominum, & nouit omnia opera eorum, qui ſcrutatur corda, & renes, qui etiam ipſos cordis motus cognoſcit; abſcondere ſe tentant?* Et quare fugiunt? *Nemo-* *Ant. de Eſcob. & Mendoz.* de Sanct. Tom.1. *veris, dilectè; & talis horum peccantium conſuetudo eſt, vt tametſi occultari non poſſint, occultari velint.* Si non poſſunt occultari, cur occultari volunt? Non poſſunt occultari Domino aſpicienti, ſed volunt occultari Domino medicanti. Perſpicacius adhuc D.Gregor. *In qua occultatione non ſe Domino ſed Dominum abſcondit ſibi:* Ne videlicet vulneri medeatur. Sic peccandi conſuetudo hominem à ſalutis dimouet deſiderio.

(Gen. 3. — Chryſoſt. — Gregor.)

## OBSERVATIO V.

### Ad illa verba:

### *Et omnis Ieroſolyma cum illo.*

### Turbato Rege Herode, ſubdita Ieroſolyma incidit in turbationem.

*Principum enim exemplum ciues ſequuntur.*

48. EN exempli Principum, ac Magiſtratuum vis. Omnis Ieroſolyma, quæ diu expectauerat Regem Iudæorum, haud eum excipit gaudio perfuſa, ſed mœrore perturbata; quia ſuum Principem imitata eſt. Caiet. *Turbata* (inquit) *eſt Ieroſolyma cum illo, applaudens Herodi. Propter quod Euangeliſta addit: Cum illo. Significans, quod imitando Herodem, omnis Ieroſolyma turbata eſt.* Turbatio igitur aut pax ciuium à Regis vel pace, vel turbatione exoritur.

(Caietan.)

49. *Omnes pace fruimur, Rege pacato.* Paulus Timotheo: *Obſecro primum fieri obſecrationes, poſtulationes, & gratiarum actiones pro Regibus.* Quare tantum petitionum, obſecrationum, necnon ſacrificiorum præſidium? Ingruunt hoſtes? Imminent bella? terra, marique inſonat armorum ſtrepitus? Reſpondet, *Vt quietam, & tranquillam vitam agamus.* 1. Tim. 2. Fiant itaque pro nobis huiuſmodi obſecrationes, non pro Regibus, ſi noſtræ ſic paci conſulitur. Imò quia noſtræ vtilitati ſtudetur, pro Regibus orandum eſt. Quia Rege abſque perturbatione incolumi conſeruato, ciuitas vitam ducet pacificam. D. Anſelm. *Obſecrationes fiant, vt vitam quietam agamus, vt gentiles non audeant inquietare nos.* ſicuti Herodem in quietauerunt, & cum illo omnem Ieroſolymam. Quia ſcilicet Regis affectus ſubditos rapit ſpectatores.

(1. Tim. 2. — Anſelm.)

50. *Turbato illo turbamur.* Obiicis, ſi turbamur cum Rege, cum eodem lætamur: Regem ſequimur & curis affectum, & gaudiis redundantem. D. Cyprianus: *Turbatur cum Rege maligno Ieroſolyma, non lætatur.* Regis profectò errore perimus, nequaquam eiuſdem gaudio ſubleuamur. Eius igitur fugiamus principatum, qui neſcit communia efficere gaudia, ſicuti moleſtias, & incommoda efficere ſcit: illi hæreamus Principi, qui ſibi ſeruans

(Cyprian.)

bella, nos facit veræ pacis poſſeſſores.

Verùm ad iudiciariam Herodis curiam doctrinam hanc allicit. Dion. Carth. *Turbata eſt omnis Ieroſolyma, conformantes ſe Domino ſuo: quia vt dicitur in Eccleſiaſtico, ſecundum iudicem populi, ſic & miniſtri eius.* Vbi nutat caput iuſtitia perit ob prauitatem miniſtrorum. Iudex etenim corruptus miniſtros inficit corruptela.

51. O quàm aſſolent miniſtri iudicibus conformari! *Principes ſacerdotum, & omne conſilium quærebant falſum teſtimonium contra Ieſum, & non inuenerunt, cum multi falſi teſtes acceſſiſſent.* Matth. 26. Vbi D. Paſchaſius l. 11. in Mat. acutâ excitat quæſtionem: *Quid igitur non inuenerũt? Num quid non inuenerunt falſum teſtimonium contra Dominum, quod quærebant? Et quia falſi teſtes erant, quomodo non inuenerunt falſum teſtimonium, quod quærebant?* Mirum planè iudices iniquos falſum teſtimoniũ quærere, & cum eſſent falſi teſtes, non inuenire: Nam ſi teſtes falſi ſunt, qui accedunt, quomodo falſum teſtimoniũ non inueniunt, quippe cum à falſo teſtimonio quæſito & inuento falſi teſtes denominentur? Attende non dixiſſe Euangeliſtam iudices inueniſſe falſum teſtimonium contra Ieſum, ſed quæſiuiſſe. At tanta eſt inter iudices & miniſtros conformatio, vt vel ipſi teſtes falſi non inuenirent falſum teſtimonium, ſed tantum quærerent: vt iudicibus quærentibus, nec tamen inuenientibus conformarentur. Inueniant iudices, quod requirunt, mox falſi teſtes proculdubio quæſitum falſum teſtimonium inuenient.

*Falſi teſtes non inueniũt teſtimoniũ contra Ieſum, quia iudices non inueniebant.*

Contemplatus item Rathbertus Abbas caput Reipublicæ tentatum iniuſtitia, membra corruptione deprauata, inclamat cum Propheta. *A planta pedis vſque ad verticem capitis nõ eſt in eo ſanitas.* Et adiicit: *Ex eo patet, quia à planta pedis vſque ad verticem capitis nulla in eo populo erat ſanitas, ſed vna iniquitas in omnibus vnaque ſententia.* Quia ſcilicet caput populi ſacerdotes, omneque conſilium aduerſum Ieſum erat deprauatum. Quid mirum totum corpus inſici corruptelâ, ſi caput lãguidũ, ſi iudex corruptus? *Aufer* (inquit Sapiens) *impietatem à vultu Regis, & iuſtitia firmabitur thronus eius.* Pro. 25. Vbi Hugo Card. *Aufer iniquitatem à vultu prælati, id eſt auaritiam; & iuſtitia firmabitur poteſtas, & officium eius.* Sine ij, qui circa eius poteſtatem, & officium munus exercent. Plura alibi.

52. *Caput languidum: Ergo nulla in curia ſanitas.* Paſchaſ.

Prouer. 25. Hugo Card.

# OBSERVATIO VI.

Ad illa verba:

## *At illi dixerunt, In Bethleem Iudæ,* &c.

## Sacerdotum circa Domini natalitia non fidelis reſponſio.

*Vbi edocentur concionatores indignis cœleſtia arcana non reuelare, ignorantes ſilere, ſcriptura teſtimonia minimè truncare.*

HEROD I ſciſcitanti: Vbinam Chriſtus naſceretur? reſpondent Sacerdotum proceres in Bethlehem naſciturum iuxta Prophetæ vaticinium. In cuius expeditione *Arguuntur ſacerdotes* (loquor cum magno Alberto) *& ſcribæ de tribus: De proditione, de ignorantia, de malitia.* Singula capita percurram. 53

Albert.

### Capvt I.

### *Sacerdotes ij de proditione, ſiue arcani iniuſta reuelatione arguuntur.*

DE proditione arguendos ſacerdotes ſic oſtendit Albertus: *De proditione, quia ſecreta Dei conſilia de liberatore prodiderunt impiiſſimo cani Herodi contra illud, quod dicitur Tobiæ 12. Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt. Et Matth. 7. Nolite ſanctum dare canibus, & Margaritas nolite proiicere ante porcos.* Piaculum profectò Regis cœleſtis arcana indigno reuelare. 54.

*Hi Sacerdotes Regis cœleſtis vulgarunt arcana.* Alber.

Hinc Regius Vates: *In corde meo abſcondi eloquia tua, vt non peccem tibi.* Pſalm. 118. Tibi inquam Regi, cuius ſecretum theſauri inſtar, in agro eſt pectoris cuſtodiendum. D. Ambroſ. ſic locum interpretatur: *Propterea ergo myſterium Regis bonum eſt abſcondere. Peccat enim Deo, qui commiſſa ſibi ſecreta myſteria putauerit indignis eſſe vulganda.* Thronos Georgius Venetus quibus Sacerdotes figurari affirmat, cum Saturno componit, vt doceat, quam ſacerdoti adnatum ſacra myſteria, quando opus eſt ſilentio cuſtodiri. *Nam Saturnus* (ait ille) *ſilentio, & ſolitudine delectatur. Vnde Saturni eius in ſecollectis ſilentio arcana Dei perſcrutantur. Vt videlicet tenaciter* (vti Venetus inquit) apud præcordia retineant. 55.

*Piaculum indigno aperire.* Pſa. 118. Ambroſ.

Venet. Cant. 1. Tom. 4. c. 5.

Sententia illa: *Margaritas nolite proiicere ante porcos.* Quâ Albertus in ſui argumenti confirmationem vtitur, illuſtranda eſt. Margaritarum namque vocabulum ad theſauri pertinet ditionem. Magiſter ſic, *Simile eſt Regnum cælorum theſauro abſcondito in agro,* Matth. 13. D. Ambroſ. vbi ſuprà ſic exponit: *Vtique non aurum, non argentum, non pecunia comparari poteſt Regnum cælorum. Sed eloquia Domini eloquia caſta, argentum igne examinatum. Hunc ergo theſaurum ſapientiæ, & cognitionis abſconditum in agro, in quo plantata ſunt verba ſcripturarum cæleſtium, cum inuenerit homo, abſcondit ille in corde ſuo, nec diuulgat eum; ſciens, quia ſi diuulgauerit Babylonis Theſaurum Dei, magnam offenſam contrahet. Caue ergo, ne diuitias tuas perfidis prodas, & ſi amicitiam ſimulent, non illis aperias interiora domus tuæ, non reſeres theſauros Regios, quos Babylonij ſcire non debent. Hoc eſt, quod in Euangelio dicit Dominus, Nolite mittere margaritas veſtras porcis.* Quid Alberti teſtimonio, Sacerdotúmque commiſſo accommodatius? 56.

*Proiicit enim antè porcos margaritam.* Matth. 13. Ambroſ.

Id certè confirmat myſtica theſaurorum diei huiuſce reſeratio. *Et apertis theſauris ſuis, obtulerunt ei munera, aurum, thus & myrrhã* Mat. 2. Vbinam hi theſauri aperiuntur? Num in Herodis conſpectu? Minimè, ſed coram Ieſu. Hanc Galfridus mouet quæſtionem: *Quid neceſſe erat ſcriberetur, quod theſauros aperiunt?* Reſpondet. 57.

*Haud ſic Magi.* Matth. 2.

Galf.

Reſpondet. *Certè nobis eodem ſermone hoc videbitur commendatum; ne quis theſaurum ſuum publicè ferat; ſed intera conſcientiæ clauſtra contegens, illi* Ieſu ſcilicet, *ſoli aperiat.* Si Magi natum Regem Iudæorum inclamant, Filium Dei confident Angelorum Principem. Si viſam à ſe ſtellam indicant, ſe Spiritus ſancti igne illuminatos, accenſoſque diſſimulant. Hoc quidem in præſentia Herodis praui Babylonis Regis. At in conſpectu Ieſu Theſauros aperiunt auro, incenſo, ac myrrha, Regem, Deum, hominem haud pronunciare dubitauerunt.

58. *Licet improbus tibi ſit coniunctiſſimus, cæleſtia ei non aperias arcana.* Matth. 6. Ambroſ.

*Te* (inquit Ieſus) *faciente eleemoſynã, neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua.* Matthæi 6. Vbi dexteræ nomine opera exprimuntur, quæ ad cœleſtis beatitudinis conſecutionem ſpectant. Quid autem ſiniſtræ appellatione ſignificatur? Reſpondet Ambroſ. l. 2. offic. cap. 30. *Vnanimis tuus, frater tuus, quod facis neſciat.* Addo ſiniſtræ nomine non ſolùm vnanimem ac fratrem, ſed vnanimem fratrem ſiniſtrum, ſiue peccatorem deſignari. Quid de operum dexteritate certiorem facis ſiniſtrum, qui Iudam ſiniſtrum imitatus, obiiciat, *Vt quid perditio hæc?* Siue ad operis dexteræ perditionem inſurgat, ſicuti Herodes nati Regis eſt exitium, perditionemque meditatus.

## CAPVT II.

### *Sacerdotes hi carpuntur propter ignorantiam.*

59. *Ieroſolymæ ſacerdotes ignorantes.* Alber.

QVonam modo de ignorantia Sacerdotes illi ſint arguendi, idem oſtendit Rathbertus, dum ait: *De ignorantia autem quia neſcientes verba Prophetarum, non adducunt ſcripturam ſicut iacet, Cum tamen nihil mutandum ſit in ſacro eloquio.* Iob 29. *Verbis meis nihil addere audebant: ſed ſtillabat ſuper eos eloquium meum. Hi igitur ignorantes Sacerdotes, non minus, quam Herodes Chriſtum ſunt perſecuti.*

60. *Paulus ſacerdos futurus ad ſcholã ſacris imbuẽdus immittitur.* Act. 9.

Valde neceſſaria ſacerdotibus ſapientia. Conſtituit Ieſus Saulum nouæ legis miniſtrum, cui Dominus, *Surge, & ingredere ciuitatem, ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere.* Eum mittit ad Ananiam nouæ legis myſterium edocendum Bernard. *O ſapientia, vniuerſa ſuauiter diſponens! Cum, cui tu loqueris, erudiendum mittis ad hominem, vt edoctus per hominem, diſcat & ipſe ſecundum datam ſibi gratiam, hominibus ſubuenire.*

61. *Vel gentilibus hæc perima doctrina.* Apoc. 1. Venet.

Annon ſacerdotium Regnum? *Qui fecit nos Regnum, & ſacerdotes.* Apoc. 1. O quanta ſapientia ſacerdotalis Regni adminiſtratores polleant neceſſe eſt! Affirmat Venet. *quod Saturnus typus ſacerdotum, Ianum docuerit ſapientiam, & partem Regni ei ceſſiſſe. In hoc inuenis ſapientiã refertum maximam partem habere ad hoc Regnum obtinendum.*

62. *Non eſt leuiter inſtruendus ſacerdos.*

Nec tamen leuiter hic inſtruendus. Sunt qui vix Latinum callentes ſermonem, ſe ſomnio præſumunt illuminatos. *Vidit* Saulus (quaſi mentis exceſſit, quem D. Bernard. ſomnium appellat) *virum Ananiam nomine introeuntem, & imponentem ſibi manus, vt viſum recipiat.* Non aſſumendus ad ſacerdotium is, qui ſe videntem ſeu doctum ſomniauit, ſed qui verè videns eſt. Ideo Ananias repugnauit, id obiiciens: *Audiui à multis de viro hoc, quanta mala fecerit ſanctis tuis.* Nemini proinde (ait Apoſtolus) *citò manus imponas.* Id quod adnotauit Bernard ſatus: *Iubetur Ananias manus imponere Saulo: ſed tanquam bene eruditus, non continuo acquieſcit. Vide enim ſi non Paulus ipſe doctrinã hanc tradidit Diſcipulo. Nemini (inquiens) citò manus imponas. Hæc dico* (ſubdit) *quia vereor, ne fortè quis ſit inter nos, qui ſolo ſe ſomnio præſumat illuminatum eſſe, nec iam æquanimiter patiatur ad manum trahi; ſed doctorem ſe ſe profiteatur alienum.* Ne igitur citò ô Præſul, cui *manus imponas.* Nec enim ſacerdoti leuis ſufficit ſcientia. *Sapientiſſimum eſſe oportet* (loquor cum Chryſoſtomo) *& perſpicacem in omnibus ſacerdotem, & mille ex omni parte oculos habentem; quippe qui non ſolum ſibi, ſed etiam populo viuit.*

Ant. de Eſcob. & Mendoz. de Sanct. Tom. I.

63. *Chriſtus Apoſtolos non repentè, ſed ex doctrina profectu eſſe fieri piſcatores.* Matth 4. Anſelm.

Sacerdotum Chriſtus ſtudens electioni, ſic Petro, & Andreæ. *Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum.* Id eſt, nouæ legis ſacerdotes. Matth 4. Cur non dixit, Faciam vos piſcatores ſacerdotes: ſed faciam fieri? Anſelm. *Fruſtra laborat Doctor, niſi Deus faciat vt proficiat.* Non vtiliter Doctores Petrus & Andreas mox conſtituerentur, niſi prius à Ieſu ad ſcholam mitterentur profecturi? Ideò ait, *Faciam vos fieri,* id eſt, inſtitui, edoceri; vt ſacerdotale munus conuenienter obire poſſitis.

64. *Sacerdos indoctus ſibi ipſi lethalis.* Nazian.

Eleganter D. Gregorius Nazianzen. Oratione 20. *Antiſtes,* ſiue ſacerdos, *facilè inuenitur, non elaboratus; ſed recens quantum ad dignitatem ſimul ſatus, & editus, quemadmodum Poetæ Gigantes fabulantur.* Num nõ audiſti de Cadmo draconis à ſe interfecti dentes ſeminaſſe, vnde ſtatim Gigantes pullularunt à capite vſque ad femur armati, qui eodem die inito prælio ſe ipſos mutuis vulneribus confecerunt? Sacerdos ſimul ſatus, & editus ſomnio gigas, non verè, ſibi ipſi interimendo, ſibi exitialis, & armatus exiſtit, minimè Dominico gregi tutando, dirigendo.

65. *Sacerdos, & doctus idem* Hieron.

Ratio eſt, quia diſtingui vix poteſt inter Sacerdotem & doctum; vnde priuſquam ſacerdos quis conſtituatur, doctus efficitur. Inde Hieronym. ad Aggæum: *Sacerdotis eſt ſcire, & ad interrogationem reſpondere de lege. Sacerdotis* (inquit) *eſt.* Ac ſi diceret, ad Sacerdotis eſſentiam quodammodo pertinet ſapientia. Sic olim Legiſlator: *Anima cum peccauerit per ignorantiam.* Ad vniuerſum populum lex huiuſmodi expectat quippe cum populus capax ſit ignorantiæ. At de Sacerdotibus: *Si Sacerdos, qui vnctus eſt, peccauerit, offeret pro peccato ſuo vitulũ immaculatum.* Leuit. 4. Cur non ſimiliter adiecit Textus: *Per ignorantiam?* Reſpondet acutè Origenes homil. 3. *Obſeruandum ſanè eſt, quod in peccato Pontificis, ſeu Sacerdotis, non addidit Legiſlator, quia per ignorantiam, aut non voluntate peccauerit. Neque enim cadere ignorantia poteſt in eũ, qui vt cæteros doceret, prouectus eſt.* Leuit. 4. Orig.

66. *Idiotæ miniſtri Chriſti perſecutores.*

Concludit Albertus. *Ignorantes Sacerdotes non minus quam Herodes Chriſtum ſunt perſecuti.* Saulo ad legis Moſaicæ tuitionem Chriſtianique nominis abolitionem feſtinanti Dominus: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Act. 9. Domine Ieſu, quonammodo te Saulus perſequitur, quem adhuc non nouit? Nonne ignorans te, interrogauit? *Quis es Domine?* Imo quia me ignorat, me perſequitur. Sacerdotali munere fungi curat Saulus, dum legem Act. 9.

defendit, proximos tutatur; ſed perſecutionem indicit Eccleſiæ, qui Chriſtum, eiuſque ignotans myſteria, ad animorum ſalutem (vti exiſtiſtimat ipſe) feſtinat. Tam pulchrè quàm breuiter D. Bernardus vbi ſuprà *Ignotum perſequebatur.* Hoc eſt. Ideò perſequitur, quia ignorat. *Ignorantes enim Sacerdotes Chriſtum ſunt perſecuti.* Ideò Gigantes illi (de quibus Nazianz.) ſimul ſati & editi, armati apparent, vti ſcilicet Eccleſiæ inferant perſecutionem.

Bernard.

## CAPVT III.

### *Sacerdotes hos taxabiles efficit malitia.*

67. *Sacrorum hi teſtimoniorũ truncatores.* Albert.

DE Malitiâ denique arguendos Sacerdotes illos, ſic Albertus demonſtrat: *De malitia arguuntur; quia hoc tantum de Prophetia induciunt, quod potuit prouocare Herodem: & tacent hoc quod mitigare poterat ferocitatem eius. Non enim dicunt niſi id, quod loquitur Propheta de temporali natiuitate, de qua turbatus fuit Herodes, & de æterna tacent, quod ſequitur: Et egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis. Quod ſi audiſſet Herodes, quod æterna ſunt, quæ dicuntur, & non temporalia Regna, requireret Chriſtum, & mitigatus fuiſſet, & ceſſaſſet perſequi.* Duplex igitur Sacerdotum Ieroſolymitanorum malitia. Nam & truncarunt, ſiue abſciderunt Prophetæ teſtimonium, & tacuerunt id, quod lenire poterat Herodem audientem, id ſolummodo proferentes, quod vulnus acerbaret.

68. *Bifrons à ſacris commentariis deturbatur.*

Primam Sacerdotum malitiam expendo, & confirmo. Praui Sacerdotes, dum magis adulationi, quam prædicationi vacant, abſcindentes ſacra teſtimonia, quod ſecuritatem peccatoribus offert, prædicant: quod timorem incutit, ſupprimunt. Quid Dauid? *Dulcis & rectus Dominus.* Illi dulcem euulgant, rectum eſſe continent. *Miſerator, & iuſtus.* Inclamant miſeratorem, iuſtum autem eſſe nullatenus affirmant. Ingenioſè Venetus innuit Saturnum (quem cum Sacerdotali ſtatu componit) à ſe Ianum bifrontem ablegaſſe. Nec enim bifrons, qui idem obiectum poteſt reſpicere, & non reſpicere, ex ſacraque ſcientia ad vnam periodum oculos tendere; noxieque alteram poſt tergum ad æternitatem attinentem non luſtratam relinquere: debet ad ſacerdotũ cœtum pertinere. Sic Sacerdotes hi priora reſpicientes; (*Ex te ea exiet dux*) poſt ſe *dies æternitatis* nõ adſpectant.

69. *Truncantes teſtimonia concionatores truncantur.* Act. 1. Caietan.

Quorum certè ſacerdotum ſupplicium te faciet in huiuſcemodi culpæ venire cognitionem. Iudæ praui Diſcipuli, concionatoris iniqui ad memoriam reuoca exitium. *Crepuit medius, & diffuſa ſunt omnia viſcera eius.* Act. 1. Vbi Caietanus: *Vt pœna tanti ſceleris diuino iudicio intelligatur.* Dei enim iudicis eſt, peccatores pœna delicto ſimili punire. Pœna hic Iudæ abſciſſio, omniúmque viſcerum effuſio, ſimile igitur peccatum. Quodnam? Acceſſit ille ad Ieſu hoſtes, fatus: *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* Quem eum? Num dixit, Hominem eum ac ſimul Deum vobis tradam? Illud equidem aperuit, quod mouit ad comprehenſionem, (*Ex te exiet dux*) illud tacuit, quod proculdubio reuocaret à crimine, (*Et dies eius à diebus æternitatis.*) Abſcidit veritatem? Iuſtè igitur abſcinditur: *Crepuit medius.* Non omnem protulit circa Chriſtum cognitam doctrinam? Meritò ergo omnia ipſius vicera diffuſa recenſentur: *Diffuſa ſunt omnia viſcera eius.*

70. *Sacram abſcindẽtes doctrinam abſcinduntur.* Galat. Caietan.

Paulus, *Vtinam & abſcindantur, qui vos conturbant.* Gal. 5. Id eſt, vtinam culpæ conſonum ſupplicium experiantur! In cuius expoſitionem quæris, quinam hi Eccleſiæ conturbatores? Superiùs paulò dixerat: *Qui autem conturbat vos, portabit iudicium.* Vbi Caietan. *Pſeudo-Apoſtolus dicit: Qui autem conturbat vos portabit iudicium. Quicumque eſt ille abſque exceptione punietur proculdubio à Deo.* Pſeudo-Apoſtolos certè (ſecutus Doctorum expoſitionem) illos appello, qui non integram aperiunt auditoribus veritatem, quique prætextu proferendæ veritatis aliqua præcidunt ad fidem pertinentia, aliqua in proximorum incommodum ſicuti hæretici aſſolent, reticere non verentur. Cum igitur huiuſmodi praui concionatores proculdubio à Deo puniendi ſint abſque exceptione. *Vtinam* (inquit Apoſtolus) iam *abſcindantur hi qui vos conturbant*, nec vlterius permittantur Eccleſiam perturbare. Abſcindendi enim ſunt Pſeudo-Apoſtoli, vti culpæ pœna reſpondeat. Qui enim abſcindunt, Iudæ in morem, ſacræ doctrinæ teſtimonia, dulcia aperientes, operientes amara, in ipſius morem Pſeudo-Apoſtoli Iudæ, oportet abſcindi. Adeſtote animis concionatores, (heu fuſis id memoro lacrymis) num inſtituti veſtri, teſtimoniorum ſacrorum ſi non noxiè, inutiliter tamen, ac indecenter periodos reſecare? Cauete, ne & vos abſciendamini è vite.

71. *Non ſolùm concionator arguat ſed obſecret.* 2. Tim. 4. Chryſoſt.

Alteram Sacerdotum malitiam breuiter aperio, & illuſtro. Tacuerunt ij id, quod lenire poterat Herodem, ſolummodo referentes id, quod dolorem vulneris auxit, Vtrumque præſtare deberet Sacerdos, & dulcia, & amara proferre. Paulum audite: *Argue, obſecra.* 2. Tim. 4. Poſtquam argueris, poſtquam acriter obiurgaueris auditorem, obſecra, eundem videlicet conſolari cura. Medici exemplo id oſtendit Chryſoſt. Hom. 7. in Gen. *Medici primo imponunt cataplaſmata magis efficacia, deinde, rapto vulnere, ea, quæ leniunt. Sicut patres filios ſuos videntes incompoſitis moribus, prius verberibus corripiunt, deinde admonent, & ſolantur. Ita & concionator poſt increpationem conſoletur auditores.* Haud ſic Sacerdotes illi, *de Prophetia* (cum Alberto loquor) *inducunt, quod potuit prouocare Herodem, & tacent hoc, quod mitigare poterat ferocitatem eius.*

Albert.

SECTIO

SECTIO QVINTA.

# Magorum in Bethlehemum immiſſio.

## TEXTVS.

*Verſ.* 7. Tunc Herodes clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus ſtellæ, quæ apparuit eis.

*Verſ.* 8. Et mittens illos in Bethleem, dixit: Ite, & interrogate diligenter de Puero, & cum inueneritis, renunciate mihi: vt & ego veniens, adorem eum.

*Verſ.* 9. Qui cum audiſſent Regem, abierunt; & ecce ſtella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, vſque dum veniens, ſtaret ſuprà, vbi erat Puer.

*Verſ.* 10. Videntes autem ſtellam, gauiſi ſunt gaudio magno valdè.

## COMMENTARIVS LITERALIS.

### §. I.

### *Cur Magi ſunt clam ab Herode vocati?*

1. *Particula Clam in malum accipitur.* TVNC *Herodes clam vocatis Magis.*] Particula *Clàm* in malum freqnenter accipitur, ſicuti aduerbium *Secretè* in bonum. Id quod adnotauit Abulenſ. hiſce verbis: *Clam ſonat in malum: Si dixiſſet, Secrete, poterat in bonum interpretari; ſed Clam ad malum eſt. Ita dicit Eccleſia matrimonia clandeſtina, quæ occultè ſunt facta propter aliquod malum.*

2. *Varia rationes.* Cur igitur clam Magi vocantur? Alij dicunt, ne Magi cogerentur aliquid de ſecretis ſuis coram multitudine manifeſtare. Occultè quæſiuit, vt ad reſpondendum ſoli Regi faciliores redderentur. Reſpondent alij Herodem per accidens adduxiſſe Sacerdotes, & ſcribas, quia ſine illorum conſilio minimè poterat Magis reſpondere. Nunc autem non erat illorum neceſſaria peritia aut miniſterium, vt Stellæ ortus indicaretur, quod equidem ad ſolos Magos pertinebat.

3. *Auctoris mens. Strab.* Ego autem ex præmiſſa aduerbij *Clam* ſignificatione reſpondeo, Herodem nihil aliud moliri, quam necem Infantis, ideo clam Magos vocat, ne Iudæi, quos alienigena ille habebat ſuſpectos, Regem ſuæ gentis amantes, & eius proderent conſilium & executioni obſtaculum adhiberent. *Poſſent* enim (vti Strab. adnotauit) *Chriſtum futurum ſibi Regem occultare.* Obiicis. Cur ergo à Iudæis quæſiuit de loco natiuitatis Ieſu? Quia vti Magis ſatisfaceret, quæſiuit, vnde nulla hinc contra Herodem ſuſpicio gigni poterat. Secus ſi coram Iudæis circa Stellæ exortum periculum faceret. Id itaque, quod occultum eſſe Herodes curabat, clam erat peragendum.

### §. II.

*Herodes Rex clàm Magos aduocauit.*

Quia Rex conſequenter ſecreti cuſtos.

CAuſam reddit Magnus Albertus paucis illuſtrandam: *Quia quod inter plures dicitur, faciliùs manifeſtatur. Volebat autem Herodes hoc verbum eſſe occultum, ne per famam publicaretur.* Illud pondero: *Volebat autem Herodes hoc verbum eſſe occultum.* Tum quia oportebat ad propoſiti executionem minimè euulgari; tum etiam quia Regalis prorſus cuiuſuis ſecreti diligens obſeruatio. 4. Albert.

Cuius Chriſtus Rex exemplum præbuit, dum vel Eccleſiæ Sponſæ in ſinu eius quieſcenti haud ſine vrgenti cauſa arcana reuelat. Poſtquam ſponſa Chriſtum Regis nomine nobilitari curat, *Dum eſſet* (ait) *Rex in accubitu ſuo* id eſt in lectulo ſuo: *nardus mea dedit odorem*: mox huiuſce lectuli Regij deſcribit proprietatem, fata, *Lectulus noſter floridus.* Cant. 1. Vbi appoſitè D. Ambroſ. tranſfert, *Lectulus*, ideſt *acclinatio noſtra opaca.* Propter arcanorum ſcilicet (vt ipſe exponit) opertionem. Non equidem Regium nomen ſatis expleuiſſe videretur Sponſus; ſi vel Eccleſiæ ſponſæ in ſinu eius quieſcenti facile quoduis arcanum reuelaret. 5. *Chriſtus Rex ſponſa in ſinu quieſcenti arcana ſine neceſſitate non reuelat.*

Saul à Samuele audiuit aſinarum inuentionem, audiuit & Regni vaticinium, immò vnctus fuit in Iſraelis Principem: *Et dixit ei patruus ſuus: Indica mihi quid dixerit tibi Samuel? Et ait Saul ad patruum ſuum: Indicauit nobis, quia inuenta eſſent aſinæ.* Adiicit notanter Textus: *De ſermone autem Regni non indicauit ei,* 6. *Paſtor Saul ſecreti cuſtos, quia vnctus in Regem.*

1. Reg 19. Carthuſ.

1.Reg.10. Quam equidem prudentiam, (verius continentiam appellarim) non ſatis miratur Dionyſius Carthuſian. dicens. *Secretum illud tam congruè ſiluit, nec proximis ſuis aperuit, quod & illos valdè potuit exhilarare, & de ſe admirationem inducere.* Quid paſtori ruſtico cum tam accurata arcani cuſtodia? Profectò id præſtitit (me iudice:) Saul non ex quo capite ruſticus erat; ſed ex quo caput Iſraël, paſtor gregis Dominici, Rex electi populi fuerat inunctus. Regalis quippe conditio diligens ſecretorum obſeruatio.

7. *Ionathas Regis filius anguſtam hanc proprietatem obiuit.* 1.Reg. 14.

Quid non Regia proles huiuſmodi condecoraretur proprietate? *Accidit quadam die, vt diceret Ionathas filius Saul ad adoleſcentem armigerum ſuum: Veni, & tranſeamus ad ſtationem Philiſthinorum. Patri autem ſuo hoc ipſum non indicauit.* 1.Reg. 14. Conſilium de aggrediendis Philiſthæis Patri non indicas? Profectò res gerenda illis tantum, ſine quorum auxilio geri nequit, aperienda eſt. Id omnibus commune. At peculiaris Ionathæ Regis Saul filio inſeparabilis conditio arcanum cuſtodire. Non enim ſine cauſa addidit Textus, *Filius Saul.* Indecens quippe eſſet Regis filio vel Patri ſine occaſione, quod gerendum ſtrenuè erat, manifeſtare.

8. *Hanc Regi Lyſimacho amicus imprecatur.* Plutarch.

*Philippidi Athenienſi,* (verbis vtor Plutarch.) *qui ob virtutem charus, ac perquam familiaris Lyſimacho Regi erat, Lyſimachus cùm dixiſſet; Num quid rerum ſuarum expeteret? ille reſpondit, Solum ô Rex, ne arcanorum tuorum quidquam mihi credas.* Nihil æquè Regiæ dignitati abſonum adiudicauit, quàm ſecreti peruulgationem. Vndè Regi charus perquàmque familiaris gratiam referet, dum id imprecatur Regi, per quod Regis valdè dignitas illuſtratur.

## §. III.

*Herodes à Magis tempus diſcit Stellæ, eoſque deuotionis prætextu callidus in Bethlehemum immittit.*

9. *Cur à Magis diſcere voluit Herodes Stellæ tempus?* Haym.

DIligenter didicit ab eis tempus Stellæ]. Primò quærendum, quare à Magis Herodes Stellæ tempus diſcere curarit? Reſpondeo Herodem intendiſſe Meſſiam interimere, ne per ipſum Regno priuaretur. Ideo cognoſcere curauit ſtellæ, ac conſequenter tempus natiuitatis, ne ob ætatis ignorantiam alium loco Ieſu occideret. Enimvero cognoſcens Stellæ tempus, ætatem Pueri omninò callebat; quia Stella tunc apparuit, quando Meſſias exortus eſt. Id probat & Stellæ miniſterium: erat enim nuncians Saluatoris natiuitatem; & Magorum præconium fantium: *Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? Vidimus enim Stellam eius.* Ac ſi dicerent, Ideo quæſitum venimus, & natum prædicamus, quia coætaneam eius aſpeximus Stellam. Huiuſce mentis eſt Haymo. *Stellæ* (inquit) *tempus didicit, quia timebat, ne Magi non reuerterentur, ex Stella autem expiſcari poterat Meſſiæ ætatem, vt illum occideret. Tunc enim natum putabat, cum Stella eſt nata.* Hunc ſequuntur Remigius, Abul. & alij.

10. Rogas ſecundò: Cur non id quæſierit Herodes à Iudæis? Quia fortè, id certò ex Scripturis minimè coniectari poterant. Sic Doctores. Ego autem reſpondeo, quia licet Iudæi ſcirent, aut coniectari poſſent, Meſſiæ natiuitatis tempus determinatum, haud Herodes à ſibi ſuſpectis ſine cogente neceſſitate rogaret. Ideo arbitror ab eis de loco natalis Dominici quæſiuiſſe; quia vt Magorum interrogationi ſatisfaceret, per alios tunc minimè certificari poterat. At nunc de tempore natiuitatis Meſſiæ certior effici poterat per Magos, per ſtellam. *Diligenter* itaque *didicit ab eis tempus Stellæ*, vti in perſonæ cognitionem, qui dignouerat locum natiuitatis, facilius veniret. *Quare non id requiſiuit à Iudæis?*

11. *Cur mittit Herodes Magos in Bethlehem?*

*Et mittens illos in Bethlehem.*] Miſit Magos Herodes in Bethlehem, ac ſi affirmaret ex Sacerdotum & ſcribarum reſponſione ibi natum Regem commorari. Nonne ab Stella dirigerentur? Quid igitur opus fuit Magos ab Herode immitti? Putabat, me iudice, Rex Stellam amplius nullatenus aſpiciendam.

12. *Quare de Puero interrogare iubentur?*

*Dixit; Ite, & interrogate diligenter de Puero.*] Vbi Magnus Albertus: Non dicit: *Interrogate quis, vel vbi ſit Puer? Sed de Puero, vt omnes circunſtantias, quæ de puero erant, inueſtigaret. Interrogate* (inquit) *de Puero.* Cur non de nato Rege Iudæorum? Alterius Regis nomen os tyranni Herodis non capiebat. Chryſoſt. *Quia nec principatus nomine eum vocari ſuſtinebat.*

13. *Mentitur pietatem Herodes.* Plut. Chryſol.

*Et cum inueneritis, renunciate mihi, vt & ego veniens, adorem eum.*] Quàm appoſitè vel Gentilis apud Stob. fatur! *Tyrannicæ calliditatis eſt, ſimulare ſe iis conſultum velle, quibus ſtruunt inſidias.* Mentitur verſipellis pietatem: occidere, non adorare volebat. *Contumax* (ait Chryſol.) *ſeruus Domino naſcenti parat laqueos, non honorem; mortem præparat, vt careat ſeruitute. Sanguis* (D.Fulgent.) *Innocentium, quem crudeliter effudiſti, atteſtatur, quid de hoc Puero voluiſti.*

## §. IV.

Herodes inter deuotionis obſequia faciliùs aduersùs Ieſum gladium exacuit.

*Contra Hypocriſim crudeliſſimam.*

14. Chryſoſt.

D. Chryſoſtomus ad hæc: Prætendit Herodes deuotionis cauſam, fatus: *Vt & ego veniens adorem eum, vti inter deuotionis obſequia gladius facilius acuatur.* O quotiens ſub deuotionis habitu vis latet meretricia, ſub obſequio ſuperbia, ſub eleemoſyna auaritia! *Vulpi eſurienti ſomnus obrepit.* Prouerbij loco vulgariter circumfertur. Vulpes, vrgente fame, ſomnium ſimulat, vt allectas venetur aues, ac deuoret. Herodes vrgente Regni cupiditate, ſimulat adorationem, vt Chriſtum comprehendat, ac occidat. *Crudeliſſimè* (inquit Chryſoſtom.) Herodes *venationis auidus, multo cum ambitu tendit inſidias.*

15. *Quinam in veritate non ſeruiant?* 1.Reg.12.

*Timete Dominum,* (Samuel inclamat) *& ſeruite ei in veritate.* 1.Reg.12. Deo etenim in veritate non ſeruit, qui cæteris adorans, Domini voluntati aduerſatur. Vnde D.Greg. *Qui in veritate* (ait) *Deo ſeruire cupiunt, totum cor in diuinis obſequiis ponere iubentur; vt ſic quæ Dei ſunt, agant: vt in mente aliquid, quod contra Deum ſit,*

*ſit, non retineant.* Ne vulnus aperiant deuotionis ſimulatione.

16. *Impuras manus leuat qui ſimulans deuotionem Deo vulnus infligit.* 1. Tim. 2. Tertul.

O periculoſa, ac exitialis deuotio, veriùs dixeris, decidium] Adorationis prætextu genua curuas, manus leuas; ſed ad vulnus proculdubio inferendum potiùs, quàm adorandum. Paulum audite. *Volo ergo viros orare in omni loco leuantes puras manus ſine ira, ſimiliter & mulieres.* 1. Timoth. 2. Quid putas manus ſine ira leuare? Cum ira manus extollit in oratione, qui deuotionis ac obſequij ſimulatione, Deo vulnus infligit. Appoſitè Tertullian. lib. de Creat. cap. 11. *Quæ ratio eſt, manibus quidem ablutis, ſpiritu ſordeſcente, orationem obire? quando & ipſis manibus ſpirituales mundiciæ ſint neceſſariæ, vt à cæde, & ſeuitia puræ alleuentur? Atqui cum humilitate adorantes, commendamus Deo preces noſtras.* Et quidem cæde ac ſæuitiâ manus maculatæ ſunt, quando in proximum exurgentes, ipſi Deo perſecutionem excitamus iuxta illud: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Actor. 9.

17. *Qui temporaria aucupari curat, nõ orator, ſed accuſator.* 1. Tim. 2. Ambroſ.

Diſceptare quidem cum Deo (ne dicam pugnam inſtituere) vſus omnino, qui deuotæ adorationis obiectu, (vti Herodes) aut quæſtus temporarios, aut honores, aut voluptates acquirere molitur. Rurſum Pauli teſtimonium expendo ex cuiuſdam (quam ſuppreſſi) particulæ enodatione. *Leuantes puras manus ſine ira, & diſceptatione.* 1. Tim. 2. D. Ambroſij expoſitionem ſecutus, diſceptatio eum ſignificat, qui non oraturus; ſed diſceptaturus, ſiue pugnaturus accedit. Quærens namque ex oratione aut diuitias, aut honores, aut voluptates, non orat, non adorat; ſed cum Deo diſceptare, ac quodammodo pugnare infligendo vulnus, accurrit. *Nunc* (inquit pater) *de diſceptatione videamus. Plerumque negotiator venit ad orationem, aut auarus de pecunia cogitat, alter de lucro, alter de honore, alter de cupiditate: & putat, quod Deus eum poſſit audire. Et ideo, quando oras, diuina humanis præferre te conuenit.*

18. Particulam illam: *Similiter & mulieres,* expendamus. Si quando enim mulierculæ captandi honoris cupidæ ad ſacram Euchariſtiam accedunt: vereor ne Herodi ſimiles Regnum appetenti, non tam adorent, quàm trucidare Ieſum meditentur. *Caue* (inquit Chryſoſtomus homil. 7. in Matth.) *ne Herodis efficiaris ſimilis, & dicas: Vt & ego veniens, adorem eum. Cumque veneris, interimere coneris. Huius enim ſimiles ſunt, qui abutuntur communione myſterij. Timeamus igitur, ne quando ſpeciem ſupplicum, atque adorantium geramus, opere vero exiſtamus inimici.* Hæc Doctor.

## §. V.

### *De Stellæ remeantis obiectu.*

19. *Cur diſparuit?* Imperfect.

*Qvi cum audiſſent Regem, abierunt; & ecce Stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos.*] Stella totius viæ dux prope Ieroſolymam diſparuit. *Vt relicti ab Stella,* (loquor cum Imperf. Auctore) *cogerentur in Hieruſalem interrogare de Chriſto, ſimul & manifeſtare de illo:* iterumque ſeſe dedit aſpiciendam.

20. *Stella indicat, vbi eſſet Puer certius quàm Iudæi.*

*Antecedebat eos, quo vſque ſtaret ſupra, vbi erat Puer.*] Quæſitant Magi, *Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum:* Vt videlicet Iudæorum reſponſio Stellæ indicaturæ, ſi abſcondita non fuiſſet, gereret vices. At Stella ſuo muneri ſatiſfaciens, in ipſum deſcendens tugurium, radiiſque ſpeluncam illuſtrans, certius quàm Iudæi, reſpondit, *Hic eſt, qui natus eſt Rex.*

21. *Num Stellæ ducatus neceſſarius.*

Num neceſſarius Stellæ ducatus poſtquam Magi erant de Chriſti natiuitate facti certiores, in Bethlehemque profectum inſtituerint? Conuenientem fuiſſe hiſce cauſis Doctores affirmant. Primò, ad conſolationem Magorum; eam enim rurſum aſpicientes, gaudio magno perfuſi ſunt. Secundò, quia Stella data fuerat Magis totius itineris comes, quod ſi ob ſpeciales cauſas diſparuit, debuit poſtea munus ſibi iniunctum perfectè complere. Tertiò, ad tollendam Magorum ſuſpicionem, num propter aliquod eorum commiſſum, cœleſti fuiſſent iubare priuari? Quartò, quia ſi Stella non rurſus apparuiſſet, fortè in Magorum mentem aſcenderet, Deum iam eis nolle Regem natum manifeſtare. Quintò, vti duplici teſtimonio, & Iudæorum, & Stellæ totaliter Magi certificarentur.

22. *Auctoris mens.*

Nos autem ideò conueniens, imò neceſſarium fuiſſe Stellæ reditum putamus, quia ſine illius ductu minimè certificarentur. Id oſtendo. Ex Sacerdotum reſponſione ſolummodo planum effectum eſt Chriſtum in Bethlehem naſci debuiſſe. Vnde non planè cognoſcerent Saluatorem, ſi multi pueri nati fuiſſent in Bethlehem, quorum quiſnam eſſet Rex natus in tanta rerum inopia non facilè diſtinguerent; imò à tugurio Regem requirentes, omninò ablegarentur. Hinc colligitur Stellam neceſſariò apparuiſſe, vti rutilans *ſuprà vbi erat Puer,* planè Magi natum Regem cognoſcerent, & adorarent.

23. *Quomodo Stella Magis occultabatur, & apparebat?*

Quæris, Quonam modo Stella Magis occultaretur; & quando apparebat, num ab omnibus, vel à ſolis Magis videretur? Primæ quæſtionis parti ſatisfacio. Stella potuit diſparere dupliciter, vel reddita inuiſibilis, vel non viſa ex aliquo videntis defectu. Itèm potuit fieri inuiſibilis, ſi deſineret omnino eſſe, vel ſi manens acquireret inuiſibilitatis conditionem. Reſpondeo igitur Stellam haud omninò fuiſſe annihilatam, ſeu nube opertam (ſicuti quidam interpretantur) ſed defectu Magorum viſam non fuiſſe. Hic autem defectus minimè fuit aliqua oculis Regum impreſſa qualitas impediens Stellæ fulgorem, ſed impoſſibilitas ob diſtantiam. Puto enim Stellam ſubitò eleuatam ad locum valdè celſum, in quo non poſſet videri, licèt ſecundum ſe maneret viſibilis. Nonne Stella iuxtà terram peruolabat? Certè vti hærens terræ Magos dirigeret, paruum corpus ſufficiens erat; quod ſi verſus Lunæ cœlum valdè eleuaretur, iam propter ſuam paruitatem non poſſet aſpectari; quia ita exiguum cauſaret angulum, vt ſub illo nequiret oculus immutari. Hoc modo exiſtimo occultatam Stellam, exiſtentibus Magis in Ieruſalem, queis de Ieroſolyma exeuntibus ad locum priorem circa terram reddita rurſum apparuit.

24. *Num ab omnibus, vel à ſolis Magis Stella videretur.* Abul.

Alteri autem parti quæſtionis reſpondent quidam nullis Stellam niſi Magis apparuiſſe, quia alij haud erant digni tam felici conſpectu. Alij affirmant omnibus apparuiſſe, dum eam Magi intuebantur. Exiſtimo cum Abulenſi quæſtion. 12. potuiſſe Stellam à Magis videri,

quin ab aliis aſpiceretur. *Quia poterat* (inquit ille) *turbare oculos aliorum, vt illam non viderent, quod Scriptura vocat percutere eos cæcitate, ſicut dicitur de Sodomitis.* Geneſ. 22.

25. *Quid gaudio gauderet.* *Et gauiſi ſunt gaudio magno valdè.*] Gaudetne quis ſine gaudio? Cur ergo addidit *gaudio*? Strabus, *Gaudio gaudet, qui propter Deum gaudet.* Qui gaudet propter mundialia ſine gaudio lætatur. Verùm modus loquendi Scripturarum, *gaudio gaudere*, ſicuti, *morte mori. Gaudio magno.* Quia ſcilicet de magno gaudebant, ſecundum Strabum *Valde*, id eſt maximo gaudio afficiebantur. Frequens Hebraiſmus, *Ficus bonas, bonas valde, & ficus malas, malas valde. Optimas, peſſimas.* Ierem. 24.

Vndenam huiuſmodi magnum gaudium exortum? Opinor Magos maximo gaudio affectos, non quia ad Ieroſolymæ exitum Stellam viderunt; ſed quia illam ſtantem ſuprà, vbi Puer commorabatur, intuiti ſunt. Lætantur itaque, quod Chriſtum, quem requirebant, inuenerint, ſine voce intus Stella inclamitante, *Hic eſt*, ſicuti ait Auguſt. Vel, *Hic eſt Puer; hic eſt Rex ille magnus, qui venit cœleſti imperio Regnum ſociare terrenum* vt cum D. Maximo loquar. 26. *Vndenam exortũ gaudium huiuſmodi* Auguſt. Maxim.

# IN IESVM A MAGIS ADORATVM.

## Panegyricus quartus Moralis circa Literam.

### EX IPSORVM IN BETHLEEMVM MISSIONE.

### *OBSERVATIO I.*

Ad illa verba:

*Interrogate diligenter de Puero.*

Conuenienter ſuadet Herodes Magos diligenter ſiue ſæpè de Ieſu interrogare.

*Qui enim ſæpè grauiter deliquit, ſæpè curat affectuosè pœnitere.*

27. QVID, *diligenter interrogare?* Non ſemel, ſed ſæpè ſæpius requirere, vbinã Deus? Magi ſæpè interrogent, quia idololatriæ criminibus fœdati, ſæpè arrepta fuga, longe à Deo receſſerant. Chryſol. ſerm. 158. *Diligenter interrogate de Puero. Quaſi Magos ſemel interrogare non ſufficit.* Qui in paucis offendit, qui vix ſemel Deum amiſit, licet per ſingula momenta deberet de amiſſo bono diligenter interrogare: at non tam anxiè requirere tenetur, ac ille, qui vix vnquam eſt in Dei conſpectu commoratus. *Diligenter ergo*, id eſt, ſæpè interrogate de Ieſu inſignes peccatores, vti queat à vobis inueniri. Quod ſi iam inuentum credatis, adhuc interrogate, quaſi non dum inueneritis, ſæpè vt requiratur à vobis, qui ſæpè fuerit amiſſus. Chryſol.

28. *Magi Dauidis ſæpè interrogantes imitatores.* Pſal. 41. Caſſiod. Non leuiter delinquens Dauid, grauiter curauit pœnitere. *Fuerunt* (inquit) *lacrymæ meæ panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Vbi eſt Deus tuus?* Pſal. 41. Super illa verba: *Dum dicitur mihi*, excito quæſtionem, A quonam hæc dicuntur, aut iactitantur? Num ab hoſtibus Dei inimicis inſultantibus? Caſſiod. *Cauſa harum lacrymarum inſultatio prauorum.* Aptiùs dixerim huiuſmodi interrogationem fieri ab ipſo Dauidis ſpiritu ſæpè à Deo elongato. Sic Hugo Victor. *Fuerunt lacrymæ meæ panes, vt interim requiram fletibus, vocem ſuſpiriis, quia abeſt, quod deſidero.* Lacrymis ergo quotidie pro quotidiano pane vtor: quia quotidie interrogo de Ieſu amiſſo, *Vbi eſt Deus tuus?* inquit Incog. *Inde ſunt lachrymæ, quia à Deo elongatum me video.* Si elongatus à Deo propter grauia commiſſa, quid mirum me, Magorum miniſterio, ſæpè de tanto Rege interrogare? *Vbi eſt Deus tuus?* Hugo. Victor. Incogn.

Reſurgente Domino, ſic Angelus ad Mulieres: *Ieſum quæritis Nazarenum crucifixum, ſurrexit, non eſt hic. Sed ite, dicite Diſcipulis eius, & Petro, quia præcedet vos in Galilæam.* Marc. 16. Anſelm. *Mulieribus dicitur, vt nuncient Apoſtolis.* Num ſuperfluè addita illa particula: *Et Petro?* expendo. Cum Angelus, ait, *Dicite Diſcipulis eius, & Petro*, non ſemel, ſed bis annunciari Petro vult reſurrectionem. Semel hoc Petro annunciare 29. *Sæpè negans Petrus ſæpè de reſurgente Domino interrogat.* Marc. 16. Anſelm.

annunciate inter Diſcipulos commoranti, *Dicite Diſcipulis eius.* Rurſum ipſi Petro ſigillatim myſterium aperite, *& Petro.* Quare audit ſæpè? Quia (vti ait Hieronymus) *ter negauerat Magiſtrum.* Grauius cæteris deliquit, vndè pœnitens, non ſemel, ſed ſæpè ſæpius de amiſſo Domino interrogauit, *Vbi eſt Deus tuus?* Vnde ſæpè interroganti de Magiſtro ſæpè debuit reſponderi.

Hieron.

30. *Multiplicatur inquiſitio, Domini amiſſione multiplicata.* Ioan. 20.

Sæpè Deum amittentem non equidem ſufficiat oportet ſemel requirere, ſemel de tanto bono interrogare. Multiplicari debet huiuſcemodi inquiſitio. *Maria Magdalena,* è cuius pectore ſeptem dæmonia fuerant à Domino deturbata. *venit manè, cum adhuc tenebræ eſſent, ad monumentum, & vidit lapidem reuolutum.* Quod cùm Dominum ibi requiſiſſet, ſociis nunciauit. Rurſum autem minimè inuento mox ſaucia acceſſit ad ſepulchrum. *Dum ergo fleret, inclinauit ſe, & proſpexit ad monumentum.* Ioannis 20. Annon ſemel aſpexiſſe ſufficiebat? Quid rurſus aſpectauit ſepulchri vacuitatem? Reſpondet Gregorius apud D. Thom. *Amanti ſemel aſpexiſſe, non ſufficit; quia vis amoris intentionem multiplicat inquiſitionis.* Sæpè ſimiliter Magdalenæ delinquenti ſemel aſpexiſſe, ſemel quæſiſſe non ſufficiebat, quia *vis* doloris *intentionem multiplicat inquiſitionis. Nimium enim dolebat,* vti ait D. Auguſtinus ibid. Quid mirum eam è qua ſeptem dæmonia receſſerant, toties Deum amittentem ſæpè accedere requiſitum?

Gregor.

Auguſt.

31. *Latro ſemel de Rege propter anguſtias temporis interrogauit.* Luc. 23.

Latronem obiicis aduerſus prædicta in nouiſſima vitæ periodo ſemel de Domino, ſi non tunc nato (vti Magi) de morienti Rege interrogantem: *Memento mei Domine, dum veneris in Regnum tuum.* Lucæ 23. Non ergo proprium inſignis delinquentis ſæpè de Domino Rege amiſſo, in morem Magorum, interrogare. Reſpondeo ſemel tantum interrogaſſe de Rege Latronem propter temporis anguſtias. *Conſiderare* (inquit Arnoldus Carnot.) *neceſſe eſt, quid poſſit pœnitentia, quando bonus Dominus tribulato corde clamantem ad ſe, ſeruum ſuum etiam in vltimo peccati puncto non negligat.* Tunc equidem vt ſupplere poſſet frequentis interrogationis vbertatem. (Vbertatem dico, non defectum; quia nihil defuit ad eſſentiam pœnitentiæ; ſemel enim verè doluiſſe ſatis ad gratiæ conſecutionem: ſed vberioris doloris affectus delictorum multitudini, ac grauitati apprimè reſpondebat.) Spiritus ſanctus acceſſit, cuius repente vis oſtenditur, vnde ſemel ſolum interroganti illico reſpondetur. *Multa, antiquáque peccata* (adiicit Pater) *illicò abolet gratia; nec proceſſu, moráque temporis indulgentia limat, corroditque culpæ rubiginem; ſed vbi repentè Spiritus ſanctus illabitur, quidquid immaduerat peccati tabe, ſiccatur.* Proh cordis humani pigritia! Vtinam verè de Domino amiſſo ſæpiſſimè, ſemel interrogemus cum Latrone; ſi non cum ſponſa per plateas, & foros clamantes ſæpè iteratâ interrogatione inceſſerimus; *Num quem diligit anima mea vidiſtis?* Bellè Plat. in Phæd. *Cum vbique ſit loquax amor, nunquam in verborum profuſior, quam in requirendo.* Si fortè conſortis laborat abſentia. Quid non diuinus ardor nos excitet ſæpè de Puero interrogare, quem non ſumus veriti amiſiſſe?

Arnold.

Plato.

## OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

### *Interrogate diligenter de Puero.*

### Magi iubentur interrogare *de Puero,* non de viro.

*Vbi maturitas pœnitentiæ commendatur?*

ADuc diligenti de Puero inquiſitioni inſiſto, de qua Chryſolog. *Hic pœnitenti ſuadetur maturitas.* Quæ quidem conuenienter cum vocabulo illo: *De Puero,* adhæreſcit. 32.

33. *Agnus ſeu Puer Ieſus de præſenti crimina tollit.* Ioan. 1. Anſelm.

*Ecce Agnus Dei* (Ioannes ait) *ecce qui tollit peccata mundi.* Ioan. 1. Vbi Interl. *Non dixit: Tollet; ſed Tollit.* De præſenti tempore loquitur, non de futuro promittit. Quare? Agnus eſt, qui tollit peccata, mox inſtans immolari. Huiuſce Agni proprium, de præſenti peccata tollere. En quam conuenienter diligentia, ſiue maturitas pœnitentiæ cum *Puero* Ieſu, ſeu cum Agno ſine macula copulatur.

34. *Inſtat illicò pro peccatis offerri.* Geneſ. 22.

Non ſemel es contemplatus Abrahamum extenſo brachio Filium conatum vulnerare, quod fuiſſet executus, niſi Angelico monito in tempus futurum ſacrificium protraheretur. Mox adeſt Agnus inter vepres, qui illicò ſe ſe dedit immolandum. Gen. 22. Quid hoc? Cur Iſaac minimè percuſſo, Agnus percutiendus offertur? Annon Iſaac & Agnus Chriſti ſimulacrum? Ita planè. Profectò Agnus ſiue aries ille Chriſti Agni typus inſtat illicò pro peccatis offerri, quia Agnus peccata tollit. *Non dixit: Tollet; ſed Tollit.* De præſenti iam tollit Agnus, ſiue Puer Ieſus, tollet rurſum verus Iſaac vir dolorum pro nobis in cruce offerendus. Anſelm.

35. *Peccatorum abolitionis moras non ſuſtinet.* Gen. 22. Lyran.

Confirmationis loco quæris, vndenam Agnus ille, qui ab Abrahamo apparuit immolandus? Reſpondet Lyran.: *Dicunt Hebræi, quod ibi fuit paratus ab initio creationis mundi: ſcilicet ſexta die in qua formauit Deus animalia. Sed hoc nec ratione, nec Scripturâ habet apparentiam; & ideo reputandum eſt fictitium. Propter quod dicendum, quod fuit ibi adductus miniſterio Angelico.* Quæris, quare ratione apparentiam non habet? Quia (inter alias cauſas) cum Agnus ille Pueri Ieſu typus exiſteret illico mundi peccata tollentis: incongruum eſſet per tot ſæcula Agnum Puerum Ieſum figurantem, ſine nos ſanante vulnere commorari.

36. *Iuda properã pœnitentiam ſuadet.* Luc. 22.

Acceſſit Iudas oſculo Filium hominis traditurus. Cui Ieſus, *Iuda, oſculo Filium hominis tradis?* Luc. 22. Conſideranda duplex dictio, *Iuda,* & *Tradis.* Vna enim, *Iuda* ſcilicet, idem eſt ac *confeſſio:* altera, nempe verbum *tradis* in præſenti tempore confeſſionis maturitatem refers ad memoriam. Ac ſi (ſpirituali ſenſu) diceret. Núc quando,

quando Filius hominis traditur, oportet hoc confitearis flagitium. Haud differas in tempus futurum. Crediderim, hanc cogitationem D. Cyrill. Ieroſolym. catech. 22. auctorem ſortitam : *Hoc ad ipſum dicit, admonens eum per nominis appellationem.* (*Iudas* enim idem, ac *confeſſio*) *Intellige. Accepiſti argentum, confitere citò.* Ita vt confeſſionis admonitio reſpiciat Iudæ appellationem ; illud autem aduerbium *Citò* præſentis temporis innuat maturitatem. Ne videlicet hoc præſens tempus futurum fiat, dum, & ſi *pœnitentiâ ductus* peccatum confiteatis, non tamen proficiat ad ſalutem. Nec enim (fortè quia diſtuliſti in futurum tempus) citè & integrè flagitia denudaſti.

Cyrill.

36. Obiicies Prodigum Adoleſcentem futuri temporis commendans ſecuritatem, dum ait. *Surgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam, Peccaui.* Luc. 15. Aptiùs verè pœnitentis commendaturus conditionem, inclamaret : *Surgo, eo, & dico. Peccaui* : Reſpondendum. Prodigum præſenti tempore doluiſſe, perque contritionis actum Patri Deo fuiſſe reconciliatum, & ſi ad futurum confeſſionem diſtuliſſet. Vti accidit eis, qui grauiter delinquentes, conteruntur illico de peccato, confeſſionem autem protrahunt in tempus, quo iuxtà Eccleſiæ morem, vel propriam deuotionem, conſcientia denudanda eſt. Proh contritionis vis! Cum non ſeſe offert cōfeſſionis occaſio, per contritionem Patri cœleſti reconciliari cura ; fac Futurum confeſſionis Præſens per contritionis actum. Tunc enim confeſſio præſens adeſt in contritione per votum ipſius in illa incluſum. *Surgam, & ibo, & dicam: Peccaui.* Appoſitè Hugo Card. *Videtur* (inquit) *temeraria deliberatio iſtius, qui deliberat ſe dicturum Deo. Sed non temerè deliberat. Quia etſi præcedat in pœnitente motus contritionis, adhuc tamen expectat Deus vocem confeſſionis.* Temeraria certè deliberatio eſſet abſque contritionis actu præmiſſo; totum pœnitentiæ negotium in futurum tempus differre, ac ſe dicturum: *Peccaui*, promittere.

*Prodigum de præſenti pœnituit. Contritionis vis. Luc. 15.*

Hugo. Card.

# OBSERVATIO III.

Ad illa verba :

## *Cum inueneritis, renunciate mihi.*

## Magi ad annunciatum Saluatorem accedentes, neceſſariò Herodi Satanæ renunciant.

*Nec enim in vna ſede Deus, & diabolus; virtus, & voluptas commorantur.*

37. D. Petrus Chryſol. ſerm. 158. à litterali abſtinens ſenſu, ſpirituali locum accommodauit : *Conuenienter dicit : Renunciate mihi. Quia ſemper Diabolo renunciant, qui peruenire feſtinat ad Chriſtum. Chriſtianus futurus a Sacerdote non nudus? Renuncias Diabolo? Reſpondet, Renuncio. Propriè ergo Herodes Magos ſibi renunciare debere dicit, qui ſe Diaboli ſciebat tenere locum, Satana vneerat implere perſonam.* Nec enim bene conueniunt, neque in vna ſede morantur Ieſus & Satanas ; virtus & voluptas, gratia & peccatum Deo grauiter auerſans.

Chryſol.

38. Hominis cor nunquam à duobus ſimul hoſpitibus occupatum eſt. Deus hoſpes? Diabolus exulat : Diabolus habitator? Deus excluditur. *Cum immundus Spiritus* (inquit Ieſus) *exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non inueniens, tunc dicit, Reuertar in domum, vnde exiui, & inuenit eam vacantem. Tunc vadens, aſſumit ſeptem alios Spiritus nequiores ſe, & intrantes, habitant ibi.* Matth. 12. En Diabolus, iubente Deo, à domicilio cordis expellitur. Rurſum accedit Dæmon, domo excipitur, quia Deo recedente, vacat habitaculum. Sentio cum Caietan. *Ex hoc* (inquit) *quod domus vacat habitatore, inuitat ad habitandum. Deſcribitur Dæmon more humano expulſus, & rediens ad propriam domum, inueniens eam præparatam, ad hoc, vt habitetur, ſine habitante. Cauens, ne iterum inde expellatur aſſumit ſocios peiores ſe, ad habitandum ibi.* En cordis humani conditio haud poteſt ſimul Deo & Diabolo patere.

*Ieſus, & diabolus haud ſimul cordis habitatores.*

Caietan.

39. Arca olim fœderis templum Dagonis intrante, idolum corruere neceſſum fuit. Vni namque habitatori domus præparatur humana. Si templum Domini eſt, non poteſt ibi Diabolus quietis locum reperire. Semel, ac iterum Satanas Chriſtum tentaturus acceſſerat, & toties victus, non receſſerat hoſtis. Inclamat poſt hæc Vincens : *Vade retrò Satana ; ſcriptum eſt enim, Dominum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.* Matth. 4. Diſceſſit importunus muſcarum Princeps, adiiciente Matthæo : *Tunc reliquit eum diabolus.* Quid eſt Dæmon, quod fugeris? Cur importunè adhuc non perſiſtis? non deſudas certamini? Tam citò renūcias triumpho? Quid audiſti, quid oculis aſpexiſti aduerſans victoriæ? Credo, quia ſententia Chriſti omnino cōcludebat. Cum enim vni ſolummodo hoſpiti debeat habitaculum præparari, dum Deus primus occupans adoratur ibi, non poteſt diabolo patere locus. *Illi ſoli ſeruies.* Vnde conuictus diſceſſit, relinquens eum *vſque ad tempus.* Vſque ad tempus ſcilicet paſſionis, quo domum illam (iuxta domorum ſub ſtatutum tempus mutationes) vacantem inuenturum ſe falſo putabat, primo habitatore recedente.

*Fugit diabolus Ieſum Dei habitaculum.* Matth. 4.

40. Adeò hominum Princeps excluſus fuerat à Protoplaſtorum cordibus, vt inclamarit *Adam vbi es?* Verùm, vt rurſum humanæ habitationis fieret incola, indicit: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem.* Geneſ. 3. Vultis iterum cordis veſtri recipere habitaculo? Hoſtis propulſetur, nullatenus, amici in morem, corde eſt hominum hoſpitaturus. Nec enim morari ſimul poſſunt, qui ſibi hoſtiliter aduerſantur. In quem ſenſum D. Chryſ. fatus : *Nunquam cum hoſte concordia iungitur, niſi Imperator proprius offendatur.*

*Vis Deus ſit tui pectoris incola, inimicus ſit tibi ſerpens.* Gen. 3.

Chryſol. ſerm in hæc verba.

41. Doctor Ieſus: *Pater noſter, &c. Adueniat Regnum tuum.* Matth. 6. Quid Dei Regnum ad nos aduentare? Chryſol. ſerm. 70. *Deus regnet in nobis,* noſter ſit Imperator, præcordia inhabitet. Num domus tartareo patet etiam habitatori?

*Ingrediente Deo peccatū exulat.* Matth. 6. Chryſol.

Adiicit

Adiicit Pater. *Quatenus in nobis deſinat mors regnare, deſinat regnare peccatum.* Cum Herode enim olim regnante *concordia* (vt loquar cum Chryſoſtomo) minimè *iungitur*, niſi natus *Imperator proprius offendatur.* Gentilis pulchrè in Phæd. *Immundo in infernum abeunte, homo perfectus, & purgatus cum Deo habitabit.* (Plutarch.)

42. *Num recedat venialia.* Quæris, an requiratur omnimoda adeò renunciatio, vt etiam à venialibus abſtineat, qui Deum cupit cordis habitaculo morari, animique dominari ditione? Profectò peccata venialia nec Deum excludunt, nec diabolum admittunt habitatorem; attamen valde eſt conſortium huiuſmodi periculoſum. Fœdus hoc inire intendunt illi, de quibus ſacer Textus. *Aſcendit Naas & pugnare cœpit aduerſus Iabes Galaad. Dixeruntque omnes viri Iabes ad Naas. Habeto nos fœderatos, & ſeruiemus tibi.* 1. Reg. 11. Porrò *Naas* idem ac *Serpens*, quocum percutit fœdus homo ſibi omnino periculoſum. Audiendus Dionyſius Carthuſ. *Define nos tentare de mortalibus vitiis, ne penitus à Deo ſeparemur, & ſeruiemus tibi in venialibus culpis, quas & ſingulas, omnes tamen vitare non valemus.* Nunquam non veniale commiſſum ad lethale diſponens, murorum infirmatione, Deum excludere conatur, hoſtemque tartareum admittere; quare omnino fugiendum. (1. Reg. 11. Carthuſ.)

43. *Noli igitur locum huiuſmodi leuis commiſſo dare diabolo.* Paulus ad Epheſios: *Nolite locum dare diabolo.* cap. 4. Vbi Caietan. de venialibus tranſgreſſionibus exponit. *Motus iræ* (ait) *humana eſt paſſio, cum diutius protenditur, locum parat diabolo ad ſuggerendum, quæ conſona ſunt irato, & ſic paulatim ad principandum in animo. Et quod dicit de ira intellige de aliis paſſionibus.* Noli igitur diabolum huiuſmodi apud præcordia locum obtinere. *Omnes ergo rimæ* (Cyprian. de ſincer. Cler. ait) *ne dicam portæ, claudendæ diabolo ſunt, ne per vnum foramen caſtra omnia penetrentur.* Venialia ſiquidem ad lethalem diſponunt tranſgreſſionem. (Epheſ. 4. Caietan. Cyprian.)

# OBSERVATIO IV.

## Ad illa verba:

## *Et ecce Stella antecedebat eos.*

## Herodis in Vrbe via cœleſtis operitur, Chriſti pauperis aperitur in domo.

### *Vbi diuitias taxo, paupertatem extollo.*

44. IN Vrbe Herodiana abſconditur ſtella, in domo oſtenditur Bethlehemica. Quare Ambroſius: *Hæc ſtella via eſt, & via Chriſtus eſt. Quia ſecundum Incarnationis myſterium Chriſtus eſt Stella, Vnde, vbi Herodes eſt, non videtur; vbi autem Chriſtus rurſum videtur, & viam oſtendit.* Bipartitam reddo Doctoris ſententiam. (Ambroſ.)

O quàm longè abeſt à ſalutari via vrbana temporariorum honorum abundantia! *Panem noſtrum* (Inquit Ieſus hominum gerens perſonam) *da nobis hodie: & dimitte nobis debita noſtra: & ne nos inducas in tentationem.* Matth. 6. Ac ſi diceret, Præſta temporalium redundantiam, nil nobis deſit: & ſimul nobis ignoſce ob debitorum tranſgreſſionem; ne aberrantes, ne viam dimittentes, in tentationem inducamur, in malum, ſiue in Abyſſum deturbemur. Abundantia etenim homines aſſolet à via cœleſti deturbare. Accipe Caietani ſententiam. *Da nobis. Non vende, non accommoda: ſed da. Et dimitte, id eſt, gratuito condona nobis debita noſtra. Et ne nos inducas in tentationem, Conſequenter petimus cuſtodiri à periculis imminentibus.* Pende illam particulam. *Conſequenter.* Quænam conſequenter poſt munerum temporalium elargitionem pericula imminent? Erroris fortaſſe, dum ob abundantiam temporariam non ſemel à via debitorum diſcedimus. 45. *Temporariorum abundantia periſſequa deuiatio.* (Matth. 6. Caietan.)

Hinc Sapiens: *Beatus diues, qui inuentus eſt ſine macula, & qui poſt aurum non abiit. Quis eſt hic?* Ecclef. 31. D. Ambroſ. *Quis eſt hic? Quaſi incognitus eſſe non poteſt, enim ſibi deſiderat demonſtrari.* Nonne rarum omnino diuitem viam diuitiarum arripientem ipſum aurum ducens non ſequi, tendens ſæpius ad exitium? ſed ſine macula inueniri, viamque ſimul arripere ſalutarem? Raro equidem inuenitur diues, qui per viam mandatorum incedat. 46. *Non facilè diues viam teret mandatorum.* (Ecclef. 31. Ambr.)

*Aſcendit Abraham de Ægypto.* Geneſ. 13. Addit Hieron. *Grauatus, liberatus. Grauatus* quidem ex adnato diuitiarum pondere, quod mundialibus expeditioni ad Patriam aſſolet eſſe impedimento. Porrò *liberatus* aſcendit. Neque enim diuitiarum mancipium effectus eſt, ſicuti plurimi mundialium, qui omnino fecit & diuino obſequio, & familiæ neceſſitatis ſumptibus diuitias deſeruire. 47. *Vel rectè acquiſita pergrauant.* (Gen. 13. Hieron.)

Quonam modo diuitiis vtendum in via æternitatis? Profectò eo modo, quo viatores vtuntur hoſpitio, quomodo Magi Ieroſolymam ingreſſi opulentiſſimam; quaſi ad refectionem deflexêre, non ad defectionem. *Fiat via illorum tenebræ & lubricum.* Pſalm. 34. Ad diuites dirigit carmen, qui diuitiis vtuntur pro via, non pro hoſpitio. Appoſitè equidem D. Auguſtin. *Tota iſta vita, & omnia, quibus vteris in ea, ſic tibi debent eſſe tanquam ſtabulum viatori. Memento peregiſſe te aliquid, reflexiſſe te ad refectionem, non ad defectionem.* Legendus Doctor. Dum ſtabulo hæres, ambulare vis? Talis igitur, qui amans diuitiarum, ſtabulum, ſtercus efficit viam. 48. *Vtere diuitiis ad refectionẽ non ad defectionem viator.* (Pſal. 34. Auguſt.)

Num ſtella ad Deum inueniendum præſtat ducatum? Vbi Dominica paupertas, nuditas, præſepium, ibi, ex Ambroſ mente, iter latiſſimum patet ad cœlum. Audiamus ſponſam. *Tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum.* Canticor. 5. Quinam murorum cuſtodiæ incumbunt? Angeli, me iudice, cœleſtis militiæ exercitus, Eccleſiæ dimicantis duces. Num Angeli facinus dignum ſponſam veſtibus ſpoliare: an potius latronis? Quam preſsè, tam pulchrè D. Ambroſ. lib. 3. de Virg. *Benè* (inquit) *tollitur ei pallium, quæ ad Chriſtum propinquat.* Benè, inquam; quia in morem illius, qui erro- 49. *Angeli nudant Sponſã, vt ſecurè tendat ad Chriſtum.* (Cant. 5. Ambroſ.)

nem,

nem viam edocet ablatio illa pallij, Angelorum pio miniſterio, animam, ad Chriſtum inueniendum, conſtituit in via.

Refer in memoriam Eliam curru igneo præ-
50. ruptum nec antea cœleſtia limina ingreſſum, quàm ſe ſe pallio exueret. 4 Regum 2. Vbi Hieronym. in Geneſ. *Elias ad cælorum Regna feſtinans non potuit ire cum pallio.* Communiter vſurpatur hæc ſententia à modernis, vt aſtruant pondus diuitiarum, vel difficilem diuitum ſalutem oſtendant. Ego autem illam pendo particulam, *Non potuit ire.* Quare Elias cum pallio ire non poteſt? Percontatus Chilon (loquor cum Ant.) quid eſſent diuitiæ, reſpondit: *Theſaurus malorum, calamitatis æternæ viaticum.* Aptius illas viam æternæ calamitatis vocitaret. Siquidem frequenter per viam diuitiarum incedentes, Seneca ait; *Stygias vltrò quærimus vndas.* Si temporarium bonorum abundantia via eſt frequenter ad tartarum, ſicuti ad cœlum nuditas, poteſtne aliquis ire ſine via, vel per viam tartari poteſt ad cœlum properare? Minimè. Elias igitur. *Non poteſt ire cum pallio;* quia ſine via, ſeu per viam, alienam incedebat. Ei adimitur pallium, ſicuti ſponſæ: vt viam ineat ſalutatem. Qua exaggeratione innuitur, non facilè diuites mundiales in cœlum deferri. Proh præpes ad Superos penna paupertatis! Quid Apoſtolus?

*Elias non poterat cum pallio cælos ſcandere.* 4 Reg. 2. Hieron. Senec.

51. *Nihil habentes, & omnia poſſidentes.* Quod exponitur ex Iſaiæ teſtimonio. *Suſtollam te ſuper altitudinem.* Cap. 58. Quonam modo? Præbendone mundiali Regni principatum? Te paupertatis ſpiritu donabo, vti agilis planè omnium rerum conſtituaris in vertice. D. Gregor. epiſt. 5. *Nihil* (ait) *in mundo appetens, videbar mihi in vertice ſtare. Super enim altitudinem ſuſtollitur, qui & ipſe quæ alta, & glorioſa videntur ſæculi, per mentis deſpectum calcat.* Haud volare poteſt, qui à mundi gloria diuitiis nempe non ſurgit expeditus.

*Quam velox hanc viam percurrit paupertas.* Iſai. 58. Gregor.

52. Illud adhuc confirmatur ex Iacobi receſſu. Nam cùm ad Patriam auolare contenderet, ſe ſe collegit. Quanam ſignificatione? Tanquam qui à mundialibus ſe curis expediret, ſe à præſentis ſæculi diuitiis eriperet. Tunc futuras ipſe tranſcendit ætates, dum filios de futuris euentibus fecit certiores. Geneſ. 49. Quorſum illud? Vt oſtenderetur, tunc immortalitatis hominem donari munere, cum ſe ſe à mundialium diuitiarum curis ſe curat explicare. Appoſitè ad hæc D. Ambroſ. lib. 2. de Luc. cap. 9. *Ille oculorum impeditus munere, ille defatigatis corporis viribus in lecto, tanquam in ſepulchro corpus relinquens, aſſurrexit in ſe, atque intra ſemetipſum ſe ſe colligens, præſentibus ſe rebus ſubduxerat, & nouiſſimorum dierum futura miſcebatur ætati.*

*Peruolat expeditus.* Gen. 49. Ambroſ.

Tanquam ille planè, qui dignoſceret neceſſariò hominem debere ſe à mundialibus expedire, vt Superos ſcandere valeret.

---

## OBSERVATIO V.

Ad illa verba:

*Gauiſi ſunt gaudio magno valdè.*

### Magna valdè Magorum lætitia, Ieſum Stella oſtendente.

*Cæleſtia enim bona magna valdè magnam valdè excitant voluptatem.*

OSTENDIMVS Magorum gaudium nou ortum duxiſſe ex Stellæ iterato conſpectu, ſed de Ieſu ab Stella manifeſtato. Stabat enim luminare illud ſupra, *Vbi erat Puer.* Ideo Magi *gauiſi ſunt gaudio magno valdè.* Neque enim cœleſtia gaudia vlli ſunt obnoxia exaggerationi. Nullus vber ſermo, nulla fœcunda laus ad ſupernam innuendam lætitiam. Exponit ſic locum Strab. *Gaudio gaudet qui propter Deum gaudet, qui eſt verum gaudium. Addit autem & Magno, quia de Magno gaudebant.* 53.

Strab.

Breui curſu minutiſſima huiuſce ſæculi gaudia terminantur, ſola ſine terminatione gaudia cœleſtia, non dico illa ſolummodo, quibus beati fruuntur in Patria; ſed quibus vel hîc iuſti donari ſolent. Ad Canæ nuptias Dominus inuitatur; aſſident menſæ, lætantur meritò conuiuæ; quia dies *deſponſationis*, dies ſimul *lætitia eſt.* Quid plura? Vinum intempeſtiuè deficit, apetit Deipara, *Vinum non habent.* Pondera, quæſo, quandonam defecit mundialis lætitiæ vinum? In mediis nuptiis. Caiet. *Vinum non habent: Iunge hæc tempora deficientis vini.* Deſponſationisne hora amaritudinis inchoatio? O gaudia ſæcularia, hoc habetis, quod deficitis: hoc eſtis, quod mox non eſtis. Quid mirum lætificans verè merum defeciſſe, ſi Chriſti nondum venerat hora? *Nondum venit hora mea.* Solus Chriſtus lætificans vinum propinat, quod neſciat conſumi. D. Gauden. ſic gaudium deſcribit vtrumque. *Ad miſeros* (inquit) *conuiuas venit, vera gaudia allaturus. Terrenis enim gaudia in medio conuiuio deficiunt, vinumque lætificans in nuptiis deſinit.* Quis ſibi perſuaderet nuptialium dierum immunitatem, inuadente triſtitia, violandam, ſi dies *Deſponſationis* dies ſimul *lætitia* vocitantur? 54.

*Lætitia deſponſationis mundialis ipſo terminantur in lumine.* Ioan. 2. Caiet. Gaudent.

*Redde* (ait Dauid) *mihi lætitiam ſalutaris tui.* Pſal. 50. Eam videlicet, quæ inuento ſalutari tuo, ſolet comparari. Aliter, *Gaudium, quale habent ſancti, redde mihi.* Quinam ſancti? Quale tres illi ſanctiſſimi Heroës Chriſtum quærentes habuêre, aſpicientes nimirum Stellam domum Bethleemiticam complentem fulgore, quando Deus, amiſsâ prius cœleſti lætitia, illis reddidit vniuerſi orbis lætitiam ſalutarem. Gloſſa, *Rem magnam peto, Domine, quia magnus* 55.

*Petit Dauid indeficientibus gaudiis, quæis Magi repleti.* Pſal. 50.

*Parua,*

*es. Petens, id eſt, temporalia petens, iniuriam tibi facis. Ideò peto à te magna, quia magnus: ſcilicet, lætitiam ſalutaris tui, qui eſt Chriſtus Ieſus. Vnde alia littera habet, Ieſus tui, quem promiſiſti.* Quid mirum Magos gaudio magno affectos, ſi magni Dei ſalutari ſunt munere donati?

56. *Vt ſpirituali gaudio beemur?* 1. Reg. 2. Annam teſtor inclamantem: *Exultauit cor meum in Domino.* 1. Reg. 2. Exultare, idem ac extrà ſaltare. Significat valdè magnam lætitiam, quæ intus ſe non capiat; ſed foras erumpat. *Eſt* (inquit D. Ambroſ. 6. in Luc. cap. 27.) *ſaltatio, qua tripudiat animus, & corpus eleuatur.* Id valdè magnæ lætitiæ documentum.

57. *Vnde tam lætitia Magorũ.* Pſalm. 83. Quam verè Magi tantâ donati lætitiâ continuit. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Pſalm. 83. Exultant *in Deum*, à quo veniam criminum acceperunt, *viuum*, ex cuius cognitione veritas reuelatur, diuorum mortuorum error propellitur, vnde Deo Patri

Tertul. reconciliantur. Expreſſit hoc Tertull. de expect. c. 29. fatus, *Quid iucundius, quam Dei Patris & Domini reconciliatio, quam veritatis reuelatio, quam errorum recognitio, quam tantorum retrò criminum venia?* Nonne magi per aliam viam incedentes, de priori itinere mundiali faſtidierunt? *Quæ* igitur *maior voluptas, quam faſtidium ipſius voluptatis?* Num nòn Herodis inſidias deſpexêre? *Quæ* tandem *maior voluptas, quam mortis timor nullus?*

58. *A Creatore.* Bernard. Aiebat Bernard. epiſt. 114. *Illud verum, & ſolum eſt gaudium; quod non de creaturis, ſed de creatore concipitur.* Magorum gaudium, non ortum habuit ex Stella ſurſum exoriente, ſed ex Creatore ab Stella indicato. Stellæ quippe non fuiſſet aut magna, aut conſtans lætitia, cum eis fulgor illius quandoque ſub Ieroſolymæ ingreſſu dormitauit. At nunquam dormitet gaudium conceptum à Creatore. Elegans Chryſol. *Ambulante Mago Stella ambulat, Mago dormiente excubat Stella.* Quid inde? *Stellã iam non Deum credit; ſed indicat eſſe conſeruam.* Quia fulgor Creatoris non dormitaret, neque dormiret. Nunquam equidem ſuperna lætitia nouit occaſum.

Annon lætitia illa magna, quæ redundat? exigua, quæ deficit? Quam Dei gaudium oriens 59.
redundans, quam è mundiali voluptate deficiens! Eliſæus fons olei indeficientis vaſa *A gaudio minimè deficiente.*
replet adhuc plura, ſi eſſent, repleturus. Fatuarum virginum oleum paruo inſumitur temporis interſtitio. 4. Regum 4. Porrò lætitiæ oleum, de quo Dauid: *Vnxit te Deus oleo lætitiæ.* Pſal. 44. Pſal. 44.
ortum ducens à Deo perenniter durat: vnde gaudium magnum valdè profectò; exiguum verò mundiale gaudium tam leui termino circumſcriptum. Victorẽ Hugonem 1. Miſc. c. 51. Hugo. Victor.
audite: *Habet oleum Deus, habet oleum & mundus. Ad oleum Dei vaſa deficiunt: oleum mundi in vaſis deficit, oleum mundi delectatio præſentium. Illa ſufficit, iſta deficit.* Nõ certè magnum, quod deficit in vaſe, ſed illud, ad quod vas cordis humani non ſufficit.

Apprimè Dauid, *Fundatur exultatione vniuerſæ terræ mons Sion Ciuitas Regis magni.* Pſal. 47. 60. *Huiuſce gaudij magnitudo.*
Aliter: *Dilatans exultationes vniuerſa terra mons Sion.* Vnde etiam mons Sion habet dilatare exul- Pſalm. 47.
tationes ſiue magnas efficere lætitias vniuerſæ terræ? Quia *Ciuitas Regis magni.* Solus enim magnus Rex nos poteſt magna exultatione donare. D. Ambroſ. *Sæculi lætitia temporalis eſt;* Ambroſ.
*perpetua autem lætitia eius, qui gaudet in Domino.*

Iam Magus cum Rege Dauide, *Cor meum* (ſurſum clamat) *& caro mea exultauerunt in* 61. *Cœleſtis lætitia magnitudo neſcit occaſum.*
*Deum viuum.* Pſalm. 83. Qui diis mortuis præſtiti obſequium, Deum verum requiſitum à me inueni: ideo exulto, quia de magno Deo Pſal. 83.
numquam morituro: vt gaudium magnum Auguſt.
de magno inuento bono ſemper viuat: *Non exultauit* (inquit D. Auguſtin. l. 50. Homil. 33.) *in hoc mundo, non in luxuria Venere, non in ebrietate Bacho, non in vanitatibus* Ioue, & Iunone *mortuis, & citò cum omni ſuo amore moriturus: ſed in Deum viuum.* E quo ſcilicet ortum gaudium tam magnum eſt, vt minimè intermori queat.

nem viam edocet ablatio illa pallij, Angelorum pio miniſterio, animam, ad Chriſtum inueniendum, conſtituit in via.

Refer in memoriam Eliam curru igneo præ-
50. *Elias non poterat cum pallio cælos ſcandere.* ruptum, nec, antea cœleſtia limina ingreſſum, quàm ſe ſe pallio exueret. 4 Regum 2. Vbi
4 Reg. 2. Hieron. Hieronym. in Geneſ. *Elias ad cælorum Regna feſtinans non potuit ire cum pallio.* Communiter vſurpatur hæc ſententia à modernis, vt aſtruant pondus diuitiarum, vel difficilem diuitum ſalutem oſtendant. Ego autem illam pendo particulam, *Non potuit ire.* Quare Elias cum pallio ire non poteſt? Percontatus Chilon (loquor cum Ant.) quid eſſent diuitiæ reſpondit: *Theſaurus malorum, calamitatis æternæ viaticum.* Aptius illas viam æternæ calamitatis vocitaret. Siquidem frequenter per viam diuitiarum in-
Senec cedentes (Seneca ait) *Stygias vltrò quærimus vndas.* Si temporarium bonorum abundantia via eſt frequenter ad tartarum, ſicuti ad cœlum nuditas, poteſtne aliquis ire ſine via, vel per viam tartari poteſt ad cœlum properare? Minimè. Elias igitur *Non poteſt ire cum pallio,* quia ſine via, ſeu per viam alienam incedebat. Ei adimitur pallium, ſicuti ſponſæ: vt viam ineat ſalutatem. Qua exaggeratione innuitur, non facilè diuites mundiales in cœlum deferri. Proh præpes ad Superos penna paupertatis! Quid Apoſtolus?

51. *Quam velox hanc viam percurrit paupertas.* *Nihil habentes, & omnia poſſidentes.* Quod exponitur ex Iſaiæ teſtimonio. *Suſtollam te ſuper altitudinem.* Cap. 58. Quonam modo? Præ-
Iſai. 58. Gregor. bendone mundialis Regni principatum? Te paupertatis ſpiritu donabo, vti agilis planè omnium rerum conſtituaris in vertice. D. Gregor. epiſt. 5. *Nihil (ait) in mundo appetens, videbar mihi in vertice ſtare. Super enim altitudinem ſuſtollitur, qui & ipſe quæ alta, & glorioſa videntur ſæculi, per mentis deſpectum calcat.* Haud volare poteſt, qui à mundi gloria diuitiis nempe non ſurgit expeditus.

52. *Peruolat expeditus.* Illud adhuc confirmatur ex Iacobi receſſu. Nam cùm ad Patriam auolare contenderet, ſe ſe collegit. Quanam ſignificatione? Tanquam qui à mundialibus ſe curis expediret, ſe à præſentis ſæculi diuitiis eriperet. Tunc futuras ipſe tranſcendit ætates, dum filios de futuris euen-
Gen. 49. tibus fecit certiores. Geneſ. 49. Quorſum illud? Vt oſtenderetur tunc immortalitatis hominem donari munere, cum ſe ſe à mundialium diuitiarum curis ſe curat explicare. Appoſitè ad
Ambroſ. hæc D. Ambroſ. lib. 2. de Iac. cap. 9. *Ille oculorum impeditus munere, ille defatigatis corporis viribus in lecto, tanquam in ſepulchro corpus relinquens, aſſurrexit in ſe, atque intra ſemetipſum ſe ſe colligens, præſentibus ſe rebus ſubduxerat, & nouiſſimorum dierum futura miſcebatur ætati.*

Tanquam ille planè, qui dignoſceret neceſſariò hominem debere ſe à mundialibus expedire, vt Superos ſcandere valeret.

# OBSERVATIO V.

Ad illa verba:

*Gauiſi ſunt gaudio magno valdè.*

## Magna valdè Magorum lætitia, Ieſum Stella oſtendente.

*Cæleſtia enim bona magna valdè magnam valdè excitant voluptatem.*

OSTENDIMUS Magorum gaudium non ortum duxiſſe ex Stellæ iterato conſpectu, ſed de Ieſu ab Stella manifeſtato. Stabat enim luminare illud ſupra, *Vbi erat Puer.* Ideo Magi *gauiſi ſunt gaudio magno valdè.* Neque enim cœleſtia gaudia vlli ſunt obnoxia exaggerationi. Nullus vber ſermo, nulla fœcunda laus ad ſupernam innuendam lætitiam. Exponit ſic locum Strab. *Gaudio gaudet qui propter Deum gaudet, qui eſt verum gaudium. Addit autem & Magno, quia de Magno gaudebant.* 53. Strab.

54. *Lætitia deſponſationis mundialis ipſo terminatur in limine.* Breui curſu minutiſſima huiuſce ſæculi gaudia terminantur, ſola ſine terminatione gaudia cœleſtia, non dico illa ſolummodo, quibus beati fruuntur in Patria; ſed quibus vel hic iuſti donari ſolent. Ad Canæ nuptias Dominus inuitatur; aſſident menſæ, lætantur meritò conuiuæ; quia dies *deſponſationis*, dies ſimul *lætitiæ eſt.* Ioan. 2.
Quid plura? Vinum intempeſtiuè deficit, aperit Deipara, *Vinum non habent.* Pondera, quæſo, quandonam defecit mundialis lætitiæ vinum? In mediis nuptiis. Caiet. *Vinum non habent: Iunge hæc tempora deficientis vini.* Deſponſationiſne hora amaritudinis inchoatio? O gaudia ſæcularia, hoc habetis, quod deficitis: hoc eſtis, quod mox non eſtis. Quid mirum lætificans verè merum defeciſſe, ſi Chriſti nondum venerat hora? *Nondum venit hora mea.* Solus Chriſtus lætificans vinum propinat, quod neſciat conſumi. D. Gauden. ſic gaudium deſcribit vtrumque. *Ad miſeros (inquit) conuiuas venit, vera gaudia allaturus. Terrenis enim gaudia in medio conuiuio deficiunt, vinumque lætificans in nuptiis deſinit.* Quis ſibi perſuaderet nuptialium dierum immunitatem, inuadente triſtitia, violandam, ſi dies *Deſponſationis* dies ſimul *lætitiæ* vocitantur? Caiet. Gaudent.

55. *Petit Dauid indeficientibus gaudiis, quæis Magi repleri.* *Redde* (ait Dauid) *mihi lætitiam ſalutaris tui.* Pſal. 50. Eam videlicet, quæ inuento ſalutari tuo, ſolet comparari. Aliter, *Gaudium, quale habent ſancti, redde mihi.* Quinam ſancti? Quale tres illi ſanctiſſimi Heroës Chriſtum quærentes habuêre, aſpicientes nimirum Stellam domum Bethleemiticam complentem fulgore, quando Deus, amiſsâ prius cœleſti lætitia, illis reddidit vniuerſi orbis lætitiam ſalutarem. Gloſſa, *Rem magnam peto, Domine, quia magnus* Pſal. 50.

a. Parua,

*ei. Parua, id eſt, temporalia petens, iniuriam tibi facit. Ideò peto à te magna, quia magnus: ſcilicet, lætitiam ſalutaris tui, qui eſt Chriſtus Ieſus. Vnde alia littera habet, Ieſus tui, quem promiſiſti.* Quid mirum Magos gaudio magno affectos, ſi magni Dei ſalutari tunc munere donati?

56. *Vi ſpirituali gaudio beemur.* 1. Reg. 2. Annam teſtor inclamantem: *Exultauit cor meum in Domino.* 1. Reg. 2. Exultare, idem ac extrà ſaltare. Significat valdè magnam lætitiam, quæ intus ſe non capiat, ſed foras erumpat. *Eſt* (inquit D. Ambroſ. 6. in Luc. cap. 27.) *ſaltatio, qua tripudiat animus, & corpus eleuatur.* In valdè magnæ lætitiæ documentum.

57. *Vndenam lætitia Magorũ.* Pſalm. 83. Quam verè Magi tantâ donati lætitiâ continunt. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Pſalm. 83. Exultant *in Deum*, à quo veniam criminum acceperunt, *viuum*, ex cuius cognitione veritas reuelatur, diuorum mortuorum error propellitur, vnde Deo Patri reconciliantur. Tertul. Expreſſit hoc Tertull. de expect. c. 29. fatus, *Quid iucundius, quam Dei Patris & Domini reconciliatio, quam veritatis reuelatio, quam errorum recognitio, quam tantorum retrò criminum venia?* Nonne magi per aliam viam incedentes, de priori itinere mundiali faſtidierunt? *Quæ* igitur *maior voluptas, quam faſtidium ipſius voluptatis?* Num non Herodis inſidias deſpexêre? *Quæ* tandem *maior voluptas, quam mortis timor nullus?*

58. *A Creatore.* Bernard. Aiebat Bernard. epiſt. 114. *Illud verum, & ſolum eſt gaudium, quod non de creatura, ſed de creatore concipitur.* Magorum gaudium, non ortum habuit ex Stella ſurſum exoriente, ſed ex Creatore ab Stella indicato. Stellæ quippe non fuiſſet aut magna, aut conſtans lætitia, cum eis fulgor illius quandoque ſub Ieroſolymæ ingreſſu dormitauit. At nunquam dormiret gaudium conceptum à Creatore. Elegans Chryſol. *Ambulante Mago Stella ambulat, Mago dormiente excubat Stella.* Quid inde? *Stellã iam non Deum credit; ſed indicat eſſe conſeruam.* Quia fulgor Creatoris non dormitaret, neque dormiret. Nunquam equidem ſuperna lætitia nouit occaſum.

Annon lætitia illa magna, quæ redundat? exigua, quæ deficit? Quam Dei gaudium oriens redundans, quam è mundiali voluptate deficiens? Heliſæus fons olei indeficientis vaſa replet adhuc plura, ſi eſſent, repleturus. Fatuarum virginum oleum paruo inſumitur temporis interſtitio. 4. Regum. 4. Porrò lætitiæ oleum, de quo Dauid: *Vnxit te Deus oleo lætitiæ.* Pſal. 44. ortum ducens à Deo perenniter durat: vnde gaudium magnum valdè profectò; exiguum verò mundiale gaudium tam leui termino circumſcriptum. Victorẽ Hugonem 1. Miſc. c. 51. audite: *Habet oleum Deus, habet oleum & mundus. Ad oleum Dei vaſa deficiunt: oleum mundi in vaſis deficit, oleum mundi delectatio præſentium. Illa ſufficit, iſta deficit.* Nõ certè magnum, quod deficit in vaſe, ſed illud, ad quod vas cordis humani non ſufficit. 59. *A gaudio minimè deficiente.* Pſal. 44. Hugo. Victor.

Apprimè Dauid, *Fundatur exultatione vniuerſæ terræ mons Sion Ciuitas Regis magni.* Pſal. 47. Aliter: *Dilatans exultationes vniuerſæ terræ mons Sion.* Vndenam mons Sion habet dilatare exultationes ſiue magnas efficere lætitias vniuerſæ terræ? Quia *Ciuitas Regis magni.* Solus enim magnus Rex nos poteſt magna exultatione donare. D. Ambroſ. *Sæculi lætitia temporalis eſt; perpetua autem lætitia eius, qui gaudet in Domino.* 60. *Huiuſce gaudij magnitudo.* Pſalm. 47. Ambroſ.

Iam Magus cum Rege Dauide, *Cor meum* (rurſum clamat) *& caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Pſalm. 83. Qui diis mortuis præſtiti obſequium, Deum verum requiſitum à me inueni: ideo exulto, quia de magno Deo numquam morituro: vt gaudium magnum de magno inuento bono ſemper viuat: *Non exultauit* (inquit D. Auguſtin. l. 50. Homil. 33.) *in hoc mundo, non in luxuria* Venere, *non in ebrietate* Bacho, *non in vanitatibus* Ioue, & Iunone *mortuis, & citò cum omni ſuo amore moriturus: ſed in Deum viuum.* E quo ſcilicet ortum gaudium tam magnum eſt, vt minimè intermori queat. 61. *Cæleſtis lætitia magnitudo neſcit occaſum.* Pſal. 83. Auguſt.

## SECTIO SEXTA.

# Adoratio, & Oblatio Magorum.

## *TEXTVS.*

*Verſ.* 11. Et intrantes domum, inuenerunt Puerum cum Maria Matre eius, & procidentes adorauerunt eum: & apertis theſauris ſuis, obtulerunt ei munera aurum, thus, & myrrham.

## *COMMENTARIVS LITERALIS.*

### §. I.

### *Num Ieſus in præſepio, an in domo aliqua adoratus à Magis?*

1. *Apte ſpelunca domus appellatur.* ET *intrantes domum.*] Non me excitat *domus* vocabulum ad quæſtionem, ſciens Scripturam nidum Herodij domum appellare. Pſal. 103. quo more congruè præſepium, aut ſpelunca domus vocaretur. Et Doctorum diuerſitas, & rei congruentia huicce Diſputationi anſam præbuere.

2. *Caietani dubitatio.* Dubitat Caietan. circa reſolutionem. *Incertum* (inquit) *eſt, an Matthæus præſepium appellet domum, an fortè ceſſauerit hoſpitum multitudo in illa domo diuerſoria, & ſic Virgo ex præſepio hoſpitata fuerit in domo diuerſoria, in qua non fuerit illi locus cum peperit?*

3. *Affirmans ſententia receptior.* Receptior ſententia eandem ſpeluncam, quæ Ieſum natum accepit, eum vidiſſe à Magis adoratum. Habet auctores Iuſtinum, Chryſoſtomum, Imperfecti Auctorem, Auguſtinum, Nyſſenum, Rabanum, D. Thomam, Euthymium, Bernardum, Interlin. Magiſtrum Hiſtor. & Eccleſiæ authoritatem canentis, *Hodie Stella Magos duxit ad præſepium.* Nec puto inconueniens Virginem vſque ad purificationem in ſpelunca commoratam, quam ex Ieſu natiuitate Regum palatiis longè nouerat præcellentem. Hanc ſententiam non facilè reiiciam, licet cognoſcam Doctores prædictos magis circa hoc ſe concionatores, quàm expoſitores oſtendiſſe.

4. *Negatiua veriſimilior.* Attamen exiſtimo Magos non in præſepio, vbi tunc, cogente neceſſitate & myſterio, fuit repoſitus Puer; ſed honeſtiori loco Chriſtum inueniſſe. Id ſuadet Mariæ, ac Ioſephi pietas. Quis enim dubitet Ioſephum in propria Patria vel non requiſiuiſſe, euacuata iam à profitentibus Vrbe: aut non inueniſſe domum, (ſi propria deficiebat) vbi Mater cum Ieſu habitaret. Nec meæ ſententiæ deeſt, quâ nitatur authoritas. Adeſt D. Epiphanius, Ianſenius, & Theophylactus pro omnibus fatus. *Multa concurrente multitudine, vt cenſeretur, non habebant ad tempus domum, ſed in ſpelunca natus eſt Chriſtus; deinde inuenta domo, viſus eſt ibi à Magis Dominus.* Eccleſiane abnegat hoc dum canit, *Stella Magos duxit ad præſepium?* Minimè. Stella enim Magos duxit ad Bethlehem paruulam ciuitatem, vbi ſpelunca erat, & præſepium, parum equidem diſtans à quacunque domo, vbi ex Stellæ ducatu Chriſtus à Proceribus eſſet adoratus.

*Inuenerunt Puerum.*] Quem ſcilicet requirebant. Vndenam Magi dignouerunt illum eſſe Meſſiam tot à ſe exantlatis periculis requiſitum? Certè Stella, me iudice, ſufficienter Puerum Ieſum deſignabat; ideò enim gaudio magno fuerunt affecti, quia ex Stellæ ducatu ad Pueri requiſiti cognitionem ſe putabant demùm aduenisse. Patet, quia Stella Magorum dux *vſque dum ſtaret ſupra, vbi erat Puer. Ex quo manifeſtè apparebat* (inquit Abulenſis) *quod Puer quæſitus ibi eſſet, quia alias Stella falsè deſignaret, manendo fixa ſuper illam domum, & non ſe determinando ad aliam, niſi ad illam.* 5. *Vndenam Magi cognouerunt Puerum eſſe Meſſiam.*

At valdè rationabiliter affirmo aliud præterea ſignum apparuiſſe, vt omnis poſſibilis dubitatio tolleretur. Siue enim Magi interius immutati fuêre ab Spiritu ſancto innuente illum eſſe, quem requirebant; ſicut Simeon ab eodem Spiritu edoctus Puerum adorauit. Siue aliqua dignitas ſuprà humanum modum in vultu Pueri apparuit, eum oſtendens eſſe Meſſiam adorandum. Quando Ieſus, facto ex funiculis flagello, è templo ementes, & vendentes deturbauit, annon eis qualitate aliqua vultui hærenti incuſſit timorem? Quando iuxta mare commoraretur, & Petrum ac Andream ad hominum captionem euexit, num non aliquem ſpecialem Chriſtus fulgorem allicientem offerebat? 6. *Auctoris mens.*

§. II.

## §. II.

*Puer cum ſola Maria inuentus eſt, abſente Ioſepho.*

Vt tollendi ſuſpicionis occaſiones documentum exhiberet.

6. CVm *Maria Matre eius.*] Cur Ioſephi memoria non fit? Certè aut fortè tunc non aderat domi, cum acceſſere Reges, licet ſtrepitu audito, mox aduentaret, aut myſterio (quod magis probo) affuit. Ne fortè Magi, ſiue eorum miniſtri Ioſephum Chriſti patrem arbitrarentur, è communique conſortio ortum ſibi perſuaderent. Raban. *Diuino nutu factum eſt, quod aberat Ioſeph; ne aliqua mala ſuſpicionis occaſio daretur gentibus.* Exponit amplius D. Vincent. *Ne fortè putaretur Pater Pueri.* Et Strab. *Ne aliqua malæ ſuſpicionis occaſio gentibus daretur communis generationis.* Quippe cum Ioſephum Mariæ Sponſum videntibus ſeu Magis, ſeu miniſtris fortaſſe veniret in mentem Chriſtum è communi conſortio ortum duxiſſe. Quam quidem ſuſpicandi occaſionem auerti oportebat gentilibus necdum fidei prima edoctis rudimenta. Hinc ediſce, quam procul abigenda ſit malæ cuiuſquam in nos, aut proximos cauſa ſuſpicionis.

Raban. Vincent. Strab.

7. Mulier illa Apocalypſeos enitens Infantem, Deipara eſt, Bernardo auctore. Deum parit cælis gaudium, hominibus ſalutem. Quid plura? Mox adeſt Draco magnus, Magi videlicet gentiles apprimè in ſerpentibus deſignari (vti ſcribit Lauretus) qui quidem non perſecutores accedunt, vt Herodes, Infantem interfecturi; ſed illum allaturi ad Patriam, ſi non præcipuè tunc Iudæos Deus hoc munere donaſſet. *Et data ſunt Mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in deſertum, vbi alitur à facie ſerpentis.* Cap. 12. Cur ad deſertum Deipara rapitur? Cur ſola in conſpectu gentilium Magorum ſtatuitur? Ioſephus ſponſus vbinam commoratur? Profectò in deſerto, ſiue ſola apparet, quæ vlnis geſtat Infantem in conſpectu Magorum ſeu *à facie ſerpentis.* Ne ſcilicet videntes Ioſephum cum Sponſa, natum Infantem è communi conſortio ſuſpicarentur.

*Deipara ſola in deſerto conſtituitur, ne gentiles ſuſpicentur, Ieſum ex Ioſepho progenitum.* Apoc.

8. Tanti momenti eſt, ad ſuſpiciones tollendas tibi ô fœmina virorum, tibi ô vir fœminarum fugere ſocietatem. Solus cum ſola de cæleſtibus (ais) myſteriis in eo ſermonem. Non inficior, ſed nec audebo affirmare, hinc aſpicientibus non dari cauſam ſuſpicionis. Vndè D. Ambroſ. Regul. Monach. *Solus* (inquit) *cum ſola non ſedeas, tantáque confabulandi fiducia ſit, vt, intrante alio, non paueas, nec erubeſcas. Caueto omnes ſuſpiciones.* Haud (inquis) ad rapinam à domeſticorum ſocietate receſſi. Facilè credam, ſed anſam præbes ſuſpicandi te furto maculatam. Lyſander militem (loquur cum Eraſmo lib. 6. Apoph.) qui de via deflexerat, caſtigauit. Ei dicenti ad nullius rei rapinam ſe ab agmine receſſiſſe: *Ne ſpeciem quidem* (inquit) *rapturi præbeas volo.* Deipara cum Ioſepho mentibus gentilium poterat immittere communis conſortij ſuſpicionem? Quid innupti cum innupta, quid alieni cum aliena vxore tam frequens, tam diuturna aſpicientibus confabulatio, commoratio? At non cautum Ioſephum recedere, ne Paſtores Puerum cum Ioſepho, & Maria dicantur inueniſſe. Luc. 2. Cur igitur tunc haud cautum Ioſepbum recedere, ne Paſtores in eandem inciderent ſuſpicionem? Quia plus ruſticani illi pij admodum, ſancta erant ſinceritate donati, vel quia Iudæi cum eſſent, non poterant de virginitate Matris Meſſiæ dubitare, etiam in ſponſi conſpectu.

*Fuge fœmina ſocietatem, vt prauæ ſuſpiciones eliminentur.* Ambroſ. Eraſm.

## §. III.

*Num Deipara timuerit?*

9. NVm Deipara timuit propter Filium, homines incognitos, & grandi aſpiciens apparatu? Aliqui Virginem à timore liberant, quod in conſpectu Dei commoraretur. Reſpondet tamen Abulenſis quæſtioni. *Si non timeret Virgo de Puero, non eſſet ſolicita nutriendo eum, obſeruans, ne quid deeſſet, cum nihil mali poſſet accidere ei: & tamen ipſa erat valde ſolicita circa ipſum, & anxiabatur, & timebat, & dolebat: vt patet, quando ipſa, & Ioſeph perdiderunt eum.* Quam aptè Deipara timet, ne puer Ieſus, quem peperit, recens natus ab hoſte diripiatur, qui quidem parituræ tetendit inſidias. Apocal. 12. Timere diſce, ô fidelis, ſi ſpiritum ſalutis peperiſti, ne hoſtis Deum à te efficiat ablegari.

*Timet.* Abul.

10. *Initium ſapientiæ timor Domini.* Eccleſ. 1. Siue timor, ne recens natus Dominus à nobis non cuſtodiatur tyronibus, vnde in exitium animæ nobis eripiatur. Nazianz. orat. 21. timorem appellat primum quoddam animæ *incunabulum.* Vbi ſcilicet Puer Ieſus recens natus exceptus, cuſtodiatur.

*Laudabiliter.*

## §. IV.

*De Magorum muneribus.*

11. ET *procidentes adorauerunt eum.*] Id eſt, flexis genibus. Abul. *Modus communior adorandi eſt, flectendo genua, & hoc vocamus nos procidere.*

*Adoratio.* Lyran.

12. *Et apertis theſauris ſuis.*] Theſaurus locus eſt, vbi aurum reponitur, quem locum eum ſecum minimè Magi portauerint, quonammodo dicuntur theſauros aperuiſſe? Reſpondet Lyran. *Non intelligitur, quod tunc aperuerunt, quin aperuerunt, quando ſcilicet de Patria receſſerant, & munera ſecum detulerant.* Præpoſtera valde fuiſſet huiuſmodi theſaurorum reſeratorum commemoratio. Aptius arbitror theſauros hîc pro arca, ſiue vaſe, quo aurum, myrrha, & thus cuſtodiebantur, ſumi ab Euangeliſta. Quid enim thuri, ac myrrhæ cum theſauro? Solum aurum in præſenti ad materiarium theſaurum videtur pertinere. Vnde *theſauri* theca auri ac reliquorum munerum repoſitoria.

*Quid Theſaurus?*

13. *Obtulerunt ei munera.*] Vetus namque conſuetudo fuit (loquor cum Haymon.) *vt nullus intraret ad Regnum ſine muneribus.* Regina Saba munera attulit ad Salomonem. Et Iacob fi-

*Quare munera obtulerunt.* lios in Ægyptum mitteos, *Sumite* (inquit) *de optimis terra fructibus, & deferte vire munera.* Cœlius ſic lib. 13. cap. 16. *Lectum eſt, lege apud Perſas eſſe ſancitum, ſeruatum quoque pertinaciſſimè, vt quandocumque in Perſas pergat Rex, pro facultate vnuſquiſque cum muneribus, quæ honoraria dici valent, aut aduentitia, ſalutatum eat.* Hunc profectò morem Magi ſeruauerunt ex eadem orri progenie Perſarum. Strab. *Obtulerunt munera, quia Reges Perſarum nunquam ſine muneribus adorant; quo more & vſu* Reges *munera obtulerunt.*

*Cœlius.* *Strab.*

14. *Munera.* ] Quæ quidem ab Abrahamo filiis, quos ex Cethura ſuſceperat, fuiſſe relicta, & a Magis poſtea Ieſu oblata affirmat D. Epiphan. *Filiis Cethurà dona erant aurum, & argentum, ac veſtitus. Et in mysterio concluſit Abraham in peris thus, & myrrham, & aurum Regum Sedomorum. At vero in Christi aduentu, cum ydē Abraham filij habitaſſent in partibus Abrabicis Magodiæ,* (putat Pater Magos à Magodia Regione nominari) *Magi qui ex ſucceſſione ſeminum illorum deſcenderunt, eadem dona in participationem eiuſdem ſpei, Chriſto in Bethlehem obtulerunt.* Magis piam, quam veram hanc venerationè ſententiam proſeqoot.

*Num ab Abrahamo hæc Magi munera acceperint?*

15. *Aurum, thus, & myrrham.* ] Num ſinguli tria munera obtulerunt? Reſpondet Lyranus poſt Remig. ſingulos tria, licet Beda ſcribat Gaſparem thus, Melchiorem aurum, Balthaſarem vero myrrham obtuliſſe. Lyran. ſequitur Magiſter Hiſtor. Strabus, Carthuſ. Abulenſ. & D. Anſel. qui quidem *Quæritur* (inquit) *an ſinguli Magi ſingula munera, an vnuſquiſque tria obtulerit? Sed magis fatendum eſt, quod congruerit myſterio, ſcilicet quod ſinguli tria.* Probo, quia etſi aurum ſolummodo principis viri donum eſſe potuiſſet, ſola myrrha, aut ſolum thus diuite homine dignum munus non eſt; oportuit ergo myrrhã & thus auro illuſtrari, ac nobilitari. Vnde D. Bonauent. de vit. Chriſt. cap. 9. *Quilibet* (ait) *obtulit dona tria in maxima quantitate, præcipuè de auro.* Deinde quia (vti innuimus ex D. Anſelm.) id congruit myſterio, *Vnuſquiſque enim* (adiicit) *Regem, & Deum, & paſſibilem eum eſſe credebat.*

*Singuli triplex munus obtulere.*

*Bonauent.*

16. Ineſt enim hiſce donis ſua occulta ſignificatio. Auguſt. Lyra, D. Thom. & ferè omnes idem, ac D. Anſelm. myſterium inculcant. Pro omnibus Iuuencus, cuius ſententia maximopere placuit D. Hieronym. ſancti. *Munerum ſacramenta pulcherrimè Iuuencus Presbyter vno verſiculo comprehendit:*

*Triũ munerum ſignificatio.*

*Thus, aurum, myrrham Regique, Hominique, Deòque*
*Dona ferunt.*

D. Bernardus, Aurum ad paruuli ſuſtentationem, thus contra fœtorem ſtabuli, (quod non approbat Abulenſis) myrrham ad membra infantilia conſolidanda. *Incerta eſt* (ait Caietan.) *literalis ratio, quæ mouit Magos, ad offerendum potius hæc, quam alia. Conſtat autem, quod aurum congruit Regiæ poteſtati, thus tum Deitati, tum Sacerdotali dignitati; myrrha tum infantilibus membris, tum fidei ſepulturæ eius.*

*Bernard.* *Caietan.*

Sentio equidem cum prædictis Patribus. Aurum enim maximè pertinet ad Regis ornamentum; thus, quo in ſacris olim Sacerdos vtebatur, rectè exprimit Deitatem; myrrhaque, quâ mortuorum corpora aduerſus corruptionem præparantur, congruè exprimit Chriſtum moriturum. D. Paſchaſium audite: *Obtulerunt aurum thus, & myrrham. Per aurum quippe, quod maximè Reguin eſt ornamentum, Regis inſignia declarantes: per thus verè, quia in ſacrificiis antiquitus ponebatur, eum venerantes, Deum intelligere fatebantur; per myrrham qua mortuorum corpora paſſim condiebantur, eum teſtati ſunt velut ex præſagio humanitus moriturum.* 17.

*Auctoris iudicium.* *Paſch.*

Patres in myſtica munerum interpretatione multi ſunt. *Aurum* (ait Gregor.) *offerimus, ſi ſapientiæ lumine ſplendemus; thus, ſi orationis ſtudio redolemus; myrrham, ſi carnis vitia mortificamus.* Strab. *Offerenda primum fides Chriſto, deinde oratio, tertio operatio.* Legendi Petrus Damian. Laurentius Iuſtin. Hugo Cardin. Dionyſius Carthuſ. 18.

*Myſtica ſignificatio auri, thuris, ac myrrhæ.*

Num Deipara recepit munera Magorum? Reſpondet Simon Caſſian. *Pia Mater eius paupercula in peregre poſita, donaria illa ſuſcepit ad fidem piam offerentium in deſignatione Pueri, in deſignatione myſterij.* Quid denique Virgo de auro ſibi præſtito? Num reſeruauit in exilij ſubleuationem? Quidam affirmarũt. Magis opinor cum Bernardo; & Vincentio, vel pauperibus à Deipara aurum oblatum, vel ſacratum templo. 19.

*Deipara munera Magorũ recepit.*

# IN IESVM A MAGIS ADORATVM.

## Panegyricus ſextus Moralis circa Literam.

## EX EORVM OBLATIONE.

### *OBSERVATIO I.*

Ad illa verba:

*Et procidentes adorauerunt.*

Reges erant proculdubio, qui procidentes Infantem adorant.

*Quia humilitas Regibus cognata.*

20\. Simon. Caſſia.

SIMON de Caſſia ſic: *Adorant Regis Regem Regum, & Dominum Dominantium.* Reges adorant? Reges procumbunt? Imò, & ſi mihi alia non ſubeſſet ratio, vnde Magos Reges fuiſſe faterer: non dubitarem de Regno, dum hi viri in Pueri conſpectu humiliter proſtrati meis oculis obiiciuntur. Regibus enim cognata humilitas & reuerentia præcipuè in Dominatoris aſpectu.

21\. *Probatur Magos Reges fuiſſe, quia humiliter adorauerunt.* Pſal. 47. Incog.

Regem vatem præmitto præcinentem. *In ſpiritu vehementi conteres naues Tharſis.* Pſal. 47. Vbi Incogn. per naues Tharſis Reges intelligit illos, qui Infanti Deo munera obtulerunt. *Per Spiritum ſanctum,* (inquit) *qui eſt ſpiritus vehemens, ponitur omnis ſuperbia Magorum.* Vnde probas in Spiritu ſancto Magos fuiſſe humiliatos? *Probo*: (ait) *Nam iſti Magi erant Reges; & vide, quod Spiritu ſancto in eis, vel Chriſto nato, humiliati, omnem ſuperbiam depoſuerunt; vnde procidentes, adorauerunt eũ.* Cur non dixit, Quia procidentes adorauerunt, ideò conſtat eos depoſuiſſe ſuperbiam? Plus probat, me iudice, dicens: Humiliatur, quia Rex eſt, quam: Humiliatur, quia adorat. *Iſti Magi* (ſubdit) *erant Reges, vnde nato Chriſto procidentes, adorauerunt eum.* Haud equidem Regi indecorum in conſpectu altaris procidere: imò Regiæ dedecus dignitatis, non mente, non corpore omninò deiici. Quia procidere coram altari Reges, ſedere proculdubio eſt.

22\. *Reges exiſtere, idem eſt ac procidere, & humiliari.* Apoc. 4.

In conſpectu Agni ſacratiſſimi appoſito altari apparent Reges. *Sedentes* quidem, *& in capitibus eorum corona.* At loquentibus quatuor animantibus, *procidebant viginti & quatuor Reges, & mittebant coronas ſuas ante thronum.* Apoc. 4. Quæris, quandonam prociderent ſeniores, ſuas coronas ante thronum mittentes: Quando clamabant quatuor animalia, inſtas, & quandonã quatuor animalia clamarent? *Animalia* (reſpondet Textus) *non habebant requiem die, ac nocte, dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Si igitur Reges procidebant, & mittebant coronas, quoties animantia illa clamorem emittunt: ſemper procidunt Reges, ſemper pedibus Agni dicant coronas; quia ſcilicet ſine requie vlla, die, ac nocte inclamant animalia Quis dubitet? Hinc difficilis ſuboritur quæſtio. Si ſemper procidunt Reges, ac coronas immittunt, quia ſemper clamant animantia: quandonam potuere apparere ſedentes, & in capitibus eorum coronæ? Quonam modo Regibus ſtatuitur requies, ſi requiem non habebant animalia, quorum cantus interminabilis haud intermiſſibilis ſubmiſſio Regum erat? Vi coactus argumenti Richardus Victorin. ad ſenſum myſticum accurrens, (nam & omnia illa myſtica erant) ſic tradit ſolutionem. *Sanè coronati illi ſedent, qui ante diuini Agni thronum proſtrati comiacent.* Ipſum enim illud procidere, eſt ſedere: idem illud coronam ſubmittere, coronari eſt. Videant Reges, quam ſine maieſtatis præiudicio Deo præſtent reuerentiam. Procidunt igitur, quando ſedent, quando regnant; quia ſedere, regnare, ſeu Reges exiſtere, idem eſt ac deiici, & humiliari. Tam adnatum Regno in conſpectu Altiſſimi ſubmitti. Richar. Victor.

*Ant. de Eſcob. & Mendoz. de Sanct. Tom. I.*

Quando non ſubmiſſio cognata Regno? Baptiſtæ ſententiam de Regum Principe recenſebo. *Poſt me veniet Vir, qui ante me factus eſt; quia prior me erat.* Ioan. 1. Vbi Anſelm. vim illius particulæ expendit: *Quia poſt me veniet Vir, qui ante me factus eſt. Cur veniet poſt te, qui ante te factus eſt?* Reſpondet, *Quia prior me erat.* Ac ſi diceret: Ideò Chriſtus poſt Ioannem venire dignatus eſt, quia prior erat Ioanne. Prioritas enim, prælatio, & excellentia non Chriſtum extulit, vt eleuaretur, Ioannique præficeretur; ſed illum ſeruo ſuppoſuit. 23. *Ideò Chriſtus poſt Ioannem venit, quia Rex ante illũ factus eſt.* Ioan. 1. Anſelm.

*Ioab filius Saruiæ erat ſuper exercitum. Banaias filius Ioiada ſupra legiones Cerethi, & Phelethi. Porrò filij Dauid primi ad manum Regis.* 1. Paral. 18. Ad quem locum Hugo Card. *Filij* 24. *Primi in honoribus primi ad obtemperandum.* 1 Par 18. Hugo.

*Dauid ſacerdotes erant, ſed & hîc primi, & ibi Sacerdotes dicuntur, propter nobilitatem, & prioritatem.* Hinc ſurgit quæſtio. Vbinam hic primi dicuntur filij Dauid? *Hîc primi dicuntur.* Porrò Ioab & Banaias dicuntur primi, quia huius ſuper Cerethi, & Phelethi exprimitur poteſtas; illius autem regimen ſuper exercitum adnotatur. At filiorum Dauid, qui Sacerdotali inſuper dignitate fulgebant, primatus, ſiue excellentia, *hic* non exprimitur, potius ſubiectio indicatur, cum *ad manum*, ſiue ad obedientiam Regis promptos Textus depingat. Profectò filij Dauid *hic primi* planè dicuntur, & oſtenduntur verè primi, dum *primi ad manum Regis* declarantur. Ille namque *primus* eſt ad ſubiectionem, paratior ad obſequium. *Nam qui primi* (inquit Lyran.) *erant in honoribus, primi ad Regis nutum obtemperabant.* Hæc prioritas filiorum Regis, primos ſe oſtendere in obſequio, ad præcipientiſque nutum, manuum inſtar, obtemperare.

25\. *Nouiſſimo in loco collocatus Rex apparebis.* Luc. 14. Bernard.

Audi veritatem: *Si inuitatus fueris ad nuptias, recumbe in nouiſſimo loco.* Luc. 14. Vulgaris apparebo; in nouiſſimo loco collocatus. Imo oſtenderis Rex. Alliciendus D. Bernar. ad hunc ſenſum. *Recumbe* (inquit) *in nouiſſimo loco, vt ſolus ſcilicet omnium ſedeas.* Ac ſi diceret. Vt nouiſſimo loco conſtitutus, tu ſolus ſedeas, tu ſolus throno dignus appareas, cæteris potius adſtantibus, quàm ſedentibus, in nouiſſimo loco recumbe. Ille etenim apparet dignus ſede ſolâ, & abſolutâ, qui omnibus ſe ſe efficit nouiſſimum.

26\. *Minimi conſequenter Regis fratres compellantur.* Matth. 25. Chryſoſt.

Rurſum Ieſus: *Quod feciſtis vni ex minimis fratribus meis, mihi feciſtis.* Matth. 25. Vbi Caietan. *Quamuis Rex in ſede maieſtatis tanta, non dedignatur appellare fratres ſuos pauperculos.* Regis fratres, ſemen Regium proculdubio eſtis. Si fratres Regis, ô Domine, cur eos minimos appellas? Sed D. Chryſoſtom. ſatius committere quæſtionem. *Si fratres* (rogat) *tui ſunt, quomodo minimos eos appellas?* Reſpondet, *Imo vero ideò fratres, quia humiles, quia abiecti.* Ideò fratrum Regis appellatione digni apparent, quia minimos ſeſe præbuere.

27\. *Humilitas Regiam nobilitatem manifeſtat.* Pſal. 44. Gregor.

*Omnis* (canit Dauid) *gloria Filia Regis ab intus in fimbriis aureis.* Pſalm. 44. *Quid ergo eſt* (inquit Gregor. 2. Reg. lib. 6. cap. 5) *quod omnis gloria intus perhibetur, niſi quia & illa, quæ foris eſt, gloria intus eſſe cognoſcatur?* Ac ſi diceret, Ex ea gloria, quæ intus eſt, exterior gloria dignoſcitur, honor ſcilicet, & Regalis Filiæ Dei nobilitas. Iam requiris, quænam ſit gloria illa intus latens, è qua exterior Regalis nobilitas prædicatur, dignoſcitur? *In fimbriis aureis*, vtique terram pertingentibus. Abiectio ergo, humilitas, demiſſio animi Filiæ Regis ad lucem adfert omnis gloriæ, omnis nobilitatis ſplendorem, humilitas efficit eam Regis Filiam apparere. O quàm nobilibus humilitas adnata!

28\. *Regi adnatum ſeruire.* Senec.

Difficilis illa Senecæ ſententia epiſt. 44. *Omnes Reges ex ſeruis; omnes ſerui ex Regibus oriuntur.* Quare? Quia tam adnatum Regi ſeruire, humiliari; vt ſeruus Regem, Rex autem ſeruum gerentem ſortiri videatur, ob eam qua parentes filij ſimilitudine aſſolent obſignari.

OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

*Apertis theſauris ſuis, obtulerunt ei munera.*

Magi præmiſſis orationis ac eleemoſynæ muneribus, vacuos taxant adoratores.

*Muneribus enim præcedentibus orans exorat.*

29\. Chryſoſt. ſerm. 103.

IVSTE Reges hi ſapientum appellatione condecorantur, qui non vacui accedunt ad altare myſticum, vbi Chriſtus adoratur; ſed muneribus onuſti, precantur, & adorant. Chryſol. ad hæc. *Adoraturi accurramus omnes, & muneribus ſacris Deum, Regemque Virgineo proceſſiſſe fateamur ex têplo.*

30\. *Munera præparare, orare eſt in ſpiritu.* Gal. 4. Auguſt.

Paulus, *Eramus nos ſub elementis huius mundi ſeruientes.* Gal. 4. Imo ipſis elementis, Magorum inſtar, ſeruiebamus. Nam (vti ait Auguſt.) *Pagani non ſub elementis ſeruiunt, ſed ipſis elementis: colunt enim aſtra, Solem, Lunam, Sydera in firmamento; in inferioribus Terram, Aquam; in mari Neptunum; in infernis Plutonem. Chriſtiani non ſub elementis, ſed ſuper elementa Deo ſeruiunt; ad Ieruſalem cœleſtem properantes in ſpiritu, & veritate Deum adorant.* Incidit Doctori in memoriam ſententia Dominica ad Samaritanam; *Venit hora, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu, & veritate.* Ioan. 15. Chryſ. Illum in ſpiritu & veritate orare docet, qui quando petit, dat; ille autem in ſpiritu & veritate non orat, qui non dando, *contra hoc, quod petit agere non ceſſat.* Hi præcipuè *veri adoratores.* Præcipuè dixi. Scio enim ſine oblato munere Deo iuſti preces acceptabiles. Chryſol.

31\. *Eleemoſynam ante orationē mittens, Deū efficit debitorem.* Exod. 23. Chryſoſt.

Deus olim: *Non apparebis in conſpectu meo vacuus.* Exod. 23. Quare ad meum accurris conſpectum? Nonne vt doneris miſericordia? Ex miſericordia prius Deum cura efficere debitorem. D. Chryſoſtom. epiſt. 2. ad Timoth. *Iudæis dicebatur: Non apparebis in conſpectu meo vacuus; quanto magis nobis? Idcircò nempe pauperes ante fores adſtant, vt nemo vacuus ingrediatur, vt miſericordia comite ſecurus introeat. Intras, vt miſericordiam conſequaris? Prior ipſe miſerere, fac primum debitorem Deum, & ita illud demum exige.*

32\. *Num oratio quam eleemoſyna non comitatur, otioſa.* Pſalm. 140. Strab. Chryſoſt.

Pulchrè Dauid, *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo, eleuatio manuum mearum.* Si orationis peruolat (ex Strabo) incenſum, eleuatione manuum pauper aurum recipiat, myrrha defunctorum corpora condiantur. *Hoc enim poſtulat Propheta, vt quod loquitur, non ſit otioſum.* An otioſa futura eſſet oratio, quæ non eleemoſyna aſſociaretur: *Expande* (inquit Chryſoſt.) *manus tuas ad pauperum manus. Si ad pauperum manus extendas manum, ipſum cœli cardinem attigiſti; nam qui illic ſedet, eleemoſynam accipit. Quod ſi ſteriles manus extendas, nihil proficis.*

Digitized by Google

*proficis. Nam non in verborum multitudine, ſed in operum exhibitione nos exaudire meminerimus.* Profectò ſine eleemoſyna oratio, ſic, ſicut ſine oratione eleemoſyna, laudabilis actio. Attamen prædicta ſandi ratione vberiorem orationis ex eleemoſyna efficaciam intendit Doctur oſtentare.

33. *Bene eleuat in oratione manus, qui extendit ad pauperem.* Exod. 17. Auguſt.

Id quod Moyſes manuum eleuatione expoſuit. *Cumque leuaret Moyſes manus, vincebat Iſrael.* Exod. 17. Vbi D. Auguſtin. *Quis bene manus leuat, niſi qui per eleemoſynam in cœlo iugiter theſaurizat? Quis benè manus leuat, niſi qui aſſiduè victum, & veſtitum pauperibus ſubminiſtrat?*

34. *Propria ſimul inopia recordare.* Eccleſ. Auguſt.

Admonuerim tamen ea ex eleemoſyna orationem efficaciam recipere, qua proximo ſi occurras, propriæ ſimul recordaris inopiæ. Cui ſenſui illud Eccleſ do. *Miſerere animæ tuæ, placens Deo.* (Cap. 30. Ad quæ Auguſtin. ait) *Qui eleemoſynas facit, facere incipiat a ſe ipſo. Indignum eſt enim, vt in ſe non faciat, qui facit in proximum.*

35. *Taxātur qui propria egeſtate non occurrunt.*

Adfero ad diſputationem, vtrùm aliquis ex iis, qui damnandi in extremo iudicio, pauperibus ſubuenerit aliquando? Quis dubitet aliquos damnandos ſæpè egenis ſubueniſſe? Imò plures ipſo in mortis veſtibulo pauperes eleemoſyna donauêre, ſicuti Regi Balthaſari legimus accidiſſe. Quare ergo Dominus Balthaſari impio, ejuſque imitatoribus, *Diſcedite* (inclamat) *maledicti in ignem æternum. Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare: ſitiui, & nō dediſtis mihi,* &c. Mat. 25. Cur me ô Domine (Balthaſar replicat) arguis de auaritia? Nonne mors me egenorum reperit ſubleuatorem? Similiter plures alij inclamabunt. Eleganter ad hæc D. Auguſt. *Oſtendit eos non facere, etiam quando ſe facere exiſtimant. Si enim Chriſtiano eſurienti panem tanquam Chriſto darent: profectò ſibi panem iuſtitiæ, qui ipſe Chriſtus eſt, non negarent.* Ideò, *Quod ait, ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis: quod autem vni ex minimis meis non feciſtis, mihi non feciſtis.* Feciſtis *vni*, ſcilicet pauperi, non feciſtis *vni*, videlicet vobis; quando vobis fameſcentibus, pauperi ſubueniſtis.

Matth. 25.

Auguſt.

# OBSERVATIO III.

## Ad illa verba:

## *Aurum, Thus, & Myrrham.*

## Myſtica Ieſuitarum oblatio.

*Vbi trium Religioſi inſtituti votorum perfectionem expendo, Paupertatis fortiſſimæ, Caſtitatis Angelicæ, Obedientiæ cadaueris magnalia recenſeo.*

36. SOCIETATIS Ieſu alumnus qui Magorum aperio theſauros, non potui me continere, quin votorum noſtrorum renouationis laudabilem conſuetudinem paucis illuſtrarem. Epiphaniæ etenim ſolennis à Societatis viris, qui iuxta inſtitutum renouare tenentur, myſtica hæc oblatio peragitur. Vidimus tria à ſingulis oblata fuiſſe Regibus. *Hæc tria* (inquit inſuper Dionyſ. Carthuſ.) *ſinguli obtulerunt.* Vti videlicet innuerent trium votorum immolationem. An non in auro rutilat religioſa Paupertas? Num non in thure redolet caſtitas? Nonne in myrrha fulget obedientia? Singula expendam, & confirmabo. Carthuſ.

### CAPVT I.

### *Aurum Magorum, ſiue Societatis Ieſu Paupertas.*

AVrum aptè Societatis Ieſu paupertatis typus, dum offertur, dum humeri *graues auro* (vti ait Chryſol.) pondere liberantur. D. Ignatij Patris noſtri præmitto ſententiam p. 6. conſ. c. 2. §. 1. *Paupertas, vt murus Religionis firmus, diligenda, & in ſua puritate conſeruanda eſt.* Diuitiæ non ſunt ad firmum murum accommodatæ; decideret namque Religioſis exædificatio auri hærens fundamini. Siue enim à ſuperiori culmine grauantes diuitiæ murum opprimerent; ſiue à fundamentis infirmæ deficientes, cauſa exiſterent comminutionis. 37. *Paupertas Societatis inſtar Religionis muri.*

Grauant profectò à culmine diuitiæ, ſuomet pondere preſſa corruit ædificatio. *In conſpectu eius* (canit Dauid) *procident omnes, qui deſcendunt in terram.* Pſalm. 20. Illud, *procident* ad Magorum videtur alludere adorationem, qui quidem *procidentes* adorant: procidunt planè, quia vti myſticè Chryſol. dicebat, diuitiarum referens conditionem: ac ſi Reges typum gererent mundialium, *graues auro* præferantur. Quinam igitur ſunt, qui procidunt? Auguſt. de gra. nou. Teſt. cap. 18. *Omnes bona amantes terrena. Quanto ſibi bonis terrenis feliciores videntur, tanto magis in terram deſcendunt. Aurum enim* (inquit Ambr.) *natura graue, grauius fit auaritia.* Vnde corruere facit auaros. Quam ædificio ineptum, quod ſuomet pondere graue, haud valet conſiſtere! 38. *Diuitiæ à culmine ædificium religionis corruere efficiunt.* Pſal. 20. Auguſt.

Abram ad perfectionē vitæ vocatur: *Egredere* (inquit Dominus) *de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui, & veni in terrã, quam monſtrauero tibi.* Gen. 12. Cogente fame diuertit ad Ægyptum. *Aſcendit ergo Abram de Ægypto, & omnia quæ habebat.* Geneſ. 13. Vbi Hieron. *Aſcendit* (inquit) *grauatus, liberatus. Pondere grauabatur. Et licet videantur eſſe diuitiæ pecoris, auri, & argenti: tamen Ægyptia ſunt, viro ſancto graues ſunt.* Qui ergo paupertatis reſumit ſtudium, mundialibus ablegatis, quaſi à conſtructionis ruina liberatur. 39. *In morē eius, qui excidenti muro comprimitur, liberatur qui renūciat diuitiis.* Gen. 12. Hieron.

Fundamina fabricæ diuitiæ conturbant, non aptæ ad muri firmitatem. *Ierichò autem clauſa erat, atque munita. Attamen omni populo vociferante, & clangentibus tubis, muri illico corruerunt.* Ioſ. 6. Vbi Baſil. Seleu. Orat. 31. *Obſeſſa Iericho murorum orbem excubat.* Quanam vi? Num populari vociferatione, clangore tubarum? Leuis profectò impetus ad firmiſſimos muros diſſipandos. Hugo Card. myſtice locum interpretatus, in muris Ierichuntinis ait ſignari diuitias. Non igitur opus potentem adeſſe vim, ad muros infirmandos, ipſa *Iericho ſe ſe orbe* 40. *Huiuſce ædificationis fundamina opes faciunt commoueri.* Ioſ. 6. Baſil. Hugo Card.

*exuit murorum.* Illicò corruit extructio. Ipſe etenim graues diuitiæ ſuamet ipſa fundamenta comminuunt.

41. *Quã deficiens murus diuitiæ.* Luc. 12. Chryſol.

Vnde Dominus, *Vendite quæ poſſidetis.* Subdit ſtatim rationem, *Facite vobis theſaurum non deficientem.* Luc. 12. Quiſnam theſaurus deficiẽs niſi diuitiæ corruere efficientes ædificationem, quia ipſæ deficiunt? Bellè Chryſol. ſerm. 22. *Tales* (inquit) *monitu Chriſtus Dominus manere tibi tua voluit, non perire.* Si à diuitiis te expedis, tua fabrica perſeuerat; ſi de bonis mundialibus ſollicitus ſis, excidit ædificium, perfectionis muro labefactato.

42. *Apta paupertas pro religionis muro ſtatuitur.* 1. Reg. 2.

O Paupertas Religioſa, quàm apta ad muri fortitudinem! Si à ſuperiori extructionis culmine leuis, à fundamentis ſolida exiſtis. *Domini ſunt cardines terræ, & poſuit ſuper eos orbem.* 1. Reg. 2. Aliter, *Afflicti terræ*, id eſt, pauperes ſpiritu, ſuper quos Conditor orbis machinam conſtituit. Vndenam tanta firmitas? Profectò Paupertas ſuper firmum Dominicum lapidem innixa, nullo pondere premitur. Inſurgunt venti, flumina refluunt: ſtat murus Paupertatis. Obiicias, precor pauperum Ducem Saluatorem, Auguſtino fante. *O paupertas! In anguſto diuerſorio naſcitur inuolutus infantilibus tegumentis: in præſepio ponitur, fugit, vagit, tolerat ætatẽ, occultat maieſtatem: poſtea tenetur, contemnitur flagellatur, illuditur, conſpuitur, colaphizatur, ſpinis coronatur ligno, ſuſpenditur, lanceà perforatur. O paupertas!* Ac ſi diceret. Quiſnam poſſet tantorum hoſtium impetum excipere, tantum incommoditatum pondus ſuſtinere, niſi fortiſſimus murus paupertatis?

August.

43. *Hac Iobum obfirmauit, ne ædificatio corrueret.* Iob 2.

Diabolus conatus eſt Iobi exædificationem ſolo æquare, fortiſſimum ſupplantando ducem, ſeu huiuſce muri firmi euertendo fundamina. Pauperem effecit, vnde ſuo ſe hoſtis gladio vulnerauit. Quia ſcilicet paupertas adeò muri huiuſce fundamentum ſolidauit, vt minimè ſupplantari poſſet. *Tange* (ait diabulus) *os eius, & carnem eius, & tunc videbis, quod in faciẽ benedicat tibi.* Iob 2. Percuſſerat hoſtis virum patientiſſimum egeſtate, quod cum eum infirmum aſpiceret, exiſtimauit fore, vt addito vulnerum pondere, conſtructio rueret. At Deus caſuro ædificio paupertatem appoſuit, vti impetus priùs frangerentur, quam fabrica. Non ſolum ad tactum leuem, in morem rei caducæ, non ruit; verum, ad impetum horribilem conſtitit immobile. Quid mirum, ſi Paupertatis muro obfirmabatur? Præclarè D. Chryſoſtom. hom. 5. ad Pop. *Cum diues erat Iob, cum ipſo pugnare parabat diabolus, & ſupplantare minabatur: poſtquam verò ipſum ſpoliauit, & pauperem fecit, nec dicere quidem amplius auſus eſt.* Immobilis enim erat, qui Paupertatis muro fulciebatur. En Paupertatem à fundamine firmam.

Chryſoſt.

44. *A culmine non grauat, quia leuis.* Matth. 11. Auguſt.

Quam Paupertas à culmine leuis! Chriſtus *Iugum* (inquit) *meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Matth. 11. Iugum hoc paupertas, quod certè ſuaue, ac leue dicitur, quia auro vacuum & argento. *Alter alterius onera portate*, inclamat Apoſt. Quod expendens Auguſt. de verb. Apoſt. c. 22. ait, *Paupertas non eſt onus meum, ſed onus fratris mei. Vide, ne diuitiæ ſint maius onus tuum.* Leuiſſimum ergo onus paupertas, ſi quidem nequanquam onus pauperis eſt; ſed eius, qui tenetur egeſtati eius ſuccurrere. Vnde aptè illud: *Vide, ne diuitiæ ſint maius onus tuum:* propterea quod diues teneatur indigenti ſubuenire. *Quid eſt* (adiicit) *onus paupertatis? Non habere. Quod eſt diuitiarum onus? Plus quàm opus eſt habere.* Onus igitur paupertatis, quod eſt non habere, non propriè eſt paupertatis onus, ſed diuitiarum. Nam diuitiæ, ex eo quod plus, quam eſt opus habent, occurrere debent pauperum indigentiæ.

Diuitiæ itaque corruere faciunt diuites, Religioſa paupertas neceſſaria miniſtrans, æternum duraturam ſpiritualem fabricam reddit. 45. *Firmiſſimus Religionis murus dum ad vitam exhibet neceſſaria.* Beda. Murus quippe firmiſſimus eſt paupertas neceſſariis ad vitam ſtipata, ſuperfluis ablegatis. Iſmael ex Beda de nom. Hebr. *Dei auditionem accipiens*, dum ſe ſe recipit ad deſertum, refert, me auctore, Religioſum. Quid nam à domo præ diuitiis Abrahæ accepit? Nonne panem, & aquam? *Tollens panem, & vtrem aquæ poſuit ſuper ſcapulam matris, tradiditque Puerũ, & dimiſit eam.* Gen. 21. Ambr. *Domus Abrahæ erat diues, locuples, abundans. Attamen non vinum, non oleum accepit.* Quid accepit? Nonne panem, & aquam? *Quæ* quidem (adiicit Pater) *ſunt vitæ alimenta firmiſſima.* Pulchrè firmiſſimum appellauit paupertatis neceſſarium victum. Quia *firmus murus* (ex D. Ignatij ſententia Paupertas Religioſa) neceſſariis ſolummodo adhibitis, tuendus eſt.

Gen. 21. Ambroſ.

---

## Capvt II.

### *Thus Magorum, ſeu Societatis Ieſu Caſtitas.*

THus Caſtitas Angelica. *Quæ eſt iſta*, (clamat Sponſus) *quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris?* Cant. 4. Rupert. explicat. *Extenuata diſciplinis.* Adeò vt corporis exſiccata carne, in morem ſpiritus, poſſit auolare. Angelica profectò huiuſmodi caſtitas, vbi thuris virgula extenuata conſpicitur. Hanc D. Ignatius Sociis caſtitatis legem indicit p. 6. conſ. c. 1. §. 1. *Quæ ad votum caſtitatis pertinent, interpretatione non indigent: cum conſtet, quam ſit perfectè obſeruanda, nempe enitendo Angelicam puritatem imitari, & corporis, & mentis noſtræ munditia.* Angelica prorſus Societatis Ieſu caſtitas pluribus de cauſis exiſtit. 46. *Angelica Societatis caſtitas.* Cant. 4. Rupert. Ignat.

Primùm, quia Societas animorum vtilitati incumbens, lucem doctrinæ proximis emittens, cœlum quidem Eccleſiæ. At qui cum Angelis communi ſede fruuntur, eos neceſſum imitari. 47. *Cœleſtis Societatis Angeli habitatores.* Noë Arca volucribus celſum quoddam præparabat habitaculum, duobus aliis reliquis ſubiectis animantibus. Gen. 7. Vbi Auguſt. 5. de ciu. cap. 26. *Poſſunt* (inquit) *conuenienter hiſce domiciliis tres illæ vbertates Euangelicæ deſignari, trigena, ſexagena, centena.* Vt in infimo habitet pudicitia coniugalis, ſupra vidualis, atque hac virginalis ſuperior. Hæc Eccleſiæ cœlum vbi Angeli ſignati volucribus commorantur, quæ quidem ex Auguſtini mente decet Euangelij miniſtros, quorum munus docere, reprehendere, ad virtutem allicere. Gen. 7. Auguſt.

Porrò ad docendi, ac reprehendendi munus obeundum, Societatis viro Angelica caſtitas copulanda eſt. *Aſcenditque Angelus Domini de* 48.

*Galgalis*

*Ad munus diuinas Angelica nobis puritas neceſſaria.* *Galgalis ad locum flentium, & ait, Eduxi vos de Ægypto, & introduxi in terram,* &c. Iud. 2. Volui aſſolet quæſtio in præſenti. Verùm aſcendens ille de Galgalis fuerit Angelus, an homo hoc nomine inſignitus? Placet Hebræis verum Angelum fuiſſe. At Lyranus cum aliis ſentit hominem extitiſſe. Ego autem exiſtimo hominem Angelum aſcendiſſe, ſiue hominem Angelicæ puritatis imitatorem. Quia ſcilicet ad carpendum populum acceſſerat, quod ſanè munus Angelum requirit humanitate indutum, ſiue potius hominem Angelico veſtitum indumento. *Scribitur* (ait Lyran.) *tranſgreſſionis reprehenſio. Dicunt Hebræi, quod iſte Angelus fuit Phinees; tum quia Angelus interpretatur nuncius: iſte autem fuit miſſus à Deo, ad arguendum populum de tranſgreſſione mandatorum: tum quia Hebræi dicunt ipſum fuiſſe Angelum in corpore humano.* Adde ex Auguſt. apud Gloſſ. huiuſmodi Angelicum hominem acceſſiſſe, vt perſonam gerens abſentis Ieſu, populum reprehenſionis vulnere afficeret. Ieſu autem miniſter, ac Socius Angelica debet puritate nitere, præcipuè ſi luxurici exceſſus taxandi ſint. Id quod præſtitit Phinees, quando Iſraëlitam immunda fœmina copulatum vtriuſque perfodit exitio. *Quod cum vidiſſet Phinees, arrepto pugione ingreſſus eſt poſt virum Iſraelitam in lupanar, & perfodit ambos ſimul.* Num. 25.

Iud. 2.
Lyran.
Auguſt.

49. *Et ad concionandi miniſterium.* Deinde adhærere debet puritati Angelicæ Ieſuita, ad cœleſtia myſteria euulganda. Quid Apoſtolus Socius Ieſu? *Scio hominem in Chriſto raptum vſque ad tertium cœlum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* 2. Cor. 12. Quodnam hoc cœlum? D. Anſelm. *Nouem ſunt* (inquit) *ordines Angelorum, qui iuxtà Dionyſium, in tres ternas diſtinctiones diſtributi ſunt. Prima, quæ terris eſt vicinior, conſtat ex Angelis, & Archangelis, & Principatibus. Media ex Poteſtatibus, & Virtutibus, & Dominationibus. Suprema ex Thronis, & Cherubim, atque Seraphim. Prima diſpoſitio primum cœlum poteſt accipi, ſecunda verò ſecundum, tertia autem tertium cœlum. Apoſtolus itaque raptus in tertium cœlum, intelligitur ſupremus Angelorum choris interfuiſſe.* Quare ſupremis? Quia vti euulgare poſſet *arcana verba, quæ non licet homini loqui*, aſſociari oportebat Angelis Apoſtolum, qui ob nominis Ieſu commiſſionem Ieſu erat aſſociatus; vti iam facto Angelo loqui liceret. Apprimè Caietan. *Ibi Paulus didicit verba, quemadmodum Angeli diſcere dicuntur.* Ad Angelorum acceſſit ſcholam, vt diſcerent, quidquid Angelorum more reuelare oporteret.

2. Cor. 12.
Anſelm.

50. *Et ad Eccleſiæ defenſionem.* Præterea Angelica neceſſaria Ieſuitæ puritas, quia Angelis militibus adhæret, vt defendat Eccleſiam. *Angelus enim Domini exercituum noſter ſacerdos eſt.* D. Ambroſ. 1. de Virg. cap. 52. Angelos ait Dominicæ vineæ cuſtodes. *Vinea mea eſt in conſpectu meo, ducenti qui ſeruant fructum eius, ſexaginta potentes in circuitu propaginis eius ſtrictis armati telis.* At creſcente huiuſce vineæ fructu, ob fidelium ex gentibus quotidie fluentium ad nos multiplicationem, neceſſum, milites ſtrenuos Angelis aſſociari ad vineæ cuſtodiam. *Creuit* (ait) *numerus* militum, *vbi creui[?]t, & fructus.* Poſſunt militare pro nobis vitæ caſtitate conſpicui? *Ergo poſſunt* (ait Pater) *fructum in nobis cuſtodire, qui poſſunt militare pro nobis.* Quinam hi milites? *Vobis virgines ſpeciale præſidium, quæ ſacrum Domini ſeruatis cubile.* Speciale præſidium, id eſt, ſpecialis fortitudo, vt præſidio ſitis vineæ (Domini ſimul cubili) cuſtodiendæ, vti ſcilicet creſcente quotidie fructu, Angelorum exercitus augeatur ad vineæ protectionem.

Ambroſ.

Denique non minus prædicta puritate Angelica eget Societatis miles, vt cum luxurioſis hominibus, ac fœminis inoffenſo pede incedere poſſit. Profectò ſic ingredi debet Ieſuita meretriciam domum, ac ſi minimè ingrederetur, ſeu potius affirmarim, ſpiritus ingrediatur, homo foris expectet. Miſit Ieſus duos viros ad terram promiſſionis explorandam, quos meretrix Raab excepit in domum. *Tollenſque, mulier viros, abſcondit.* Ioſ. 2. in Hebræo habetur, וַתִּצְפְּנוֹ *vattitſpeno*, id eſt, *& abſcondit eum.* Si duos excepit, quo pacto vnum tantum abſcondit? Nugatoriè Hebræi apud Lyran. vnum ex his exploratoribus nomine Phineem, (vti innuimus) Angelum putabant, quod egregius eſſet caſtitatis cultor, & defenſor. Vnde non hunc, ſed ſocium hominem & exceptum à meretrice, & abſconditum aſſerebant, licet vterque & exceptus fuerit, & abſconditus. Proh Ieſuitarum gloria! Ex Ieſu mittentis Sociis, qui Angelica puritate nitet, ſic ingreditur meretricis domum, ac ſi minimè ingrederetur; ſic excipitur, ac ſi nullatenus ad domum accederet. Verùm qui non Angelico affectu huiuſmodi ingreſſum inſtituit, timeat, ne ab Angelica Societate deturbatus, magis inter homines computetur. 51. *Et vt cum luxurioſis inoffenſo pede procedamus.*

Ioſ. 2.
Lyran.

Ex tribus illis viris, qui olim apparuêre Abrahamo, duo ſolummodo Sodomam ingreſſi ſcribuntur, tertio vtique minimè ingrediente. Quod ſi huiuſmodi Angelus verè Angelus fuit miniſter Patris, ac Filij, vti alicui placet, non mirum eius ad Sodomam ingreſſum non apparere. Quia Angelorum caſtiſſimorum (ſic dicam) mos, ſic ad luxurioſorum domum diuertere, ac ſi nullatenus ab illis exciperentur. Deus Pater, & Filius non veretur ad ingreſſum; miniſter autem Angelus (ſi fortè ingreſſus) limina periculoſa terat, quaſi foras omninò remaneret. 52. *Solus Angelus luxurioſi limina terat.*

Gen. 17.

Magna (mihi credite) Angelorum Societatis Ieſu fortitudo in eo ſita eſt, quod leuiter percurrant proximos luxuriei tabe corruptos. Ieſuitæ vox illa, *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo. Deus Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos quaſi ceruorum.* Abac. 3. Si munitum te dicis fortitudine à Deo tuo, quare te pedibus ceruinis, ſeu fugacibus donatum affirmas? Quid fugæ infirmitati cum Dei fida fortitudine? Equidem pro verbo illo, *ceruorum*, intelligere poſſumus verbum *Angelorum*, qui ex Nyſſeni ad cap. 2. Cant. ſententia ſignificantur ceruorum appellatione Cant. 7. Si Ieſuita pedibus Angelorum præditus ſum, non mirum me fortitudinem meam in fuga conſtitutam eſſe exiſtimare. Angelica enim puritas, quæ Angeli fortitudo eſt, tunc cõſeruatur, cum Angelus inter luxurioſos degens, ceruorum ſemper fugas meditatur. 53. *Angelis Ieſuita fortitudo fugere, quando non inſtat miniſterij neceſſitas.*

Abac. 3.
Nyſſen.

Ex dictis elicuerim luxuriem Socij Ieſu (ſi quis tam effrænis poſſit inter Angelos reperiri, tam celſam fœdans appellationem) diabolicam omnino eſſe. Qui miſerè è cœleſti excidens throno, diabolus prorſus eſt. Samſon ille Nazaræus, Ieſu Nazareni myſticè Socius, abiit in Gazam, 54. *Improbi Ieſuita impudicitia neceſſariò diabolica.*

Digitized by Google

Gazam,& aſpectatâ muliere meretrice, *ingreſſus eſt ad eam.* Iud. 16. Vbi D. Gregor. hom. 21. in Euang. *Quid* (inquit) *Gaza, niſi infernus?* In infernum igitur magis deturbatur, quam in domum ingreditur luxurioſus Samſon, ibi non tam voluptuatur, quàm torquetur. Cur in infernum? Quia Nazaræus Ieſu myſticus miles haud poteſt luxuriæ maculari, quin diabolus effectus, velut infernam, diaboli inſtar, ſortiatur Regionem extra collegium illud, quod quideio ſocio Angelicà puritate nitenti cœleſtis aula proculdubio eſt.

Iud. 16. Greg.

55. Audiſti Angelos propter intemperantiam luxuriei cecidiſſe de cœlo? Profectò huiuſmodi circa litteram error, circa ſpiritum pulchrè corrigitur. Excidit enim impuritate fœdatus Angelus, vt inter dæmones queat annumerari. D. Ambroſ. citat. *Qui caſtitatem ſeruauit, Angelus eſt: qui perdidit, diabolus. Quam præclarum Angelos propter intemperantiam ſuam cecidiſſe de cœlo!* Et quiſnam è cœlo poteſt fuere ab Angelica conuerſatione deturbatus, quin dæmonum immundiſſimorum cœtui ſocius adhibeatur?

*Si Angelus Ieſuita ruit, diabolus efficitur.* Ambr.

## Capvt III.

### *Myrrha Magorum, ſiue Societatis Ieſu Obedientia.*

56. Et *Myrrham*, quâ corpora mortuorum condiri aſſolent, ne ſint obnoxia corruptioni, Haymone dicente, *Myrrha mortuorum corpora condiuntur*, vti videlicet quodammodo viuant. Non abs re Dominicum corpus tot fuit myrrhæ libris conditum, vt *inter mortuos viuens* certo modo; Sancto minimè corruptionem vidente, nobis appareret. Quàm appoſitus Obedientiæ Societatis Ieſu typus, vbi obedientia cadaueris deprædicatur! *Quiſque ſibi perſuadeat* (inquit D. Ignatius par 6. conſ. cap. 1. §. 1.) *quod qui ſub obedientia viuunt, ſe ferri, ac regi diuina prouidentia per ſuperiores ſuos ſinere debent, perinde ſi cadauer eſſent, quod quoquo verſus ferri, & quacumque ratione tractari ſe ſinit.* Socij ergo Ieſu, mortuorum inſtar, manibus obedientiæ deferenda cadauera, mortui viuentes; mortui nempe ad indifferentiam, viui ad executionem.

*Obedientia cadaueris Ieſuitis indicitur.* Haym. Ignat.

57. Lazarus apprimè noſtræ obedientiæ expreſſit præſtantiam, cui defuncto Dominus: *Lazare, veni foras. Et ſtatim* (adiicit Textus) *prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus manibus, & pedibus inſtitis, & facies eius ſudario erat circumligata.* Ioan. 11. Cur non ſe funereis expediuit illigamentis, Ieſu præceptum executioni mandaturus? Quia Ieſu Diſcipulus, è quo planè exigitur obediētia cadaueris. Greſſus igitur dirigit quaſi adhuc inter mortuos degeret, cadaueris amictus indumentis. Caietanus ad hæc: *Aiunt aliquos quandoque exiſtimates mortuos fuiſſe ſepultos. Sed tales redeuntes ad opus vitæ, non ſolum ſe ſoluunt; ſed clamant, & corrodunt quidquid poſſunt. Lazarus verò manſuetiſſimus ligatus non ſolum tam manus, quàm pedes faſciis, ſed etiam faciem ſudario, exiuit extra ſpeluncam.* Quiſnam accommodatior obedientiæ amictus? Ligatus ambulat, ſolutus Ieſu Socius illigatur.

*Lazarus funereis illigatus obedientiæ Societatis typus.* Ioan. 11. Caiet.

58. Huiuſce equidem obedientiæ cadaueris ornamentum Ieſus parauit Sponſæ Societati. *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* Cantic. 1. Bernard. cum Anſelm. *Ornamentum aurium faciemus tibi.* Honor. *Inauris eſt eius obedientia auro ſapientia, & argento ſcientia decorata.* Age huiuſce obedientiæ naturam expendamus. Quid murenula? Beda, *Eſt murenula piſcis marinus plicans ſe in orbem.* Alij explicant lumbriculos, ſiue vermes, quorum cadauera domicilium. Verus obediens ille, qui principio finem adiungit, (cauda capiti hærente) qui viuens inter mortuos, cadaueris inſtar vermibus ſcatentis, nullam mouenti obiicit repugnantiam. Aptè D. Bernard. epiſt. 78. ſic Religioſis. *Tone quod tones, hoſtiaque caudam iunge capiti.* Ac ſi diceret, ſacrificium hodiernum tuum, immolatio tua à te dirigatur, tanquam ab eo, qui nouit, plicante ſe in orbem murenula, finem principio copulare. Illud Honorij pondera: *Obedientia argento ſcientia decorata.* Sine *argento vermiculata* obedientia ſit. Nullam aliam ſcientiam habeat obediens, niſi vermium, ſe mortuum reputet, *vt quoquo verſus ferri, & quacumque ratione ſe tractari patiatur.*

*Sponſa Societatis Ieſus pro ornamento cadaueris obedientiam exhibuit.* Cant. 1. Beda. Bernard.

Hæc, ô Societas Ieſu, eſt hora illa à Ieſu duce præſignata. *Venit hora, quando mortui audient vocem Filij Dei.* Ioan. 5. Quinam mortui audientes, niſi Ieſuitæ Ieſu obſequentes voluntati? Appoſitè D. Auguſtin. ſerm. 64. de verb. Domin. *Quid eſt qui audierint? Qui obedierint, & obtemperauerint, ipſi viuent.* Si mortui, quonam modo viuent? Profectò viuentes ſunt ſub cadaueris indumento, qui quoquo verſus à Domino ferri gaudent. 59.

*Mortuus viuens Ieſuita Dei vocem exaudit.* Ioan. 5. Auguſt.

Quatuor Animantia Ezechieli obiecta quatuor prætendentia vultus, queis quatuor mundi plagæ ſimul aſpiciebantur, typum offerunt obedientiæ. Nullatenus mouebantur, donec Spiritus impetus accedit. Ac ſi corpus inanime omnino fuiſſent. *Quoquoverſus* mouebantur, & agebantur animantia illa. Viuenti vnica facies, vnde recta motus ſemita. Verum cadauer ab alio externo agendum motore vndequaque habet faciem, quia vndique poſitum dimoueri. Cadaueris profectò in motem Saulus Socius Ieſu effectus, *Domine* (inquit) *quid me vis facere?* Actor. 9. Nec corde vtor, nec ſpiritu fonte vtique motus. Tu, ô Domine, & cor, & ſpiritus meus. Me à te *quoquoverſus in morem cadaueris* agi permitto. Bernard. ſerm. de Conuerſ. Paul. *O breue verbum, ſed efficax, ſed dignum omni acceptione! Quam pauci inueniuntur in hac perfecta obedientia forma, qui ſuam ita abiecerint voluntatem, vt neque cor ipſum, nec ſpiritum proprium habeant; vt non quid ipſi, ſed quid Dominus velit omni hora requirant, dicentes ſine intermiſſione, Domine, quid me vis facere?* 60.

*In morem cadaueris quoquoverſus agitur.* Ezech. 1. Actor. 9. Bernard.

Propheta olim comedens in Samaria apud Pheudo-Prophetam, Dei præceptum violauit. *Cum autem abiiſſet, inuenit eum leò in via, & occidit.* 3. Regum 13. Sed ſtatim Deus Leonem viui carnificem, mortui conſtituit cuſtodem. *Leo ſtabat iuxta cadauer.* Cur tam mitis erga cadauer, qui tam ſeuerus erga viuentem? Crediderim quia qui inobediens occiſus fuerat, obediens debebat honorari. Etenim Lyran. per mortem à leone datam Prophetæ inobedientiam oſtendi exponit, per cuſtodiam autem à leone præſtitam Prophetæ, iam pœnitentis obedientiam vulgari affirmat. Et quinam aptior obedientis habitus, quàm cadauer diui- 61.

*Inobediens Propheta diū viuus, obediēs dum cadauer oſtenditur.* 3. Reg. 13. Lyra.

nus

Digitized by Google

nis manibus quoquo verſus agendum?

62. *Obedientia cadaueris ſocordi carendo.* Enimverò, qui cadaueris tibi obedientiam indicit, nullatenus permittit te, in morem cadaueris, ſocordem eſſe circa diuini moniti executionem. Vidiſti Lazarum vinctum quidem, ſi ligatum, myſticum omnino cadauer, ſed prodeuntem, ſed velóciter, Dominica voce audita, incedentem. Nullatenus pedes cadaueroſi, ſed omnimoda velocitate donati, ne in via mandatorum pigritarent. Domini illud præceptum. *Nolite portare calceamenta.* Luc. 10. Quare? Ex animantium mortuorum pellibus calceamenta conficiuntur, ab Euangelicis pedibus protſus ableganda. Nihil enim mortuum, nihil non viuum in vitalis legis miniſtro, ad diuinæ voluntatis executionem. Pulchrè Orig. ad hæc: *Vt pedes, qui currebant, ad annuntiandam vitam, omninò carerent mortalitatis indicio.* Luc. 10.

Sed quia rurſum in Lazari memoriam incidimus: ipſe inſtituens, ad terminum diſcurſum adducat. Ligatus ambulabat & nunquam tam ſolutus, quàm dum incedebat illigatus. Quod ſi in morem cadaueris, non faſciis vinciretur, nullatenus diuino obſequio aptus exiſtimaretur Ieſus Socius. Id quod ſpirituali ſenſu adiecta Domini verba ſignificant. *Soluite eum, & ſinite abire.* Ioan. 11. Si ſolutus incedere conetur, ſi exutus cadaueris habitum coram præcipiéte appareat, *ſinite abire*, è Ieſu deturbetur Societate, vbi non proprio motu viri conſueſcunt ambulare; ſed in morem cadaueris, *quoquo verſus* feruntur, & *quacumque ratione*, haud auditis tractantur querimoniis. 63. *Obediens non cadauer è Societate Ieſu deturbatur.* Ioan. 11.

# SECTIO SEPTIMA.

# Magorum reditus.

## TEXTVS.

*Verſ.* 12. Et reſponſo accepto in ſomnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuerſi ſunt in Regionem ſuam.

## COMMENTARIVS LITERALIS.

### §. I.

### *De reſponſo à Magis accepto.*

1. *Quando reſponſum acceperunt Magi?* ET *reſponſo accepto.*] Sequenti ab aduentu nocte Magi monentur, ne rurſum ad Herodem accedant. *Non enim longius* (ait Abulenſ.) *ibi morarentur; quia expleuerant, quod deſiderauerant, & non erat aliquid cauſa eam ibi manendi.*

2. *Num aliquid interrogarunt?* Interl. Strab. Num Magi aliquid interrogauerint? Abulenſis negat, quia cum omnia iam ſibi abundè fuiſſent comperta, de nullo dubitauerunt. Probabile reputo Magos interrogaſſe circa reditum ad Herodem. Nec enim adhuc comperta eis reuerſionis vtilitas, licet promiſiſſent, ſe reuerſuros, poſtquam eis Verbum in carne latens proculdubio locutus eſt. Huiuſmodi autem interrogationem nihil aliud exiſtimo, quam orationem à Magis factam circa reuerſionem, eo more, quo Sancti nil non Dei manibus ſtatui curant. Interl. *Intus quærebant, quid de reuerſione ad Herodem diuina diſponeret voluntas?* Strabus; *Sicut Moyſes, ſic iſti pro affectu interrogabant, quid diuina voluntas iuberet.* Sicut Moyſes, inquam; quia vti in Panegyricis oſtendam, mentalis Magorum oratio ſicuti Moyſis. Moueor, ad huiuſmodi ſequendam ſententiam magis ex Sanctorum pia orandi conſuetudine ante cuiuſuis rei magni ponderis inſtitutionem, quàm ex verbi illius *Reſponſo accepto*, vl. Scio enim more Hebraico loqui in præſenti potuiſſe Euangeliſtam. Nonne Chriſtus aſpectata fico ſterili, *reſpondens, dixit, Iam non amplius ex te fructus naſcantur?* Matth. 11. Annon minimè interroganti Petro Ieſus *reſpondens, dixit, Beatus es Simon Bariona.* Matth. 16. Eodem hic more Matthæus locutus eſt.

3. *Cur hoc Ieſus apertè nō locutus eſt? & num per Angelum?* *In ſomnis.*] Quare Chriſtus à Magis dum adoraretur, non eis apertè locutus? Reſpondet Strab. *Non loquitur ad eos; ne ante tempus Diuinitas reueletur; & vt vera humanitas habeatur.* Num à Deo immediatè huiuſcemodi reuelationem habuêre, an Angelo internuncio? Vtróque modo fieri poterat. *Per noctem enim Deus,* ſiue in ſomnis, locutus eſt ad Abimelech Regem Palæſtinorum. Geneſ. 23. *Angelus autem apparuit in ſomnis Ioſeph.* Matth. 1. Monitos per Angelum Magos Abulenſ. Lyran. Simon de Caſſia, & alij opinantur. Solet enim Deus Angelorum miniſterio homines admonere, vti tertio quoque verbo Scripturæ teſtantur.

4. Exiſtimo tamen Magos à Deo immediatè monitos fuiſſe. D. Hieronym. *Reſponſum Magi accipiunt. Reſponſum autem non per Angelum fit, ſed per ipſum Dominum.* Haymo, *Non, vt quidam putant, ab Angelo ſunt moniti Magi in ſomnis,*

*Immediatè à Deo admoniti.* *nis, ſed ab ipſo Domino, ne redirent ad Herodem. Quia indignum erat, vt Chriſti fierent proditores, qui eius fuerant adoratores.* Eiuſdem mentis Strabus, Druthmarus, & alij. Myſticam rationem adhibet Strab. *Quia nullus alius viam reuerſionis inſtituit, niſi ille, qui dicit: Ego ſum via.* Verum præterquam quod id colligit Hieronym. ex verbi reſpondendi vi, Syriaca lectio me ad hanc impulit ſententiam. *Et viſus eſt* (inquit) *in ſomnis, ne redirent ad Herodem.* Id eſt, Deus ille, quem adorauerant, viſus eſt eis in ſomnis, admonens de receſſu. Neque enim de viſo Angelo Syrus, cuius nulla facta fuerat memoria. *Viſus,* id eſt, auditus, ac ſi videretur.

5. *Quare oportuit, ne Magi ad Herodẽ redirent?* *Ne redirent ad Herodem.*] Redituri certè Magi duplici ratione, & quia Ieroſolyma in via, quam inſtituere debebãt, erat collocata; & quia ſe redituros ipſi promiſerant Herodi. Ne autem redirent prohibuit Deus, Pueri ſine adhibito miraculo conſulens liberationi. Num Magi ſcandalizati fuerunt, putantes, minimè Dominum, qui non ſe poterat aliter ab Herode defendere? Audi D. Chryſoſtom. *Intuere Magorum fidem, qualiter ſcandalizati non ſunt in ſe ipſis, dicentes: Si magnus eſt Puer hic quæ neceſſitas fugæ eſt, & occultæ receſſionis? Hoc enim eſt veræ fidei, non quærere cauſas eorum, quæ præcipiuntur.* At verò videntur Proceres hi non ſtare promiſſis, haud reditum parantes ad Herodem. Remig. Reſpondet D. Remig. *Audierunt Magi Herodem, vt quærerent Dominum, non vt ad eum reuerterentur.* Quod ſi vt reuerterentur, etiam audiſſent, non eſt profectò ſtandum promiſſis, quando turpitudo in promiſſione apparet.

## §. II.

### *De reuerſione per aliam viam.*

6. *Cur per aliã viam receſſeret* PEr aliam viam reuerſi ſunt.] Quare? Strab. *Ne infidelitati miſcerentur Iudæorum*, qui fideliter Puerum Ieſum adorauerant. Magis myſtica, quàm literalis ratio. *Per aliam* igitur *reuerſi viam*, me interprete, ne quæſiti fortaſſe ab Herode, facilè inueniri poſſent, vnde contrà cœleſte monitum ad Tyrannum redire cogerentur. Nec enim viam indixit ſequendam, qui iuſſit ab Herode receſſum. Chryſoſt. Annon ſatius cum Chriſto, quem Deum adorauerant, remanſiſſent? *Si Magi* (ait Chryſoſtom.) *Chriſtum quaſi terrenum Regem quæſiſſent, inuenientes eum, apud ipſum manſiſſent. Nunc autem adorauerunt, & reuerſi ſunt.* Ac ſi diceret, Adorauerunt vti Deum, & reuerſi ſunt, minimè à Diuinitate diſcedentes, quæ quidem vbique præſens, vbique adoratur, vbique defendit, ac protegit. Purus autem Rex homo ibi protegeret ſolummodò, vbi poſſet adorari.

7. *Per quanã viam reuerſi ſũt* *Per aliam viam.*] Quanam via recedentes, ſeſe in Patriam contulere? Lyran. *Per nauem transfretantes in Tharſis, abierunt*, propter quod Lyran. Pſal. 46. accenſus ira Herodes Tharſenſium naues redegit in cineres, præcinente Dauide, *In ſpiritu vehementi conteres naues Tharſis.* Pſal. 46 Deceptus profectò Doctor, eo quod ſibi perſuaſiſſet, facilè potuiſſe Magos ad mare confugere, quod pluribus leucis diſtabat à Bethlehemo. Mare inquam illud per quod in Tharſim erant adſcendi. Equidem, vt Magi per aliam viam reuerterentur, non opus viam omninò fuiſſe diuerſam, vſque ad Regionum ſuarum veſtibulum. Alia, me iudice, fuit à Bethlehem in Ieroſolymam, quam prætererunt, quo vſque parumper interrupto tramite recto, idem iter reſumerent.

Num ducem Stellam ſortiti fuere redeuntes? Aliqui Doctores affirmatiuè reſpondent. 8. *An duxerit Stella reuertentes?* Vti Magi ad ignotam aliam viam ſe ſe reciperent. Oppoſitam ſequor ſententiam eo nixus fundamine. Quod ſcilicet ſi Stella præcederet redeuntes, otioſè fuerunt Diuinitùs admoniti, ne ad Herodem reditum pararent; quia nullam aliam ſequerentur viam, niſi quam oſtendebat luminare. Abul. ſic, *Cum dicitur, quod per aliam viam reuerſi ſunt, eſt ſenſus, quod non redierunt in Hieruſalem, vbi erat Herodes, ſed declinauerunt modicum, vt non intrarent in Hieruſalem.*

*In Regionem ſuam,*] Nonne fidelius totum orbem peragrarent natum annunciantes Saluatorem? Profectò æquum fuit à ſuis incipere 9. *Regionibus ſuis Ieſum Magi prædicauerunt.* Magorum charitatem. Cum enim Reges proprias rurſum incoluere Prouincias (vti dicit Chryſoſt. Chryſoſt.) ciues ſuos de nouo adorando Numine antiquo dierum, recentérque nato informantes, eos ad fidem allexerunt. Cum denique Thomas Apoſtolus ad illas aduentaſſet Regiones, ei adhæſiſſe Magos, ab illoque baptiſmi lauacro dilutos ab auctoribus didici non facilè reiiciendis.

## §. III.

### Magi illuſtres Regis nati præcones, quia quod viderant; peruulgarent.

### *Vbi de non credendis proximi delictis, quæ non videntur, licèt audiantur.*

POnderandus D. Chryſoſtom. *Cum reuerſi* 10. Chryſoſt. *fuiſſent in Regionem ſuam, manſerunt colentes Deum magis, quam anteà, & prædicantes, multos erudierunt.* Illud expende: *Cum reuerſi fuiſſent.* Quid opus fuit Magos aduentare ad Bethlehem, vt gentilibus nouum Regem natum aperirent, ſi in Regionibus ſuis diuinitus inſtructi, ſine labore itineris potuiſſent conſtitui Doctores? Annon Regem natum ibi credidiſſent, ſi admonerentur ab Angelo, qui ſolummodo à Balaam edocti, Stellam nati Principis nunciam exiſtere credidêre? Oportebat equidem Magos ad Bethlehemum venire, & poſt reuerſionem prædicare, non anteà. Quia oculati teſtis maioris ponderis teſtificatio eſt.

*Et ego vidi* (inquit Baptiſta) *& teſtimonium perhibui.* Ioan. 1. Oſtenditur hinc teſtimonij 11. *Ioannis Baptiſtæ videntis teſtimonium commendatur.* Ioan. 1. Ioannis præſtantia. Non teſtatur, quod ſolummodo audiuit, ſed quod vidit. Tunc efficacior teſtimonij authoritas præcipuè circa res ad opinionem proximi pertinentes, cum affirmat, qui vidit. Solæ res fidei auditæ firmiter creduntur, & prædicantur. O quam fallibilis auditus, ad famam proximi deturpandam! quam ſæpè falluntur aures, voces populares decipiuntur! Aptè Cyrill. Alexand. *Verum eſt* (inquit) *teſtimonium grauiſſimi teſtis. Quod oculi tui* Cyrill. *viderunt,*

*viderunt, illa dicito. Quod vidit Ioannes, id loquitur.* Ac ſi affirmaret, illum circa res proximi grauiſſimum teſtem iudicandum, qui non quod audiuit vulgariter vſurpatum, ſed quod vidit, experimentoque didicit, audet aperire, & exponere.

12. *Et Euangeliſta. Ioan. 19.* E Dominico latere ſpiculo percuſſo, ſanguis aquaque profluxêre. *Et qui vidit* (ait alter Ioannes) *teſtimonium perhibuit, & verum eſt teſtimonium eius.* Cap. 19. Quiſnam vidit? an ipſe, vel alius? Profectò ipſe vidit Ioannes; vnde eius teſtimonij præſtantia commendatur. Sic interpretatur Hugo Card. *Non ab aliis audiui; ſed ipſe præſens vidi, & pro vero habendum teſtimoniũ, quia de re ſcita.* Scita inquam, id eſt, oculati luſtratione comprobata. Fidei equidem certitudo minimè viſu quaſi in motiuo, nititur. Attamen neſcioquid roboris infirmi ſuæ credulitati accreſcere videatur, ex eo quòd vidit, qui teſtatur.

Numquid ergo in humanis, non erit infirma atteſtatio, quando ob ſolũ valdè fallibilẽ auditũ proximi defectus aperiuntur, & diuulgantur?

Fallaciter iudicat, loquiturque ille, qui luce aptus, in humanis fidem præſtat auditui. Vnde Apoſtolus, *Nolite ante tempus iudicare, quoad vſque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum.* 1. Corinth. 4. Ille certè ante tempus iudicat, qui ſine exoriente oculorum lumine incedit, ſicut qui diſcernere florum colores intendit non expectans ortum auroræ. Dum lux abeſt oculorum, tenebris obruitur delictum, non ſatis apparet, licet clamotibus aures percutiantur, non dum iudicandi tempus aduenit. Apprimè D. Anſelm. *Iudicia* (inquit) *contine, quia adhuc nox eſt, nec poteſt videri, quod in die videbitur.* Iudicium planè continendum, dum quod iudicatur, videri non poteſt. 13. *Sæpè fallitur, qui in humanis fidẽ præſtat auditui.*

# IN IESVM A MAGIS ADORATVM.

## Panegyricus ſeptimus Moralis circa Literam.

### EX IPSORVM REDITV,

### OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

*Et reſponſo accepto,*

Deum Magi de reditu interrogarit.

*Vbi mentalis eorum oratio plena fructibus illuſtratur.*

14. RESPONSVM recipiunt? Ergo interrogarunt. Nulla exterius inſonatunt verba. Intus colligitur affectu cordis, ac ſpiritus inclamaſſe. Anſelm. *Intus quærebant, quid de reuerſione diuina diſponeret voluntas.* Profectò commendabilis omninò mentalis oratio, qua à Domino illicò exauditur, & tyrannus ſuperatur Herodes, & Ieſus Magorum Regionibus manifeſtatur. *Anſelm.*

CAPVT I.

*Mentalis orationis Magorum efficacia.*

15. *Animũ reddit mox in Ieſu conſpectu quã pulchrũ. Cant. 5.* PLuribus poſſem oſtendere mentalis Orationis efficaciam. Ea animum reddit illicò in Sponſi conſpectu pulcherrimum. *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es!* Reddens rationem tantæ pulchritudinis, adiicit. *Oculi tui columbarum, abſque eo quod intrinſecus latet.* Cant. 4. LXX. *Ecce tu pulchra, ecce tu pulchra. Oculi tui columbarum, extra taciturnitatem tuam.* Vbi Philo Carpath. *Pulchritudinẽ, & ſpeciem quandam interiorem ex taciturnitate huic ſponſæ ineſſe teſtatur. Sæpè enim multi piorum ore quidem tacent: corde verò clamant, gratas Deo preces offerentes.* Ecce tu pulchra, *ecce* tu pulchra velocitatem particula illa, *ecce* bis adhibita huiuſmodi immutationis declarat. Ac ſi diceret. Quid mirum ſi ſis ad tam celſum pulchritudinis, ſeu perfectionis faſtigium eleuata, ſi orationi mentali operam dediſti? *Philo. Carp.*

Hæc profectò Chriſticolas fideles oſtentat. *Orantes autem* (inquit Dominus) *nolite multum loqui, ſicut Ethnici.* Matth. 6. Quod ſi roges, cur Ethnicorum mos, multa in oratione verba aceruare? ſic reſpondet Paſchaſ. l. 4. in Matth. *Ethnicos gentiles vocat, Nec mirum, cùm idolis famularentur, ſi multa coram ſurdis profunderent verba. Præſertim cum nec ipſi Dæmones ſcire poſſunt, antequam ignari inſtruantur eloquio quid obſecrantes velint. Fidelis Dei orator non eget verborum, nec illi narrare opus eſt, cui omnia patent.* Id quod expoſuit Dauid concinens. *Effudi in me animam meam.* Pſal. 41. Quare in te effudiſti? 16. *Fideliſſima, ac efficaciſſima deprecatio. Matth. 6. Paſchaſ.*

Nonne vtilius extra te ſermo proferretur? Reſpondet Rathbertus Abbas vbi ſuprà: *In me, ait, effudi animam meam. Intra me eſt, quem fide teneo, charitate diligo, ſuper quem ſpe certa innitor, & cultu Religionis ſupliciter imploro.* Mentaliter itaque orans ſe coram callente præcordia verſari profitetur. *Intra me eſt, quem fide teneo ſuper quem ſpe certa innitor.* Quia efficax huiuſmodi deprecatio eſt.

17. *Nō ſinit præcinentem ad alia diuertere.* Pſalm. 140. Chryſoſt.

O quàm mentalis vox valida orationis, vt protinus exaudiatur! *Domine, clamaui ad te, exaudi me.* Pſalm 140. Vbi Chryſoſt. *Cur dicit, Clamaui ad te, exaudi me? Clamorem hic dicit internum, quem cor inflammatum peperit. Quemadmodum enim qui clamat, omnes vires ſuas haurit, & exinanit, ita etiam qui corde clamat, totam mentem ſuam conuertit. Talem clamorem Deus requirit, qui non ſinat, eum qui canit,* (ſiue orat.) *ad alia diuertere.* Exterior etenim clamor ſinit aliquando diuertere præcinentem.

18. *Eius merces, ſtatim exaudiri.* Matth. 6. Pſalm. 4.

Exiſtimo equidem propriam mentalis orationis mercedem eſſe, ſtatim exaudiri. *Cum oraueris*, (docet nos Dominus orationis mentalis præſtantiam) *intra in cubulum tuum.* Matth. 6. Quidnam cubiculi nomine deſignatur? Dauid, *Dicitis in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris compungimini.* Pſalm. 4. Animi habitaculum cor, quo recluſa Mater Samuelis, ſtatim meruit exaudiri. Ad hæc Chromat. in Cap. 5. Matt. (vel ſi mauis Chryſoſt. apud quem eandem reperi ſententiam) *Intra cordis* (ait) *ac conſcientiæ ſecretum Domino iubemur orare; vt ab eo, qui ſecretorum, & occultorum eſt cognitor, recipiamus orationis occultæ mercedem.* Quænam merces? *Inuenimus* (adiicit) *Annam illam ſanctiſſimam huius Euangelicæ doctrinæ præcepta complentem. Nam cum ſine aliquo vocis ſono in cordis ſui ſecreto, in conſpectu Domini fideliter orans, deſiderij ſui preces effunderet, ſtatim exaudiri à Domino meruit.* Quidnam ex hac facili impetratione efficacius?

19. *Mentaliter oranti, ſæpè plus tribuitur quā poſtulat.* Marc. 11.

Quid ſi tibi mentaliter oranti plus Deus tribuat, quam poſtulas: Dominus huiuſmodi oratoribus, *Quidquid orantes petitis, credite, quia accepietis, & fiet vobis.* Mar. 11. Annon illud, *Fiet vobis*, videtur redundare? Num non ſufficeret, *Quia accipietis? Accipietis, fiet*, quia non vnico expetito donamur munere; ſed duplici dono muneramur. Quare? Quia non ſolum *petimus*, ſed *orantes* petimus. Quid petere orando? Theoph. *Ille orando petit, qui ex affectu* ſolummodo ſine voce comite (nam & vera vocalis oratio ex affectu procedit) *cor erigit in Deum.* Quaſi bis petit, & quaſi bis accipit, *vt vberior ſit* (loquor cum Ambroſ.) *gratia, quam precatio, ſemper enim Dominus plus tribuit, quam rogatur.*

Theoph.

Ambroſ.

20. *Huiuſmodi oratio ſemper eſt mea.*

Quod ſi requiras, vndenam tanta inſit efficacia mentali orationi, vt tam citò impetret? ea eſt in promptu. Vocalis oratio ſæpè mea non eſt, vnde Deus nullo modo mihi intendit minimè poſtulanti, licet labia ſine mentis attentione moueantur. Verùm quando mentaliter oro, voce mea poſtulo, Deuſque mihi intendenti intendere dignatur. Quid Dauid? *Voce mea ad Deum clamaui: & intendit mihi.* Pſal. 76. Quænam à Dauid propria vox appellatur? Reſpondet Ambroſ. *Quæ noſtra eſt vox, niſi iſta, quæ eſt melior, quæ neſcit errare; quæ ad Deum peruenit, quâ tacente Moyſe, clamauit ad Dominum.* Vnde *Dominus intendit mihi.* Mihi vtique voce mea inclamanti. Quod ſi corporis voce vſus fuiſſem, fortaſsè ob diſtractionem attentionis verbis errantibus mihi Dominus non intendiſſet. *Quâ interna voce* (adiungit Pater) *Anna impetrauit filium, quem ante diu non impetrauerat, cum corporis voce clamaſſet.* Quia etſi vocalis oratio efficaciſſima ſit, cum mentis intentio eam comitatur; non ſemel ob externam perturbationem vox aſſolet ab intentione dimoueri,

Pſalm 76. Ambroſ. Pſal. 40.

Ambr.

---

## Capvt II.

### *Mentalis oratio Magos aduerſus Herodem armauit.*

21. Magi mentalis orationis vberes fructus percepere. Annon huiuſmodi precum præſidio ab Herode fuère liberati? Profectò quotidie, mentis affectu præſtante ab inuiſibilibus hoſtibus eruimur.

22. *Oratio mentalis arma ſæculi infirmat.* Caſſiod.

*In tribulatione mea* (ait Dauid) *inuocaui Dominum, & ad Deum meum clamaui.* Pſalm. 17. Mentalem commendat orationem Caſſiodorus: *Cum prius dixiſſet: Inuocaui Dominum, ſubiunxit: Et ad Deum meum clamaui. Clamare autem plus eſt, quam inuocare. Vnde accenſus animus ad orationem proſiliit audius in clamorem.* Aduerſus quemnam igitur hoſtem mentalis oratio Dauidem armauit, niſi *aduerſus huius mundi* (Caſſiodorus adhuc) *vanitatem: Vnum namque ad hoc ſingulare profitetur eſſe remedium, ad Deum clamare.*

23. *Dauid in ſpecu cum Magis latens hoc præſidio munitur.* 1. Reg. 22. Lyran.

Si, Metaphraſte aſſerente, Magi ob Herodis inſidias nocturno tempore in ſpelunca ſe ſe receperunt, vbi toto cordis affectu preces effudère: obiicias precor ſimili occaſione Dauidem ad ſpeluncam Odollam properantem, cum fugere Saulem conaretur. 1. Regum 22. Ibi profectò Pſalmum centeſimum quadrageſimum primū condidit, Lyrano auctore. *Dauid fecit hunc Pſalmum in ſpelunca Odollam, poſtquam fugit.* Pſalmum autem componere, idem quod orare. Strab. *Dauid Saulem fugiens, cum in ſpelunca lateret, orauit.* Verum Mentalem fuiſſe orationem oſtendo, cùm ex titulo, tùm ex carmine. Ex titulo patet: *Intellectus Dauid, cum eſſet in ſpelunca, oratio.* Siue, *Oratio intellectus* (potius quam oris) *Dauid cum eſſet in ſpelunca.* Ex carmine autem apertè monſtratur. *Voce mea ad Dominum clamaui.* Strabus, *Voce*, inquam, *mea interiori ſcilicet, non ſtrepitu labiorum.* Huiuſmodi igitur oratione præcipuè vtendum illis, qui à mundiali Principe inſecuti, in ſpelunca tremoris cum Magis conſternantur.

Strab.

24. *Hac diabolū frangit.* Pſalm. 129.

Quid diabolo infirmius, ſi mentalis orationis iaculo percutiatur? *De profundis clamaui ad te Domine.* Pſal 129. Cur clamat, cur orat de profundo? Quia aduerſus profundum bellum inſtituit. *De profundis* enim orat, qui non ſolum ex ore, ſed ex corde profundo vocem orationis emittit, vt de profundo diabolus inſurgens, comprimatur, ac penitùs obruatur. Eleganter D. Chryſoſt. *Non dixit ſolummodo ex ore neque ſolummodo ex lingua, (nam errante etiam mente verba funduntur) ſed ex corde profundiſſimo cum magno ſtudio, & magna alacritate.* Quo fructu? *Tales enim preces magnam habent potentiam, vt quæ neque ſubuertantur, neque concutiantur etſi*

Chryſoſt.

tes

*eas diabolus magno impetu inuadat.* Ex profundo aſcendentes preces ex profundo aſcendens diabolica acies non poteſt labefactare. *Preces* (ait) *quæ ab imo aſcendunt, & egerunt radices in profundo, etiamſi inſtructa tota diaboli acies venerit, firmæ manent, & ſtabiles, & minimè euertuntur.*

25. *Hoc ille concentu propellitur.* Pſalm. 118. Ambroſ.

Spiritus malus diſtorquens Saulem Dauidis concentu ſedabatur. An non mentalis oratio (qua virtutes ad exercitum vocantur, fides, ſpes, charitas, humilitas, & cæteræ huiuſmodi) animi concentus, diabolo exitialis? *Clamaui* (inquit Dauid) *in toto corde meo.* Pſalm. 118. Vbi D. Ambroſ. ſerm. 9. in Pſalm. 118. edocet Dauidem maiores edidiſſe clamores, nempe ex corde, quando maiora imminebant pericula, diabolo inſurgente. *Aduerſus diabolum* (ſubdit) *non vocis magnitudine, ſed magnanimitate cordis vtendum eſt. Clamat cor noſtrum non ſono corporis, ſed cogitationum ſublimitate, concentuque virtutum.* Quo quidem maius torquens Saulem, ſiue animum ſpiritus ablegetur.

26. *Huius occulta impugnatione caro venatur.*

Quid denique carne abiectius, ſi ſecretæ mentalis orationis impugnatio adhibeatur? *Ab ea* (inquit Michæas) *quæ dormit in ſinu tuo, cuſtodi clauſtra oris tui.* Cap. 7. Caro ſub fœminæ in ſinu noſtro dormientis ſignaculo notatur. Vocales certè preces fortes admodum ad pugnam: ſed vt mentalis orationis hîc robur oſtenret, hac vtitur metaphora. Cura latere Herodi, ſiue carni Herodiadi conſilium mentis, dum mentalis orationis incumbis ſtudio. Caſſian. Caſſian. col. 9. cap. 34. *Summo eſt orandum ſilentio, vt inimicos noſtros,* (carnales ſenſus) *qui nobis orantibus maximè inſidiantur, lateat noſtræ petitionis intentio.* Num talis Moyſi mentaliter orantis fortiſſima impugnatio? *Fit* (inquit Chryſoſt.) *Moyſe orante, occulta pugna, manifeſta victoria latenter dimicat, vt euidenter deuincat.*

27. *Hac Dauid aduerſum carnis duellum vſus.* 2. Reg. 21. Lyra.

O quàm aduerſus carnem mentalis oratio potens! quam huiuſce hoſtis impetus perſtringit! Seneſcenti Dauidi Sunamitis puella incredibili pulchritudine traditur. *Iam* (inquiunt) *non egredieris nobiſcum in bellum, ne extinguas lucernam Iſrael.* 2. Reg. 21. Verum Rex, ne ab hoſte domeſtico, carne ſcilicet, (quemadmodum quondam vacanti à bellorum curis acciderat) vinceretur, Pſalmum condidit decimum nonum, teſtante Lyrano, *Iſte Pſalmus factus fuit à Dauid, poſtquam ſerui eius iurauerunt,* &c. Huiuſce autem Pſalmi titulus, *In finem Pſalmus ipſi Dauid.* LXX. *In victoriam Pſalmus ipſi Dauid.* Videlicet Pſalmus, ſeu oratio, cuius virtute Dauid aduerſus inteſtina bella aciem inſtrueret. Horum profectò impetus mentalis oratio perſtringit. In cuius expoſitionem ſententiam memoro D. Auguſtin. affirmantis, omnia verba Pſalmi huiuſce ſub figura optandi prodire. *Exaudiat te Deus: Protegat te: Mittat tibi auxilium: Impleat tibi.* Vbi deſideria Dauidici cordis exprimerentur. An non mentis fructus deſideria bona? *Ad victoriam* itaque *ipſius Dauid,* ad carnem infirmandam, maximoperè mentis confert eleuatio.

## Capvt III.

### *Mentalis oratio Magorum Ieſum dedit Regionibus.*

28. Anſelm.

Illarum equidem Regionum, quarum incolæ hi Reges, fides mentali eorum orationi tribuenda eſt. Cum enim *intus quærerent,* (vti verbis vtar Anſelmi) *quid de reuerſione diuina diſponeret voluntas?* reſponſum accipiunt, oportere ad proprias remeare Regiones, vt natum Regem annunciantes, falſis diis gentes obſequium denegarent. Paſchaſ. Paſchaſ. l. 4. in Matth. quærit: *Si Deus antè nouit, quam petamus, quid opus eſt antè ſcientem petere?* Reſpondet, *Vult Deus interrogari ſe, vt bonitas illius,* per intus interrogantes Magos, *deriuetur ad plurimos.* Vt videlicet tantæ meſſis fructus vberes mentalis orationis virtuti tribuantur.

29. *Communia bona procurat mentalis additus.* 1. Reg. 1. Exod. 14. Ambroſ.

Annæ orantis labia mouebantur, vti ex hoc capite vocalis orationis typum referret. Proprio commodo ſtudet, filium poſtulans. At Moyſes omnis populi procurans ſalutem, mentis clamoribus vſus eſt. Egregiè D. Ambroſ. ſerm. 19. in Pſalm. 118. *Anna non clamabat in corde, ſicut Moyſes, ſed loquebatur; fortaſſe quia filios poſtulabat; hoc eſt bona quidem, ſed priuata, non publica. Clamabat autem Moyſes in corde ſuo, quia non pro ſe, ſed pro omni populo precabatur.* Eorum enim, qui mentali orationi addicti ſunt, proprium ſpecialiter, ſpiritualia, aut temporaria communia procurare, vt ſpirituales decet.

30. *Anna mentaliter orans in mundi remedium excitat Saluatorem.* Ambroſ.

Iam Annam vobis etiam obiicite, ex quo capite mentaliter orabat. Tam hærens mundiali ſaluti, communi vtilitati mentalis orationis affectus vt excitaret Ieſum: vti hominibus protinus ſalutaris exiſteret. Ambroſ. pulchrè vbi ſuprà: *Eſt interioris clamor affectus, qui auditur è cælo. Anna cum oraret, tacita clamabat, labia non mouebat, & interiori voce piæ mentis excitabat Ieſum.* Tam hærens mentalis oratio communi ſaluti, vt ipſum Ieſum excitare contenderet, vti hominum redemptioni operam nauaret.

31. *Et Dauid Ieſum mundo procurat.* 2. Reg. 15.

Cum Dauid fugeret Abſalonem, tranſgrediebatur torrentem Cedron: *omnis populus incedebat contra viam oliuæ, quæ reſpicit ad deſertum.* 2. Reg. 15. Memor inibi Propheta oraturi Ieſu, mentis orauit effuſione. Num propriæ ſolum ſecuritatis, an totius mundi ſalutis negotium agebat? Certò mentaliter orans ſpiritualis vir, quo modo non vel propriæ temporariæ vtilitatis oblitus, communi ſpirituali ſaluti conſuleret? Cyrill. D. Cyril. Ieroſol. cat. 2. de pœn. *Abſalom aduerſus Dauidem arma cepit, Quamuis multæ illi ad fugam viæ paterent; per montes tamen oliuarum fugere maluit, inuocans mente Liberatorem.* Chriſtum ſcilicet, ſicut ipſe Doctor exponit. Mente inuocat? mentaliter orat? Quem niſi liberatorem alliceret in omnium ſalutem, & liberationem?

32. *Chriſto adhuc manauro aonari petit.* Pſalm. 19.

Ruſum Pſalmum decimum nonum ad libram adduco, quem Dauid non vlterius ad hoſtium concertationem proditurus, compoſuit. Diximus Pſalmum hunc deſideriorum fœtum fuiſſe, vnde mentalis orationis affectum repræſentat. *Exaudiat te Dominus in die tribulationis. Te.* Quem? Chriſtum vtique Dominum. Quare Chriſtum nunc memorat

Strab. Propheta? Reſpondet pulchrè Strab. *Agit nunc Propheta de Chriſto Rege pugnaturo.* Ac ſi inclamaret Dauid, ſi à pugnandi ſtudio ſuperſedeo, ſi peculiari mei Regni vtilitati vacate non valeo, me ad orationis mentalis ſtudium recipiam, vnde non ſoli Regno, ſed toti orbi, vt virum ſpiritualem decet, exiſtam ſalutaris, dum pro Rege non iam pugnante, impetro Regem pro omnibus pugnaturum.

33. *Rurſum Chriſti corpus in commune bonum efflagitat.* Pſal. 17. Adhuc luculentius id oſtendit Vates, *In tribulatione inuocaui Dominum, & ad Deum meum clamaui.* Pſalm. 17. Vbi Caſſiod. ſuprà citatus mentalis orationis innuit præſtantiam. *Clamare* enim (ait) *plus eſt, quam inuocare. Vnde accenſus animus ad orationem proſilit auidius in clamorem.* Mox adiicit Propheta, *Et exaudiuit de templo ſancto ſuo vocem meam.* Quodnam hîc templum, niſi Chriſti corpus? tante Caſſiod. Caſſiod. *De templo, hoc eſt, de corpore Domini exauditam dicit vocem ſuam, quam pro eius aduentu iugiter offerebat.* Neque enim mentalis oratio ſatis ſuo muneri ſatisfaceret, ſi non præcipuè mundi ſtuderet ſaluti, corpus petens Dominicum, quod in mundi ſalutem impenditur. Hinc colliges operæpretium eſſe, vt illi præſertim, qui aut communitati præſunt, aut animorum ſaluti curam impendunt, ad mentalis orationis exercitia mentis ſtudium exhibeant.

## OBSERVATIO II.

### Ad illa verba:

### *Per aliam viam reuerſi ſunt.*

### Per aliam viam Magi reuertuntur.

*Vbi de pœnitentiæ effectibus.*

34. VIDIMVS Magos per eandem viam ad Patriam reuerſos, quæ alia vocitatur, propterea quod à Ieroſolyma parumper diuerterunt. Innuimus ex Lyrano diuerſam omnino viam à Magis inſtitutam. Vtramque exponendi rationem ad myſtica transferendo, pœnitentiæ via nobis terenda obiicitur.

### CAPVT I.

*Pœnitens ſequens Magos, viam iniquitatis mente percurrat, vt greſſus lacrymis abluat.*

35. *Aliam eandē tere viam.* Gregor. D. Gregorius ſic locum exponit: *A Regione noſtra ſuperbiendo, inobediendo, viſibilia ſequendo, cibum vetitum guſtando, diſceſſimus. Sic ad eam neceſſe eſt, vt flendo, obediendo, viſibilia contemnendo, atque appetitum carnis refrænando, redeamus.* Eadem ſit via, nos alij non iam receſſuri à Ieroſolyma. Hæc via à paradiſo nos in æternum deduxit exitium, eadem via ab æterno exitio in paradiſum reuertamur. Quonam modo *alia* via eadem vocitatur? Quia ad alium terminum conſequendum præſtat ducatum, dummodo eandem viam oppoſito curſu ambulemus, ſiue, vt vulgariter explicari poſſit, *Deſandemos lo andado.* Lacrymis nempe abluendo delictorum greſſus.

Quo ſpiritu inclamabat alius ille Rex, *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Iſai 38. Ac ſi diceret, Per eandem viam, quæ me duxit, (perſonam gerit peccatoris) quæ ſeduxit ad interitum, incedam, eam iterùm terere curabo; vt locum, à quo diſceſſi, poſſim inuenire. Pulchrè Bernard. ſerm. de Cant. Ezech. *Oportebat,* (inquit) *ſi fieri poſſet, renaſcere me denuo, quod malè vixi. Sed quia hoc non poſſum, ſaltem recogitabo tibi omnes annos meos, faciam recogitando, quod operando non poſſum. Recogitabo,* inquam, *omnes annos meos,* viam omnem flendo percurram, donec ad terminum, è quo exceſſi me conferam. 36. *Lacrymarum amaritudine priſtini greſſus abolendi.* Iſai. 38. Bernard.

De reditu Lazari ad paradiſum per eandem viam (dum alius ipſe) Ieſus ſolicitus inclamat, *Lazare, veni.* Ioan. 11. Vbi D. Auguſtin. *Quod exiit à monumento, ſignificat animam recedentem à carnalibus vitiis,* Adiicit Dominus, *Soluite eum, & ſinite abire.* Cur ad ſe vocans Lazarum, non potius dixit, Soluite, & ſinite venire poſt me? Quia oportebat Lazarum pœnitentem eandem, qua ad ſepulchrum tenderat, rurſum terere viam, vti ad Ieſum, è quo exciderat, reuerteretur. *Sinite abire,* flendo greſſus mortis, me rurſum inueniat. Hugo Card. *Sinite abire, vt ex greſſu probetur verè ſuſcitatus.* Qui enim ab exitiali peccati baratro exurgit, nihil prius curat, quam præteritos greſſus iterum percurrere, vti poſſit lacrymis abluere, donec in paradiſo, greſſibus omnino deletis, conquieſcat. 37. *Ideò Lazarus per eandem viam iubetur incedere.* Ioan. 11. Hugo.

Ad huiuſmodi viam allicere volebat Deus Adamum delinquentem, dum inclamat, *Adam, vbi es?* Gen. 3. Quid moraris? Veni. Eadem te via ad me ducet, quæ ſeduxit ad exitium. Ibi commoraris, qui hîc degere debebas? D. Gregor. *Interrogatur peccator, vt per lamenta reducatur.* Id eſt, vt ad patriam reuertatur lacrymis greſſibus ablutis. Aptiùs Tertul. l. 2. con. Mar. cap. 25. *Oportebat prodire in conſpectum Domini, cum admiſſi ſugillatione.* Ac ſi diceret: Inuitatur Adam ad reditum per eandem viam, vti lacrymis delicta poſſit abolere. 38. *Adam ſimiliter.* Gen. 3. Gregor. Tertul.

Rachel idololatriæ prius addicta, *ab ſponſo didicit* (loquor cum Ioſepho 1. Ant.) *deorum ſuorum contemptum.* Poſtmodum equidem *Rachel abſcondit idola ſubter ſtramenta cameli, & ſedit deſuper.* Geneſ. 31. vbi D. Greg. 30. Mor. c. 31. *Nos* (inquit) *Rachel illa ſignificabat, qui idola ſedendo premimus, ſi culpas auaritiæ pœnitendo damnamus.* Eidem, pœnitentiæ affectu, memoriam hærere viæ perditionis, prorſus laudabile. 39. *Et Rachel.* Geneſ. 31. Ioſeph. Gregor.

Magdalena Magorum imitatrix, per eandem viam, alia ipſa, incedens ad Deum, è quo exciderat, reuerſa eſt. *Lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis tergebat, & oſculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.* Luc. 7. Quaſi priſtinam vitæ viam rurſum ambularet. 40. *Proprios abluit pœnitens Magdalena greſſus.* Luc. 7.

D. Gre

Greg D.Gregor. ad hæc. *Oculis terrena concupierat, ſed hos iam per pœnitentiam contereus, flebat; capillos ad compoſitionem vultus exhibuerat, ſed iam capillis lacrymas tergebat; ore ſuperba dixerat, ſed pedes Domini oſculans, hoc in Redemptoris ſui veſtigia figebat; vnguentum ſibi pro odore ſuo carnis exhibuit, quod ergo ſibi turpiter exhibuerat, hoc iam Deo laudabiliter offerebat.* Greſſus equidem peccatrix priſtinos, nouo inceſſu abolere curabat.

41. *Et Dauid lectum adulterio maculatũ.* Chryſoſt. Quid aliud Dauid? Nonne adulterio lectum macularum per eandem incedens viam lacrymis abluebat? *Lacrymis meis ſtratum meum rigabo.* Vbi Chryſoſt. *Vnam* (inquit) *noctem in iniquitate duxit. & per ſingulas lugebat noctes, penitus talia confitens. Dediſti mihi oculos, vt videam lucem. Ego autem his malè perſpexi, errani aliquando malè intuitus, male feneſtras aperui, propterea lacrymis ipſas abluo.* Sic Doctor.

---

## CAPVT II.

*Pœnitens Magorum ſocius, per aliam omnino viam incedat, nouum viuendi morem inſtituat.*

42. *Radicitus peccatum euellendum.* Hugo. QVod ſi magis arrideat, aliam omninò fuiſſe viam per quam Magi in Patriam fuère reuerſi, accipite Hugonem Cardin. *Si receſſit homo à Paradiſo per ſuperbiam, debet redire per humilitatem: ſi per inobedientiam, per obedientiam: ſi per luxuriam, per caſtitatem. Veniſti* (adiicit ex Chryſoſtom.) *per viam luxuria ad Herodem, ambula de cætero per viam caſtitatis. Veniſti per viam auaritia, ambula de cætero per viam eleemoſyna. Si enim per primam viam redieris, iterum ſub Regnum Herodis vadis.* Delictorum omninò deſerenda via, quia plurimi Herodis milites inibi, animum trucidantes. Vnde meritò laudatur ille, qui *in via peccatorum non ſtetit.* Pſalm. 1. Porrò in eadem delinquendi via, (vti affirmat Hugo) plures ſemitæ. Si alia omnioò via non à te arripitur, nempe virtutum iter ſalutare: licet à luxuriei ſemita recedas, in auaritiæ vel ſuperbiæ cades anguſtias. Quid magis proprium peccatori, quàm è peccati vnius ſemita in aliam ſemitam peccati migrare? Fugit auaritiam, luxurie fœdatur; ſiue ex occaſione libidinis, in libidinis alio tramite, tranſit occaſionem; à coniugata fœmina proficiſcitur in ſolutam; hanc dimittit, virgini inſidiatur. Vnde demum nullatenus diſcedens à via, miſerè depereat.

Pſalm. 1.

43. *Impij ab iniquitatis via non recedunt.* Pſalm. 11. Id quod expreſſit Dauid hiſce verbis. *In circuitu impij ambulant.* Pſalm. 11. Quonam modo in circuitu? Iam videbis illos, aduentante quadrageſimali obſeruatione, parumper diſcedentes ab exitiali via, luxuriem abiicere, mox tamen iterum ſe ſe ad auaritiam diuertentes præcipites in eundem antè actæ vitæ baratrum committunt. In morem eorum, qui ambulant in circuitu, brutorum aquam exhaurientium, aut molentium triticum, licet aliam viam inſtituere videantur, iterato greſſu omninò recidunt in eandem. Titel. *Quomodo heri omnibus delicijs, concupiſcentijs, & impietatibus fruiti ſunt, ita & hodie agunt, ſimiliter acturi, vbi dies craſtinus aduenerit. Et quomodo præterito anno vixerunt, enutrientes in delicijs, atque luxurijs corpora ſua: ſic & in præſenti agunt, facturi ſimiliter & in anno, qui ſubſecuturus eſt.* Licet quandoque varietur ſemita, minimè iniquitatis via variatur.

Titel.

Non ſic, qui Agno recenter nato obſequium Magi præſtitère. Quare? Baptiſta, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Ioan. 1. Ad quem locum Anſelm. *Non tollit peccata de loco in locum, ſed omnino tollit, vt omninò non ſunt.* Tranſit impius de ſuperbia in luxuriem, de luxurie in auaritiam? Non id profectò tolli omninò peccatum: ſed peccandi ſtimulum variari. Proh Agni immaculati circa Magos efficacitas! Huius proprium, cum perfectè ſanare lubet, ita peccatum radicitùs tollere, vt omninò aboleatur; nec de loco in locum, de ſemita in ſemitam intra eandem iniquitatis viam peccatores tranſilire permittat; ſed *per aliam* penitùs *viam* efficiat incedere. 44. *Non de loco in locum tollēda peccata.* Ioan. 1.

Calleo hinc ſpiritum canentis Dauidis, *Beati, quorum remiſſa ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.* Pſalm. 31. Tigurina, *Beatus eſt, qui exoneratus eſt tranſgreſſione,* iuxta illud: *Deponentes omne pondus, & circunſtans nos peccatum.* Hebr. 12. Exoneramur equidem omninò tranſgreſſionis pondere; quia agnus Ieſus *omninò tollit peccata mundi. Et quorum tecta ſunt peccata.* Quid peccata tegi? Penitus aboleri. Hugo Card. *Qui detegit Deo peccata in confeſſione, tegit illa diabolo, vt non poſſit legere illa amplius in chirographo ſuo, nec accuſare in die iudicij.* Beati ergo nouæ legis filij, quorum peccata per Chriſtum omninò ablata, omninò abolita, omninò remiſſa, extirpata radicitus. 45. *Beati quorũ omnino crimina abolita.* Pſalm. 31. Hugo.

Hortatur ſic Dominus Euangelij miniſtros, *Nolite tranſire de domo in domum.* Luc. 10. Quid ſi in domo vna non recipiantur? Nonne prædicatoris inſtitutio omnia luſtrare loca? vniuerſi peragrare Prouincias? nullum certum, ſi opus ſit, occupare domicilium? Cur igitur de domo in domum tranſitus prohibetur? Num quia alienum à prædicatore variato facile hoſpitio per domos curſitare? Sic Beda. Num quia indignum Euangelij miniſtro mutare hoſpitium cauſa ventris? Sic Hugo Cardin. Num quia quodammodo læditur hoſpitij charitas? Sic Carthuſ. Num quia oportet Apoſtolicos viros immutabilitate fulgere? Sic Gloſſæ Magiſter. Aſt ego conuenientius inſtituto, ſenſum in hunc modum elicio. Ægritudini ſic in vna domo curam adhibere curate: (ſiquidem infirmis ſpiritu curandis datis operam) vt non de domo in domum, de ſemita in ſemitam eiuſdem viæ iniquitatis tranſeunte ægroto, vos ſimul ægritudinem alibi medicaturi tranſire cogamini. Ille domum coniugatæ relinquens, ad domumque ſolutæ accedens, coget vos pariter ſua ſequi veſtigia, vt inibi medicinam adhibeatis, ſi in priori domo radicitus tantæ infirmitati non medeamini. *Nam ſi conſcientia eadem, ô peccator, tecum eſt,* (cum Victore Carnot. l. 5. de pœn. loquor.) *nec vnquam te deſerit, & velut quædam pedisſequa, nullo à te temporis interuallo diſcedit, tenet te reum, & in tua ditione captiuum.* haud vtiliter tibi medicina parabitur, dum neceſſum ſit, te ſemper flagitiis inquinatum hûc illud perſequi curationem. 46. *Quid ad hæc Euangelij miniſter?* Luc. 10. Beda. Hugo. Strab. Victor. Carnot.

47. *Cain admonetur, vt nouũ viuendi morem inſtituat à via recedens iniquitatis.*

Hinc cœleſte monitum ad Cain poſt fratricidium ex Lxx. lectione, *Peccaſti, quieſce.* Geneſ. 4. Siſte in iſto loco, nec in alium, alij incumbens delicto, transeas. Ne è fratricidio diuertas in hæreſim, *Num ego cuſtos ſum fratris mei* exiſtimans Deo non patere delictum; ab hæreſi in deſperationem dimoueatis, *Maior eſt iniquitas mea, quam vt veniam merear.* Vnde nunquam ab exiuali via diſcedens, iter minimè ineas ſalutare. Hinc qui te hoc loco ſanare curo, iterum te proſequens, in alio ſanare cogar; vel ſi te in manu conſilij tui omnino relinqui permitto in tuæ pœnam prauitatis, omninò interibis. *Licet* autem *vita* (verbis vtor Nyſſen.) *infinitis ſcelerum maculis notata ſit, pro nihilo totam congeriem reputatum iri, dummodo pedem referas.* (Nyſſen.) Vt ſcilicet aliam omninò viam, eamque cum Magis ſalutarem inſtituas.

Hanc profectò, poſt iter prauitatis exaratum, Dauid percurrit. Nam cum ad Prophetæ proloquium reſpondiſſet. *Peccaui Domine.* Id eſt, Domino peccata mea trado à me auferenda, Nathan reſpondit, *Dominus tranſtulit peccatum tuum.* 2. Regum 12. Ac ſi diceret, Domino tradidiſti, Dominus tranſtulit omninò, agni immaculati mundi peccata omninò tollentis in morem, abſtulit, vt non de ſemita in ſemitam dimouereris, ſed nouam penitus viam inſtitueres. D. Ambroſ. Apol. Dauid. cap. 2. *Nec exiguo quidem momento manere penes ſe paſſus eſt delicti conſcientiam; ſed prænatura confeſſione, atque immenſo dolore reddidit peccatum ſuum Domino.* Qui quidem Agnus ſine macula auferret omninò, nec *de loco in locum* variari pateretur.

48. *Dauid tradit Deo omninò peccata haud de ſemita in ſemitã transferenda.* 2. Reg 12. Ambroſ.

# LIBER SEPTIMVS.

# TRANSFIGVRATIO.

## Paraphraſis, Commentariique Literales ad Caput decimumſeptimum Matthæi.

### *PANEGYRICI MORALES CIRCA Literam in IESVM transfiguratum.*

### PROLVSIO.

Dominici Viculu ligni FRVCTVS VII. Hilar.

HINC Petri, Ioannis, & Iacobi ſtellis fulgentibus, illinc Moyſis & Eliæ ſideribus micantibus, medius ſplendore præſtans Chriſtus luminare maius attollitur. Thaboris culmina cœlum effecta præparat iam thronos beatis. Aiebat D.Hilar. *Petrus, & Iacobus, & Ioannes aſſumuntur ſeorſum, & in excelſo monte conſiſtunt, ipſiſque inſpectantibus. Dominus transfiguratur, & toto claritatis ſuæ habitu circunſplendet. Petro autem tabernacula offerenti nihil reſpondetur. Non erat enim tempus loquendi videlicet.* Fundendi profectò transfigurati gloriam datur poteſtas, eiuſdem exprimendi præſtantiam adimitur, dum Petrus ſublocutus reprehenditur. Quidni omnium hominum labia ſilentio obfirmarentur, quando tantum myſterium ſolummodo Patris ore euulgandum ſuſcipitur? *Hic eſt* (inclamat) *Filius meus dilectus.* Locutus ſanè Dominus de paſſionis ignominia, Moyſes, & Elias verba fecerant. Artamen ad transfigurati Ieſu gloriam manifeſtandam, ſolus Pater profertur in verba. Chryſoſtom. hom. 57. in Matth. *Quid inde? Ipſe quidem Ieſus nihil locutus eſt, ſed nec Moyſes, nec Elias. Pater omnibus maior magnam ex nube vocem emittit.* Vereor ne cum Petro locutus, coarguar inſciriæ. Vnde ſatius Patrem clamantem lubet exaudire.

Chryſoſt.

---

MATHÆVS CAP. XVII.

*Verſ.* 1. Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & ducit illos in montem excelſum ſeorſum, & transfiguratus eſt ante eos.

PARAPHRASIS.

*Verſ. 1. Poſt dies ſex volens Ieſus aliquo pacto velut per ſomnium eam ſpeciem, qua olim venturus eſt Iudex orbis, ſuis exhibere, tres è Diſcipulorum collegio ſelegit Petrum, Iacobum, & Ioannem huius fratrem, atque hiſce ſubductis in montem vehementer excelſum procul ab hominum conſpectu eſt transfiguratus.*

*Verſ.* 2. Et reſplenduit facies eius ſicut Sol, veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix.

*Verſ.* 3. Et ecce apparuerunt illis Moyſes, & Elias cum eo loquentes.

*Verſ.* 4. Reſpondens autem Petrus dixit ad Ieſum, Domine, bonum eſt nos hîc eſſe. Si vis, faciamus tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum.

*Verſ.* 5. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos. Et ecce vox de nube dicens, Hic eſt Filius meus dilectus; in quo mihi bene complacui; ipſum audite.

*Verſ.* 6. Et audientes Diſcipuli, ceciderunt in faciem ſuam, & timuerunt valde.

*Verſ.* 7. Et acceſſit Ieſus, & tetigit eos, dixitque eis, Surgite, & nolite timere.

*Verſ.* 8. Leuantes autem oculos ſuos, neminem viderunt niſi ſolum Ieſum.

*Verſ.* 9. Et deſcendentibus illis de monte, præcepit eis Ieſus, dicens, Nemini dixeritis viſionem, donec Filius hominis à mortuis reſurgat.

Verſ. 2. *Refulſit autem facies eius in morem Solis, ac veſtimenta niuei quodam candore, qualem nullus fullo ſuper terram poteſt addicere relucebant.*

3. *Simulque apparuere illis Moyſes, & Elias, cum eo de gloria mortis colloquentes, quam eſſet Ieroſolymæ ſubiturus; ne mortem vt ignominioſam Apoſtoli abominarentur, quam tanti viri glorioſam prædicabant.*

4. *Expaueſactis tam incredibili ſpectaculo Diſcipulis, Petrus nondum ſatis ſui compos, ſed totus maieſtate, ac voluptate ſpectaculi raptus, quæ procul à mortis mentione abeſſe videbantur: Domine (inquit) tria hîc tabernacula conſtruamus, tibi vnum, Moyſi alterum, tertium Eliæ. Conſultius hoc, quam Ieroſolymis occidi.*

5. *Nondum ſermonem Petrus finierat, ecce nubes lucida obumbrauit Apoſtolos, ne ſublimitate ſpectaculi obruerentur. Et en vox Patris de nube inſonuit, iiſdem verbis teſtificans de Filio, queis teſtimonium apud Iordanem baptizato præbuerat. Hic eſt Filius meus vnicè charus, in quo meus ſibi complacet animus; ipſum exaudite.*

6. *Hanc vocem diuinæ maieſtatis plenam, nec humanis ferendam auribus, cum Diſcipuli audiſſent, in facies ſuas procidentes, maiorem in morem extimuere. Metuebant enim vitæ ſuæ, quod Deum ita locutum.* Non videbit me homo, & viuet, *didiciſſent.*

7. *At Ieſus, priori ſpecie recepta, eos contigit manibus, ne ſpectrum eſſe ſuſpicarentur; ac voce conſueta, notaque, eos eſt conſolatus, dicens, Surgite, nec quidquam metuite.*

8. *Porrò cum receptis animis, oculos attollerent, neminem illic viderunt præter Saluatorem, talem equidem, qualis montem ſcanderat.*

9. *Cum autem deſcenderent de monte, priuſquam ad reliquum diſcipulorum cœtum redirent, præcepit illis, ne quidquam narrarent de iis, quæ viderant, donec Filius hominis à mortuis excitaretur.*

SECTIO

## SECTIO PRIMA.

# Trium Diſcipulorum aſſumptio.

### *TEXTVS.*

*Verſ.* 1. Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & ducit illos in montem excelſum ſeorſum.

### *COMMENTARIVS LITERALIS.*

### §. I.

### *De ſexti diei mentione.*

1. *Euangeliſtarum concordia.* Luc. 9.

TRANSFIGVRATIONIS hiſtoriam expreſſurus Matthæus, præmittit, *Poſt ſex dies.* Intellige ab illa prædictione, ſeu promiſſione tranſactos. Porrò Lucas octo meminit dierum, *Poſt dies ferè octo.* cap. 9. Hieronym. Chryſoſtom. Beda, Theoph. Euthym. Auguſt. & recentes communiter ita ſoluunt; Matthæus eum diem, quo ſuperiora geſta fuerant, & illum, quo in monte transfiguratus eſt Dominus, non adnumerauit, Lucas autem etiam hoſce extremos ſex intermediis addixit. Ego equidem facilius exiſtimo Lucam non præcisè, ſed confusè notaſſe tempus. Et ideò illam particulam, *Ferè*, addidiſſe. Caiet. *Lucas dicens, Ferè* dies octo *huic textui non contrariatur.*

2. *Cur poſt ſex dies transfiguratus? Chryſoſt.*

Cur poſt ſex dies Dominus transfiguratus eſt? Noluit Magiſter ſtatim hanc gloriam Diſcipulis oſtendere, ſed poſt ſex dierum interſtitium, vt interim ſe ſe ad tantum ſpectaculum præpararent, & ne in ſeparatione trium ab aliis occaſio inuidiæ excitaretur. Ad hæc D. Chryſoſt. *Ideò autem non confeſtim facta promiſſione, eos ſurſum ducit, ſed poſt dies; vt reliqui Diſcipuli nihil patiantur humanum, id eſt, aliquem inuidiæ motum. Et vt horum dierum ſpatio vehementiori concupiſcentiâ repleti, qui aſſumendi erant, ſolicita mente accederent.*

3. *Prima expoſitio myſtica.* Raban. Salm.

Myſticè equidem ideò poſt ſex dies Transfigurationem factam Raban. affirmat, *quia poſt ſex ætates futura eſt reſurrectio.* Mundi etenim ſeptima ætas (vt adnotat Salmer.) eſt à tempore animarum ſeparatarum, vt ab occiſione Abel, vel beatarum in Regnum Dei receptarum, vt à tempore paſſionis Chriſti: atque hanc ſeptimã ætas octaua ſequitur, in qua reſurrectio, & glorificatio corporum complebitur.

### §. II.

### *Transfigurandus cum Ieſu ſex dierum opera tranſcendat.*

### Vbi de pœnitenti mundi illecebras declinaturo.

SEcundam myſticam expoſitionem tradit Origen. fatus, *Aſſumpſit Ieſus Apoſtolos poſt ſex dies, quia in ſex diebus totus perfecti numeri factus eſt viſibilis mundus. Si ergo quis noſtrum cum Chriſto ſe aſſumente aſcendere ſuper montem excelſum, & videre transfigurationem ipſius voluerit: tranſcendat opera ſex dierum, non aſpiciens, quæ videntur. Cum autem aſcenderit ſex dies, nouum Sabbatum ſabbatizat.* Cœleſtis militiæ innouatus tabernaculo requieſcit, qui mundiali exædificationi nuncium remittit. 4. *Secunda*

Iacob olim *abiit in itinere, quod cœperat*, ſecularem Syriam reliquerat, à ſocero abſtractus, *fueruntque ei obuiam Angeli Dei; quos cum vidiſſet, ait, Caſtra Dei ſunt hæc.* Gen. 32. Conuenienter Dei caſtra, ſeu tabernacula præparantur ei, qui mundiale reliquit habitaculum. D. Bruno: *Merito Iacob poſtquam ſeparatus eſt à Laban, Angelos obuiam habet. Quoniam qui mundum relinquunt, & fugiunt caſtra ſeculi, caſtra Dei videre, & habitare merentur.* 5. *Iacob fugiens ſeculũ, in Dei tabernaculo commoratur.*

Et quonam modo transfigurationis fulgorem aſpiciet ſecularibus tenebris offuſus? Eſdras clamabat, *Fugite vmbram ſeculi, accipite iucunditatem gloriæ.* 4. Eſdr. 2. Quod aiebat Origen. *Si quis noſtrum videre transfigurationem voluerit, tranſcendat opera ſex dierum, non aſpiciens, quæ videntur.* Quænam etenim ad tenebras luci conuentio? Et ad cap. 5. Exod. *Relinquendus nobis eſt mundus. Non vult Deus te in carnis, & tenebrarum actibus permanere, ſed exire & venire ad locum tenebris ſeculi vacuum, & venire ad quietem,* ad fulgorem. 6. *Transfigurationis percipit fulgores à ſeculi tenebris abſtractus.*

Nouum (inquit Orig.) *Sabbatum ſabbatizat.* Ille etenim innouatur transfigurandus cum Ieſu, qui fugaci volatu ſupra mundialia opera eleuatur. *Diſcite* (loquor cum Ambr.) *ſupra mundum eſſe, & ſi corpus geritis, volitet in vobis ales interior.* Vnde Apoſtolos innouandos Ieſus prouocat ad volatum, *ducit illos in montem excelſum.* Nec enim innouatur, ſeu mutatur in alterum, qui ales effectus ſupra mundialia non eleuatur. *Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.* Pſalm. 102. Et cur immutandus, innouandus aquilæ comparatur? Quia non poteſt innouari, ſeu transformari, qui ſupra mundialia non volitat. 7. *Ille innouatur, & transformatur.*

litat. Ambroſ. ſerm. 54. *Pullis tunc innouatis comparanda eſt, quando radiantibus plumis neceſſe eſt illi rurſum meditari volatum.* Innouandus, transformandus pœnitens mundi fugiat illecebras.

## §. III.

### *Poſt ſex miſericordiæ opera Transfigurationis ſedes ſtabilitur.*

### Vbi de nunquam non ſedente miſericorde.

8. *Tertia expoſitio.* Cret. Matth. 25.

TErtiam denique Andr. Cret. meditatur. Poſt ſex dies ad Transfigurationis tabernaculum, Regnum Ieſu, aſſumuntur Apoſtoli, quia poſt ſex miſericordiæ opera ſedes cœleſtis homini præparatur. Confirmat Doctor Ieſu prædicantis ſententiâ, quando ſedes regia offertur eis, qui ſex miſericordiæ ſpeciebus operam exhibuere. *Percipite Regnum; eſuriui enim, &c.* Matth. 25. *Eſuriui,* (inquit ille) *& dediſtis mihi manducare; hoſpes eram, & collegiſtis me; nudus, & operuiſtis me; infirmus, & viſitaſtis me; in carcere eram, & veniſtis ad me. En poſt ſex dies. Charitatis ſex ipſe enumerat ſpecies, miſericordibus miſericordia repenſans miſericordiam. Percipite Regnum.* Non iam tria, ſed ſex tabernacula extruantur, transfiguratus ſedeat, qui miſericordiæ exercitamentis incubuit.

9. *Chriſti exemplo probatur.* Pſal. 44. Hugo. Agap.

Huiuſce Ieſus extitit teſtis veritatis. *Poſt ſex dies* aſcendit ad montem, poſt miſericordiæ opera Regni tabernaculo conquieſcit. *Specie tua, & pulchritudine tua intende proſpere procede, & regna.* Pſalm. 44. *Vt ſit ſenſus,* (inquit Hugo Card.) *Intende, id eſt, hominem pereuntem reſpice ſpecie tua, ſeu miſericordia tua. Vnde ſequitur, Procede, & regna.* Gradus equidem ad regium tabernaculum opus miſericordiæ. Nam (vt Agapit. ſcribit) *Amoris in egenos, qui indutus eſt purpuram, cœleſtis quoque Regni compos efficitur.*

10. *Et Loth aſcenſu miſericordis.* Gen. 19. Chryſoſt.

Sequatur gradientem, montanaque ſcandentem Dominum miſericors Loth. Salutaria hic Sodomitis conſilia exhibuit, *Nolite, quæſo, fratres mei, nolite malum hoc facere.* Poſt miſericordis conſilium ſalutare, ſic hoſpites, *In monte ſaluum te fac.* Vti ſcilicet miſericordis miſericordiam Deus miſericordiam repenſaret. *Magnificaſti* (ait) *miſericordiam tuam.* Geneſ. 19. *Imitemur* (cum Chryſoſt. loquor) *iuſtum hunc, & ſi periclitandum fuerit pro ſalute proximi, non ſubterfugiamus. Nam tale periculum nobis eſt ſalutis occaſio.* Opus enim miſericordiæ alas indit iuſto ad montis aſcenſum.

11. *Non poteſt vel hic non ſedere miſericors.* Gen. 40.

Petro apud montana inclamitante, *Bonum eſt nos hic eſſe, faciamus hic tria tabernacula.* Euangeliſta ſubicit, *Neſciens quid diceret.* Luc. 9. Iuſto enim hic proficiſcenti, non quieſcenti æterna tabernacula præparantur. At miſericorditer, vel hîc ſedendi, acquieſcendi poteſtas exhibetur. *Beati* (ait Dominus) *miſericordes.* In præſenti beatus, qui miſericordiæ operi incumbit, ſedebit proculdubio, adhuc ſuperſtes hærebit tabernaculo, ipſe miſericordiæ affectus eum ad regium thronum abripiet. Ergaſtulo olim mancipatos delinquentes Ioſeph ſolatio afficere curauit. *Cur* (inquit) *triſtior eſt facies veſtra?* Geneſ. 40. Vbi D. Chryſoſt. *Beatus ille, cui cura erat, quomodo conſolaretur illos. Vide quomodo & in carcere exiſtens alienum mœrorem alleuiare ſtuduerit. Et tamen præpoſitus pincernarum oblitus eſt interpretis ſui.* Num ideò adſtrictus vinculis remanebit? E carcere equidem educetur, vt regio valeat tabernaculo collocari. *In tribulatione etenim carceris non obliuiſcitur miſericordia.* Vnde licet Ioſeph à pincerna detur obliuioni, à ſua ipſe miſericordia manu ductus aſcendet ad thronum. Quia vel in hoc ſeculo ſedet, qui miſericordiæ flagrat affectu.

12. *Immiſericordi poteſtas ſedendi adimitur.* Pſal. 77. 1. Reg. 16. Proſp.

Porrò immiſericors hîc minimè ſedet, ſed variis perturbationibus agitatur; poteſtas enim ſedendi, ſeu quieſcendi ab eo adimitur, qui pauperi non nouit miſereri. Allophyli, in captiuitatem Arca adducta, tam graui ſunt affecti ſupplicio, vt nec ſedere, nec requiem vllam poſſent comparare. Cecinit Dauid, *Percuſſit inimicos ſuos in poſteriora, opprobrium ſempiternum dedit illis.* Pſal 77. Et quodnam tanto vulneri medicamen adhibetur? *Si dimittitis Arcam Iſrael, nolite dimittere eam vacuam.* 1. Reg. 16. Arca Chriſti corpus, ſeu cor pauperis, vbi eleemoſyna abſconditur, auctore Laureto. Vis tibi poteſtas ſedendi, quieſcendi reſtituatur? Pauperem, Chriſti corpus donis cumulare cura. *Nec valuerunt* (ait Proſp.) *huius turpitudinis euadere vltimam pœnam, niſi Arcam Dei, quam ceperant, donis appoſitis reddidiſſent.* Adimitur itaque immiſericordi ſedendi poteſtas. Nec enim ſede, ſeu requie vel in præſenti dignus, qui proximum non curat ſubleuare.

## §. IV.

### *Cur Chriſtus coram paucis, iiſque tribus Apoſtolis Petro, Iacobo, & Ioanne transfiguratus?*

NVm reliqui Apoſtoli transfigurati Domini priuantur aſpectu, quia Iudam improbum ſortiti erant ſocietatem; vnde quidem ne Iudas aſpiceret indignus, aut ſolus à reliquis notandus remaneret, præter Petrum, Iacobum, & Ioannem reliqui Apoſtoli cum Iuda à Domino relinquuntur? Sic Euth. & alij. Profectò exiſtimo nullatenus Iudæ indignitate omnibus non fuiſſe Dominum aſpectandum propoſitum; *quia poterat* (vti ait Salm.) *proemendis cibis emitti*; & quia ſaltem potuiſſent ſex ſine nota proditoris adſumi. Coram paucis igitur transfigurari dignatur, quia noluit hãc gloriam euolgari, donec à mortuis excitaretur. Arcanum namque pluribus commune non tam accuratæ deputatur cuſtodiæ. 13. *Coram paucis transfiguratur,* Salm.

Cur autem tribus, non pluribus, non paucioribus gloriam transfigurationis oſtenderit? Reſpondet Damaſc. *Vt in ore duorum, vel trium teſtium ſtaret transfigurationis verbum.* In conſpectu itaque trium Apoſtolorum transfigurari ſatagit, vt teſtes hi oculati in totum orbem transfigurationis myſteria diffunderent. 14. *Cur coram tribus?* Damaſc.

Quare autem his potius, quàm aliis huiuſmodi gloriam manifeſtarit? Num quia hos Diſcipulos habebat ſecretorum ſuorum maximè capaces; hos enim tres ad res magis ſecretas ſolebat 15. *Cur coram hiſce?*

Mald. ſolebat adhibere ? Ita Maldon. Num quia ad huiuſce myſterij teſtificationem hi Apoſtoli
Druth. accommodatiores? Sic Druthmar. fatus : *Petrus* accommodatior, *quia futurus erat Paſtor Eccleſia, & ad Romanos mittendus, qui rectores orbis erant. Ioannes, quia altius erat locuturus mundo diuinitatem eius, & apud Græcos ſapientiores omnibus gentibus erat directurus. Iacobus, quia Ipſo primus de Apoſtolis martyrium erat pro Chriſto ſubiturus.* Num quia hi Apoſtoli electi, vt paſſionis inſtantia aliorum Diſcipulorum languori mederentur, ex transfigurationis fulgore accipere debebant, vnde illas tenebras propulſarent? Adhuc Druthm. *Transfiguratus eſt ante hos. Vt enim iſti tres alios confortarent tempore paſſionis eius, eliguntur à Domino.*

16. *Auctoris Mens.* Salm. Mea ſententia eſt coram his præcipuè transfigurati voluiſſe, quos ſpeciali iure ad dilectionis conſortium adferebat. *Nam quia hæc erat* (verbis vtor Salmer.) *alta gratia gratis data, ideò magis dignis tantum communicanda fuit.* Theoph. ad hæc. *Aſſumpſit Petrum, vt eum à quo diligebatur; Ioannem, vt eum, quem diligebat; Iacobum verò, quod & ipſe æmulator fuerit. Et manifeſtum eſt illum ingentis zeli fuiſſe, tum ex eo, quod ſe poculum bibiturum promiſit; tum ex eo, quod Herodes, vt placeret Iudæis, gladio illum occidit.* Meritò quidem ſpeciali munere in communitate donantur, qui ardentiori in Ieſum conflagrant affectu.

17. *Obiectioni ſit ſatis.* Obiicis dotem ſubtilitatis omnibus Diſcipulis oſtentatam, quando ambulans ſuper mare Dominus obiicitur. Dos igitur claritatis non paucis dignioribus erat manifeſtanda. Reſpondeo minus excellentem dotem ſubtilitatis, quam claritatis, nec guſtum æternæ gloriæ, vt dos claritatis, acuere. Ideò agilitatis dotis expectandæ plures capaces fuere, quam claritatis.

18. *Quiſnam hic Iacobus?* Rogas, quiſnam Iacobus hic cum Petro, & Ioanne à Domino adſumptus ? Num Iacobus Alphæi, iuſtus, & frater Domini nuncupatus, qui Ieroſolymitanam rexit Eccleſiam ? Sic D. Ambroſ. & Auguſtiuus affirmarunt. Profectò Iacobum hunc Ioannis fratrem Zebedæi filium fuiſſe expreſsè Euangeliſta teſtatur. Vnde Doctores egregij vel ex aliorum ſententia locuti, vti ſentit Salm. vel lapſi memoria, me iudice, illa tradidere.

## §. V.

### *Cur in monte fuerit transfiguratus, & in quo monte?*

*Ducit.* Græcè, *ſurſum ſubducit.* Quando autem ſubduxit illos, cum turbis Apoſtoli manebant ; quemadmodum cum deſcendit apud turbas inuenit eoſdem. Mar. 9. Non illi quò pergeret Dominus, quæſiere, quia aut putabant eum cauſa orationis profundendæ diſcedere, aut non ſunt auſi à Magiſtro eorum, quæ gerebat, rationem expetere. 19. *Silentium Apoſtolorum?*

Quiſnam fuerit hic mons, Euangeliſtæ non exprimunt, nec vllus, quod ſciam, ſatis antiquus auctor. Ex modernis autem Salmer. Maldon. Barrad. & alij vulgari iam diù opinioni inualeſcenti adhæreſcunt, eum fuiſſe Thabor, quem Hieronym. in medio Galilææ campo exſurgere dicit mira rotũditate ſublimem. Clarus equidem ille Barac & Deboræ victoria, ſanctus à Petro vocitatus. 2. epiſt. cap. 1. propterea quod ſanctis Ieſu pedibus fuerit calcatus, & myſteriis inibi magnis operam dederit. 20. *Thaboris deſcriptio.* Salm. Mald. Bar. Hieron. 2. Petr. 1.

Siue is, ſiue alius mons fuerit, quæritur, cur vt gloriam ſuam demonſtraret, in montem aſcẽderit? Maldon. Quia ſolebat in omnibus maioribus rebus orationem præmittere, antequam gloriam ſuam oſtenderet orauit. Solebat autem Chriſtus orandi cauſa in montem aſcendere, vbi & ſolitudo maior, & cœli aſpectus liberior. Salmer. Vt ſymbolum eſſet cœli Empyrei, & ſignum eſſet eleuationis animi à terrenis. Ego autem ex adlecta particula, *ſeorſum*, faciliùs interpretor ideò ſcandiſſe montem, vt tantum myſterium, quod turbarum, imò Apoſtolorum conſpectum fugiebat, apud montis abſtractam ſolitudinem arctioris ſecreti cuſtodiæ traderetur. Accedit ; quod plerumque Dei gloria in montibus, qui cœlo propinquiores ſunt, non in vallibus oſtentatur. Sic Moyſi apud Sina Dei maieſtas apparuit, in transfigurationis (teſtante Hilar.) documentum. 21. *Cur in montem?* Hilar.

IN

# IN IESVM TRANSFIGVRATVM.

## Panegyricus primus Moralis circa Literam.

## EX DISCIPVLORVM ABDVCTIONE.

### *OBSERVATIO I.*

Ad illa verba:

*Poſt ſex dies aſſumpſit Ieſus, &c.*

Perfecta diei Transfigurationis ſolemnis obſeruantia.

*Vbi de Feſtorum cultu.*

22. MEMORAT Euangeliſta poſt ſex dies Transfigurationis myſterium incidiſſe, vt obſeruationis feſtorum perfectionem commendaret. Trāſactis ſex hebdomadæ diebus corporea requies, labor animi indicitur, in tranſacti laboris commendationem.

---

### CAPVT I.

*Obſeruat Ieſus ſolemnem Transfigurationis diem à ſeruilibus vacans, ſpiritualibus incumbens.*

23. *Hodierna vacatio, & labor.* VBi ſeruilibus operibus corporis, aduentante die feſto, imponitur terminus, ibi animi laboribus (aptius vacationibus dixeris) præſtatur initium. Ieſus hodie poſt aſcenſum cacuminis, ex itinere non ſatigatur, non ſudoribus, non laboribus ſacratiſſimum corpus afficitur. At cum Moyſe & Elia de rebus ſpiritualibus agit, ad Diſcipulos à metu pulſos leuandos accurrit, opera miſericordiæ molitur, Petrum edocens quænam tabernacula conſtruenda. Habes, quidnam feſtorum poſtulet obſeruatio. Corpus quieſcat, animus operetur; corporei ſeruiles ablegentur labores, ſpiritualia admittantur exercitamenta.

24. *Poſt opus corporeum opus ſpirituale.* Duæ pugnantes ſententiæ ſe ſe ex Geneſ. offerunt. *Complebit Deus die ſeptimo opus ſuum, quod fecerat, & requieuit die ſeptimo ab vniuerſo opere, quod patrarat.* Paulo inferius: *Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum, lignum etiam vitæ in medio Paradiſi.* Cap. 2. Anaſt. Sinaita myſticè contemplatur Deū eadem quietis die, poſtquam ab vniuerſo opere ceſſauit, paradiſum arboribus exornaſſe. Vnde excitat quæſtionem: *Si ergo Deus quieuit in die ſeptimo ab omnibus operibus ſuis, quæ fecit: quomodo dicit poſtea, quod Deus oriri fecit ex terra omne lignum pulchrum ad videndum, & bonum ad comedendum?* Ab operibus ceſſat Deus, & adhuc operatur? Feſtorum equidem commendatur cuſtodia. E terra namque, operante Deo, pulchra germinare ligna, quid aliud, niſi ad præceptum animi ſpiritualium exercitamentorum ex ope cœleſti fructus apparere?

Gen. 2. Sinai. Exod. 16.

*De Chriſto* (adiicit Doctor) *rurſus eſt intelligendum.* Annon ſexta die, in morem ſerui, laborauit, opuſque paſſionis compleuit, ipſo inclamante, *Conſummatum eſt?* Succeſſit Sabbati ſolemnitas, Domino equidem ſub imagine ſerui ab omni labore ceſſante. Attamen Chriſti animus ad inferna deſcendens, ſpiritualia miſericordiæ opera molitur. *Sexto* (ait ille) *die quieuit ab omnibus operibus ſuis, quæ fecit ſuper terram, carne pro nobis mortuus. Cum autem profectus eſſet ad ſpiritus, qui erant in carcere inferni, illic fecit omnia opera miſericordiæ. In eo facta eſt ſalus iis, qui erant ſub terra, in eo ſpoliati ſunt inferni, in eo liberatus eſt Adamus à maioribus.* Quam perfectus feſtorum obſeruator, qui à corporeis laboribus vacans, miſericordiæ operibus incumbit, carceribus addictos afficit ſolatio, redimit captiuos, illigatos vinculis inſtar Ioſeph releuat à mœrore. 25. *Id præſtitit Ieſus apud inferos.*

Moyſi Dominus, *Requies Sabbati ſanctificata eſt Domino cras, quodcunque operandum eſt, facite.* Exod. 16. Ac ſi diceret, ſexta die corporei labores terminentur; feſtus enim dies fidelibus inſtat. Pende illud: *Requies Sabbati Domino ſanctificata eſt.* Et quonam modo poteſt corporea requies Domino ſanctificari, ſeu diuino mancipari obſequio, ſi otioſa perſeuerat? Corpus itaque à ſeruilibus abſtractum, ſpiritualibus inſeruiat operibus. Lipoman. ſic. *Diſcimus, intra hebdomadam prouidenda domus neceſſaria; vt vacationis die Domino ſeruiatur, conſolando proximum, &c.* 26. *Die feſto otiū fuge.* Lipoman.

Similem ſenſum illa reddunt: *Memento, vt diem Sabbati ſanctifices.* Exod. 20. Particula hæc: *Sanctifices* penſanda: Nam iuxta D. Thom. *Sanctum idem eſt, quod purum, iuxta illud:* Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis. *Aliquando autem dicitur ſanctum res conſecrata ad cultum* Dei. 27. *Purus, & ſacratus dies.* D. Thom.

Diei

Digitized by Google

Dei igitur ſolemnis ſanctitati inſeruio, ſi à ſeruilibus operibus abſtinuero; ſanctum autem, ſeu Domino conſecratum exhibebo, ſi ſpiritualibus ſeu piis actionibus operam impendero. *Vtroque modo* (ait Doctor) *debemus feſta celebrare. Quia & purè, & mancipando nos diuino ſeruitio. Vt purè celebremus feſta, cauenda ſunt corporalia opera. Ier.* 17. Sanctificabis Sabbatum, vt non facias in eo opus ſeruile. *Vt autem colamus, nos diuinis emancipando obſequiis: in die feſto in tribus occupari debemus, in faciendis ſacrificiis, in verborum Dei ſtudiis, in diuinorum exercitiis.* En opera ſpiritualia ab animo, à ſeruilibus vacante corpore, concitantur.

28.
*Feſta nos Deo totos addicunt.*
Pſalm. 43.

Appoſitè Vates. *Quoniam propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis.* Pſalm. 43. Annon ouicula mactanda à grege abſtrahitur, cuſtodiæ addicitur, ablegatur à gramine? Non tota Deo conſecrata eſt? Ouium in morem & ab omni corporali (ſeruiliter) dimoueamur affectu, & Deo conſecrari enixè ſtudeamus. Ex D. Irenæo lib. 4. contra Hær. cap. 30. præſtat exaudiri. Sabbata perſeuerantiam totius diei erga Dei *deſeruitionem edocebant. Æſtimati enim ſumus tota die vt oues occiſionis,*

Irenæus.

*ſcilicet & conſecrati, miniſtrantes omni tempore fidei noſtræ, perſeuerantes; & abſtinentes ab omni auaritia.* Proxima hæc particula: *Abſtinentes ab omni auaritia* omnis ſeruilis miniſterij curam expungit. Illa autem: *conſecrati miniſtrantes omni tempore fidei noſtræ,* ad miſericordiæ opera excitat, ad ſpiritualia exercitamenta nos aduocat.

29.
*Chriſtiani Sabbati exercitia.*
Deut. 5.
Matth. 12.
Orig.

Qui indixerat Iudæis; *Obſerua diem Sabbati, non facies in eo quidquam operis.* Deut. 5. nos docuit feſtis diebus opera miſericordiæ excitare; dum aridæ manui Sabbato adhibens curationem, exerendas ad miſericordiæ opera manus ſubindicat fatus, *Itaque licet Sabbatis bene facere.* Matth. 12. Orig. homil. 69. in Exod. perfectam ſic feſtorum deſcribit obſeruationem. *Si deſinas ab omnibus ſecularibus operibus, & nihil mundanum geras, ſed ſpiritualibus operibus vaces, ad Eccleſiam conuenias, lectionibus diuinis aurem præbeas, de cæleſtibus cogites, de futura ſpe ſollicitudinem geras, venturum iudicium præ oculis habeas, non reſpicias ad præſentia, & viſibilia, ſed ad inuiſibilia, & futura: hæc eſt obſeruatio Sabbati Chriſtiano.* Sed & Tibull. cecinit l. 2. Eleg. 1.

Tibull.

*Luce ſacra requieſcat humus, requieſcat arator,*
*Et graue ſuſpenſo vomere ceſſet opus.*
*Omnia ſint operata Deo, &c.*

---

## Capvt II.

*Colens perfectè Ieſus Transfigurationis diem, laborum ſuorum perfectionem commendat.*

30.
*Feſti obſeruatio, index tranſacta operationis.*

Poſt ſex operationis corporeæ dies Ieſus transfiguratus, myſticum hunc Sabbatum tam perfectè cuſtodit, vt vel Petrum ad tabernaculorum extructionem accinctum tacitè reprehendat. Sex profectò laboris dierum commendat perfectionem. Nam qui accuratè feſtos dies obſeruat, documentum exhibet, ſe



per totius hebdomadæ circulum perfecta opera exercitauiſſe. At qui non incumbit feſti diei perfectæ obſeruationi, manifeſtè tranſacti operis imperfectionem ſubindicat.

Poſt ſextum creationis diem *Requieuit Dominus die ſeptimo ab vniuerſo opere, quod patrarat.* Geneſ. 2. Vlline materiario operi Deus die ſeptima inſudauit? Prorſus nulli. Quod ſi rationem inquiras, eam exhibeo, vt operum ſuorum, quæ per totius hebdomadis circulum perfecerat, perfectionem commendaret. Theod. q. 21. *Hac autem de cauſa diem hunc feriatum addidit, in quo nihil planè creauit; vt otio illo diurno certum eſſet ea omnia opera ſex dierum eſſe perfecta. Qui enim primo, ſecundo, tertio, quarto, quinto, & ſexto die ſemper noui quidquam creauerat, cùm nihil deeſſe arbitraretur, otio ſeptimo diei docuit creationem perfectam eſſe.* Nam qui diei feſti perfectæ vacat obſeruationi; indicat ea eſſe opera tranſacta, quibus nihil ſupereſt addendum, vt perficiantur. At qui adhuc inſtante ſolemnitate, ſeruilibus incumbit, oſtendit ea opera imperfectione laborare. Id quod facilè ſpiritui accommoda.

31.
*Quieſcens Deus, opera ſua perfecta oſtendit.*
Gen. 2.
Theod.

Euangelico ſic Deus Iſaiæ ex ore conqueritur: *Sabbata veſtra odit anima mea.* Cap. 1. Id eſt veſtras hebdomadas. Idem namque Sabbatum ac hebdomada iuxta illud: *Ieiuno bis in Sabbato.* Imò omnes hebdomades *dies Sabbati* ſortiuntur appellationem. *Vnam Sabbatorum,* id eſt, prima die hebdomadæ. Inuiſi itaque Domino hebdomadis dies. Exiſtimat Anaſtaſ. Sinai. l. 7. Examer. exoſum Deo Sabbatum, ſeu ſolemnitatem Iudæorum: *Dies Deo exoſus quamnam accipit benedictionem?* Nullam. *Pulchrè autem, & conuenienter dixit; Sabbata veſtra odit Deus, vt iniqua.* Quia omnia Sabbata, ſeo cuncti hebdomadæ dies abominabiles Deo quodammodo, dum feſtus dies religioſè nõ colitur. Quia ſæpè opera iniqua gerit hebdomadis curriculo, qui ſeruili labore deturpare ſolemnia non veretur.

32.
*Violatio feſti vt reddat opera præterita abominabilia.*
Iſai. 1.
Sinai.

*Benedixit Deus diei ſeptimo, & ſanctificauit illum* Geneſ. 2. Vbi Iunil. *Illa videlicet benedictione, & ſanctificatione, quam populo ſuo in lege copioſius intimauit, dicens, Memento, vt diem Sabbati ſanctifices: ſex diebus operaberis, ſeptimo autem die Sabbatum Domini eſt.* Quare, vt recolat Sabbati ſanctificationem, ſex dierum opera memorat: Quia perfectè obſeruans feſtos dies, quaſi dies laboris obſeruat, colit, violans autem ſolemnia, ſimul laboris dies lædere videtur. Acutè Rupertus: *Porrò ſpiritualis homo non vno die hebdomadis, ſed omnibus Sabbatizare ſatagit.* Dum ſcilicet obſeruans perfectè feſtum diem cunctos hebdomadis labores Deo conſecrat, dignoſque benedictione illa, qua Sabbatum honoratur, oſtentat.

33.
*Feſti cuſtodia hebdomadem reddit ſolemnem.*
Gen. 2.
Iunil.

Quid ſi perfectæ diei feſti incumbens obſeruationi, quæcunque imperfecta opera per hebdomadis circulum reliquiſti, corrigis, diluens tranſgreſſiones? Deus olim, *Inſuper & Sabbata mea dedi eis, vt ſcirent, quia ego Dominus ſanctificans eos.* Ezech. 20. Nos profectò ſanctificat, dum feſti diei perfecta obſeruatio laborum hebdomadæ totius abluit errores. D. Gregor. in Regiſt. ad hæc: *Dominica die à labore terreno ceſſandum eſt, atque omnimodo orationibus inſiſtendum.* Quare? *Vt ſi quid negligentia per ſex dies agitur, per diem reſurrectionis Dominicæ expietur.* Hinc Tibul. cit.

34.
*Diluit operũ imperfectionem.*
Ezech. 20.
Gregor.
Tibul.



Digitized by Google

*--- Pura cum veſte venite,*
*Et manibus puris ſumite fontis aquam.*

Diem feſtum fontem ideò compellat, quia totius hebdomadis ſordes diluit pura manus, ſeu accurata ſolemnium obſeruantia.

# OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

## *Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem.*

## Tres ſolummodo Diſcipulos Dominus ad Transfigurationis ſecretum admittit.

*Vbi de ſecreto amicorum paucis, hoſtium nulli communicando.*

35. CVI inferiùs Diſcipulis imperat, *Nemini dixeritis viſionem, donec Filius hominis à mortuis reſurgat*, nolebat gloriam ſuam euulgari. Vnde ſecreti cuſtodiendi ſtudioſius congruè Iudam hoſtem excludit, tréſque ſolummodo Apoſtolos admittit, quos habebat ſuorum ſecretorum maximè capaces. Secretum etenim hoſti nunquam, amico autem rarò eſt reſeradū. Vtrumque paucis confirmo.

### CAPVT I.

*A ſecretis hoſtis arcendus.*

36. *Deus ad incarnationis myſterium Ioſeph ſolum admittit, diabolum ablegat.* Matth. 1. Bernard.

TRes Apoſtoli myſterij huius admittuntur in teſtes, Iudas hoſtis excluditur. Quid ſapientius? Rurſum iam Deus huiuſce prouidentiæ exemplum exhibuerat. *Cùm eſſet deſponſata Mater Ieſu Maria Ioſeph.* Matth. 1. Et cur Virgo Spiritus ſancti Sponſa coniugi traditur humano? Profectò vt teſtis virginitatis Deiparæ adeſſet, Diaboloque cœleſte Sacramẽtum operiretur. Quàm pulchrè Dei ſapientia ad tantum myſterium teſtem admittens, hoſtem ablegat à ſecreto! Bernard. hom. 2. ſup. Miſſ. ad hæc. *Quid ſapientius, quid dignius diuina prouidentia? Vni tali conſilio ſecretis cœleſtibus & admittitur teſtis, & excluditur hoſtis.*

37. *In noſtra factum prudentia documentum.* Bernard.

Num hoſtis tartareus poſſet diuinæ prouidentiæ diſpoſitionem retardare? Minimè. At Deus prudentiſſimè à diaboli cognitione incarnationis abſtraxit arcanum, vt oſtendat nunquam à prudentibus ſecreta hoſtibus committenda eſſe, licet non valeant optatos effectus inhibere. Bernard. egregiè. *Oportebat à Principe mundi aliquandiù celari diuini conſilij Sacramentum. Non quod impediri poſſe ab illo metueret, ſed vt non tantum potentiam ſuam, ſed prudentiam, oſtenderet.* Imprudens planè qui hoſti quantumuis imbecilli reuelat arcanum.

Parenti Iſaac, *En ignis, & ligna, vbinam victima holocauſti?* Cui Abraham, *Dominus prouidebit.* Gen. 22. Vbi Chryſoſt. *Cum diceret ad illum Iſaac, vbi eſt ouis? Ait Pater, Deus prouidebit ſibi ouem in holocauſtum, fili. Vidiſti quanta cum diligentia geſſerit omnia? Quocirca & nos ipſos, ſi fieri poteſt, lateamus.* Abſconderat & à piiſſima arcanum vxore. *Abraham* (inquit Pater) *mira licet fidei haberet vxorem, cum filium offerre inſtitueret, celare eam maluit.* Quare igitur & à filio obſequentiſſimo, & ab vxore fideliſſima ſecretum abſconditur? Annon *inimici hominis domeſtici hominis*, præceptore Ieſu? Num non venit ille ſeparare filium à parente? Hoſtis non ſemel filius, hoſtis & vxor, ſi quando te ab executione diuini retardent imperij. Quid ſi renueret filius? Quid ſi eiulatibus mater brachium viri retardare conaretur? Nullus illorum, qui tibi inimici effici valent, ſecreti tui obtineant penetralia. 38. *Nos ſi fieri poſſet, latere deberemus.*

Apprimè itaque Salomon, *Cauſam tuam tracta cum amico tuo, & ſecretum extraneo*, id eſt hoſti, *ne reueles.* Prou. 25. Et quiſnam, ais, hoſtis, cui ſecreta minimè committenda? Equidem omnes quantumuis amici, quibus alterius amici reuelas arcana, tibi inimici infenſi admodum redduntur. Vnde notanter ille, *Cauſam tuam tracta cum amico*, non alterius ſecreta. *Qui nudat* (idem Salomon) *arcana amici, fidem perdit, & non inueniet amicum ad animum ſuum.* Eccleſ. 27. Quare non inueniet amicum? Quia eo ipſo, quod amico alterius amici arcana reueles, tibi protinus ille mutatur in hoſtẽ. Tiberius (Dione auctore) rogatus, cur vel amicis ſua non aperiret arcana? reſpondet. Amici temerè in morem hoſtium rimarum pleni ſecreta effutiunt. 39. *Vel amicos circa ſecretũ hoſtes reputa.* Prouer. 25. Eccl. 27.

Vndenam, quæſo, amicos, ſecreta eis indicando, in hoſtes conuerto? Profectò, quia iniuriâ afficio eoſdem, quos de arcanis certiores efficio. Id quod egregiè confirmat D. Maxim. ſerm. 20. fatus: *Hieron arcana enunciantes iniuriam facere dicebat eis etiam, quibus enunciaret.* Annon iniuriâ amicum afficio, eum habendo, qui ſecretum (ad grauem infamiam proximi attinens) quod neque euulgari poteſt, nec audiri, facilè contra legis præſcriptum excipere non vereatur? Iniuriâ igitur affectus quantumuis amicus infenſiſſimum mutatur in hoſtem. Nulli ergo vel amico ſecreta vnquam ſine magno pondere reſeranda. 40. *Amicos ſecreta eis indicando in hoſtes vt cõuertam?* Maxim.

### CAPVT II.

*Ad ſecreta pauci amici aduocandi.*

ROgatus Chilon quid eſſet difficile? *Arcanum, inquit, retinere.* Auctor eſt Laërt. Retinet profectò qui generoſo, ac virili donatur ſpiritu, vti aiebat D. Antioch. hom. 64. *Generoſa, ac virilis anima eſt, modis omnibus alterius ſecretum penès ſe recondere, nec vllam ob cauſam, aut inuectum triſtitia nubilum prodere, & euulgare arcanum.* At id eſt arcanum homini generoſo, ac virili concreditum plerunque, quod animum robuſtiſſimum infirmare, maciéque valeat conficere, vt muliebris effectus arcanum minimè retinere queat. Iſaias: *Secretum meum mihi, ſecretum meum mihi.* Cap. 26. Pagn. *Macies mihi eſt.* Ac ſi diceret Propheta hominis gerens conditionem, *Secretum meum mihi, macies mihi eſt.* 41. *Quam difficile vel viri fortes ſecretũ valeant continere.* Laërt. Antioch. Iſai. 26.

Dum

Dum enim aliquod ſecretum pectore excipio, mox me conficit macie, vt virili animoſitate deſtitutus, interque fragiles fœminas computatus, me non valeam continere, ſed mox effundam.

42. *Nec ſibi ipſi ſecretum committas.* Match. 6.

Hinc Dominus admonet, ne mihimetipſi ſecretum meum committere audeam. *Neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua.* Matth. 26. Hoc certè in homine ſiniſtrum, nihil non euulgare. Vnde à nobis ipſis deberemus ſecreta retrahere. Sic Chryſoſtom. *Neſciat, inquit Dominus, ſiniſtra tua, quid faciat dextera. Quocirca & nos ipſos, ſi fieri poteſt, lateamus.* Ea eſt etenim tam ſiniſtra hominis conditio, vt vel propria ſecreta neſciat ſalutari ſilentio cuſtodire.

43. *Apud cœlicolas ſolum ſecretum cuſtoditur.* Match. 17.

Cuius equidem infirmitatis conſcius Saluator quinque homines ad arcani cœleſtis participationem adducit. Attamen ipſius Transfigurationis fulgore montis verticem prius efficit paradiſum; vt Petrus inclamet, *Domine, bonum eſt nos hic eſſe, faciamus hic tria tabernacula.* Quorſum hæc? Secreti cuſtos paradiſi habitatio eſt. Paulum audite. *Et ſcio huiuſmodi hominem, quoniam raptus eſt in paradiſum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* 2. Corinth. 12. Eleganter exponit D. Ambroſ. *Paulus audiuit aliqua ſecreta ſapientiæ, quæ prohibitus eſt aliis intimare; & ideò raptus eſt in paradiſum.* Habitatores enim paradiſi ſolummodo ſecreti ſunt obſeruatores fideliſſimi. Accedat Elias paradiſi incola, veniat Moyſes à ſinu Abrahæ myſtico paradiſo, reddantur Petrus, Ioannes, & Iacobus ex transfigurati Ieſu fulgore paradiſi habitatores, vt valeant cœleſte arcanum cuſtodire. Profectò humanæ Ieſus infirmitatis confirmator adhuc ſigillo præcepti firmat ſecretum Apoſtolis indicens, *Viſionem, quam vidiſtis, nemini dixeritis.* Plura alibi.

1. Cor. 12. Ambroſ.

Pſal. 11. Chryſoſt.

## OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

### *Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem.*

### Ob Iudæ conſortium Apoſtolorum plures ad transfigurationis gloriam non aduocantur,

*Quia vnus improbus ſocius pluribus iuſtis exitialis eſt.*

44. LICET ſecutus non fuerim eorum ſententiam, qui ob Iudæ conſortium, præter tres myſterij transfigurationis teſtes futuros, reliquos Apoſtolos à Thaboris gloria fuiſſe prohibitos; tamen propter Euthy. paucis illam ſententiam confirmabo. Vnus itaque Iudas improbus ab Apoſtolica ſanctitate deficiens plures ſanctiſſimos ſocios à transfigurationis fulgore abſtraxit. Tanto incommodo multi ſancti ob vnius iniqui conſortium afficiuntur.

Euthym.

Hinc Vates: *Saluum me fac Domine, quoniam defecit ſanctus.* Pſa. 11. Vbi Chryſoſt. *Non dixit, Quoniam non eſt, ſed, quoniam defecit ſanctus.* At ſi Dauid ſanctorum ſtipatus conſortio, vno illorum deficiente, ſeu infatuato ob lethalis criminis ruinam, verebatur fore vt omnis ſanctorũ concilium euerteretur; vnde ad emergendum à Domini dextera miſericorditer ſuſtentari efflagitat. Vſus Pater nauigationis metaphora exprimit, quam difficile improbi conſortio grauati iuſti, niſi potenti manu Altiſſimi ſuſtulti ad vlteriorem ripam valeant adferri. 45.

*Deficiente ſancto ſocio omnes pauore concutiamur.*

In eaſdem prorſus preces Dauidis Petrus effuſus, dum nauicula, in qua Chriſtus Dominus cum Diſcipulis nauigabat, quateretur, ac magnis operiretur fluctibus, proclamat, *Domine ſalua nos, perimus.* Matth 8. Et Vndenam tam magna formido duxit exortum, ô Simon, & Ieſu, & tot ſanctorum conſortio munite? *Saluum me fac, quoniam defecit ſanctus.* Vnus Iudas deficiens, vnus Iudas à ſanctitate recedens omnes Diſcipulos in diſcrimen attraxit. Appoſitè D. Ambroſ. ſerm. 11. de Mirab. *Hæc eſt cauſa periculi: erat pariter & proditor Iudas. Vnius delicto ſanctorum merita quatiuntur.* Et l. 4. in Luc. c. 5. *Si multa illic Diſcipulorum merita nauigabant, tamen nauem perfidia proditoris agitabat. Caueamus igitur perfidum, caueamus, proditorem; ne per vnum plurimi fluctuemus.* Vnius itaque ſcelerati conſortio plures Apoſtoli requie priuantur. 46.

*Omnes diſcipuli ob vnum Iudam periculo adducuntur.* Matth. 8.

Quid ſi vel ipſe Dominus cum tribus hodie Diſcipulis montem ſcandiſſet, vt à proditore ablegatus transfigurationis quodammodo fulgore perfundi valeret: quaſi præſente Iuda incola tenebrarum, claritatem habere non poſſet? Cùm poſtea cœna facta, de cœnaculo Iudas exceſſit, *dixit Ieſus, Nunc clarificatus eſt Filius hominis.* Ioan. 13. Proh vnius improbi ſocij ſcelus! Qui ipſius erat ſplendor gloriæ è tenebris Iudæ procurat emergere, vt ablegata caligine ſol verus enubilet. *Exiit Iudas* (ait Auguſt.) *& clarificatus eſt Ieſus; exiit filius perditionis, & clarificatus eſt Filius hominis.* Hugo Card. calamum exacuens, profatur: *Clarificatur quis, quando macula auferetur ab eo. Ideo ergo dicit ſe clarificatum, quia Iudas maculatus labe peccati ab eo erat ſeparatus.* Quaſi prauus ſocius macula ipſius Domini exiſteret, ob quam alienam equidem nos viſibili ſolummodo parentes ſpeciei vidimus eum quaſi leproſum. 47.

*Ieſus abſente Iuda clarificatur.* Ioan. 13. Auguſt. Hugo.

De Spiritu ſancto ſic Dominus: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.* Ioan. 16. *De meo* inquam accipiet, ipſam mihi præſtitit claritatem, quia teſte Auguſtino, Chriſtus filius prodigi eſt, de quo Pater, *Fili, omnia mea tua ſunt.* Nec poteſt quidquam claritatis Filio accreſcere Spiritu donante, quod ipſi Filio non inhereat. Quare igitur bonus filius dicitur fuiſſe ab Spiritu ſancto clarificatus? Profectò quia Prodigus Iudas (innuente Auguſtino) receſſit. *Clarificatum eſt triticum* ſeu Filius frugis, *quia palea receſſit.* 48.

*Fugiente Prodigo filius frugis clareſcit.* Ioan. 19. Auguſt.

Quid non Apoſtoli abſcedente Iuda clarificarentur? Ioannem audite, *Proiectus eſt Draco ille magnus.* Vnus Diſcipulorum, qui Diabolus eſt, à Sanctis ablegatur. *Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & Regnum Dei noſtri, quia proiectus* 49.

*Diſcipuli abſente Iuda innocentes apparent.*

*eſt accuſator fratrum noſtrorum.* Apocal. 12. Et quomodo Apoſtoli à Iuda poſsēt accuſari? Profectò illud ipſum apud eos proditorem commorari accuſationis locum obtinebat. Vndè Aug. atteſtante, *Exeunte immundo, omnes mundi remanſerunt.* Quodammodo enim Diſcipulos Iudæ conſortium immunditiæ incuſabat.

Apoc. 12. Auguſt.

50. *Pauci Apoſtoli ob Iudā Transfigurationis gloria fruuntur.* Gen. 8. Theod.

Pauci aſſumuntur Apoſtoli ad montem, plures cum Iuda remanent Transfigurationis gloria priuandi. Tantiue incommodi participes multi innocentes ob vnius delinquētis auſum? En tibi vniuerſalis diluuij ruina. Pauci cum Noë properant ad montana, plurimi cum Cain (cuius ſoboles iniquitate potentiſſima) apud conuallés periêre. Gen. 8. Vbi Theodor. q. 50. requirit. *Cur diluuio multitudinem hominum deleui?* Reſpondet, *Delere ſobolem Cain voluit, & quia piorum tribus illi permixta erat, ob id ſupplicij particeps fuit.* Non Iudæ improbo Collegium Diſcipulorum permiſceretur, omnes pergerent ad montana.

## OBSERVATIO IV.

### Ad illa verba:

### *Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem.*

### Petro, Iacobo, ac Ioanni dignioribus præmia potiora Dominus præparauit.

*Quia in communitate virtute præſtantior ſingulari gratiá eſt à Prælato proſequendus.*

51. Salm.

ALFONSI Salmetonis noſtri ſentētiam in commentario exhibitam pōderabo. *Quia hæc erat* (ait) *alta gratia, ideo magis dignus tantum communicanda fuit.* Nec enim prælatus ille perſonarum acceptor eſt, qui dignioribus præſtantiora dona largitur. Iuſtè ergo Domino aſſident transfigurato qui & fidei conſtantia, & puritatis gloria, & zeli feruore reliquos Apoſtolos præcellebant.

52. *Moyſes & Helias præcipuè aduocantur, quia digniores.* Math. 17. Chryſoſt.

Pergit Matthæus. *Et apparuerunt Moyſes & Helias cum eo loquentes.* Cap. 19. Et cur non potius Dauid adſumitur, Iacob aduocatur, inuitatur Abraham? Num quia duo tantummodo teſtes huiuſce Myſterij in medium proferuntur? Profectò Dauid & Abrahā duo teſtes poterant adhiberi. Attamen Ieſus charitate præſtantiores fulgentiori munere donat. Chryſoſt. ad hæc: *Eos in medium ducit, qui ſe morti expoſuerant pro his, qui Deo placebant. Etenim tyrannis vterque ſe liberè præſentauit, Moyſes Pharaoni, Helias Achab.* Præſtantiſſimâ ergo charitate fulgidi præſtantiori munere redonentur.

53. *Ideo Syluerius & Mennas Domino adhærent.* Apoc. 11. Lyra.

Relictis cunctis Eccleſiæ fidelibus duos perfectiſſimos viros Chriſtus adfert in teſtes, qui laterones ſibi gratiâ honoris adhæreant. *Et dabo duobus teſtibus meis &c. Hi ſunt duæ oliuæ, & duo candelabra in conſpectu Domini ſtantes.* Apoc. 11. Vbi Lyran. Duo hi teſtes *Syluerius & Mennas, qui conſtanter ſteterunt contra fautores hæreſis Eutychianæ;* ideo ſubdit, *In conſpectu Domini ſtātes.* Ac ſi diceret, Ideo præſertim Syluerius & Mennas teſtes gloriæ Domini aduocantur, in conſpectuque Principis adſpiciuntur, quia omnium conſtantiſſimi hoſtes Eccleſię debellarūt, miro virtutum ſplendore fulgurantes. Nam qui à iuſtiſſimo Principe pro omnibus habentur, & cunctis præponuntur; virtutum excellentia digniores exiſtunt, qui ſpecialiſſimo amore proſequantur. Appoſitè Homerus Illia. 1.

*Inſtar multorum, eſt quem æquus Iupiter plus amauit.*

54. *Perfectior Ioſeph potiori munere donatur.* Gen. 37. Rupert.

Cuius equidem morem gerens Iacob filium Ioſeph amplius diligens donis vberius cumulauit. *Iſrael autem diligebat Ioſeph ſuper omnes filios, eo quod in ſenectute genuiſſet eum, fecitque ei tunicam polymitam.* Gen. 37. Si ſenis moribus inter centum annorum adoleſcentes, quid mirū veſte ſenili grauitati adnata munerari. Belle Rupert. *Fecit tanquam perfecto & pleno dierum tunicam polymitam, ſiue talarem.* Deus bone! vide, ne ſpiritualis hæc dilectionis oſtenſio fratrum cordibus ingerat aculeos. Cauſa hæc fratrum inimicitiæ, ſed non ideo maior virtus minori eſt munere proſequenda.

55. *Indignior non adſumendus ad auguſtiora, licet amplius ametur.* 1. Reg. 1. Strab.

Prudentiſſimi planè Magiſtratus, Rectoris, ſeu parentis eſt, priuato affectu minimè ferri, vt indignum honoribus augeat, nec ob ſpecialem amorem, quo iuſtè flagrant, retardari, quominus dignus fratribus, ſeu ſociis reliquis præponatur. Vtriuſque exemplum exhibebo. Poſt ſacrificiū olim Elcana *dedit Phenennæ vxori ſuæ, & filiis eius & filiabus partes. Annæ autem dedit partem vnam triſtis quod Annam dilexiſſet.* 1. Reg. 1. Prima expoſitio Strabi ſic: *Triſtis quia non habebat Anna filios, quo amplius daret.* Quaſi diceret. Ob ſpecialem dilectionem, qua Elcana in Annam æſtuabat, cuperet profectò multiplici illam donare portione. At quia Phenenna non tam dilecta coniux filiorum honoratior cæterna dignior erat, cui cibus accreſceret, magna vir triſtitia premebatur; non enim oportebat affectum, ſed æquitatem præualere. Lyranus autē in hunc modum, In Hebræo habetur, Annæ autem dedit vnam partem pulchram, vel duplicem, quia Annam diligebat ſpecialiſſima vtique dignam dilectione. Nam ſi Phenenna fœcunditate, Anna eminebat patientia. *Phenenna enim* (pergit ille) *dicebat Annæ verba pungitiua.* Annon o vir, prudentior appareres, ſi dilectam præcipuè minori munere redonares? Minimè planè. Dignior eſt? à Prælato igitur amplius ametur, nec amoris præſtantia iuſta quidem minimè audeat manus tornatiles retardare.

56. *Qui zelat ſpeciali Prælati iuſtum fauorem, digniores imitetur.* Math. 17. Chryſoſt.

Quod ſi obiicias, Zelabunt ſocij reliqui. Zelent vtique, fortè ſimul ad digniorum imitationem properent. Annon poterant Diſcipuli ad radicem montis reſidentes zelare, cur non & ipſi ad verticem eleuantur? quare Andreas & Iacobus minor non Moyſis & Heliæ implent hodie miniſterium? Effectum equidem prudentiſſimè à Ieſu, vt Diſcipuli hoc zelantes, illorum merita imitari feſtinent. Si ob ſpecialem manſuetudinem Moſes, ob zelum feruentiſſimum Helias ſocij transfigurato Domino adhibentur. Pulchrè Chryſoſt. *Ducit autem propter hoc eos in medium: volebat enim, quod Diſcipuli* (qui non aſcenderant) *eorum priuilegia zelarent, vt ſcilicet fuiſſent manſueti ſicut Moyſes, & zelantes ſicut Helias.*

OBSER

# OBSERVATIO V.

Ad illa verba:

## *Et ducit illos in montem excelſum.*

## Præſtantes meritis Apoſtoli ad montis ardua loco præmij à Domino ducuntur.

*Quia labores intellectu præditis præmia potius exiſtunt.*

57. ASCENSV equidem ad montis verticem Dominus Diſcipulorum ductor ardua ac laborioſa quæque voluit ſignificari. Quid aſcenſu laborioſius? Ideo vt difficilia ſalutis ab excidio diſtingueret, illam ſub aſcenſus, hoc ſub deſcenſus metaphora prudens ille deſcripſit, dum cecinit.

Virgil.

*———Facilis deſcenſus Auerni.*
*Sed reuocare gradum, ſuperáſque euadere ad auras,*
*Hoc opus, hic labor eſt.*

Iam requiris, cur Magiſter Apoſtolorum myriades chariores diſcipulos ad ingentiores labores ſubeundum adducit? Certè vt qui plus laborauerant, ingentiori præmio donarentur. Labores enim munera à Deo præclariſſima. Quare ad huiuſmodi præmia accipienda non omnes indifferenter aduocat, ſed intellectu acutiores inuitat, Petrum ſcilicet cui anguſtiora myſteria reuelantur, *Quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus.* Ioannem: cuius aquilæ lumina. Iacobum: qui tonitrui filius intellectus acumine pollebat, ſi auctore Pierio fulmine ingenij acumen figuratur. Doctrina etenim hæc agreſtes effugit intellectus, ingenij præditis hæret acumine. Qui lacrymas, labores, pluſque cæteris inſudare, non exiſtimat præmij loco ob geſta optima accepiſſe, minimè ſcit, non iudicat, non putat, non exiſtimat, agreſtis omnino eſt, nullum intellectus exerit opus.

58. Poſtquam Petrus à Domino acceperat, vt pro fidei ardore montis teneret cacumina, plus multis laborans transfigurationis gloria illectus clamat: *Domine, bonum eſt nos hic eſſe, faciamus hic tria tabernacula, &c.* Matth. 17. Id quod ex ignorantia ortum habuiſſe alius adfirmat Euangeliſta. *Neſciens quid diceret.* Vnde iam quæſo Petrus ingenij tarditate incuſatur? Quia hic quærebat requiem, loco præmij virtutum, & non operam aſcendendo dans vltrà, ad eleuatiora cacumina feſtinabat. Arguit enim ingenij tarditatem huiuſmodi præmia nō callere. Quid putas, quid indicas, ſi veritas hæc tuæ exiſtimationis & iudicij fugit obrutus? Appoſitè Euſebius Emiſſ. de Epipod. *Cauete, ne bonam vitam ſi quando afflictione ſubditam videritis; miſeram iudicetis. Cauete, ne inania mundi aliquam felicitatem expectandam putetis.* Quod enim iudicium,

*Qui labores præmij loco non accipit, quid ſcit?* Matth. 17.

Emiſſ.

quæ exiſtimatio ei, qui non iudicat, non putat labores in bonæ vitæ gratiam aduentaſſe?

59. Hinc Iacobus: *Omne gaudium exiſtimate fratres, cum in tentationes varias incideritis.* Epiſt. c. 1. Carthuſ. *Varias tentationes, id eſt, multiplices, & magnas.* Proh Deus immortalis! Multipliceſne ac magnæ tribulationes omne gaudium? Profectò huiuſmodi doctrina iis traditur, qui intellectus acumine condecorantur, ſoli enim accuratæ exiſtimationi ponderatio committitur, *Exiſtimate fratres.* Rurſus adiicit, *ſcientes quod probatio fidei, &c.* Nam qui non ſciunt, quomodo doctrinæ huiuſce ardua tenebunt? Vel profanus Macrobius Satur. 1. *Non diis exoſi qui in hac vita cum ærumnarum præmio luctantur.* En ærumnæ bonæ vitæ præmium. Adiicit mox, *Sed ſunt arcana cauſa, ad quas paucorum poterit ingenij peruenire curioſitas.* Quia penetrare loco præmij labores bonæ vitæ obuenire, acumine ingenij præditorum eſt.

*Scit, qui huiuſmodi callet documentum.* Iac. 1. Carthuſ.

Macrob.

60. Requiem quærebat Rex Dauid, cum fugiens Saulem in Maſpha profectus inclamat, *Maneat pater meus, & mater mea vobiſcum, donec ſciam, quid faciat mihi Deus.* 1. Reg. 22. Vbi Hugo Cardin. *Iubetur abire, vt perſecutionem ſuſtineat, & vt in terra ſua laboribus exerceatur.* Ac ſi diceret, Dauid pro laboribus, quos fugiēs ſubierat loco præmij requiem quærebat, neſciens vtique quid efflagitaret. At Dominus rurſum illum ad certamina mittit, vt coronam pro elapſo labore adipiſcatur. Annon doctrina hæc ſcientibus? Ideò dixit, *Donec ſciam.* Documentum etenim inſcitiæ tradit, qui requiem pro munere requirit.

*Non ſcit Dauid, hoc ignorans.* 1. Reg. 22. Hugo.

61. Edoctus iam è Thaboris vertice Petrus de Angelis ſic, *In quem deſiderant Angeli proſpicere.* 1. Petr. 1. Clemens Alexand. *Non Angeli apoſtatæ, ſed Angeli boni, qui deſiderant profectum perfectionis illius adipiſci.* Deſiderant quodammodo Angeli Deum videntes, gloriæ incrementis donari, vt clarius videant, amplius intelligant; vnde ad incrementum intellectus cupiunt cum Ieſu laboribus tentari. Quam Angelicum, quam eleuatæ mentis eſt, cognoſcere laborum pondus præmij vel apud cœlicolas quodammodò vices exercere.

*Angelica mens hoc penetrat arcanum.* 1. Petr. 1. Clem. Alex.

62. Hoc ſolummodò ignorant, qui ſordido animo, ſiue agreſti laborant ingenio. Indignè ferebant operarij, qui pondus diei portauerant, quòd qui vna ſolum hora laborauerant par præmium reciperent. Quibus Dominus, *Amice, non facio tibi iniuriam.* Matth. 20. Quonammodo iuſta præmiorum diſtributio, ſi opus præſtantius non maiori præmio muneratur? Reſpondet Nazianzen. orat. 40. (cuius vulgariter ſententia circumfertur.) *Illud dicam, hoc ipſum impenſius laboraſſe, vberioris mercedis loco habendum eſſe.* Addit autem acutè ad meum argumentum, (quod non vulgare.) *Habendum eſſe, inquam, his certè qui animo ſunt non omninò ſordido.* Nam ſi Paterfamilias apud cordatos, ingeniique vi præditos de iuſtitia præmiorum ageret, operarios vberioris mercedis loco habuiſſet illud impenſius laboraſſe. At quia apud ruſticos, agreſtes, ſordidos hanc doctrinam effudit, iniuſtæ exurgunt querimoniæ.

*Agreſtis ingenij eſt, hōc minimè callere.* Matth. 20. Nazianz.

## SECTIO SECVNDA.

# Transfiguratiōnis Myſteria.

## *TEXTVS.*

*Verſ.* 1. Et transfiguratus eſt ante eos.

## *COMMENTARIVS LITERALIS.*

### §. I.

### *Huiuſmodi Transfiguratio quid?*

1. *Abulenſis definitio.* E*T Transfiguratus eſt.*] Ad quæſtionis enodationē præquiro, quidnam ſit transfigurari? De transfiguratione quantitatis, & imitationis plura Abulen. quæ ad argumentum noſtrum accedit tertia eſt. quam tradit ipſe, transfigurationis figura. *Secundo modo* (ait) *figura accipitur pro habitudine eorum, quæ exterius apparent in homine, ſiue ſit diſpoſitio in corpore, ſiue in veſtibus, ſiue in vtroque, & hoc modo dicitur aliquid transfigurari, quando mutatur color eius, vel aliqua qualitates de his, quæ apparere poſſunt, non facta mutatione aliqua in quantitate, neque in lineamentis. Sic etiam transfiguratur aliquis, quando mutat veſtes, & accipit aliquas diſtantes omnino in figura, & tota diſpoſitione à prioribus; quia tunc homo non cognoſcitur, ſed putatur eſſe alius, ſicut ſi verè figuram mutaſſet.*

2. *Quonam modo transfiguratus Dominus? Euthym.* His poſitis adfirmo Ieſum haud fuiſſe transfiguratum immutata corporis quantitate, quam retinuit; nec figura, ex qua tunc poſſet agnoſci, niſi aliquod accidens impediiſſet; ſed factam fuiſſe in eo ex Abolenſe traditam tam ex parte corporis, quàm ex parte veſtimenti mutationem. *Reſplenduit* etenim *facies eius ſicut Sol, veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix.* Lucas ſic, *Facta eſt ſpecies vultus eius altera.* Species, inquam, faciei, facies minimè, facta equidem non in figura, ſed in ſplendoris pulchritudine, immutatione. Sic Euthym. *Transformatus eſt, corpore quidem in propria figura manente, diuino autem ſplendore modicum quiddam in ſe detegente, ac faciem eius illuſtrante, ſpeciemque illius ad maiorem Dei ſimilitudinem immutante.* D. Hieronym. conteſtatur. *Nemo* (ait) *putet Chriſtum priſtinam formam, & faciem perdidiſſe, vel amiſiſſe corporis veritatem, & aſſumpſiſſe corpus vel ſpirituale; vel aëreum. Sed quomodo transformatus ſit Euangeliſta demonſtrat dicens, Reſplenduit facies eius ſicut Sol, veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix. Vbi ſplendor faciei oſtenditur, & candor deſcribitur veſtium, non ſubſtantia tollitur, ſed gloria commutatur.*

3. *Et transfiguratus eſt.* Admonuerim cum Maldonato putidè hæreticum tranſtuliſſe, & *transformatus eſt.* Græcum verbum non magis transformari, quam transfigurari ſignificat, fateor, ſed periculoſam includit ambiguitatem. Poteſt enim & ad externam figuram, & ad eſſentialem, quam vocant formam, referri. At Chriſtus non corporis ſui naturam, ſed externam ſolummodo immutauit ſpeciem. *Transformari quid.*

### §. II.

### *Transfigurationis Dominicæ cauſas recenſeo.*

T*Ransfiguratus eſt.*] Cur Chriſtus transfigurari voluerit, plures cauſas à Doctoribus legi. Primò, vt ſingularem illam Petri confeſſionem, *Tu es Chriſtus filius Dei vini* confirmaret, ſeque Meſſiam Regem, ac Dei filium eſſe regio habitu, ſplendore, ac potentia indicaret, Patris voce intonante. *Hic eſt filius meus.* 4. *Prima cauſa. Abul.*

Secundò, vt gloriam ac maieſtatem, in qua ad iudicandum venturus eſt oſtentaret. Dixerat enim Diſcipulis Filium hominis Patris in gloria aduentaturum, *vt vnicuique redderet* (cum Abulenſi loquor) *mercedem vel pœnam pro opere. Vt ergo videretur, quod poterat hoc facere, oſtendit ſe mutatum ad imaginem gloriæ.* 5. *Secunda.*

Tertiò, vt quidquid de paſſione prædixerat, ſtabiliret. Quocircà de inſtantia paſſionis tunc cum Moyſe, & Elia ſermonem contexuit. Ex eodem Abul. 6. *Tertia.*

Quartò, vt oſtenderet ſponte ſe corporis gloriam abnegaſſe, ac crucis opprobria ſubiiſſe; quo appoſito exemplo ad caducarum rerum abnegationem nos adduceret. Adhuc ex Abulenſ. 7. *Quarta.*

Quintò, *Vt de cordibus Diſcipulorum crucis ſcandalum* (D. Leo ait) *tolleretur, nec conturbaret eorum fidem voluntaria humilitas paſſionis, quibus reuelata eſſet abſconditæ excellentia dignitatis.* 8. *Quinta. D. Leo.*

Sextò, vt homines ad laborum tolerantiam adduceret. Dixerat enim cap. præcedenti, *Qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam. Talia autem* (fatur Abuleo.) *quæ dura ſunt, nemo ſponte ſubit, niſi exindè maiora bona futura credat, quam fuerint mala, quæ pertulit, aut perferre* 9. *Sexta. Abulenſ.*

*ferre debet.* Pia ergo prouiſione (Bedæ verbis vtor) *factum eſt, vt per contemplationem ſemper manentis gaudij ad breue tempus demonſtratam, fortius aduerſa tolerarent.*

10. Septima. Septimò, vt ſuæ humanitatis gloriam oſtentaret. *Pertinebat enim* (inquit Abul.) *ad gloriam eius, vt fulgeret vultus eius ſicut Sol; nam non poterat eſſe maior corporis pulchritudo, & honor.*

11. Octaua. Octauò, ad conſolationem trium Diſcipulorum, quos Chriſtus ſingulariter diligebat. *Voluit enim* (Epiſcopus ait) *eis oſtendere quandam partem gloriæ ſuæ, ſicut amicis pandimus ſecreta noſtra; & in hoc valde conſolati ſunt; nam Petrus dixit, Domine bonum eſt nos hic eſſe.*

12. Nona. Nonò, vt verbis ſuis maiorem Dominus auctoritatem adiiceret. Quid enim aliud vox innuit Paterna? *Hic eſt Filius meus dilectus, ipſum audite.* Abulen. *Ad hoc transfigurabatur, vt Diſcipuli eum ſic videntes magis crederent, & audirent, id eſt, obedirēt ei in omnibus, quæ diceret.*

13. Decima. Decimò, in propriæ Deitatis documentum. Ex transfiguratione namque tripliciter Chriſti Diuinitas rutilabat. Potuit corpus ſuum ad ſtatum beatorum transfigurare, quod nullus homo præſtare potuiſſet. Vox Patris exaudita teſtantis Ieſum filium naturalem exiſtere. Moyſem & Eliam *cum eo loquentes* ſolus Deus potuit adducere. Ideò edoctus Petrus ait, *Faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum. Nam ſi putaſſet* (Abul. exponit) *aliquem illorū maiorem, Chriſto præponeret eum in locatione dicens Moyſi vnum, & tibi vnū.*

14. Vndecima. Vndecimò denique, vt glorioſum reſurgentium ſtatum exprimeret, cuius exemplar proprij corporis ſuſcitationem obiecit in transfiguratione claritatis. *Vt per gloriam* (concludit Toſtat.) *quam in ipſo viderent, agnoſcerent, qualis futura erat gloria ipſorum, & oſtenderet Chriſtus, qualis eſſet ſtatus reſurgentium.* Id quod præſtitit Dominus vt æternæ transfigurationis obiectu legis obſeruationi accingerentur. Vndecimam hanc Transfigurationis cauſam reliquis præpono, quam proprio Panegyrico confirmabo.

## §. III.

### *Quare Ieſus in Diſcipulorum horumce conſpectu transfiguratur?*

*ANte eos.*] Aſſumpſerat equidem Magiſter *Petrum, & Iacobum, & Ioannem, vt in ore duorum vel trium teſtium* (vt Damaſcen. ait) *ſtaret Transfigurationis verbum.* In conſpectu igitur Petri, Iacobi, ac Ioannis transfigurari ſatagit, vt teſtes hi oculati in totum orbem Transfigurationis Myſteria diffunderent. 15. *Vt teſtes conſtitueret.* Damaſc.

Porrò in huiuſce teſtificationis miniſterium appoſitè illi præſertim aduocantur, *Petrus* (verbis vtor Chriſtiani Druthm.) *quia futurus erat paſtor Eccleſiæ, & ad Romanos mittendus, qui Rectores orbis erant: Ioannes, quia altius erat locuturus mundo Diuinitatem eius, & apud Græcos ſapientiores omnibus gentibus erat directurus: Iacobus, quia ipſe primus de Apoſtolis martyrium erat pro Chriſto ſubiturus.* 16. *Quam illi ad hoc munus apti?* Druthm.

Aliam Druthmarus cauſam attexit. *Transfiguratus eſt antè eos. Vt enim iſti tres alios confortarent tempore paſſionis eius, eliguntur à Domino.* Quod ſi præcipuè hi Eccleſiæ Proceres Dominicæ paſſionis inſtantia reliquos Apoſtolos, ac Diſcipulos confortare curarunt, aut eis Reſurrectionis euulgantes myſterium, aut in cruci ſuffixi commendationem arguentes, aptè quidem ad Transfigurationis fulgorem aduocantur, vti ex hoc fulgore accipiant, vnde illas tenebras valeant propulſare. 17. *Vt confirmarent reliquos.* Druthm.

---

# IN IESVM TRANSFIGVRATVM.

## Panegyricus ſecundus Moralis circa Literam.

## EX TRANSFIGVRATIONIS MYSTERIIS.

### *OBSERVATIO I.*

Ad illa verba:

*Transfiguratus eſt ante eos.*

Petro, Iacobo, & Ioanni in monte conſtitutis IESV eleuatior apparet,

*Perfectioribus enim auguſtiora myſteria reuelantur.*

18. Orig. MYSTICAM Origenes cauſam exhibet cur *ante eos* Diſcipulos fuerit Ieſus transfiguratus? Coram his ergo transfiguratur Ieſus, & non coram illis qui ſunt deorſum, in conuerſatione terrena viuentes. Quaſi Petrus, Iacobus, & Ioannes typum exerant eorum, qui montem perfectionis ſcandunt, queis equidem eleua-


tiotibus

tioribus Chriſtus fulgens myſterium radiis eleuatior apparet, maiorem eis cœleſtium ſacramentorum cognitionem immittens. Conuallia igitur deſerat, hæreat montanis quiſquis Deum eleuatiſſimum dignoſcere ſatagit. Montium enim Deus vocitatur.

19. *Deus montium, ſiue perfectione fulgentium.* Gen. 3. Ambroſ.

Olim Dominus: *Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob.* Deus enim iuſtorum omnium cum ſit, præcipuè trium Procerum iſtorum Deus oſtentatur, qui à terrenis his abſtracti, montana Dei latibulum attigêre. Eundem ſenſum refert illud Geneſeos, *Deus Sem.* Cap. 9. Qui Sem montanus quidem perfectione, à terreniſque eleuatione montanæ Dei cognitioni magis accinebat. Pulchrè D. Ambroſ. *Deum filij ſui Sem Noe dixit, eo quod Deus iuſtorum eſt, hoc eſt, Deus montium, non vallium, qui gratiam habent virtutis excelſa.* Ducit enim Deus in perfectionis *montem excelſum ſeorſum* quos vult ſibi transfiguratio, ſeu ſpeciali lumine cognitionis fulgido præſentari.

20. *Adnatus cœleſti viſioni mons.* Exod. 19.

Profectus Iſraëlitarum populus *de Raphidim, & perueniens vſque in deſertum Sinai, caſtrametatus eſt in eodem loco, ibique Iſrael fixit tentoria è regione montis, Moyſes autem aſcendit ad Deum.* Exod. 19. Quidnam eſt Moyſem, populo apud conuallia remanente, ad Deum aſcendiſſe, niſi montis verticem ſuperaſſe? Deus enim ita hæret montanis, vt non aliud ſit montem ſcandere, quam Dei ipſius potiri conſpectu. Iſraëlitis veris profectò, Apoſtolis, Diſcipulis conuallia myſticè tenentibus Deus fulgentiſſimus fulgura ſpargens non apparet. Nam (Lucio Apuleio de Deo, Socr. authore) *Deus ab hominibus differt loci ſublimitate.*

21. *In monte conſtituti ad Deum vidêdum impoſſibilia vincût.* Exod. 20. Nyſſen.

Rurſum Moyſem ſequantur ad caliginem accedentem. *Moyſes acceſſit ad caliginem, in qua erat Deus.* Exod. 20. Num Dominum apud caliginis reſidentem latibula intuitus? Ita planè. Licet enim caligo oculos obtenebrare videbatur, tam aduata montana eleuatio ad Deum aſpiciendum, vt vel tenebris obrutus Moſes eum adſpectaret. Nyſſenus, *Cum reliquerit Moyſes non ſolùm omnia, quæ ſenſu percipiuntur, verum etiam cuncta, quæ mente inſpiciuntur, ac ſemper progrediatur*, ſcilicet ad cacumina, *tunc caligine vndique circunſeptus inuiſibili, & incomprehenſibili Deum videt.* Impoſſibili enim quodammodo eſt ob montis occaſionem viſione potitus.

22. *Monte ſcandens, vallem humilitatis non deſeras.*

Enimverò licet ad lucem cœleſtem capiendam ad montem opus eleuari, tamen vallis ita relinquenda, vt in monte conſtitutus, adhuc humilitatis reſideas in valle. Petrus, Iacobus, & Ioannes montis verticem tenentes, ſimul conuallibus hæreſcebant, dum prætextu humilitatis Moyſi. Eliæque præparant tabernacula, nec de propriæ eleuationis cura ſatagunt. Quid Propheta? *Erit mons domus Domini, & fluent ad eum omnes gentes.* Iſai. 2. Vbi quærit Galfridus: *Quomodo fluent gentes ad montem? Non enim ſolent ſurſum vergere fluida, ſed deorſum.* Reſpondet, *Si in vallem humilitatis deſcendis, & nihilominus conſcendis in montem, fluis, dum aſcendis.* Deus igitur cœleſti fulgore coruſcans eis datur aſpiciendus, qui terrena deſpicientes in monte ſtatuuntur, ac ſimul humilitatis prætextu valli agglutinantur.

Iſai. Galfrid.

# OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

## *Et transfiguratus eſt.*

## Transfiguratur IESVS, vt oſtendat qualis futura gloria beatorum, poſt reſurrectionem.

*Vti eos ſpe præmij imminente labores ad legis obſeruationem alliciat.*

2. Abul.

VNDECIMAM Transfigurationis cauſam, quam reliquis cenſui præponendam, illuſtro. *Omnes* (ait Abul.) *prædicta rationes ſunt conuenientes, & tamen præcipua eſt, quod fecerit ad oſtendendum, qualis futura erat gloria reſurgentium, & quod ipſe talem gloriam dare poſſet, pro qua homines deberent ſponte hic animas ſuas ponere.* Et quando præmij cœleſtis ſpes fragili alas naturæ non indit, ad iuſtas exequendum actiones?

24. *Omnis lex ſpe muneris conditur.*

Lex triplex, naturæ ſcilicet, ſcriptionis, & gratiæ triplici cœleſtis muneris, quo ſancti donandi ſunt, rutilauit exemplo. Apud legis naturæ tempus *Enoch non apparuit, quia tulit eum Dominus.* Geneſ. 5. Eliæ raptum lex veneratur ſcripta, noua lex Dominum vidit à mortuis ſuſcitatum. Quid triplici legi cum innouationis Sanctorum ſimulacro prius, poſteà veritate? Reſpondet D. Thom. cap. 11. ad Hebr. *Voluit Dominus ducere homines in ſpe. Vnde in primo naturæ ſtatu dedit in Enoch ſpem, in ſecundo in Elia, in tempore autem gratiæ in Chriſto datur nobis effectus huius promiſſionis.* Quam appoſitè omnis lex ſpei æterni muneris luce circumfulget, vt cœleſtis innouationis obiectu facilius homines eius obſeruationis labori operam impenderent?

D. Thom.

25. *Surgit peccator muneris cœleſtis memoria.* Geneſ. 45. Iſidor.

Quod ſi fidelis quandoque ab hoſtibus inuiſibilibus euictus occumbat, illicò reſurgit æternæ reſurrectionis ſeu muneris obiectu. Olim emortuus Iacob, *cùm vidiſſet plauſtra, & vniuerſa, quæ miſerat Ioſeph, reuixit ſpiritus eius.* Geneſ. 45. Ad quem locum appoſitè D. Iſidorus, *His verbis Iudaicus populus conuerſus exprimitur, nam qui per longam cæcitatem quaſi mortuus fuerat, fide reſurrectionis* (Ioſeph enim quaſi parenti reuixerat) *viuificatus eſt.* Nec poteſt diù peccatorum ſpelunca recludi, qui ſe ſuſcitandum cœleſti munere ſedulo contemplatur.

26. *Idem eſt nos in ſpe præmij, ac in nouitate vita ambulare.* Pſalm. 129.

Hinc Propheta, *A cuſtodia matutina vſque ad noctem, ſperet Iſrael in Domino.* Super quæ Rupertus, *Cuſtodiam matutinam dixit cuſtodiam militum mane exterritam.* Iam quærit: *Sed quid ſperet Iſrael ab illa cuſtodia matutina?* Reſpondet; *Quia in ſe quod in Chriſto factum eſt, futurum eſt, ſcilicet ſurgere à mortuis,* præmio cœleſti munerari. Et quinam huiuſmodi ſpei fructus exurgit? Adiicit Dauid: *Quia apud Dominum miſe*

*miſericordia, & copioſa apud eum redemptio, & ipſe redimet Iſrael ex omnibus iniquitatibus eius.* En effectus reſurrectionis hominem à delictis Rupert. ſolutum ſurgere, ac innouari. Rupertum audite. *Quemadmodum redemit illos filios Iſrael ex omnibus Ægyptiis in vigilia alta matutina, redimet nos. Vnde Apoſtolus, Conſepulti ſumus cum illo, vt quomodo ſurrexit Chriſtus, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Nonne aptius dixiſſet Apoſtolus, *Ita & nos in ſpe reſurrectionis ambulemus.* Nec enim verba illa: *In nouitate vitæ ambulemus*, cohærent ſequentibus: *Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus.* Profectò idem prorſus eſt nos in ſpe reſurrectionis, ac in nouitate vitæ ambulare. Nam qui æterni illius muneris ſpe roboratur, mox ad vitæ nouitatem accurrit.

27. *Ioſeph per viã caſtitatis incedens, cœleſtis præmij typus ſimul exiſtens.* Gen. 39. Euſeb. Idem igitur, nos in ſpe reſurrectionis ambulare, quam in vitæ incedere nouitate. Quam innouati, quàm pulchri greſſus Ioſeph adulterij inquinamentum fugientis! *Qui relicto in manu eius pallio, fugit, & egreſſus eſt foras.* Geneſ. 39. Affirmat Euſebius Ioſephi fugam Dominicæ reſurrectionis typum geſſiſſe. *Ioſeph à muliere detinetur, & Chriſtus à morte: Ioſeph pallio reiecto aufugit, & Chriſtus linteamina in ſepulchro reliquit, & reſurrexit.* En vna proculdubio actio & reſurrectionem adumbrat, & adoleſcentem fulgidum oſtentat caſtitate; quia idem omninò eſt hominem in ſpe reſurrectionis ſeu ſuperni muneris ambulare, ac caſtitatis excitare greſſus, in nouitateque vitæ, & ſtolæ incedere puritate.

28. *Ex obiectu paradiſi homo fortiſſimè decertat.* Geneſ. 1. Theod. A principio *plantauit Deus paradiſum voluptatis.* Geneſ. 1. Theodoretus vertit in quæſtionem, *Qua de cauſa Deus plantauit paradiſum, mox expulſurus inde Adamum?* Et reſpondet, *Conueniebat iuſtum agonothetam athletis virtutis proponere præmium victoriæ.* Annon *militia vita hominis ſuper terram?* Paradiſus itaque prius, ab Adamo luſtratur, vt omnibus gignendis annunciet milites haud ſine præmio decertare. Vnde aptè dixit Theodoretus, *præmia victoriæ*, non certaminis, non agonis, ipſum enim illud in conſpectu præmij decertare, iam eſt vincere, iam eſt hoſtem teterrimum ſuperare.

29. *Ideo pugnatur Ieroſolyma cœleſtis deſcendis aſpectanda.* Apoc. 21. Auguſt. Ieroſolymæ cœleſtis Ioanni obiicitur imago: Et *ego Ioannes vidi ciuitatem ſanctam Ieruſalem nouam deſcendentem de cœlo, à Deo paratam. Qui vicerit poſſidebit eam.* Apocalyp. 21. Quare ciuitas è cælo deſcendit? Vt terricolæ queis crudeliſſima pugna imminebat, fortiſſimè ex muneris aſpectu aduerſus hoſtes decertarent. Hinc D. Auguſtin. Serm. 27. de ſanct. ait: *In ſimplicitate ſeruate innocentiam, in charitate concordiam, modeſtiam in humilitate, diligentiam in adminiſtratione, vigilantiam in adiuuandis laborantibus, miſericordiam in fouendis pauperibus, in indefeſſa veritate conſtantiam, in diſciplina veritate cenſuram.* Difficilis potius ratio decertationis, & quodnam adhibes incitamentum ad militum conſtantiam? Bellè adiicit, *Cur non properamus, & currimus, vt Patriam videre poſſimus?* Oculis mentis cœleſtem Ieroſolymam obiicite. & illius Imperatoris ſermonem vſurpate, *Veni, vidi, vici.*

# OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

## *Transfiguratus eſt ante eos.*

### Hodie Ieſus illâ oſtenditur formâ, quâ iudicij tempore eſt obiiciendus.

*Vbi recti Iudicis exprimuntur proprietates.*

DIVVS Hieronymus profatur: *Qualis futurus eſt tempore iudicandi, talis Apoſtolis apparuit. Nemo autem putet priſtinam eum formam, & faciem perdidiſſe; ſed quomodo transfiguratus eſt Euangeliſta teſtatur, Reſplenduit facies eius ſicut Sol.* Tria Iudicis, ſeu Magiſtratus inſignia deſignantur. Primùm eum transfigurari oportet, deinde ita transformari debet, vt inſtar Ieſu, priſtinam formam humanam non amittat, denique ſolem indutus omnibus indifferenter ſubditis oſtentari. Singula expono. 30. Hieron.

---

CAPVT I.

*Homo Iudex in ſpiritum transformetur.*

QVi tribunal aſcendit, ſiue daturus leges, ſiue delicta damnaturus, terrenis iam pedibus non innitatur, auolet in ſpiritum. *Erudimini* (inquit Dauid) *qui iudicatis terram.* Pſal. 2. Quidquid in vobis terrenum reperieritis damnate, in exilium mittite, nudi ſpiritus reliquos iudicate. Sic pulchrè Auguſtin. *Iudicare* (ait) *terram, eſt terram damnare: ſi terram iudicaueris, cælum eris. Si terram non iudicaueris, terra eris; ſi autem terra fueris, ad eum pertinebis, cui dictum eſt, Terram manducabis.* Ac ſi diceret, ſi terrà fueris, & non in ſpiritum tranſieris, haud eris Iudex, ſed reus; non inferes ſententiam in reos, ſed reus tu ſententiæ fulmine percutieris. 31. *Iudex ſapius iudicans, hominem mittat in exilium.* Pſalm 2. Auguſt.

Tacitè Dominus prauos Iudices reprehendit fatus, *Super cathedram Moyſi ſederunt ſcribæ, & Phariſæi*, Matth. 23. Haud illi boni Iudices qui ſedent, terrena vtique mole grauati, cum potius more Angelico deberent vel ante tribunal ſtare iuxta Raphaelis eloquium, *Sum vnus ex ſeptem &c.* vel inſtar adminiſtratoriorum Spirituum auolare, vniuerſumque orbem complere prouidentia. Quare Dominus Eccleſiæ Præſules non ſedendo, ſed pergendo præcipit imperare. *Euntes docete.* D. Bernar. 2. de conſ. egregiè: *Qui iuſſi ſunt ire, non orbem circuierunt præſentia corporis, ſed mentis.* Transfigurati enim in ſpiritum ſancti peruolant Magiſtratus. 32. *Iudices non ſpiritus, ſed homines reprehenduntur.* Matth. 23. Bernard.

Effigi

33. *Iudex ſpiritus, & quare?* Num.27.

Efflagitans à Deo Moyſes, vt Iudicem populo tali dignum adminiſtratione prouideret, profatur: *Prouideat Deus ſpirituum omnis carnis hominem, qui ſit ſuper multitudinem hanc.* Num.27. Hebraicè, *Prouideat Deus ſpirituum omni carni hominem*, id eſt, Hominem immittat qui inter ſpiritus adnumerari valeat homines gubernaturus. Olim Hebræi *tenentes baculos in manibus* Agni epulo fruebantur cum primum renes accingere iuberentur. Exod. 12. Vbi D. Greg. Quid lex per baculum niſi paſtoralem curam deſignat? Sed notandum, quod prius præcipimus renes accingere, poſtmodum baculos tenere. Quare? Quia prælatus omnino debet ab humanitate mortificationis exercitamento, vti ait Pater, recedere, in ſpiritumque transformari. An non Angelus, qui præcedebat caſtra Iſrael, Præſules deſignabat? Exod. 14. Strab. *Iſte Angelus ſignificat eos, qui nobis præcepta vitæ annunciant.* Et quare Angeli Prælati? An non (inter plures cauſas) vt non magna ſolum, ſed paruula quæque throno hærens à longe proſpiciat? Hominis viſus à longè parua non capit, ſed ingenti mole dilatata. At ſpiritus capit paruula quæque. Ideo Euripides Imperatorem Græcum in ſpiritum transformatum hærentem tribunali contemplatur, & canit, (Euripid.)

*——— Non nihil tu diſſitus*
*Quanam malorum me premat moles vide.*

Spirituum namque eſt, quæ ſunt remota licet nimium exigua videre.

## CAPVT II.

### *Iudex Spiritus ab homine non decedat, ſed homo Spiritus perſeueret.*

34. *Terra debet à terra nō aëris incola iudicari.* 2.Cor.9. Auguſt.

NOtanter adiecit Hieronymus, *Nemo autem putet, priſtinam eum formam, ac faciem perdidiſſe.* O quotiens homines vocati ad tribunal in ſpiritus transformati, geſtiunt adorari. Sic igitur Iudicem transfigurari oportet, vt humanam conſeruet ſpeciem. D. Auguſtinus Dauidis carmen cum Pauli copulat teſtimonio: *Erudimini qui iudicatis terram.* Pſalm.2. *Non ſic pugno, quaſi aerem verberans.* 2.Cor.9. *Audiamus* (inquit Pater) *Apoſtolū iudicantem terram. Non ſic pugno, quaſi aerem cædens, audi terram iudicantem terram.* Sic incedit Iudex effectus & ad cœleſtem patriam ſpiritus in morem eleuatus, (*Raptus ſum in paradiſum*) ſicut decet eum, qui apud terricolas commoratur, non ſicut paſſer aëreæ habitator regionis, quia terra debet à terra iudicari.

35. *Filius hominis Iudex.* Ioan. 5.

Cur quæſo, Chriſtus filius hominis appellatur quoties iudicij Euangeliſtæ recordantur? *Tunc videbitis Filium hominis venientem. Cùm ſederit Filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ.* Nonne aptius ad iudiciale munus Dei Filius compellaretur? Audi Ioannem: *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & Filio vitam habere in ſemetipſo; & poteſtatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis eſt.* Cap.5. Cur non dixit, Poteſtatem dedit ei iudicium facere, quia Filius Dei eſt, qui Patris inſtar, vitam in ſemetipſo habet? Quia ad iudicandi munus non patitur omnium Rector Filium purum ſpiritum incedere, ſed humanitate indutū hærere tribunali.

36. *Poſt mortem homo iudicaturus exurgit.* Ioan.19.

Poſtquam Ioannes oſtendit Chriſti oſſa minimè comminutione affecta, adiicit: *Hoc totum factum eſt, vt impleretur quod dictum eſt, Os non comminuetis ex eo.* Cap 19. Quâ vtilitate aſſeritur Chriſti oſſa non fuiſſe lacerata? Oportebat equidem hominibus conſtare Chriſtum adhuc poſt tot ſupplicia hominem permanſiſſe, ne ſoli Diuinitati iudicandi munus relictus videretur. Alcuinus ad hæc: *Et ne vlla cuilibet dubitatio remanſiſſet, quis ſit, qui in iudicio omnibus videbitur, idem beatus Ioannes propheticum in eo teſtimonium implendum eſſe prædixit, Os non comminuetis ex eo. Videbunt in quem transfixerunt. Vulnera veri corporis verum Filium hominis oſtendunt, qui iudicaturus eſt mundum. Forma illa erit Iudex, quæ ſtetit ante iudicem.* Nec enim deceret hominem ad iudicandum aſſumptum ita in alterium mutari, vt priſtinæ hominis formæ oblitus nudus ſpiritus carneos iudicaret. (Alcui.)

37. *Confirmatur.* Act.1.

Aſcendente Domino Angeli conclamant: *Viri Galilæi, quid aſpicitis in cœlum? Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem.* Acto. 1. Num exiſtimatis Dominum receptum in cœlum ita immutandum, vt ad tribunal remeanti nullum futurum ſit reliquum veſtigium humanitatis? Profectò homo homines iudicabit. Alcuin. cit. rurſum: *Hoc ipſum quippe Chriſto aſcendente Angeli Apoſtolis prædixerunt, Sic veniet, id eſt, eadem forma carnis veniet iudicaturus.* (Alcuin.) Verba illa Matthæi, *Cum venerit Filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ*, expendenda. *Suæ* inquit non alienæ, vt tribunalis apparatus. *Filium hominis* (ait ille) *teſtatur in ſua maieſtate, & non in aliena ſeſſurum, & iudicaturum.*

38. *Petrus à petra futurus Iudex mutatur in hominem.* Ioan.21.

Petrus ad iudiciarium munus aſſumitur conuerſus in petram: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claues Regni.* Proh Deus immortalis! homo in petram transfiguratus duro homines premet arbitrio. Audite Dominum fantem, *Simon Ioannis, diligis me, &c.* Ioan.21. Cur poſt priorem promiſſum eum Ieſus Simonem, & non potius Petrum ſeu petram nominauit? Liceat mihi ex doctiſſimo noſtro Lorino dare ſolutionem. (Lorin.) Datâ opera Simonem, non Petrum nominauit, cum oues ei committere voluit, vt Iudex Eccleſiæ conſtituendus intelligeret non in petram transformatione vſurum, ſed ſtatum, & conditionem ſuam naturalem perſiſtere debere.

39. *Reprobus Iudex Nabuchodonoſor, probus Moyſes.*

Profectò qui vt iudicet homines nudum non conuertitur in ſpiritum, merito poſt munus expletum in ſpiritum transformatur. At qui homo cum ſit, iudicaturus ferinum nudum transfiguratus in animum, iuſtè è tribunali deturbatur, ex homine mutatur in belluam. De Moyſis conuerſione ſic Ambroſ.l.2.offi.cap.7. (Ambroſ.) *Quàm miti ſermone appellabat populum, &c. Meritò æſtimatus eſt ſupra homines, vt ſepulturam eius non repertam crederent.* De transformatione autem crudeliſſimi Iudicis hæc Gregor.5.Moral.cap 8. (Gregor.) *Nabuchodonoſor ex homine in belluam diuinitus conuerſus, quia in ſibi ſubiectos ferino animo fuerat.*

***

CAPVT

Digitized by Google

## Capvt III.

*Iudex Solis in morem, omnibus ſalutaris exiſtat.*

40. *Omnes Sol Iudex curat.*

APpoſitè Iudex Ieſits tribunali hærens (vti ait Hieronym.) Solis vincit fulgore luminare. Iudex enim ſuper orbem vniuerſum indifferenter exoritur. De Iuſtitiæ Sole ſic Propheta: *Orietur vobis timentibus Sol iuſtitia, & ſanitas in pennis eius.* Mal.3. Quid in pennis ſanitas niſi in radiis iudicij medicamen ægrotis vtique præparatur? Num non Solis radij omnibus præſentantur? Iudex igitur omnes euret, cunctis ſe ſe offerat ſalutarem. D. Auguſtin. conf. cap.12. *Sic Deus curas vnumquemque noſtrum tanquam ſolum cures, & ſic omnes tanquam ſingulos.*

Mal.3.

Auguſt.

41. *Fames exoritur ex acceptione perſonarum.* Phocylid.

Elegans præmitto Græci Phocylidis teſtimonium Regem ſic educentis: *Omnibus Sol iuſta diſtribue, neque iudicium ad gratiam trahas multorum infamem.* Vbi etenim Sol cuicumque orbis plagæ aſtro interpoſito obnubilaretur, terra ſterilitate laborante, fame incolæ perirent, dum illi qui Solis radiis, fruiti eſſent diffluerent abundantia. Haud aliter influente iudicio, ſi Solis indifferenter aſpergentis fulgorem non imitaretur, ſed vni exhiberet influxus, reliquibus prætermiſſis, fame orbis deperire cogeretur. Hinc equidem lucem videbit locus ille: *Facta eſt fames in diebus Dauid tribus annis iugiter.* Cuius famis cauſam exprimit Abulenſis ex Rabbi Salomone, & R. Dauide Kimhi: *Quoniam Dauid dabat omnia munera ſua vni ſolummodo Sacerdoti Hiraqui Dauid Sacerdos vocabatur.* Non hoc textui arbitror cohærere, ſed potius contradicere. Attamen permitto expoſitionem, vti Iudices, ſeu Reges edoceantur, quemadmodum Solis in morem non vni, ſed omnibus debeant indifferenter exoriri, ne abundantibus quciſdam multi fame enicientur.

1 Reg.21. Abulenſ.

42. *Furto acquiri Solis iuſtitia ſpecialem influxū.* Menand.

Menander equidem alij pulchro viam ſternit teſtimonio, dum canit: *Nemo tam egens, qui Phœbi radios non poſſideat.* Commendat hinc Græci Magiſtratus æquitatem, qui omnibus indifferenter exoriebatur. Iam Tribus vndecim conqueruntur, quod Tribus Iuda Dauidem in Ieroſolymam reduxerit. *Quare* (inquiunt) *te furati ſunt fratres noſtri viri Iuda? Reſpondit autem omnis vir. Iuda, quia propior eſt mihi Rex.* 2.Reg.19. Ad te, ô Tribus Iuda pertinet Dauidis perſona, ſed ad omnes Regium munus; omnes namque Solis poſſident radios, nullus tam egenus, qui Sole, vti ſupellectili non perfruatur. Furto igitur tibi vni Solem Iudicem adiudicaſti. Pulchrè Abulenſ.q.26. *Dauid conſiderabatur dupliciter, ſcilicet in quantum Rex, & in quantum perſona priuata Si vt perſona priuata, magis pertinebat ad Iudam, quam ad omnes Tribus, eo quod erat de cognatione eius. Si in quantum Rex, magis pertinebat ad omnes Tribus Iſrael quam ad Iudam; in quantum Rex erat Princeps ſingulus populi totius, & viri Iuda computabantur vt vna pars. At vero Rex non vnam tantum partem, ſed omnes æqualiter,* Solis inſtar, *reſpicere debet, qui omnibus, non vni debitus eſt.* Furato ergo acquiritur quidquid Solis iuſtitiæ à communi munificentia detrahitur. Porrò Iudex rectiſſimus *Dauid faciebat iudicium & iuſtitiam omni populo.* 2.Reg.8. Ne tam ſplendentis ſideris iubar tenebrarum nota caligaret.

Abul.

# OBSERVATIO IV.

Ad illa verba:

## *Transfiguratus eſt.*

## Chriſtus transfiguratus corpus humanum non dimiſit.

*Qui ad ſpiritum tranſlatus es, adhuc inter homines debes perſiſtere, ne intractabilis habearis.*

43. Theophyl.

THeophyl. Bulgar. Epiſc. *Transformationem* (inquit) *audiens, ne putes, quod tunc corpus abiecerit, ſed manſit corpus in ſuo habitu.* Sunt qui vel ad ſpiritum ex mundiali conuerſatione euecti, vel ex ſtatu exili ad honoris faſtigium elati, ſic humanitate exuuntur, vt pudeat eos inter homines degere. Heus triticum neceſſium tibi cum zizaniis habitare, Princeps à fortuna effecte, non hominem exuiſti, ſed ornaſti.

44. *Lignum vitale, lignum equidem.* Geneſ. 2. Theod.

E ligno ſcientiæ boni & mali mors, ex arbore vitali vita hominibus germinat. Num arbor vitæ materia oſtenditur ex cœleſti? Profectò arbor terrena cum ſit, immortales parit effectus. Theodoretum accipite: *E terra orta eſſe huiuſmodi ligna perhibet Scriptura. Non igitur alterius ſunt naturæ. Sed propter diuinam ſententiam alterum ex his lignum vitæ eſt, alterum cognoſcitiuum boni & mali.* Lignumne ex Cypria vinea auulſum, iam ad ſpiritum tranſlatum ſecus aquarum cœleſtium decurſus? Adhuc terrenum germen perſeuerare cura.

45. *Crux conuertitur, ſed Crux perſeuerat.* Theod.

Ex conuerſione Crucis Dominicæ exhibeo documentum. Lignum illa mortis, infamiæ, odium hominum, Prophetarum maledictio, quia *maledictus homo, qui pendet in ligno.* At Crux ita transfigurata diuina virtute eſt, vt iam vitæ, honoris, dilectioniſque arbor exiſtat. Nec tamen ideò cœleſte in altrum efformata, ſed adhuc lacrymarum erumpit è valle. Sic Theodor. *Iſta ligna ſunt planta è terra, quemadmodum lignum Crucis, quod ſaluare dicitur propter ſalutem naſcentem ex fide, quæ de eo eſt.* Poſt conuerſionem certè mutandi mores, non humanitas in peregrinam naturam transferenda.

46. *Moyſis manus, manus poſt ſanatē.* Exod. 4.

Dominus ad Moyſem: *Mitte manum tuam in ſinum tuum. Quam cum miſiſſet ille, protulit leproſam.* Exod.4 En humana in ſæculo natura, leproſa, vilis, abiecta. Num ab huiuſmodi vulgari manu poſſunt miracula excitari? *Retraxit, & protulit iterum, & erat ſimilis carni reliquæ.* Cum profert dexteram ſine lepræ contagio, myſtice ſæcularis manus ſanatur, ex ſiniſtra fit dextera, iam miraculorum parens exiſtit; ſed tamen *erat ſimilis carni reliquæ.* Theodoretus Theod.

adhuc:

adhuc: *dextera, quæ admiranda illa perpetrarat, cum prius fuiſſet leproſa, ſignis diuinis inſeruiuit, & elementa mutauit*, non tamen ideò ipſa mutata eſt, ſed *dextera* perſtitit. Licet tibi videaris miraculorum ob conuerſionem vitæ te eſſe patratorem, exiſtima te adhuc inter terticolas adnumerari.

47. *Samaritana poſt conuerſionem mulier.* Ioan. 4. Ambroſ. Num Samaritana poſt conuerſionem muliebrem naturam exuta eſt? Minimè, ſed mulier meretrix cum veniſſet ad puteum, caſta mulier reuerſa ab Ambroſio ſerm. 30. appoſite prædicatur. Nouo admirationis genere mulier, quæ ad puteum Samariæ meretrix aduenerat, *à Chriſti fonte mulier caſta regreditur.* A muliere non recedit, quæ diuina potentia eſt transfigurata. Adiicit perpulchrè Pater: *Ad ciuitatem non fert hydriam ſed refert gratiam.* Quaſi per transformationem non ſolum non referret muliebrem naturam, ſed & officium, niſi quod non hydriæ, ſed gratiæ portitrix adferatur. Auguſtus olim gloriabatur Cæſar ſe Romam lateritiam accepiſſe, & reliquiſſe marmoream. Eadem prorſus ciuitas è terra quidem, ſed poſt conuerſionem, cœleſti munere ſolidiori.

48. *Magdalena altera poſt conuerſionè, ſed ipſa.* Luc. 7. Chryſol. Simoni carpenti, cur admitteret Magdalenam peccatricem, Magiſter: *Vides hanc mulierem?* Reſpicit ſententia hæc illam: *Quæ & qualis eſt mulier, quæ tangit eum.* Ac ſi diceret, Mulier eſt Magdalena, ſed poſt conuerſionem mulier altera, altera quidem, ſed mulier. Sic D. Petr. Chryſolog. ſermon. 74. ad illa verba: *Venit Maria Magdalena, & altera Maria. Venit* (inquit) *Maria, & altera Maria. Ipſa ſed altera ſed ipſa, vt mulier mutaretur, vita, non nomine; virtute, non ſexu.* Lapſui pronus omninò, qui poſt conuerſionem ſingularitatis ſectator deſpicit peccatores.

## OBSERVATIO V.

Ad illa verba:

*Transfiguratus eſt.*

### Chriſtus transfiguratus eſt in oratione.

*Quia orationis exercitamentum efficit hominem in alterum mutari.*

49. Euthym. CAVSAM Dominici ad montem aſcenſus Lucas adiicit: *Et aſcendit in montem, vt oraret.* Quam aptè poſt orationis exercitium transfigurationis notatur ſplendor, oratio namque hominem mutat in alterum: *Et facta eſt* (ait Euang.) *dum oraret, ſpecies vultus eius altera.* Ad hæc Euthym. *Orans transformatus eſt, vt diſcamus, quod oratio transformat hominem, ſi fiat ſicut oportet.*

50. *Anna ſenex trāsformatur in iuuenculā.* 1. Reg. 1. Ambroſ. Anna olim confecta ſenio, orationis vi ad primæuam recurrit ætatem, dum ſterilis annoſa natura mirabiliter dilatatur in poſteros. 1. Reg. 1. D. Ambroſ. *Nulla profectò* (ait) *res eſt, quæ poſſit æquari deprecationi: ſiquidem, vt audiſtis in Anna, naturam ſterilem conuertit, & vuluam, quæ erat concluſa, aperuit.* O quam pediſſequa conuerſionis, & transformationis deprecatio!

51. *Oratio Niniuitas transfigurauit.* Ioan. 1. Chryſoſt. Minatus fuerat Dominus Niniuitis: *Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur.* Attamen Niniue quadraginta dierum termino exacto, minimè ſubuerſa eſt. Porrò D. Chryſoſt. l. 1. de orat. Deum, illud: *Subuertetur* conuertetur interpretatur, ſiue ciuitas vertetur in aliam. Ita *vt ſiquis tunc ingreſſus fuiſſet ciuitatem Niniuitarum, qui prius eandem probè nouiſſet, nequaquam agnouiſſet eam.* Adeò repente à turpiſſima vita ad pietatem reſilierat. Quemadmodum ſi quis mulierem mendicam ſordidis pannis veſtiri ſolitam poſt aureis veſtibus ornatam videret, nequaquam agniturus ſit mulierculam: ita ſi quis eam ciuitatem priùs nouiſſet mendicam, vacuam omnibus theſauris ſpiritualibus, nequaquam poſt agnouiſſet. Et vndenam tam mirabilis conuerſio habuit exortum; Homines clamare in fortitudine imperantur. *Clament ad Dominum in fortitudine.* Adiicit iam pulchrè Doctor: *In ciuitate hac tranſmutanda tantum valuit deprecatio.*

52. *Alia precibus Magdalena efficitur.* Luc. 7. Diſcumbente Domino, *acceſſit mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix.* Murmuratori autem Phariſæo Dominus: *Vides hanc mulierem?* Haud immunda, quemadmodum falsò iudicaſti, mirabiliter enim eſt in alteram conuerſa. Chryſologus alibi. Maria & *Maria, ſit altera vt ipſa, ipſa vt altera, altera ipſa Maria.* Porrò D. Chryſoſtom. ſerm. 57. huiuſmodi transfigurationem dat orationis efficaciæ ſatus: *Mulier quæ vitæ tempus in laſciuia peregerat, ſimul ac ſe oratura proiecit ad pedes Chriſti ſalutem aſſecuta eſt; proinde deprecatio purgat à peccatis, &c.*

53. *Petrus fit leuis, aqua ſolida.* Vt oſtenderent Ægyptij aliquid impoſſibile effectu, pedes in aquæ ſuperficie inambulantes pro hieroglyphico exprimebant; vt enim homo per aquas incedere valeret; neceſſum eſſet vel aquarum labilitatem cedere in conſtantiam, vel ſoliditatē hominis mutari in fluxitatem. Transformatio igitur quam pro impoſſibilitatis ſymbolo veteres circunferebant, orationis virtute perficitur. Petrus exorantis affectu clamat: *Domine, iube me venire ad te ſuper aquas.* Matth. 14. Appoſitè Hieronym. *Mox aqua ſolidantur, & leue fit corpus, quod per ſe graue eſt.* Annon feruentis hæc vis orationis? Expreſſius Auguſt. ponderans, graue rurſum corpus Apoſtoli ex orationis fortaſsè remiſſione, aquamque fluxam effectam, rurſum feruentiſſime memorat oraſſe, dicentem, *Domine, ſaluum me fac.* Rurſum manu Domini accedente redit ad leuitatem. *Numquid* (ait Doctor) *Dominus deſeret titubantem, quem audierat inuocantem?* Proh orationis ad transformationem quaſi alterius naturæ potentia! Dixit Saluſtius in Catil. *Oratio eſt virtutis incunabulum.* Nam qui fragilitate laborat, deprecationis vacans exercitamento, mox in fortiſſimā educatur adamantē. Matth. 14. Hieron. Auguſt. Saluſt.

54. *Conuerſiones huiuſmodi ex feruente, non ex remiſſa deprecatione.* Pſalm. 65. Auguſt. Admonet tamen Euthym. *Oratio transformat, ſi ſit ſicut oportet.* Nec enim ſufficit orare frequenter, ſi ſpiritus tunc languore pergrauatur. Feruor igitur orationis nos transformat in alios. Ad illud: *Benedictus Deus, qui non amouit orationem meam, & miſericordiam ſuam à me.* Pſalm. 65. D. Auguſt. inquit, *Rogemus Deum, vt non à nobis amoueat deprecationem noſtram; multi enim langueſcunt in orando, & in nouitate ſua*

conuerſionis

*conuerſionis frequenter orant.* Vnde ad conuerſionis nouitatem, ad transformationem, non ſufficit frequenter orate ſi volante ad ſuperos voce, ſpiritus languore corripiatur.

# OBSERVATIO VI.

### Ad illa verba:

### *Ante eos.*

## Ante illos transfiguratur Chriſtus, in quorum conſpectu deformatus inceſſit.

*Vt doceat peccatores pœnitentiam peragere coram illis, qui teſtes criminum extiterint.*

55. *Euthym.* QVi in ſimilitudinem carnis peccati apparuit, typumque geſſit peccatoris hodie myſticè transfiguratus, vt peccatoris conuerſionem exprimeret, coram illis alter oſtenratur, quibus ſimilis peccaturi extiterat, auctore Euthymio. Edoctus hinc verus peccator *ante eos* te transformari oportet, qui te criminibus deformatum viderunt, vti pœnitens ad virtutis exemplum adducas, quos delinquens ad incitamenta traxeras vitiorum.

56. *Transfiguratio Paralytici coram teſtibus.* Triginta & octo annis Paralyticus apud piſcinam peccator iacuerat, nam Ieſus: *Sanus* (ait) *factus es, iam noli peccare,* vel ſaltem peccatoris imaginem expreſſerat, vt placet Doctoribus. Anſelm. *ſignificat multis, & magnis peccatis oppreſſum.* Huic Dominus ſano inquit effecto: *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.* Ioan. 5. Ioann. 5. Quare illum conſtituit proprij grabati portitorem? D. Petrus Chryſol. Vt transfigurationem, ſeu conuerſionem peccatoris exprimeret. Portauit enim ſe portantem. Corpus à quo latus fuerat ſpiritus in praua, iam ab ſpiritu fertur ad recta. Cur autem eidem indicitur ambulatio? Bellè Chryſoſt. Chryſoſt. Ne illi qui teſtes fuerant languoris, *putarent apparentiam eſſe, quod factum erat.* Te inambulantem per viam mandatorum videant, qui te iacentem voluptatum cœno aſpectatant vt conceptum ſcandalum valeat expelli.

57. *Et Lazari.* Lazaro typum peccatoris exerenti Dominus: *Lazare, veni foras.* Vbi D Greg. *Ad accuſationem proprio ore faciendam peccator prouocatur.* Pœniteat, delicta proferat, mutetur in alium. Quid plura? *Soluite* (ait Saluator Diſcipulis) *eum, & ſinite abire.* Ioan. 11. Ioann. 11. Soluunt equidem, quia vti Auguſt adnotauit, quidquid ſoluunt Sacerdotes in terra, in cœlis ſoluitur. At abite ſinunt, imò imperant, peccatorem, vt qui teſtes fuerant mortis (luqtior cum Chryſ.) Chryſoſt. *Tangentes & appropinquantes viderent, quia verè eſt ille* à morte criminis reuocatus. Mors tua euulgata eſt, pœnitentia feratur ad teſtes.

58. *Necnon Niniuitarum.* Niniuitarum transfiguratio celebris omnino, prædicente Domino: *Adhuc quadraginta dies & Niniue ſubuertetur.* Ioan. 3. Id eſt, in aliam transformabitur, vti exponit D. Auguſt. fatus: Ioan. 3. Auguſt. *Euerſa eſt Niniue, quæ mala erat, & bona ædificata eſt, quæ non erat; ſtantibus enim mœnibus atque domibus euerſa eſt ciuitas in perditis moribus. Ac ita quamuis Propheta fuerit contriſtatus, quia non eſt, quod illi homines timuerunt illo prophetante venturum: factum eſt autem, quod fuerat, illo præſciente, prædictum, quoniam nouerat qui prædixit quomodo in melius eſſet implendum.* Profectò delicto maculari in transfigurationis documentum *prædicauerunt ieiunium, &c.* An non ſatius ex Domini conſilio caput vngerent, faciem abluerent, ne hominibus ieiunantes viderentur? Minimè, ſed qui peccata *ſicut Sodoma* prædicauerant; ieiunium, conuerſionemque prædicare debebant, vti teſtes deformati transfigurati populi teſtes redderentur.

59. *Samſonis ſimiliter.* Obiicias precor tibi Samſonem libidine inquinatum, è brachiis meretricis ad carcerem adductum, atque in omnium conſpectu hoſtes mirabiliter ſuperantem. Nonne Nazaræus Bachia. ille imago luxurioſi, qui vacans libidini robore ſpoliatur? An non ipſe pœnitentis typus vires recuperat, è beſtiaque myſticè molæ aſinariæ illigata redit in hominem? Voco iam ad quæſtionem, vtrùm ſalutem fuerit fortiſſimus adoleſcens conſecutus? Prorſus ego inter beatos Samſonem annumero. Indicamentum non vulgare exhibeo. Continentiam profitetur coram eiſdem, in quorum conſpectu libidine maculatus fuerat deprehenſus. Ad hanc mentem allicio Bachiarium de rec. lap. fantem. Quid mirum ſi ille, quem *fornicationis haſta percuſſit, in congreſſione hoſtium ſuperauerit? quid ſi victor fuerit?* Nam qui vere transfiguratur illos eligit teſtes conuerſionis, quos ſcandali gladio percuſſerat.

60. *Non ſic Salomonis, & non ita certa.* Celebris voluitur quæſtio, an Salomon inter cœlicolas debeat amandari? Ab affirmatione Cyrillus, Epiphanios, & alij, quorum ſententiæ ſubſcribo, de quo alibi. Nec negabo D. Aug. Auguſt. oppoſitæ opinionis auctoris argumentum difficile infirmandum: *Scriptura* (inquit 22. con. Fauſt. c. 88. Doctor,) *non meminit pœnitentiæ publicæ Salomonis, vt meminit publici peccati, quod, quando vtrumque factum, ſolet non omittere.* Vt videlicet, qui ex delicto fuerant ſcandalo affecti, in pœnitentis conſpectu ad meliorem ſe frugem reciperarent. Hoc igitur dubieratis habet pœnitentia Regis, quod teſtes nun adhibuit.

61. *Mirabile quod nō verè conuerſi fuerint coram teſtibus Galaadita.* Difficilis loci Ieremiæ hinc ſenſus emergit. *Numquid reſina non eſt in Galaad, aut medicus non eſt illic? Quare non aſcendit ſanitas filiæ populi mei?* Cap. 8. Meritò perfunditur Propheta admiratione, quod non ciuitas ægra fuerit donata ſanitate. Bachiarium audite: *Galaad interpretatur aceruus teſtis. Reſina quid eſt niſi continentia virtus quæ diſſoluta coniungit, & ſciſſa conglutinat.* Totus myſticus ſic colligit Doctor. Ierem. Bachi. Quonam modo ſanitas non aſcendit, redit valetudo, ſi adeſt continentiæ virtus poſt carnis voluptates, & ipſa ciuitas Galaad in teſtem delinquentibus adhibetur? Ac ſi difficile prorſus propheta iudicaret, quod æger pœnitens coram eis, qui illum viderant luxurie maculatum non conualeſceret.

## OBSERVATIO VII.

Ad illa verba:

*Ante eos.*

### A Diſcipulorum cœtu abſtractus IESVS non omnino ſolitarius, ſed coram tribus transfiguratur.

*Quia Prælatus vel ad ſpiritualia exercitamenta eleuandus debet ſuæ innocentiæ teſtes adducere.*

62. Salm. NOSTER Alfonſus Salmeron ad illa verba: *Transfiguratus eſt ante eos*, hoc elicit documentum. *Diſcant Diſcipuli Chriſti, vt teſtes ſemper habeant ſuæ innocentiæ, ne quid ſiniſtrum de Paſtore ſolitario, & per habitum transfigurato cogitetur. Sed ſi Epiſcopus orat, vel ſacrificium peragit, vel diuinis literis vacat habeat penes ſe non quidem omnes, vel ſaltem paucos aliquos.*

63. *Iacob ſubditus ſolus graditur. Prælatus comitatus incedit.* Solus in baculo è Patria Iacob diſceſſerat, cum autem remeat in eandem, minimè ſolitarius incedit, ipſo profitente: *In baculo meo tranſiui Iordanem iſtum, & ecce cum duobus turmis regredior.* Geneſ. 32. Id quod Rupertus ad myſticum ſenſum adducens, aſſerit Iacobum euntem ſubditum, redeuntem autem Prælatum adumbrare. Subditus ſolitarius gradiatur, haud ſemper obſeruatores eum inſequuntur. At Prælatus debet comitatus incedere, quia numquam non ſubditi obſeruant eorum actiones, vbi ex ſemotione à collegio quidnam non ſemel iniuſtitiæ meditantur. Vnde Iacob ex ore Ruperti: *Eccleſia* (ait) *Dei præpoſitus duas turmas ſuſcepi*, vt vel in Patriam tendens rectorum greſſuum teſtes adhiberem.

64. *Moyſes tendens ad mõtem teſtem adducit.* Exod. 19. Rupert. Moyſes ad Sinai cacumina eleuandus ſubditos ſecum conabatur adducere, ſi quidem à Domino audiuit: *Conteſtare populum, ne velit tranſcendere terminos ad videndum Dominum.* Cui Moyſes: *Non poterit vulgus aſcendere in montem, tu enim dixiſti, Pone terminos.* Rupertum audite: *Hoc in exemplum illorum qui populo Dei præficiendi erant quibus supernorum contemplationi arctius inhærere cupientibus cura ſubditorum impedimento fit.* Iam Moyſis ſententia reſeratur. Ad montem contendere cupio, vti ſpiritualibus vacem exercitamentis, remanente ad montis radicem populo, Sacerdotibus me minimè comitantibus, quonam modo ſine vulgari murmure ſeiungar? Occurrit Deus: *Vade deſcende, aſcendenſque tu, & Aaron tecum, Sacerdote autem, & populus ne tranſeant terminos.* Approbo te vel ad perfectionis verticem abſtractum tuæ innocentiæ teſtes adhibere.

65. *Hoc ſapientiſſimus Salomon expetebat.* Principum ſapientiſſimus Salomon ſic Dominum deprecatur: *Da mihi ſapientiam, & intelligentiam vt ingrediar, & egrediar coram populo tuo.* 2. Paral. 1. *Non aurum,* (Strabus ait) *non diuitias, non terrenam gloriam à Deo petit, ſed vt ſciat populum Dei regere, & iudicare.* Senſus hic literalis. Ad ſpiritum autem retorquendo, petit Rex vti ſemper egreſſus eius ad publica, ingreſſus ad ſecreta contemplationis ſuis ſubditis manifeſti ſint. Sic autem Strabus: *Hoc eligere debent Rectores animarum, vt ingreſſum ad fidem*, ſiue ad fidei myſteria animo euoluenda, *& egreſſum ad gubernationem populo demonſtrent.* Sciebat Rex ſapientiſſimus ſingulares abſtractiones Prælati menti ſubditorum ſuſpiciones ingerere. 2. Para. 1. Strab.

66. *Euntibus animantibus ſequuntur & rota.* Ezech. 1. Galfrid. Quatuor profectò Ezechielis animantia ſunt Prælati Galfrido. Illa ſententia ponderanda eſt. *Euntibus animalibus, ibant ſimul & rota eorum.* Ezech. 1. An non ſæpè Dei gloriæ, quæ curru huiuſmodi ſignatur conſonum prælatos ire? Ita planè. Cum igitur ab vrbe diſcedunt, à ſubdito grege ſeparantur, currant & rotæ: aliquis ſubditorum teſtis curſus adhæreat. *Licet loqui & prædicare Prælatis incumbat, ire tamen eſt neceſſarium. Eundum eſt tamen Prælatis cum ſubditis.* Hæc Galfridus, murmurationes inhibens ſubditorum.

67. *Actiones Præſulū poſſunt vix obnubilari.* Claud. Fugiet, inquis, ſubditorum abſtractio mea cognitionem. Certè Prælato in vertice conſtituto vix poteſt quælibet actio ſubditis non manifeſtari. Pulchrè Claudianus l. 1.

*Hoc te præterea crebro ſermone monebo,*
*Vt te totius medio telluris in orbe*
*Viuere cognoſcas, cunctis tua gentibus eſſe*
*Facta palam, nec poſſe dari regalibus vnquam*
*Secretum vitiis. Nam lux altiſſima fati*
*Occultum nihil eſſe ſinit.*

Subditorum aliquando poterunt actiones abſcondi, quia fugiunt ad latebras; Præſulis in vertice collocati facinus minimè, quia fati, ſeu fortunæ celſioris lux id non permittit obnubilari.

SECTIO TERTIA.

# Transfigurati Ieſu habitus.

## *TEXTVS.*

*Verſ. 2.* Reſplenduit facies eius ſicut Sol, veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix.

## *COMMENTARIVS LITERALIS.*

### § I.

### *Faciei Dominicæ ſplendor.*

1. *Num facies ſola ſplenduerit? Abulenſ.*

ET *reſplenduit facies eius ſicut Sol.*] Num ſola facies Domini ſplenduerit? Abulenſ. q. 47. ſolam faciem, corpus minimè reſplenduiſſe affirmat fatus: *Non erat neceſſarium ſplenduiſſe corpus, quia à Diſcipulis illius fulgor non cernebatur, propter quos tranſfiguratio fiebat.* Fauet Matthæus, dum ſolius meminit faciei, & Lucas ſcribens: *Facta eſt ſpecies vultus eius altera*, ex Græco, *forma vel ſpecies.*

2. *Auctoris mens. Ephrem. Hieron. Auctor de mirab.*

Exiſtimo tamen totum corpus ſplendore coruſcum apparuiſſe. Sequor D. Ephrem ſantem: *Facta ſunt veſtimenta eius alba. Oſtendit Euangeliſta, quod ex toto eius corpore tota gloria ſcaturit, & ex tota eius carne reſplenduit eius facies, & ex totis eius membris reſplenduerunt radij.* D. Hieron, Epiſt. 61. *Caro* (inquit) *illuminata per veſtimenta radiabat.* Conſentiunt Caiet. & Auct. de mirab. ſac. Script. l. 3. c. 10. Rationem ſi requiras, ea eſt in promptu, Chriſtum docuiſſe perfectè nos tranſfigurati, & quænam tranſfigurationis perfectio, ſi ſola facies radios emitteret?

3. *Argumentis fit ſatis.*

Abulenſis ratio parum habet roboris, quamuis enim Diſcipuli interna non aſpicerent membra veſtimentis vtique contecta, transfigurata tamen eſſe ex externo colligebant ſplendore. Argumenta ex Euangeliſtis facile ſoluuntur. Faciei namque ſolius gerunt memoriam, quia illa præcipuè Diſcipulis apparebat, veſtimentis corpore obuelato.

4. *Nũ miraculoſus fulgor? D. Thom.*

Quæris vlterius, an huiuſmodi corporis Dominici ſplendor fuerit miraculoſus? Affirmatiuè D. Thom. reſpondet 3. p. q. 45. art. 2. *Ad corpus* (inquit) *glorificatum redundat claritas ab anima, ſicut qualitas quædam permanens corpus afficiens. Vnde fulgere corporaliter non eſt miraculoſum in corpore glorioſo. Sed ad corpus Chriſti in Transfiguratione deriuata eſt claritas à Diuinitate & anima non per modum qualitatis immanentis, & afficientis ipſum corpus, ſed magis per modum paſſionis tranſeuntis, immanentis, ſicut cum aer illuminatur à Sole. Vnde ille fulgor miraculoſus fuit.* Hinc duo colligenda. Vnum, miraculum extitiſſe corpus Dominicum non fulgere, pertinens vtique ad illud miraculum in Incarnatione effectum, & poſtmodum perſeuerans, quo Chriſtus gloriam animæ abſque corporis gloria habere voluit. Alterum miraculum fuiſſe in Transfiguratione per modum paſſionis tranſeuntis emicuiſſe. At ſi perpetuis, ac permanentibus dotibus corpus fuiſſet donatum, miraculum minimè fuiſſet; id etenim animæ beatiſſimæ gloria ex lege ordinaria poſtulabat.



5. *An dos eſſet Claritatis? D. Thom. cit.*

Requiris denique, num Chriſti corpus in Transfiguratione fuerit dote impaſſibilitatis, agilitatis, ac ſubtilitatis affectum? Reſpondeo ob ſolum fulgorem dici transfiguratum, vti docet D. Thom. Claritas autem illa eſtne dos nominanda? Minimè, dos enim (ex eodem Doct.) perpetua proculdubio eſt, & non per modum tranſeuntis attingens. Erat igitur Chriſti corpus in Transfiguratione mortale, & paſſibile. Nec enim voluit exiguum temporis interuallum decurriſſe, quo eius corpus pro hominibus pati non valeret.

### §. II.

### *Claritas hæc dos gloriæ non erat.*

### Quia gloriæ cœleſtis fulgor numquam intermoritur.

6. *Fons æterni luminis lucis dos. Boëtius.*

DIui Thomæ ſententiam affirmantis claritatem Dominici corporis in Transfiguratione dotem gloriæ non eſſe, quia per modum tranſeuntis ex anima diffluebat ad membra, paucis illuſtro.

Damaſcenus lucis cœleſtis dotem fontem perennem luminis appellauit. Conſonans Boëtius cecinit:

*Felix qui potuit boni*
*Fontem viſere lucidum.*

Neque enim claritas illa cœleſtis dos appoſitè vocaretur, ſi fontis in morem non ſemper efflueret. Sed & Gentilis Seneca ſic de cœleſti luce ad Lucillum. *Imaginare tecum, quantus ſit ille fulgor, tot ſyderibus* (ſcilicet beatis) *inter ſe lumen immiſcentibus, nulla ſerenum vmbra turbabit,*

*bauit, aqualiter ſplendebit omne cœli latus.* Solon pulchrè (Valerio auctore) neminem, dum viueret, beatum dici debere arbitrabatur, quod ad vltimum vſque fati diem ancipiti luci ſubditi eſſemus. Neque enim anceps fulgor, qui interrmoritur, poteſtquem beatum conſtituere, vnde Petrum inclamantem: *Bonum eſt nos hic eſſe*, Euangeliſta incuſat: *Neſciens quid diceret.*

7. *Dominus dies bona.* Pſalm. 33. Bernard.

Hinc cecinit Propheta: *Quis eſt homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos.* Pſalm. 33. Et quinam hue dies boni promittuntur? Profectò dies illi ſolummodo boni appellandi, qui noctis tenebris non interpellantur. Apud cœlicolas itaque dies boni, lux interminabilis reperitur. D. Bernard. Pſalm. Qui habitat. *Ibi dies boni vbi interminabilis longitudo dierum*, quod quidem in ſola Patria contingit, vbi gloriæ lumine interminabili, in quo lumen vident, ſancti condecorantur.

8. *Septima eſt ſine tenebris dies.* Geneſ. 2. Iunil.

Rerum conditor poſt opera ſex dierum excitata, *benedixit diei ſeptimo* Gen 2. Dies hic lux inextinguibilis beatorum, quæ quidem aptè ſine veſpere dicitur cum reliqui facti fuerint *veſpere & mane dies effecti.* Vnde Iunilius ait, *Bene* dies ſeptimus veſperam habuiſſe non ſcribitur, quia nimirum perpetuam noſtram in illo lucem deſignat.

9. *Ideo inibi porta non clauduntur.* 2. Eſd. 7. Apoc. 21. Strab.

Eſdras inclamat: *Non aperiantur porta.* 2. cap. 7. Ioannes aſſirmat: *Porta eius non clauduntur.* Apoc. 21. Et cur portæ Ieroſolymæ à Propheta claudi iubentur, quæ ab Apoſtolo non recludendæ innuuntur? Quia hîc Ieroſolyma inter tenebras commoratur, queis latro indutus poteſt clauſtra irrumpere. At apud ſuperos eadem Ciuitas bene clauſa, quia luce perenni beati fulgentes, non eſt quod furem ab ingreſſu prohibeat. Strabus ad hæc: *Non aperiuntur porta tempore noctis, ne in tenebris hoſtis irrumpat. Clareſcente autem luce beatitudinis, iam non erit opus clauſtris, quia nec aduerſarius dabitur vltra facultas impugnandi, porta non claudentur, quia nox non erit illis.* Ecce lucis gloriæ dos non tranſeuntet, ſed interminabili inhæret amplexu.

## §. III.

### *Veſtimentorum immutatio.*

*Veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix.* ] Græcè, *Sicut lux*, quia non ſolum candida, ſed nimis fulgida veſtimenta. Marcus: *Veſtimenta eius facta ſunt ſplendida & candida nimis veluti nix.* Lucas, *Veſtitus eius albus, & refulgens.* 10. *Varia lectio.*

11. *Vndenam ſplendor candorque veſtimentis?*

Vndenam autem Dominici candor ſplendidus veſtimenti? Affirmat Caietanus ex ſplendore corporis veſtium candorem emanaſſe. *Vt ſplendorem* (ait) *non ſpritualem, ſed corporeum intelligamus candor veſtimentorum ex ſplendore corporis conſurgens teſtatur.* Negat id Abulenſis, *quia lux non poteſt per opacum corpus tranſire, ergo lux corporis Chriſti non poterat opacas Chriſti veſtes omninò penetare.* Prætcrea argumentor ſic. Chriſti veſtimenta ſummum candorem, ac ſplendorem vidimus oſtentaſſe. Quis autem conceſſerit candorem ex ſplendore exortum habuiſſe, ſi ſplendor non candorem, ſed ſplendorem parit, qualitaſque eſt ab ſplendore diuerſa? Cenſeo igitur tam ſplendorem, quàm candorem per miraculum tunc eſſe Chriſti indumentis immiſſum.

12. *Fuitne immutatus color?*

Fuitne Dominici immutatus color veſtimenti? Reſpondeo incertum eſſe, cuiuſnam fuerint Chriſti veſtimenta coloris. Candida erant, vti edocet Abulenſis? Haud eſt eorum color immutatus, ſed ad perfectiſſimum candorem eductus. Alterius coloris extitere? Color ille veſtes transfigurationis tempore deſeruit, niueus, fulgiduſque color occupauit.

13. *Cur alba veſtimenta.*

Et quare ſunt albedine veſtes condecoratæ? Quia hunc colorem lætis rebus conſtat deſeruire. Angeli lætiſſimæ Reſurrectionis præcones apparent candidati. Marcus: *Viderunt iuuenem ſedentem opertum ſtolâ candidâ.* Cap. 16. Ioannes, *Vidit duos Angelos in albis* ſedentes cap. 20. Beati Patriæ lætificanti flumine immerſi candida ornantur ſtola. *Vidi* (Ioannes ait) *turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat &c. amicti ſtolis albis.* Apoc. 7.

# IN IESVM TRANSFIGVRATVM.

## Panegyricus tertius Moralis circa Literam.

### EX TRANSFIGVRATI HABITV.

### *OBSERVATIO I.*

Ad illa verba:

*Reſplenduit facies eius ſicut Sol.*

Non ſola facies Ieſu, ſed totum corpus ſplendore coruſcat.

*Ut edoceat perfectam pœnitentium transformationem.*

14. Damaſc. VIDIMVS non ſolam faciem Ieſu refulſiſſe, ſed totum corpus fontem extitiſſe luminis, dicente Damaſceno, Orat. de Tranſ. *Nunc viſa ſunt, quæ hominum oculis cerni non poterant, nimirum totum corpus terrenum Diuinum ſplendorem emittens mortale corpus Diuitatis gloriam, fontis inſtar fundens.* Neque enim ſpiritualiter transfigurati ſiue pœnitentis ſola facies debet rutilare, omnimoda immutatio debet perfectam arguere conuerſionem.

15. *Non verò cõuertitur qui facie ac indumento fulgido membra habet obtenebrata.* Inclamat Ioël: *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, & ſcindite corda veſtra & non veſtimenta.* Cap. 2. Totum hic cor interiorem ſignificat hominem, ac ſi diceret, vobis interna ſit curæ conuerſio, ne facie externa rutilante, indumentoque refulgente, interna tenebris obruantur. Eleganter D. Bernardus Serm. 2. in Cant. *Forma* (inquit) *conuerſionis eſt iſta: Homo pergens in ea quæ foris ſunt, & ignarus interiorum, ſe ſeducit, exteriorem quippe faciem intuens, ſalua ſibi omnia ſuſpicatur. Attende ſolerter vnde gaudeas, & ſub habitu religionis animum ſecularem, ſub pannis conuerſionis inuenies cor peruerſum.* Transfiguratio equidem iſta ſolius faciei indumenti ſolius rutilantis eſt, reliquo corpore obtenebrato. Haud ſic in veræ conuerſionis documentum Ieſus, facies rutilat, emicant indumenta, ſed occulta membra luminis fontes efficiuntur.

16. *Mendax qui ſolius faciei emittit radios.* Pſal. 61. Quare Dauid, *Effundite coram illo corda veſtra.* Præcordiorum fulgorem emittite, haud fallaciter ſolius faciei radios oſtentate. *Patefacite* (loquor cum Genebrardo) *& effusè ei explicate corda. Verumtamen* (adiicit Vates) *vani filij hominum, mendaces filij hominum in ſtateris, vt decipiãt ipſi de vanitate in idipſum.* Hieron. aptè ad argumentum: *Vt decipiant in eo quod mentiuntur ſe habere lucis vt occultẽt vanitatem ſuã.* Quam vanum facie ac indumento externa refulgente, interna vanitatis nebula obtenebrari!

17. Veræ transfigurationis effectus deſcribit *Am. de Eſcob.* & *Mendoz.* de Sanct. Tum. I.

*A capite vſque ad pedes pænitens rutilet.* Abacuc fatus: *Percuſſiſti caput de domo impij, denudaſti fundamentũ eius vſque ad collum.* Cap. 3.
Theodotion legit: *Ornaſti fundamentum, &c.*
Abac. 3. Peccator conuertitur, transformatur, tenebroſum caput ab eo adimitur, lucidum Chriſtus ſcilicet apponitur. Ne autem capite refulgente, interna tenebris obruantur, omnia membra à pedibus vſque ad collum mirifico ornantur
Hieron. ſplendore. Sic pulchrè D. Hieronymus. *Qui* prius viuebant iniquitati, mortui peccato, viuunt iuſtitiæ, vt percuſſo diabolo *Chriſtus fiat nobis in caput.* Quam refulgens! *Ornaſti fundamentum eius, vt quod latet appareat, & ſuam recipiat claritatem.* Non ſolum facies transfigurati, inſtar faciei Ieſu, rutilat, ſed occulta omnia emittunt claritatem.

18. *Sic fulget Eccleſia.* Epheſ. 5. Paulus de Eccleſia Chriſti ſponſa: *Vt exhiberet ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam, aut rugam.* Epheſ. 5. Eccleſiæ gloria, ſeu transfiguratio omnino perfecta tota pulchra oſtenditur, ſine ruga tenebras cuſtodiente,
Gregor. dum facies fulgore coruſcat. D. Gregorius 3. Moral. Cap. 4 ad illud: *Rugæ meæ teſtimonium dicunt contra me.* Cap. 16. fatur: *Quid per rugas niſi duplicitas ſignificatur? Has autem rugas in electis ſuis ſancta Eccleſia non habet, quia neſciunt aliud de foris oſtendere & intus aliud habere. Vndè rectè egregius Prædicator dicit, vt exhiberet ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam, aut rugam.*

19. *Iacob veri pænitentis imago.* Iacob olim pulchra facie, corpore nitido, Eſau communem faciem oſtentabat, à collo autem totus erat horridis inquinatus capillis. Vnde Rebecca, vti Iacob fratri aſſimilaretur, pellibus animantium colli nuda adoleſcentis contexit. Annon ſæculum mendax ſub facie pulchra totus horribili reoebra immerſum:
iuſtus autem totus pulcher, totus nitidus
Chryſoſt. oſtentatur? Ita D. Chryſoſtom. Hom. 1. imperf. Iacob & Eſau nati ſunt in figura duorum ſæculorum. *Eſau à collo vſque ad pedes totus piloſus ſæculum primum ſignificat, quod vſque ad finem totum quaſi aſperrimis pilis inquinatum eſt.*

*Iacob autem totus ſpecioſus & nitidus*, in eorum
vtique imaginem, qui vel hic degentes per ef-
Senec. fectum pœnitudinis alterum transformantur
in ſæculum. Hinc Seneca in Thyeſte:

*Quem pœnitet peccaſſe, plenè eſt innocens.*

Non ſola facies rutilans, reliquo corpore in-
quinato, quemadmodum doloſi quos auctore
Catar. Catario, antiqui lamiis comparant, quæ qui-
dem pulcherrimæ facie, ad pectus vſque in
ſquamoſa, fœdaque volumina pergunt.

## OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

### *Reſplenduit facies eius ſicut Sol.*

### Transfiguratus Ieſus, Solis radios emittit.

*Vt doceat verum pœnitentem debere inimicos proſequi dilectione.*

20. Baſil. Sel. DIVVS Baſilius Seleu. affirmat
transfigurati Ieſu documentum
faciei fulgorem extitiſſe: *Trans-
figuratur Chriſtus coram Diſci-
pulis, & mutatur eius forma, dum
fulgoris præ ſe ferentem ſpeciem oſtendit aſpe-
ctum.* Solem referat benigniſſimum, qui verè
transformatur. Neque enim priſtinum inimi-
corum odium decet ex affectu pœnitentiæ
transfiguratos, cum Solem benigniſſimum de-
beant imitari.

21. Intendit Ægypti Prorex dignoſcere vtrùm
*Verè transfigurati fratres* fratres verè de commiſſo olim delicto in alios
*Ioſeph ex be-* transformari pœnituiſſent. Vnde ad conui-
*neficentia* uium vocatis: *Plures appoſuit Beniamino noniſ-
*Solis compe-* ſimo partes, ita vt quinque partibus excederet.*
*riuntur.* Geneſ.43. Cur Beniamino portionem diſpo-
Geneſ.43. ſuit increſcere? Refer, obſecro, ad memo-
riam priſtinæ inuidiæ filiorum Iacob cauſam.
Iacob Ioſepho fratrum tunc nouiſſimo adul-
torum præſtantiora munera conferebat, tunica
eum polymita exornans. Hæc inuidiæ origo.
Quid igitur Ioſeph? Perpendens fratres odio
exarſiſſe propterea quod præſtantiori munere
ipſe à patre donaretur ſpecialis indicamento
dilectionis: nunc minorem natum fratrem,
qui Ioſephi refert ſimilitudinem, Rachelis vtri-
que filium, donis cumulat præſtantioribus,
vt experiatur, num de præterito ſcelere pœ-
nituiſſent. Si fratres mei (inquit) ob cumu-
lata in Beniaminum munera non indignan-
tur, quemadmodum ſi quando à patre potiori
munere afficiebat, proculdubio de priſtino de-
licto verè transfigurati pœnituêre. Lyranum
cogitatio hæc habet authorem. *Voluit* (inquit)
*eum honorare in hoc præ aliis vt videret, ſi per hoc
alij fratres Beniamino ipſi inuiderent, eo quod à pa-
tre plus amaretur.* Vultus imo præcordia fra-
trum Ioſeph benigniſſima Solis natura ſuc-
cenduntur? Verè illi transfigurati ſunt.

Nazaræis verè pœnitentis referentibus ima- 22.
ginem potus olim prohibebatur aceti. Num.6. *Verè pœnitens*
Quare? Vt reſpondeam præmitto Rabanum: *acetum con-*
*Acetum bibunt, qui corruptione veteris nequitiæ* *uertat in*
*delectantur.* Hoc planè inter reliquos liquores *merum.* Num.6.
habet acetum, quod ſemper idem, nec vn- Rab.
quam in vinum, ex quo excidit, reuertatur. Id
quod verè pœnitenti repugnat. In præcor-
diis acetum odij perſeuerat, nec rurſum cha-
ritatis redit ad merum? Quid non Soli repu-
gnet? quid non dedeceat Nazaræum?

Et quonam modo poteſt peccator in verè 23.
pœnitentem transformari, ſi non Solis in mo- *Pœnitens*
rem inimicos amore proſequatur? Inimicis *Iſaacum be-*
Abimelech & Ochozia è Geraris ad Iſaac ac- *nignum erga*
cedentibus vir ſanctiſſimus *fecit conuiuium.* *hoſtes æmu-*
Cuius benignitatis cauſam hoſtes ipſi profi- *latur.* Gen. 26.
tentur clamantes, Vidimus tecum eſſe Domi-
num, *& idcirco nos diximus: ineamus fœdus, vt
non facias nobis quidquam mali.* Geneſ.26. Et vn-
denam illi dignouerunt, apud Iſaac Domi-
num commorari? Exiſtimo ex operibus. At
Interpres non infimæ notæ ex vultus ſplen-
dore id collegiſſe exiſtimat. Iſaac ſolis æmu-
lator quaſi debebat inimicos proſequi dilectio-
ne, eoſque muneribus cumulare. Profectò
Chryſoſtomus Iſaac exemplo pœnitentes ini- Chryſoſt.
micorum edocet dilectionem, nec enim pote-
runt verè in alios transformari, niſi Solis Iſaac
in morem inimicos amore proſequantur. *Qua*
(inquit) *nos venia digni erimus, qui ad iuſti huius
menſuram peruenire non valeamus, nec prope
aſtare poſſumus? Diligere ſtudeamus inimicos.
Sic enim veniam peccatorum noſtrorum inuenire
poterimus.* Nec enim poteſt per pœnitudinem
transfigurati, qui Solis ſuper bonos & malos
exorientis benignitatem non æmulatus fuerit.

*Si pignus* (lex inquit) *à proximo tuo acceperis* 24.
*veſtimentum, ante Solis occaſum reddes ei.* Exod. *Antequam*
22. Vbi D.Gregor. *Frater noſter debitor efficitur,* *Sol occidat,*
*cum in nos aliquid deliquiſſe monſtratur.* Pignus *debitori pi-*
igitur debitoris, quem accipio, nihil aliud, *gnus redde.* Exod. 22.
quàm me ſeu iuſtè, ſeu iuſtè poſſe vindictę ope- Gregor.
ram dare. Pondero iam verba illa: *Ante Solis
occaſum redde ei.* quæ Greg. 16. Moral. cap. 2.
contemplatur pœnitentem verè Chriſtum iu-
ſtitiæ Solem induere. Pœnitens ergo, qui
transformatus Solem induiſti, ante occaſum
Solis, id eſt, priuſquam te adhuc aduerſum ini-
micos rigidum Sol deſerat, redde proximo de-
biti pignus Solis conditionem implens, cauſam
depone vindicandi. *Quod nimirum pignus* (ait)
*ante Solis occaſum reddere iubemur, quia priuſ-
quam in nobis Sol iuſtitiæ per dolorem cordis ful-
gens, occidat, debemus inimico veniam reddere,*
dum ſcilicet vindictæ cauſam omnino dimit-
timus.

## OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

### *Et veſtimenta eius facta ſunt alba ſicut nix.*

Trans

## Tranſfiguratus IESVS niuea oſtentat indumenta.

*Vt edoceat externas veſtes internam transformationem, ſeu conuerſionem manifeſtare.*

25. Baſil. ANSAM præbet D. Baſilius Seleu. adnotationi fatus: *Transfiguratur Chriſtus cum lucis induiſſet tunicam.* Ac ſi ſplendor, ſiue candor iodumenti, veſtium immutatio teſtis totius corporis transformationis exiſteret. Certè veſtimenti modeſtia non dubium, quin internam ſpiritus conuerſionem arguat, præcipuè cum ante conuerſionem immoderatio circa veſtes fuit internæ libidinis index.

26. *Idem eſt veſtes mutari, ac ſpiritum pænitere.* Mulier alienigena in vxorem ab Hebræo recipienda, lege iubente, mutatur in aliam. *Radet cæſariem, & circumcidet vngues, & deponet veſtem, in qua capta eſt.* Deut. 21. Vbi ad rem Lyranus: *Per hanc mulierem ſignificatur peccatrix anima. Hanc amat Chriſtus, & vult ſponſam habere per fidem formatam charitate; ſed oportet, vt deponat veſtes in quibus capta eſt, id eſt vitia & peccata.* En cur peccatorum ablationis in veſte aſſoler fidus equidem internæ mutationis index exiſtere.

27. *Idem eſt aquilam de nouo indui, ac in iuuentutem mutari.* Pſalm. 102. Ambr. Egregiè confirmans Dauid cecinit, *Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.* Pſalm. 102. Ad quem locum D. Ambroſ. ſerm. 54. fatur, *Intelligens per gratiam occidua vita noſtra poſſe reuiniſcere, & iuuentute quadam renouari poſſe id, quod in nobis fuerat delictorum voluptate collapſum.* En hominis per conuerſionem vitæ transfiguratio. Et quodnam huiuſcemodi transformationis indicamentum? Adiicit Doctor, *Senectutem aquilæ ſentiunt pluma. De nouo ſe veſtit, & pullulantibus pennis vetuſta mater iterum renouatur in pullum.* Quia idem eſt quodammodo vetuſto indumento vti, ac vetuſto corpore pergrauari. Vnde innouatio veſtiom efficaciter internam arguit è vetuſtate vitæ in nouitatem conuerſionem. *Pullus enim tunc comparanda eſt, quando radiantibus plumis neceſſe eſt illi rurſum meditari volatum.* Quam verè ex veſtium candore ſeu modeſtia ſpiritus nouum ad ſuperna volatum meditamur!

28. *Nunquam non vita mutatio deſcendit ad veſtes.* Gen. 3. Delinquentes homines illicò ad folia ficus accurrunt, vti ſibi parent veſtimenta. *Conſuerunt folia ficus.* At rurſum transfigurati (opinor enim mox poſt Dei prolatam ſenteotiam, *Maledicta terra, &c. Puluis es, &c. In dolore paries, &c.* de peccato pœnituiſſe iuxta plurium ſententiam) conuerſionem cordis faciunt ad veſtes emanare. *Fecit* namque Dominus Deus *Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas.* Geneſ. 3. Chald. *Veſtimenta honoris ſuper cutem carnis ſuæ, & induit eos.* Viridis ac frondoſa veſtis eximitur, aſpera, honoris gratia, datur transformatis. Annon dedecus pœnitenti animi luctus indumentorum profanitate proſequi? Nunquam non mutationi vitæ ornatus corporis accommodantur. Tertullianum l. de reſur. car. audite. Tertull. *Famulum tuum libertate muneris,* (id eſt, tuus famulus ex mancipio mutatur in liberum) *& veſtis albæ nitore.* Modeſtia namque veſtimenti ſequitur vitæ mutationem. Date mihi quod quis mente, corde, ſeruitute ablegata, transformetur in principem, mox profanis exuitur, vulgaribus vtitur veſtimentis. Ab Antiocho de Antipatro dictum legimus: *Antipater albis, vulgaribuſque veſtibus extrinſecus? Intrinſecus igitur planè purpureus.* Ac ſi diceret, ex veſtium mutatione documentom præſtat, ſe mutatum in principem, mutatio enim cordis mox ornatus externi properat ad modeſtiam.

29. *Pænitentes Niniuita conſequenter mutant veſtimenta.* Ioan. 3. Strab. Poſtquam Ionas Niniuitarum prædixit ſubuerſionem, ſine interprete Hieronymo, conuerſionem, *viri crediderunt, & prædicauerunt ieiunium, & veſtiti ſunt ſaccis à maiori vſque ad minorem.* Ioan. 3. Vbi quæritur, quare prædicantibus viris ſolummodo ieiunium, cuncti Niniuitæ ſe ſe ſaccis operiunt? Profectò ex Strabo idem eſt ieiunium prædicare, ac pœnitentiam indicere. Vnde conuerſa ciuitas, in alteramque transformata, conſeqoenter feſtinauit ad ſaccum, quia ſæpè idem eſt quem conuerti, ac veſtimentorum modeſtia extrinſeca proferre cordis immutationem. Eleganter Strabus: *Pulcher ordo, Propheta prædicat, viri credunt, omnis ætas induitur ſacco. Viri non ſaccum, ſed ieiunium* ſiue pœnitentiam *prædicant, tamen illi, quibus pœnitentia præcipitur,* conſequenter *ſaccum addunt.* Vt videlicet (vti adiicit ille) *oculis hominum* internæ conuerſioois indicium exhiberent. O vir ad meliorem frugem poſt voluptatum, ſeu vanitatis illectamenta transformate, quid tibi cum ſplendido veſtimento? O fœmina Magdalenæ pœnitentis gerens morem, quid adhuc capillorum curę vacas, externo ornatui arti Cupidinis diligentiam impendis?

# OBSERVATIO IV.

Ad illa verba:

## *Et reſplenduit facies eius ſicut Sol.*

## Chriſtus ſicut Sol fulgens Diſcipulis ſicut Sol rutilantibus apparet.

*Quia Princeps iuxta capacitatem ſubditi, ei munera debet exhibere.*

30. Chryſoſt. CHRYSOSTOMVS inquit, *Si facies Domini reſplenduit ſicut Sol, & Sancti ſicut Sol fulgebunt, numquid erit æqualis claritas Domini & ſeruorum? Nequaquam.* Certè ſi claritas Sanctorum ſtellarom fulgori aſſimilaretur, appoſitè Chriſti ſplendor ſolaris appareret. At non rectè Dominicus fulgor exprimitur, dum ingens à ſeruis excellentia non adnotatur, ne diſcipulus æqualis Magiſtro videatur. Profectò licet Chriſtus mirum in modum Solis ſuperat radios, oon celſiori cœleſtis Patriæ fulgore coruſcat, ſed Solis tantillum, ſi cum illo

comparetur, ſplendorem imitatur, qui à Diſcipulis oſtendebatur, qui quidem Soli aſſolent comparari, *Fulgebunt iuſti quaſi Sol.* Quam adnatum Prælato Magiſtro quantumuis præcelſo ſe ſe ſubditorum, diſcipulorum exilitati accommodare.

31. *Diuerſas habet Ieſus formas vt iuxta captum hominum oſtẽ-tet.* Math. 17. Origen.

Id quod oſtendit Euangeliſta, dum ait: *Transfiguratus eſt ante eos, & reſplenduit facies eius ſicut Sol.* Quaſi diceret; quia ante eos, qui Soli comparantur, transfiguratur, non eleuationem tunc quàm Solis obiicit ſplendorem. Ad hunc ſenſum allicio ſantem Origenem: *Diuerſas habet Verbum Dei formas, apparens vnicuique ſecundum quod videnti expedire cognouerit, & nemini iuxta id quod capit ſemetipſum oſtendit. Vnde non dixit ſimpliciter, Transfiguratus eſt, ſed coram eis.* Diſcant Principes non adeò miniſtros beneficiis cumulare, vt illorum capacitatem præterire videantur. Munera illis commiſſa poteſtati eorum menſurare debent, ne deficientes, ridiculosè cadant.

32. *Planetas Epiſcopus ſe oſtẽtat Planetã.* Apoc. 1.

En Ieſus rurſum Eccleſiaſticis ſicut Sol inter ſtellas fulgentiſſimas dynaſtis apparet. Vidi (ait Ioannes) *ſimilem filio hominis, &c. Et facies eius ſicut Sol.* Apoc. 1. Profectò Chriſtus tunc *ſeptem ſtellas in dextera* geſtabat Ioachimus Abbas ſeptem ſtellis totidem ait deſignari Planetas. *Sancti* (authore Lyrano) *dicũtur Planetæ, Sol, Luna, &c. quia debent Eccleſiam illuminare vita. Chriſtus Planeta eſt, Sol eſt. Nam eſt lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Iam voco ad quæſtionem, ſi ſancti Planetarum, Solis ſcilicet fulgore condecorantur, cur Chriſtus non celſiori radiorum emicat apparatu, ſed Planetæ radios minimè ſuperans oſtentatur? Quia coram eis, qui Planetæ referebant imaginem, emicans, comprimit increati luminis abyſſum, Planetæque morem gerens ſe ſe Diſcipulorum, ſubditorum, captui diffundit.

33. *Sub menſura munera aſponit.* Luc. 11. Beda.

Veritas ipſa loquatur. *Nemo accendit lucernam, nec ponit eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum.* Luc. 11. Vbi Interl. affirmat illa particula *Nemo* Chriſtum deſignari, qui humilitatis ſtudioſus ſe vermem, imo neminem reputauit. Illud autem *ſuper* ad ipſum modium refert, quaſi modius lucernæ candelabrum ſit, vbi menſurabile lumen exhibeatur. Senſus igitur loci eſt. Chriſtus accendit lucernam ſiue *humana natura* claritate ſua *teſtam impleuit*, Beda interprete. Attamen lucis copiam ponit *ſub modio*, id eſt, cum ſanctum aliquem fulgore donat, cumulat muneribus, menſuræ ſubiicit, captui hominis accommodat. Ne ſcilicet cum ad candelabrum ſiue ad muneris exercitium lumen proferatur, potius tenebris obruat Eccleſiam, quam compleat fulgore.

34. *Munera captui recipientium accommodat.* Luc. 15.

Quid ô Princeps, miniſtrum ſuprà id quod capit, munera largiris? exhibes poteſtatem? Veſtimenta præbes? Corpori humano accommoda. Diuitiarum annulum gemmis coruſcantem promittis? Paruulo digito annecte homuncionis equidem, non gigantis. Miniſteriorum porrigis calceamenta? Breui pedi commenſurari cura. Bonus munerum elargitor Pater ille apud Lucam oſtenditur. *Dixit ad ſeruos: Proferte ſtolam primam, & induite illum, date annulum in manu eius, date calceamenta in pedibus eius.* Luc. 15. Qui mercenarij adhuc, ſeu miniſtri gauiſus eſt miniſterio, ad dignitatis celſum eleuetur faſtigium. Principe propitio, & honorare cupiente, *Proferte ſtolam*, vt rogatus fulgeat, ſed *induite illum*, ne veſtimentum corporis menſuram excedat. *Date annulum*, auro, gemmis ornetur; ſed *in manu eius*, ne ſupra captum diues effectus ſupremum iam faſtigium conetur ambire. *Date calceamenta*, officia, munera exerceat; ſed *in pedibus eius*, ne pedes lutei pondere ferreos requirente greſſus retardentur.

Radios itaque Princeps retrahat, non totius luminis, quod habet, vt ſe ſe ſubdito diffundat; quia difficillimum eſt, ſubditum maieſtatis caprum æquare. Petiit aliquando Heliſæus dopliici Heliæ Magiſtri ſpiritu donari. *Obſecro, vt fiat in me duplex ſpiritus tuus.* Cui Helias: *Rem difficilem poſtulaſti.* 4. Reg. 2. Ad quem locum Hugo Card. *Spiritum* (inquit) *duplicem habuit Helias, ſcilicet ad prophetiam, & ad miracula. Ad eadem duo fuit in Heliſeo, & ita non petiit Diſcipulus eſſe ſuper Magiſtrum.* Si non ſuperiori, ſed eodem Magiſtri ſpiritu donari petiit, cur ſubiicit Helias, *Rem difficilem poſtulaſti?* Quia conari ſubditum ad eadem, quæ Prælatus, quæ Princeps, eſſe capacem, res eſt maximis difficultatibus obnoxia. Haud ſubditus tam capax honoris, quàm Princeps, non eadem ſpecioſa munera indifferenter ab omnibus ſuſcipienda. Fateor ad diſcurſum hunc me accinxiſſe, vt Menandri pulchræ ſententiæ locum præpararem. Menan.

35. *Difficile ſubditus ita honoris capax ac Princeps.* 4. Reg. 2. Hugo.

*Princeps Apollo profert lucem*
*Rerum menſuratam captui,*
*Magnam Lunæ, paruam ſtellis,*
*Luto nunquam, ſemper adamanti.*

## OBSERVATIO V.

Ad illa verba:

### *Reſplenduit facies eius ſicut Sol.*

### Sol hodie conſiſtens in obedientis ſimulacrum IESVM aſpectat.

*Quia obediens Deum aſpicit imperantem.*

BASILIVS Seleuc. obedientem Solem, & ad imperium Ieſu Naue olim, & ad præceptum Ieſu Nazareni hodie affirmat conſtitiſſe. *Conſtitiſti* (ait) *Sol aliquando victoriam expectans Hebraicam, reueritus es Ieſum ducem, qui imperauerat in conſeruo, honorans Domini appellationem, nunc vidiſti lucem.* Præcipiebat in conſeruo Ieſus? Cognouiſti planè Dominum, cuius appellationem reueritus es. Ipſe nunc imperat? ad eius præceptum myſticè deſcendis ad terras? Vidiſti profectò illum, cui obedientiæ præſtabas obſequiom. Et quando non ſpirituali intuitu verus obediens Deum non reſpicit imperantem? 37. Baſil.

Deus

37. *Obediens Abraham videt imperantem.* Gen. 22. Procop.

Deus obedienti Abrahæ præceperat, *Vade in terram viſionis.* Geneſ. 22. Et cur viſionis terra vocitatur? Quia immolaturus fidelis parens Iſaacum, *leuauit oculos, viditque poſt tergum arietem inter vepres.* Vbi Procop. *Et in ariete Chriſti Domini paſſionem præcognouit.* Vndenam, quæſo, hæc tam antelucana cognitio? Quia vix poterat viſio Dei præcipientis ab obedientis mente, imo quodammodo oculis ſeparari. Vnde de more Deum videntis exultat, dicente Imperatore, *Abraham exultauit, vt videret diem meum, vidit, & gauiſus eſt.* Ioan. 8.

38. *Abraham ex viſo Dei velocior ad obediendū exurgit.* Gen. 22. Lipom.

Adiicit Textus: *Igitur Abraham de nocte conſurgens, ſtrauit, &c.* Gen. 22. Ponderat Lipomanus Patriarchæ obedientis promptitudinem. *Sine mora Deo credens ad obedientiam promptus accingitur, non dubitat de verbo Domini, non cauſam quærit diuini præcepti, non allegat naturæ legem contrariam, non rogat pro filio, non plangit necem vnici, non murmurat, non refert Saræ, non tardat.* Iam requiro, vndenam tantas obediens Abraham perficit victorias? Quia Dominum videbat imperantem. Vnde pulchrè concludit, *Contra ſpem in ſpem credit, videns ex reſuſcitato à mortuis ſemen promiſſum.* Obediens enim Dominum videt imperium proferentem, vt obedientis ipſius præſtet alas executione.

39. *Oculatiſſimus obediens.* Gen. 22. Ambroſ. Chryſoſt.

Profectò Abraham *die tertio eleuatis oculis vidit locum procul.* Geneſ. 22. Eleganter D. Ambroſius, *Sollicitè explorat, qui properat implere. Solet hebeſcere viſus ſenum, vt etiam propinqua non facile conſpiciat, hic non ſolum vidit locum, ſed etiam longè poſitum aſpexit.* Nec mirum obedientis viſus acuatur, vt videat *locum procul*, ſi obediens ad ipſum Dominum cœlo commorantem protendit obtutum. Quando Patriarcha ſe ſe ſtricto gladio vulneri infligendo accinxit, *vocauit Angelus de cœlo, dixitque: Abraham, Abraham:* ibid. Cur de cœlo? Chryſoſt. *Quia videbat iuſtum paratum ad immolationem, & volentem implere mandatum, idcircò vocat eum de cœlo.* Nam qui mandatum implet, non poteſt non ſimul Deum quodammodo videre apud cœlicolas commorari.

40. *Obediens viſionem Dei accipit in Sponſam.* Gen. 28. Gregor.

Pergit Iacob, vt vxorem ſibi chariſſimam Rachelem aſſociaret, euigilans autem poſt ſomnium clamat, *Verè Dominus eſt in loco iſto.* Geneſ. 28. Contemplatur D. Gregorius in 1. Regum 1. in Iacobo patris exequente mandatum virum obedientem, qui progrediens Sponſæ, ſiue cœleſti viſioni adhæreſcit, nec opus, vlterius progredi, ſi iam ſpirituali coniugio fruitur. *Vt* (inquit) *qua ad coniugem pergitur, intentio deuota obedientia eſt. Iacob itaque dormit in via cum ſubditus fidelis per laborem obedientiæ ad quietem ſuſcipitur internæ viſionis.* Proh oculatam obedientiam! ſi illud ipſum ad præceptum proficiſci ad Sponſam requirendam, iam eſt optato complexu frui, iam eſt eleuatiſſima viſione potiri.

41. *Quodammodo obedientis viſio beata.* Gen. 32. Rupert.

Quid ſi viſio hæc obedientis comes quodammodo ſit viſio beata? Reuertenti Iacobo ex Syria *fuerunt obuiam Angeli Dei.* Geneſ. 32. Quid non cœleſtis curia ei oſtentaretur, qui poſt obedientiæ perfectum opus tanto donatur fulgore ad videndum, vt Dominum imperantem aſpiciens, quodammodo glorioſus incedat? Bene Rupertus, *Iacob poſtquam præceptum Patris peregit reuertenti obuiam fuerunt Angeli Dei: vt ſciamus quia poſt obedientiam cunctæ viro fideli ſupereſt glorificari, & cæleſtium ſpirituum crebra viſitatione tam in hac vita remunerari.* Felix obedientia, quæ tam fulgidæ viſionis munere donatur.

# OBSERVATIO VI.

Ad illa verba:

## *Veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix.*

## Veſtimenta ſua, id eſt, iuſtos Chriſtus non vult in terra claritate donare.

*Sed quæ iuſti videntur tenebræ, lux eſt; quæ autem iniuſti lux apparet, tenebræ exiſtunt.*

42. Beda.

MARCVS illud, *Facta ſunt alba ſicut nix*, produxit adiiciens, *qualia fullo non poteſt facere ſuper terram.* Id quod ſic Beda ad ſpiritum tranſfert: *Veſtimenta Domini ſancti eius accipiuntur, Marcus dicit candida eſſe, vt nix qualia fullo non poteſt facere ſuper terram. Saluator non vult dare in terra fidelibus ſuis claritatem, quæ eis manet conſeruata.* Profectò iuſtus exterius tenebris circumfunditur, quia lucem conſeruat in corde, quemadmodum Ieſus, cuius præcordia ſemel tantum ſunt fons lucis effecta, vti aiebat Damaſcenus. At peccatores externa illuminatione fulgentes verè tenebris obruuntur.

43. *Lux iuſti in præcordiis.* Pſalm. 91. Greg. Ambroſ.

Quam externè iuſtus ſine lumine, quam internè coruſcus! Dauid, *Iuſtus vt palma florebit.* Pſal. 91. Quid iuſto cum palma? Reſpondet D. Gregor. 10. Mor. cap. 10. *Iuſtorum vita palmæ comparatur, quia palma inferius corticum ſuorum inuolutionibus anguſtatur, ſed ſuperius amplitudine pulchra viriditatis expanditur. Electorum vita deſpecta inferius, ſuperius pulchra.* Superius equidem idem eſt ac in animi præcordiis. Nam authore Ambroſ. Gen. 8. *Corpore in tenebris commorante familia animorum clarificatur ſplendore virtutis.*

43. *Lux peccatoris in cortice, vera nox* Chryſoſt.

Iniuſtus autem externè fulgidus interius tenebris obruitur. Ideò improbus ille *in tenebras exteriores* detrudi iubetur. Cur non in internas, niſi quia de peccatorum more externus fulgens, interius occæcatur aufugiente mendaci die, veraque nocte perſiſtente? Auſculta D. Chryſoſtomum Epiſt. ad Eutr. tom. 5. fantem: *Vbi nunc eſt refulgens conſulatus ambitio? vbi reſplendentes ad inuicem ſyderum toto orbe lampades? vbi diuerſorum munerum pompa? vbi corona, & varius totius orbis ornatus?* Vis dignoſcere arboris corticem amplitudine pulchram, ramis ſuperius obnubilatis? *Repentinus ſpiritus flatu tanquam folia cuncta decuſſa ſunt, & arbor nuda derelicta eſt. Non erant omnia illa, & die exorto nuſquam comparuerunt.*

Annon

44. *Iuſtus ſemper interius fulgens, peccatore obtenebrato.* Exod. 10. Bernard.

Annon iuſtorum nox dies, dies autem peccatorum cæca nox? Ita planè. Ægyptiis obrutis nebula, *vbicunque habitabant filij Iſrael, lucebat.* Exod. 10. Iuſtus Iſraël inter tenebras ſemper videt, Ægyptius autem nunquam non tenebrarum pelago immergitur. D. Bernard. ſerm. 72. in cant. ad hæc. *Quemadmodum olim omni populo caligante per vniuerſam Ægytum ſolus in medijs tenebris clarè videbat populus Iſraël, id eſt videns: ſic inter filios tenebrarum in externa terra caligine internè fulgent iuſti. Dum ij qui non quæſierunt inſpirantis Dei lumen, & Sol iuſtitiæ non eſt ortus eis, ibunt de tenebris ad tenebras denſiores.*

45. *Iuſtus inter tenebras dormit.* Cant. 2.

Age verò, quonam fructu iuſti in præſenti vmbris hæreſcunt, dum improbi fulgido induuntur veſtimento? Profectò iuſti abſtracta ab oculis externa luce dormiunt hic, requieſcunt. *Sub vmbra* (ait Sponſa) *illius, quem deſideraueram, ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Mox clamat Sponſus, *Adiuro vos filiæ Ieruſalem, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam.* Canticor. 2. Vndenam tibi ô felix, captandi ſomni opportunitas? A tenebris. *Sub vmbra illius ſedi.* Olympiodorus Eccleſ. 9. *Proponit, qua in re ſatisfacere ſibi poſſit. Quod videlicet iuſtus ſub vmbra conquieſcat.* Nox etenim ſomno adnata captando. Olymp.

46. *Iniuſtus inter fulgores vigilat.* Eccl. 9. Olymp.

At peccatores ab externo ſplendore prohibentur, ne valeant ſomno operam nauare. Sapiens teſtis oculatus, *Omnibus diebus* (ait) *vitæ ſuæ*, id eſt mundialium, *quos ſibi dedit Deus ſub Sole, dedi cor meum, vt cognoſcerem & viderem occupationem, quæ facta eſt ſuper terram, quoniam die ac nocte non eſt qui videat ſomnum oculis ſuis.* Eccleſ. 9. Illa pende, *ſub Sole* peccator die ac nocte non requieſcit, quia ſplendor haud aptus ſomno capiendo. Non benè iniuſtus in medijs felicitatis humanæ fulgoribus conquieſcit. *Iniuſtus* (inquit Olympiodorus) *in perpetua inquietate ſub Sole noctem diei coniungens dulcem oculis ſomnum non capit.* Fuge igitur mendaces ſeculi fulgores parentes vtique tenebrarum, Ieſu inter vmbras commoranti adhæreſce; nam *qui ſequitur Ieſum, non ambulat in tenebris.*

SECTIO QVARTA.

# Moyſis & Eliæ oſtenſio.

## *TEXTVS.*

*Verſ.* 3. Et ecce apparuerunt illis Moyſes, & Elias cum eo loquentes.

## *COMMENTARIVS LITERALIS.*

### §. I.

### *Num verus Moyſes, & Elias in Transfiguratione.*

1. *Sententia negans.* Gloſſa.

ET *Apparuerunt illis Moyſes, & Elias.*] Gloſſæ Ordin. Magiſter docet verum Moyſem, verumque Eliam non apparuiſſe. *Notandum* (inquit) *non corpora vel animas Eliæ, aut Moſis apparuiſſe, ſed ex aliqua ſubiecta creatura illa corpora formata fuiſſe. Poteſt etiam credi Angelico miniſterio illud factum eſſe, vt Angeli eorum perſonas aſſumerent.*

2. *Affirmans.*

Exiſtimo verum Moyſem, verumque Eliam transfigurato Domino adſtitiſſe, non eorum effigies tantum, aut ſpectra, ſicuti Prophetis ſæpè ſunt rerum abſentium viſiones obiectæ. Rationem reddit Alfonſus Salmeron noſter. Quia periret fides Scripturæ, quæ aſſerit Moyſem & Eliam apparuiſſe. Nam ſi figura ſolummodo phantaſtica oſtenderetur, non adſereret Matthæus, *Et apparuerunt Moyſes, & Elias.*

3. *De Moyſe quæſtio.*

Profectò Elias terreſtri ex paradiſo, vel alio quopiam loco inſtar Abacuc Angeli eſt adductus miniſterio, quia adhuc inter viuos commorabatur. De Moyſis aduentu quæſtio ſuboritur, an animus Principis illius vero in corpore deferretur? D. Thomas, & Lyranus affirmant, ex limbo per aliquod corpus aſſumptum (vt cerni aſſolent Angeli) Moyſi animam adfuiſſe. Et Abulenſis, *Non ſurrexit* (ait) *Moyſes, ſed corpus accepit de aere, ſicut communiter tenetur.*

Ambroſius, Hilarius, & Ioſephus Moyſem re vera non fuiſſe mortuum opinantur. *Cumque poſt mutuos* (Ioſeph fatur) *complexus Eleazaro Pontifici, ac Ieſu vltimum vale diceret, inter loquendum repentina nube circundatus, in vallem quandam eſt ablatus. In ſacris autem voluminibus ſcripſit ſe mortuum, veritus ne propter excellentem eius virtutem à Deo receptum prædicarent.* Eadem Doctores. Quæ ſi vera ſint, vt nonnulli arbitrantur, aſſerendum eſſet Moyſem ab Angelo ſimul cum Elia præreptum proprio in corpore apparuiſſe. Attamen conſtanter 4. *Num Moyſes mortuus?* Ioſeph.

ſtanter mihi ſemper infixum Moyſem vita functum, quia Scriptura apertè tradit ſeruum Domini, *Domino iubente*, mortuum in terra Moab, & ibi ſepultum. Et Iudas diabolum aſſerit fuiſſe de Moyſi corpore altercatum.

5. *Authoris mens.* Hieron. auct. de mir. S.Script. Mea igitur ſententia eſt Moyſem verè reſurrexiſſe, vt Ieſu adeſſet transfigurato. D. Hieronym. profatur, *Dat Chriſtus ſignum, Moſe ab inferis reſurgente.* Approbat Auct. de mirab. ſac. Script. ab eadémque ſententia ſui temporis adſcrit Doctores extitiſſe. Proponit hic huiuſmodi quæſtionem: *De quæſtione authores vna eademque ſententia prolata, non differenter dicunt, quod dum Dominus cum tribus Diſcipulis & Elia non cum imaginatis, ſed veris corporibus conueniſſe non dubitantur; & ipſe Moyſes in ſuo vero corpore de ſepulchro ſumpto videtur.* Sic ille. Cuius ſi rationem requiras, accipe. Erat vera gloria, non adumbrata, ergo vero & Eliæ, & Moyſi corpori inhærebat. A Barradio noſtro hanc accepi rationem validam profectò. Nec enim munificentiæ fons, vt ait Damaſcenus, tantam vim olei cœleſtis ficto vaſi profunderet. Aliam aliqui rationem illam exhibent, quod *viri viſi in maieſtate* à Luca deſcribantur. Non euincit. Nam in Geneſi dicitur, *Ecce vir luctabatur cum Iacob.* Cap. 32. Et in Actis, *Duo viri aſtiterunt iuxta illos in veſtibus albis.* Cap. 1. Qui tamen Angeli erant, & vero corpori ſicuti homines non agglutinabantur, ſed aſſumpto.

6. *Vndenam Moyſes, & Elias dignoſcerentur?* Ambroſ. Theoph. Quæris, vndenam Apoſtoli eſſe Moyſem, & Eliam dignouerint? Illam particulam expende, *Apparuerunt illis cum eo loquentes.* Vnde non tam ex Domini reuelatione, vti docet Ambroſios; quam ex ipſorum colloquio cum Ieſu ab Apoſtolis cognitos exiſtimo, vt placet Theophylacto. Moyſes fortaſsè proferebat, Tu es, cuius ego paſſionem præfiguraui, agno occiſo, Paſchate perfecto. Elias autem, Tu es, cuius Reſurrectionem in viduæ filio præſignaui. Quàm ſunt anctorem ſuum verba indicantia! Profectò nunc ex præuiſis imaginibus haud difficilè dignoſceremus, tunc minimè ab vſu Iudæorum exulante picturâ. Nec ſi præuia pictura didiciſſent, talis notitia ad certam teſtimonij euidentiam, me authore, ſufficeret.

## §. II.

### *Cur Moyſes, & Elias apparuerint?*

7. *Prima cauſa.* VAriæ à Patribus huiuſce apparitionis cauſæ recenſentur. Primò equidem duo hi Proceres oſtentantur, Moyſes quidem veteris Teſtamenti promulgator, Elias autem Propheta, Chriſti adoratores; vti Diſcipuli intelligerent ipſum, & Moſis, & Prophetarum omnium eſſe imperatorem, non Eliam, non Ieremiam, Ioannem Baptiſtam, aut vnum ex Prophetis, vti populus arbitrabatur, *vt hinc differentia ſeruorum & Domini videatur.* Chryſoſtom.

8. *Secunda.* Deinde, vt Apoſtoli dignoſcerent tam legem à Moſe promulgatam, quàm Prophetas Ieſu teſtimonium perhibere.

9. *Tertia.* Tertiò, vt hominibus gloriam ſuam in cœlo communicandam indicaret, quemadmodum Moſi, & Heliæ apud Thabor adhæreſcebat.

10. *Quarta.* Quartò, vt fidem Apoſtolis facerent de Chriſti magnitudine à lege & Prophetis conteſtata, vt conſtanter Euangelij euulgationi operam impenderent.

11. *Quinta.* Chryſoſt. Quintò, quia *continuè Ieſum* (loquor cum Chryſoſt.) *accuſabant Iudæi tanquā tranſgreſſorem legis, & blaſphemum, Patris ſibi gloriam vſurpantem: vt oſtendatur ab vtraque accuſatione innoxius, eos, qui in vtraque, fulſerunt, in medium ducit. Etenim Moyſes legem dedit, & Elias pro lege Dei æmulator fuit.*

12. *Sexta.* Chryſoſt. Sextò, vt diſcant Ieſum mortis & vitæ habere poteſtatem. *Propter quod* (ex Chryſoſt.) *& Moyſem, qui morte defecerat, & Eliam, qui nondum mortem paſſus fuerat, in medium ducit.*

13. *Septima.* Chryſoſt. Septimò, vti Crucis gloriam proferrent, Diſcipuloſque à mortis pauore releuarent. *Loquebantur enim* (adiicit idem Pater) *de exceſſu, quem completurus erat in Ieruſalem. Vnde eos in medium ducit, qui ſe morti expoſuerunt pro his, quæ Deo placebant, & pro plebe credentium. Etenim tyranno vterque ſe liberè præſentauit, Moyſes quidem Pharaoni, Elias autem Achab.*

14. *Octaua.* Chryſoſt. Octauò, quia *volebat* (adhuc Chryſoſt.) *quod Diſcipuli illorum priuilegia zelarent*, vt ſcilicet fierent manſueti ſicut Moyſes, & zelantes ſicut Elias.

15. *Nona.* Hilar. Nonam cauſam reddit D. Hilarius ſatus, *Quod Moyſes, & Elias ex omni ſanctorum numero aſſiſtunt, medius inter legem & Prophetas Chriſtus in Regno eſt. Cum his enim Iſraelem quibus teſtibus prædicatus eſt, indicabit.*

16. *Decima.* Decimò denique vt fidem augeat Apoſtolorum. *Conſiderandum eſt,* (inquit Hieronym.) *quod Scribis, & Phariſæis de cælo ſigna poſcentibus dare noluit: hic vero, vt Apoſtolorum augeat fidem, dat ſignum de cælo: Elia inde deſcendente, quo deſcenderat, & Moyſe ab inferis reſurgente. Quod & Achab per Iſaiam præcipitur, vt petat ſibi ſignum de inferno, vel de excelſo.*

## §. III.

### *Quandonam Apoſtolis apparuerint, quonam modo, quid colloquerentur?*

17. *Hiſtoria ſeries.* ET *apparuerunt illis.*] Lucas ſic: *Petrus verò, & qui cum illo erant, grauati erant ſomno. Et euigilantes, viderunt maieſtatem eius, & duos viros, qui ſtabant cum illo.* Capite 9. Chriſtus itaque orationi impoſuit initium, Diſcipuli ſomno correpti, dormierunt, queis ſomno preſſis, Dominus transfiguratur, Moyſes, & Elias aduentant. Quid plura? Apoſtoli tunc expergefacti Moyſi fortaſſe, & Eliæ colloquentium ſomno excitati euigilauerunt, & Ieſum cum eiſdem in gloria aſpectauêre, præ gaudio mox Petro ſermonem profundente. Eſt qui aſſerat Apoſtolos ante ſomnum Dominum in gloria vidiſſe. Profectò poſt gloriam aſpectatam

ctatam nullatenus poſſent ſe ſe ſomno committere; quia maior delectatio minorem adſolet impedire.

18. *Vndenam Apoſtolis ſomnus?* Chryſoſt. Euthym.

Sed vndenam Apoſtolis ſomnus obrepſit? Vel ex conſcenſi montis defatigatione, vel ex orationis Chriſti prolixitate. Sic Salmeron, & alij. Caietanus exiſtimans Transfigurationem poſt aliquas noctis horas effectam, aſſerit ex adnato dormitioni tempore Apoſtolos obdormiſſe. Chryſoſtomus ſomnum huiuſmodi virium reſolutionem à viſione profectam interpretatur. Conſentit Euthymius ſatus, *Non nox erat, ſed dies, ſplendoris tamen exceſſus obſcurabat Apoſtolorum oculos, ac mentem aggrauabat.* Et Theophylactus. *Somnum dicit Euangeliſta multam grauationem è viſu.* Attamen iam è Luca vidiſti poſt ſomnum, non antè transfiguratum Dominum aſpexiſſe.

19. *Diurno tempore transfiguratio.* Ephrem.

Ego equidem arbitror cum Chryſoſtomo, & Euthymio diurno tempore Transfigurationem factam, vt videntes Apoſtoli ſimul & Solem & Ieſum materialis ac cœleſtis fulgoris vim poſſent diſcernere. *Duos* (inquit D. Ephrem) *Soles in monte videbant oculi Diſcipulorum, vnum ex conſuetudine, alterum id eſt, Chriſtum præter conſuetudinem.* Maius ergo Ieſus luminare, qui coram maximo Planeta præter minorum luminarium rutilat morem. Et quare immenſus Ieſu fulgor Solem non obſcurauit? Quia cœleſtis lux creatum non imminuit fulgorem, ſed mirificè illuſtrat.

20. *A Domino ſomnus Apoſtolis immiſſus.* Salm.

Profectò ſi arbitrarer Ieſum nocturna inſtantia transfiguratum, Caietano adhærerem opinanti ex occaſione noctis adnata ſomnum obrepſiſſe. At ſentiens diurno tempore effectam, dicendum, à Domino ſomnum immiſſum Apoſtolis, *ne viderent* (loquor cum Salmerone) *initium fulgoris Chriſti, vel aduentus Moyſi, & Eliæ, vel receſſum eorum, ne videntes initium, putarent omnia phantaſtica. At è ſomno aſpergefacti, & illa videntes, putarent Deum illa eſſe operatum, quemadmodum immiſit ſoporem in Adam, & in caſtris Saulis.* Simplici ſanè ſatius quædam ignorare, ne præſumat, ſe arbitratus rem, & rei modum tenere.

Prætерea Moyſem & Eliam viſos *in maieſtate*, Lucas ſcribit. Grecè, *Viſi in gloria.* Transfigurationi etenim ſuæ gloria ac ſingulari ornatos maieſtate Chriſtus voluit ſeruos adeſſe. Num tanto muneratori feſtiua ſolemnitas, ſi fulgor hominibus non communis adeſſet? 21. *Communis fulgor.*

*Loquentes.* De quanam re ſermonem texerent indicat Lucas. *Et dicebant exceſſum, quem completurus erat in Ieruſalem.* Vbi Lyranus exceſſum aſſerit vocari paſſionem, *quia fuit exceſſiua propter eximiam charitatem. Exceſſit enim* (vt cum Salmer. verba faciam) *in pretio, quo redemit nos. Exceſſit in obedientia. Exceſſit in patientia.* 22. *Sermo Ieſu.* Lyran.

Nos autem Græcum vocabulum, *Dicebant exitum eius* perpendentes, exceſſum ipſam mortem interpretamur, quia, Laurentio Valla auctore, exitus mortem ſignificat. Sed & *exceſſus* eleganter mortem oſtentat. Ælius Spartianus ſcribit exercitum in Germaniam ſuperiorem miſſum, ex qua feſtinauit ad Traianum, *vt primus Neruæ nunciaret exceſſum.* Et Cicer. de leg. abſolutè exceſſum pro morte accipiens profatur, *Poſt exceſſum ſuum Romulus dixit ſe eſſe Deum.* Porrò verbum *Completurus erat* ad Prophetias ſpectat, vt quod Deus promiſit de Ieſu exceſſu, ſeu morte apud Ieroſolymam compleretur. 23. *Exceſſus mors.* 24. Sparti. Cicer.

Euthymius adnotat quoſdam Græcos codices habere, *loquebantur gloriam*, quam lectionem ſolus hoc loco Theophylactus amplectitur. Verè Crux Dominica, labores, mors & propter Reſurrectionis triumphum, & ob fructuum cœleſtium abundantiam gloria vocitantur. 25. *Græca lectio.* Theod.

IN

# IN IESVM TRANSFIGVRATVM.

## Panegyricus quartus Moralis circa Literam.

## EX MOYSI ET ELIÆ OSTENTATIONE.

### *OBSERVATIO I.*

**Ad illa verba:**

*Ecce apparuerunt Moyſes, & Elias cum eo loquentes.*

Duplex Sol in Thaboris vertice conſpicitur.

*Quia increatus ſplendor non obſcurat humanum.*

26. Ephrem. DIVRNO tempore Transfigurationem factam vidimus. Ideò D. Ephrem, *Duos Soles in monte videbant oculi Diſcipulorum.* Nec enim cœleſtis fulgor creatum ſanctitatis obſcurat fulgorem, ſed mirificè efficit apparere. *Fulgebunt iuſti ſicut Sol.* Annon aptius ſicut ſtellæ, vt ex Sole Ieſu lumen accepiſſe videantur? Profectò ſtellæ in Solis conſpectu obtenebrantur, vnde non earum ſymbolo lux illa exprimeretur, quæ coram fulgentiſſimo apparet luminari, eiuſque lucidiſſimæ radiorum gloriæ appropinquant.

27. *Coram Agno Sole filij Iſrael fulgent. 1.Reg.7.* Olim *egreſſi viri Iſraël de Maſphath, perſecuti ſunt Philiſthæos, & percuſſerunt eos vſque ad locum, qui erat ſuper Bethchar.* 1.Reg. 7. D. Gregor. Bethchar ait *domum Agni* ſignificare. Illius equidem, qui domus cœleſtis Sol fulgens exiſtit, vnde *ciuitas non indiget Sole.* Heus Iſraëlis duces præclariſſimi; haud tam properè ad Solis domum accedatis, vbi ſanctitatis veſtræ coram tanto Agni fulgore fulgur obnubiletur. Proh Solis increati immenſa claritas! non modo tenebras fulgenti immitit creaturæ, ſed coram Sole illa Sol oſtenditur tanti fulgoris æmulatrix.
Gregor. *Locus* (inquit Gregor.) *ſubter Bethchar ſanctorum exprimit ſanctitatem, qui Redemptori ſe obediendo humiliant, & eius gloriæ appropinquant.* Scilicet in ſanctitatis vertice duos Soles conſpiciuntur.

28. *Emicant, & viginti quatuor ſeniores. Apoc. 5.* Sol Agnus non duodecim ſolum, ſed viginti & quatuor illuſtrat Signorum domicilia. Nam *viginti quatuor ſeniores ceciderunt coram Agno.* Apocal. 5. Hi Reges, aurea corona fulgidi, mira conſpicui ſanctitate. Quare procidunt *coram Agno?* Vt nihil de ſe præſumere, ſel totum fulgorem fonti immittere oſtendant. Num immenſus Solis Agni ſplendor hominum ebibit luminaria? Abſit, ſed potius *nihil Sancti de ſe præſumendo* (loquor cum Anſelmo) *ſe humiliando coram Agno,* & Reges, & Principes, & maturitate ſeniores, & throno digni conſpiciuntur. Nec enim immenſa Solis Dominici claritas creatos Soles ad exilium immittit. Anſelm.

*Ant. de Eſcob. & Mendoz. de Sanctis. Tom. I.*

29. *Et Moyſes in conſpectu lucida legis. Exod. 34. Origen.* Præcepta equidem Domini Sole fulgentiora à Dauide proferuntur; *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* Profectò Moyſes lucidæ legis præferens tabulas lucidam faciem oſtentabat. *Videntes Aaron, & Filij Iſrael cornutam Moyſi faciem.* Exod. 34. Origen. *Vidit Aaron, & omnes filij Iſrael Moyſem, & erat glorificata facies eius.* Et quomodo lucidiſſimæ legis Sol totius norma fulgoris, non ſubditi quantumuis fulgentis obnubilat claritatem, niſi quia ſupernam lucem vulgaris non tentat inuidia.

30. *Heliæ ſimiliter coram Sole Ieſu. Luc. 9. Origen.* Efficacius id Moyſes noſtro nunc confirmabit in monte. Et ecce (inquit Lucas) *duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyſes, & Elias viſi in maieſtate.* Capit. 9. Alibi Moyſis vultus glorioſus oſtenditur, hîc totus Moyſes immergitur gloria, Origene ſante, *Hic non refertur, quia glorificatus eſt vultus eius, ſed quia totus apparuit in gloria.* Et vndenam fulgoris incrementum? Quo fonti luminis propinquior hominum ſplendor, eo neceſſum eſt reddatur illuſtrior. Sol enim iuſtitiæ hominum non operit, ſed aperit, non obſcurat ſed mirificè ſanctitatem illuſtrat. Non ſic lumina ſecularia, maior fulgor terrenæ poteſtatis minorem emittit in fugam. Quis conatus eſt ſplendidus apparere, qui à fulgure, ne dicam fulmine potentiori non ingemuit eliſus? Bellè Naſo 3. Triſt. Ouid.

*Viue tibi, quantumque potes, præluſtria vita.*
*Sæuum præluſtris fulmen ab arce venit.*

## OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

### *Et apparuerunt Moyſes, & Elias cum eo loquentes.*

### Moyſis, & Eliæ aduentum non viderunt Apoſtoli.

*Quia concionatoris, aut publicum munus adminiſtrantis initia ſupprimenda; nemo enim propheta in patria ſua.*

31. Salm. EX Salmerone diximus Apoſtolos ſomno obrutos, ne apparitionis Moyſi & Eliæ aut principiū, aut finem viderent. Alibi animi illi ſanctiſſimi corpus, adnotante Abulenſi, ab aere deſumpſerunt. Nec enim decebat, vt qui proferre deberent Dominicæ paſſionis, aut reſurrectionis myſteria, ſiue prædicationis munus obire, io conſpectu auditorum corpus reſumerent, & obiecta eorum oculis quaſi prima infantia, nouiter coaleſcerent. Alibi exortus, alibi prædicaturus aſcende ſuggeſtum: aereus namque plerumque concionator, ſeu miniſter adiudicatur ille, cuius exordium vidimus. Vnde Dominus, *Nemo Propheta in patria ſua.*

32. *Concionator in patria paralyſi laborat.* Matth. 12. Paſchaſ. Ex medicorum Principe liquet paralyſim præcipuè contra labia, linguamque vires exſerere. Profectò quicumque apud patriam concionari aſcendit, quaſi paralyſi laborans, non rectè ſermonem profundit. Aiebat Centurio: *Domine, puer meus iacet in domo paralyticus.* Matth. 12. Vbi D. Paſchaſ. lib. 5. in Matthæum: *Iacet in domo paralyticus, in illa inquam domo, de qua dictum, Obliuiſcere domum patris tui. In hac quippe domo omnis anima paralytica iacet.* Ac ſi diceret, ſi ille in domo clamans non attento à te animo exauditur, non perſuadet, quia apud patriam clamans paralyſi laborat, exilem vtique ac turbatam vocem emittens: ego è domo egreſſus in deſerto clamabo, à te benigniſſime exaudiendus.

33. *Ideò Ioannes vrbes patrias conuerſurus apud deſerta concionatur.* Mar. 1. Ioannes egregius ille concionator à Domino immiſſus animos Iudæorum ad Ieſu exceptionem præparare, fante Eſaia, *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam antè te.* Mar. 1. Num prædicator ille ioter Iudæos exortus Iudææ ciuitatibus veritatem annunciat? *Vox clamantis in deſerto, Parate viam Domini.* Si in Iſraël via Domini ab hominibus præparanda, cur Ioannes in Iudæam non declamat, ſed ad deſerta properat? Profectò non oportebat Ioannem à Iudæa recedere, ad aliaſque migrare Prouincias; vt autem illius prædicatio vrbis inſonaret; neceſſum erat ita ciuitatibus prædicare, vt in ciuitatibus minimè exiſteret; ne apud domum paralyſi lingua laboraret, voxque minimè exaudiretur. Perpulchrè Beda, *In deſerto vox ſonat, vt verbum poſſit audiri.* Beda. Quaſi verbum audiri non poſſet, ſi vox domo in propria inſonaret. Vt igitur vox ita reſonet, vt à Iudæis exaudiatur, concionator Iudæus ab vrbibus Iudææ ablegetur, ad deſerta diffugiat. Cum autem inibi potiùs animantibus, aut rupibus, quam hominibus loqui videatur, exercitus hominum aſcendet ad lauacrum.

34. *Et Abraham ad aliena diuertit.* Gen. 12. Hieron. Dominus olim Abrahamo, *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui.* Geneſ. 12. Quare ſanctiſſimus Abraham pulſus à domo, ad aliena diuertit? D. Hieronym. Epiſtol. 28. ad Lucin. *Non enim arbitratus eſt ſimul ſe habere poſſe patriam, & Dominum.* Rectè Doctor, ſed magis myſticè quam literaliter. Conuenientius puto Abrahamum à Domino adductum, vt bonos homines mores edoceret; concionatoriſque munus explens multos ad Dominum adduceret. Sic cenſet Lipomanus: Lipoman. *Omiſſis fabulis Iudæorum de cauſis receſſus Abrahæ, id videtur verius, quod illo loco conſiſtere non debuit, ſed fidei & morum exempla circumferre, & Dei gloriam factis, & verbis prædicare.* Prædicaturus à Domino hominibus emittitur? Appoſitè à propria domo abſtrabitur, ad alienam dirigitur, ne paralyſi verbum impediretur.

35. *Et Ioſeph ad Ægyptum properans.* Gen. 37. Seuerin. Quid Ioſeph? A frattibus Iſmaëlitis traditur in Ægyptum equidem adſerendus: Geneſ. 37. Qua de cauſa puerum ô Domine, à patris ſinu chariſſimum abripis? Seuerian. affirmat concionaturum adoleſcentem mitti in Ægyptum, vt vel ſenes eius veram prudentiam edoceret, in Apoſtolorum typum, *qui, relictis omnibus, Chriſtum ad gentes circumtulerunt.* Operæpretium enim eſt concionatores non patria in propria verba profundere, ſed ad aliena propriis relictis properare. Curauerat Ioſeph fratres corrigere, eiſque voluptatum contemptum, authore Philone, perſuadere, nec profecit. Vnde ad Ægyptum pergit puer, vt ſenes edocendo proficiat, totique Regno exiſtat ſalutaris.

36. *Saulus zelo legis ad exteros concionaturus pergit.* Act. 9. Quid veritatis prædicatores? Portò, & aſſertores impietatis apud domum paralytici. Saulus ille legis iam ablegatæ propugnator, vt Moyſi ſcripta proferret, aduerſumque Chriſticolas inuectiuus adſurgeret, *acceſſit ad Principem Sacerdotum, & petiit ab eo epiſtolas, quas offerret in Damaſcum.* Act. 9. Quot, quæſo, in Saluatorem apud Iudæam hoſtes inſurrexêre, eum ad tribulationem adducentes? Quare igitur Saulus propria ſimul in patria non contra Saluatoris aſſeclas inſurgit, ſed ad Damaſcum pergit? D. Chryſoſtom. Chryſoſt. *Hic igitur ſic faciebat, non vt Iudæi; abſit. Nam quod zelo faciebat, manifeſtum ex eo, quod in exteras ciuitates abibat.* Ac ſi diceret, Iudæi non io veritatis tuitionem, Chriſtum perſequebantur, ſed ex liuore. Vnde apud domum in illum inuehebant. At Saulus qui veritatis zelo ſe accingebat, vt fidem, quam ille vnicè veram exiſtimabat, hominibus perſuaderet, à domo recedit, ad Damaſcum proficiſcitur. Ex eoque manifeſtum eſt, quo ex zelo, ſiue proficiendi deſiderio faciebat,

quod

Digitized by Google

quod in exteras ciuitates abibat. Nam in propria vrbe quid proficeret zelus concionatoris? Vix miniſtrum, cuius vidimus initium, magna habemus æſtimatione.

## OBSERVATIO III.

### Ad illa verba:

### *Et apparuerunt eis Moyſes, & Elias.*

## Transfiguratus IESVS inter viuum, & mortuum oſtenditur.

*Spiritualis enim vita mortis memoriâ conſeruatur.*

37. CVR potiùs hi viri ſanctiſſimi Chriſto transfigurato adſtare apparuere? Baſil. Seleu. *Vitæ* inquit, *ſunt vobiſcum præſentes ea, quæ ſunt viuorum, & mortuorũ primitiæ vt viuorum ſimul, ac mortuorum iudicem Dominum prædicent præſentibus. Moyſis enim virtutis dux & legiſlator morte exceſſit è vita, Elias autem diuino zelo accenſus, ignis auriga efficitur, & cum curru vectus eſſet per aerem, legem naturæ tranſilit, viam inueniens morte ſuperiorem.* Transfiguratus itaque Dominus inter viuum & mortuum conſtituitur, quia qui per myſticam pœnitentiæ transformationem (de qua ſuprà) vitam gratiæ reſumit, in conſpectu mortis vitæ tenacius inhæreſcit. Spiritualis namque vita mortis memoria comite felicius, ac ſecutius incedit.

38. *Lazarus ſecurius viuit mortis geſtãs lineamina.* Ioan. 11. In typum certè peccatoris ad vitalem animam poſt deformationem criminis redeuntis Lazarus reuocatur à tumulo. *Et prodiit qui fuerat mortuus, ligatus manus, ac pedes inſtitis, & facies eius ſudario erat circumligata.* Ioán. 11. Quid viuenti cum mortis apparatu? Profectò, qui poſt myſtici ſepulchri deformationem rurſum reformatur in vitam, ita vitali greſſu debet incedere, vt mortis memoriam præ oculis habens, non rurſum deferatur in foueam. D. Chryſol. (*Chryſol.*) *Mox Lazarus ab inferis reuerſus occurrit, apportans vincẽdæ mortis formam.* Victor enim exſurgens cum voluptatum morte conflicturus fidelis, formam vincendi mortem apportat, dum à mortis anguſtiis, nunquam memoria ſeparatur.

39. *Semper viuit ſpiritualiter, mortis arborem aſpiciens.* Gen. 2. Alcui. Duobus ante præuaricationem Deus ornauit paradiſum arboribus. *Lignum vitæ in medio paradiſi, lignumque ſcientiæ boni & mali.* Gen. 2. Vbi quærit Alcuin. q. 6. *Cur in paradiſo lignum vitæ, & Lignum ſcientiæ boni & mali creatum eſt?* Reſpondet, *Vt per illud potuiſſet homo immortalis eſſe, per hoc verò mortalis.* Quam Dei mirabilis prouidentia. Vti homo interminabili vitæ firmius hæreſceret, ad æternæ fuiſſet, ſi non deliquiſſet, conſpectum mortis ex crimine ſtatuit imaginem. Nihil enim magis hominem in ſpirituali vita reddit ſtabilem, quàm mortis anguſtias menti obiicere.

40. *Hebræi viuentes vitæ comite mortis geſtant memoriam.* Exod. 14. *Liberauit olim Dominus in die illa Iſraël de manu Ægyptiorum, & viderunt Ægyptios mortuos ſuper littus maris.* Exod. 14 Quorſum in die liberationis Hebræorum mortui Ægyptij illorum oculis præſentantur? Liberne o Iſraelita vere, ab Ægyptiæ captiuitatis morte vitalem arripis viam? Ne igitur referatis ad mortem Ægyptiorum cadauera aſpiciens communem mortem meditare. Nec enim ad peccati mortem regredieris, mortis fouens recordationem. Hinc Hebræorum ingratitudinem vltroneam omnino damnat Orig hom. 7. in Exod. fatus: (*Origen.*) *O populus ingratus reuerti deſiderat Ægyptios, quos vidit extinctos!* Ac ſi diceret, Quinã magis vltroneus caſus, quam ab ſpirituali morte eum vinci à vita cadentem, qui videns, memoriaque recolens Ægyptios mortuos potuit facillimè vitæ tenaciter hærens crimina ſuperare.

41. *Ideò Moſes oſſa Ioſeph autem itineris vitalis attulit.* Exod. 13. Hoc ſpiritu Moyſes, dum ſe Hebræi ad viam præparant, argento & auro Ægyptios ſpoliantes, *tulit oſſa Ioſeph ſecum.* Exod. 13. Num quia id Patriarcha moriturus à filiis efflagitarat? ita equidem, ſed ſimul vt Hebræi mortem præcedentem meditantes viæ ſalutari inſiſterent, nec ad voluptatum Ægyptum miſerè trucidandi conuerterentur. Ad quam mentem allicio Euſeb. Gallic. hom. 1. de Epiph. profantem, (*Euſeb. Gallic.*) *Per ſalutiferas gradimur vias, quando anima damnatis Ægyptius voluptatibus, id cogitat, quando poſitura ſit tabernaculum ſui corporis.* D. Maxim. ſerm. 19. interrogatum Muſonium, Quis optimè rectæ vitæ extremum diem claudere poſſet? memorat reſpondiſſe, *Qui ſemper poſtremum vitæ diem ſibi inſtare propoſuerit.* Vnde canebat Chilo per Auſon. (*Chilo.*)

*Viue memor mortis, vti memor ſis & ſalutis.*

## OBSERVATIO IV.

### Ad illa verba:

### *Apparuerunt Moyſes & Elias cum eo loquentes.*

## Ex locutione Moyſes & Elias maximæ eſſe authoritatis dignoſcuntur.

*Quia ex verbis quis magnus aut paruus habetur. Dei verba fatiens, Deus putaberis: diabolus eius vtens ſidicmate.*

CVR, quæſo, locuti ſunt Moyſes, & Elias? Reſpondet Abulenſ. q. 58. *Quia fortè non agnoſcerentur, niſi loquerentur, & tamen authoritas teſtificationis erat ex perſonarum dignitate; ideò debuerunt loqui, vt ſic agnoſcerentur.* Profectò ex ſermonis circumſtantiis aſſerimus cognitos ab Apoſtolis Moyſem, & Eliam. Attamen licet quædam verba non proferrent, queis Moyſem ſe & Eliam manifeſtè teſtarentur, ad teſtimonij authoritatem ſufficeret Apoſtolos dignoſcere, eos ma- 42.

gnæ authoritatis exiſtere. Id quod ex ſermonis grauitate facile quirent perpendere. Nec enim vir grauitate pollés nugatoria verba profundit.

43. *Viri imago, character, interpreſque lingua.* Senec. Menand.

Vel Ethnicis hæc veritas manifeſta. Seneca Epiſt. 40. *Imago animi ſermo eſt. Qualis vir, talis oratio.* Conteſtatur Menand. cuius Græcum carmen ſic Latinis reſonat,

*Viri character ex ſermone cognoſcitur.*

Animum contemplare occultè ſe ſe in varios efferentem affectus, qui quidem omnibus ignoti, omninò dum lingua internæ grauitatis, aut leuitatis interpres, eos adduceret ad publicum.

Horat.

Hinc Horat. cecinit, Art. Poet.

*Format enim natura prius nos intus ad omnem*
*Fortunarum habitum, iuuat, aut impellit ad iram,*
*Aut ad humum mœrore graui deducit, & angit,*
*Poſt effert animi motus interprete lingua.*

Inuiſibiles etenim motus animi oculorum diffugerent captum, niſi interpres lingua verbis aut grauitatem viri, aut homuncionis leuitatem manifeſtaret.

44. *Angelis loquentibus, Deus locutus affirmatur, quia verba veniunt digna Deo.* Exod. 3. Abul.

Ad facta redeo. Certum exiſtimo nunquam Deum hominibus locutum, ſed Angelos. *Ego ſum Deus Abraham.* Exod 3. Vbi Abul. q. 77. in cap. 17. Matth. *Dicitur, quod Deus Moyſi loquebatur Exod. 3. Et tamen ille, qui loquebatur, erat Angelus, vt patet Act. 7. Deus enim non loquitur; ſed Angelus eſt, qui loquitur loco Dei.* Hinc exoritur quæſtio, ſi Deus nunquam loquitur, quare Textus aſſerit Deum aliquando eſſe locutum, Angelum aliquando? Profectò licet ſemper Angelus loquatur, ſæpè ſcriptura Deum locutum aſſeuerat, quia quandoque tanta ſublimitas, pondus tantum, vt quaſi neceſſarium ſibi videatur aſſerere Deum huiuſmodi ſermonem profudiſſe. Sic pulchrè Abul. citat. *Licet ſemper Angeli loquantur, interdum tamen dicitur Deus loquutus, interdum vero Angeli. Hoc tamen differt, quod quando aliquid magnum dicendum erat, loquuntur Angeli loco Dei. Sic fuit in liberatione de Ægypto, quia maximum beneficium erat liberatio populi de ſeruitute.* Profectò ſermo tam verus internæ grauitatis interpres, vt verbum Deo dignum, licet ab Angelo, ſeu homine prolatum ſit, Dei ex ore proceſſiſſe affirmetur.

Poſt Adæ delictum: *Vocauit Dominus Deus Adam, & dixit ei, Adam, vbi es?* Geneſ. 3. Vndenam homo exiſtimarit vocem Deo, & non potius Angelo eſſe tribuendam? Annon tanti ponderis ſermo hominem ad meliorem frugem reuocaturus non iam creaturæ, ſed conditoris eſſe videbatur? Excogitauit ſic D. Ambroſ. *Virtute quadam præſtantiori loquitur Deus. Hanc vocem Prophetæ audierunt.* Proh veritatis teſtes! ſi Deum minimè intuemini, quonam modò affirmatis, *Vox Dei, ſermo Dei?* Annon ex ſermonis pondere dignoſcitur aut Deum authorem, aut Dei nomine peruulgari? 45. *Ex ſermonis pondere dignoſcitur Deus ab Adamo, ac Prophetis.* Gen. 3. Ambroſ.

Dei igitur verbis vtere, vt Deus quodammodo ab hominibus habearis. D. Chryſ. hom. 79. in Matth. *Vt os tuum ita conformetur, vt os Chriſti ſit, non opus eſt coloribus, nec vlla materia; ſed ſola humilitate, manſuetudine. Huiuſmodi os Deo maximo conformatur.* E contrario equidem ex ſermone intemperato non iam homo intemperatus, ſed diabolus eſſe videberis. *Os enim diaboli* (pergit Doctor) *conditur maledictione, contumeliis, contradictione, periurio, mendacio; diaboli linguam habet, qui vt diabolus loquitur.* 46. *Dei verbis vſus Deus haberis, diaboli autem diabolus.* Chryſoſt.

Et hom. 26. ad Popul. pulchrè perficit argumentum. *Ab ore, & lingua dignoſcamur. Dic mihi, aues quæ pſittaci dicuntur, vnde cognoſcuntur? Nonne humano more loquendo?* Loquútur, vt homines? Haud pſittaci, ſed homines ab audientibus, non autem videntibus reputantur. *Et nos itaque* (concludit) *loquendo ſicut Angeli noti ſiamus*, id eſt, Apoſtoli & Angeli deputemur. 47. *Pſittacus vt homo locutus, homo putatur.* Chryſoſt.

## SECTIO QVINTA.

# Tria tabernacula.

## TEXTVS.

*Verſ.* 4. Reſpondens autem Petrus, dixit ad Ieſum: Domine, bonum eſt nos hîc eſſe: ſi vis, faciamus hîc tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum.

## COMMENTARIVS LITERALIS.

### § I.

### *Tabernaculorum exædificationem curat Apoſtolus.*

1. *Petri ſententia.* R*Eſpondens autem Petrus dixit ad Ieſum.*] Hebraiſmus eſt, reſpondere pro loqui, de quo ſæpè alibi. Euigilantes Apoſtoli, vt Lucas ſcribit, transfiguratum Chriſtum aſpexere, cum eoque Moyſem, & Eliam intuiti ſunt. Quanto autem tempore transfiguratio,

tatio, ac viſio durarit, incertum prorſus. Cum autem Moyſes & Elias iam abierint, Petrus Ieſum ſic eſt, vti eos retineret, allocutus.

2. *Expoſitio.* *Domine, bonum eſt nos hic eſſe.*] Græcè *bonum, & pulchrum.* Lucas, *& factum eſt, cum diſcederent ab illo.* Moyſes, & Elias, *ait Petrus ad Ieſum: Præceptor, bonum eſt nos hîc eſſe.* Bonum eſt, nos hoc in monte commotari, idcirco ne Moyſem, & Eliam diſcedere patiaris. Quod ſi de habitatione agitur tria hic & tibi, & Moyſi, & E-

3. *Cur Petrus hæc dixerit* liæ tabernacula conſtruemus. Cur autem Petrus dixerit, *Bonum eſt nos hic eſſe?* Num nolens Chriſtum Ieroſolymam pergere, mortémque ſubire? Sic Chryſoſt. & Theophyl. cuius accipe ſententiam. *Petrus ob multam dilectionem Chriſtum pati nolens, dixit, Bonum eſt hoc loco manere; & non diſcedere, & occidi.* Euthym. conteſtatur. In ſummo ô Domine potes monte latere, & ſi fuerit opus, à Moſe & Elia defendi, quorum alter Ægyptios, & Amalechitas, alter duos aut tres Centuriones cum ipſorum militibus, deuocato cœlitus igne, conſumpſit.

4. *Auctoris mens.* Beda. S. Thom. Profectò mihi nunquam huiuſmodi Petro digna viſa excogitatio. Vnde aſſero Apoſtolum gloriæ captum dulcedine apud montem tanti ſpectaculi theatrum voluiſſe permanere. Beda hom. de Trans. *Petrus*, ait, *glorificatam Chriſti humanitatem contemplatus, tanto afficitur gaudio, vt nullatenus ab eius intuitu velit ſecerni.* Et D. Thom. *Ex nimio*, inquit, *feruore Petrus videns gloriam, ita affectus erat, quod nunquam voluiſſet ſeparari, ſi Deus voluiſſet.*

5. *Cur Petrus non ſibi & ſociis curat tabernacula conſtrui* Lyran. Abulenſ. *Si vis, faciamus hic tria tabernacula tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum.*] Cur Petrus Chriſto, Moyſi, & Eliæ præparat tabernacula, de tabernaculis autem ſibi, Iacobo, ac Ioanni ſilet conſtruendis? Sic reſpondet Lyran. *Non loquitur Petrus de tabernaculo faciendo pro ſe, & ſociis ſuis, quia volebat cum Chriſto eſſe in ipſius tabernaculo, & ſociis eius cum aliis duobus, ſcilicet Moyſe, & Elia,* Abulenſ. autem quæſt. 64. ideò de tabernaculis huiuſmodi Apoſtolum ſiluiſſe arbitratur, quod in eodem cum Chriſto tabernaculo Diſcipulos habitaturos exiſtimauerit. Opinor cum Maldon. & Barrad. noſtris Petrum ſui & ſociorum oblitum de Ieſu, Moyſe, & Elia ſolicitudine affectum.

## §. II.

### *Cur Petri ſententia à Luca taxetur, & Marco?*

6. *Caluiniſtarum expoſitio.* Matth. 20. ADdit Lucas, *Neſciens quid diceret.* Marcus autem, *Non enim ſciebat, quid diceret.* Hinc Caluiniſtæ de more Petrum impudenter accuſant, quaſi Moyſem, & Eliam Chriſti collegas, illique pares voluerit efficere; quod ne in mentem quidem venit Apoſtolo, nec proptereà Euangeliſtæ dixerunt illum, quid diceret neſciiſſe, quod quid quam contrà fidem locutus eſſet, ſed quod rude, & quaſi puerile deſiderium magni ſignum amoris declarauerit, non conſiderans, illis, qui tam glorioſi oſtentarentur, opus non eſſe tabernaculis. Zebedæi ſic filiis, *Neſcitis quid petatis.* Matth. 20.

7. *Vera ſententia.* Ambroſ. Petrum omnino vel à notula imperfectionis habeto, quia obſtupefactus verba profunderet, Marco adnotante: *Erant enim timore exterriti.* Num ingens timor accuratæ conſiderationi exhibet occaſionem? Quam aliter D. Ambroſ. in cap. 9. Lucæ, quam Caluinus, Petri ſententiam interpretatur. *Bonum eſt, inquit, non hic eſſe, Hinc & ille diſſolui, & cum Chriſto eſſe multo melius. Nec laudaſſe contentus, non ſolum affectu, ſed etiam factorum deuotione præſtantior ad exædificanda tabernacula tria impiger operarius communis obſequij miniſterium pollicetur. Et quamuis neſciret, quid diceret, tamen pollicebatur officium, in quo non inconſulta petulantia, ſed præmatura deuotio fructum pietatis accumulat. Nam quod ignorabat, cõditionis fuit: quod promittebat, deuotionis,* Eum denique à voluntario eximit errore, quod ſe curauit vel circa illud diuinæ voluntati accommodare, fatus. *Domine, ſi vis, faciamus, &c.*

*Ant. de Eſcob. & Mendoz. de Sanct. Tom. 1.*

Quod ſi adhuc tenax verborum ſono, *Neſciẽs, quid diceret,* hæſeris, error hic haud in profantis intentione, ſed in effectu omninò reperitur. Multa circa huiuſmodi ſententiam apud Patres ſparſim reperiens hic colligo. Primo errauit, quia bonum minimè inibi permanere, cum bonum non exiſteret, Chriſtum à redemptione mundi reuocati. Damaſc. *Non eſt bonum, quod Chriſtus ibi moraretur, quia mortis poteſtas abolita ſine Redemptoris morte non erit.* 8. *Primus error Petri.* Damaſc.

Secundò, nec ipſi Apoſtolo bonum erat, quia ſi Chriſtus non pateretur promiſſiones Petro factæ haud effectui traderentur Ex eodem Damaſ. *Non eſt bonum tibi, quia ſi Chriſtus ibi manſiſſet nequaquam facta tibi promiſſio conſequeretur effectum; neque enim claues obtinuiſſes regni.* 9. *Secundus.* Damaſc.

Tertiò, Petrus non perpendit, felicia minime ante tempus acquirẽda. Non tempus triumphi, ſed pugnæ terrena commoratio. Adhuc Damaſc. *Non quæras ante tempus felicia vt Adam: erit quando hunc aſpectum indeſinenter percipias, & cohabitabis illi, qui lux eſt, & vita.* 10. *Tertius.* Damaſc.

Quartò, quia exiſtimaſſe videtur in terra cõſtitui beatitudinem. Sic D. Remig. *Errauit, quia voluit, quod Regnum electorum conſtitueretur in terra, quod Dominus promiſerat dare in cœlo.* 11. *Quartus.* Remig.

Quintò taxatur, quia ſine mortis agone felicitatis palmam volebat attipere. Idem Remig. *Errauit, quia oblitus eſt ſe, & ſocios eſſe mortales, & abſque guſtu mortis voluit ſubire æternam felicitatem.* 12. *Quintus.* Remig.

Sextò, non erat commendabile, Petrum ſibi ac duobus Apoſtolis ſolis requiem præparare, reliquis virginum ſtultarum pœna affectis. Abul. q. 73. *Errauit Petrus, quia ab hac ſocietate felicitatis excludebat reliquos Diſcipulos, nam ſi in monte illi ſemper manerent, ipſi ſoli fruerentur gloria claritatis Chriſti, & cæteri Apoſtoli nihil viderent, & hoc erat contra charitatem.* 13. *Sextus.* Abulenſ.

Septimò, quia neceſſarium non erat ædificari ad beatam viſionem tabernacula; ipſa namque Dei viſio tabernaculum eſt, & tot adſunt throni, quot ſunt differentię beatorum. *In domo Patris mei* (ait Chriſtus) *manſiones multæ ſunt.* Ioan. 14. Vbi Abul. citat. *Manſiones quidem ſunt, tabernacula tamen manufacta ibi nulla ſunt.* Raban. *Errauit in eo, quod cœleſti cõuerſationi tabernacula facienda putauit, in qua domus neceſſaria non erat, cum ſcriptum ſit, Templũ non vidi in ea.* 14. *Septimus.* Abulenſ. Raban.

Octauò, quia Dominus ſe transfiguratũ obiecit ad gloriæ futuræ manifeſtationem, non vt mox eam Diſcipulis exhiberet, vndè non opus diuturna apud montem commoratione. 15. *Octauus.*

Chryſoſt. Abul. Ad hæc D.Chryſoſt. *Non intellexit Petrus, quod ad demonſtrationem veræ gloriæ transfigurationem eſt Dominus operatus.* Ad quod (adiicit Abulens.) *ſufficiebat oſtenſio rapim tranſiens, & non erat conueniens fieri habitacula, ad manendum.*

16. Nonus. Titus. Hieron. Nonò, eſto quod tabernaculum eſſet opportunum, haud tamen debuit tria efflagitare. Titus ſic: *Ignorabat Petrus, quod dixerat, quia non oportebat tribus tria tabernacula facere, non enim connumerantur Domino ſerui neque comparantur creatura Creatori.* Et D.Hieron. *Erras Petre & ſicut alius Euangeliſta teſtatur, neſcis quid dicas. Noli tria tabernacula quærere, cum vnum ſit tabernaculum Euangelij, in quo lex, & Prophetæ recipiendi ſunt; ſi autem quæris tria tabernacula, nequaquam ſeruos cum Domino conferas.*

17. Decimus. Abul. Decimò, diſtinguenda eſſent tabernacula, Moyſes ſaltem tabernaculo non egebat. Rationem reddit Abul. fatus, *Quia tabernaculum defendit ab importunitate aeris, & temporis, quæ paſſiones ſunt corporum mortalium: Moyſes autem in ſola anima ibi erat, ideo tabernaculo non egebat.* Chryſoſt. Vnde preſsè Chryſoſt. *Non intellexit Petrus, quod Moyſi anima non erat in corpore.*

18. Vndecimò, ſiue ædificando diuerſa tabernacula repugnabat intentioni. *Nam ideo Petrus* (loquor cum Abul.) *volebat ibi manere, vt in viſione claritatis Chriſti beatificarentur, qui aſſiſtebant, & tamen ſi eſſent in diuerſis tabernaculis, non ſemper aſſiſterent Chriſto, & ſic carerent aliquando felicitate; vel ſi ſemper ei aſſiſterent, non eſſent in diuerſis tabernaculis, ſed ſemper in eodem.* Vndecimus Abulens.

19. Duodecimus. Timoth. Duodecimò, quia piſcator cum eſſet Apoſtolus exædificationi tabernaculorum, quam nõ didicerat, vult operam impendere. Timoth. Antioch. orat. de Transf. *Quid tibi in mentem venit Petre? quæ non didiciſti, facere aggrederis? retia didiciſti contexere, num etiam tabernacula ea ædificare?* Plura mitto.

20. Auctoris expoſitio. Profectò, ſi liceat mihi tot Patrum ſententiis meum placitum attexere, ideo arbitror à Luca & Marco Petrum illa notula inuſtum, quod rude, & quaſi puerile deſiderium magni tamen amoris ſignum exædificatione tabernaculorum declarauerit, non conſiderans illis qui tam glorioſi oſtentarentur, minimè opus eſſe tabernaculis. A qua quidem conſideratione Petrum ille feruor auertit, ex quo Ioanne, ac Iacobo conticentibus, ipſe proclamauit, vti aduertit Orig. Prætereà Petri erroris inuoluntarij vnam vel alteram rationẽ excogito, & illuſtro.

---

# IN IESVM TRANSFIGVRATVM.

## Panegyricus quintus Moralis circa Literam.

## EX TRIBVS TABERNACVLIS.

### *OBSERVATIO I.*

Ad illa verba:

***Reſpondens autem Petrus, dixit, Domine, bonum eſt nos hic eſſe.***

Errat Petrus volens felix diù permanere, non præmiſſa Dei voluntate.

***Quia Felicitatis perſiſtentia ex obedientia, ſeu diuinæ voluntatis executione.***

21. POSTQVAM Petrus dixit, *Bonum eſt, nos hic eſſe*, addidit, *ſi vis, faciamus hic tria tabernacula.* Deberet profectò illam particulam, *Si vis*, antè omnem ſententiam præmittere, *Domine ſi vis, bonum eſt, nos hic eſſe, &c.* Nam ſine Dei voluntate nec bonum hic eſſe, nec ſtabiliter (vti curabat Petrus) apud felicitatem commorabimur. Canebat Iacob. Bill. in Antholog. ſac.

*Non ſemper verè eſt felix impleta voluntas.*

Imo qui ſemper vult felicitate frui, à propriæ voluntatis impletione debet abſtinere. Circa manſionem æternam apud felicitatem ô Petre, diuinam prius non requiris voluntatem? Minimè iſta felicitas, à voluptate omnino deturbaberis.

22. Obediens perſeuerãter habet felicitatẽ. Ioan. 6. Eucher. Dominus profabatur, *Eum, qui venit ad me non eiiciam foras, quia de cælo deſcendi, non vt faciam voluntatem meam, ſed eius qui miſit me.* Ioan. 6. Vbi Eucher. in 1. Regum. 15. *Quis neſciat,*

*ſciat, quod voluntas Filij à Patris voluntate non diſcrepat? Sed quoniam primus homo, qui ſuam facere voluntatem voluit, à paradiſi gaudio exiuit: Secundus homo ad redemptionem hominum veniens, cum voluntatem ſe Patris, & non ſuam facere oſtendit, permanere nos intus docuit, quia dum exemplo ſuo nos obedientiæ ſubdit, viam nobis egreſſiones claudit.* Attende Apoſtolorum apex, ſicut primus homo ſuam voluntatem adſtruere intendens non diuinam, apud paradiſum non potuit conſiſtere, ſed à felicitate fuit ablegatus: ita licet bonum tibi, in beata Thaboris viſione permanere, ſi diuinam non tuæ præponis voluntatem, à beatitudine deturbaberis. Quod ſi Chriſtum, qui Patris voluntatem impleuit, imiteris, ſemper cœleſti beatitudine potieris, nec iam apud Thabor, ſed apud cœlorum verticem commoraberis.

23. *Confirmatur obedientia fidelis in viſione Chriſti.* Pſalm. 104.

Canebat Dauid. *Quærite Dominum, & confirmamini, quærite faciem eius ſemper.* Pſal. 104. Ac ſi diceret, qui cupit Chriſto Domino hæreſcere, eiuſque potiri perſiſtenter aſpectu, quemadmodum Petrus dum ait, *Domine, bonum eſt nos hic eſſe:* faciem Domini requirat, eius ſemper ſe voluntati accommodando, *ſi vis bonum eſt nos hic eſſe.* Nec enim ſine Dei beneplacito nobis obiecto in beatitudine viſionis confirmabitur. Vnde faciem ſemper Domini intueri, idem eſt ac nos Dei beneplacitum implere. Rayner. *Quærite faciem, & præſentiam Domini ſemper, ſine intermiſſione ſtudendo attendere ad eius beneplacitum.* Vbi idem eſſe exiſtimat Chriſti ſemper faciem, ſeu præſentiam quærere, ac ſemper eius beneplacito accommodari.

Rayner.

24. *Petrus adhæret Ieſu, quia alienæ obſequitur voluntati.* Ioan. 1.

Quod ſi Petrus non tam ex Vatis monito, quam ex proprio vult ediſcere experimento, Dominum rurſum loquentem exaudiat. *Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Ioan. 1. Cuius memoriã gerens Matthæus ſcribit, *Beatus es Simon Bariona, quia caro, &c. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus.* Vbi Apoſtolus non ſolum petra fortiſſima ſtabiliſque vocitatur, ſed beatus eſſe innuitur. Beatus es, Petra es. Et videriam in beatitudine, quæ in perſeueranti Ieſu ſocietate poſita eſt, Petrus eſt ſtabilis petra? Annon quia Simon, quia diuinæ ſemper ſubditur voluntati? Pulchrè Nyſſen. hom. 15. in Eccleſiaſtem. *Simul & fratrem audit obediens & per fidem eſt conſummatus, ideò beatus dicitur, & petra agglutinatus Petrus factus eſt.* Quid mirum firmum & immobilem Ieſu feliciter obedientem Domini ſe ſubdentem voluntati hæreſcere?

Nyſſen.

## OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

*Domine, bonum eſt nos hic eſſe.*

Errat Petrus Ieſum Dominum appellans, & pro libito de conſtruendo tabernaculo deliberans.

*Vbi de propria Voluntate Dei imperium euertere procurante.*

DOMINVM Petrus Chriſtum vocat, & mox quaſi ab huiuſmodi dominatu eximeretur, adiicit, *Bonum eſt nos hic eſſe.* Si Dominus eſt, ipſe, quæ gerenda ſunt, tibi præſcribet. Quod ſi adhuc poſtquam Dominum vocitaſti, arbitrio proprio opera diſponere conaris, omninò tu diuinæ dominationi repugnare videberis. Quantum enim in ſe eſt, Dei deſtruit imperium, qui propriæ ſectator voluntatis, diſponit actiones. 25.

26. *Propria voluntas te quaſi mutans in diabolum contra Deum inſurgentem.* Matth. 16. Auguſt.

Alibi Dominus de exceſſu, quem completurus erat in Hieruſalem non cum Moyſe, & Elia, ſed cum Diſcipulis peragit, quem Petrus non tabernaculorum exædificatione, ſed verbis acribus ex charitate proculdubio obortis intendens auertere, *cœpit eum increpare, dicens. Abſit à te Domine, non erit tibi hoc.* Ieſus autem Petro *Vade poſt me Satana.* Matth. 16. Quid magis contrarium Chriſti dominationi, quàm *Abſit?* Bellè Auguſt. ad Pſal. 55. *Dicis, Abſit, & dicis, Domine?* Si Dominum profiteris, voluntas tua omninò eſt eius voluntati accommodanda. Quam appoſitè Dominus, *Vade*, inquit, *poſt me Satana.* Qui enim propriæ voluntati adſtruendæ dat operam, diabolum imitatur Dei imperium deſtruere procurans.

27. *Te contra verum dominatorem armabit.* 1. Reg. 8.

Propriæ voluntatis cultores filij Iſraël ſic ad Samuelem, *Ecce tu ſenuiſti, & filij tui non ambulant in vijs tuis; conſtitue nobis Regem, vt iudicet nos ſicut vniuerſa habent nationes.* 1. Reg. 8. En propriæ voluntatis deuiationem, expetit à populo Dei receſſum, vt gentilibus adnumeretur, deos falſos colentibus, aduerſuſque Deum verum inſurgit. Ideò Dominus conqueritur inclamans, *Non te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos.* Ad quæ acutè Caiet. *Declarat Deus Samueli, quod hæc petitio non eſt directè contra ipſum Samuelem, ſed potius eſt contrà ipſum Deũ regnantem ſuper* Iſraël. Vnde & Hebraicè habetur. *Quia non te abominati ſunt, quia me abominati ſunt à regnare ſuper eos.* Supponit Cardinalis, petitionem hanc magis à propria voluntate, quam à legis præſcripto ortum habuiſſe, ideo appoſitè Dominus conqueritur, ſe apud illum populum à dominatu deturbari, quia propria voluntas nunquam non aduerſus Domini pugnat imperium.

Caietan.

28. *Deum deſtruere conatur.*

Illuſtro doctrinam eleganti D. Bernardi ad illud 4. Reg. 5. *Erat vir fortis, & diues, ſed leproſus,* ſententia. *Voluntas,* inquit, *propria eſt, quæ non eſt communis Deo, & hominibus, ſed noſtra tantum. Hæc aduerſus Deum exercens inimicitias eſt. Porro voluntas propria quo furore Dominum maieſtatis impugnet, audiant, & puniant Domini propria voluntatis, Primum ſubtrahit ſemetipſam, & ſubducit ab eius dominatu, cui tanquam auctori ſeruire debuerat. Secundò etiam quod in ſe eſt, omnia, quæ Dei ſunt, tollit, & diripit. Tertiò nemini, qui ſit in propria voluntate, poſſet totus mundus ſufficere. Sed adhuc addit quartò & ipſum,*

*quod in ipſa eſt, punie Deum. Omninò enim vellet Deum peccata ſua, aut vindicare non poſſe, aut nolle, aut ea neſcire. Vult ergo eum non eſſe Deum. Crudelis ſanè, & execranda malitia, quæ Dei potentiam, iuſtitiam, ſapientiam perire deſiderat.* Leproſus igitur ad Iordanem abluendus accurre. *Hæc eſt immundiſſima* (concludit) *lepra animi, propter quam in Iordane mergi oporteat, & imitari eum, qui non venit facere voluntatem ſuam.*

29. *Deo imperio contradicit.* Ne ſcilicet Patri contrarius appareret. Voluntas enim propria Dei imperio contradicit. Ieſu inter Doctores commoranti Deipara, *Fili, quid feciſti nobis ſic?* Cui Dominus, *Neſciebatis, quod in iis, quæ Patris ſunt oportet me eſſe?* Attamen ſe ſe & Matris ſubmittens voluntati domum rediit. Luc. 2. *Attende igitur* (adiicit Bernard.) *quid fecerit magni conſilij Angelus. Inuentus enim in medio Doctorum audiens illos, & interrogans*, vti Patris vtique voluntati accommodaretur; *quando increpatus eſt à matre, etiam mox, quod cœperat, intermiſit. Quiſnam iam non erubeſcat obſtinatus eſſe in conſilio ſuo, quando conſilium ſuum ſapientia ipſa deſeruit.* Et cur deſeruit ſapientia conſilium illud, quod Patris erat conſilium, ſiquidem Chriſti hominis voluntas Patri Deo omnino conformatur? Quia Patris iam voluntas præſcribebat, quod Ieſus diſputationem deſereret, Matriſque voluntari eum ad domum reuocantis ſubmitteretur, ne in conſilio primo perſiſtens propriæ voluntatis ſectator, ac conſequenter Patri contrarius videretur.

Luc. 2. Bernard.

# OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

## *Faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum.*

## Errat Petrus, curans Chriſto materiale tabernaculum ædificare.

*Hominis enim iuſti præcordia Deo præparant quietis domicilium.*

30. NON aptè Petrus Ieſu materiarium curat tabernaculum exædificari, ſi hominum iuſtorum præcordia Domino præparant domicilium. Erras Petre, thronum curans conſtruere illi, qui ſibi iuſtos inta bernacula ædificauit.

31. *Non cœlis, nec terra thronũ, ſed humanũ Deus requirit tabernaculũ.* Gen. 2. Ambroſ. Deus poſt cœlorum, terræque molitionem quaſi tabernaculo carebat, donec homo, fœminaque diuinum ædificarentur in thronum. Aſſumptam enim viri coſtam eam *ædificauit Deus in mulierem*. Gen. 2. Quid mulieris formationi cum ædificio? Porrò Deus ex viri coſta quaſi ex lignis, femineæque fragilitatis maſſa ſibi domum conſtruxit, vbi commoraretur. Vndè *requieuit Dominus die ſeptima.* Ibid. Ad quæ Ambroſ. *Fecerat Dominus hominem rationis capacem, imitatorem ſui, virtutum æmulatorem*, ac ſimilem feminam ædificauit. In his requieſcit Deus qui ait, Super quem requieſcam, niſi ſuper humilem, & quietum, & trementem ſermones meos? Gratias ergo Domino Deo noſtro, qui huiuſmodi opus fecit, in quo requieſceret. Fecit cœlum, & non lego, quod requieuerit; fecit terram, Solem, Lunam, & ſtellas, & non lego, quod requieuerit; ſed lego, quod fecit hominem, & tunc requieuit. Sic Ambr.

Filiis ſic Noë felicia imprecatur, *Dilatet Deus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem.* Gen. 9. Legit Theodor. *Dilatet Deus Iaphet, & ipſe Deus habitet in tabernaculis Sem.* Et quænam Sem tabernacula, quæ Domino præſtabunt domicilium? Num cœlum? num terra? Exiſtimo ſanctorum virorum præcordia Dei exiſtere tabernacula. Adiicit Doctor, *Deum habitaturum in tabernaculis Sem prædicatur, qui primo Deus habitauit in poſteris Sem, ſcilicet in Patriarchis, & poſtea habitabit in tabernaculis Sem* ſcilicet in Prophetis. 32. *Patriarcharum, & Prophetarum tabernacula occupat.* Gen. 9. Theod.

An Angeli Dei tabernacula? Profectò Dominus in cœlicolis ſpiritibus habitat, & requieſcit; omnis enim iuſta rationalis creatura thronum exhibet Creatori. Attamen ſic eſt humano tabernaculo addictus, vt quodammodo immenſus cum ſit, vel Seraphinorum tabernacula vacua relinquat, vt ſolummodo occupet humana. Dauid, *Qui ſedes ſuper Cherubim manifeſtare coram Ephraim, Beniamin & Manaſſe.* Pſalm. 79. In primis pondero verba illa, *Qui ſedes ſuper Cherubim.* Cherubini etenim diuina præditi ſapientia auguſta plane Domino tabernacula præparant. Profectò huiuſmodi Deus poſſidens thronum quaſi vacuum relinquit. Audire Caietan. *Moyſes non figurauit Deum, ſed ſedem vacuam ſuſtentatam à duobus Cherubinis.* Hæc autem ſedes ipſi Cherubini erant, ideo Hebraïcè, *Sedens Cherubinorum manifeſtare, &c.* En Dominus tam magnifici throni poſſeſſor, tabernaculum Cherubinorum quaſi vacuum relinquit. Quare? Vti hominum occupet tabernacula. 33. *Quaſi vacua dimittit Cherubica tabernacula.* Pſalm. 79.

Iam expendo clauſulam illam: *Manifeſtare coram Ephraim, Beniamin & Manaſſe.* In cuius expoſitionem eundem præmitto Cardinalem: *Ordinauit*, inquit, *Moyſes, quod Tribus Ephraim, Beniamin, & Manaſſe haberent tentoria ſua ad plagam occidentalem Tabernaculi, in qua erat illa pars tabernaculi, quæ appellatur Sanctum ſanctorum.* Vbi equidem ſedes illa Cherubica vacua oſtentabatur. Quare igitur in conſpectu Tribuum Ephraim, Beniamin, & Manaſſe iuxta Sanctum ſanctorum reſidentium ſedes Cherubica vacua apparet, niſi vt innuat tam grata Deo hominum habitacula, vt qui ſedens apud Cherubinos non manifeſtatur, appareat coram Ephraim, Beniamin, & Manaſſe throno vtique auguſtiſſimo collocatus? 34. *Vt hominum ſcilicet occupet domicilia.* Pſalm. 79. Caietan.

Cherubini iam, reliquique Angelici ſpiritus creati fuerant, vbi commoraretur poſt Adami delictum. Dominus tamen inambulans ab hominibus exauditur. *Cumque audiſſet vocem Domini deambulantis in paradiſo.* Geneſ. 3. Annon iudicaturus delinquentes 35. *Inambulans oſtenditur ab hominibus, tabernaculo, ablegatus.* Gen. 3.

apparens

Digitized by Google

apparens (vti Patres interpretantur) aptius Cherubico throno hærens obiiceretur? Profectò qui ab hominum præcordiis, tabernaculo ſcilicet auguſto fuerat propter tranſgreſſionem ablegatus, quaſi tabernaculo careret, inambulans curat oſtentari. Ediſce, quàm ornandum pectus, quod eſt habitationi, ac requiei Dominicæ deputatum.

## SECTIO SEXTA.

# Patris teſtimonium.

## *TEXTVS.*

*Verſ.* 5. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos, & ecce vox de nube dicens: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ipſum audite.

*Verſ.* 6. Et audientes Diſcipuli ceciderunt in faciem ſuam, & timuerunt valde.

*Verſ.* 7. Et acceſſit Ieſus, & tetigit eos, dixitque eis, Surgite, & nolite timere.

*Verſ.* 8. Leuantes oculos ſuos, neminem viderunt niſi ſolum Ieſum.

*Verſ.* 9. Et deſcendentibus illis de monte, præcepit eis Ieſus dicens, Nemini dixeritis viſionem, donec Filius hominis à mortuis reſurgat.

## *COMMENTARIVS LITERALIS.*

### §. I.

### *De nube fulgenti.*

1. *Cur apparuit priuſquam Dominus reſponderet?*

ADhuc *eo loquente.*] Quare nubes apparet priuſquam Petro Dominus reſponderet? Quia Chriſtus Apoſtolo non prudenter locuto reſpondere minimè curauit, & *quæſtionem inutilem* (loquor cum Salmer. noſtro) *conueniebat ſilentio diſſolui, factoque non manendi ſatis ei reſpondit.* Conteſtatus D. Hieronym. adiicit Patrem pro Filio reſpondiſſe: *Quia imprudenter interrogauerat, propterea reſponſionem Domini non meretur; ſed Pater reſpondet pro Filio.* Dum enim Pater ait, *Ipſum audite,* Petrum docet debere ſe circa tabernaculorum exædificationem Ieſu præſcripto conformari.

2. *Authoris reſponſio.* Salm.

*Ecce nubes.* Apparuit illa, vt aliquo modo Petro concederetur, quod efflagitarat; & ne ceſſationem fulgoris Dominici aſpicerent, nec illa, quæ vocem efformatura erant inſtrumenta. Ideò in veteri Teſtamento ſemper Deus de caligine loquebatur. *Nubem* (addit Salmer.) *opponere ſolet Deus ſuæ præſentiæ, vt nos humiles reddat, nec temerè in Dei arcana irrumpamus. Lucem enim habitat Deus inacceſſibilem.*

3. *Cur lucida?*

*Lucida.*] Cur lucida apparuit? Quia non ad incutiendum terrorem, ſed ad gloriæ cœleſtis teſtimonium fuerat immiſſa. Tenebræ autem omnia obuenientia terrorem incutiunt. Vndè Dominus terrorem incutere curans, nube olim obſcura vtebatur. Teſtentur Ægyptij Hebræos inſequuti à nube tenebroſa debellati. Exod. 14. Vt autem eſſet lucida opus erat, denſam exiſtere, ſicut ſtellæ quo denſiores, eo magis ſplendeſcunt. Sic eam Salmer. deſcribit. Nubes non erat naturalis, quia non tam lucida à natura efficitur, nec terræ tam iuncta inuenitur, nec tam citò ſoluitur: ideò miraculo facta eſt, & deſcendit è loco aliarum nubium. Et quia ad operiendum facta erat, dicendum eſt, quod eſſet concaua, & in modum domunculæ, vt intus eos *reciperet.* Salm.

4. *Quosnam obumbrarit nubes?* Theoph. Damaſc.

*Obumbrauit eos.*] Quos? Non ſolum Diſcipulos, ſed & Dominum obumbrauit. Lucas, *Et timuerunt intrantibus illis in nubem.* Quinam, qui timuerunt; quinam etiam ij, qui in nubem intrarunt? Theoph. affirmat Chriſtum, Moyſem, & Eliam à nube receptos, Diſcipulis timore correptis. Conteſtatur Damaſc. Orat. de Transfigur. *Maiore timore Diſcipuli obſeſſi ſunt, Dominum cum Moyſe, & Elia intrà nubem conſpicientes.* Contrà, quia quo tempore nubes obumbrauit, Moyſes, & Elias iam diſceſſerant. Miror Patres eundem Lucam non tunc legiſſe ſcribentem, *Et factum eſt, cum diſcederent ab illo* Moyſes, & Elias, *ait Petrus ad*

*Ieſum,*

*Ieſum: Præceptor bonum eſt nos hic eſſe.* Adhuc autem poſt diſceſſum Moyſis, & Eliæ Petro loquente, *ecce nubes lucida obumbrauit eos.*

5. *Auctoris mens.* Mea ſententia erat, poſt diſceſſum Moyſis, & Eliæ nubem tum Chriſtum, tum Diſcipulos circumtexiſſe, Diſcipulos autem timuiſſe, quod viderent ſe vndique nube ambiri, ac veluti comprehendi. *Timuerunt igitur intrantibus illis in nubem,* ſiue cum ipſimet Diſcipuli à nube reciperentur. Re tamen accuratius conſiderata, textuque Græco, *Timuerunt in illos intrare in nubem* adnotato, opinor Moyſem, & Eliam inchoaſſe receſſum quando Petrus locutus eſt, *Domine, bonum eſt nos hic eſſe,* per aëraque eleuari, vt verè Lucas ſcripſerit, *Et factum eſt, cum diſcederent* ab illo, ait Petrus ad Ieſum, Præceptor, &c. Iam enim diſceſſerant à Ieſu qui non iam dexteram illius ac ſiniſtram cingebant, licet non omnino diſparuiſſent. Nubes tunc Moyſem & Eliam, aſcendentibus obuiam procedens obumbrauit, ſeque demittens Chriſtum excepit, Apoſtolos denique iam timore correptos quod Moyſem, Eliam, ac Dominum nube obtegi viderent, complexa eſt. Ad quem ſenſum Theoph. & Damaſc. facile allieiuntur.

6. *Si lucida, quomodo obumbrat?* *Obumbrauit* Quonammodo obumbraſſe dicitur nubes, cum fulgore tanto coruſcarit? Reſpondeo, quod obumbrare hoc loci idem eſt, ac obtegere, circundare. Obumbrauit, hoc eſt circumdedit, texit ita, vt cerni non poſſent.

## §. II.

### *De voce è nube exaudita.*

7. *Ab Angelo efformata vox. Abul.* ET *ecce vox de nube dicens.*] Ab Angelo huiuſmodi vocem efformatam certum eſt. Angeli enim, vt cum Abul. loquar, quando parua annunciant negotia, quæ conuenienter fiunt per miniſtros, in perſona propria apparere, & loqui conſueuerunt, vt ſcribitur de Angelo, qui apparuit Agar, ac de tribus Angelis, qui venerunt ad Abraham. Quando verò magna annunciant, loco Dei loquuntur, eiuſque perſonam induunt; ſicut in liberatione de Ægypto cum dixit, *Ego ſum Deus Patris tui.* Exod. 3. Tunc autem Angelus ob idololatriæ periculum ſe nunquam aſpectabilem exhibebat.

8. *Cur Patris dicatur?* Scio equidem vocem ab Angelo prolatam, ideò Patris dici, quia in eius perſona eſt efformata. Attamen requiro, num Angelus perſonam ſolius Patris ageret, an totius Trinitatis vices gereret? Affirmant D. Fulgent. lib. de fid. cap. 9. & D. Thom. 3. part. quæſt. 33. art. 8. quia opera Trinitatis ſunt inſeparabilia. Dixerim equidem ſolius Patris perſonam gerentem Angelum inclamaſſe conuenientius: *Hic eſt Filius meus.* Nec obſtat Patrum ratio adnotata; Pater enim locutus non eſt, ſed Angelus qui cuiuſuis ſigillatim perſonæ poteſt gerere vices. Fateor, ſi loqueretur Pater etiam Filium, & Spiritum ſanctum locuturos; quia vnica tantum trium locutio perſonarum.

9. *Quid his verbis ſignificari Patres ſentiant?* *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.*] D. Hilar. ſignificari his verbis putat Chriſtum Patri eſſe complacitum. Chryſoſt. *Filius dilectus, in quo requieſco, & oblector.* Theophyl. *In quo bene complacitum mihi, ſeu qui mihi placet.* Tertull. Prax. cap. 23. *Hic eſt Filius dilectus, in quo bene ſenſi.* Sic etiam Cyprian. & Auguſt.

Porrò D. Hieronym. Epheſ. 1. *Verbum* (inquit) *quod Latinus interpretatus eſt, Placitum, apud Græcos compoſitum eſt ex duabus integris particulis bene, & placito, quod nos dicere poſſumus beneplacitum; quia non ſtatim omne, quod placuit, & beneplacere poteſt. Sed ibi tantum beneplacitum dicitur, vbi quod placuit, rectè placitum comprobatur.* Senſus igitur eſt, *Hic eſt Filius meus dilectus* (nec maior dilectionis gradus excogitari potuit, quam dare ei eſſe hypoſtaticum Verbi, vti Salmer. adnotauit) *in quo mihi bene complacui,* in quo complacentiam habeo maximam, qui mihi infinitum in modum meritò placet, propter quem placent quicunque à me homines diliguntur. 10. *Quid ſentiendum*

11. *Audiendus Ieſus Deut. 18.* *Ipſum audite.*] Quod dictum olim per Moyſem fuit, *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, ſicut me ſuſcitauit tibi Dominus Deus tuus, ipſum audies.* Deut. 18. reperit. Non audias homines ſuapte natura mendaces, ſed Dei Filium primam vtique veritatem, quæ falli nequit, nec fallere procurat; non Moyſem balbum, & impeditæ linguæ, quia lex iam ad terminum adducta; non Eliam, qui nimio zelo cœlum recludit, & ignem homines conſumpturum aduocat; ſed Chriſtum Filium audite, qui verba vitæ æternæ habet, qui cœlum verbo aperit, qui Spiritus ſancti igne vos efficiet conflagrare. Profectò *audire* in ſactis non tantum eſt ſenſu percipere, ſed etiam credere, & obedire, opereque, quod imperatur, implere.

12. *Cur in baptiſmo Ieſus haud iubeatur audiri?* Quæris cur hîc, non autem in baptiſmo, Patris ſimiliter voce reſonante, indictum, *Ipſum audite?* Reſpondet Salmer. *Tunc non erant Diſcipuli, nec prædicauit, vt modo. Et quia circa gloriam poterant emergere dubia, in quibus Ieſus docens audiendus erat.* Moraliter in Obſeruatione reſpondebo.

## §. III.

### *Lapſus Diſcipulorum. Silentium indictum.*

13. *Caſus cauſa. Ephrem.* ET *audientes Diſcipuli ceciderunt in faciem ſuam & timuerunt valdè.*] Inſtar tonitrui vox, ideò exterruit, corruereque Diſcipulos effecit. D. Ephrem. Orat. 7. de Tranſ. *Ad hanc vocem Apoſtoli proni ceciderunt in terram, erat enim tonitru terribile; quamobrem voce eius tremuit terra, & ij ceciderunt in terram. Humana* (inquit Hieron.) *fragilitas conſpectum maioris gloriæ ferre non ſuſtinet, ac toto animo, & corpore contremiſcens ad terram cadit.* Origenes autem cadentes Diſcipulos Deo ait ſupplicaſſe. *Non ſuſtinentes gloriam vocis, neque virtutem procedentem ex ea, ſupplicarunt Deo cadentes in faciem ſuam.* Chryſoſt. *Ceciderunt trementes ſimul, & adorantes.* Euthym. *Poteſt dici, quod prociderunt in faciem ſuam Apoſtoli, hoc eſt, adorauerunt.*

14. *Auctoris ſententia.* Non quidem improbabile timore perculſos ad adorandum in faciem procidiſſe. Dominus tuo & ſupplicum, & exterritorum obiectu allectus.

15. *Cur eos tetigit?* *Acceſſit, & tetigit eos, dixitque eis, Surgite, & nolite timere.*] Voce equidem erexit, & manu.

Hæc

Hæc vox (quaſi diceret) quam audiſtis non irati eſt, ſed placati Numinis.

16. *Cur ſolum Ieſum vident?* *Leuantes autem oculos ſuos, neminem viderunt, niſi ſolum Ieſum.* Vt intelligerent legis, & Prophetarum temporarium fuiſſe fulgorem, & ſolum Ieſum remanere conſpicuum. Nam finis legis, & Prophetarum eſt Chriſtus, ad cuius miſericordiæ, & gratiæ guſtum omnis creaturarum aſpectus, & omnis Sanctorum ſplendor euaneſcit.

17. *Cur indicit ſilentium?* Chryſoſt. *Et deſcendentibus illis de monte* (nempe die ſequenti, vt Lucas ait) *præcepit eis Ieſus dicens, Nemini dixeritis viſionem, donec Filius hominis à mortuis reſurgat.*] Antè reſurrectionem equidem tempus aperiendæ viſioni minimè indicat opportunum. D. Hieronym. *Non vult transfigurationem Chriſtus in populos prædicari, ne & incredibilis eſſet pro rei magnitudine, & poſt tantam gloriam apud rudes animos ſequens Crux ſcandalum faceret.* Et Chryſoſt. *Quantò maiora de Chriſto dicebantur, tantò difficiliora tunc credi tunc videbantur, & ſcandalum, quod à Cruce oriebatur, multò magis creſcebat, ideo ſilentium iuſſit.*

Ego autem non video quodnam maius ſcandalum afferre Crux potuerit transfiguratione prædicatâ. Vnde affirmo ideò differri in opportunius tempus, nempe poſt reſurrectionem, myſterij euulgationem, vt rebus illuſtrioribus reuelatio fidem apud amplius iam edoctos fideles inueniret. Nec non approbo Damaſceni ſententiam profantis, ſilentium imperari, ne reliquos Apoſtolos, qui transfigurationi non interfuiſſent, mœſtitia afficeret. *Dolerent enim, quod tam præclara viſione digni habiti non eſſent. Inter quos* (addit Salmer.) *magis Iudas turbaretur.* 18. *Auctoris ſententia.* Damaſc.

# IN IESVM TRANSFIGVRATVM.

## Panegyricus ſextus Moralis circa Literam.

### EX PATRIS TESTIMONIO.

### *OBSERVATIO I.*

Ad illa verba:

***Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos.***

**Laboranti Petro, & non laboranti æternum Tabernaculum obiicitur.**

***Quia iuſti labores dulcedine diffluentes minimè ſunt labores vocitandi.***

19. Ambroſ. AIEBAT D. Ambroſ. Petrum ſtrenuum laborem ædificandis glorioſis tabernaculis obtuliſſe. Propterea Euangeliſtę adnotarunt eum quid diceret ignorare; quia licet gloriæ thronus laboribus, ſudoribuſque ſit extruendus: attamen laboribus iis qui potius quies ſint appellandi. Poſt mille namque exantlatos labores quaſi non laborauit, qui exædificando gloriæ tabernaculo operam impendit. Iuſtus Deo præſtans obſequium non laborat, requie fruens æternum præparat habitaculum. In cuius certè documentum nubes lucida ſine labore Petri Apoſtolis præſtat domicilium. D. Ephrem ſerm. de Transfig. *Lucida nubes eos obumbrauit. Vides Simon tabernaculum ſine labore.* A labore immunis quicunque Deo exhibens obſequium. æternum laboribus, ac ſudoribus conſtruit habitaculum. Ephrem.

Quot quantique pauperum labores! cibo vacui, veſtibus exuti, inanes voluptatibus vitam exigunt moleſtiſſimam. Obiicite menti Lazarum mendicum, ſemper miſerum precibus enixè efflagitantem viuendi ſubſidium, micas expetentem, quas minimè conſequebatur, vlceribus ſaucium exitialibus. Num inops laborabat, vt ſibi æternum extrueret tabernaculum? *Factum eſt,* (ait Dominus) *vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.* Luc. 16. Ad quæ præludens Chryſoſt. in Cat. inquit, *Ne ſaltem ambulans laboraret, portabatur ab Angelis.* Nec enim iuſtus vel minimo temporis interſtitio laborat in æterni tabernaculi, cuius ſinus Abrahæ typus, acquiſitione. Omnes enim labores impenſi nihil prorſus iuſto throni cœleſtis extructori. 20. *Lazaro laboribus exacto ſine labore thronus offertur.* Luc. 16. Chryſoſt.

Moyſes Deo, *Introduces eos, & plantabis in loco hæreditatis tuæ, firmiſſimo habitaculo tuo, quod operatus es, Domine.* Exod. 15. Septuag. *In parata habitatione tua, quam præparaſti Domine.* Si parata, 21. *Poſtquam laboribus præparato tabernaculo, quaſi ab alio præparatum inuenit.* Exod. 15.

ratà habitatiò, quonammodo à Domino præparata dicitur? Vt oſtendatur, Deum quidem æternum tabernaculum præparare, ſed omninò à labore immunem ſe operi accingere. Haud aliter iuſti laboribus innumeris habitaculum præparant, ſed quaſi minimè laboraſſent, tabernaculum præparaodo, tabernaculum præ-
Origen. paratum accipiunt. *Vide* (inquit ſcitè Origen. homil.7.) *clementiæ Domini bonitatem; non vult te inducere ad laborem: non vult vt ipſe tibi facias habitaculum, iam te ad præparatam ducit habitationem.* Quia ſcilicet poſtquam iuſti tabernaculis extruendis laborauerunt, quaſi nihil videntur laboraſſe. Tam immunis à moleſtia iuſtorum operatio.

22. *Laborãs fructus refero, & quaſi ſine labore hæreditate exorior*

Premo verba illa, *Plantabis eos in monte hæreditatis tuæ.* Exod. 15. Prius nouellæ olearum iuxta parentem exoriuntur, rigantur, niuibus, ac imbribus obruuntur, quam alibi plantentur. Quid non iuſti, oleæ illius in morem, quæ diluuio non periit quidem, ſed mirum in modum defatigata fuit, laborum, ac tribulationum vim patiantur? Attamen ſine labore æternũ habitaculum ſortiuntur. Recordare illius columbæ, quæ afferens oliuæ ramum ſe confert in ar-
Gen. 8. cam. Geneſ.8. En iſtos diluuij vndis flagellatos, attamen tam à labore immunes, vt quaſi ſpiritus alis inuecti ad æternam ſe recipiunt
Auguſt. manſionem. Pulchrè D. Auguſt. tract. 6. in Ioan. *Ramus ille, & folia, & fructus habebat. Non ſint in te ſola verba, ſint fructus, ſint labores; & redis ad arcam non per te ipſum, columba te reuocat.* Si ad prolationem fructuum laborandum mihi oleæ, inſudandum, quonammodo non pedes tabernaculum peto, ſed Spiritus ſancti alis conſtitutus? Quia quæcunque iuſtorum moleſtiæ ad tabernaculi æterni conſtructionem haud ſunt labores appellandi. Nam arbor temporis impugnatur iniuriis quaſi adnatis hæreditati.

23. *Iugum moleſtum porto & lacte diffluẽs deputor quieti.*

Iuſti equidem æterno tabernaculo præparari id in terra conſtituti electionis exhibent documentum, quod laboribus exagitari interius minimè laborant. Abrahæ Dominus, *Sume mihi vaccam triennem.* Geneſ.15. Vac-
Gen. 15. cam mihi ſeligo, æternæ depuro felicitati.
Richar. Richard. Victor. tractat. de ſacr. Dauid de Abraham quærit, *Quid, quaſo, eſt, quod Dominus à ſummo Patriarcha non bouem, ſed vaccam quærit?* Reſponderem bouem laborare quidem, ſed minimè lactis diffluere dulcedine vaccæ equidem reſeruata. Peccatores laborantes diſcruciantur; iuſti autem dum laboribus afficiuntur, lactea dulcedine immerſi, quaſi minimè laborarunt. Vndè iuſtè tabernaculo æterno deputantur, cuius aſſequendi labor potius debet eſſe dulcedo. Appoſitè Doctor, *O quale ſacrificium, & iugum portare* (en laborum cruciatum) *& inter qualibet ardua cordis dulcedinem ſeruare!* Huiuſmodi certè homines cœleſti throno deputantur. *Sume mihi.*

---

## OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

### *Ecce nubes lucida obumbrauit eos.*

### Nubes obumbrans illuſtratur.

*Edocens quidem prauam conſuctudinem in partes ſecandam, vt per partes facilius repellatur, quæ tota ſimul difficillimè vincitur.*

Conjacentes in tenebris Apoſtolos in mundialium typum nubes lucida obregit, lux obiicitur, quæ quidem obumbrat, ſiue tenebras interſecat, non omninò depellit. Hoc obumbratio, & illuminatio differunt, quod hæc omninò ablegat tenebras, illa autem in morem gladij diuidit, parte lumine perfuſâ, parte obtenebratâ. Diſcimus hinc habitum quemcunque, ſeu prauam conſuetudinem non ſemper omninò vnâ actione depelli, ſed per partes interſecandum à ſapiente, vti vna actio partem tenebrarum depellat, altera exitium tenebrarum partis exiſtat, donec tandem omninò praui habitus tenebræ depellantur. 24.

Magis in tenebris exiſtentibus lux apparuit, quæ quidem paulatim creſcens ac tenebras infidelitatis expellens omninò diem conſtituit. *Vidimus* (aiunt) *ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.* Matth. 2. Vbi Chryſoſt. *Videtur ſtella quæ tenuiter micans*, eos adducit ad diem. Quid *tenuiter* emicans ſtella efficit, niſi lucis acumine tenebras interſecare, ac diuidere, vt qui diù apud mortis tenebras habitabant, paulatim depellendo caliginem nouæ diei fulgore omninò donarentur? 25. *Magorum tenebras interſecat ſtellæ acumen.* Matth. 2. Chryſoſt.

Iſaias ſe immunda ex conſuetudine labia habere profitetur, dum apud populum immunda labia habentem habitator exiſtat. Oportebat labia prolatura Euangelium purificari, vnde *Volauit* (inquit ille) *ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem tulerat de altari, & tetigit os meum, & dixit, Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.* Iſai. 6. Cur non de præſenti ait, Aufertur iniquitas, mundatur peccatum? Annon quia praua conſuetudo non mox adhibito medicamine ablegatur? Accedat Seraphim ſemel & iterum, in morem eius qui plumbo diſiuncta coniungit, ad ignem altaris, rurſum pergat ad labia, quæ quidem vna & altera exuſtione tandem mundabuntur. Quærens Hieron. ad cap. 5. Ierem. vndenam tam difficilis labiorum mundatio? reſpondet, *Quia Iſaias ipſe ſimpliciter profitetur, quod immunda labia habeat, & habitet in populo polluta labia habentis.* Quæ autem eſt quaſi innata conſuetudo, altera equidem natura paulatim repellenda. 26. *Oſtenditur id ex Iſaia labiorum purificatione.* Iſai. 6. Hieron.

Anna

27. Anna cecinit: *Nolite multiplicare loqui ſublimia gloriantes.* Ex actuum enim multiplicatione habitus acquirentur, ex iteratis autem verbis contumelioſis praua loquendi conſuetudo generatur. *Recedant vetera de ore veſtro.* Caiet. ex Hebræo: *Exibit vetuſtas, exibit fortitudo.* Nam verbum *Ghathach* ſignificat *inueteraſcere, & roborare.* Verba arrogantia ac contumelioſa Phenennæ vetera ſiue ex conſuedine exorta, ac ſimul fortia merito vocitantur; quia conſuetudo in alteram naturā mutata ſic in animo roboratur, vt difficillimè eradicetur. Adeſt tamen diuinus Medicus carbone ignito labia mundaturus. *Deus ſcientiarum Dominus eſt, & ipſi præparantur cogitationes.* 1. Reg. 2. Pharmaci loco præſcribit, vti ipſi cogitationes præparentur, ſemel etenim & iterum atque iterum homo meditationis exercitamento laxans habenas paulatim ediſcet vno & altero remedio adinuento, quonam modo tandem praua conſuetudo paulatim imminuta penitus ablegetur.

*Exercitium orationis intercisat prauam linguæ conſuetudinem, & paulatim ſanat.* 1. Reg. 2.

28. Zachæus habitu prauo iniuſtitiæ indutus, exuendus omninò prudenter aiebat, *Domine, ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & ſi aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* Luc. 19. Et cur partem reddit, & non vno actu penitus denudatur? Praua conſuetudo bellè ſecatur in partes, vt paulatim imminuta depereat. Eleganter Chryſoſt. apud Corder. *Saluator radiis iuſtitiæ nequitiæ fugauit caliginem quia lux in tenebris lucet.* Siue diuidit tenebras, (vti nubes illa lucida) vt per partes facilius obruantur. Adiicit egregiè: *Quapropter Zachæus dixit, Dimidium bonorum meorum do pauperibus. Pulchrè diuidit iuſtitiam, ſecat auaritiam. Quodlibet vnitum, & integrum eſt validum, diuiſum autem debile; eapropter ſubſtantiam ſuā diuidit in partes. O præclaram vocem, quæ naturam, vel potius conſuetudinem ſuperat, & vincit! Conſuetudo ſiquidem altera natura eſt.* Quid meo argumento conuenientius?

*Zachæus ſecat auaritiā, vt tandem omninò repellat.* Luc. 19. & Chryſoſt.

29. *Apprehendens* olim Ahias Propheta coram Ieroboam *pallium ſuum nouum, quo coopertus erat, ſcidit in duodecim partes.* Hoc equidem Dauidis Regnum idololatria Salomonis caligine offuſum. Attamen pars vna lucida propter Dauidem remanet. *Filio autem* Salomonis *dabo tribum vnam, vt remaneat lucerna Dauid.* 3. Reg. 11. Lux equidem paruula obumbrans Regnum, quod tandē omnino exoriente Meſſia luce compleatur. Quonam aſtu? Annon diuiſis in partes tenebris, ac paulatim in fugam à conualeſcenti lumine emiſſis? Ita planè.

*Habitus prauus diuidendus vt eradatur.* 3. Reg. 11.

# OBSERVATIO III.

## Ad illa verba:

## *Et vox de nube dicens: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.*

## Chriſtus dum gerens peccatoris perſonam ad Deum reuertitur, ab ipſo excipitur, & honoratur.

*Ant. de Eſcob. & Mendoz.* de Sanctis. Tom. I.

*Vt oſtendat pœnitentiam non ſolum peccatorem Deo reconciliare, ſed & præteritam criminum infamiam abolere.*

CHRISTVS hominis gerens peccatoris perſonam & vnda Iordanis diluitur, & apud Thaboris culmina transfiguratur, vti & baptiſmi, & pœnitentiæ Sacramento peccatores edoceat innouandos, in Deique filios conuertendos. Vtrobique equidem Pater filium concelebrat præconio: *Hic eſt Filius meus dilectus.* Nunquam etenim Deus non honore afficit homines, quando poſt delicti infamiam ad meliorem ſeſe frugem recipiunt. 30.

31. Bonus Paſtor ouem deperditam adhuc infirmitate depreſſam humeris collocat, Filium autem ipſe Paterfamilias reuerſum amplectitur, vitulo exſatiat occiſo, annulo, ſtola ac calceamentis honorat. Luc. 15. Annon reduci prodigo adoleſcenti ſufficeret à Patre excipi? cur adduntur honores? Quia Deus peccatorem mutatum in filium nunquam non concelebrat, honoreque proſequitur, quem non recipit ouis erronea, quia infirma adhuc nondum eſt in filiam transformata. Vndè pulchrè D. Ambroſ. lib 7. in Luc. *Malo ergo filius eſſe, quam ouis. Ouis enim à Paſtore reperitur, à Patre filius honoratur.*

*Prodigus à Patre honoratur, non ſolum vti ouis recipitur.* Luc 15.

Ambroſ.

32. O quanto fuerat ille dedecore obſcuratus! Spoliatus quidem innocentiæ ſtola nudum referebat Adamum, annulum amiſerat anima miſera Sponſum relinquens, pergens poſt amatores, denudatis pedibus per fœdam iniquitatis viam inceſſerat: Proh hominis dedecus tam difficile ornandum? Profectò qui ex peccatore dilectum mutatur in filium, mox ita honoratur à patre, vt nullum ſit dedecoris priſtini veſtigium. *Dixitque ei filius* iam per pœnitentiam effectus: *Pater peccaui in cælum, & coram te, iam non ſum dignus vocari filius tuus,* vndè æterno dedecore obruar. Euge peccator in filium mutate, neceſſariò à me munificentiſſimo non ſolum excipiende, ſed honorande. Nudus accedis? *Citò proferte ſtolam primam, & induite illum.* Annulum amiſiſti? *Date annulum in manu eius.* Fœdatis nudis pedibus inceſſiſti? *Et calceamenta in pedibus eius.* Luc. 15. Vndenam itaque deinceps peccatori dedecus, ſi nihil Pater inornatum reliquit. Confirmo ex Ambroſ. l. de Noe c. 13. qui de viro iuſto locutus, *Operit,* inquit, *quæ aliter geſtæ ſunt amictu quodam & gratia, vt nihil indecorum prætereat, nihil inornatum relinquat.* Vt ſcilicet idem ſit ad gratiam recipi, & indecora quæque inornari.

*Omnis infamia tegitur.* Luc. 15.

Ambroſ.

33. Suam Iob ex Bedæ ſententia iuſtitiæ originalis nuditatem, qua fuit conceptus, & natus, ex qua & actualis fulgoris nuditas exortum habuit, lacrymis proſequitur, dum clamat, *Pereat dies, in qua natus ſum.* Cap. 3. Attamen iam antè de medicamine cogitarat fatus, *nudus egreſſus ſum de vtero matris,* myſticè vndè (imaginem peccatoris gerens) vlterius actualium ſuum criminum dedecore affectus. *Nudus igitur reuertar.* Cap. 1. Quidnam Iobum reuertere nudum, niſi inſtar prodigi præmiſſa

*Iob pœnitentia myſticè obruit dedecus.* Iob. 3.

Iob 1.

pœnitentia ad Patrem accedere? *In ſe reuerſus, &c.* Reuertitur Iob, pœnitentiæ affectu Patri optimo ſiſtitur? Fallar niſi dedecus criminum
Orig. aboletur, cæleſtique honoretur ſtola. Origen. hom. 1. *Nudus exiui, nudus ibo, nudus ſubſtantiâ,* (quam cum prodigo diſſipaui,) *ſed & iniuſtitia, nudus mali.* Num ex nuditate præterita dedecus remanebit? *Reuertar bonis indutus, iuſtitiâ veſtitus, ſanctitate circumdatus, charitate ornatus.* Semper enim iuſtitia pœnitentis aperit delicta, dedecus abſtergit.

34. *Remiſſio peccatorum ſimul aſſolet eſſe ipſorum operculum.* Pſal. 31.

Canebat Dauid, *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.* Pſal. 31. Vix etenim à Domino iniquitas remittitur, cum donatur nuditas præterita operculo. Expetebat ille, qui Eccleſiam fuerat perſecutus, dedecus præteritum in ædificationem Eccleſiæ ipſius aboleri; vndè curat à via inſipientis feruoris recedere, ad Ieſumque velociter currere. Inſtitutio enim noui itineris prauæ profectionis abolet veſtigia. *Quæquidem* (aiebat) *retro ſunt obliuiſcens, ad ea, quæ ſunt priora, extēdens me ipſum.*
Philipp. 3. Ambr. Philipp. 3. Vbi Ambroſ. de Noe, c. 31. *Paulus ſuperiora obliuiſcebatur, vt abſconderet perſecutionis errores, tegeret ſuperiora delicta, bonisque operibus obumbraret.* Quonam aſtu errores obnubilari curaret, niſi pœnitentiæ viam inſtituendo? Idem enim eſt peccata dimitti à Domino, ac tegi criminis turpitudinem. Acutè adiicit Pater, *Beati enim illi quorum remiſſa ſunt, & tecta peccata.* Qui te criminibus polluiſti, qui famam obſcuraſti, ad meliorem te frugem recipe, & crimina abolebuntur, & fama nouis prædita fulgoribus vti Phœnix exſurget.

# OBSERVATIO IV.

Ad illa verba:

## *Audientes Diſcipuli ceciderunt, &c. Et acceſſit Ieſus, & dixit, Surgite, nolite timere. Leuantes autem oculos, neminem viderunt, niſi ſolum Ieſum.*

## Solus IESVS à tribulatis Apoſtolis ſubleuator aſpicitur.

*Quia ſolus Deus Saluator verus alienis periculis affert opem, minimè mundiales.*

35. PRESSVS infirmitate cecidiſti? Homines à te protinus diffugient, nullus aderit niſi ſolus Ieſus corruentibus, miſeris, tribulatione agitatis ſubleuator.

36. *Solus iuſtitiæ Sol alieno periculo ſuſcipiendo naſcitur.*

Solus eſt Sol iuſtitiæ, qui alienis ſuſcipiendis periculis exoritur. Contracti iuſti aderant, ab impiis conculcati iacebāt, cum inclamauit Dominus: *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iuſtitiæ, & ſanitas in pennis eius, & ſalietis ſicut vituli de armento, & calcabitis impios.* Mala. 4.
Iuſtus exſurgit? ſe proſtratum calcantem iam erectus conculcat? Sol adfuit ſubleuator, qui ſolus periculis alienis adhiber medicinam. Ambr. Mal. 4. Ambroſ.
l. 1. Offic. *Magnus ſplendor iuſtitiæ, qui aliis potius naſcitur, quam ſibi, opem aliis ferat, pericula ſuſcipiat aliena.* Ac ſi diceret, Qui ſuſcipiendis alienis periculis naſcitur, haud creatura, magnus eſt equidem iuſtitiæ ſplendor, è quo creata ſuccenduntur luminaria.

Simeon Iſraëlis proſtrati conſolationem expectabat. *Et homo iſte expectans conſolationem Iſraël.* Qui quidem *reſponſum accepit ab Spiritu ſancto, non viſurum ſe mortem, niſi videret Chriſtum Domini* Luc. 2. Expectanti Iſraëlis erectionem quare Spiritus ſanctus non ei abſolutè promittit Saluatorem, ſed ſpecialiter *Chriſtum Domini?* Annon poterat ſuſcitari in homine puro ſpiritus Moyſis, aut Ioſue, qui erigendo, ac conſolando Iſraëli curam impenderet? Profectò veram Iſraëlis erectionem ac conſolationem expectanti neceſſariò Deus exoratus Chriſtum promittit. Sapiens enim Simeon minimè ab alio, quam à Ieſu veram conſolationem proſtrato populo expectaret. Solus Ieſus periculo alieno ſubleuando exoritur. *Expectabat conſolationem* veram *Iſraël. Non ergo* (bellè colligit Nyſſen. Orat. de Occur. Dom.) *mundanam gloriam Iſraëlis conſolationem ſapiens expectabat Simeon.* A quonam igitur veram conſolationem Simeon expectabat? *Expectabat* (ait ille) *fore, vt cum Chriſto appareret populi conſolatio.* Vera enim proſtrati erectio à ſolo Ieſu habet exortum.

37. *A ſolo Ieſu Simeon expectat Iſraëlis veram conſolationem.* Luc. 2. Nyſſen.

Tertul. lib. de Pal. hoc ſibi vacans vulgare vſurpabat, *Nemo alij naſcitur.* Solus enim Chriſtus *natus eſt nobis.* Iſai. 9. Sol vtique ſolus nobis ſubleuandis exortus. *Si Rex Iſraël eſt, deſcendat de Cruce,* hoſtes inclamitabant. Si verè Saluator, à patibulo liberetur. Imo quia non Moyſes, non Ioſue, ſed verè Saluator exurgit, Sol verus ſolus liberandis proſtratis hominibus vitam impendet. Egregiè D. Athan. de Paſ. *Dominus re vera ſeruator qui non ſua, ſed noſtra quæreret, non in ſe ſaluando, ſed in creatura redimenda Saluatorem ſe eſſe innoteſcere volebat. Non item Sol ſuum iubar in ſe contrahens pro lumine agnoſceretur niſi orbi terrarum ſuos radios exporrigat, & tenebras illuminet.*

38. *Solus Ieſus nobis natus.* Tertul. Athan.

Obiicio doctrinæ meæ Ezechielem, & Danielem puros quidem homines, attamen alienæ ſæpè conſolationi addictos. Ergo non ſolus iuſtitiæ Sol Ieſus alienis periculis ſuſcipiendis deputatur. Profectò ex quo capite illi ſubleuando afflicto populo ſtuduere, non homines quidem quodammodo erant, ſed hominis Dei Ieſu ferebant imaginem. Ideo crebrò ad Ezechielem Dominus, *Et tu fili hominis,* & nonnunquam ad Danielem. Quare hi filij hominis vocitantur, niſi quia Chriſti filij hominis typum agentes ſubleuandis afflictis addicuntur? Hinc pulchrè D. Hieron. in Cap. 8 Dan. *Crebrò ad Ezechiel dicitur, Fili hominis, & ad Daniel rarò.* (ad alios nunquam huiuſmodi titulum accommodari legi.) *Quorum vterque in perſona eius, qui dixerat, Filius autem hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet, captiuum populum conſolabatur.* Quid proſtrate, ab hominibus experis erectionem? Solus ille, qui non habuit vbi caput reclinaret, ex iis quæ paſſus eſt, nouit vere

39. *Si homines ſubleuant hominem, id gerentes Ieſu vices præſtāt.* Exech. 1. Dan. 8. Hieron.

proſtra

proſtratis occurrere, iacentes ſubleuare. *Nemi-nem viderunt niſi ſolum Ieſum.*

## OBSERVATIO V.

Ad illa verba:

## *Nemini dixeritis viſionem, do-nec Filius hominis à mor-tuis reſurgat.*

## Viſionem Chriſtus imperat obuelari ſilentio.

*Vt doceat reuelationes minimè euulgandas.*

40. VISIONES, ac reuelationes ſilentio obtegendas ſancti edocentur. Doctiſſimus noſter Salmer. *Docemur omnes, quicumque habent donum cæleſtium contemplationum, aut viſionum non eas facile detegere, nec in eis gloriari, ſed de monte deſcendere ad eruditam doctrinam.* Huiuſmodi enim acceptâ beneficia quaſi eſſentialiter decet ſilentium.

Salm.

41. Quid Paulus innumeris reuelationibus donatus? *Raptus eſt vſque ad tertium cælum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* 2. Corinth. 12. Non prius innuit reuelationes, quam ſilentium indixit. Quod ſi Corinthiis patefacit Paulus, *per annos quatuordecim* (loquor cum Salmer.) *reuelationem, & raptum in paradiſum nemini patefecerat.* Profectò cùm Corinthiis neceſſitate compulſus peruulgare curat, non reuelat omninò, cùm quaſi de alio loquens homine verba profundat. *Scio hominem ante annos quatuordecim raptum huiuſmodi hominem vſque ad tertium cælum:* Num ſola hæc Pauli reuelatio? *Ne, inquit, magnitudo reuelationum extollat me.* Vbi Chryſoſt. *Non ſola hæc reuelatio facta eſt, ſed etiam alia multa. Paulus verò vnam de multis ponit.* Imò nullam, ſi quaſi de alio homine loquebatur.

*Paulus vnã de multis, imo nullam reuelationem aperuit.*
2. Cor. 12.
Salm.
Chryſoſt.

Multis fuerat Abraham reuelationibus illuſtratus, quas nulli vnquam patefecit. Verbum illud arcanum audiuit à Domino de filij immolatione. *Igitur Abraham de nocte conſurgens,* executioni curat tradere imperium. Gen. 22. Num Saræ; Iſaac, pueris reuelauit arcanum? Chryſoſt. *Obſtupeſcepium, religioſumque, & prudentem animum. Quia enim ſciebat magnitudinem præcepti, prorſus hoc ſignificauit nec pueris, nec ipſi Iſaac, ſed ſolus ſecum agonem illum decertabat.* 42.

*Nec Abrahama*
Gen. 22.
Chryſoſt.

Quàm celebris reuelatio Moyſi apud deſertum effecta, quam viſio mirabilis! An illam vel ſocero detexit? *Reuerſus ad Iethro ſocerum ſuum, dixit, Vadam, & reuertar ad fratres meos in Ægyptum, vt videam ſi adhuc viuant.* Exod. 4 Quanto facilius pergendi cum vxore copiam impetraret viſionis, ac reuelationis ſeriem aperiendo. Attamen *ſecretum* (cum Ruperto loquor) *viſionis Dei ſeruat.* Quaſi idem ſit Dei eſſe viſionem, ac ſilentio debere cuſtodiri. *Quicumque igitur hunc imitari vult, huic ſuperfluum ſit propalare gratiam ſibi collatam coram hominibus, vt videatur ab eis; ſed opportunum tempus expectet, donec vltro clareſcat ſecretum Dei.* Nunquam enim tempus aderit; quo ab homine quodammodo liceat peruulgari, vltrò aperiendum eſt ipſo ſecreto Solis in morem clareſcente. 43.

*Moyſes ſocero reuelationem non aperit.*
Exod. 4.
Rupert.

Iam Moyſes horribilem populi caſum à Domino didicerat, iam ei Hebræorum fuerant ſupplicia reuelata. *Audiens autem Ioſue tumultum populi vociferantis, dixit ad Moyſem, Vlulatus pugnæ auditur.* Exod. 32. Moyſes autem nec ſocio inſeparabili, ac chariſſimo reuelationem ſibi factam reſerauit. Id quod ponderans Lipom. ait, *Ex his verbis colligitur ſilentium Moyſis, qui ipſi Ioſue ſocio ſuo non reuelauerat, quod, Domino indicante, ſciebat de populi caſu horrendo.* 44.

*Nec ſocio Ioſue.*
Exod. 32.
Lipom.

Diuina olim reuelatio per Pontificale Ephod fieri ſolebat. Exod. 28. vti Abulenſ. q. 15. & 16. affirmat. At Anaſt. Nicæn. qu. 38. in Scrip modum tradit, quo hæc reuelatio fiebat, fulgurante ſcilicet lapide pretioſo, qui erat in medio Ephod, quando Deus poſtulati annuebat, aut non fulgurante, quando renuebat. Vbi pondero reuelationem Dei in pallio fieri, in lineamine excipi, vt myſticè innuatur huiuſmodi gratiam operculum decere. 45.

*Reuelationẽ decet indumentum.*
Exod. 28.
Anaſt.

# LIBER OCTAVVS.

# CRIṢTI PASSIO IN HORTO.

## Paraphraſes, Commentariique Litterales ad Caput vigeſimum ſextum Matthæi, vigeſimum ſecundum Lucæ, decimum quartum Marci, decimum-octauum Ioannis.

### *PANEGTRICI MORALES CIRCA Litteram in IESVM patientem.*

### PROLVSIO.

*Dominici vitalis ligni* FRVCTVS VIII.

IN hortum hucum *Chriſtus deſcendit, cum ad Gethſemani hortum aduentat.* Vt viderem (*ait*) poma conuallium. *Cantic.* 6. Per hæc (*cum Guilhelmo loquor*) fructus ſignantur humilitatis, fructus planè optimi, vtpotè ex illa arbore bona, de qua canit Eccleſia: Arbor decora, & fulgida. *Venit Chriſtus in hortum, atque eo ipſo impleuit conuallem pomis, humiliauit ſemetipſum, dum orat, dum effluit ſudore, dum illigatur.* Itaque parum fuit Deo videre cuncta, quæ fecerat, quæ erant valde bona, niſi & deſcenderet videre poma conuallium, quibus hodie non tanquam ſimpliciter bonis, ſed tanquam optimis oblectaretur. *Sic ille.*

| MATTH. MARC. LVC. IOANN. | PARAPHRASIS. |
|---|---|
| Matth. cap. 26. *Verſ.* 14. Tunc abiit vnus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iſcariotes, ad Principes Sacerdotum, & ait: | 14. *Iudam tragœdiæ huiuſce primas partes agentem pecunia, quam contrectarat, cupiditas huc veſania pertulit, vt vltrò primarios Sacerdotes adiret, familiariſque Ieſu profeſſione, mentis autem affectu hoſtis, profaretur:* Ex c. 26. Matth. |
| *Verſ.* 15. Quid vultis mihi dare? & ego vobis eum tradam? At illi conſtituerunt ei triginta argenteos. | 15. *Quid dabitis mihi mercedis, ſi vobis eum in manus tradidero? Illi pacti ſunt cum eo triginta denariis. Tantula mercede ad facinus immaniſſimum Apoſtolus diabolus effectus conduci poterat.* |
| *Verſ.* 39. Et progreſſus *interea Ieſus apud Gethſemani hortũ* puſillum, procidit in faciem ſuam orans, & dicens, Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix | 39. *Sciens interea Ieſus inſtare tempus, quo ventura eſſet tempeſtas ſuprema, apud Gethſemani progreſſus puſillum à Petro, Didaco, & Ioanne, quos à reliquis Diſcipulis abſtraxerat, prono capite, faciem deflexit in terram. Pater mi,* (inclamans) *ſi fieri poteſt, transfer hoc mortis poculum à me. Verumtamen fiat non quod* iſte. |

iſte. Verumtamen non ſicut ego volo,ſed ſicut tu.

Luc. cap. 22. *Verſ.* 44. Et factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.

Marc. c. 14. *Verſ.* 45. Et cum veniſſet *Iudas* ſtatim ad eum,ait: Aue Rabbi,& oſculatus eſt eum.

Ioann. c. 18. *Verſ.* 10. Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum, & percuſſit Pontificis ſeruum, & abſcidit auriculam eius dexterã.

*Verſ.* 11. Dixit ergo Ieſus Petro:Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem, quem dedit mihi Pater,non bibam illum?

Matth. c. 26. *Verſ.* 57. At illi tenentes Ieſum,duxerunt ad Caïpham Principem Sacerdotum.

*ego volo iuxta corporis imbecillitatem,ſed quod tu vis ad humani generis ſalutem.*

44. *Porrò vt nos eſſemus in ſupplicio firmiores,inter orandum, tantus Ieſum angor corripuit,vt toto corpore gutta ſanguinea in terram defluerent.* Ex c. 22. Luc.

45. *Poſt brêue interſtitium Iudas dux iam ſcelerata manus, turbam ex internallo pracedens, vt adit Ieſum, dato de more oſculo,iuſſit ſalutari. Nil hoſtilius oſculo ſimulato.* Ex c. 14. Marc.

10. *Tunc Petrus, qui peculiari quodam amore Domini flagrabat, cum videret armatam cohortem iniicere manus in Ieſum, ſubito calore percitus,eduxit gladium,nec expectato Domini iuſſu, percuſſit ſeruum Pontificis; ſed* Domino *manum moderante,vt leue vulnus eſſet, tantum auriculam Malchi dexteram abſcidit.* Ex c. 18. Ioan.

11. *Quid agis ô Petre,* (inclamat Ieſus)*quorſum gladius expromitur? Recondе precor, imo iubeo. Gladio tibi pugnandum, ſed non alio,quam Euangelico ſermone amputante vitia,homines ſeruante. An non bibam calicem, quem mihi Pater tradidit hauriendum?*

57. *Aufugientibus itaque Diſcipulis, quia nulla illis ſpes, Ieſu ſe ſe ad necem offerente,hoſtes haud doctrina ſeu beneficientia Domini eleo delinti captum adduxerunt iam ad Anna domum,iam ad Caipha,quo Scriba, & Seniores conuenerant.* Ex c. 26. Matth.

# IN IESVM PATIENTEM.

## Panegyricus procemialis moralis circa Dominicam Paſſionem.

### *Dominicæ Paſſionis acerbitas, hominum compaſſio. Vbi de peccatis Dei interfectoribus deplorandis.*

1\. DOMINVM patientem videns Zacharias præſignauit,fatus: *Super lapidem vnum ſeptem oculi ſunt, ecce ego calabo ſculpturam eius, & auferam iniquitatem terræ illius in vna die.* Cap. 3. Illud: *Calabo ſculpturam,* ſic Septuagin. transferunt: *Ecce ego fodio foueam.* Aliter, *Sculpam aperturam eius.* Ac ſi diceret Pater, Sepulchrum primario meo Lapidi Ieſu pręparo, dum ſpeciali conſilio eum permitto vulnerari. D. Hieron. *Ieſus dicitur Lapis propter fortitudinem,& robur. Sculpam,ait, aperturam eius. eſt ſenſus. Iſtum lapidem clauis Crucis,lancea militis,*verberibus,ſpinis,&c.*faciam vulnerari.*

#### CAPVT I.

*Ieſus patiens lapis, ad ſuſtinendum: oculorum pupilla, ad ſenſationem.*

2\. SVper hunc igitur *lapidem ſeptem oculi ſunt.* Prima interpretatio. Lapidis in morem ſuſtinet,oculorum inſtar,afficitur. Qui Ieſum percutit Lapidem,& ſimul oculorum vulnerat pupillas; fortiſſimus ille lapis, ad innumerorum cruciatuum tolerantiam, mollis admodum, ad ſenſus acerbitatem.

*Ant. de Eſcob. & Mendoz. de Sanctis. Tom. 1.*

Confirmo ex eodem Propheta. *Qui tetigerit vos* (inquit Dominus) *tangit pupillam oculi mei.* Zach. 2. Vbi Septuag. *Tangit pupillam oculi eius.* Refertur à quibuſdam illud: *Eius* ad percuſſum, vt ſit ſenſus: Qui tangit vos, cùm quodlibet membrum corporis veſtri contundit, pupillam oculorum veſtrorum vulnerabit. Quare? Pater Filij tunc inducbatur affectu. Apud hortum Ieſus: *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte.* Matth. 26. Exponit Hilar. *Quomodo à me bibitur, ita ab his, qui poſt me paſſuri ſunt, bibatur.* Annon ego lapis ob tolerantiam, oculi pupilla ad ſenſationem? Qui igitur illos contingit, lapidem fortiſſimum concutiat, pupillam laceret. Quàm appoſitè adiicit Dominus, *Si poſſibile eſt!* Inſtar enim lapidis contundi, & fortiter dolorem acerbiſſimum vulneratæ 3

*Solus Ieſus vti lapis ſuſtinet, vti pupilla ſentit.* Zach. 2. Septuag. Matth. 26. Hilar.

pupillæ ſuſtinere, Lapidis primarij eſt. Aprius equidem ad corpus Ieſu, quod eſt Eccleſia, verba illa, *Qui vos tangit* referunrur, ac ſi diceret, Qui corpus tangit, vulnerat, pupillam oculi ſe norit vulnerare.

4. *Ieſu tunica patientiſſimi ſint oculis contexta.* Exod.28. Sacerdoti ex byſſo tunica præparatur. *Et facies tunicam.* Exod.28. *Tunicam fimbriatam.* Alij ocellaram ſeu oculorum, aut depictorum, aut filo elaboratorum multitudine ſicut & floribus ornatam. Tunicam illam lineam oculorum multitudine contextam contemplemini Ieſu patientis imaginem. Tota illa linum iniuriis ingentibus imperitum. Ab horto auellitur, torrente Cedron immittitur, alapæ, culaphorum, verborum vi, cruce contunditur, ſpinis ac clauis carminatur. En lapideam lini fortitudinem, ad tolerandum. At tota linea tunica oculis contexitur, quia nulla ſit lino noſtro iniuria, quæ non excitet pupillæ ſenſarionem.

5. *Ieſus lapis & oculus tentatus.* Cant.1. Iuſtus. Quàm appoſitè Sponſa! *Botrus Cypri Dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* Cant. 1. *Engaddi, Oculus tentationis*, ſeu *tentatio oculorum.* Iuſtus Orgel. *Chriſtus tentationibus impetitus eſt Scribarum, & Phariſæorum*, qui eum in motem botri conculcauerunt, preſsère torculari. Tèratio autem huiuſmodi, & botri ad preſſuram validi, & oculorum ad ſenſum doloris mollis planè fuit.

6. *Puteus videns percuſſus.* Gen.24. Olim *Iſaac ambulabat per viam, quæ ducit ad puteum, cuius nomen eſt viuentis, & videntis.* Geneſ.24. Vbi D.Gregor. *Via, quæ ducit ad puteum, humilitas paſſionis. Niſi Dei Filius apprehenſus crucifixus, & mortuus fuiſſet, huius putei profunditas non pateret.* Vulneribus enim lapis percuſſus aquam & ſanguinem emitrit ſalutarem. Puteus igitur *viuentis, & videntis. Viuentis* quidem, quia vulneribus excauatus lapis fontem viuum oſtentat. *Videntis* autem, quia Lapis hic tam validus ad vulnera excipienda, ſimul eſt oculorum pupillæ ad doloris acerbitatem. *Super lapidem oculi ſunt.*

---

## CAPVT II.

### *Ieſus patiens ſeptem Spiritus ſancti muneribus ſe plenum manifeſtat.*

7. Hieron. Rupert. D.Thom. ALiter Hieronym. Rupert. & D.Thom per oculos ſeptem totidem Spiritus ſancti dona contemplantur, quæ quidem Ieſus patiens vbertimè hominibus, & in dilectionis documentum, & in exemplum prælibauit. Iſaias ſic, *Requieſcit ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ, & intellectus, Spiritus conſilij, & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ, & pietatis, & Spiritus timoris Domini.* Cap.11. Vbi Forer. (Forer.) apprimè ſingulorum ſpirituum facit diſtinctionem. *Sapientia, ſeu cognitio rerum. Intellectus, prudentia. Conſilium, afflictis rebus appoſitum medicamen. Fortitudo, inuincibilis conſtantia. Scientia, Scripturarum intelligentia. Pietas, benignitas. Timor, reſpiratio in timore.* Singula perſtringo.

8. *Sapientia patientis Ieſu.* 1. *Sapientia, cognitio rerum.* Nullius paſſionis particula cognitionem Ieſu prætetiuit. *Ecce* (inquit Diſcipulis) *aſcendimus Ieroſolymam, & conſummabuntur omnia; quæ dicta ſunt per Prophetas de Filio hominis; Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur, &c.* Luc. 18. Tam præſens cognitioni Dominicæ calix hauriendus, vt ad ſanguineum ſudorem ſcientia hæc illum adferret. Quam pulchrè Salomon: *Qui addit ſcientiam, addit & laborem.* Eccl. 1. Vbi Hugo Card. *Siue homo ſit, ſiue Deus ſit, qui addit ſcientiam, addit & laborem.* Si ergo in Ieſu Deo & homine ſcientia immenſurabilis, immenſurabiles ſcirote labores. Luc. 18. Eccleſ 1. Hugo.

*Intellectus, prudentia.* Quid magis prudentiæ conſonum, quam morte ſua mortem deuorare? Serpentem illum in quem Moyſis virga conuerſa eſt, quando Magorum ſerpentes abſumpſit, Rupertus exponit virgam illam de radice Ieſſe, ſuper quam *Spiritus ſapientiæ, & intellectus. Quia igitur per aſtutiam colubri mors euenit humano generi, mortem in corpore ſuo Chriſtus prudentiſſimus veraciter ſuſcepit, & vltra non dominabitur.* Annon prudentiſſimus, qui percutientium immaniter manus intentui ſuo, hominum nempe immunitati fecit deſeruire? D. Leo ſermon. 11. de Paſ. *Admiſit in ſe Dominus impias manus furentes, quæ dum proprio incumbunt ſceleri, famulatæ ſunt Saluatori.* 9. *Intellectus.* Rupert. Leo

*Conſilium, afflictis rebus medicamen* appoſitum. Serpens conſilij typus & ſacræ, & profanæ eruditionis aſſeclis. Obiicitè vobis Conſiliarij Ieſu adhibita ingenioſè humanæ ægritudini medicina. *Sicut Moyſes* (inquit) *exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium hominis.* Ioan. 3. Ad quem locum D. Chryſoſtom. Homil.26. *Illic mortem fugerunt Iudæi temporalem, hic ſempiternam fideles. Illic ictus ſerpentum ſuſpenſus ſerpens ſanauit, hic incorporei ſerpentis plagas Ieſus cruci affixus curauit. Illic corporeis oculis ſuſpicientes ſalutem, hic incorporeis peccatorum remiſſionem conſecuti ſunt. Illic æs ſuſpenſum erat in ſerpentis effigiem, hic Dominicum corpus à Spiritu formatum. Serpens illic mordebat, & ſerpens ſanabat: hic mors perdidit, & mors ſaluum fecit.* Quodnam vulneri magis *appoſitum medicamen?* 10. *Conſilium* Ioan. 3. Chryſoſt.

*Fortitudo inuincibilis conſtantia.* Quanta patientia Saluatoris? *Singulariter ſum ego, donec tranſeam.* Singularis paſſio ſingulari vſque ad ſpiritus emiſſionem cõgruit patienti. D.Chryſoſtom. ſerm.6. de Paſſio. egregiè. *Non ſufficit paſſio communis, non mors ſimplex; niſi vt quanta erat patientia ſingularitatis, tanta eſſet & ſingularitas paſſionis. Actum eſt, vt à mundo mundi Dominus antè per pœnam, quam per gloriam cognoſceretur.* Proh immenſum dolorum ac cruciatuum pondus! 11. *Fortitudo.* Chryſoſt.

*Scientia, Scripturarum intelligentia.* Iam ex ſcripturis huiuſce erat lapidis inſculprio præſignara, nec tamen id dignoſcens Ieſus, fugitauit; ſed vltroneus ſe ſe hoſtibus addixit. *Ecce* (inquit) *aſcendimus Ieroſolymam, & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas de Filio hominis.* Luc. 18. Vbi appoſitè D.Chryſoſtom. apud D.Thom. *Vt ſcias, quoniam paſſionem prænouit, & ſpontaneus ad eam acceſſit.* 12. *Scientia.* Luc. 18.

*Pietas, benignitas* patientis Ieſu. *Tulit Abraham vitulum tenerrimum, deditque puero.* Geneſ. 18. Quem locum peodens Ambroſ. ait, *Tener, quia non dura ceruice, ſed molli iugum agnouit, crucis patibulũ non recuſauit.* D. Leo ſer. 18. 13. *Pietas.* Gen. 18. Leo.

de

de Paſ. paſſionem Dominicam magnæ pietatis appellat Sacramentum fatus: *Hoc magna pietatis Sacramentum ſicut Iudaica impietas, ita Diabolica ſuperbia neſciebat. Tenuit diſpoſita manſuetudo patientiam, & cohibita famulantium ſibi Angelicarum virtute legionum hauſit calicem doloris, & mortis, tantumque ſupplicium tranſtulit in triumphum.* En magnæ pietatis Sacramenti fructus.

14. *Timor.* Matth. 14. Ambroſ. Cyril. *Timor, reſpiratio in timore*, non ſolum in timore Dei, ſed etiam humani affectus expreſſione. *Cœpit* (ait Mareus) *pauere & tædere.* Cap. 14. Vbi Ambroſ. lib. 10. in Luc. cap. 22. *Minus contulerat mihi, niſi meum ſuſcepiſſet affectum.* Et Cyril. lib. 9. Theſ. cap. 3. *Omnia ille perpeſſus eſt, vt nos ab omnibus liberaret, Sicut igitur niſi mortuus eſſet, mors non extingueretur: ita niſi timuiſſet, nos non eſſemus à timore liberati.* Noſtrum ſuſcipit Ieſus timorem, vt ſua nos muniret fortitudine. Siue, vt proximius attingamus Forerij expoſitionem, reſpirat in timore Ieſus, vti nos emortuos ſpiritu timoris Domini viuificet, innouatique ex timore Domini reſpiremus.

---

## Capvt III.

### *Ieſus lapis percuſſus ad ſe arripit oculos compaſſionis humanæ*

15. Accommodatiùs alij ſuper lapidem percuſſum, ſeu Ieſum patientem oculos exponunt compaſſionis humanæ, quæ fletu inſeparabilis comes patientis Saluatoris eius lateri aſſideat. *Super lapidem vnum ſeptem oculi ſunt.* Percuſſio lapidis huiuſce ſit oculorum tuorum vulneratio. Si è lapide ſanguis profluit, ex oculis tuis lacrymæ effluant.

16. *Aqua & ſanguis è lapide percuſſo.* Exod. 17. Auguſt. Percuſſit olim *Moyſes petram, & exiuit aqua.* Exod. 17. In typum ſcilicet percuſſi Ieſu; è cuius vulnere ſanguis & aqua profluxit. Auguſt. *Hæc petra,* id eſt Ieſus, *percuſſa fontes producit.* Fontem vtique proprij ſanguinis, & noſtrarum fontem lacrymarum.

17. *Conuertitur fidelis in ipſius lacrymas.* Cant. 1. Ambroſ. Contunditur petra, & ſiccitate oculi feriantur? *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* Cant. 1. D. Ambroſ. ſerm. 3. in Pſal. 118. *In illis vineis lignum eſt, quod ſi quis compungat, vnguentum emittit. Chriſtus in illo tentationis ligno* (Engaddi oculus tentationis) *crucifixus illacrymabat populum.* Num populus lacryma Ieſu? Ita planè. Quando enim tentatur Ieſus cruciatibus, fidelis non ſolum deplorare, ſed deplorari; non flere, ſed in ipſum fletum debet omninò conuerti.

18. *Contuſio lapidis Ieſu noſtrarum eſt lacrymarum excitatio.* Matth. 13. Chryſol. Quia videlicet contuſio lapidis Ieſu noſtrarum lacrymarium excitatio eſt. *Simile eſt* (ait Dominus) *Regnum cœlorum grano ſinapis.* Matth. 13. Quem locum apprimè D. Chryſol. ſerm. 98. transfert ad paſſionem. *Chriſtus eſt Regnum cœlorum, qui velut granum Sinapis in hortum virginei corporis miſſus, orbe toto crucis in arbore creuit; ac tantum dedit crucis ſuæ ſaporem, cum teritur paſſione: vt quidquid eſt vitale, ſuo ſaporaret, & condiret attactu.* Saporat, condit quidquid vitale nobis eſt, paſſio Dominica in morem ſinapis? ita plane. Et quando condientis, & ſaporantis ſinapis vis non ſimul lacrymas excitat comedentis? Largos igitur fletus emittat, qui ob contuſum ſinapis granum cibatur dulcedine.

Enimverò huiuſmodi lacrymæ non tam lapidem percuſſum humectent, quam peccata occidentium Ieſum diluant. Lapis enim percutitur, vt iniquitas populi deleatur. *Et auferam* (inquit Deus) *iniquitatem terræ illius in vna die.* Quam equidem iniquitatem abluit Ieſus ſanguine effuſo, cum ſimul lacrymis obruit flagitia. 19. *Lacrymæ compaſſionis ſimul ad abluenda crimina diriguntur.*

Flentibus Ieroſolymæ Fœminis ſuper Lapidem iſtum, ſic Ieſus: *Filiæ Ieruſalem nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete.* Matth. 27. Proh infrænationis lacrymarum myſterium! Et quando tam iuſtè lacrymæ profuſæ ſunt? An non Ieremias? *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis fontem lacrymarum, & plorabo interfectos filiæ populi mei?* Cap. 1. Quid Dauid audita Saulis, & Ionathæ clade? *Montes Gelboe nec ros, nec pluuia deſcendat ſuper vos.* 1. Regum 31. Iuſtæne lacrymæ illorum? Quis ambigat? Cur ergo ô bone Ieſu, iuſtiſſimas fœminarum lacrymas ſiſti iubes deplorantium non peccatores occiſos, ſed iuſtorum parentem, non perſecutorem, ſed amicum? Non tollit, ſed dirigit lacrymarum torrentem ad ſpinas vitiorum ſuffocandas. *Super vos ipſas flete.* 20. *Non infrenat Ieſus lacrymas compaſſionis, ſed dirigit.* Matth. 27. Ierem. 1. 1. Reg. 31.

Hinc D. Ambroſ. ad illud Cantic. 1. *Botrus Cypri Dilectus, &c.* poſtquam aſſeruit Dominum tentationibus vulnerum actum illacrymaſſe populum, adiicit: *Illacrymabat populum, vt peccata dilueret.* Lacrymæ etenim à vulneribus huiuſce lapidis excitatæ in peccatorum noſtrum dilutionem impendendæ ſunt. Accedit Magdalena pedes contuſi lapidis lacrymis rigatura: ad crimina propriæ conſcientiæ comis adumbrata, ex Drogonis ſententia, diluenda fletus rurſùm traiiciat. Lacrymarum vnguentum ex hominum capite in morem fluminum illapſum (iuxta Propheticum, *Quis dabit capiti meo aquam?*) deſcendit in barbam Aaron? Chriſti ſacerdotis magni canitiem veneranda tingit, dum adoleſcentem pulcherrimum ex paſſionis iniuriis ſeneſcentem lamentatur quemadmodum apparuit Euangeliſtæ, & capilli eius *ſicut lana alba!* Adhuc fluant lacrymæ ad oram veſtimenti attritamque ex criminibus conſcientiam diluere curent. 21. *Fidelis lacrymis hodie delicta diluat.* Cant. 1. Ambroſ.

Appoſitè Ionas poſt myſticam Ieſu obortam cruciatuum tempeſtatem, dignoſcens lacrymas neceſſariò è lapidis percuſſione emanaturas, ait: *Si propter me orta eſt tempeſtas, tollite me, & mittite in mare.* Cap. 1. Quem premens locum D. Bernard. fatur. *Sic Chriſtianus, cum ſpumantes conſiderauit fluctus perſecutionum in Ieſum, credat, quod tempeſtas ob eius ſcelera orta eſt, vnde in mare lacrymarum iactare ſe debet.* Vti lacrymis immerſus, abluantur *illius populi* crimina, poſtmodumque ad reſurrectionis ripam euomatur. 22. *Ionas patiente Domino ſe immittit in mare lacrymarum.* Ioan. 1. Bernard.

Septem igitur oculorum planctu
ſeptem præcipuè Dominicæ
Paſſionis periodos
proſequamur.



Digitized by Google

## CAPVT IV.

*Primus luctus in Ieſu à Maria receſſu.*

23. *Benedici Ieſus iubet à parente.* SEptem oculorum primus planctus ſuper vtrumque ſponſum. Ex contemplatione enim Bonauenturæ diſceſſurus Dominus, apud Bethaniam Deiparæ vale dicit, memorans ſe Patris voluntati, & vitam, & mortem conſecraſſe: tempus proximum, quo diræ paſſionis obiectu gladius Simeonis virginea præcordia transfigeret; ſe paſſione & morte humanum genus ab hoſtis poteſtate liberaturum, quod vt præſtaret optimæ parentis benedictionem poſtulatum aduentaſſe. Annuit quidem Virgo nati votis, manúque ſupra cœli verticem ſignum, haud euentus ignara, crucis efformans, Videor potius te ô fili, maledictione vulnerare, quàm cumulare benedictione, ſi ſcriptum, *Maledictus homo, qui pendet in ligno.* Attamen tibi panis & vini abundantia de rore cœli ac de pinguedine terræ proueniet, ſi te cruci illigatum aſpectato. Memorare Patris Dei, te Regem contemplare, non ancillæ filium, vt de æternæ nobilitatis ſtemmate ab omni liber formidine in celſioris triumphi aſſecutionem aſſurgas. Protinus iubet abibit, flores in terra noſtra conſpicientur, Exaudiat te Deus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Iacob, memor ſit ſacrificij tui, & holocauſtum tuum pingue fiat.

24. *Peccatores committit Virginis in tutelam.* [Cant. 5. Ghil.] Matri Dominus. Te parens demum rogo, enixè precor filius, præcipio Deus, recedente me pietatis oculos ad peccatores reflectere, ad eos præcipuè, qui me & vulneribus affigent, & ligno illigabunt. *Auerte oculos tuos à me, quia ipſi me auolare fecerunt.* Cant. 5. Quam pulchrè ad hæc Ghillelmus Paru. *Auerte à me ad fratres & filios meos. Ne claudas illos, ſed auerte à me: transfer maternam pietatem à me in meos. Propter ipſos auolaui à te, vt auertas oculos illos tuos maternos à me, vt à me in meos transferas teneritudinem maternæ pietatis.* Surgit itaque Chriſtus, oſcula immiſcentur, brachia inuicem religantur, exaudiuntur, fuſis lacrymis, querimoniæ, *Tenui eum, neque dimittam.*

## CAPVT V.

*Secundus planctus de Iudæ venditione.*

25. *Ingēs reatus, pretio tradere eum, qui gratis exhiberi ſatagit.* [Orig.] IAm ſupra petram iterum lacrymæ profundantur. Chriſti hoſtibus Iudas: *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* Ingens planè Diſcipuli flagitium, (vt cum Orig. loquar) *vendere pretio volentem redimere totum mundum ſanguine ſuo.* Id quod agnoſcens ipſe ait, *Peccaui tradens ſanguinem iuſtum.* Id eſt, pretio tradens; ideò pecunias refero, vt mercedis reatus appareat, ſante D. Maximo hom. 2. de accuſ. Dom. [Maxim.] *Referens Dominici ſanguinis pretium ait, Peccaui. Accuſator eius & confitetur de ſcelere, & reus eſt de mercede.* Tantus certè huiuſmodi reatus, vt etiam præmiſſa confeſſione ſceleris, & reſtitutione facta pecuniæ, verè corde mínimè pœnitente, ſine medicina depeiiret. Ideo Iudas diabulus appellatur, *Vnus veſtrum diabolus eſt,* vt cum impœnitente dæmone deturbetur.

[Pſalm. 81.] *Vos autem,* cecinit Dauid, *ſicut homines moriemini, & ſicut vnus de Principibus cadetis.* Pſalm 81. Mortales eſtis veluti homines, impœnitentiæ autem quodammodo incapaces ſicuti dæmones quicumque Iudæ flagitij eſtis imitatores. [Orig.] Orig. *Refertur hoc ad illum Principem, qui cecidit tanquam fulgur de cœlo, modò ad Iudam.* Qui quidem ob pretij accepti flagitium loco ſupplicij impœnitentiæ quodammodo vulneratur affectu.

26. *Quam vili pretio traditus Dominus ager ſanguinis clamat.* [Geneſ. 4. Auguſt.] *Quid vultis mihi dare?* Cœleſti conſilio venditi Domini pretio ager ſanguinis emptus ſcribitur. *Vt clamet* (ait Auguſt.) *hic de terra quali pretio fuerit comparatus.* Memorans mox Abelis tragœdiá clamat. *Si dicatur tibi, vbi eſt Iuda frater tuus Ieſus? & reſponderis, Numquid cuſtos ſum fratris mei? reſpondebitur tibi, Vox ſanguinis fratris tui clamat de terra, quo pretio à te, à peccatoribus venditus fuerit Dominus.* Te miſerum, qui Deum aut voluptatis breuis, aut vani honoris, aut æris vilis pretio vendidiſti!

27. *Pauperi Mariæ tradere debemus.* [Ambroſ.] Cur ô Iuda, pecuniæ cupidus non illum ancillæ natum iubes publicari, medicum planè cœleſtem, qui ægris valetudinem, cæcis lumen, mortuis vitam poſſit impertiri. Quod ſi vili pretio tradendus, qui demum *gratis ſe obtulit,* te pecuniam referente, *ne quem* (loquor cum Ambroſ.) *reuocaret à Chriſto paupertatis neceſſitas,* pauperi matri tradere cura, quæ aut vti filium redimat, ſe ſe & hominibus exhibebit ancillam: vel te, ac cunctos peccatores excitabit ad lacrymas, contritioniſque pretio noſtræ ſuum filium à morte liberabit. Neque enim vlla Chriſtum tentabit aduerſitas, ſi nulla nos dominetur iniquitas. Pœnitet nos ô Domina aduerſum Patrem deliquiſſe.

## CAPVT VI.

*Tertia lacrymarum profuſio ob horti Orationem.*

28. *Prælatura periculum.* [Hilar.] VLterius nos ad planctum *ſuper lapidem vnum* Gethſemani hortus excitabit. *Aſſumpto Petro, & duobus, cœpit contriſtari, & mæſtus eſſe.* Proh prælaturæ periculum Principibus annunciatum! D. Hilar. can. 31. in Matth. *Ergo non antè triſtis eſt, quàm illos aſſumit, & omnis metus illi eſſe cœpit aſſumptis.* Tres ſocios aſſumit ante concertationem leones quidem, coram hoſte columbæ. Tenebræ triſtem producebant affectum, fontes lacrymantur, arbores tremunt, ventus emittit eiulatus, ſaxa ſe ſe vi immiſſa proximum præparant ad fragorem. [Orig.] *Venit Ieſus in villam. Non enim* (ait Orig.) *conueniebat, vt ibi caperetur, vbi Paſcha manducauerat.* In Euchariſtiæ hoſtium terrorem commendationem.

29. *Vndenam Ieſu triſtitia?* [Ambroſ. Paſchaſ. Hieron.] *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* Quare triſtis? Ambroſ. lib. 10. in Luc. *Triſtis erat pro noſtra diſperſione, triſtis erat pro perſecutoribus ſuis.* Paſch. lib. 12. *pro Iudæis.* Sed ponderanda particula, *vſque ad mortem.* D. Hieronym. *Non propter mortem, ſed vſque ad mortem dicitur contriſtatus; donec Apoſtolos, imò totum mundum ſua liberet paſſione.* Nec enim mortis horror triſtem Ieſu excitabat affectum. Siue malis Iudæ damnationem Dominum ad triſtitiam rapuiſſe,

puiſſe, fante Hieron. *Contriſtabatur Dominus non timore patiendi, qui ad hoc venerat, ſed propter infeliciſſimum Iudam.*

30. *Procidit in faciem.* Orig. Ambroſ. *Procidit in faciem ſuam.*] Exhibens quidem Petro humilitatis documentum. *Petrum* (Orig. ait) *magis de ſe confidentem, & alios adduxit, vt videant cadentem in faciem, & diſcant non magna, ſed humilia de ſe ſapere.* D. Ambroſ. ſic: *Procidit in faciem, vt humilitatem cordis oſtenderet habitu corporis.* Aliquando enim cordis affectus ad Dei gloriam, proximique doctrinam laudabiliter euulgantur. *Et parem* (adhuc Ambroſ.) *humiliationem eos doceret, quibus eadem immineret paſſio.* Flagella etenim à Deo humiliter excipienda. Quid ſi procidens terram amicam benedictione, ſpinis in flores commutatis, expleat, quod iam ad paſſionis inſtrumenta horribilia germina, nempe lignum, æs, ferrum, rhamnum, virgas, funeſque pepeteriſſet?

31. *A Diſcipulis recedit.* Chryſoſt. Orig. Caſſian. *Progreſſus puſillum.* Cur à Diſcipulis recedit? Reſpondet Chryſoſt. homil. 84. *Hoc faciebat, erudiens nos in orationibus quietem conſtituere, & quærere.* Quare autem *puſillum?* Orig. *Nolebat enim longe fieri ab eis, ſed iuxta eos conſtitutus orare.* Addit autem Euangeliſta, *Quantus iactus eſt lapidis.* Vbi Simon de Caſſian. *Vt nunquam* (inquit) *ita ab aliquo elongetur Chriſtus, vt conlapidatum hominis non poſſit ad ipſum, ſi velit, conuerti.*

32. *Oratio Ieſu.* Remig. Hieron. Orig. *Orauit.* D. Remig. *Cùm Dominus in monte orauit docuit nos in oratione pro cœleſtibus* (non pro terrenis) *Dominum ſupplicare. Tranſeat* (inquit) *à me calix iſte.* Hieronymus. *Hoc eſt populi Iudæorum, qui excuſationem ignorantiæ habere non poſſunt, ſi me occiderint.* Nec enim tam Dominum afficiebat mortis timor, quàm hominum crimen vulnerabat. Origen. *Tranſeat paſſio hæc à me vt mundus ſaluetur, & Iudæi in paſſione mea non pereant.*

33. *Seſe ſubdit Patri voluntati.* Orig. *Fiat* (addit) *voluntas tua.* Et quiſnam ſine huiuſcemodi indifferentiæ præmiſſione poterit tot mundi aduerſa tolerare? Ad quæ Orig. *Quis mundi odia, quis tentationum turbines, quis poſſet perſecutorum ſuperare timores, niſi Chriſtus in omnibus, & pro omnibus Patri diceret, Fiat voluntas tua?*

34. *Ad Diſcipulos recurrit.* Orig. Hieron. Hieron. Ad Diſcipulos dormientes gratiâ conſolationis accurrit. Sed quonam modo non ob dormirent, qui à Domino vel puſillum abſtrahebantur? Orig. *Puſillum progrediente Ieſu ab eis, nec vna hora potuerunt vigilare, eo abſente. Propter quod oremus, vt nec modicum aliquando Ieſus progrediatur. Erant enim oculi eorum grauati. Langueſcebant enim* (verbis vtor Hieron.) *& opprimebantur Apoſtolorum oculi negatione vicina.* Quando non orationis tepiditas miſerum caſum connotauit? Cur autem ter Dominus orauit? Remig. *Ter orat pro Petro, qui ter erat eum negaturus.*

35. *Sudor ſanguinis.* Bernard. In agonia quidem Domino conſtituto, *factus eſt ſudor ſanguinis decurrentis in terram.* Ex rubi enim aculeis aquam epotato Ieſu ſeſe præcordia ſanguineum diſſoluunt in ſudorem. *Vbi non ſolis oculis* (ait Bernard.) *ſed quaſi membris omnibus fleuiſſe videtur, vt totum corpus eius, quod eſt Eccleſia, totius corporis lacrymis purgaretur.* Proh debitorem priuſquam creditor exigat, redemptionis pretium exhibentem! hortum, pomumque abſque preſſuræ cruciatu liquorem ſponte prælibarem myrrhæque arborem ſine externo vulnere charitatis ictu pretioſiſſimum primum balſamum proferentem!

## Capvt VII.

### *Quarta illacrymatio ſuper Ieſu vincula.*

36. *Iudæ acceſſio.* Orig. Fluant adhuc apud hortum lachrymæ, Domino comprehenſo. *Surgite eamus.* Ne velocior mors, quàm moriturus; venator, quàm præda. *Ecce appropinquat qui me tradit.* Num tibi Domine, appropinquat? Reſpondet Orig. *Non dicit appropinquat mihi; nec enim ipſi appropinquabat traditor eius.* Sacrilegus enim etiam cum labiis Euchariſtiam præſumit, à Domino peregrinus abſcedit. *Qui me tradit.* Quiſnam? *Vnus è duodecim.* Numquam enim, adnotante Chryſologo, perfectionis in vertice conſtitutus cadit niſi dux flagitij, magiſter delinquendi.

37. *Signũ Iudæ.* Hieron. Traditor autem *dedit eis hoc ſignum: Quemcumque oſculatus fuero, ipſe eſt.* Proh fictè oſculantis audaciam! Orig. *Omnes proditores veritatis amare veritatem fingentes oſculi ſigno vtuntur.*

38. *Percutit Petrus Malchum.* Hieron. Bernard. At Petrus tutandi zelo Magiſtri miniſtrum Pontificis vulnerauit. Cui Dominus: *Conuerte gladium in locum ſuum. Gladio* (ait Hieronym.) *peribit, qui gladium ſumpſerit, illo nempe qui igneus vertitur ante paradiſum.* Medicinam itaque Ieſus adhibet genas ſacratiſſimas percuſſuro, ne auditu priuatus poſt tam ingens delictum omninò ouiculæ miſerandæ à leone abſumptæ exeundi aditus recluderetur. Se Ieſum inclamans, hoſtes teſtæ addicit, vt appareat ex Bernardi ſententia, qualis iudex, ſi talis iudicandus? Denique illigatur vinctos liberaturus, ex hortoque præripitur, vti Adamus paradiſi admittatur in hortum.

## Capvt VIII.

### *Quintus fletus apud domum Pontificum.*

39. *Cur Ieſum adducunt ad Pontifices?* Raban. Præterea apud Pontificum baſilicam lacrymabor. Ducitur etenim Ieſus ad Annam, qui ſocer Caiphæ, & eiuſdem domus incola, & eidem tribunali aſſidebat. *Ideò autem* (auctore Rabano) *eum illuc adduxerunt, vt cum conſilio omnia facerent. Propterea ducitur, vbi Scribæ & Phariſæi conuenerant: Vbi Caiphas eſt Princeps, ibi congregantur Scribæ, & Phariſæi literati, qui præſunt literæ occidenti.* Salutare prorſus conſilium, ſed ab improbis ſuſpectum, ab inuidis exitiale.

40. *Alapa.* Chryſoſt. De doctrina inibi à Pontifice, de Diſcipuliſque interrogatus prudentiſſimè reſpondet, ſed crudeliſſimè à Malcho alapâ vulneratur, inclamante Chryſoſtomo, *Obſtupeſcat cœlum, contremiſcat terra, Deus alapa percutitur.* Væ tibi, ô manus Ieroboam, quæ non veſtes Prophetæ, ſed Domini Prophetarum faciem percuſſiſti. Innocens Michæas prætextu veritatis vulneratus. Num ô Sponſa candidus hic & rubicundus? Minimè agnoſco. Reſpice Mater. Nec pulchritudinis filij veſtigium conteri plor.

templor. Ergo ô Pater *reſpice in faciem Chriſti tui*, noſque ab æterna eripe confuſione.

41. *Falſi teſtes.* Caiet.

Teſtes aſſident falſi prorſus. Quare falſi vocitantur: Caiet. *Aduerte falſos teſtes appellari, quia verba Ieſu mutauerunt. Nam Ieſus dixerat, Soluite templum hoc: iſti referunt, Poſſum destruere templum.* Nec enim adductus in teſtem debes vel verborum ordinem inuertere. Multi aduerſus Ieſum falſum afferunt teſtimonium; nec à corruptis iudicibus creduntur. Sceleratorum etenim verba ſuſpecta prorſus à doctis habentur, nec improbus affectus poteſt coram veritatis fulgore excutire. *Ieſus autem tacebat.* Chryſoſtom. (Chryſoſt.) *Etenim figura ſolum iudicij ibi erat, in veritate autem latronum erat incurſus ſicut in ſpelunca, & ideò ſilet.* Vero quidem in iudicio locuturus. Scindit Pontifex veſtimenta, vti ſe ſe prauus Presbyter ſacerdotali gloria ſpoliaret. D. Leo. ſerm 6. de Paſ. (Leo.) *Et neſciens quid hæc ſignificaret inſania, ſacerdotali ſe honore priuauit.* Præterea *oſtendit* (loquor cum Hieronym.) (Hieron.) *Iudæos ſacerdotalem gloriam perdidiſſe.* Quid plura? *Illi reſpondentes dixerunt. Reus eſt mortis.* Vbi Chryſoſt. (Chryſoſt.) *Ipſi, inquit, accuſantes, ipſi deferentes, ipſi ſententiam proferentes. Quid aiunt, vobis videtur?* Peribit lex, veritas oppreſsione afficietur, ingemiſcet iuſtitia, quando mentis peruerſæ iudicium remittitur arbitrio.

42. *Petri negatio* Chryſoſt.

Petrus quidem ſequutus fuerat *à longè* Saluatorem. *Longe enim* (inquit Chryſoſt.) *ſequebatur, qui erat Dominum negaturus.* Nec enim repente celſa excidit ædificatio. *Acceſſit ad eum vna ancilla.* Ad quæ Raban. (Raban.) *Quid ſibi vult, quod prima eum prodit ancilla, cum viri magis eum potuerint recognoſcere, niſi quod iſte ſexus peccare in necē Domini videretur, vt eius redimeretur paſſione.* O quot mendaciorum, quot periuriorum, quot necium cauſæ mulieres! Petra corruit? Petrus abnegat? Pontifex graui vulnere ſauciatur? D. Ambroſ. (Ambroſ.) *Vbi negat Petrus? In prætorio Iudæorum: ibi negat, vbi Chriſtus captus, vbi Chriſtus ligatus eſt. Quomodo enim non erraret, quem intromiſit oſtiaria, & interrogauit oſtiaria?* Quando Sacerdos non corrumpitur, corruptorum choro aſſociatus, cum muliercula colloquium inſtituens? *Non noui*, ait, *hominem.* Trium negationum ſic Raban. (Raban.) ſeriem expreſſit. *Primum ait, Neſcio quid dicis; ſecundò eum iuramento negat; tertio cœpit deteſtari, & iurare. Perſeuerare quippe in peccato dat ſcelerum incrementum; & qui minima ſpernit, cadit in maiora.* Porrò ſaucius ille *egreſſus foras fleuit amarè. In atrio enim Caiphæ* (vti adnotat Hieronym.) (Hieron.) *non poterat agere pœnitentiam.* Cuncta hæc grauiſſimè Dominum vulnerarunt, qui non tam afficitur Iudæorum miniſtrorum alapis, colaphis, vulneribus, dum oculis vili illigamento occluſis huc illuc diſtorquetur, quàm Petri abnegatione.

## Caput IX.

### *Sexta deploratio ex Pilati iudicio.*

43. *Accuſatio examinatur.*

Romane Præſes, ad te vinctus laxatur, vt patibulo addicas. Rurſum hic lacrymæ profundantur. *Quam accuſationem* (inquit Præſes) *affertis aduerſum hominem hunc?* Prudenter planè, & iuſtè. Nam licet *illi tradiderant* (loquor cum Euthym.) (Euthym.) *Pilato eum ad interficiendum, non ad inquirendum. At ille non tulit, vt priuſquam perquireret, occideretur; ideò diſcere vult, quæ ſit accuſatio.*

44. *Iudæorum calumnia.* Auguſt.

Reſpondent Iudæi, *Si non eſſet malefactor*, tuo non ſiſterent tribunali. Queis Auguſtinus: *Interrogentur, atque reſpondeant ab immundis ſpiritibus liberati, languidi ſanati, leproſi mundati, ſurdi audientes, muti loquentes, cæci videntes, mortui reſurgentes vtrum ſit malefactor Ieſus, & reſpondebunt, Bene omnia fecit.* Ieſu itaque ſilentio profundiſſimo labia obfirmanti Pilatus, *Nihil reſpondes?* Cur tacebat? Chryſoſt. (Chryſoſt.) *Ideò nihil reſpondere voluit, ne crimen diluens dimitteretur à Præſide.*

45. *Ad Herodē immittitur.*

Qui quidem agnoſcens Ieſum hoſtium inuidia præcipuè vulneratum, primùm ſe ſe à cauſa curauit excutere. Audiens enim è Galilæa exortum, ad Herodem immiſit, à quo conticens Dominus ludibrio affectus, veſte alba, indutus à prophano Sacerdotum indumento percutitur, ſante D. Laurentio Iuſtio. (Lau. Iuſt.) *In veſtibus toties illuditur Chriſtus, quoties qui præſunt in Eccleſia pretioſarum veſtium apparatu nitent, & tranſitoriis proſperitatibus delectantur.*

46. *Barabbas dimittitur.* Hieron.

Deinde ſuadere Iudæis curat Chriſtum paſchali donari indulgentia. At *concitauerunt illi* (verbis vtor Hieronym.) *populum, vt peterent Barabbam, & crucifigerent Ieſum. Hic duo hirci adſunt, vnus emiſſarius cum peccato populi in deſerto inferni abſolutus dimittitur, alter pro peccatis abſolutorum vt agnus occiditur.* Sicut enim prædeſtinationis ſignum eſt, homines in præſenti laboribus exagitari; à tribulationum eximi iugo magnum eſt damnationis documentum. *Intuere precor*, (ex D. Ambroſ.) (Ambroſ.) *quod condemnationis ingreſſus liberationis condemnatorum ingreſſus fuit.*

47. *Flagella.*

*Tunc ergo apprehendit Pilatus Ieſum, & flagellauit.* Tunica polymita Ioſeph exuitur à fera peſſima abſumendus, Noë ebrius charitate nudatur, vti Adam immortali rurſum ſtola donaretur. Columnæ Samſon illigatur peccatorum euerſurus ædificium. *O charitas* (clamat Laurentius Iuſtinianus) (Laur. Iuſt.) *quàm magnum eſt vinculum tuum, quo Deus ligari potuit! Nullum vinculum Filium Dei ad columnam tenere poſſet, ſi charitatis vinculum defuiſſet.* Milites igitur ſex (iuxta Brigittæ reuelationem) & virgis, & neruis, & catenis aculeatis horribiles corpus contundunt, ſanguini innumeras vias aperiunt, fontis in morem cruore diffluente. Suprà Dominicum dorſum *arauerunt peccatores*, non vt iniquitas prolongetur, ſed vti vitalia germina producantur. *Lanietur* (Baſil ait) (Baſil.) *corpus, ſeminate multa in me, vt multiplicem fructum metam.* Quid ſi Deipara à Ioanne admonita ad prætorij oſtium acceſſiſſet, ſi vulnerum audiſſet fragorem? A fera peſſima, ô Virgo, fuit pulcherrimus voratus adoleſcens, *vide an tunica filij tui ſit?* Soluuntur vincula, excidit Chriſtus exanguis, ſanguinis profuſi vndis immergitur, ſi verus Iſraëlita deberet liber ad ripam vlteriorem properare. Pharao immerſus rubri maris vndis, & ſanguineo Ieſu pelago crimina hominum non obruentur?

48. *Spinea corona.*

Requirit ille veſtes, quas hoſtium crudelitas abſcondebat; induitur, conqueritur, *Vermis*

ſum

*ſum & non homo.* Quovſque tantum ingrata ſponſa abuteris noſtra patientia? Proh hominum peruerſitatem! Accurre adultera in virginem conuertenda. *Voca me pater tuus.* Necdum Dominus ſaturatus opprobrio. Induitur enim chlamyde coccinea, vt potētiam regulorum mundialium irrideat. Spinea corona ſtipatur.
Origen. Quia *in ſpinea illa corona* (ait Orig.) *ſuſcepit ſpinas peccatorum noſtrorum intextas in capite ſuo.* Calamum geſtat, noſtra vt fragilitas roboretur.
Ambr. D. Ambroſ. *Arundo comprehenditur manu Ieſu, vt humana fragilitas non iam ſicut arundo moueatur a vento; ſed operibus Christi corroborata fundetur.* Rex talis populo oſtentatur inclamanti, *Tolle, tolle crucifige, &c.*

---

## CAPVT X.

### *Septimus eiulatus pro ſuffixione.*

49. *Ieſus Crucem baiulat.* SVper lapidem vltimò defleamus. Damnatur Chriſtus Præſidis edicto Mox Crux extollitur mundum ſubleuatura, quam oſculis Ieſus honorat, irrigat lacrymis, effert præconiis. Onus humeris imponit, nec enim leue vnquam imperium; præcedentibuſque præconibus, latronibus, ſtipantibus, Iudæis ſequentibus, curſitantibus miniſtris, en exit Iſaac ligna geſtans ſacrificij, dum Pater gladium, Spiritus ſanctus ignem oſtētat. Dauid paradiſi clauem reportat, Ioſeph manipulum geſtat regnaturum, explorator lignum botri baiulum, ramum Eliacim; hominibuſque Iacob ſcalam, gladium Gedeonis, Salomonis thronum, arcum cœli, arcam maris oſtentat.

50. *Crux Simoni traditur.* Leo. Vti velocior aſſurgat ad mortem. Crux Simoni prætereunti traditur, gētili equidem non Hebræo. D. Leo: *Vt ſacratiſſimo Saluatoris opprobrio non Hebræus quiſquam, nec Iſraelita; ſed alienigena* (illorum in ſibilum) *ſubderetur.* Manibus etenim ſæpè commutatis & minor Manaſſes eligitur, & maior Ephraim in imperio haud tam dignus exiſtimatur. Lacrymantes fœminas triſti remouet ab affectu. *Ablaturus*
Ambroſ. enim (ait Ambroſ.) *erat omnes lacrymas ſuo beneficio crucis.*

51. *Suffixio.* Dum denique crucifixio pręparatur, myrrhatum vinum Ieſu offerunt in leuamen, quod renuit exhaurire deguſtatum. Cauſam reddit
Auguſt. Auguſt. *Hoc indicat, quod guſtaueris pro nobis mortis amaritudinem,* ſe etenim eximens à leuamine, amaritudini minimè negauit. Manus itaque ac pedes configuntur patibulo, vti quatuor flumina vitalia Dominico e paradiſo per-
Hieron. fluant, & homines *videant* (inquit Hieronym.) *ſanguinem* Saluatoris ad ſacri pœnitentiam prouocantem.

52. *Extollitur Crux.* Bernard. En Crux extollitur, fructus vitalis arboris mortuis exhibetur, mundus innouatur. *Opprobria* etenim *Ieſu* (cum Bernardo illacrymor) *noſtrum abſtulère opprobrium, vincula eius nos liberos fecerunt, corona ſpinea capitis eius diadema regni adepti ſumus, vulneribus eius ſumus ſanati, ſepultura eius reſurgemus, deſcenſione eius ad inferos nos aſcendimus ad cœlos. Hæc prauidens Propheta, ait. Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem,* reſpondet, *accipiam,* me ſcilicet effuſo affectu tot laborum vndis immergam.

*Scripſit autem & titulum Pilatus. Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*] En Sacerdotem magnum ineffabilis nominis inſcriptione nobilitatum. Orig. hom. 35. In Matth. *Verus Princeps Sacerdotum Ieſus, In cruce habebat ſcriptum, Rex Iudæorum, ſuſcipiens Patrem in ſe pro literis.* Pater regnat, me oportet miniſtrare. Aiebat Euthym. *Pilatus ſcripſit titulum in patrocinium Chriſti.* Titulus enim Iudicer cum eſſet, patientiſſimus Ieſus, cuius affectus pati, iniuriam accipit in leuamen. 53. *Titulus.* Orig.

Veſtibus à militibus diuiſis inconſutilis tunica haud diuiſa remanet in vnitatis Eccleſiæ documentum. Cyprian. de vnit. Eccl. *Hoc vnitatis ſacramentum, hoc vinculum concordiæ inſeparabiliter cohærentis oſtenditur, quando tunica Ieſu non diuiditur.* 54. *Veſtes.* Cyprian.

Deſcenſionem Domini è Cruce Iudæorum clamore diabolus curat perſuadere. Crux etenim (haud hoſte inſcio) *infracta, & inuicta arma,* (vti ait Sinaita lib. 11. Examer.) *in quibus Eccleſia Dei conterit, & aufert caput ſerpentis.* 55. *Clamores.* Sinai.

*Ieſus autem dicebat, Pater ignoſce illis.*] Sanguis hic noui teſtamenti verum Abel benignum iam excitans ad clamorem. Arnoldus Carn. *Nullus omnino ſeueritatis locus ibi eſſe poterat, vbi vulneratus Chriſtus proprij mercedem ſanguinis exigebat.* Merces meo ſanguini hæc, vt effuſſioribus venia diſpenſetur. *Ad hanc vocem* (Gloſſa ait) *multi crediderunt.* Proh benignitatis efficacia vel Saulem emolliens! *Num quid hæc vox tua eſt, fili mi Dauid? Et leuauit Saul vocem ſuam, & fleuit,* 1. Reg. 24. 56. *Ieſu veniam hoſtibus efflagitat.* Arnold. Strab.

*Cum vidiſſet ergo Ieſus Matrem & diſcipulum ſtantem, quem diligebat, dicit Matri ſuæ, Ecce filius tuus. Deinde dicit Diſcipulo, Ecce Mater tua.*] *Vices enim* (vt cum Arnold. loquar) *filij naturalis filius accipit adoptiuus.* Quod ſi (eodem anctore) in ſpecialis dilectionis documentum Ioannem Virginis conſtituit in filium, quam præſtans diuinæ dilectionis ſignum erit, te Deiparæ dulcem, perſeuerantémque impendere affectum? 57. *Matrem Ioãni committit.* Arnold.

Profectò *obſcuratus eſt Sol. Nec enim* (ait D. Athanaſ.) *ipſe Sol hoc ſpectaculum tulit, ſed totus obtenebratus eſt, negligens iam præceptum de hominibus illuminandis, & nunc demum prævaricari audens, cum videret Dominum ſuum, qui hoc illi præceperat, ab hominibus excruciari.* Quotiens tibi delinquenti bona communia denegantur? 58. *Sol obſcuratur.* Athanaſ.

Iam vno latrone pereunte (ne nimium de benignitate impius diu præſumas) alter cruci illigatus æterna liberatur à clade. Drogo ad hæc de ſacr. Paſ. *Quis latro ille fuit? Adam, qui ex quo in paradiſo ſui ipſius homicidium perpetrauit, tandiu à Chriſto fugit reus, & abſcondit ſe, donec in Crucis articulo nouiſſimè conſumptus, & comprehenſus fugere, & latere amplius non poteſt.* O quotiens comprehenſus fugi! Me cautè ô Domine duci iubeas, ne à vinculis cum Barabba miſerè damnandus abſoluar. 59. *Latrones.*

Aſſumpto aceto, dixit, *Conſummatum eſt.* Nec enim guttulam de calice dereliquit, Patris omnino explens voluntatem in hominis ob illas quas leues transgreſſiones reputat, demum exitiale documentum. D. Ambroſ. Serm. 1. ad Pſalm. 67. fatur, *In paradiſo mandauit Adæ, vt cuſtodiret mandata, ſed forte non* 60. *Conſummantur omnia.* Ambroſ.

*non mandauerat cuſtodiri nimis, & ideo lapſus eſt, putans, quod in parte aliqua recedens à mandato non penitus erraret. Sed quia à ſummà mandatorum receſſit, totam deſeruit vitam.*

61. *Actio potatur.* O quam feliciter ob poculum exhibitum ex gentibus Domino cœleſti Iſaac copulatur Eccleſia! Nam ſi ex potus ſigno Abrahæ famulo Iſaac præſentatur ſponſa, iam ob poculum ſibi exhibitum (ſi ex alicuius ſententia leuaminis cauſa Dominus aceto potatur) gentes
Bernard. ducit ad thalamum. Vnde pulchrè Bernard. Ser de Paſ. *Sedes ſponſalis crux eſt, in qua verus Sponſus Sponſam ſuam Eccleſiam ſibi copulauit.*

62. *Clamor magnus* *Et clamans voce magna*, (moriturus enim feruentiori aptè exſurgit affectu) *ait, Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum,* ] Patrem dulciter appellat, Amat enim Deus è patris po-
Chryſoſt. tius, quam iudicis nomine inſigniri. Chryſoſt. hom. 16. in Matth. *Si conceperimus ab initio creati hominis cauſam intelligemus, quia Deus magis ſe patrem voluit eſſe hominum, quàm Dominum. Non enim dixit tantummodo, Faciamus hominem; ſed faciamus ad ſimilitudinem noſtram.*

63. *Mors.* *Ieſus autem clamans voce magna, emiſit ſpiritum.* Et cur obiturus inclamat, niſi vt mortem fugientem perſequeretur, vt vulneratura rediret! Bellè Euſeb. l. 4 c. 12. *Cum altius vocem emi-* Euſeb. *ſiſſet, ſolutus à corpore abiit, ne vtiquam expectans, dum mors ad illum cunctantem, & fugitantem ipſe à tergo inſequitur.*

Ad hæc petræ ſcinduntur. *Debebat enim* (vti 64. D Leo ſerm. 9. de Paſ profatur) *hoc teſtimonium* *Petrarum* *ſuo mundus auctori; vt in occaſu Conditoris ſui* *ſciſſio.* *vellent omnia finiri.* Leo.

Lanceæ mucrone diro (quid namque crude- 65. lius, quàm in mortuos ſæuire?) latus foditur *Lancea.* Saluatoris, vti iniuria nouam veluti efformaret Eccleſiam. Vnde Tertull. lib de anima cap. 48. Tertull. *De iniuria perinde lateris vera mater viuentium figuratur Eccleſia.* Et quos ex iniuriis fructus non accipiamus?

Sepulchro denique corpus Dominicum 66. amandetur humano, & crucifixi, & ſepulti no- *Sepulchrum.* ſtra opera exhibeant indicamenta. Ambroſ. Ambroſ. Exhort. ad virg. *Dormiat caro tua, vigilet cordis prudentia, membra tua redoleant Crucem Chriſti, & ſepultura odorem.* Num velut mare, ſepulto Domino, contritio tua? Vtinam quod accepiſti cadat et haud maris in morem poſt diem tertium ſiccam euomas in arenam.

SECTIO PRIMA.

# IVDÆ PRODITIO.

## EX CAP. 26. MATTH.

## *TEXTVS.*

*Verſ.* 14. Tunc abiit vnus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iſcariotes, ad Principes Sacerdotum, & ait:

*Verſ.* 15. Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? At illi conſtituerunt ei triginta argenteos.

## *COMMENTARIVS LITERALIS.*

### §. I.

### *Num particula* Tunc, *pertineat ad Magdalenæ vnctionem, an ad Concilium?*

1. *De particula.* Tunc. TVNC. Quæſtio voluitur, num hæc particula ſit referenda ad vnctionem Magdalenæ in Bethania, vt innuit Euangeliſta, dum conſequenter poſt hiſtoriam illam, tranſit ad Iudæ proditionem; vel ad Principum Sacerdotum concilium, de quo Matth. 26. Communior ſententia aduerbium *tunc* refert ad Concilium. Patronos habet Auguſt. Bed. Caiet. & alios. *Tunc* (ait D. Thom.) *referetur ad illud, quod dictum eſt, quod congregati ſunt Principes Sacerdotum, &c.* Vnde Euangeliſta, *Tunc* (inquit) *abiit vnus è duodecim ad Principes Sacerdotum*, quaſi petat proditionis principium.

Non dubito ſtimulatum Iudam ad facinus 2. ex vnctione, ac effuſione vnguenti, ideoque *Auctoris* Matthæum in præſenti cœnæ arbitror Betha- *mens.* niæ, pietatiſque Magdalenæ feciſſe mentionem. D. Anſelm. *Hæc*, inquit, *vnguenti effuſio fa-* Anſelm. *cta eſt ante ſex dies Paſchæ. Ioan. 12. Sed hic* Strab. *interſerta eſt, quia fuit cauſa proditionis. Quaſi ita diceret Matthæus: Cum congregati eſſent Principes Sacerdotum, & concilium facerent, tunc Iudas abiit, & hoc fine cauſa, &c.*

*Vnus*

3. *Nullus locus tutus. Gregor.* *Vnus de duodecim.*]Et cecidit?Non locus tutus, quo Sathanæ non penetrent iacula, quia omnia circuit.D.Gregor.ad hæc lib.8.epiſt.45. *Antiquus hoſtis terrarum locus à tentatione non excluditur. Quia ſi in paradiſo hominem ſtrauit, quis locus extra paradiſum eſſe poteſt, in quo ad mentes hominum penetrare non valeat?* Num Apoſtolicum collegium? Cecidit vnus de Principibus Iudas. *Sola ergo Creatoris noſtri protectione fidendum eſt, cui ex intimo corde clamemus: Eſto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij.*

## §. II.

*Excidit Iudas vnus è Duodecim.*

### Admonens vnius caſu ſocios haud affici ignominiâ dedecor.

4. *Cyprian.* NVm collegis Iudas excidens dedecori fuit?ipſe ſibi cadens Iudas attulit ignominiam,non vndecim Apoſtolis. D.Cyprian. de vnitat.Eccleſ. *Iudam,* inquit, *Dominus inter Apoſtolos elegit, & tamen Dominum prodidit. Non tamen idcircò Apoſtolorum fides, & firmitas cecidit: quia proditor Iudas ab eorum ſocietate defecit. Sic hic non ſtatim confeſſorum ſanctitas, & dignitas comminuta eſt, quia quorundam fides fracta eſt. Stat confeſſorum pars maior, & melior in fidei ſuæ robore.*

5. *Lucifer Angelorum famam non obſcurauit.* Sanctorum opinio ob improbum ſocium non læditur. Lucifer ille, qui in ſplendoribus cœleſtibus oriebatur, miſerè cecidit. Num Angelorum perſiſtentium famam obſcurauit? Audite Nazianzenum de laud Virg.

*Angelus ante fuit mire ſplendore coruſcus,*
*Lucifer, aſt illo cœleſti ex arce ruente,*
*Cœlitibus tamen incolumis ſua gloria manſit.*

6. *Zizania boni ſemmis ſocij gloriam non deturpant. Matth. 13.* Serui Patrisfamilias de zizaniis cum frumento exortis offenſi, inclamant, *Vis imus, & colligimus ea?* Queis Dominus, *Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem. Tunc dicam meſſoribus: Colligite primum zizania, & alligate ea in faſciculos, ad comburendum.* Matth.13. Vbi Auguſt. domus Dominicæ collegium veneratur. Hic Sanctorum communitas, ſed quandoque apparent zizania; id eſt, ſocij adeò impietate præſtantes, vt æternis ſint flammis addicendi. Proh Deus immortalis! Annon Sanctorum fama obſcuratur ex collegarum prauitate? Profectò ea eſt ſanctæ communitatis conditio; vt multi improbi ſocij non corrigendi, ſed damnandi; etiamſi eorum damnatio peruulgetur, nullatenus Sanctorum opinionem inficiant, licet à collegio non excludantur.

7. *Ablegandus Iudas vt ſanctis purgentur.* Attamen adhibenda cura zizaniis euellendis, vt ablatis prauis ſociis, Dominica hæreditas ſplendidior appareat. Ablegato improbo Iuda, tunc *clarificatus eſt Filius hominis*, clarior redditus Apoſtolorum cœtus. Cum è cœlo dæmones corruêre, purgata quidem extitit Spirituum ſanctiſſimorũ maſſa. *Cum ſubleuatus fuerit Leuiathan, timebunt Angeli, & territi purgabuntur.* Iob 41. Ad quem locum Gregor. *Diabolus,* inquit, *lapſus Angelos terruit, & purgauit, ne Conditorem ſuum ſuperbi deſpicerent. Purgauit verò, quia exeuntibus reprobis, actum eſt, vt electi ſoli remanerent.*

8. Ouicula illa ab ouium electarum grege recedens ſiue ſit homo perditus, ſiue Angelus

*Ant. de Eſcob. & Mendoz.* de Sanctis. Tom. I.

prævaricator, non equidem ſanctarum ouium collegium obſcurauit, ſed ſua purgauit ruina. Luc. 15. Pulchrè D. Auguſt. *Tua,* inquit, *ſeparatio, illarum eſt purgatio.* *Errones ouis diſceſſu ſocio illuſtrantur.*

Ananias & Saphira Iudam imitati auaritiæ peſte corripiuntur. Ad Petri ſermonem terribilem exanimes exciderunt. *Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit, & expirauit.* Act. 5. Cauſam huiuſce ſeueri iudicij reddit D. Iſidor. Peluſ. lib. 2. epiſt. 181. *Cum Euangelij ſementem Apoſtoli facere cœpiſſent, ac zizania enata conſpexiſſent: ſapienti conſilio euulſerunt.* Vt ſcilicet ſplendor tritici purgatus, ſeu clarificatus appareret. 9. *Ananias, & Saphira exciduntur.* Act. 5.

## §. III.

*Iudæ diſceſſio.*

QVi dicebatur Iudas Iſcariotes.] Dixerat Euangeliſta: *Vnus de duodecim,* vt ſceleris magnitudinem indicaret. At ne ambiguis verbis cæteris Apoſtolis irrogaret iniuriam, addidit Iudam vocitari. Porrò ne de Iuda Iacobi ſanctiſſimo ſuſpicaremur, adiicit & illud: *Iſcariotes.* Ita Chryſoſt. Euthym. Theoph. Simul autem indicat ex quanam Patria Proditor exortus fuiſſet. 10. *Cur Iudas nominatur, & Iſcariotes?*

*Abiit* hic vltrò ad *Principes Sacerdotum*, ſiue ad Duces; ad Præfectos ſacrorum, quos Lucas à Principibus Sacerdotum & ſenioribus diſtinguit. *Et ait: Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* Vbi Caiet. *Euangeliſta narrat ſubſtantialia, prætermittens circunſtantias palliantes. Rationi conſentaneum eſt, vt Iudas ſe ſcandalizatum dixerit de Magiſtro ſuo. Naturale ſiquidem eſt hominibus ſub aliquo colore palliare factum iniquitatis propria.* Præcipuè autem Iudæ vltrò offerenti Magiſtri proditionem. Vt appareat detractionis immanitas, quæ quidem ſuffigendo Ieſu operam dedit. 11. *Abiit,* Caiet.

*Quid vultis mihi dare?*] Num certum pretium petierit Iudas, an id reliquerit arbitrio Sacerdotum? Reſpondet Hier. *Iudas non poſtulat certam ſummam, ſed quaſi vile tradens mancipium, in poteſtate ementium poſuit, quantum vellent dare.* Exiſtimo eum in primis rogaſſe, quid dare vellent; tandem triginta argenteos eſſe conſtitutos: quos quidem non tunc, ſed poſt traditionem Saluatoris recepit. 12. *Num certum pretium petierit Proditor?* Hieron.

## §. IV.

*De argenteis.*

AT illi conſtituerunt ei triginta argenteos.] Exiſtimat Lyranus hoſce argenteos pretij fuiſſe trecentorum denariorum, quo vendi potuerat vnguentum. *Quare hoc vnguentum non venijt trecentis denarijs?* Vt ſcilicet amiſſum vnguenti pretium infelix, vendito Magiſtro, recuperaret. D. Antoninus, Rupertus, Egeſippus, & alij affirmantes Iudam decimam partem furati eorum, quæ Magiſtro dabantur: traditumque Magiſtrum argenteis triginta, vt damnoſam (vti vocat Rupert.) decimationem acquireret trecentorum vnguenti denariorum: conſequenter arbitrantur triginta denariis Dominum venditum, ſiue ducatis tribus. Baronius hoſce argenteos triginta argenti libras fuiſſe putat. 13. *Varia circa argenteos opiniones.* Lyran.

*Auctoris ſententia argenteum eſſe ſiclum.* Abulenſ.

Ego autem cum Ianſenio, Maldonato, Barradio, & aliis exiſtimo argenteum eſſe ſiclum. Abulenſis verba illa 4. Reg 6. *Obſeſſa eſt Samaria, donec venundaretur caput aſini octoginta argenteis*, interpretatur, *octoginta ſiclis.* Septuag. quoque 2. Reg. 18. & Iſai. 7. ſiclum transferunt pro argenteo. Siclus duplex, prophanus, & Sanctuarij: ille duas drachmas, hic quatuor continebat. De Sanctuarij ſiclo in præſenti à corbona ſacra deſumpto ad Ieſu emptionem. Profectò ſi vna drachma vni Hiſpanico regali reſpondet, (vti Maldon.) Chriſtus centum & viginti regalibus Hiſpanicis venditus eſt.

Quonam modo igitur tam exiguo pretio ager ad peregrinorum ſepulturam emptus? Tunc res viliores, ager paruus. Ieremias ſeptem ſtateribus, & decem argenteis agrum emit. Cap. 32. Stater idem, quod Sanctuarij ſiclus, quatuor continens drachmas, vnde ſexaginta & octo drachmis ſiue regalibus ager emptus. Rogas quonam modo Ioſeph Saluatoris typus viginti tantùm venditus fuerit argenteis? Reſpondeo non ex eo figuram ſimilem veritati; ſed quod vti Ioſeph à fratribus, ita Chriſtus fuit à Diſcipulo venditus. 14.

*Obiectionibus fit ſatis.*

# IN IESVM PATIENTEM APVD HORTVM.

# Panegyricus primus Moralis circa Literam.

## EX IVDÆ PRODITIONE.

## *OBSERVATIO I.*

Ad illa verba:

*Tunc abiit vnus ex duodecim.*

Contra proditoris auaritiam,

*Planè ſtultam & cæcam.*

16. Divus Hieronymus ex auaritiæ affectu Iudam ad Principes Sacerdotum properaſſe ait: *Infelix Iudas damnum, quod ex effuſione vnguenti ſe feciſſe credebat, vult Magiſtri pretio compenſare.* Si compenſare intendis ex effuſo damnum vnguento, cur non certam poſtulas ſummam? *Quid* (inquit) *vultis mihi dare? Non certam* (ait Parens) *poſtulat ſummam, vt ſaltem lucroſa videretur proditio.* Quando non cæcus, & ſtultus auaritiæ affectus? Pulchrè ad hæc D. Chryſoſt. hom. de Iuda. *O dementia, imò cupiditas proditoris!* (ipſa namque dementia dementior eſt cupiditas.) *Hac affectatus, Magiſtrum tradidit Iudas. Nam cupiditas huiuſmodi ſortita eſt naturam, rerum obliuionem imponit, & alienationem mentis oſtendit.*

Chryſoſt.

17. Quàm certum illud! *Rerum obliuionem imponit.* Tempus proditionis Iudæ Paſchale fuit, in quo Ieſus epulum parauit Diſcipulis, vbi Iudam propria manu cibauit, Iudæ lauit pedes, linteo abſterſit, qui Iudam vocauerat ad Apoſtolatum, eum potentia miraculorum donauerat. An non te huiuſmodi beneficiorum recordatio abſtrahet à proditione? Proh auaritia rerum animis obliuionem imponens! *Quanta* (inquit Chryſoſt.) *beneficia reſpuit! Conuerſationis, menſæ, Diſcipulatus, ac monitionis, ſuaſionis oblitus eſt, frænis cupiditatis impeditus.*

*Auarus beneficiorum immemor.*

Chryſoſt.

18. Si rerum obliuionem imponit auaritia, non mirum ſi *mentis alienationem* cauſet. Quia cœleſtium beneficiorum obliuionem plerumque impotentia mentis comitatur. Cæcus prorſus, & ſtultus, qui auaritiæ deſeruit. Obcæcatæ mentis eſt, fratrem non videre, proximum non agnoſcere. Tenebræ inter Ægypti plagas annumerantur. *Tribus diebus nemo vidit fratrem.* Exod. 10. Lipoman. ex Ruperto, *Signanter Ægyptiis dictum eſt, quod tribus diebus nemo vidit fratrem ſuum. Cupiditate namque detentus, & præoccupatus animis non videt fratrem ſuum, non agnoſcat proximum ſuum eò tantum intentus, vt furetur.* Si obcæcatæ auaritia mentis, fratrem non videre, proximum non agnoſcere, quid Magiſtrum, benefactorem, Deum ſpernere, tradere? Profectò qui *fur erat* eò tantum intendebat, vt furaretur.

*Ægyptii tenebris obruti.*

Exod. 10.

19. Pende verba illa: *Vnus ex duodecim.* Quonam modo Apoſtolus, qui viſione Ieſu ſemper fruebatur, adeo obcæcari potuit, vt ſimul caducis vilibus emolumentis intenderet? Id certè potuit auaritia: *Dixit Balaam, dixit homo cuius obturatus eſt oculus qui viſionem Omnipotentis intuitus eſt.* Numer. 24. Quænam vitræ contrariæ iunctæ ſunt, vt homo viſione cœleſti fruens, cæcitate laboraret? Id facillimè præſtitit auaritia, qua Balaam diuinationis pretia capiebat. Quod ponderans Rupert. lib. 2. in Numer. cap. 21. ait. *Cuius obturatus*

*Ieſum videt auarus, non videt.*

Num. 24.

Rupert.

*eſt*

*eſt oculus, & viſionem Omnipotentis intuitus eſt, repugnantia ſibi videntur. Nunc autem planum intellectu fit, quia per propheticam ſcientiam viſionem Omnipotentis intuitus eſt; ſed per auaritiam oculum cæcatum habet.* Haud aliter Iudas, qui vnus è duodecim, Chriſti viſione fruebatur, *loculos habens* miſerè cæcitate laborabat.

20. *Auarus hæres ſtultus.* Luc. 12. Beda.

Quidam olim de turba Ieſu ait: *Magiſter, dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem.* Luc. 12. Et poſt paruum interſtitium inclamat Ieſus: *Videte cæci auari, & cauete ab omni auaritia.* Vbi acutè Beda: *Occaſione huius ſtulti petitoris, aduerſus auaritiæ peſtem, & turbas, & Diſcipulos præceptis pariter, & exemplis munire ſatagit.* Illud expende: *Occaſione huius ſtulti petitoris.* Vndenam hic ſtultus? Quid magis fraternitati conſonum, quàm hæredi fratri ſocius adhiberi? Profectò qui diuitiarum cupiditate temporariæ vtilitati ſtudebat, non poterat non & ſtultus haberi ab ſpirituali rerum æſtimatore. Auaritia enim ſtultitiæ parens.

21. *Cum auaritia agere, neſcio quid non ſapiens prætendit.* Luc. 12. Ambroſ.

Ponderanda Saluatoris reſponſio, *Quis me conſtituit iudicem, aut diuiſorem ſupra vos?* Luc. 12. In cuius expoſitionem recordare Ieſum ſapientiſſimum iudicem viuorum, ac mortuorum à Patre conſtitutum. Noluit itaque duorum fratrum litem dirimere, quia ſibi quodam modo viſum, tanti iudicis, arbitrique ſapientiæ præiudicari, ſi vel componendæ ex ſtulta auaritia exortæ liti intenderet. Ambroſ. appoſitè: *Bene terrena declinat, nec ſapiens ipſe iudex & arbiter dignatur eſſe facultatum, viuorum habens, mortuorumque iudicium, arbitriumque meritorum.*

22. *Stultus ipſi eſt auari nomen.* Geneſ. 3. Luc. 12. Baſil.

Diuinæ equidem ſapientiæ particeps Adam nomina rebus impoſuit, vnde *quod vocauit Adam, ipſum eſt nomen eius.* Geneſ. 3. Id eſt, rei eſſentia appellationi apprimè reſpondebat. Sola enim cœleſtis ſapientia quidditatiua nomina rebus imponit. Videamus itaque quonam auarum nomine compellari Deus diſpoſuerit, & *ipſum* proculdubiò *eſt nomen eius.* Auarus ille inclamabat: *Anima mea, habes multa bona poſita in annos plurimos.* Cui Deus, *Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te.* Luc. 12. Quare proprio auarum nomine non compellas? Ipſum eſt nomen eius, *Stulte.* Ideo enim legimus impoſitum à perfectiſſimo rerum cognitore. Egregiè D. Baſil. apud D. Thom. *Audi conueniens tibi ſtultitiæ nomen; quod tibi nullus impoſuit hominum; ſed ipſe Deus.* En auaritia *alienationem mentis, & rerum obliuionem oſtendit.*

23. *Auaritia expers rationis.* Diog. Demoſth.

Quàm ſubtiliter vel prophani: Diog. apud Stob. *Suapte natura vix frænari poteſt cupiditas, ſi diuitiarum quoque ſuppeditationem aſſumpſerit, planè fit infrænis.* Aptè equidem frænum auaritiæ brutalitati hæreſcit. Euſeb. (ibid.) eam irrationalem meritò vocitauit. *Irrationabilem auaritiam citius cõſument abiecta res parta, quam creſcentes quotidie immenſa opes.* Vnde Demoſth. *Auaritia nullam neceſſitudinis rationem habet.* Quia rationi conſonum nil apud auari præcordia reperitur, vnde aptè frænum auaro.



# OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

*Tunc abiit vnus, &c.*

## Tunc diſceſſit Apoſtolus Iudas, quando peccatrix acceſſit Magdalena, quaſi Apoſtolatus locum occupatura.

*Contra Religioſum, aut Sacerdotem delictis maculatum.*

24. Chryſoſt.

ADVERBIVM *Tunc* magna emphaſi adhibitum à Matthæo, vt Iudæ criminis oſtenderet grauitatē. Id quod eleganter expendit D. Chryſ. citat. *Non Tunc, verbũ inaniter, o Euãgeliſta addidiſti, Spiritus admonitione loquens. Quid igitur Tunc eſt? Ante proditionis tempus, ante traditionis horam acceſſit meretrix, vas alabaſtrum manibus portans, & vnguẽtum Domini ſuprà caput effudit. Paulò ante meretrix ſubitò pudica proceſſit, & profundis obruta peccatis, portum ſerenitatis agnouit. Et quãdo proſtituta lupanar exiuit, Tunc Diſcipulus gehẽnam intrauit. quando illa mercedem ſui corporis abdicabat, Tunc iſte pretium Magiſtri ſanguinis poſtulabat: quando illa oſculabatur pedes, vt ſuſciperetur, Tunc iſte Domini labia oſculabatur, vt proderet. Ideo dixit: Tunc.* Quàm ponderabilis circumſtantia criminis Apoſtoli, Religioſi, ſi tunc delinquat, tunc à Domino recedat, quando conuertuntur, quando reſipiſcentes ad Deum mundiales accedunt!

25. *Accedit Auſtri Regina, diſcedunt Phariſæi.* Luc. 11. Beda. Nyſſen. Ambroſ.

Acceſſerunt ad Saluatorem Phariſæi, corpore quidem; ſpiritu enim tunc longè recedebant, vti Beda adnotauit. Quando autem Dominus mente recedens aſpexit Phariſæos; ait, *Generatio hæc generatio nequam eſt:* Luc. 11. Vndenam ſe ſe in præſenti adeò nequitia manifeſtauit, vt præter morem manſuetiſſimus Dominus tam grauis ſermonis illos gladio percuſſit? Subdit Ieſus: *Regina Auſtri ſurget in iudicio cum viris generationis huius, & condemnabit illos.* Quare? *Quia venit.* Nam *vbi pacificus Chriſtus emicuit,* (loquor cum Nyſſen. in Caten.) *tunc accedunt gentiles, cæcutientibus Iudæis, offeruntque Chriſto pietatis aromata.* Nonne grauatur mirum in modum malitia domeſtici, ſi *tunc* ipſe recedat à Ieſu, quando meretrix gentilitas accedit? Pulchrè Ambroſ. *Tunc* dixit: *Generatio hæc nequam eſt. Vt ſcias Synagoga populum deformari, vbi Eccleſia beatitudo laudatur.* Ac ſi diceret. Eo magis reprehenſibilis domeſtici diſceſſio, quo magis acceſſio alienigenæ admirabilis.

26. *Iudæi receßit, Samaritana adueniet.*

*Vt cognouit* (inquit Ioannes) *Ieſus, quia audierunt Phariſæi, quod Ieſus plures Diſcipulos facit, & baptizat, quam Ioannes, relinquit Iudæam, & abiit iterum in Galilæam.* Ioan. 14. Vbi Aug.

Ioan. 4. August. affirmat ideò Dominum receſſiſſe, *quia Phariſæi iam non diſcere intendebant, vt ſequerentur Ieſum; ſed vt longius diſcederent ab illo.* Quid plura? Acceſſit meretrix Samaritana, *Venit mulier de Samaria*, Ieſu hæret, pœnitens excipitur. *Tunc* Ieſus Diſcipulis, *Leuate oculos veſtros, & videte Regiones.* Ad gentilicum populum vos conuertite, (ex mente Theoph.) inuiſus tandem mihi populus Hebræorum. Dic mihi, quæſo quodnam *tunc* grauiſſimum delictum Phariſæi perpetrarunt, vnde offenſus, pergis ad gentiles? Nonne inuidia correpti à te ſolummodò recedunt? Alibi ſæpè calumniati ſunt, te lapidibus impetere moliuntur, te ſuffigi patibulo conantur; *Tunc* autem inuidia affecti recedunt. Profectò grauiora Phariſæi commisêre delicta; ſed non ideò Dominus ſe ad profectionem in gentes accinxit. Nunc autem ob leuius peccatum populum omninò deſerere molitur. Quare? Quia domeſticum recedere à Ieſu *tunc*, quando meretrix Samaritana *venit*, delictum ſanè, quod quidem ex prædictis circumſtantiis non mediocriter ponderatur.

27. *Fugit Phariſæus, adultera conuertitur.* Ioan. 8. Venit adultera ad Ieſum abluenda, conuertenda in ſponſam; Phariſæi autem, & Scribæ receſſere. *Vnus poſt vnum ibant incipientes à ſenioribus.* Ioan. 8. Vbi acutè Strabus ex receſſu affirmat illos reos maximè ſe ſe declaraſſe. Quando Ieſus digito ſcribebat in terra illorum facinora (vti Hugoni placet) obiiciens, nemo legit, nullus agnoſcit, minimè euulgantur: Hugo Card. quando autem diſcedunt, tunc apparent rei. Quid cauſæ? Quia delictum mirum in modum prodit in lucem, ac ponderatur, cum domeſticus recedit à Deo *tunc*, quando mulier meretrix venit, & ad frugem recipitur meliorem.

28. *Sæcularis hæret, religioſus elongatur.* Si non meretrix, Prodigus ſaltem cum meretricibus coinquinatus ad habitaculum, ditionemque paternam accedit. At frater ſenior inuidiæ (non equidem lethalis) ſtimulo excitatus, excitauit & ipſe querelas Luc. 15. Ad quem Titus. locum Titus Boſtrenſ. hûc ſeniorem filium normam ſanctitatis contemplatur. *Maior igitur filius ſicut agricola inſiſtebat agricultura, non terreſtrem, ſed anima agrum fodiens, & ſalutis arbores inſerens, ſcilicet virtutes.* At D. Ambroſius Ambr. leue huiuſce perfecti viri delictum conſiderás, impudétem, Publicano ſimilem, ac impium non timet appellare. *Impudens filius ſimilis eſt Publicano iuſtificanti ſe, impiè accuſabat fratrem.* Vtidenam leue inuidiæ delictum adeò taxabile apparet, vt iuſtus iuſtè quodammodò probroſis hiſce nominibus compelletur? Num quia in ſæcularis *tunc* deuoti conſpectu domeſtici religioſi plus tepiditas enunciatur? Ita planè.

# OBSERVATIO III.

## Ad illa verba:

## *Et eum vobis tradam.*

## Iudas diabolus.

*Ergo & mendax, & promittens quod minimè valet adimplere.*

QVAM verè Chriſtus? *Vnus veſtrum diabolus eſt.* Nam ſi diabolus *ab initio mendax*, parenſque fraudum, mendax Iudas; ſi diabolus promittit, quod implere non poteſt, idem Iudam legimus præſtitiſſe. Vtrumque oſtendo. 29.

## CAPVT I.

### *Iudas diabolus mendax.*

30. Paſchaſ. EGO (inquit) *eum vobis tradam.* Simulat ſe Ieſum poſſidere in ſuaque poteſtate poſitum illius traditionem. Hinc Paſchaſ. 12. in Matth. *Non curat, ſi mentiatur. Loquitur enim iam membrum Diaboli.*

31. *Diaboli primum verbũ mendacio plenum.* Geneſ. 3. Procop. Primum profectò verbum, quod à Dæmonis ore prorupit, mendacium eſt. *Cur præcepit* (inquit) *Deus, vt non comederetis de omni ligno paradiſi?* Geneſ. 3. Hebraicè, *Aph chi amar Elohim. Verène,* ſiue *itane verum eſt, quod dixit Deus, vt non comederetis?* Aſtutiſſimus ſerpens ſe mentitur ignorantem, vti adnotauit Procopius fatus, *Simulat hoſtis aſtutè ignorantiam. Itane verum eſt?* Ac ſi Diabolus pro iam ſibi adhærente ex peccato, fallendi, ac mentiendi proprietate, in cognitionem veritatis, tanquam rei peregrinæ non deueniat. Hoc exiſtimo affectu Pilatum in Ieſu conſpectu profitentis veritatis præconium, interrogaſſe: *Quid eſt veritas?* Ioan 19. Quaſi aulica mens omninò peregrinaretur à veritate.

32. *Altera diaboli fallacia.* Gen. 3. Prætereà, quo luculentius demonſtretur procacitas Patris mendaciorum, exprimo huiuſmodi verba prolata: *Cur* (inquit) *præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno?* Recole Deum dixiſſe, *Ex omni ligno paradiſi comede, ex ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas.* Vnde conſtat Deum copiam feciſſe Adamo, & vxori, vt pro libito de omni paradiſi arbore, vna tantum excepta, veſcerentur. Contrà verò mendaciorum origo Deum affirmat præcepiſſe, ne de vlla paradiſi arbore comederent.

33. *Tertium mendacium.* Geneſ. 3. Falsò denique condolet mulieris vicé, quod malè à Deo affecta ſit, eo quod miſera ſpectaret oculis poma, & veſci nequiret. Quæ quidẽ commiſeratiũ euidens in ſerpente crudeliſſimo illius fallaciæ atque mendacij argumentũ. *Debebat* (inquit Chryſoſt.) *mulier ex ipſo egreſſu eminentem coniectare malitiam, quod curam ipſorũ gerat.* Chryſoſt. Eiuſdem certè falſæ cõmiſerationis obiectu aggreſſus alterũ Adamũ Chriſtum ieiunãtẽ. *Si Filius Dei es, dic, vt lapides iſti panes fiant.* Mat. 4. Vbi D. Cyp. *Subdolâ profeſſione, quaſi cõpatiens ei, ſubuenire periclitanti natura hortatur.* Matth. 4. Cypr. Quando non ſubdola diaboli verba, ſi primum ab illo ſententia prolata tot contineat falſitates? En Iudas mendacia verba ſui parentis imitatur. *Non curat, ſi mentiatur. Loquitur enim iam membrum diaboli.* Paſchaſius aiebat.

34. *Mendax Iudas verbo, & facto.* Paſchaſ. Verùm diabolus hic non ſolum verbo mendax, fallax & profeſſione. Iudas, quod quidem vocabulum confeſſionem ſonat, Dominum vocabulo confitetur. At factis omninò abnegat. Id quod Paſchaſius pulchrè adnotauit pendens illud: *Iudas Iſcariotes. Non vacat a myſterio* (ait) *duos fuiſſe inter Apoſtolos hoc nomine vocitatos, vt vnus dicatur Iudas Iacobi, alter verò Iſcarioth, quia Iudas confeſſio interpretatur. Et ideo duos iſtos fuiſſe inter Diſcipulos, vt vnus eorum teneret formam verò confitentium, quorum*

pars

*pars fideliter permanet cum Domino; alter eorum partem exprimit, qui confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant. Propterea omnes tranſeunt cum iſto ad auaritiam, ad dolos, & fraudes, & commiſcent ſe falſis fratribus.* Hactenus ille.

## Capvt II.

*Iudas diabolus, quod non poteſt implere, promittit.*

35. QVid vultis (ait) *mihi dare, & ego eum vobis tradam?* Cum tamen dicere debuiſſet, Niſi tot argenteos, vel aureos dederitis, non vobis Ieſum tradere diſponam. Equidem emeotium voluntati relinquit pretij aſſignationem, quia nullatenus impleturus erat promiſſum. Non enim tradere poterat, quod in ſua non erat poteſtate. Hinc ſe ſe Iudas diabolum oſtendit, haud potentem ſtare promiſſis. Paſchaſ. ad hæc: *Miſer nec certam poſtulat pretij ſummam vt ſaltem lucroſa videretur proditio; ſed pretium in poteſtate poſuit ementium, quantum vellent dare. Non enim poterat, quod promittit: Et ego eum vobis tradam, niſi ipſe permitteret. Sed ſua impudentia loquitur tam membrum diaboli.*

36. *Iudas diabolo ſimilis.* Matth. 4. Cuius equidem proprium promittere, quod à ſua poteſtate prorſus alienum. In deſerto cōmoranti Ieſu, *Hæc* (inquit) *omnia tibi dabo, ſi procidens adoraueris me.* Matth. 4. Rogo, Num diabolus Regnorum Dominus? Imo nec nominum, aut imaginis Regnorum dominus eſt, ſed prorſus tyrannus. Ad illa verba: *Oſtendit ei omnia Regna mundi in momento temporis*, Doctores aſſerunt non verè Regna, ſed imagines, ac nomina Regnorum Chriſti oculis, auribuſque obiecisse. Ad quem locum D. Chryſoſt. *Tunc Archidæmon omnia Regna mundi in momento temporis coegit, cum omnibus viſum eſt, vt cum omnibus euaneſceret.* Coëgit inquam vel ipſas Regnorum imagines, & nomina: quia nec imaginum aut nominum Regnorum verè eſt dominus, ſed tyrannus. Omnia igitur Regna offerens, promittit, quod implere non poterat. Paſchaſ. *Non poterat Iudas, quod promittit. Loquitur enim iam membrum diaboli, qui ipſo cum Domino loquebatur: Hæc omnia tibi dabo.*

Chryſoſt. Pſalm. a.

Paſchaſ.

37. *Impoſſibilia diabolus promittit.* Gen. 3. Bernard. Iam inde ab initio iactator diabolus impoſſibilium promiſſorū. *Eritis* (inquit hominibus) *ſicut dij.* Gen. 3. ſeu Verbum diuinū, cui appropriantur ſapientia. Similes circa rerum cognitionem euadetis, auctore Bernard. cuius ſic effluit oratio. *Protinus* diabolus *inuidens homini, quam conceperat in ſemetipſo, in eo peperit iniquitatem, ſuadens, vt lignum vetitum guſtans, fieret ſicut Deus. Quid promittit, miſer: eum Filius Altiſſimi ſcientiæ clauem habeat: imo ipſe ſit clauis Dauid, qui claudit, & nemo aperit? In eo ſunt omnes theſauri ſapiētiæ: Tu ne eos, vt homini præſtes, inique furaberis? Videtis, quia iuxta Domini ſententiam Ioan. 8. mendax iſte, & pater mendacij.*

38. *Diaboli auaritia.* Imò, quamuis omnia diabolus poſſideret, nullatenus vllum bonum hominibus elargiretur, qui etiam, vt ad ſe alliciat nec tentando vult profiteri, nos à Deo omnibus fuiſſe donatos. Quid Deus? *Ex omni ligno paradiſi comede.* Gen. 3. Quid diabolus? *Præcepit Deus, ne comederetis*

Gen. 3.

Aut. de Eſtob. & Mendoz. de Sanctis. Tom. I.

*de omni ligno.* Nos conatur bonis, queis donati, ſpoliare; ad ſe bonorum apparentia allicere. Vnde D. Chryſoſt. homil. 55. ad. Pop. *Diaboli verſutiam non ignoramus, qui per parua magnis ſpoliat, & lucrum præbet, vt aurum rapiat, imo magis auferat cælum, & vmbram prætendit, vt à veritate nos extrudat.* Chryſoſt.

Iudæ profectò non dedit, ſed promiſit pro maximo flagitio tantillam mercedem, quā mox ab ipſo abſtulit, quia non ſua. *Retulit triginta argenteos.* Matth. 27. Cuinam *retulit?* Sacerdotibus: Non accipiūt. Fortè diabolo reddidit pretium. D. Leo ſer. 9. de Paſ. *Anima* (hinc arguit) *lucri cupida etiam pro exiguo perire non metuit.* Parum pro magno dæmon promiſit, nec promiſſis ſtetit, quandoquidem poſt flagitium tantum rurſum illum proditionis mercede priuauit? Hunc igitur mendacem promiſſorem Diabolus Iudas imitatur. 39. *Iudam ſeduxit.* Matth. 27. D. Leo.

# OBSERVATIO IV.

Ad illa verba:

## *Conſtituerunt illi triginta argenteos.*

### Veteri in teſtamento viginti argenteis, in Euangelio autem triginta Ieſus venditur.

*At gratis tantum cæleſte bonum accipiendum.*

TYpvm extitiſſe Ioſephum à fratribus venditum venditionis Ieſu vidimus. Porrò illi *vendiderunt Ioſeph Iſmaelitis viginti argenteis.* Ad emptionē autē Ieſu Iudæ conſtituerunt Iudæi *triginta argēteos.* Vbi D. Ambr. lib. 3 de Spirit. *Viginti argenteis in veteri teſtamento venditur Ieſus,* (videlicet in Ioſeph typo) *triginta in Euangelio.* Cur ſi eadem vēditio Ieſu in veteri, & in nouo teſtamento obiicitur, tantum eſt in pretio diſcrimen? Profectò diabolus & Ieſum vendidit olim, excitando fratres Ioſeph, & in præſenti immittendo in cor Iudæ Ieſum pretio tradidit. Diſcrimen autem eò tendit, quod olim curabat Diabolus perſuadere Iudæis Ieſum admodum vilem, vt eum omninò deſpicerent; at tunc ſibi proponens nouæ legis incrementa, procurat exaggerare Ieſu pretium, ne ab hominibus poſſit comparari. Ideo qui olim minori emebatur, iam maiori nunc venditur pretio. 40. Ambroſ.

Piè Guill. Pariſ. tract. de verit. dolebat aliquādo, quod homines Deum vellent poſſidere, ſed tunc cum vilibus emeretur. *Vix inuenitur, qui non pro leuiori pretio, quam ei offeratur, velit Deū habere; ac ſi Deus minus valeret eo, quod pro eo habendo exigitur.* Ego autē iā doleo, quod diabolus adeò Chriſti pretium exaggerarit, vt vix poſſe ab hominibus poſſideri videatur, qui paruo ſtare vult, qui nihilo amat comparari. D. Paulin. ep. 4. *Ipſe nobis hac pietate pretioſior, quod* 41. *Dolendum, quod diabolus pretium Ieſu exaggeret.* Guillel. Paulin.

*ſe vili vult æſtimari, vt ab omnibus ematur.* Illud pende: *Se vili vult æſtimari.* Quàm vili? Paruulis profectò murſuſculis, aquæ frigidæ potu, quæ nullius æſtimationis habentur; imò gratis Saluator poſſideri valet. Ideò Iudas (Deo diſponente) triginta reddit argenteos, nec tamen venditum recuperat Ieſum, vt oſtendatur iam pretioſiſſimus ſanguis gratis pro vita hominum effudendus.

42. *Damnatum ſe videt Iudas, quia Ieſum pretio tradit.* Diabolus igitur in noſtram perniciem Ieſu pretium contendit augeri. Ideò miſit in cor Iudæ, vt pretio trecentorum aureorum (ex aliquibus ſuprà relatis) ſiue triginta argenti librarum (vti Baron. affirmat) traderet Ieſum. Hinc difficilis locus expenditur: *Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quod damnatus eſſet, &c.* Mat. 27. Vbi Orig. *Quomodo vidit Iudas, quoniam condemnatus eſt? Nondum enim à Pilato fuerat interrogatus.* Num qnia conſideratione mentis rei exitum vidit? Non ambigam. Sed egregiè planè Orig. reſpondet. *Alius dicet, quoniam quod ſcriptum eſt: Videns Iudas, qui tradidit eum, quia condemnatus eſt, ad ipſum Iudam refertur. Tunc enim intellexit ſe condemnatum.* Quando? Cum ſcilicet pretio tradidit Saluatorem. Requiro, Num damnatus homo, donec cœleſti tribunali poſt nouiſſimum ſiſtatur halitum? Quonam igitur modo Iudas ſe tunc damnatum comperit? Quia diabolus effectus eſt ex eo, quod pretium Domini exaggerauit, vndè factus tunc diabolus in eadem ſe quodammodò vel ante iudicium comperit damnatione.

Math. 26. Orig.

43. *Repellit diabolus pretiũ minimum, vt magnum imponat.* Ore Dauidico ſic conqueritur Ieſus. *Verumtamen pretium meum cogitauerunt repellere, cucurri in ſiti.* Pſal. 61. Ad dæmones, tyrannoſque Eccleſiæ perſecutores Ieſu (Authore Caſſiod) dirigit ſermonem. Ac ſi diceret, Pretium meum, quo haberi poſſum, aquæ frigidæ potus; ideo *cucurri in ſiti*; vt potatus, paruo tradi valerem. At diabolus, eiuſque ſocij curarunt hoc meum pretium repellere, non vt gratis traderer; ſed vt vile pretium in magnum mutarent; vti magnæ addictus æſtimationi, à nemine compararer.

Pſalm. 61. Caſſiod.

44. *Extollendo Ieſum, nos decipere curat.* Alibi Pſaltes, *Dominus conſeruet eum, & viuificet eum, & non tradat eum in manus inimicorum eius.* Pſalm. 40. Legit Auguſtin. *Inimici eius. Videt enim* (ſubdit) *inimicus iſte, ſe victum fama, & laudibus Chriſti, & cœpit non poſſe hoc perſuadere hominibus, quod nihil ſit Chriſtus.* (En venditio Ioſeph.) *Et quia vituperando Chriſtum, iam difficile decipit: laudando Chriſtum conatur decipere. Anteà quid dicebat? Quem colitis? Iudæum mortuum, crucifixum, nullius momenti hominem. Iam aduerſus vituperationem Chriſti ceſſauit, induit ſe laudibus Chriſti, & cœpit alio modo deterrere.* Hactenus ille.

Pſalm. 40.

## OBSERVATIO V.

### Ad illa verba:

### *Conſtituerunt ei triginta argenteos.*

## Triginta argenteis venditur Ieſus, vt eius pretioſus inceſſus oſtendatur.

*Vbi de pretioſis iuſtorum greſſibus.*

TRIGINTA argenteorum commutatione traditur Ieſus, vti eius greſſus peregrinantis pretioſi eſſe oſtendantur. Triginta enim peregrinationis annis triginta argenteos arbitror reſpondere. Adnotauit id Paſchaſ. lib. 12. *Tot* (inquit) *argenteis emitur Ieſus, quot annis peregrinatus eſt in hoc mundo vſque ad baptiſmum.* 45.

Paſchaſ.

*Quo vſque irruitis in hominem?* Pſal. 61. Hugo Card. *Id eſt, in me ipſum iuſte viuentem? Verumtamen* (adiicit Ieſus) *pretium meum cogitauerunt repellere.* Quodnam pretium? *Cucurri in ſiti.* Ac ſi diceret: Omnes mei pretioſi greſſus, ſi quidem in morem ſitientis cucurri, qui quidem non moris vtitur, donec aquarum fonti adhæreſcat. *Cucurri in ſiti. Cupiebam eos*, id eſt, hoſtes meos, *in corpus meum traiicere.* Hinc mei greſſus admodum pretioſi; quia ad hominum vtilitatem dirigebantur. 46. *Pretioſi greſſus Ieſu ob hominũ vtilitatem curretis.*

Pſalm. 61. Strab. Auguſt.

In medio ſeptem candelabrorum aureorum, ſiue Epiſcoporum hic illic commorantium, Ieſus ambulans deſcribitur, vti illorum & correctioni, & perfectioni ſtudeat. *Pedes* tunc Domini *ſimiles aurichalcho.* Apocal. 1. Quid aurichalchum? Pretioſorum metallorum maſſam ipſo auro auguſtiorem Alcaſar affirmat. Quare igitur aurichalchum pretioſum non aut capiti, quod quidem *ſicut aurum optimum*, aut manibus, quæ certè *tornatiles aureæ*; ſed pedibus ſpecialiter hæret? Quia Ieſu veſtigia, queis peregrinationem inſtituens, vſus eſt, admodum pretioſa. 47. *Ambulantis ideo Ieſu pedes pretioſi ſimiles aurichalcho.*

Alcaſ.

Rex noſter talentis traditis, peregrinationem init; reuerſus autem de multiplicato theſauro exigit rationem. Porrò illos, à quibus excipitur, nummorum exhibitis incrementis, vocat ad requiem; eos autem flammis addicit, qui non offerunt pecuniarum vſuram. *Accedens autem qui vnum talentum acceperat, ait: Domine, ſcio, quod homo durus es, metis vbi non ſeminaſti.* Cui Dominus, *Serue male & piger.* Matth. 25. Vbi Hieron. *Seruus malus appellatur, quia calumniam Domino fecit.* Affirmauit enim Dominum metere, vbi non ſeminauit. Nonne Dominus Ieſus *ibat & flebat*, vitalia hominibus greſſuum ſemina ſpargẽs? Ergo eundo ſeminauit, quod metit. Exigit itaque veniens peregrinationis ſuæ pretium; quia vtique Domini peregrinantis greſſus valdè pretioſi. 48. *Reuerſus Ieſus à peregrinatione vult greſſus ſuos magni æſtimari.*

Matth. 25. Hieron.

Pretium hoc greſſuum Ieſu peregrinantis, id eſt huiuſmodi triginta argentei impenſi ſunt emendo agro in ſepulturam peregrinorum. *Conſilio autem inito, emerunt ex illis agrum in ſepulturam peregrinorum.* Matth. 27. Quinam hi peregrini ſepeliendi? Auguſt. *Peregrinos iſtos eſſe dicimus Chriſtianos, qui renunciantes ſæculo nihil poſſidentes in ſæculo, in Chriſti ſanguine requieſcunt.* Vt pretium illud, quod pretioſis greſſibus peregrinantis Ieſu munerandis impenſum fuerat, munerandis ſimiliter iuſtorum peregrinantium, in morem Ieſu, pretioſis greſſibus æternum impendatur. 49. *Iuſtorũ greſſus pretioſi.*

Matth. 27. Auguſt.

Non

Google

50. *Omnium pretioſiſſimi greſſus Ieſu. August. Paſchaſ.*

Non equidem æquali proportione; quia Ieſus currens ſemper (vti adnotat Auguſt. ad Pſalm. 65. ad illud Pſalm. *Cucurri in ſiti*) offendit in nullo, nos autem in multis offendimus, à viaque excidimus ſalutari; *Septies enim in die cadit iuſtus.* Vndè minus pretioſi greſſus minori ſunt munerandi theſauro. Quando Ieſus baptizatus eſt, triginta numerabat annos, totidem Ioſeph habebat; cum poſt venditionem fratrum in conſpectu Pharaonis ſtetit. Triginta anni Ioſeph non triginta argenteis, (vti aliqui contendunt minus probabiliter) ſed viginti ſolummodo myſticè munerantur. At annis triginta Saluatoris triginta reſpondent argentei. Quia pretioſiores mirum in modum Ieſu Domini greſſus in nullo vnquam offendentes: Paſ. pulchrè. *Venundatus eſt in ſeruum Ioſeph, non iuxta Septuaginta triginta argenteis; ſed (ſicut Hebraica veritas ſe habet) viginti. Quia non poterat pretioſior eſſe ſeruus Domino; qui tot argenteis emitur, quot annis peregrinatus eſt vſque ad baptiſmum. Licet Ioſeph tot annorum fuiſſe legitur, quando ſtetit in conſpectu Pharaonis.* An vnquam tot tui cauſa Saluatoris greſſus pretioſiſſimos aliquo pietatis greſſu pretio redemiſti? Proh hominum ingratitudo!

## SECTIO SECVNDA.

# ORATIO IESV.

## EX CAP. 26. MATTH.

### *TEXTVS.*

*Verſ.* 39. Progreſſus puſillùm, procidit in faciem ſuam, orans, & dicens: Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte; verumtamen non ſicut ego volo; ſed ſicut tu.

### *COMMENTARIVS LITERALIS.*

### § I.

### *Orantis Domini abſtractio, habitus, locus.*

1. *Num à tribus Diſcipulis auulſus, an à cæteris?*

AD Hortum vſque Magiſtrum Diſcipuli comitati ſunt, certo quodam loco, ex iuſſu Domini, occulto conſiſtunt, Petrus, Iacobus, & Ioannes ad interiora horti adducuntur. *Et progreſſus puſillum.* Lucas autem: *Et ipſe auulſus eſt ab eis, quantum iactus eſt lapidis.* Cap. 22. Hinc oritur quæſtio, Num Chriſtus auulſus ſit à tribus Diſcipulis, quantum iactus eſt lapidis, an ab octo? Certior exiſtimo, ex Lucæ ſententia, Ieſum auulſum ab octo Diſcipulis, non à tribus ſolummodò: Probo ex contextu: *Secuti ſunt eum Diſcipuli, & cum perueniſſet ad locum, dixit illis: Orate, ne intretis in tentationem. Et ipſe auulſus eſt ab eis, quantum iactus eſt lapidis.* Ab eis auulſus eſt, id eſt, à Diſcipulis, qui eum fuerant ſecuti. Lucas enim Petri, Ioannis, & Iacobi aſſumptionem prætermiſit. At verò cum noſter Matthæus inquit. *Et progreſſus puſillum*, non intelligendus de ſpatio, quo Ieſus ab octo, ſed quo à tribus Diſcipulis receſſit ad orandum. Vndè non aptè aſſerunt nonnulli ſpatium, quo Chriſtus à tribus Diſcipulis diſceſſit, lapidis iactum. Ieſus igitur & ab octo Diſcipulis dimotus eſt, *quantum iactus eſt lapidis*, & à tribus adhùc *puſillum progreſſus*, ita tamen, vt in ipſorum oraret conſpectu, & non illorum præſentia nimium proxima ſilentium, aut reuerentia orationis lædi videretur.

*Puſillum.*] donec loco orationi deputato hæreret. Hunc ex Ioanne Soario Epiſcopo Conim. accipite. *Eſt ibi in loco ſaxum magnum, habens tres in ſuperficie concauitates longas, ſed non profundas. In vnaquaque ſedit vnus ex tribus Apoſtolis, & ibi recubuerunt. Ingreſſus eſt Dominus antrum ſubtus terram, in viuo lapide exciſum, vbi trinam fecit Patri orationem. In hoc antrum cum ingrederemur, omnes tremore quodam & horrore lacrymis meritò perfuſi ſumus.* Hactenus ille. Nec magna fides huic ſententiæ adhibenda. Exiſtimo enim magis à pietate, & conſideratione peregrinorum, quam à vera traditione certum locum & Ieſu, & Apoſtolis orantibus eſſe conſtitutum. 2. *Locus orantis Ieſu.*

*Procidit in faciem ſuam.*] Lucas autem: *Poſitis genibus orabat.* Ergo in faciem minimè procidit, aut ſuper terram, ſicuti Matthæus, & Marcus teſtantur. Maldon. noſter ait Ieſum non omninò proſtratum in terram, ſed genua flexiſſe. Nec obſtant Lucas, aut Marcus. Nam qui genua dat terræ, ſuper terram procidit. Sed quid reſpondet Matthæo affirmanti in faciem ſuam Chriſtum procidiſſe? Vt litem componam. Dixerim, Dominum oraſſe genibus flexis, 3. *Num procid erit in faciem?*

*ſe vili vult æſtimari, vt ab omnibus ematur.* Illud pende: *Se vili vult æſtimari.* Quàm vili? Paruulis profectò nummuſculis, aquæ frigidæ potu, quæ nullius æſtimationis habentur; imò gratis Saluator poſſideri valet. Ideò Iudas (Deo diſponente) triginta reddit argenteos, nec tamen venditum recuperat Ieſum, vt oſtendatur iam pretioſiſſimus ſanguis gratis pro vita hominum effudendus.

42\. *Damnatum ſe vidit Iudas, quia Ieſum pretio tradit.*

Diabolus igitur in noſtram perniciem Ieſu pretium contendit augeri. Ideò miſit in cor Iudæ, vt pretio trecentorum aureorum (ex aliquibus ſuprà relatis) ſiue triginta argenti librarum (vti Baron. affirmat) venderet Ieſum. Hinc difficilis locus expenditur: *Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quod damnatus eſſet, &c.* Mat. 27. Vbi Orig. *Quomodo vidit Iudas, quoniam condemnatus eſt? Nondum enim à Pilato fuerat interrogatus.* Num quia conſideratione mentis rei exitum vidit? Non ambigam. Sed egregiè planè Orig. reſpondet. *Alius dicet, quoniam quod ſcriptum eſt: Videns Iudas, qui tradidit eum, quia condemnatus eſt, ad ipſum Iudam refertur. Tunc enim intellexit ſe condemnatum.* Quando? Cum ſcilicet pretio tradidit Saluatorem. Requiro, Num damnatus homo, donec cœleſti tribunali poſt nouiſſimum ſiſtatur halitum? Quonam igitur modo Iudas ſe tunc damnatum comperit? Quia diabolus effectus eſt ex eo, quod pretium Domini exaggerauit, vndè factus tunc diabolus in eadem ſe quodammodò vel ante iudicium comperit damnatione.

Matth. 26. Orig.

43\. *Repellit diabolus pretiũ minimum, vt magnum imponat.* Pſalm. 61. Caſſiod.

Ore Dauidico ſic conqueritur Ieſus. *Verumtamen pretium meum cogitauerunt repellere, cucurri in ſiti.* Pſal. 61. Ad dæmones, tyrannoſque Eccleſiæ perſecutores Ieſu (Authore Caſſiod.) dirigit ſermonem. Ac ſi diceret, Pretium meum, quo haberi poſſum, aquæ frigidæ potus; ideo *cucurri in ſiti*, vt potatus, paruo tradi valerem. At diabolus, eiuſque ſocij curarunt hoc meum pretium repellere, non vt gratis traderer; ſed vt vile pretium in magnum mutarent; vti magnæ addictus æſtimationi, à nemine compararer.

44\. *Extollendo Ieſum, nos decipere conat.* Pſalm. 40.

Alibi Pſaltes, *Dominus conſeruet eum, & viuificet eum, & non tradat eum in manus inimicorum eius.* Pſalm. 40. Legit Auguſtin. *Inimici eius. Videt enim* (ſubdit) *inimicus iſte, ſe victum famæ & laudibus Chriſti, & cœpit non poſſe hoc perſuadere hominibus, quod nihil ſit Chriſtus:* (En venditio Ioſeph.) *Et quia vituperando Chriſtum, iam difficile decipit: laudando Chriſtum conatur decipere. Antea quid dicebat? Quem colitis? Iudæum mortuum, crucifixum, nullius momenti hominem. Iam aduerſus vituperationem Chriſti ceſſauit, induit ſe laudibus Chriſti, & cœpit alio modo deterrere.* Hactenus ille.

## OBSERVATIO V.

Ad illa verba:

*Conſtituerunt ei triginta argenteos.*

### Triginta argenteis venditur Ieſus, vt eius pretioſus inceſſus oſtendatur.

*Vbi de pretioſis iuſtorum greſſibus.*

TRIGINTA argenteorum commutatione traditur Ieſus, vti eius greſſus peregrinantis pretioſi eſſe oſtendantur. Triginta enim peregrinationis annis triginta argenteos arbitror reſpondere. Adnotauit id Paſchaſ. lib. 12. *Tot* (inquit) *argenteis emitur Ieſus, quot annis peregrinatus eſt in hoc mundo vſque ad baptiſmum.* 45.

Paſchaſ.

*Quo vſque irruitis in hominem?* Pſal. 61. Hugo Card. *Id eſt, in me ipſum iuſte viuentem? Verumtamen* (adiicit Ieſus) *pretium meum cogitauerunt repellere.* Quodnam pretium? *Cucurri in ſiti.* Ac ſi diceret: Omnes mei pretioſi greſſus, ſi quidem in morem ſitientis cucurri, qui quidem non moris vtitur, donec aquarum fonti adhæreſcat. *Cucurri in ſiti. Cupiebam eos*, id eſt, hoſtes meos, *in corpus meum traiicere.* Hine mei greſſus admodum pretioſi; quia ad hominum vtilitatem dirigebantur. 46.

*Pretioſi greſſus Ieſu ob hominũ vtilitatem currentis.* Pſalm. 65. Sitab. Auguſt.

In medio ſeptem candelabrorum aureorum, ſiue Epiſcoporum hic illic commorantium, Ieſus ambulans deſcribitur, vti illorum & correctioni, & perfectioni ſtudeat. *Pedes* tunc Domini *ſimiles aurichalcho.* Apocal. 1. Quid aurichalchum? Pretioſorum metallorum maſſam ipſo auro auguſtiorem Alcaſar affirmat. Quare igitur aurichalchum pretioſum non aut capiti, quod quidem *ſicut aurum optimum*, aut manibus, quæ certè *tornatiles aureæ*; ſed pedibus ſpecialiter hæret? Quia Ieſu veſtigia, queis peregrinationem inſtituens, vſus eſt, admodum pretioſa. 47.

*Ambulantis ideo Ieſu pedes pretioſi ſimiles aurichalcho.* Alcaſ.

Rex noſter talentis traditis, peregrinationem init; reuerſus autem de multiplicato theſauro exigit rationem. Porrò illos, à quibus excipitur, nummorum exhibitis incrementis, vocat ad requiem; eos autem flammis addicit, qui non offerunt pecuniarum vſuram. *Accedens autem qui vnum talentum acceperat, ait: Domine, ſcio, quod homo durus es, metis vbi non ſeminaſti.* Cui Dominus, *Serue male & piger.* Matth. 25. Vbi Hieron. *Seruus malus appellatur, quia calumniam Domino fecit.* Affirmauit enim Dominum metere, vbi non ſeminauit. Nonne Dominus Ieſus *ibat & flebat*, vitalia hominibus greſſuum ſemina ſpargens? Ergo eundo ſeminauit, quod metit. Exigit itaque veniens peregrinationis ſuæ pretium; quia vtrique Domini peregrinantis greſſus valde pretioſi. 48.

*Reuertens Ieſus à peregrinatione vult greſſus ſuos magni æſtimari.* Matth. 25. Hieron.

Pretium hoc greſſuum Ieſu peregrinantis, id eſt huiuſmodi triginta argentei impenſi ſunt emendo agro in ſepulturam peregrinorum. *Conſilio autem inito, emerunt ex illis agrum in ſepulturam peregrinorum.* Matth. 27. Quinam hi peregrini ſepeliendi? Auguſt. *Peregrinos iſtos eſſe dicamus Chriſtianos, qui renunciantes ſæculo nihil poſſidentes in ſæculo, in Chriſti ſanguine requieſcunt.* Vt pretium illud, quod pretioſis greſſibus peregrinantis Ieſu munerandis impenſum fuerat, munerandis ſimiliter iuſtorum peregrinantium, in morem Ieſu, pretioſis greſſibus æternum impendatur. 49.

*Iuſtorũ greſſus pretioſi.* Matth. 27. Auguſt.

Non

50. *Omnium pretioſiſſimi greſſus Ieſu. Auguſt. Paſc. 2.* Non equidem æquali proportione; quia Ieſus currens ſemper (vti adnotat Auguſt. ad Pſalm. 65, ad illud Pſalm. *Cucurri in ſiti*) offendit in nullo, nos autem in multis offendimus; à viaque excidimus ſalutari; *Septies* enim *in die cadit iuſtus.* Vndè minus pretioſi greſſus minori ſunt munerandi theſauro. Quando Ieſus baptizatus eſt, triginta numerabat annos, totidem Ioſeph habebat; cum poſt venditionem fratrum in conſpectu Pharaonis ſtetit. Triginta anni Ioſeph non triginta argenteis, (vti aliqui contendunt minus probabiliter) ſed viginti ſolummodo myſticè munerantur. At annis triginta Saluatoris triginta reſpondent argentei. Quia pretioſiores mirum in modum Ieſu Domini greſſus in nullo vnquam offendentes: Paſ. pulchrè. *Venundatus eſt in ſeruum Ioſeph, non iuxta Septuaginta triginta argenteis; ſed (ſicut Hebraica veritas ſe habet) viginti. Quia non poterat pretioſior eſſe ſeruus Domino; qui tot argenteis emitur, quot annis peregrinatus eſt vſque ad baptiſmum. Licet Ioſeph tot annorum fuiſſe legitur, quando ſtetit in conſpectu Pharaonis.* An vnquam tot tui cauſa Saluatoris greſſus pretioſiſſimos aliquo pietatis greſſu pretio redemiſti? Proh hominum ingratitudo!

SECTIO SECVNDA.

# ORATIO IESV.

EX CAP. 26. MATTH.

## *TEXTVS.*

*Verſ.* 39. Progreſſus puſillùm, procidit in faciem ſuam, orans, & dicens: Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte; verumtamen non ſicut ego volo; ſed ſicut tu.

## *COMMENTARIVS LITERALIS.*

§ I.

### *Orantis Domini abſtractio, habitus, locus.*

1. *Num à tribus Diſcipulis auulſus, an à cæteris?* AD Hortum vſque Magiſtrum Diſcipuli comitati ſunt, certo quodam loco, ex iuſſu Domini, occulto conſiſtunt, Petrus, Iacobus, & Ioannes ad interiora horti adducuntur. *Et progreſſus puſillum.* Lucas autem: *Et ipſe auulſus eſt ab eis, quantum iactus eſt lapidis.* Cap. 22. Hinc oritur quæſtio, Num Chriſtus auulſus ſit à tribus Diſcipulis, quantum iactus eſt lapidis, an ab octo? Certum exiſtimo, ex Lucæ ſententia, Ieſum auulſum ab octo Diſcipulis, non à tribus ſolummodò: Probo ex contextu: *Secuti ſunt eum Diſcipuli, & cum perueniſſet ad locum, dixit illis: Orate, ne intretis in tentationem. Et ipſe auulſus eſt ab eis, quantum iactus eſt lapidis.* Ab eis auulſus eſt, id eſt, à Diſcipulis, qui eum fuerant ſecuti. Lucas enim Petri, Ioannis, & Iacobi aſſumptionem prætermiſit. At verò cùm noſter Matthæus inquit, *Et progreſſus puſillum*, non intelligendus de ſpatio, quo Ieſus ab octo, ſed quo à tribus Diſcipulis receſſit ad orandum. Vndè non aptè aſſerunt nonnulli ſpatium, quo Chriſtus à tribus Diſcipulis diſceſſit; lapidis iactum. Ieſus igitur & ab octo Diſcipulis dimotus eſt, *quantum iactus eſt lapidis*, & à tribus adhuc *puſillum progreſſus*, ita tamen, vt in ipſorum oraret conſpectu, & non illorum præſentia nimium proxima ſilentium, aut reuerentia orationis lædi videretur.

*Puſillum.*] donec loco orationi deputato hæreret. Hunc ex Ioanne Soario Epiſcopo Conim. accipite. *Eſt ibi in loco ſaxum magnum, habens tres in ſuperficio concauitates longas, ſed non profundas. In vnâquo ſedit vnus ex tribus Apoſtolis, & ibi recubuerunt. Ingreſſus eſt Dominus antrum ſubtus terram, in viuo lapide exciſum, vbi trinam fecit Patri orationem. In hoc antrum cum ingrederemur, omnes tremore quodam & horrore lacrymis meritò perfuſi ſumus.* Hactenus ille. Nec magna fides huic ſententiæ adhibenda. Exiſtimo enim magis à pietate, & conſideratione peregrinorum, quam à vera traditione certum locum & Ieſu, & Apoſtolis orantibus eſſe conſtitutam. 2. *Locus orantis Ieſu.*

*Procidit in faciem ſuam.*] Lucas autem: *Poſitis genibus orabat.* Ergo in faciem minimè procidit, aut ſuper terram, ſicuti Matthæus, & Marcus teſtantur. Maldon. noſter ait Ieſum non omninò proſtratum in terram, ſed genua flexiſſe. Nec obſtant Lucas, aut Marcus. Nam qui genua dat terræ, ſuper terram procidit. Sed quid reſpondet Matthæo affirmanti in faciem ſuam Chriſtum procidiſſe? Vt litem componam. Dixerim, Dominum oraſſe genibus flexis, 3. *Num procideret in faciem?*

 vti

vti ait Lucas, *Poſitis genibus orabat:* ſimul autem corpore ſuper faciem proſtrato decubuiſſe, quod affirmat Matthæus, *Procidit in faciem ſuam.*

## §. II.

### *Orantis Ieſu verba.*

4. *Verba expenduntur orationis.* Caiet.

Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte.] A voce plena dilectionis cœpit, *Pater mi.* Marcus vſus eſt Syriacâ voce *Abba*, quæ Patrem tenerrimum ſignificat. *Oratio hæc* (inquit Caiet.) *affectum naturalem hominis* (*quo nolumus mala penè contraria nobis*) *cum admunctio moderamine rationis ſuperioris Deô præſentat. Si poſſibile eſt.* Potentiam reſpicit non abſolutam, ſed ordinariam. Conditio autem huiuſcemodi appoſita propter inferiorem rationem. *Non enim*(Cardin ait) *ideo dicit conditionaliter, quia ipſe Ieſus ignoret, ſi poſſibile eſt, (ipſe enim omnia nouit) ſed quia ratio inferior in ipſo neſcit ordinem à diuina Sapientia definitum.* Neſcit autem, quia eius non eſt ſcire ſupremas rationes; ſed conſiderare rationes inferiores: hoc eſt, illas, quæ ſecundum res creatas congruunt, aut diſſonant. *Si poſſibile eſt.* Idem prorſus, ac *ſi vis.*

5. *Quid calicis nomine ſignificetur?* Theoph.

*Tranſeat à me calix iſte.*] Calicem paſſionem appellat. Quare? Theoph. Quod dulcis, & deſiderabilis Chriſto veluti potus. Siue quod paſſio in morem lætificantis vini, Ieſum, & homines lætificauit. Vel quia, inſtar vini, ſomnum Chriſto attulit mortis. *Vt oſtendat*(inquit)*quod Ieſus ſe morti tradit, & quod oporteat nos tam facile martyrium aggredi, quam ſi bibendum eſſet poculum.* Myſtica hæc. Arbitror calicem appellatam paſſionem, quia ſimilis poculo pleno amaritudine. *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto.*

6. *Quidnam petiit Ieſus huiuſmodi oratione?*

Quidnam Chriſtus hac oratione poſtulauit? Hieron. Beda, Paſchaſ. putant poſtulaſſe Ieſum, ne calix paſſionis à Iudæis propinaretur, ob tam immane facinus damnandis. *Vnde ſignanter* (ait Hieron.) *dicit: Calix iſte, id eſt, populi Iudæorum.* Haymo ſic: *Si fieri poteſt, vt gentilitas liberetur, ſine Iudæorum perditione, tranſeat à me calix paſſionis.* Id eſt, ab illis minimè occidar; ne ob immane delictum diſperdantur. Ambroſ. Baſil. & Orig. conteſtantur.

7. *Aliter alij.* Hilar.

D. Hilarius Chriſtum opinatur oraſſe pro martyribus. *Pro his*(inquit)*rogat, qui paſſuri poſt ſe erant, dicens: Tranſeat à me calix, id eſt, quomodo à me bibitur, ita ab eis bibatur, ſine ſpei diffidentia, ſine ſenſu doloris, ſine metu mortis. Non rogat, vt non patiatur, ſed vt bibendi calicis in eos ex ſe tranſeat fortitudo.* Auguſt. ſentit Chriſtum hic perſonam imbecillium ſuſcepiſſe.

8. *Auctoris ſententia.*

Reſpondeo quæſtioni Chriſtum pro ſe Patrem oraſſe, vt acerbiſſimam mortem auerteret, ſi poſſibile eſſet, ſi Paternæ hoc conſonum voluntati. Siquidem iam ad hominum liberationem ſeuero iure Deo meritis præcedentibus ſatisfecerat. Non equidem fuit huiuſcemodi oratio appetitus ſenſitiui Ieſu; hic enim appe-

D.Thom.

petitus orare non poteſt: (vti D. Thomas 3. p. q. 1. art. 2.) impotens ſenſibilia tranſcendere, ad Deumque conſcendere. Dici autem poteſt oratio hæc appetitus ſenſitiui Ieſu, quia ratio Patri proponebat, quod in appetitu aderat ſenſitiuo. Vnde Thomas: *Chriſtus* inquit) *orauit ſecundum ſenſualitatem,* (ſiue appetitum ſenſitiuum) *in quantum ſcilicet ratio eius exprimebat ſenſualitatis affectum, tanquam ſenſualitatis aduocata.*

## §. III.

### *Quamnam Ieſus hic abneget voluntatem?*

Verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.] Hinc contra hæreticos habes duas in Chriſto voluntates; alteram humanam: *Non ſicut ego volo*; alteram diuinam communem ſibi & Patri: *Sed ſicut tu vis.* Præterea in accuratiorem loci expoſitionem, duplicem adſtruo in Chriſto etiam ſecundum humanam naturam voluntatem, (vt docet Angelicus Doctor 3. p. q. 18 art. 5.) & appetitus ſenſitiui, & rationalis. Rurſum voluntas rationalis vel conſideratur per modum naturæ, vel per modum rationis. Voluntas rationalis; vti natura, naturaliter fugit ea, quæ naturæ ſunt contraria; vt mortem, cruciatus, & ſimilia. Voluntas rationalis per modum rationis, illa etiam complectitur, quæ naturæ aduerſantur, crucem; tormenta, opprobria. 9. *Duplex in Ieſu voluntas conſideratur.* D.Thom.

Quærimus itaque de quanam voluntate illa verba: *Non ſicut ego volo*, intelligenda ſint? Reſpondeo, de voluntate appetitus ſenſitiui; & de voluntate rationali conſiderata per modum naturæ. Voluntas quippè appetitus ſenſitiui (participatiuè equidem dicitur voluntas) cruciatus, ac mortem vehementer horrebat; voluntas item rationalis conſiderata per modum naturæ, naturaliter eadem impendentia mala refugiebat. At eadem voluntas per modum rationis ſpectata, mortem, tormentaque omnia libentiſſimè amplectebatur. Sic igitur ſententiam Dominicam interpretor. 10. *De quanam hæc verba voluntate?*

*Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.*]Non fiat, ſicut ego volo voluntate appetitus ſenſitiui, & voluntate rationali per modum naturæ conſiderata; ſed fiat, quod tu vis Pater ſanctiſſime; fiat voluntas tua diuina, quæ eadem eſt mea, & cui voluntas humana per modum rationis ſpectata libentiſſimè adhæret; voluntas autem appetitus ſenſitiui, & voluntas rationalis conſiderata per modum naturæ humiliter ſubiecta eſt. Porrò huiuſmodi voluntas appetitus ſenſitiui, & rationalis per modum naturæ *magis eſt dicenda velleitas,* (loquor cum D. Thom. 3. part. q. 21. art. 4.) *quam abſoluta voluntas.* Voluntas enim ſimpliciter hominis eſt rationalis voluntas; hoc namque abſolutè volumus, quod ſecundum deliberatam rationem volumus. Illud autem, quod volumus ſecundum motum appetitus ſenſitiui, ſeu voluntatis rationis, quæ conſideratur, vt natura, non ſimpliciter volumus, ſed ſecundùm quid, ſcilicet ſi aliud non obſiſtit, quod per deliberationem rationis inuenitur. Vndè talis voluntas velleitas potius, quàm voluntas abſoluta dicenda eſt. Sciebat Ieſus abſoluta quidem potentia poſſibile, quod poſtulabat; ſed ex hypotheſi vaticiniorum, & decreti Dei eſſe impoſſibile. Igitur impoſſibilia petit; quia non voluntate abſoluta, ſed velleitate petit. Vnico verbo Caietanus. 11. *Loci expoſitio.* D. Thom. Caietan.

*Non*

Google

*Non voluntate petit id abſolutâ; ſed velleitate naturalis affectus.*

## §. IV.

### *Docet Ieſus voluntatem hominis, etiam retrahente appetitu, Deo ſubiiciendam;*

### Ipſius obedientis fructu.

12. Chryſoſt. ATtamen huiuſmodi voluntatem Deo, etiam retrahente appetitu, ſubiiciendam edocet Ieſus. D. Chryſoſt. hom. 84. in Matth. *Sublimem* (ait) *admirabilis philoſophia virtutem tradidit Dominus, cum exemplo nos doceat, etiam natura horrore perculſa, ac renitente, eſſe Deum ſequendum.* Vberius Orig.

13. *Abnegationis utilitas.* Matth. 16. Spectant huc verba Saluatoris: *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam.* Matth. 16. Si vult Ieſum quis ſequi, quare voluntatem abnegare præcipitur? Vult quidem homo voluntate rationis, non vult voluntate appetitus; quam equidem oportet abnegari, Deoque ſubdi animo vtilia ſuadenti. Euthym. *Licet retrahente natura, ſequi oportet Dei voluntatem, illamque ſenſibili voluntati propriæ præponere tanquam maximè vtilem.* Eſt enim *ſublimis philoſophia.*

14. Vis oſtendam, quàm vtiliter Dei voluntatem propriæ præponis? *Tollat* (inquit Ieſus) *crucem ſuam.* Matth. 16. Cur non dixit: *Crucem meam?* Quid magis proprium Ieſu, quam crux? Profectò appoſitè propriam voluntatem diuinæ ſubmittentibus dicitur: *Tollat crucem ſuam;* quia homo huiuſcemodi reſignatione vnus cum Ieſu ſpiritus adeò efficitur, vt in duobus vna eſſe voluntas videatur. Paulus, *Qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt.* 1. Corinth. 6. Quiſnam Deo adhæret, niſi qui propriam voluntatem diuinæ ſubmittit? D. Gregor. *Vnus ſpiritus cum eo fit; quia in tantam gratiam diuinæ cognitionis aſſumitur, vt per errorem mundani ſpiritus* (ſiue appetitus ſenſitiui) *diſſentire vltrà non poteſt.* *Fit Christi ſimilis.* Matth. 16. 1. Cor. 6. Gregor.

Quàm pauci Dominicæ reſignationis imitatores! Quàm multi ſic: *Non ſicut tu ego!* Pauci D. Paulum ſectantur inclamantem: *Domine, quid me vis facere?* Act. 9. Multi à Domino volunt audire cum cæco, *Quid tibi vis faciam?* Matth. 10. Id quod ponderans D. Bernard. ſerm. 1. de Paſc. inquit: *Quàm pauci inueniuntur in hac perfectæ obedientiæ forma, qui ſuam ita abiecerint voluntatem, vt ne ipſum quidem cor proprium habeant; vt nō quid ipſi, ſed quid Dominus velit, omni hora requirant, dicentes ſine intermiſſione: Domine, quid me vis facere? Heu! plures habemus Euangelici illius cæci, quàm Pauli imitatores. Quid vis* (ait *Dominus ad cæcum*) *vt faciam tibi?* Proinde (vti docet D. August. ad Pſal. 35.) *corrigenda eſt voluntas tua ad voluntatem Dei; non voluntas Dei curuanda ad te, & rectum habebis cor.* 15. *Paucorum voluntatis abnegatio.* Actor. 9. Matth. 10. Bernard. Auguſt.

# IN IESVM PATIENTEM APVD HORTVM.

## Panegyricus ſecundus Moralis circa Literam.

## EX ORATIONE.

### OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

*Et progreſſus puſillum, &c.*

Ieſu Oratio illuſtratur.

*Vbi quonam modò oporteat orare, pluribus oſtenditur.*

16. Nyſſen. DIvus Gregor. Nyſſen. *Orandi* (inquit) *nobis doctrinam diuinus ſermo tradit, per quam ſe dignis diſcipulis orandi ſcientiam ſtudioſè, ac ſeriò requirentibus, quomodo diuinum auditum conciliare per verba orationis conueniat, exponit.* Et ſubdit: *Ego verò ſumpta audacia exiguum quiddā adiciam iis, quæ ſcripta ſunt, quod nimirum non quomodo orare oporteat, præſens conuentus docendus ſit, ſed quomodo omnino oporteat orare.* Hæc Pater. Ego verò *ſumpta audacia*, magnum quiddam adiciam, ſi quæ hic ſcripta ſunt interpretando, non *quod omninò oporteat orare,* (de quo alibi) ſed quomodo orare oporteat, oſtendero.

### CAPVT I.

*Oratio Ieſu ab externis abſtracta curis.*

A Diſcipulis octo auulſus eſt, à tribus autem puſillum progreditur, quaſi omninò curam 17.

curam gubernationis, externæque deponeret œconomiæ.

18. *Iacob exemplo probatur.* Huc adeſt Iacob dimiſſis vxorum, filiorum, ſeruorum, ac rei familiaris curis, ad vlteriorem fluminis ripam progrediens. Tota nocte cum Angelo Dei gerente perſonam dimicauit. Geneſ. 31. Quod quidem certamen non ſolum virium corporis, ſed & orationis fuiſſe Oſeas manifeſtat: *Et inualuit ad Angelum, & confortatus eſt, fleuit, & rogauit eum.* Cap. 12. Clamat igitur ad Iacob Angelus: *Dimitte me, aurora eſt.* Ac ſi diceret, (auctore Procop.) *Tempus eſt, vt ab inuiſibilibus ad viſibilia deſcendas.* Tempus iam terminum imponendi orationis certamini, quia inſtat hora, qua neceſſum tibi tanquam familiæ gubernatori, ad ſæcularem, ſeu temporariam curam rurſum properare. Oratio enim omnino ab huiuſmodi curis eſſe debet abſtracta.

Gen. 31. Oſe. 12. Procop.

19. *Et Abrahā.* Gen. 12. Dominus ad Abram, *Egredere de terrâ tua, &c.* Gen. 12. Quare Abræ à terra, domoque egrediendum? Ad colloquium Deo familiare inuitatur: *Apparuit autem Dominus Abram, & dixit.* Iuſtum erat, vt à ſæcularibus curis exiret, qui ad orationis exercitamenta vocabatur. Vnde Philo Hebræus lib. quod deterius potiori inſidietur: *Poſtquam Abraham* (inquit) *totam domum egreſſus eſt, ait Lex viſum ei Deum, dicens, quod manifeſtè appareret extricato rebus mortalibus, & recurrenti ad incorpoream huius corporis animam.*

Philo.

20. *Et Moſes.* Exod. 9. Quid Moyſes populi dux Hebraici? Promittit Pharaoni, *Cum egreſſus fuero de vrbe, extendam palmas meas ad Dominum.* Exod. 6. Cur in aula Regia non extendis? Quia aulæ tumultus vires hebetat deprecationis. Cur autem ex vrbe molitis egreſſum? Quia auellendus à ſubditis, eorumque negotiis tunc Rector, cum orationem debet inſtituere. Paraphraſis Philonis appoſita. Tunc *explicabo meas actiones Deo.* Quaſi manus implicentur temporariis gubernationis curis, & difficilius in vrbe ad Dominum queant extendi.

Philo.

21. *Te dimitte, vt orationi incumbas.* Quid dico Rectorem à ſubditorum curis amouendum, vt preces effundat? Porro ipſe mearum rector curarum, à memetipſo abſtrahendus ſum, vt orare valeam. *Suſtinete* hic, ô curæ temporariæ meæ, donec illuc vado, vt preces effundam. Locuturus Deus cum Abraham, *Eduxit eum foràs, & ait illi.* Geneſ. 15. *Foràs,* id eſt, à ſuimet corporis curis abſtraxit, & quaſi eum fecit humanitatis obliuiſci. *Deus cœli, & terræ, qui tulit me de terra natiuitatis meæ.* Gen. 24. Id eſt, vt me ad orationis exercitamenta vocaret, fecit me humanæ natiuitatis obliuiſci, ac ſi hominem omninò exuiſſem. Egregiè Philo 2. Alleg. *Oportebat, vt qui mentem ad orationem erecturus erat, haberet eam liberam ab omnibus corporis neceſſitatibus, inſtrumentis ſenſitiuis, denique à ſe ipſa.*

Geneſ. 15. Philo.

## Capvt II.

### *Oratio ſolitaria Ieſu.*

22. AD Specum ſe ſe recepit Ieſus, (vti ex Ioanne Suario vidimus) vt ſolitudinem vberius captaret. Qui à Ieroſolyma egreſſus venit in Gethſemani hortum, ibi adhuc progreſſus adiit ſpeluncam.

23. *Oratio apta in ſolitudine.* Gen. 24. Hieron. Oratio meſſis? Iſaac igitur non in domo incluſus, ſed, notante Philone, *Meditaturus, egrediebatur.* Manna ſuauiſſimum? *Egrediatur populus, & colligat.* Exod. 19. Vitalis fructus? Cum Ieſu ad hortum proficiſcere. Hieron. Epiſt. 41. laudat ſuum monachum Bonoſum, qui in deſertam inſulam penetrarat, & in aſperas cautes, inſtar Ieſu, ſe abdiderat: *Quaſi quidam nouus paradiſi colonus incedit, nullus ibi agricolarum, nullus monachus adhæret lateri comes. Solus ibi.*

24. *Clarius apud ſolitudinem vtilia intuetur.* 1. Reg. 8. Gregor. *Dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem eorum, & conſtitue ſuper eos Regem. Et ait* Samuel illicò ad Iſraël, *Vadat vnuſquiſque in ciuitatem ſuam.* 1. Reg. 8. Cum primum Samuel ſe ſe videt à Domino ſpirituali viſu donatum, ſe curat ab hominum ſocietate expedire. Vnde D. Gregor. *Dum Propheta Domini omnem populum abire ad propria loca præcipit, à ſe vtique tumultum repellit, vt eo ſpiritualia, quæ diſponenda ſunt, clarius videat.*

25. *Moyſes ſolitudinem captat.* Exod. 33. Eodem (authore me) intentu olim Moyſes, *Tollens tabernaculum, tetendit extra caſtra procul.* Exod. 33. Procul equidem progreditur, vt captata ſolitudine cor ſolitarium Deo ſoli facilius adhæreſcat, eum (authore Lyran.) Deum exoraturus accurris.

## Capvt III.

### *Oratio nocturna Ieſu.*

26. IN Noctis mediis tenebris conſtitutus Ieſus orationi operam impendit. *Pernoctabat* (inquit Lucas) *in oratione Dei.* Cap. 6. Dei orationem eam orationem appellat, quæ inter tenebras effunditur; quia tunc mens hominis magis remota curis, Deo inhæreſcit.

27. *Mens in nocturnis precibus perſpicacior.* Cyrill. Luc. 6. D. Cyril. apud D. Thom. hoc eleganter illuſtrat argumentum fatus: *Exurge igitur tu tempore noctis. Purior eſt enim tunc temporis anima; ipſa tenebra, ſilentium nimium poſſunt ad compunctionem perducere. Si ipſum quoque cœlum inſpicias punctatum ſtellis quaſi infinitis luminibus. Hæc omnia ſufficiunt ad animam erigendam. En inter tenebras cœleſtis lux.*

28. *Deum in meridie inuenit de nocte fundens preces.* Cant. 1. Pſal. 131. Qui per dies quæritans, non inuenit, quem diligit anima, per noctes requirens noſcit *vbi paſcat, vbi cubet in meridie.* Cantic. 1. Dauid: *Si dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, donec inueniam locum Domini, tabernaculum Dei Iacob.* Pſal. 131. Quaſi ad requirendum Dei tabernaculum id tempus eligeret (ex Lampen.) quo humana corpora ſomno relaxantur.

29. *Noctis opportunitas.* Profectò inter tenebras nunquam non ad Deum inueniendum patet aditus. *Praueni* (ait Pſalmiſta) *in maturitate, & clamaui.* Pſalm. 118. Alia litera, *Præueni adhuc in tenebris.* Ac ſi diceret: etiam quando præueniebam, in maturitate ſiue tempore opportuno clamabam. Quia nullum tempus adeò opportunum diuino conſpectui, quam cum inter tenebras preces effunduntur.

30. *Nocte ſurgit Dauid vt confiteatur.* Annon Solis vincit fulgorem iubar illud, quo peccati dignoſcens fœditatem, ad confeſſionem velociter aſſurgis? Quis dubitet? Profectò nocturnis te ad id precibus præparati

Dauid

Pſal. 118. Ambroſ. Dauid oſtendit. *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi.* Pſalm. 118. Vbi D. Ambroſ. ſerm. 19. *Et tu ſurge media nocte, vt dum oras nocte, veri Solis pectori tuo ſplendor irradiet.* Vt ſcilicet excitetur animus ad confeſſionem.

31. *Nocturna vigilia intellectum acuit.* Pſal. 1. Hieron. Nocturoa certè vigilia intellectum mirum in modum acuit, vt orationis gladio aſturiſſimus ſerpens vulneretur. Beatus à Dauide ille vir appellatur, *qui in lege Domini meditatur di, ac nocte.* Pſalm. 1. Vbi D. Hieronym. diſcernens verba illa: *Die ac nocte*; nocturnæ ſic orationis vigiliæ perpendit præſtantiam. *Vigilando omnis timor excluditur, vitia tabeſcunt, charitas roboratur, recedit ſtultitia, accedit prudentia, mens acuitur, error obtunditur, criminum caput diabolus gladio ſpiritus vulneratur.*

32. *Dulcis nocturna deprecatio.* Quid quod dulciſſimus Deus de nocte ſurgentibus ad orationem? *Memor* (adhuc Pſaltes) *fui nocte nominis tui, Domine.* Pſal. 118. Ad quæ Ambroſ. carmen de dulciſſimo Ieſu nomine expendit. *Hoc nomen Ieſu inuocetur noctibus.* Dum per diem ad te, ô Domioe, preces effundo, te ad memoriam reuoco *ducem,* ſed *rectum.* At dum per noctes oro, *memor ero nominis tui* Ieſu, quod quidem omnioò ſuaue. Vode diffluo dulcèdine.

33. *Quaſi bis ſpiritualis per noctem ordo.* 4 Reg. 2. Chryſoſt. Ipſa denique oratio nocturna duplici ſpiritu condecoratur, viros bis (vti explicem) ſpirituales teddens. Diſceſſurus Elias Eliſæo duplicem ſpiritum poſtulanti ait: *Si videris me, quando tollar à te, erit tibi quod petiſti.* 4. Reg. 2. Quod ita exponit Chryſoſt. Si vigilaueris, ſi pernoctaueris io oratione duplici ſpiritu condecoraberis. *Non enim datur gratia niſi vigilanti.* Spiritualis equidem vir per diem orans. At antelucanus orationis exercitio vacans, bis quodammodo ſpiritualis eſt.

## Capvt IV.

### *Oratio Ieſu in communitate.*

34 Q*Vantum iactus eſt lapidis* Ieſus à Diſcipulis octo receſſit; at *puſillum* progreditur à tribus, ſicuti in communitate fuodentes preces mentis eleuatione aſſolent puſillum inuicem ſeparari. Vndè Chriſtus, *Vigilate mecum. Non potuiſtis vna hora vigilare mecum?* Efficaciſſima huiuſmodi deprecatio.

35. *Communis Niniuitarum oratio efficax.* Ioan. 3. Chryſoſt. Si Rex admonuit Niniuitas, *Clament ad Dominum in fortitudine.* Ioann. 3. Fortis oratio multitudinis, quia vno deprecante, non difficile Deus abnegat quandoque qoæſita. At io multorum deprecantium conſpectu quodammodo multitudinem reueretur, nec audet denegare. Exponit ſic D. Chryſoſt. hom. 2. in 2. ad Cor. *Deus frequenter reueretur multitudinem, vnanimem, & conſentientem in precando; vt veluti pudore victus, non audeat eis negare.*

36. *Fidelium oratio adiuuit Eccleſia patrem.* Matth. 21. Chryſoſt. Quid orante pro ſe Petro potentius? quid Eccleſiæ fundamine ſtabilius? *Petrus tenebatur in vinculis. Oratio autem fiebat ſine intermiſſione ad Deum pro eo.* Solus orat, & carcere retinetur. Orat communitas, & à periculo liberatur. *Vis* (inquit Chryſoſt. hom. 79. ad Pop.) *diſcere quanta ſit orationis in Eccleſia facta potentia? Vinctus erat Petrus multiſque catenis circundatus, oratio autem fiebat pro eo. Et ſtatim eum à carcere liberauit. Quid hac igitur ſit orationi potentius, quæ columnam, & Eccleſia turrim adiuuit?*

37. *Harum potentia precum.* Gen. 32. Quid aliud in Iacobo luctante cum Angelo oſtenditur? *Dimitte* (inquit Deus) *me, iam aſcendit aurora.* Gen. 32. Quid ſi ad illam auroram reſpiciat, quando communitatis fidelis oratio inſtituitur? Quaſi diceret, Dimitte me, ne aduentante luce, accedêtibuſque domeſticis tuis, pro tua victoria preces effuudant, vnde aut (nō ſine rubore) abnegare cogar; (vti aiebat Chryſoſt.) aut pluribus oratoribus aduerſus hominum ſalutem petita quodammodò concedam.

38. *Singuli ſocij attentioni, ac feruori ſtudeant.* Exod. 16. Attamen vti efficaciores communoitatis preces aſcendant, ſinguli ſocij attentioni, ac feruori operam adiiciant. Daturus Dominus in deſerto Manna, *Egrediatur* (inquit) *populus, & colligat.* Exod. 16. Et inferius, *Colligat vnuſquiſque.* Quare ſingulis indicitur colligendi lex, quando tota Iſraëlis communitas ad colligendum egreditur? Quia vt communitas cœleſtis Mannæ dulcedine potiatur, oportet, vt ſinguli ſigillatim colligere intendant.

39. *Cæteris dormitantibus, tu vigila.* 1. Reg. 17. Quod ſi te attentè exorante ſocij dormitatione corripiantur, tuus non ideo dormitet affectus: ſed ad ſingulare certamen, te à dormientibus non corpore, ſed attentione abſtrahens, accurre. Olim Goliath vniuerſo Iſraëlis populo infeſtus. Cui quidem Saul, Dauid reliquique fortiſſimi duces haud timorem incutiebant. Quid tunc Dauid à longe, hærens vtique ſuis, ne ob deſides tota communitas fraudaretur victoria, lapide potenti gigantem vulnerauit, ſtrauit, deleuit. 1. Reg. 17.

40. *Sic Ieſus.* Non aliter Ieſus verus Dauid licet ſociorum aduertat dormitatiooem, quando omnibus erat vigilandum in communitatis gloriam puſillom progreſſus rurſum dormitaotibus immiſcetur, ac totius communitatis oomine certamen ſingulare inſtituit; vt lapidis iactu, ſiue orationis vi Goliath diabolum interimeret. Hinc emphaticè Lucas, *Tanquam iactus eſt lapidis.* Luc. 22. Luc. 22. Illud enim à ſocijs dormientibus recedere, ſiue cum dormientibus non obdormire, iactus lapidis erat, quo diabolum vulnerauit. Drogo. Drogo Hoſt. de ſacr. Paſſ. *Auulſus eſt à nobis, & iactus eſt lapis, & percuſſit Goliam in fronte.*

## Capvt V.

### *Oratio Ieſu clauſa.*

41. P*Rogreſſus puſillum.* Vti ſeſe ad antrum (ex Ioan. Mariæ ſententia) reciperet, & quaſi clauſo oſtio, diuinis precibus operam daret. Id quod primo aſpectu obſtare videtur orationi gregatim peractæ, cuius præmiſimus commendationem. Non equidem repugnat.

42. *Ad cubile cordis oraturus accede.* Matth. 6. Hieron. Magiſtrum audiamus: *Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum.* Matth. 6. Ad materiariumne mittimur cubile? Ita planè; ſed ſpecialiter ad cordis adyta allicimur. D. Hieron. *Hoc ſimpliciter intellectum erudit auditorem, vt vanam orandi gloriam fugiat. Sed mihi videtur hoc magis eſſe præceptum, vt incluſa pectoris cogitatione oremus Dominum. Quod etiam Annam feciſſe legimus.*

43. Profectò Anna non ad materiarium cubi-

*Ibidi Anna & pueri Hebræi orauere.* 1.Reg.4. Dan.4.

culum recepta, ſed coram omnibus templo procidentibus orationem inſtituit. At cordis clauſo cubiculo muniebatur. Adde Pueros illos fornacis clauſtris incluſos, ſed plus conſcientię adytis conſtitutos gregatim tamen preces effudiſſe. Et Annæ & Iuuenum memor Chrom.ad cap.5.Matth. *Inuenimus Annam illã ſanctiſſimam huius Euangelicæ doctrinæ: Intra in cubiculum tuum, præcepta complentem. Nam in cordis ſui ſecreto*(licet in aliorum conſpectu) *deſiderij preces effundebat, ſic & Daniel cum tribus Pueris,&c.*

Chrom.

44. *Fuge tumultum.* Matth.6.

Annon Eccleſia locus omnium fidelium deprecationi deputatus? Quis ambigat? In Eccleſia igitur cubiculum illud (de quo Dominus) extruendum exiſtimo. *Intra in cubiculum tuum, & claude oſtium.* Matth.6. Quonammodo in templo communi hominum fidelium receptaculo eſt cubiculum extruendum, claudendum oſtium? Dum ſcilicet in templo, conſpectuque omnium conſtitutus ad cordis adyta me recipio. Ita exponit D.Bernard tract de Doct. *Veniens ad Eccleſiam, pone manum ſuper oſtium, & dic: Expectate hic cogitationes malæ, intentiones, & affectus cordis, & appetitus carnis. Tu autem anima, intra in gaudium Domini tui.* Haud equidem templi foribus manum admouendam Pater affirmat; ſed cordis oſtium, excluſis indè è cubili prauis cogitationibus, obſeruandum.

Bernard.

45. *Cubile ſit cordis attentio.* Pſal 4. Chrom.

*Quæ dicitis in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris compungimini.* Pſal 4. Cubiculum enim Religioſi meditationis tempore cordis eſt clauſtrum. Apprimè Chromat.citat. *Intrà cordis ſecretum iubemur orare, vt ab eo, qui occultorum eſt cognitor, recipiamus orationis occultæ mercedem.* Nun enim oratio, religioſis ſpeciatim, occulta, quando nos recipimus ad materiatum cubile: ſed cum cordis clauſula continemur. *Religioſæ enim mentis eſt, Deum fide cordis orare. Vnde Dauid, Dicite in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris compungimini.*

## Capvt VI.

### *In habitu pœnali Oratio Ieſu.*

46. FLexis Ieſum genibus oraſſe, ſimulque ſuper faciem procidiſſe oſtendimus. Vt fatigatio corporis illa alas indat orationi.

47. *Num exprobras Deo, quod te oratio fatigat?*

Tertull.de Orat. ſic; *Contra Scripturam fecerit, ſi quis in cathedra, aut ſubſellio ſederit. Siquidem irreuerens eſt aſſidere ſub conſpectu, contráque conſpectum eius, quem maximè reuerearis, ac venereris: quanto magis ſub conſpectu Dei viui, Angelo adhuc orationis adſtante. Factum iſtud irreligioſiſſimum eſt, niſi exprobramus Deo, quod oratio nos fatigauerit?* Ac ſi diceret, Qui in conſpectu Domini ſedet in corporis leuamen, Deo exprobrat, quod ſe defatigarit deprecatio.

48. *Oratio pœnali ter orantis; pennas habet.*

Reſpicit Tertullian.hiſce verbis: *Angelo adhuc orationis adſtante*, Iſaiæ Seraphinos, *Vidi* (inquit Propheta) *Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum. Seraphim ſtabant ſuper illud, ſex alæ vni, & ſex alæ alteri, duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.* Cap.6. Stabant Angeli, non ſedebant. Annon ſtatio inter labores inter moleſtias corporis computatur? Angeli igitur orationis habitum præſeferunt laborioſum, dum ſtant; ſimulque orationis agilitatem annunciaut, dum ſtantes volant. *Et duabus volabant.*

49. *Exorat.*

Vidiſti Iacobum luctantem & orantem. Illa enim lucta orationem prætendebat, vti ex Oſea comprobauimus. Quid certaminis labori, vulneratoque femori cum oratione? Profectò certamen illud laborioſum, femoriſque vulneratio pœnalem procubitum in oratione ſignat. Benedictionibus itaque repletur Iacob, quia laborem corporis cum effuſis precibus copulauit.

Gen.31.

50. *Vincit.*

Sunt qui in oratione manus extendant non ſine corporis vexatione. Tunc vel renuente corpore animus orationis alis aſcendit. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris.* Cantic.6. Myrrham mortificationis, ſeu corporalis moleſtiæ thuri orationis pulchrè aſſociauit Sponſus. Tunc enim animus aſcendit, cum corpus pœnali habitu extenuatur. Sic transfert Rupert. illud. *Sicut virgula*, id eſt, *extenuata.* Appoſitè Clemens Alexand.7.ſtrom. *Manus orantes in cœlum extendimus; vnà cum verbo corpus à terra educere conantes; erectam, & eleuatam animam cogimus in ſancta progredi, magno animo corporis vinculum deſpicientes.*

Cant. 6.

Rupert. Clem. Alex.

51. *Sic Moyſes hoſtes debellauit.*

Huiuſmodi pœnali habitu, id eſt, manuum oſtenſione Moyſes orabat, vti plus efficax deprecatio redderetur. *Cumque leuaret Moyſes manus, vincebat Iſrael; ſin autem paululum remiſiſſet, ſuperabat Amalech. Manus autem Moyſi erant graues. Aaron autem & Hur ſuſtentabant manus Moyſi ex vtraque parte.* Exod.17. Num ex illa grauitate, ac moleſtia manuum ac corporis victoria orationis exurgebat? Pulchrè Iſaias Abbas orat. 5. *Moyſes in montis vertice conſtitit, & manus eius ab Aaron & Hur ſuſtinebantur; ne ex crucis ſpecie, in qua erant conſtituta, deciderent.* Non modo vt ex crucis ſigno, ſed vt ex corporis cruciatu orationis efficacia oſtenderetur.

Exod.17.

Iſaias.

## Capvt VII.

### *Oratio Ieſu humilis, obſeruans.*

PRo particula, *orans* Paſchaſ.legit: *Adorans.* Mater ſic filiorum Zebedæi ad Ieſum deprecatura accedens, adorat, & petit: *Adorans*, (inquit Matthæus.) *& petens aliquid ab eo.* Cap. 20. Nec enim impetrare vult, qui non veretur irreuerenter poſtulare. 52.

Paſchaſ.

Phariſæus ille *ſtans, hæc orabat, Deus gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri homines, raptores, iniuſti, adulteri.* At *Publicanus à longè ſtans, nolebat nec oculos ad cœlum leuare; ſed percutiebat pectus ſuum, dicens, Domine, propitius eſto mihi peccatori.* Luc.18. Et quod magis mirere, parabolam Ieſus in hunc modum terminauit. *Deſcendit hic iuſtificatus in domum ſuam ab illo.* Cur Phariſæi repellitur oratio. Publicani autem deprecatio exauditur? D.Cæſarius dial.4. *Exemplum iſtius Phariſæi conſiderandum eſt, & timendum. Ne pro eo, quod ſtans oraret, ideo non meruerit exaudiri.* Enimverò non ſolus Phariſæus ſtans orabat, ſed & Publicanus ſtabat à longè. *A longè ſtans.* Non igitur ex eo præcisè, quod Phariſæus ſtaret coram Domino taxabilis. 53.

*Irreuerenter orans Phariſæus repellitur.* Luc.18.

Cæſar.

bilis. Expono Patris mentem. Verè ille ſupplex apparet, qui obſeruans, & reuerens obiicitur, licet ſtare corpore videatur; ille autem verè ſtat ſpiritu, qui ab obſeruantia, & reuerentia longè abeſt, licet corpore procumbat. Stat Phariſæus, ſtat Publicanus; Phariſæus quidem irreuerenter, inobſeruanter, irreligiosè, oculos enim hùc illùc iactitabat immodeſtè. *Non ſum* (inquit) *ſicut cæteri homines, &c. Velut etiam hic Publicanus.* At ſi Publicanus *à longè* ſtabat, indicamentum præbetur Phariſæum circa altare conſtitutum, oculos Publicano à tergo conſiſtenti, terga autem altari dediſſe. Porrò Publicanus *nolebat nec oculos ad cœlum leuare, ſed pectus percutiebat*, ſtans quidem corpore, animo conſternatus. Pro eo igitur, quod ſtans, ſiuè inobſeruanter oraret, non meruit exaudiri animo non conſternatus. Queis animo minimè conſternatis (Cæſar. Arel.) iuſtè D. Cæſarius Arelat. *Cum Deo* (inquit homil. 31.) *in oratione loquentes, & antè tantam maieſtatem peccatorum noſtrorum miſerias allegantes, non nos pudet, captiuis ſenſibus huc illucque diſcurrere: & infelicem mentem à conſpectu diuina maieſtatis abſtrahere?*

54. *Procidat mẽs corpore ſtãte.* Statio itaque corporis, ſi mens procidat, non indecens orationis habitus, ſicut in ſtantibus coram Dei throno Seraphinis apertè monſtratur. *Seraphim ſtabant.* Dum tamen mentis alas humiliter demitterent. Hand enim ſuperioribus alis volantes obiiciuntur. (Iſai. 6.) Iſaiæ 6. Sapiens appoſitè, *Cuſtodi pedem tuum ingrediens domum Dei.* (Eccl. 4.) Eccleſiaſt. 4. litteralem exiſtimo ſenſum eſſe: Genua flecte, peſque tuus, quaſi ſuo iam muneri non tam temporis aptus, cuſtodiatur, ſiue colligatur. Profectò non tam de materiali pede cuſtodiendo, quam de mentis genuflexione ob humilitatem, & reuerentiam in oratione exhibendam in præſenti interpretandus locus ex Salonio (Salon.) tom. 2. Bibl. fante: *Non pedem corporis cuſtodiendum docet, ſed pedem animæ. Et eſt ſenſus. Cuſtodi pedem animæ tuæ, vt oratio tua pura dirigatur ad Deum.* Reuerentia enim plurimum adfert orationi puritatis.

55. *Adoratio orationem præcedat.* Paulus ad hæc: *Obſecro igitur fieri obſecrationes, orationes.* (Philip. 5.) Phil. 4. Num obſecratio, & oratio idem? Minimè. Quid igitur obſecratio? Obſecrationis nomine ex vocis Græcæ vi habitum deſcribit orantis, ac ſi deprecatio, & oratio idem ſint, quod adoratio; & petitio, *Adorans, & petens. Domine* (clamat Dauid) *exaudi orationem meam, auribus percipe obſecrationem meam.* (Pſal. 140.) Pſal. 140. Vbi Angel. (Angel.) *Oratio propriè eſſe videtur, quæ ad venerationem diuinæ maieſtatis defertur. Obſecratio propriè cum humiliter id, quo indigemus, cum quadam miſeratione petimus.*

---

## Capvt VIII.

### *Attenta Oratio Ieſu.*

56. Hugo. NOn ſuperflua huiuſcemodi repetitio *Orans, & dicens.* Sunt enim qui dicunt, & non orant. Ore namque verba proferente, cor longè remouetur. Vnde Hugo Card. appoſitè hunc locum expendens, *Orans,* (inquit) *& dicens. Orans ſcilicet corde, & dicens ore.*

57. *Cordis obſeruatio.* In cuius probationem proximo Pauli vtemur teſtimonio. *Obſecro igitur primum fieri obſecrationes, orationes.* Philip. 4. (Philip. 4.) Vbi Theoph. has voces idem ſignificantes ab Apoſtolo rhetorica congerie apponi exiſtimat. Aptius ex D. Thom. (D. Thom.) Oratio mente, & animo, ſiue corde offertur; Obſecratio autẽ labiis exprimitur. Petit itaque Paulus fieri *obſecrationes, orationes.* Id eſt, ore prolatas petitiones, quæ orationes ſint, quæque nõ minus corde, quam ore proferantur.

58. *Oratio in Domini conſpectu.* Dauid. *Intret poſtulatio mea in conſpectu tuo.* Pſal. 118. (Pſal. 118. Ambroſ.) Ambr. pro poſtulatione poſuit dignitatem. *Intret dignitas mea.* Id eſt, quod in me dignum tuo inuenitur conſpectu, cor ſcilicet, & animus. Ne me labiis vociferante, animus templi, aut cubiculi parietibus concludatur, quando debebat tuo volitans ſiſti conſpectu. Rectè D. Cæſar. Arel. (Cæſar. Arel.) *Videte* (inquit hom. 31.) *quàm ſit dura iſta captiuitas, vt lingua quaſi cum Deo loquatur, & tota animi intentio ad parietes dirigatur.* Intret in cõſpectu tuo dignitas mea. D. Aug. (Aug.) ſerm 6. de ver. Domi. *In Eccleſia corpus, alibi cor? Totum intus eſſe debet; ſi intus eſt, quod videt homo: quare foris eſt, quod videt Deus?*

59. *Anna exemplum.* Cor equidem Anna illa in conſpectum Domini intrare cupiebat, quæ inclamabat: *Effudi animam meam in conſpectu Domini.* 1. Reg. 1. (1 Reg. 1. Chryſoſt.) Vbi Chryſoſt. hom. 1. *Non ait, deprecor Dominum; ſed effundo animam meam in conſpectu Domini.* Totam ſe ſe illa cœleſtem recepit in aulã. *Nam in conſpectu Domini orat* (cum eodem Patre loquor) *qui orat, vndique colligens ſuam mentem, nihil habẽs cum terra commercij, ſed ad ipſum Deum totus commigrans.* Quique eadem facilitate animum effundit, ac ſermonem.

---

## Capvt IX.

### *Affectuoſa oratio Ieſu.*

60. PAter mi. Plena equidem affectu verba. Magis exprimit Marcus: *Abba Pater, omnia tibi poſſibilia ſunt.* Hoc vocabulum *Abba* patrẽ ſignificat eo nominatũ affectu, quo pueri vbetibus hærentes aſſolent exprimere, *Papa. Accepiſtis* (ait Paulus) *ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater.* Rom. 8. (Rom. 8. Theod.) Vbi Theod. *Pueri maiori apud patres libertate vtentes, frequentius ad eos eadem voce vtuntur: ita & nos propter inenarrabilem eius benignitatem, & infinitam bonitatem patrem quidem vocamus, vt iuſſi ſumus, Abba pater.* Quid, filio puero tã affectuosè deprecanti negabit Deus eorum, quæ poſſibilia, ſeu iuxtà deprecantis vtilitatem factibilia ſunt? Vnde adiicit Dominus, *Pater mi, ſi poſſibile eſt.* Solum etenim non conuenientia à Patre tam affectuosè oranti filio abnegabuntur.

61. *Affectuoſæ orationis fructus.* Duo hodie Saluator poſtulabat, & quod à Iudæis paſſionis calice non potaretur, & quod Martyres huiuſce calicis efficerentur participes iuxtà duplicem D. Hieronym. & D. Hilar. (Hieron. Hilar.) in Matth. 20. expoſitionem, de quibus in Commentario. Primum profectò fieri iuxtà diuinam diſpoſitionem impoſſibile, haud factibile erat: Alterum autem, poſſibile, factibile vtique, Dominus affectuosè orans, conſecutus eſt. Duo filij Zebedæi auguſtiora ſedilia poſtulantes, ex ore Dominico audiere: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Poſſumus,* (inquiunt.) Ieſus autem, *Calicem* (ait) *meum bibetis, ſedere autem ad dexteram meam, vel*

*Auctoris ſententia argenteum eſſe ſiclum.* Ego autem cum Ianſenio, Maldonato, Barradio, & aliis exiſtimo argenteum eſſe ſiclum. Abulenſ. Abulenſis verba illa 4. Reg 6. *Obſeſſa eſt Samaria, donec vennndaretur caput aſini octoginta argenteis*, interpretatur, *octoginta ſiclis*. Septuag. quoque 2. Reg. 18. & Iſai. 7. ſiclum transferunt pro argenteo. Siclus duplex, prophanus, & Sanctuarij; ille duas drachmas, hic quatuor continebat. De Sanctuarij ſiclo in præſenti à corbona ſacra deſumpto ad Ieſu emptionem. Profectò ſi vna drachma vni Hiſpanico regali reſpondet, (vti Maldon.) Chriſtus centum & viginti regalibus Hiſpanicis venditus eſt.

Quonam modo igitur tam exiguo pretio ager ad peregrinorum ſepulturam emptus? 14. *Obiectioni huic fit ſatis.* Tunc res viliores, ager paruus. Ieremias ſeptem ſtateribus, & decem argenteis agrum emit. Cap. 32. Stater idem, quod Sanctuarij ſiclus, quatuor contineos drachmas, vnde ſexaginta & octo drachmis ſiue regalibus ager emptus. Rogas quonam modo Ioſeph Saluatoris typus viginti tantùm venditus fuerit argenteis? Reſpondeo non ex eo figuram ſimilem veritati; ſed quod vti Ioſeph à fratribus, ita Chriſtus fuit à Diſcipulo venditus.

---

# IN IESVM PATIENTEM APVD HORTVM.

# Panegyricus primus Moralis circa Literam.

## EX IVDÆ PRODITIONE.

## *OBSERVATIO I.*

Ad illa verba:

*Tunc abiit vnus ex duodecim.*

Contra proditoris auaritiam,

*Planè ſtultam & cæcam.*

16. DIvus Hieronymus ex auaritiæ affectu Iudam ad Principes Sacerdotum properaſſe ait: *Infelix Iudas damnum, quod ex effuſione vnguenti ſe feciſſe credebat, vult Magiſtri pretio compenſare.* Si compenſare intendis ex effuſo damnum vnguento, cur noo certam poſtulas ſummam? *Quid* (inquit) *vultis mihi dare? Non certam* (ait Parens) *poſtulat ſummam, vt ſaltem lucroſa videretur proditio.* Quando non cæcus, & ſtultus auaritiæ affectus? Pulchrè ad Chryſoſt. hæc D. Chryſoſt. hom. de Iuda. *O dementia, imò cupiditas proditoris!* (ipſa namque dementia dementior eſt cupiditas.) *Hac affectatus, Magiſtrum tradidit Iudas. Nam cupiditas huiuſmodi ſortita eſt naturam, rerum obliuionem imponit, & alienationem mentis oſtendit.*

17. *Auarus beneficiorum immemor.* Quàm certum illud! *Rerum obliuionem imponit.* Tempus proditionis Iudæ Paſchale fuit, in quo Ieſus epulum parauit Diſcipulis, vbi Iudam propria manu cibauit, Iudæ lauit pedes, linteo abſterſit, qui Iudam vocauerat ad Apoſtolatum, eum potentia miraculorum donauerat. An non te huiuſmodi beneficiorum recordatio abſtrahet à proditione? Proh auaritia rerum animis obliuionem imponens! Chryſoſt. *Quanta* (inquit Chryſoſt.) *beneficia reſpuit! Conuerſationis, menſa, Diſcipulatus, ac monitionis, ſuaſionis oblitus eſt, frænis cupiditatis impeditus.*

Si rerum obliuionem imponit auaritia, non 18. mirum ſi *mentis alienationem* cauſet. *Ægyptii tenebris obruntur.* Quia cœleſtium beneficiorum obliuiooem plerumque impotentia mentis comitatur. Cæcus proſſus, & ſtultus, qui auaritiæ deſeruit. Obcæcatæ mentis eſt, fratrem non videre, proximum non agnoſcere. Tenebræ inter Ægypti plagas annumerantur. *Tribus diebus nemo vidit fratrem.* Exod. 10. Lipoman. ex Ruperto, Exod. 10. *Signanter Ægyptiis dictum eſt, quòd tribus diebus nemo vidit fratrem ſuum. Cupiditate namque detentus, & praeoccupatus animis non videt fratrem ſuum, non agnoſcit proximum ſuum eò tantum intentus, vt furetur.* Si obcæcatæ auaritia mentis, fratrem non videre, proximum non agnoſcere, quid Magiſtrum, benefactorem, Deum ſpernere, tradere? Profectò qui *fur erat* eò tantum intendebat, vt furaretur.

Pende verba illa: *Vnus ex duodecim.* Quo- 19.
nam modo Apoſtolus, qui viſione Ieſu ſem- *Ieſum videns auarus, non videt.* per fruebatur, adeo obcæcari potuit, vt ſimul caducis vilibus emolumeotis intenderet? Id certè potuit auaritia: *Dixit Balaam, dixit homo, cuius obturatus eſt oculus qui viſionem Omnipotentis intuitus eſt.* Numer. 24. Num. 24. Quænam vitræ contrariæ iunctæ ſunt, vt homo viſione cœleſti fruens, cæcitate laboraret? Id facillimè præſtitit auaritia, qua Balaam diuinationis pretia capiebat. Quod ponderans Rupert. Rupert. lib. 2. in Numer. cap. 21. ait. *Cuius obturatus*

eſt

*eſt oculus, & viſionem Omnipotentis intuitus eſt, repugnantia ſibi videntur. Nunc autem planum intellectu ſit, quia per propheticam ſcientiam viſionem Omnipotentis intuitus eſt; ſed per auaritiam cor cæcatum habet.* Haud aliter Iudas, qui vnus è duodecim, Chriſti viſione fruebatur, *loculos habens* miſerè cæcitate laborabat.

20. [*Auarus hæres ſtultus.* Luc. 12. Beda.] Quidam olim de turba Ieſu ait: *Magiſter, dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem.* Luc. 12. Et poſt paruum interſtitium inclamat Ieſus: *Videte cæci auari, & cauete ab omni auaritia.* Vbi acutè Beda: *Occaſione huius ſtulti petitoris, aduerſus auaritiæ peſtem, & turbas, & Diſcipulos præceptis pariter, & exemplis munire ſatagit.* Illud expende: *Occaſione huius ſtulti petitoris.* Vndenam hic ſtultus? Quid magis fraternitati conſonum, quàm hæredi fratri ſocius adhiberi? Profectò qui diuitiarum cupiditate temporariæ vtilitati ſtudebat, non poterat non & ſtultus haberi ab ſpirituali rerum æſtimatore. Auaritia enim ſtultitiæ parens.

21. [*Cum auaris agere, neſcio quid non ſapiens prætendit.* Luc. 12.] Ponderanda Saluatoris reſponſio, *Quis me conſtituit iudicem, aut diuiſorem ſupra vos?* Luc. 12. In cuius expoſitionem recordare Ieſum ſapientiſſimum iudicem viuorum, ac mortuorum à Patre conſtitutum. Noluit itaque duorum fratrum litem dirimere, quia ſibi quodam modo viſum, tanti iudicis, arbitrique ſapientiæ præiudicari, ſi vel componendæ ex ſtulta auaritia exortæ liti intenderet. [Ambroſ.] Ambroſ. appoſitè: *Bene terrena declinat, nec ſapiens ipſe iudex & arbiter dignatur eſſe ſæcularium, viuorum habens, mortuorumque iudicium, arbitriumque meritorum.*

22. [*Stultus ipſū eſt auari nomen.* Geneſ. 3.] Diuinæ equidem ſapientiæ particeps Adam nomina rebus impoſuit, vnde *quod vocauit Adam, ipſum eſt nomen eius.* Geneſ. 3. Id eſt, rei eſſentia appellationi apprimè reſpondebat. Sola enim cœleſtis ſapientia quiditatiua nomina rebus imponit. Videamus itaque quonam auarum nomine compellari Deus diſpoſuerit, & *ipſum* proculdubiò *eſt nomen eius.* Auarus ille inclamabat: *Anima mea, habes multa bona poſita in annos plurimos.* Cui Deus, *Stulte, hac nocte* [Luc. 12.] *animam tuam repetent à te.* Luc. 12. Quare proprio auarum nomine non compellas? Ipſum eſt nomen eius, *Stulte.* Ideo enim legimus impoſitum à perfectiſſimo rerum cognitore. [Baſil.] Egregiè D. Baſil. apud D. Thom. *Audi conuenient tibi ſtultitiæ nomen; quod tibi nullus impoſuit hominum; ſed ipſe Deus.* En auaritia *alienationem mentis, & rerum obliuionem oſtendit.*

23. [*Auaritia expers rationis.* Diog.] Quàm ſubtiliter vel prophani: Diog. apud Stob. *Suapte natura vix frænari poteſt cupiditas; ſi diuitiarum quoque ſuppeditationem aſſumpſerit, planè fit infrænis.* Aptè equidem frænum auaritiæ brutalitati hæreſcit. Euſeb. (ibid.) eam irratiooalem meritò vocitauit. *Irrationabilem auaritiam citius conſument abiecta res parta, quam creſcentes quotidie immenſa opes.* Vnde Demoſth. [Demoſth.]
*Auaritia nullam neceſſitudinis rationem habet.* Quia rationi conſonum nil apud auari præcordia reperitur, vnde aptè frænum auaro.

# OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

*Tunc abiit vnus, &c.*

## Tunc diſceſſit Apoſtolus Iudas, quando peccatrix acceſſit Magdalena, quaſi Apoſtolatus locum occupatura.

*Contra Religioſum, aut Sacerdotem delictis maculatum.*

ADVERBIVM, *Tunc* magna emphaſi adhibitum à Matthæo, vt Iudæ criminis oſtenderet grauitatē. Id quod eleganter expendit D. Chryſ. citat. Non *Tunc, verbū inaniter, ô Euāgeliſta addidiſti, Spiritus admonitione loqueris. Quid igitur Tunc eſt? Ante proditionis tempus, ante traditionis horam acceſſit meretrix, vas alabaſtrum manibus portans, & vnguētum Domini ſuprà caput effudit. Paulò ante meretrix ſubitò pudica proceſſit, & profundis obruta peccatis, portum ſerenitatis agnouit. Et quādo proſtituta lupanar exiuit, Tunc Diſcipulus gehēnam intrauit. quando illa mercedem ſui corporis abdicabat, Tunc iſte pretium Magiſtri ſanguinis poſtulabat: quando illa oſculabatur pedes, vt ſuſciperetur, Tunc iſte Domini labia oſculabatur, vt proderet. Ideo dixit: Tunc.* Quàm ponderabilis circunſtantia criminis Apoſtoli, Religioſi, ſi tunc delinquat, tunc à Domino recedat, quando conuertuntur, quando reſipiſcentes ad Deum mundiales accedunt! 24. [Chryſoſt.]

Acreſſierant ad Saluatorem Phariſæi; corpore quidem; ſpiritu enim tunc longè recedebant, vti Beda adnotauit. Quando autem Dominus mente recedens aſpexit Phariſæos, ait, *Generatio hæc generatio nequam eſt.* Luc. 11. Vndenam ſe ſe in præſenti adeò nequitia manifeſtauit, vt præter morem manſuetiſſimus Dominus tam grauis ſermonis illos gladio percuſſit? Subdit Ieſus: *Regina Auſtri ſurget in iudicio cum viris generationis huius, & condemnabit illos.* Quare? *Quia venit.* Nam *vbi pacificus Chriſtus emicuit,* (loquor cum Nyſſen. in Caten.) *tunc accedunt gentiles, cæcutientibus Iudæis, offeruntque Chriſto pietatis aromata.* Nonne grauatur mirum in modum malitia domeſtici, ſi *tunc* ipſe recedat à Ieſu, quando meretrix gentilitas accedit? Pulchrè Ambroſ. *Tunc dixit: Generatio hæc nequam eſt. Vt ſcias Synagoga populum deformari, vbi Eccleſia beatitudo laudatur.* Ac ſi diceret. Eo magis reprehenſibilis domeſtici diſceſſio, quo magis acceſſio alienigenæ admirabilis. 25. [*Accedit Auſtri Regina, diſcedunt Phariſæi.* Luc. 11. Beda. Nyſſen. Ambroſ.]

*Vt cognouit* (inquit Ioannes) *Ieſus, quia audierunt Phariſæi, quod Ieſus plures Diſcipulos facit, & baptizat, quam Ioānes, relinquit Iudæam, & abiit iterum in Galilæam.* Ioan. 4. Vbi Aug. 26. [*Iudæi recedūt, Samaritana adducitur.*]

Ioan. 4. August. affirmat ideò Dominum receſſiſſe, *quia Phariſæi iam non diſcere intendebant, vt ſequerentur Ieſum; ſed vt longius diſcederent ab illo.* Quid plura? Acceſſit meretrix Samaritana, *Venit mulier de Samaria*, Ieſu hæret, pœnitens excipitur. *Tunc* Ieſus Diſcipulis, *Leuate oculos veſtros, & videte Regiones.* Ad gentilicum populum vos conuertite, (ex mente Theoph.) inuiſus tandem mihi populus Hebræorum. Dic mihi, quæſo quodnam *tunc* grauiſſimum delictum Phariſæi perpetrarunt, vnde offenſos, pergis ad gentiles? Nonne inuidia correpti à te ſolummodò recedunt? Alibi ſæpè calumniati ſunt, te lapidibus impetere moliuntur, te ſuffigi patibulo conantur; *Tunc* autem inuidia affecti recedunt. Profectò grauiora Phariſæi commisère delicta; ſed non ideò Dominus ſe ad profectionem in gentes accinxit. Nunc autem ob leuius peccatum populum omninò deſerere molitur. Quare? Quia domeſticum recedere à Ieſu *tunc*, quando meretrix Samaritana *venit*, delictum ſanè, quod quidem ex prædicta circumſtantia non mediocriter ponderatur.

27. *Fugit Phariſæus, adultera conuertitur* Ioan. 8. Venit adultera ad Ieſum abluenda, conuertenda in ſponſam; Phariſæi autem & Scribæ receſſere. *Vnus poſt vnam ibant incipientes à ſenioribus.* Ioan. 8. Vbi acutè Strabus ex receſſu affirmat illos reos maximè ſe ſe declaraſſe. Quando Ieſus digito ſcribebat in terra illorum facinora (vti Hugoni placet) obiiciens, nemo Hugo Card. legit, nullus agnoſcit, minimè euulgantur: quando autem diſcedunt, tunc apparent rei. Quid cauſæ? Quia delictum mirum in modum prodit in lucem, ac ponderatur, cum domeſticus recedit à Deo *tunc*, quando mulier meretrix venit, & ad frugem recipitur meliorem.

28. *Sæcularis hæret, religioſus elongatur.* Si non meretrix, Prodigus ſaltem cum meretricibus coinquinatus ad habitaculum, ditionemque paternam accedit. At frater ſenior inuidiæ (non equidem lethalis) ſtimulo excitatus, excitauit & ipſe querelas Luc. 15. Ad quem Titus. locum Titus Boſtrenſ. hûc ſeniorem filium normam ſanctitatis contemplatur. *Maior igitur filius ficut agricola inſiſtebat agriculturæ, non terreſtrem, ſed anima agrum fodiens, & ſalutis arbores inſerens, ſcilicet virtutes.* At D. Ambroſius Ambr. leue huiuſce perfecti viri delictum conſiderâs, impudétem, Publicano ſimilem, ac impium non timet appellare. *Impudens filius ſimilis eſt Publicano iuſtificanti ſe, impiè accuſabat fratrem.* Vndenam leue inuidiæ delictum adeò taxabile apparet, vt iuſtus iuſtè quodammodò probroſis hiſce nominibus compelletur? Num quia in ſæcularis *tunc* deuoti conſpectu domeſtici religioſi plus tepiditas enunciatur? Ita planè.

## OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

## *Et eum vobis tradam.*

## Iudas diabolus.

***Ergo & mendax, & promittens quod minimè valet adimplere.***

QVAM verè Christus! *Vnus veſtrum diabolus eſt.* Nam ſi diabolus *ab initio mendax*, parenſque fraudum, mendax Iudas; ſi diabolus promittit, quod implere non poteſt, idem Iudam legimus præſtitiſſe. Vtrumque oſtendo. 29.

### CAPVT I.

#### *Iudas diabolus mendax.*

EGO (inquit) *eum vobis tradam.* Simulat ſe Ieſum poſſidere in ſuaque poteſtate poſitam 30. Paſchaſ. illius traditionem. Hinc Paſchaſ. 12. in Matth. *Non curat, ſi mentiatur. Loquitur enim iam membrum Diaboli.*

Primum profectò verbum, quod à Dæmonis 31. *Diaboli primum verbũ mendacio plenum.* ore prorupit, mendacium eſt. *Cur præcepit* (inquit) *Deus, vt non comederetis de omni ligno paradiſi?* Geneſ. 3. Hebraicè, *Aph chi amar Elohim. Verène, ſiue itane verum eſt, quod dixit Deus, vt non comederetis?* Aſtutiſſimus ſerpens ſe mentitur Geneſ. 3. Procop. ignorantem, vti adnotauit Procopius ſatus, *Simulat hoſtis aſtutè ignorantiam. Itane verum eſt?* Ac ſi Diabolus pro iam ſibi adhærente ex peccato, fallendi, ac mentiendi proprietate, in cognitionem veritatis, tanquam rei peregrinæ non deueniat. Hoc exiſtimo affectu Pilatum in Ieſu conſpectu profitentis veritatis præconiũ, interrogaſſe: *Quid eſt veritas?* Ioan 19. Quaſi aulica mens omninò peregrinaretur à veritate.

Præterea, quo luculentius demonſtretur procacitas Patris mendaciorum, exprimo huiuſmodi verba prolata: *Cur* (inquit) *præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno?* Recole Deum dixiſſe, *Ex omni ligno paradiſi comede, ex ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas.* Vnde conſtat Deum copiam feciſſe Adamo, & vxori, vt pro libito de omni paradiſi arbore, vna tantum excepta, veſcerentur. Contrà verò mendaciorum origo Deum affirmat præcepiſſe, ne de vlla paradiſi arbore comederent. 32. *Altera diaboli fallacia.* Gen. 3.

Falsò denique condolet mulieris vicẽ, quod malè à Deo affecta ſit, eo quod miſera ſpectaret oculis poma, & veſci nequiret. Quæ quidẽ commiſeratio euidens in ſerpente crudeliſſimo illius fallaciæ atque mendacij argumentũ. *Debebat* (inquit Chryſoſt.) *mulier ex ipſo egreſſu eminentem coniectare malitiam, quod curam ipſarũ gerat.* Eiuſdem certè falſæ cõmiſerationis obiectu aggreſſus alterũ Adamũ Chriſtum ieiunãtẽ. *Si Filius Dei es, dic, vt lapides iſti panes fiant.* Mat. 4. Vbi D. Cyp. *Subdolâ profeſſione, quaſi cõpatiens ei, ſubuenire periclitanti natura hortatur.* Quando non ſubdola diaboli verba, ſi primum ab illo ſententia prolata tot contineat falſitates? En Iudas mendacia verba ſui parentis imitatur. *Non curat, ſi mentiatur. Loquitur enim iam membrum diaboli.* Paſchaſius aiebat. 33. *Tertium mendacium.* Geneſ. 3. Chryſoſt. Matth. 4. Cypr.

Verùm diabolus hic non ſolum verbo mendax, fallax & profeſſione. Iudas, quod quidem vocabulum confeſſionem ſonat, Dominum vocabulo confitetur. At factis omninò abnegat. Id quod Paſchaſius pulchrè adnotauit pendens illud: *Iudas Iſcariotes. Non vacat à myſterio* (ait) *duos fuiſſe inter Apoſtolos hoc nomine vocitatos, vt vnus dicatur Iudas Iacobi, alter verò Iſcarioth, quia Iudas confeſſio interpretatur. Et ideo duos iſtos fuiſſe inter Diſcipulos, vt vnus eorum teneret formam verè confitentiam, quorum* 34. *Mendax Iudas verbo, & facto.* Paſchaſ.

pars

*pars fideliter permanet cum Domino; alter eorum partem exprimit, qui confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant. Propterea omnes tranſeunt cum iſto ad auaritiam, ad dolos, & fraudes, & commiſcent ſe falſis fratribus.* Hactenus ille.

## Capvt II.

### *Iudas diabolus, quod non poteſt implere, promittit.*

35\. Qvid *vultis* (ait) *mihi dare, & ego eum vobis tradam?* Cum tamen dicere debuiſſet, Niſi tot argenteos, vel aureos dederitis, non vobis Ieſum tradere diſponam. Equidem emeotium voluntati relinquit pretij aſſignationem, quia nullatenus impleturus erat promiſſum. Non enim tradere poterat, quod in ſua non erat poteſtate. Hinc ſe ſe Iudas diabolum oſtendit, haud potentem ſtare promiſſis. Paſchaſ. ad hæc: *Miſer nec certam poſtulat pretij ſummam vt ſaltem lucroſa videretur proditio; ſed pretium in poteſtate poſuit ementium, quantum vellent dare. Non enim poterat, quod promittit: Et ego eum vobis tradam, niſi ipſe permitteret. Sed ſua impudentia loquitur iam membrum diaboli.*

Paſchaſ.

36\. Cuius equidem proprium promittere, quod à ſua poteſtate protſus alienum. In deſerto cõmoranti Ieſu, *Hæc* (inquit) *omnia tibi dabo, ſi procidens adoraueris me.* Matth. 4. Rogo, Num diabolus Regnorum Dominus? Imo nec nominum, aut imaginis Regnorum dominus eſt, ſed prorſus tyrannus. Ad illa verba: *Oſtendit ei omnia Regna mundi in momento temporis*, Doctores aſſerunt non verè Regna, ſed imagines, ac nomina Regnorum Chriſti oculis, auribuſque obieciſſe. Ad quem locum D. Chryſoſt. *Tunc Archidæmon omnia Regna mundi in momento temporis coegit, cum omnibus viſum eſt, vt cum omnibus euaneſceret.* Coëgit inquam vel ipſas Regnorum imagines, & nomina: quia nec imaginum aut nominum Regnorum verè eſt dominus, ſed tyrannus. Omnia igitur Regna offerens, promittit, quod implere non poterat. Paſchaſ. *Non poterat Iudas, quod promittit. Loquitur enim iam membrum diaboli, qui ipſo cum Domino loquebatur: Hæc omnia tibi dabo.*

*Iudas diabolo ſimilis.* Matth. 4. Chryſoſt. Pſalm. 2. Paſchaſ.

37\. Iam inde ab initio iactator diabolus impoſſibilium promiſſorũ. *Eritis* (inquit hominibus) *ſicut dij*, Gen. 3. ſeu Verbum diuinũ, cui appropriatur ſapientia. Similes circa rerum cognitionem euadetis, auctore Bernard. cuius ſic effluit oratio. *Protinus* diabolus *inuidens homini, quam conceperat in ſemetipſo, in eo peperit iniquitatem, ſuadens, vt lignum vetitum guſtans, fieret ſicut Deus. Quid promittit, miſer: cum Filius Altiſſimi ſcientiæ clauem habeat: imo ipſe ſit clauis Dauid, qui claudit, & nemo aperit? In eo ſunt omnes theſauri ſapiẽtiæ: Tu ne eos, vt homini præſtes, iniquè furaberis? Videtis, quia iuxta Domini ſententiam Ioan. 8. mendax iſte, & pater mendacij.*

*Impoſſibilia diabolus promittit.* Gen. 3. Bernard.

38\. Imò, quamuis omnia diabolus poſſideret, nullatenus vllum bonum hominibus elargiretur, qui etiam, vt ad ſe alliciat nec tentando vult profiteri, nos à Deo omnibus fuiſſe donatos. Quid Deus? *Ex omni ligno paradiſi comede.* Gen. 3. Quid diabolus? *Præcepit Deus, ne comederetis de omni ligno.* Nos conatur bonis, queis donati, ſpoliare; ad ſe bonorum apparentia allicere. Vnde D. Chryſoſt. homil. 35. ad Pop. *Diaboli verſutiam non cogitamus, qui per parua magnis ſpoliat, & lutum præbet, vt aurum rapiat, imo magis auferat cœlum, & vmbram prætendit, vt à veritate nos extrudat.*

*Diaboli aſtutia.* Gen. 3. Chryſoſt.

39\. Iudæ profectò non dedit, ſed promiſit pro maximo flagitio tantulam mercedem, quã mox ab ipſo abſtulit, quia non ſua. *Retulit triginta argenteos.* Matth. 27. Cuinam *retulit?* Sacerdotibus? Non accipiũt. Fortè diabolo reddidit pretium. D. Leo ſer. 9 de Paſ. *Anima* (hinc arguit) *lucri cupida etiam pro exiguo perire non metuit.* Parum pro magno dæmon promiſit, nec promiſſis ſtetit, quandoquidem poſt flagitium tantum rurſum illum proditionis mercede priuauit? Hunc igitur mendacem promiſſorem Diabolus Iudas imitatur.

*Iudam ſeduxit.* Matth. 27. D. Leo.

## OBSERVATIO IV.

### Ad illa verba:

### *Conſtituerunt illi triginta argenteos.*

### Veteri in teſtamento viginti argenteis, in Euangelio autem triginta Ieſus venditur.

### *At gratis tantum cæleſte bonum accipiendum.*

40\. Typum extitiſſe Ioſephum à fratribus venditum venditionis Ieſu vidimus. Porrò illi *vendiderunt Ioſeph Iſmaelitis viginti argenteis.* Ad emptionẽ autẽ Ieſu Iudæ conſtituerunt Iudæi *triginta argẽteos.* Vbi D. Ambr. lib. 3 de Spirit. *Viginti argenteis in veteri teſtamento venditur Ieſus*, (videlicet in Ioſeph typo) *triginta in Euangelio.* Cur ſi eadem vẽditio Ieſu in veteri, & in nouo teſtamento obiicitur, tantum eſt in pretio diſcrimen? Profectò diabolus & Ieſum vendidit olim, excitando fratres Ioſeph, & in præſenti immittendo in cor Iudæ Ieſum pretio tradidit. Diſcrimen autem eò tendit, quod olim curabat Diabolus perſuadere Iudæis Ieſum admodum vilem, vt eum omninò deſpicerent; at tunc ſibi proponens nouæ legis incrementa, procurat exaggerare Ieſu pretium, ne ab hominibus poſſit comparari. Ideo qui olim minori emebatur, iam maiori nunc venditur pretio.

Ambroſ.

41\. Piè Guill. Pariſ. tract. de verit. dolebat aliquãdo, quòd homines Deum vellent poſſidere; ſed tunc cum vilibus emeretur. *Vix inuenitur, qui non pro leuiori pretio, quam ei offeratur, velit Deũ habere; ac ſi Deus minus valeret eo, quod pro eo habendo exigitur.* Ego autẽ iã doleo, quod diabolus adeò Chriſti pretium exaggerarit, vt vix poſſe ab hominibus poſſideri videatur; qui paruo ſtare vult, qui nihilo amat comparari. D. Paulin. ep. 4. *Ipſe nobis hac pietate pretioſior, quod*

*Dolendum, quod diabolus pretium Ieſu exaggerarit.* Guillel. Paulin.

*ſe vili vult æſtimari, vt ab omnibus ematur:* Illud pende: *Se vili vult æſtimari.* Quàm vili? Paruulis profectò nummuſculis, aquæ frigidæ potu, quæ nullius æſtimationis habentur; imò gratis Saluator poſſideri valet. Ideò Iudas (Deo diſponente) triginta reddit argenteos, nec tamen venditum recuperat Ieſum, vt oſtendatur iam pretioſiſſimus ſanguis gratis pro vita hominum effundendus.

42. *Damnatum ſe vidit Iudas, quia Ieſum pretio tradit.* Diabolus igitur in noſtram perniciem Ieſu pretium contendit augeri. Ideò miſit in cor Iudæ, vt pretio trecentorum aureorum (es aliquibus ſuprà relatis) ſiue triginta argenti librarum (vti Baron. affirmat) traderet Ieſum. Hinc difficilis locus expenditur: *Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quod damnatus eſſet, &c.* Math. 26. Orig. Mat. 27. Vbi Orig. *Quomodo vidit Iudas, quoniam condemnatus eſt? Nondum enim à Pilato fuerat interrogatus.* Num quia conſideratione mentis rei exitum vidit? Non ambigam. Sed egregiè planè Orig. reſpondet. *Alius dicet, quoniam quod ſcriptum eſt: Videns Iudas, qui tradidit eum; quia condemnatus eſt, ad ipſum Iudam refertur. Tunc enim intellexit ſe condemnatum.* Quando? Cum ſcilicet pretio tradidit Saluatorem. Requiro, Num damnatus homo, donec cœleſti tribunali poſt nouiſſimum ſiſtatur halitum? Quonam igitur modo Iudas ſe tunc damnatum comperit? Quia diabolus effectus eſt ex eo, quod pretium Domini exaggerauit, vndè factus tunc diabolus in eadem ſe quodammodò vel ante iudicium comperit damnatione.

43. *Repellit diabolus pretiū minimum, vt magnum imponat.* Pſalm. 61. Caſſiod. Ore Dauidico ſic conqueritur Ieſus. *Verumtamen pretium meum cogitauerunt repellere, cucurri in ſiti.* Pſal. 61. Ad dæmones, tyrannoſque Eccleſiæ perſecutores Ieſu (Authore Caſſiod.) dirigit ſermonem. Ac ſi diceret, Pretium meum, quo haberi poſſum, aquæ frigidæ potus; ideò *cucurri in ſiti*; vt potatus, paruo tradi valerem. At diabolus, eiuſque ſocij curarunt hoc meum pretium repellere, non vt gratis traderer; ſed vt vile pretium in magnum mutarent; vti magnæ addictus æſtimationi, à nemine compararer.

44. *Extollendo Ieſum, nos decipere conat.* Pſalm. 40. Alibi Pſaltes, *Dominus conſeruet eum, & viuificet eum, & non tradat eum in manus inimicorum eius.* Pſalm. 40. Legit Auguſtin. *Inimici eius. Videt enim* (ſubdit) *inimicus iſte, ſe victum famas & laudibus Chriſti, & cœpit non poſſe hoc perſuadere hominibus, quod nihil ſit Chriſtus:* (En venditio Ioſeph.) *Et quia vituperando Chriſtum, iam difficile decipit: laudando Chriſtum conatur decipere. Anteà quid dicebat? Quem colitis? Iudæum mortuum, crucifixum, nullius momenti hominem. Iam aduerſus vituperationem Chriſti ceſſauit, induit ſe laudibus Chriſti, & cœpit alio modo deterrere.* Hactenus ille.

# OBSERVATIO V.

Ad illa verba:

## *Conſtituerunt ei triginta argenteos.*

## Triginta argenteis venditur Ieſus, vt eius pretioſus inceſſus oſtendatur.

*Vbi de pretioſis iuſtorum greſſibus.*

TRIGINTA argenteorum commutatione traditur Ieſus, vti eius greſſus peregrinantis pretioſi eſſe oſtendantur. Triginta enim peregrinationis annis triginta argenteos arbitror reſpondere. 45. Adnotauit id Paſchaſ. lib. 12. *Tot* (inquit) *argenteis emitur Ieſus, quot annis peregrinatus eſt in hoc mundo vſque ad baptiſmum.* Paſchaſ.

46. *Pretioſi greſſus Ieſu ob hominū vtilitatem curreriu.* Pſalm. 61. Strab. Auguſt. *Quo vſque irruitis in hominem?* Pſal. 61. Hugo Card. *Id eſt, in me ipſum iuſte viuentem? Verumtamen* (adiicit Ieſus) *pretium meum cogitauerunt repellere.* Quodnam pretium? *Cucurri in ſiti.* Ac ſi diceret: Omnes mei pretioſi greſſus, ſi quidem in morem ſitientis cucurri, qui quidem non moris vtitur, donec aquarum fonti adhæreſcat. *Cucurri in ſiti. Cupiebam eos*, id eſt, hoſtes meos, *in corpus meum traiicere.* Hinc mei greſſus admodum pretioſi; quia ad hominum vtilitatem dirigebantur.

47. *Ambulantis ideo Ieſu pedes pretioſi ſimiles aurichalcho.* In medio ſeptem candelabrorum aureorum, ſiue Epiſcoporum hic illic commorantium, Ieſus ambulans deſcribitur, vti illorum & correctioni, & perfectioni ſtudeat. *Pedes* tunc Domini *ſimiles aurichalcho.* Apocal. 1. Quid aurichalchum? Pretioſorum metallorum maſſam ipſo auro auguſtiorem Alcaſar affirmat. Alcaſ. Quare igitur aurichalchum pretioſum non aut capiti, quod quidem *ſicut aurum optimum*, aut manibus, quæ certè *tornatiles aureæ*, ſed pedibus ſpecialiter hæret? Quia Ieſu veſtigia, queis peregrinationem inſtituens, vſus eſt, admodum pretioſa.

48. *Reuertens Ieſus à peregrinatione vult greſſus ſuos magni æſtimari.* Rex noſter talentis traditis, peregrinationem init; reuerſus autem de multiplicato theſauro exigit rationem. Porrò illos, à quibus excipitur, nummorum exhibitis incrementis, vocat ad requiem; eos autem flammis addicit, qui non offerunt pecuniarum vſuram. *Accedens autem qui vnum talentum acceperat, ait: Domine, ſcio, quod homo durus es, metis vbi non ſeminaſti.* Cui Dominus, *Serue male & piger.* Matth. 25. Math. 25. Hieron. Vbi Hieron. *Seruus malus appellatur, quia calumniam Domino fecit.* Affirmauit enim Dominum metere, vbi non ſeminauit. Nonne Dominus Ieſus *ibat & flebat*, vitalia hominibus greſſuum ſemina ſpargens? Ergo eundo ſeminauit, quod metit. Exigit itaque veniens peregrinationis ſuæ pretium; quia vtique Domini peregrinantis greſſus valde pretioſi.

49. *Iuſtorū greſſus pretioſi.* Pretium hoc greſſuum Ieſu peregrinantis, id eſt huiuſmodi triginta argentei impenſi ſunt emendo agro in ſepulturam peregrinorum, *Conſilio autem inito, emerunt ex illis agrum in ſepulturam peregrinorum.* Matth. 27. Math. 27. Auguſt. Quinam hi peregrini ſepeliendi? Auguſt. *Peregrinos iſtos eſſe dicimus Chriſtianos, qui renunciantes ſæculo nihil poſſidentes in ſæculo, in Chriſti ſanguine requieſcunt.* Vt pretium illud, quod pretioſis greſſibus peregrinantis Ieſu munerandis impenſum fuerat, munerandis ſimiliter iuſtorum peregrinantium, in morem Ieſu, pretioſis greſſibus æternum impendatur.

Non

Digitized by Google

50. *Omnium pretioſiſſimi greſſus Ieſu. Auguſt. Paſcaſ.* Non equidem æquali proportione, quia Ieſus currens ſemper (vti adnotat Auguſt. ad Pſalm. 65. ad illud Pſalm. *Cucurri in ſiti*) offendit in nullo, nos autem in multis offendimus; à viaque excidimus ſalutari; *Septies* enim *in die cadit iuſtus.* Vndè minus pretioſi greſſus minori ſunt munerandi theſauro. Quando Ieſus baptizatus eſt, triginta numerabat annos, totidem Ioſeph habebat, cum poſt venditionem fratrum in conſpectu Pharaonis ſtetit. Triginta anni Ioſeph non triginta argenteis, (vti aliqui contendunt minus probabiliter) ſed viginti ſolummodo myſticè munerantur. At annis triginta Saluatoris triginta reſpondent argentei. Quia pretioſiores mirum in modum Ieſu Domini greſſus in nullo vnquam offendentes: Paſ. pulchrè. *Venundatus eſt in ſeruum Ioſeph, non iuxta Septuaginta triginta argenteis; ſed (ſicut Hebraica veritas ſe habet) viginti. Quia non poterat pretioſior eſſe ſeruus Domino; qui tot argenteis emitur, quot annis peregrinatus eſt vſque ad baptiſmum. Licet Ioſeph tot annorum fuiſſe legitur, quando ſtetit in conſpectu Pharaonis.* At vnquam tot tui cauſa Saluatoris greſſus pretioſiſſimos aliquo pietatis greſſu pretio redemiſti? Proh hominum ingratitudo!

# SECTIO SECVNDA.

# ORATIO IESV.

## EX CAP. 26. MATTH.

## *TEXTVS.*

*Verſ.* 39. Progreſſus puſillùm, procidit in faciem ſuam, orans, & dicens: Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte; verumtamen non ſicut ego volo; ſed ſicut tu.

## *COMMENTARIVS LITERALIS.*

### § I.

### *Orantis Domini abſtractio, habitus, locus.*

1. *Num à tribus Diſcipulis auulſus, an ab octo?* AD Hortum vſque Magiſtrum Diſcipuli comitati ſunt, certo quodam loco, ex iuſſu Domini, occulto conſiſtunt, Petrus, Iacobus, & Ioannes ad interiora horti adducuntur. *Et progreſſus puſillum.* Lucas autem: *Et ipſe auulſus eſt ab eis, quantum iactus eſt lapidis.* Cap. 22. Hinc oritur quæſtio, Num Chriſtus auulſus ſit à tribus Diſcipulis, quantum iactus eſt lapidis, an ab octo? Certum exiſtimo, ex Lucæ ſententia, Ieſum auulſum ab octo Diſcipulis, non à tribus ſolummodò: Probo ex contextu: *Secuti ſunt eum Diſcipuli, & cum perueniſſet ad locum, dixit illis: Orate, ne intretis in tentationem. Et ipſe auulſus eſt ab eis, quantum iactus eſt lapidis.* Ab eis auulſus eſt, id eſt, à Diſcipulis, qui eum fuerant ſecuti. Lucas enim Petri, Ioannis, & Iacobi aſſumptionem prætermiſit. At verò cùm noſter Matthæus inquit, *Et progreſſus puſillum*, non intelligendus de ſpatio, quo Ieſus ab octo, ſed quo à tribus Diſcipulis receſſit ad orandum. Vndè non aptè aſſerunt nonnulli ſpatium, quo Chriſtus à tribus Diſcipulis diſceſſit; lapidis iactum. Ieſus igitur & ab octo Diſcipulis dimotus eſt, *quantum iactus eſt lapidis*, & à tribus adhùc *puſillum progreſſus*, ita tamen, vt in ipſorum oraret conſpectu, & non illorum præſentia nimium proxima ſilentium, aut reuerentia orationis lædi videretur.

*Puſillum.*] donec loco orationi deputato hæreret. Hunc ex Ioanne Suario Epiſcopo Conim. accipite. *Eſt ibi in loco ſaxum magnum, habens tres in ſuperficie concauitates longas, ſed non profundas. In vnáque ſedit vnus ex tribus Apoſtolis, & ibi recubuerunt. Ingreſſus eſt Dominus antrum ſubtus terram, in viuo lapide exciſum, vbi trinam fecit Patri orationem. In hoc antrum cum ingrederemur, omnes tremore quodam & horrore lacrymis meritò perfuſi ſumus.* Hactenus ille. Nec magna fides huic ſententiæ adhibenda. Exiſtimo enim magis à pietate, & conſideratione peregrinorum, quam à vera traditione certum locum & Ieſu, & Apoſtolis orantibus eſſe conſtitutum. 2. *Locus orantis Ieſu.*

*Procidit in faciem ſuam.*] Lucas autem: *Poſitis genibus orabat.* Ergo in faciem minimè procidit, aut ſuper terram, ſicuti Matthæus, & Marcus teſtantur. Maldon. noſter ait Ieſum non omninò proſtratum in terram, ſed genua flexiſſe. Nec obſtant Lucas, aut Marcus. Nam qui genua dat terræ, ſuper terram procidit. Sed quid reſpondet Matthæo affirmanti in faciem ſuam Chriſtum procidiſſe? Vt litem componam. Dixerim, Dominum oraſſe genibus flexis, 3. *Num procident in faciem?*



Digitized by Google

vti ait Lucas, *Poſitis genibus orabat:* ſimul autem corpore ſuper faciem proſtrato decubuiſſe, quod affirmat Matthæus, *Procidit in faciem ſuam.*

## §. II.

### *Orantis Ieſu verba.*

4. *Verba expenduntur orantis.* Caiet.

PAter mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte.] A voce plena dilectionis cœpit, *Pater mi.* Marcus vſus eſt Syriacâ voce *Abba*, quæ Patrem teneriſſimum ſignificat. *Oratio hæc* (inquit Caiet.) *affectum naturalem hominis (quo nolumus mala penè contraria nobis) cum adiuncto moderamine rationis ſuperioris Deô præſentat. Si poſſibile eſt.* Potentiam reſpicit non abſolutam, ſed ordinariam. Conditio autem huiuſcemodi appoſita propter inferiorem rationem. *Non enim* (Cardin ait) *ideo dicit conditionaliter, quia ipſe Ieſus ignoret, ſi poſſibile eſt, (ipſe enim omnia nouit) ſed quia ratio inferior in ipſo neſcit ordinem à diuina Sapientia definitum.* Neſcit autem, quia eius non eſt ſcire ſupremas rationes; ſed conſiderare rationes inferiores: hoc eſt, illas, quæ ſecundum res creatas congruunt, aut diſſonant. *Si poſſibile eſt.* Idem protſus, ac *ſi vis.*

5. *Quid calicis nomine ſignificetur?* Theoph.

*Tranſeat à me calix iſte.*] Calicem paſſionem appellat. Quare? Theoph. Quod dulcis, & deſiderabilis Chriſtô veluti potus. Siue quod paſſio in morem lætificantis vini, Ieſum, & homines lætificauit. Vel quia, inſtar vini, ſomnum Chriſto attulit mortis. *Vt oſtendat* (inquit) *quod leuis ſit mors eius; & quod oporteat nos tam facile martyrium aggredi, quam ſi bibendum eſſet poculum.* Myſtica hæc. Arbitror calicem appellatam paſſionem, quia ſimilis poculo pleno amaritudine. *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto.*

6. *Quidnam petit Ieſus huiuſmodi oratione?*

Quidnam Chriſtus hac oratione poſtulauit? Hieron. Beda, Paſchaſ. putant poſtulaſſe Ieſum, ne calix paſſionis à Iudæis propinaretur ob tam inmane facinus damnandis. *Vnde ſignanter* (ait Hieron.) *dicit: Calix iſte, id eſt, populi Iudæorum.* Haymo ſic: *Si fieri poteſt, vt gentilitas liberetur, ſine Iudæorum perditione, tranſeat à me calix paſſionis.* Id eſt, ab illis minimè occidar, ne ob immane delictum diſperdantur. Ambroſ. Baſil. & Orig. conteſtantur.

7. *Aliter alij.* Hilar.

D. Hilarius Chriſtum opinatur oraſſe pro martyribus. *Pro his* (inquit) *rogat, qui paſſuri poſt ſe erant, dicens: Tranſeat à me calix, id eſt, quomodo à me bibitur, ita ab iis bibatur, ſine ſpei diffidentia, ſine ſenſu doloris, ſine metu mortis. Non rogat, vt non patiatur; ſed vt bibendi calicis in eos ex ſe tranſeat fortitudo.* Auguſt. ſentit Chriſtum hîc perſonam imbecillium ſuſcepiſſe.

8. *Auctoris ſententia.*

Reſpondeo quæſtioni Chriſtum pro ſe Patrem oraſſe, vt acerbiſſimam mortem auerteret, ſi poſſibile eſſet, ſi Paternæ hoc conſonum voluntati. Siquidem iam ad hominum liberationem ſeuero iure Deo meritis præcedentibus ſatisfecerat. Non equidem fuit huiuſcemodi oratio appetitus ſenſitiui Ieſu; hic enim appetitus orare non poteſt: (vti D. Thomas 3. p. q. 1. art. 2.) impotens ſenſibilia tranſcendere, ad Deumque conſcendere. Dici autem poteſt oratio hæc appetitus ſenſitiui Ieſu, quia ratio Patri proponebat, quod in appetitu aderat ſenſitiuo. D. Thom.

Vnde Thomas: *Chriſtus* (inquit) *orauit ſecundum ſenſualitatem,* (ſiue appetitum ſenſitiuum) *in quantum ſcilicet ratio eius exprimebat ſenſualitatis affectum, tanquam ſenſualitatis aduocata.*

## §. III.

### *Quamnam Ieſus hic abneget voluntatem?*

VErumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.] Hinc contra hæreticos habes duas in Chriſto voluntates; alteram humanam: *Non ſicut ego volo*, alteram diuinam communem ſibi & Patri: *Sed ſicut tu vis.* Prætereà in accuratiorem loci expoſitionem, duplicem adſtruo in Chriſto etiam ſecundum humanam naturam voluntatem, (vt docet Angelicus Doctor 3. p. q. 18 art. 5.) & appetitus ſenſitiui, & rationalis. Ruſum voluntas rationalis vel conſideratur per modum naturæ, vel per modum rationis. Voluntas rationalis; vti natura, naturaliter fugit ea, quæ naturæ ſunt contraria; vt mortem, cruciatus, & ſimilia. Voluntas rationalis per modum rationis, illa etiam complectitur, quæ naturæ aduerſantur, crucem, tormenta, opprobria. 9. *Duplex in Ieſu voluntas conſideratur.* D. Thom.

Quærimus itaque de quanam voluntate illa verba: *Non ſicut ego volo*, intelligenda ſint? Reſpondeo, de voluntate appetitus ſenſitiui; & de voluntate rationali conſiderata per modum naturæ. Voluntas quippè appetitus ſenſitiui (participatiuè equidem dicitur voluntas) cruciatus, ac mortem vehementer horrebat; voluntas item rationalis conſiderata per modum naturæ, naturaliter eadem impendentia mala refugiebat. At eadem voluntas per modum rationis ſpectata, mortem, tormentaque omnia libentiſſimè amplectebatur. Sic igitur ſententiam Dominicam interpretor. 10. *De quanam hæc verba voluntate?*

*Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.*] Non fiat, ſicut ego volo voluntate appetitus ſenſitiui, & voluntate rationali per modum naturæ conſiderata; ſed fiat, quod tu vis Pater ſanctiſſime; fiat voluntas tua diuina, quæ eadem eſt mea, & cui voluntas humana per modum rationis ſpectata libentiſſimè adhæret; voluntas autem appetitus ſenſitiui, & voluntas rationalis conſiderata per modum naturæ humiliter ſubiecta eſt. Porrò huiuſmodi voluntas appetitus ſenſitiui, & rationalis per modum naturæ *magis eſt dicenda velleitas,* (loquor cum D. Thom. 3. part. q. 21. art. 4.) *quam abſoluta voluntas.* Voluntas enim ſimpliciter hominis eſt rationalis voluntas; hoc namque abſolutè volumus, quod ſecundum deliberatam rationem volumus. Illud autem, quod volumus ſecundum motum appetitus ſenſitiui, ſeu voluntatis rationis, quæ conſideratur, vt natura, non ſimpliciter volumus, ſed ſecundùm quid, ſcilicet ſi aliud non obſiſtit, quod per deliberationem rationis inuenitur. Vnde talis voluntas velleitas potius, quàm voluntas abſoluta dicenda eſt. Sciebat Ieſus abſoluta quidem potentia poſſibile, quod poſtulabat; ſed ex hypotheſi vaticiniorum, & decreti Dei eſſe impoſſibile. Igitur impoſſibilia petit; quia non voluntate abſoluta, ſed velle itare petit. Vnico verbo Caietanus. 11. *Locus expoſitio.* D. Thom. Caietan.

Non

Digitized by Google

*Non voluntate petit id abſoluta; ſed velleitate naturalis affectus.*

## §. IV.

*Docet Ieſus voluntatem hominis, etiam retrahente appetitu, Deo ſubiiciendam:*

Ipſius obedientis fructu.

12. Chryſoſt. ATtamen huiuſmodi voluntatem Deo, etiam retrahente appetitu, ſubiiciendam edocet Ieſus. D.Chryſoſt. hom. 84. in Matth. *Sublimem* (ait) *admirabilis philoſophiæ virtutem tradidit Dominus, cum exemplo nos doceat, etiam natura horrore perculſa, ac renitente, eſſe Deum ſequendum.* Vberius Orig.

13. Abnegationis voluntas. Matth. 16. Spectant huc verba Saluatoris: *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam.* Matth. 16. Si vult Ieſum quis ſequi, quare voluntatem abnegare præcipitur? Vult quidem homo voluntate rationis, non vult voluntate appetitus; quam equidem oportet abnegari, Deoque ſubdi animo vtilia ſuadenti. Euthym. *Licet retrahente natura, ſequi oportet Dei voluntatem, illamque* ſenſibili *voluntati propriæ præponere tanquam maximè vtilem.* Eſt enim *ſublimis philoſophia.*

14. Vis oſtendam, quàm vtiliter Dei voluntatem propriæ præponis? *Tollat* (inquit Ieſus) *crucem ſuam.* Matth. 16. Cur non dixit: *Crucem meam?* Quid magis proprium Ieſu, quam crux? Profectò appoſite propriam voluntatem diuinæ ſubmittentibus dicitur: *Tollat crucem ſuam;* quia homo huiuſcemodi reſignando vnus cum Ieſu ſpiritus adeò efficitur, vt in duobus vna eſſe voluntas videatur. Paulus, *Qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt.* 1. Corinth. 6. Quiſnam Deo adhæret, niſi qui propriam voluntatem diuinæ ſubmittit? D.Gregor. *Vnus ſpiritus cum eo fit; quia in tantam gratiam diuinæ cognitionis aſſumitur, vt per errorem mundani ſpiritus* (ſiue appetitus ſenſitiui) *diſſentire vltra non poteſt.* Fit Christo ſimilis. Matth. 16. 1.Cor. 6. Gregor.

Quàm pauci Dominicæ reſignationis imitatores! Quàm multi ſic? *Non ſicut tu ego!* Pauci D. Paulum ſectantur inclamantem: *Domine, quid me vis facere?* Act. 9. Multi à Domino volunt audire cum cæco, *Quid tibi vis faciam?* Matth. 20. Id quod ponderans D. Bernard. ſerm. 1. de Paſ. inquit, *Quàm pauci inueniuntur in hac perfectæ obedientiæ forma, qui ſuam ita abiecerint voluntatem, vt ne ipſum quidem cor proprium habeant; vt nõ quid ipſi ſed quid Dominus velit, omni hora requirant, dicentes ſine intermiſſione: Domine, quid me vis facere? Heu plures habemus Euangelici illius cæci, quàm Pauli imitatores. Quid vis* (ait *Dominus ad cæcum*) *vt faciam tibi?* Proinde (vti docet D. Auguſt. ad Pſal. 35.) *corrigenda eſt voluntas tua ad voluntatem Dei; non voluntas Dei curuanda ad te, & rectum habebis cor.* 15. Paucorum voluntatis abnegatio. Actor. 9. Matth. 20. Bernard. Auguſt.

---

# IN IESVM PATIENTEM APVD HORTVM.

# Panegyricus ſecundus Moralis circa Literam.

## EX ORATIONE.

## OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

*Et progreſſus puſillum, &c.*

Ieſu Oratio illuſtratur.

*Vbi quonam modò oporteat orare, pluribus oſtenditur.*

16. Nyſſen. DIvus Gregor. Nyſſen. *Orandi* (inquit) *nobis doctrinam diuinus ſermo tradit, per quam ſe dignis diſcipulis orandi ſcientiam ſtudioſè, ac ſeriò requirentibus, quomodo diuinum auditum conciliare per verba orationis conueniat, exponit.* Et ſubdit: *Ego verò ſumpta audacia exiguum quiddã adiiciam iis, quæ ſcripta ſunt, quod nimirum non quomodo orare oporteat, præſens conuentus docendus ſit; ſed quomodo omnino oporteat orare.* Hæc Pater. Ego verò *ſumpta audacia,* magnum quiddam adiiciam, ſi quæ hic ſcripta ſunt interpretando, non *quod omnino oporteat orare;* (de quo alibi) ſed quomodo orare oporteat, oſtendero.

---

### CAPVT I.

*Oratio Ieſu ab externis abſtracta curis.*

ADiſcipulis octo auulſus eſt, à tribus autem puſillum progreditur, quaſi omninò etiam 17.

curam gubernationis, externæque deponeret œconomiæ.

18. *Iacob exemplo probatur.* Gen. 31. Oſe. 12. Procop.

Huc adeſt Iacob dimiſſis vxorum, filiorum, ſeruorum, ac rei familiaris curis, ad vlteriorem fluminis ripam progrediens. Tota nocte cum Angelo Dei gerente perſonam dimicauit. Geneſ. 31. Quod quidem certamen non ſolum virium corporis, ſed & orationis fuiſſe Oſeas manifeſtat: *Et inualuit ad Angelum, & confortatus eſt, fleuit, & rogauit eum.* Cap. 12. Clamat igitur ad Iacob Angelus: *Dimitte me, aurora eſt.* Ac ſi diceret, (auctore Procop.) *Tempus eſt, vt ab inuiſibilibus ad viſibilia deſcendas.* Tempus iam terminum imponendi orationis certamini; quia inſtat hora, qua neceſſum tibi tantæ familiæ gubernatori, ad ſæcularem, ſeu temporariam curam rurſum properare. Oratio enim omnino ab huiuſmodi curis eſſe debet abſtracta.

19. *Et Abrahā.* Gen. 12. Philo.

Dominus ad Abram, *Egredere de terra tua, &c.* Gen. 12. Quare Abræ à terra, domoque egrediendum? Ad colloquium Deo familiare inuitatur: *Apparuit autem Dominus Abram, & dixit.* Iuſtum erat, vt à ſæcularibus curis exiret, qui ad orationis exercitamenta vocabatur Vnde Philo Hebræus lib. quod deterius potiori inſidietur: *Poſtquam Abraham* (inquit) *totam domum egreſſus eſt, ait Lex viſum ei Deum, dicens, quod manifeſtè appareret extricato rebus mortalibus, & recurrenti ad incorpoream huius corporis animam.*

20. *Et Moſis.* Exod. 9. Philo.

Quid Moyſes populi dux Hebraici? Promittit Pharaoni, *Cum egreſſus fuero de vrbe, extendam palmas meas ad Dominum.* Exod. 6 Cur in aula Regia non extendis? Quia aulæ tumultus vires hebetat deprecationis. Cur autem ex vrbe molitis egreſſum? Quia auellendus à ſubditis, eorumque negotiis tunc Rector, cum orationem debet inſtituere. Paraphraſis Philonis appoſita. Tunc *explicabo meas actiones Deo.* Quaſi manus implicentur temporariis gubernationis curis, & difficilius in vrbe ad Dominum queant extendi.

21. *Te dimitte, vt orationi incumbas.* Geneſ. 15. Philo.

Quid dico Rectorem à ſubditorum curis amouendum, vt preces effundat? Porro ipſe meatum rector curarum, à memetipſo abſtrahendus ſum, vt orare valeam. *Suſtinete* hîc, ô curæ temporariæ meæ, donec illuc vado, vt preces effundam. Locuturus Deus cum Abraham, *Eduxit eum foràs, & ait illi.* Geneſ. 15. *Foràs*, id eſt, à ſuimet corporis curis abſtraxit, & quaſi eum fecit humanitatis obliuiſci. *Deus cæli, & terra, qui tulit me de terra natiuitatis meæ.* Gen. 24. Id eſt, vt me ad orationis exercitamenta vocaret, fecit me humanæ natiuitatis obliuiſci, ac ſi hominem omninò exuiſſem. Egregiè Philo 2. Alleg. *Oportebat, vt qui mentem ad orationem erecturus erat, haberet eam liberam ab omnibus corporis neceſſitatibus, inſtrumentis ſenſitiuis, denique à ſe ipſa.*

## Capvt II.

### *Oratio ſolitaria Ieſu.*

22. AD Specum ſe ſerecepit Ieſus, (vti ex Ioanne Soario vidimus) vt ſolitudinem vberius captaret. Qui à Ieroſolyma egreſſus venit in Gethſemani hortum, ibi adhuc progreſſus adiit ſpeluncam.

23. *Oratio apta in ſolitudine.* Gen. 24. Hieron.

Oratio meſſis? Iſaac igitur non in domo incluſus; ſed, notante Philone, *Meditaturus, egrediebatur.* Manna ſuauiſſimum? *Egrediatur populus, & colligat* Exod. 19. Vitalis fructus? Cum Ieſu ad hortum proficiſcere. Hieron. Epiſt. 41. laudat ſuum monachum Bonoſum, qui in deſertam inſulam penetrarat, & in aſperas cautes, inſtar Ieſu, ſe abdiderat: *Quaſi quidam nouus paradiſi colonus incedit, nullis ibi agricolarum, nullus monachus adhæret lateri comes. Solus ibi.*

24. *Clarius apud ſolitudinem viſilia intueris.* 1. Reg. 8. Gregor.

*Dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem eorum, & conſtitue ſuper eos Regem. Et ait* Samuel illicò ad Iſraël, *Vadat vnuſquiſque in ciuitatem ſuam.* 1. Reg. 8. Cum primum Samuel ſe ſe videt à Domino ſpirituali viſu donatum, ſe curat ab hominum ſocietate expedire. Vndè D. Gregor. *Dum Propheta Domini omnem populum abire ad propria loca præcipit, a ſe vtique tumultum repellit, vt ea ſpiritualia, quæ diſponenda ſunt, clarius videat.*

25. *Moyſes ſolitudinem captat.* Exod. 33.

Eodem (authore me) intentu olim Moyſes, *Tollens tabernaculum, tetendit extra caſtra procul.* Exod 33. Procul equidem progreditur, vt captata ſolitudine cor ſolitarium Deo ſoli facilius adhæreſcat, cum (authore Lyran.) Deum exoraturus accurrit.

## Capvt III.

### *Oratio nocturna Ieſu.*

26. IN Noctis mediis tenebris conſtitutus Ieſus orationi operam impendit. *Pernoctabat* (inquit Lucas) *in oratione Dei.* Cap. 6. Dei orationem eam orationem appellat, quæ inter tenebras effunditur; quia tunc mens hominis magis remota curis, Deo inhæreſcit.

27. *Mens in nocturnis precibus perſpicacior.* Cyrill. Luc. 6.

D. Cyril. apud D. Thom. hoc eleganter illuſtrat argumentum fatus: *Exurge igitur tu tempore noctis. Purior eſt enim tunc temporis anima; ipſa tenebra, ſilentium nimium poſſunt ad compunctionem perducere. Si ipſum quoque cælum inſpicias punctatum ſtellis quaſi infinitis luminibus. Hæc omnia ſufficiunt ad animam erigendam. En inter tenebras cæleſtis lux.*

28. *Deum in meridie inuenit de nocte fundens preces.* Cant. 1. Pſal. 131.

Qui per dies quæritans, non inuenit, quem diligit anima, per noctes requirens noſcit *vbi paſcat, vbi cubet in meridie.* Cantic. 1. Dauid: *Si dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, donec inueniam locum Domini, tabernaculum Dei Iacob.* Pſal. 131. Quaſi ad requirendum Dei tabernaculum id tempus eligeret (ex Lampen.) quo humana corpora ſomno relaxantur.

29. *Noctis opportunitas.*

Profectò inter tenebras nunquam non ad Deum inueniendum patet aditus. *Præueni* (ait Pſalmiſta) *in maturitate, & clamaui.* Pſalm. 118. Alia litera, *Præueni adhuc in tenebris.* Ac ſi diceret: etiam quando præueniebam, in maturitate ſiue tempore opportuno clamabam. Quia nullum tempus adeò opportunum diuino conſpectui, quam cum inter tenebras preces effunduntur.

30. *Nocte ſurgit Dauid vt confiteatur.*

Annon Solis vincit fulgorem iubar illud, quo peccati dignoſcens fœditatem, ad confeſſionem velociter aſſurgis? Quis dubitet? Profectò nocturnis te ad id precibus præparaſti

Dauid

Pſal. 118. Ambroſ.

Dauid oſtendit. *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi.* Pſalm. 118. Vbi D. Ambroſ. ſerm. 19. *Et tu ſurge media nocte, vt dum oras nocte, veri Solis pectori tuo ſplendor irradiet.* Vt ſcilicet excitetur animus ad confeſſionem.

31. *Nocturna vigilia intellectum acuit.* Pſal. 1. Hieron.

Nocturna certè vigilia intellectum mirum in modum acuit, vt orationis gladio aſtutiſſimus ſerpens vulneretur. Beatus à Dauide ille vir appellatur, *qui in lege Domini meditatur die, ac nocte.* Pſalm. 1. Vbi D. Hieronym. diſcernens verba illa: *Die ac nocte*; nocturnæ ſic orationis vigiliæ perpendit præſtantiam. *Vigilando omnis timor excluditur, vitia tabeſcunt, charitas roboratur, recedit ſtultitia, accedit prudentia, mens acuitur, error obtunditur, criminum caput diabolus gladio ſpiritus vulneratur.*

32. *Dulcis nocturna deprecatio.*

Quid quod dulciſſimus Deus de nocte ſurgentibus ad orationem? *Memor* (adhuc Pſaltes) *fui nocte nominis tui, Domine.* Pſal. 118. Ad quæ Ambroſ. carmen de dulciſſimo Ieſu nomine expendit. *Hoc nomen Ieſu innoceſcit noctibus.* Dum per diem ad te, ô Domine, preces effundo, te ad memoriam reuoco *ducem*, ſed *rectum*. At dum per noctes oro, *memor ero nominis tui* Ieſu, quod quidem omninò ſuaue. Vnde diffluo dulcedine.

33. *Quaſi bis ſpiritualis per noctem orâs.* 4 Reg. 2. Chryſoſt.

Ipſa denique oratio nocturna duplici ſpiritu condecoratur, viros bis (vti explicem) ſpirituales reddens. Diſceſſurus Elias Eliſæo duplicem ſpiritum poſtulanti ait: *Si videris me, quando tollar à te, erit tibi quod petiſti.* 4. Reg. 2. Quod ita exponit Chryſoſt. Si vigilaueris, ſi pernoctaueris in oratione duplici ſpiritu condecoraberis. *Non enim datur gratia niſi vigilanti.* Spiritualis equidem vir per diem orans. At antelucanus orationis exercitio vacans, bis quodammodo ſpiritualis eſt.

## Capvt IV.

### *Oratio Ieſu in communitate.*

34

**Q***Vantum iactus eſt lapidis* Ieſus à Diſcipulis octo receſſit; at *puſillum* progreditur à tribus, ſicuti in communitate fundentes preces mentis eleuatione aſſolent puſillum inuicem ſeparari. Vndè Chriſtus, *Vigilate mecum. Non potuiſtis vna hora vigilare mecum?* Efficaciſſima huiuſmodi deprecatio.

35. *Communis Niniuitarum oratio efficax.* Ioan. 3. Chryſoſt.

Si Rex admonuit Niniuitas, *Clament ad Dominum in fortitudine.* Ioann. 3. Fortis oratio multitudinis, quia vno deprecante, non difficile Deus abnegat quandoque quæſita. At in multorum deprecantium conſpectu quodammodo multitudinem reueretur, nec audet denegare. Exponit ſic D. Chryſoſt. hom. 2. in 2. ad Cor. *Deus frequenter reueretur multitudinem, vnanimem, & conſentientem in precando; vt veluti pudore victus, non audeat eis negare.*

36. *Fidelium oratio adiuuit Eccleſiæ patrem.* Matth. 11. Chryſoſt.

Quid orante pro ſe Petro potentius? quid Eccleſiæ fundamine ſtabilius? *Petrus tenebatur in vinculis. Oratio autem fiebat ſine intermiſſione ad Deum pro eo.* Solus orat, & carcere retinetur. Orat communitas, & à periculo liberatur. *Vis* (inquit Chryſoſt. hom. 79. ad Pop.) *diſcere quanta ſit orationis in Eccleſia facta potentia? Vinctus erat Petrus multiſque catenis circundatus, oratio autem fiebat pro eo. Et ſtatim eum à carcere liberauit. Quid hac igitur ſit oratione potentius, quæ columnam, & Eccleſiæ turrim adiuuit?*

Quid aliud in Iacobo luctante cum Angelo oſtenditur? *Dimitte* (inquit Deus) *me, iam aſcendit aurora.* Gen. 32. Quid ſi ad illam auroram reſpiciat, quando communitatis fidelis oratio inſtituitur? Quaſi diceret, Dimitte me, ne aduentante luce, accedentibuſque domeſticis tuis, pro tua victoria preces effundant, vnde aut (nō ſine rubore) abnegare cogar; (vti aiebat Chryſoſt.) aut pluribus oratoribus aduerſus hominum ſalutem petita quodammodò concedam. 37. *Harum potentia precum.* Gen. 32.

Attamen vel efficaciores communitatis preces aſcendant, ſinguli ſocij attentioni, ac feruori operam adiiciant. Daturus Dominus in deſerto Manna, *Egrediatur* (inquit) *populus, & colligat.* Exod. 16. Et inferius, *Colligat vnuſquiſque.* Quare ſingulis indicitur colligendi lex, quando tota Iſraëlis communitas ad colligendum egreditur? Quia vt communitas cœleſtis Mannæ dulcedine potiatur, oportet, vt ſinguli ſigillatim colligere intendant. 38. *Singuli ſocij attentioni, ac feruori ſtudeant.* Exod. 16.

Quod ſi te attentè exorante ſocij dormitatione corripiantur, tuus non ideo dormitet affectus: ſed ad ſingulare certamen, te à dormientibus non corpore, ſed attentione abſtrahens, accurre. Olim Goliath vniuerſo Iſraëlis populo infeſtus. Cui quidem Saul, Dauid reliquique fortiſſimi duces haud timorem incutiebant. Quid tunc Dauid à longè, hærens vtique ſuis, ne ob deſides tota communitas fraudaretur victoria, lapide potenti gigantem vulnerauit, ſtrauit, deleuit. 1. Reg. 17. 39. *Cæteris dormitantibus, tu vigila.* 1. Reg. 17.

Non aliter Ieſus verus Dauid licet ſociorum aduertat dormitationem, quando omnibus erat vigilandum in communitatis gloriam puſillum progreſſus rurſum dormitantibus immiſcetur, ac totius communitatis nomine certamen ſingulare inſtituit; vt lapidis iactu, ſiue orationis vi Goliath diabolum interimeret. Hinc emphaticè Lucas, *Tanquam iactus eſt lapidis.* Luc. 22. Illud enim à ſocijs dormientibus recedere, ſiue cum dormientibus non obdormire, iactus lapidis erat, quo diabolum vulnerauit. Drogo Hoſt. de ſacr. Paſſ. *Auulſus eſt à nobis, & iactus eſt lapis, & percuſſit Goliam in fronte.* 40. *Sic Ieſus.* Luc. 22. Drogo.

## Capvt V.

### *Oratio Ieſu clauſa.*

**P***Rogreſſus puſillum.* Vti ſeſe ad antrum (ex Ioan. Mariæ ſententia) reciperet, & quaſi clauſo oſtio, diuinis precibus operam daret. Id quod primo aſpectu obſtare videtur orationi gregatim peractæ, cuius præmiſimus commendationem. Non equidem repugnat. 41.

Magiſtrum audiamus: *Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum.* Matth. 6. Ad materiariumne mittimur cubile? Ita plane; ſed ſpecialiter ad cordis adyta allicimur. D. Hieron. *Hoc ſimpliciter intellectum erudit auditorem, vt vanam orandi gloriam fugiat. Sed mihi videtur hoc magis eſſe præceptum, vt incluſa pectoris cogitatione oremus Dominum. Quod etiam Annam feciſſe legimus.* 42. *Ad cubile cordis oraturus accedo.* Matth. 6. Hieron.

Profectò Anna non ad materiarium cubi- 43.

culum

*Inibi Anna & pueri Hebræi orauere.* 1.Reg.4. Dan.4.

culum recepta, ſed coram omnibus templo procidentibus orationem inſtituit. At cordis clauſo cubiculo muniebatur. Adde Pueros illos fornacis clauſtris incluſos, ſed plus conſcientię adytis conſtitutos gregatim tamen preces effudiſſe. Et Annæ & Iuuenum memor Chrom.ad cap.5.Matth. *Inuenimus Annam illã ſanctiſſimam huius Euangelicæ doctrinã: Intra in cubiculum tuum, præcepta complentem. Nam in cordis ſui ſecreto*(licet in aliorum conſpectu) *deſiderij preces effundebat, ſic & Daniel cum tribus Pueris,&c.*

Chrom.

44. *Fuge tumultum.* Matth.6.

Annon Eccleſia locus omnium fidelium deprecationi deputatus? Quis ambigat? In Eccleſia igitur cubiculum illud (de quo Dominus) extruendum exiſtimo. *Intra in cubiculum tuum, & claude oſtium.* Matth.6. Quonammodo in templo communi hominum fidelium receptaculo eſt cubiculum extruendum, claudendum oſtium? Dum ſcilicet in templo, conſpectuque omnium conſtitutus ad cordis adyta me recipio. Ita exponit D.Bernard tract. de Doct. *Veniens ad Eccleſiam, pone manum ſuper oſtium, & dic: Expectate hic cogitationes malæ, intentiones, & affectus cordis, & appetitus carnis. Tu autem anima, intra in gaudium Domini tui.* Haud equidem templi foribus manum admouendam Pater affirmat; ſed cordis oſtium, excluſis indè è cubili prauis cogitationibus, obſeruandum.

Bernard.

45. *Cubile ſit cordis aſſenſio.* Pſal 4. Chrom.

*Quæ dicitis in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris compungimini.* Pſal 4. Cubiculum enim Religioſi meditationis tempore cordis eſt clauſtrum Apprimè Chromat.citat. *Intrà cordis ſecretum iubemur orare, vt ab eo, qui occultorum eſt cognitor, recipiamus orationis occulta mercedem.* Non enim oratio, religioſis ſpeciatim, occulta, quando nos recipimus ad materiarium cubile: ſed cum cordis clauſula continemur. *Religioſæ enim mentis eſt, Deum fide cordis orare. Vnde Dauid, Dicite in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris compungimini.*

## Capvt VI.

*In habitu pœnali Oratio Ieſu.*

46. FLexis Ieſum genibus oraſſe, ſimulque ſuper faciem procidiſſe oſtendimus. Vt fatigatio corporis illa alas indat orationi.

47. *Num exprobrat Deo, quod te oratio fatigat?*

Tertull.de Orat. ſic: *Contra Scripturam fecerit, ſi quis in cathedra, aut ſubſellio ſederit. Siquidem irreuerens eſt aſſidere ſub conſpectu, contráque conſpectum eius, quem maxime reuerearis, ac venereris: quanto magis ſub conſpectu Dei viui, Angelo adhuc orationis adſtante. Factum iſtud irreligioſiſſimum eſt, niſi exprobramus Deo, quod oratio nos fatigauerit?* Ac ſi diceret, Qui in conſpectu Domini ſedet in corporis leuamen, Deo exprobrat, quod ſe defatigarit deprecatio.

48. *O atio pœnaliter orantis pennas habet.*

Reſpicit Tertullian.hiſce verbis: *Angelo adhuc orationis adſtante*, Iſaiæ Seraphinos, *Vidi* (inquit Propheta) *Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum. Seraphim ſtabant ſuper illud, ſex alæ vni, & ſex alæ alteri, duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant* Cap.6. Stabant Angeli, non ſedebant. Annon ſtatio inter labores inter moleſtias corporis computatur? Angeli igitur orationis habitum præſeferunt laborioſum, dum ſtant; ſimulque orationis agilitatem annunciant, dum ſtantes volant. *Et duabus volabant.*

49. *Exorat.* Gen.32.

Vidiſti Iacobum luctantem & orantem. Illa enim lucta orationem prætendebat, vti ex Oſea comprobauimus. Quid certaminis labori, vulneratoque femori cum oratione? Profectò certamen illud laborioſum, femoriſque vulneratio pœnalem procubitum in oratione ſignat. Benedictionibus itaque repletur Iacob, quia laborem corporis cum effuſis precibus copulauit.

50. *Vincit.* Cant. 6.

Sunt qui in oratione manus extendant non ſine corporis vexatione. Tunc vel tenuente corpore animus orationis alis aſcendit. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris.* Cantic.6. Myrrham mortificationis, ſeu corporalis moleſtiæ thuri orationis pulchrè aſſociauit Sponſus. Tunc enim animus aſcendit, cum corpus pœnali habitu extenuatur. Sic transfert Rupert. illud *Sicut virgula*, id eſt, *extenuata.* Appoſitè Clemens Alexand.7.ſtrom. *Manus orantes in cœlum extendimus; vnà cum verbo corpus à terra educere conantes; erectam, & eleuatam animam cogimus in ſancta progredi, magno animo corporis vinculum deſpicientes.*

Rupert. Clem. Alex.

51. *Sic Moyſes hoſtes debellauit.* Exod. 17. Iſaias.

Huiuſmodi pœnali habitu, id eſt, manuum oſtenſione Moyſes orabat, vti plus efficax deprecatio redderetur. *Cumque leuaret Moyſes manus, vincebat Iſrael; ſin autem paululum remiſiſſet, ſuperabat Amalech. Manus autem Moyſi erant graues. Aaron autem & Hur ſuſtentabant manus Moyſi ex vtraque parte.* Exod.17. Num ex illa grauitate, ac moleſtia manuum ac corporis victoria orationis exurgebat? Pulchrè Iſaias Abbas orat. 5. *Moyſes in montis vertice conſtitit, & manus eius ab Aaron & Hur ſuſtinebantur; ne ex crucis ſpecie, in qua erant conſtitutæ, deciderent.* Non modo vt ex crucis ſigno, ſed vt ex corporis cruciatu orationis efficacia oſtenderetur.

## Capvt VII.

*Oratio Ieſu humilis, obſeruans.*

52. Paſchaſ.

PRo particula, *orans* Paſchaſ.legit: *Adorans.* Mater ſic filiorum Zebedæi ad Ieſum deprecatura accedens, adorat, & petit: *Adorans*, (inquit Matthæus.) *& petens aliquid ab eo.* Cap. 20. Nec enim impetrare vult, qui non veretur irreuerenter poſtulare.

53. *Irreuerenter orans Phariſæus repellitur.* Luc.18.

Phariſæus ille *ſtans, hæc orabat, Deus gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri hominum, raptores, iniuſti, adulteri.* At *Publicanus à longè ſtans, nolebat nec oculos ad cœlum leuare; ſed percutiebat pectus ſuum, dicens, Domine, propitius eſto mihi peccatori.* Luc. 18. Et quod magis mirère, parabolam Ieſus in hunc modum terminauit. *Deſcendit hic iuſtificatus in domum ſuam ab illo.* Cur Phariſæi repellitur oratio. Publicani autem deprecatio exauditur? D.Cæſarius dial.4. *Exemplum iſtius Phariſæi conſiderandum eſt, & timendum. Ne pro eo. quod ſtans oraret, ideo non meruerit exaudiri.* Enimverò non ſolus Phariſæus ſtans orabat, ſed & Publicanus ſtabat à longè. *A longè ſtans.* Non igitur ex eo præcisè, quod Phariſæus ſtaret coram Domino raxabilis.

Cæſar.

bilis. Expono Patris mentem. Verè ille ſupplex apparet, qui obſeruans, & reuerens obiicitur, licet ſtare corpore videatur; ille autem verè ſtat ſpiritu, qui ab obſeruantia, & reuerentia longè abeſt, licet corpore procumbat. Stat Phariſæus, ſtat Publicanus; Phariſæus quidem irreuerenter, inobſeruanter, irreligiosè, oculos enim hùc illùc iactitabat immodeſtè. *Non ſum* (inquit) *ſicut cæteri hominum, &c. Velut etiam hic Publicanus.* At ſi Publicanus *à longè* ſtabat, indicamentum præbetur Phariſæum circa altare conſtitutum, oculos Publicano à tergo conſiſtenti, terga autem altari dediſſe. Porrò Publicanus *nolebat nec oculos ad cælum leuare, ſed pectus percutiebat,* ſtans quidem corpore, animo conſternatus. Pro eo igitur, quod ſtans, ſiuè inobſeruanter oraret, non meruit exaudiri animo non conſternatus. Queis animo minimè conſternatis iuſtè D. Cæſarius Arelat. *Cum Deo* (inquit homil. 31.) *in oratione loquentes, & antè tantam maieſtatem peccatorum noſtrorum miſerias allegantes, non nos pudet, captiuis ſenſibus huc illucque diſcurrere: & infelicem mentem à conſpectu diuinæ maieſtatis abſtrahere?* — Cæſar. Arel.

54. *Procidat mens corpore ſtante.* Statio itaque corporis, ſi mens procidat, non indecens orationis habitus, ſicut in ſtantibus coram Dei throno Seraphinis apertè monſtratur. *Seraphim ſtabant.* Dum tamen mentis alas humiliter demitterent. Haud enim ſuperioribus alis volantes obiiciuntur. Iſaiæ 6. Sapiens appoſitè, *Cuſtodi pedem tuum ingrediens domum Dei.* Eccleſiaſt. 4. litteralem exiſtimo ſenſum eſſe: Genua flecte, peſque tuus, quaſi ſuo iam muneri non tam temporis aptus, cuſtodiatur, ſitúe colligatur. Profectò non tam de materiali pede cuſtodiendo, quam de mentis genuflexione ob humilitatem, & reuerentiam in oratione exhibendam in præſenti interpretandus locus ex Salonio tom. 2. Bibl. ſancte: *Non pedem corporis cuſtodiendum docet, ſed pedem animæ. Et eſt ſenſus. Cuſtodi pedem animæ tuæ, vt oratio tua pura dirigatur ad Deum.* Reuerentia enim plurimum adfert orationi puritatis. — Iſai. 6. Eccl. 4. Salon.

55. *Adoratio orationem precedat.* Paulus ad hæc: *Obſecro igitur fieri obſecrationes, orationes.* Phil 4. Num obſecratio, & oratio idem? Minimè. Quid igitur obſecratio? Obſecrationis nomine ex vocis Græcæ vi habitum deſcribit orantis, ac ſi deprecatio, & oratio idem ſint, quod adoratio, & petitio, *Adorans, & petens. Domine* (clamat Dauid) *exaudi orationem meam, auribus percipe obſecrationem meam.* Pſal. 140. Vbi Angel. *Oratio propriè eſſe videtur, quæ ad venerationem diuinæ maieſtatis defertur. Obſecratio propriè cum humiliter id, quo indigemus, cum quadam miſeratione petimus.* — Philip. 5. Pſal. 140. Angel.

## Capvt VIII.

### *Attenta Oratio Ieſu.*

56. Hugo. NOn ſuperflua huiuſcemodi repetitio *Orans, & dicens.* Sunt enim qui dicunt, & non orant. Ore namque verba proferentes, cor longè remouetur. Vnde Hugo Card. appoſitè hunc locum expendens, *Orans,* (inquit) *& dicens. Orans ſcilicet corde, & dicens ore.*

57. *Cordis obſeruatio.* In cuius probationem proximo Pauli vtemur teſtimonio. *Obſecro igitur primum fieri obſecrationes, orationes.* Philip. 4. Vbi Theoph. has voces idem ſignificantes ab Apoſtolo rhetorica congerie apponi exiſtimat. Aptius ex D. Thom. Oratio mente, & animo, ſiue corde offertur; Obſecratio autē labiis exprimitur. Petit itaque Paulus fieri *obſecrationes, orationes.* Id eſt, ore prolatas petitiones, quæ orationes ſint, quæque nō minus corde, quam ore proferantur. — Philip. 4. D. Thom.

58. *Oratio in Domini conſpectu.* Dauid. *Intret poſtulatio mea in conſpectu tuo.* Pſal. 118. Ambr. pro poſtulatione poſuit dignitatem. *Intret dignitas mea.* Id eſt, quod in me dignum tuo inuenitur conſpectu, cor ſcilicet, & animus. Ne me labiis vociferante, animus templi, aut cubiculi parietibus concludatur, quando debebat tuo volitans ſiſti conſpectu. Rectè D. Cæſar. Arel. *Videte* (inquit hom. 31.) *quàm ſit dura iſta captiuitas, vt lingua quaſi cum Deo loquatur, & tota animi intentio ad parietes dirigatur.* Intret in cōſpectū tuo dignitas mea. D. Aug. ſerm 6. de ver. Domi. *In Eccleſia corpus, alibi cor? Totum intus eſſe debet; ſi intus eſt, quod videt homo: quare foris eſt, quod videt Deus?* — Pſal. 118. Ambroſ. Cæſar. Arel. Aug.

59. *Anna exemplum.* Cur equidem Anna illa in conſpectum Domini intrare cupiebat, quæ inclamabat: *Effudi animam meam in conſpectu Domini.* 1. Reg. 1. Vbi Chryſoſt. hom. 1. *Non ait, deprecor Dominum; ſed effundo animam meam in conſpectu Domini.* Totam ſe ſe illa cœleſtem recepit in aulā. *Nam in conſpectu Domini orat* (cum eodem Patre loquor) *qui orat, vndique colligens ſuam mentem, nihil habēs cum terra commercij, ſed ad ipſum Deum totus commigrans.* Quique eadem facilitate animum effundit, ac ſermonem. — 1 Reg. 1. Chryſoſt.

## Capvt IX.

### *Affectuoſa oratio Ieſu.*

PAter mi. Plena equidem affectu verba. Magis exprimit Marcus: *Abba Pater, omnia tibi poſſibilia ſunt.* Hoc vocabulum *Abba* patrē ſignificat eo nominatū affectu, quo pueri vberibus hærentes aſſolent exprimere, *Papa. Accepiſtis* (ait Paulus) *ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater.* Rom. 8. Vbi Theod. *Pueri maiori apud patres libertate vtentes, frequentius ad eos eadem voce vtuntur: ita & nos propter inenarrabilem eius benignitatem, & infinitam bonitatem patrem quidem vocamus, vt iuſſi ſumus, Abba pater.* Quid, filio puero tā affectuosè deprecanti negabit Deus eorum, quæ poſſibilia, ſeu iuxtà deprecantis vtilitatem factibilia ſunt? Vnde adiicit Dominus, *Pater mi, ſi poſſibile eſt.* Solum etenim non conuenientia à Patre tam affectuosè oranti filio abnegabuntur. — 60. Rom. 8. Theod.

61. *Affectuoſæ orationis fructus.* Duo hodie Saluator poſtulabat, & quod à Iudæis paſſionis calice non potaretur, & quod Martyres huiuſce calicis efficerentur participes iuxtà duplicem D. Hieronym. & D. Hilar. in Matth. 20. expoſitionem, de quibus in Commentario. Primum profectò heri iuxtà diuinam diſpoſitionem impoſſibile, haud factibile erat. Alterum autem, poſſibile, factibile vtique, Dominus affectuosè orans, conſecutus eſt. Duo filij Zebedæi auguſtiora ſedilia poſtulantes, ex ore Dominico audiere: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Poſſumus,* (inquiunt.) Ieſus autem, *Calicem* (ait) *meum bibetis, ſedere autem ad dexteram meam, vel* — Hieron. Hilar.

*ſiniſtram, non eſt meum dare vobis; ſed quibus paratum eſt a Patre meo.* Matth. 20. Ac ſi præſcius Dominus futurorum; quaſi impoſſibilem iuxtà Patris diſpoſitionem, ſeſſiuum celſarum collationem deneget, calicis autem participatione eoſdem donandos promittat. Id enim poſſibile, id à Patre concedendum. Quia omnia poſſibilia Ieſu affectuoſè inclamanti: *Abba Pater*, elargienda. In cuius reſpectum Saluator, *Poteſtis bibere calicem?* Poſſibilene vos meo calice potari? Poſſibile planè. *Meum igitur proculdubio calicem bibetis.* Quia apud hortum ſum preces effuſurus, *Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte.* Id eſt, *ſicuti ego bibo*; ita à Martyribus *bibatur* (vti cum Hilario loquar.) Quid autem poſſibile, factibile affectuoſè deprecanti valeat à Patre denegari?

62.
*Annam teſtor affectuoſè precantem.*

Anna annis plena, confecta ſterilitatis mœrore. Poſſibilene eſt longæuam ac ſterilem prole honotari? *Non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum.* Fundat igitur affectuoſè preces, inducat Ieſu ſpiritum, quo affectu effuſo, inclamet, *Abba pater, omnia tibi poſſibilia ſunt; Cum eſſet* (inquit Textus) *Anna amaro animo, orauit ad Dominum flens largiter* 1. Reg. 1 Affectum equidem precantis, & animus amarus, & multus fletus exprimunt. Prolem poſtulas? Cõſequeris equidem, ſi ſpiritum excitas Ieſu inclamantis affectuoſe: *Abba Pater.* Quid mouet Chryſoſt. Orat. 2. de An. acumen? *Eſt interioris clamor affectus, qui exauditur è cœlo. Anna cum oraret pia voce excitabat Ieſum.* (id eſt, Ieſu ſpiritum) *Denique cum effectu rediit, qua precabatur. Quia clamabat in ea ſpiritus Dei* (dixeris aptiùs, *ſpiritus Ieſu*) *qui clamat: Abba pater.* Quid enim poſſibile, factibile, ſeu ad ſalutem conueniens affectuoſè non concedatur deprecanti?

1. Reg. 1.

Chryſoſt.

## Capvt X.

*A Dei laude exorſa Oratio Ieſu.*

63.
Ambroſ.

SI *poſſibile eſt.* Marcus autem: *Omnia tibi poſſibilia ſunt.* A nomine maieſtatis Deificæ exorditur, vt efficacius poſſit impetrare. Oratio enim, præmiſſa Dei laude, laudabiliter ducit exordium. Vnde maieſtatem diuinæ potentiæ commendat; priuſquam calicem à ſe tranſire poſtulet. D. Ambroſ. lib. 6. de Sacra. c. 5. *Dic mihi, ſi velis hominem rogare, & ſic incipias: Da mihi. Nonne arrogans videtur oratio? Ideo inchoari oratio debet à Dei laude.*

64.
*Effert Dauid potentiam Dei, vt poſtulata conſequatur.*
Pſal. 79.
Mat. 14.
Ambroſ.

Hinc Dauid: *Excita potentiam tuam, & veni, vt ſaluos facias nos.* Pſal. 79. Diuinæ prius omnipotentiæ extulit magnalia, mox ab hoſtibus eripi poſtulauit. Haud aliter Ieſus, *Abba pater, omnia tibi poſſibilia ſunt, transfer calicem iſtum à me.* Mat. 14. Id quod reſpiciens Ambr. adiicit: *Inchoari oratio debet à laude Dei, vt roget omnipotẽtem Deum, cui poſſibilia ſunt omnia, qui habet voluntatem præſtandi. Prima ergo oratio laudem debet habere Dei, ſecunda ſupplicationem.* Id eſt, antè ſupplicationem Dei laus præmittatur oportet.

65.
*Huiuſcemodi precum efficacia.*

Enimverò huiuſcemodi diuinæ laudis præmiſſio efficit orationem efficacem ad omnium bonorum conſecutionem. In primis igitur oratio à Dei laudibus inchoata, dum diuinam commendat omnipotentiam, impetrat temporalium bonorum, vel naturæ fragilitati impoſſibilium, elargitionem. Anna ſterilitate non minus, quàm annis confecta ſic inſtituit orationem. *Domine exercituum, ſi reſpiciens videris afflictionem famulæ tuæ, &c.* 1. Reg. 1. Appoſitè illa ab omnipotentiæ laudibus exorſa, effœtæ naturæ impoſſibilem prolem ſuſcepit. Quaſi omnipotentia laudata, impoſſibilitatis naturæ impedimenta propulſaret. 1. Reg. 1.

66.
*Fructus ſpirituales, & temporales.*

Deinde conſequitur & temporariorum, & ſpiritualium bonorum abundantiam. Chriſtus poſtulaturus & Regni cœleſtis in animo ſtabilimentum, & corporis neceſſariam annonam, à Dei laudibus exorditur. *Pater noſter, qui es in cœlis.* Mox adiicit: *Adueniat Regnum tuum. Panem noſtrum quotidianũ da nobis hodie.* Mat. 6. Vbi apprimè D. Ambr. *Pater noſter, qui es in cœlis. Laus Dei, quod Pater prædicatur. Laus Dei quod in cœlis habitat, & in terris. Veniat Regnum tuum. Poſtulatio, vt in nobis ſit Regnum Chriſti. Si Deus in nobis regnat, culpa non regnat, ſed regnat virtus, regnat pudicitia, regnat deuotio.* De cibo autem poſtulando poſt eandem Dei laudem præmiſſam, ait: *Nõ debes quaſi famelicus ad cibum de cibo incipere; ſed ante à laudibus Dei. Vnde & oratores ſapientes hanc habent diſciplinam, vt iudicem fautorẽ ſibi præſtent, incipiunt a laude eius. Deinde paulatim incipiunt rogare iudicẽ.* Plura ibi Pater.

Matth. 6.
Ambroſ.

67.
*Haud ſic à Dei laude nõ incipiens.*
Pſal. 31.
Orig.

Non ſic qui orantes à Dei laude non incipiunt. Dauid, *Quoniam tacui inueterauerunt oſſa mea, dum clamarem tota die.* Pſal. 31. Quonam modo tacebat, ſi clamabat? Clamabat tota die, quia preces fundebat; tacebat autem, quia minimè preces à Dei laudibus inchoabat. Sic Orig. in Prouerb. *Quoniam à laude tua ceſſaui, ideo exſiccata ſunt oſſa mea, cum ſcilicet funderem preces. Tunc enim cum laudabam ò Deus, nomen tuum impugnabantur oſſa mea.* Quaſi non orat, qui preces Dei à laudibus non inſtituit.

## Capvt XI.

*Breuis, & frequens Ieſu Oratio.*

68.
Caſſian.

PAter mi, tranſeat à me calix iſte. Id quod vlterius ſemel ac iterum inclamauit, vti orationis breuitatem, ac aſſiduitatem commendaret. Ad hæc Caſſian. col. 9. c. 35. *Frequenter quidem, (ait) ſed breuiter eſt orandum.*

69.
*Talis Annæ oratio.*
1. Reg. 1.

Anna Samuelis mater breuem huiuſmodi effundebat orationem. *Domine exercituum, ſi reſpiciens videris afflictionem famulæ tuæ, dederiſque ſeruæ tuæ ſexum virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vitæ eius, & nouacula non aſcendet ſuper caput eius.* 1. Regum 1. Sequẽtia prædictæ breuitati obſtare videntur. *Et factum eſt, cum illa multiplicaret preces.* Num verba precibus addidit? Minimè. Duplicaſſe autem dicitur preces, quaſi frequenter huiuſcemodi orationi breui vſa in conſpectu Domini, Ieſu inſtar, apparuit. Vnde videor mihi à Chryſoſt. Orat. 2. de An. adnotatum, Annam oratione *excitauiſſe Ieſum*, quia in morem Ieſu & breuiter, & frequẽter orauit. Idem Pater ponderans orationis huiuſce & breuitatem & frequentiam, ait. *Neque in longum produxit ſermonem, neque in multum temporis extẽdit ſupplicationem; ſed pauca, nudaque verba prolocuta eſt. Quid igitur innuit, cũ ait, Multi*

Chryſoſt.

*Multiplicauit preces? Aſſiduè ſonabat eadem breuis oratio, nec deſtitit iiſdem verbis iterandis, multum temporis abſumere.*

70. *Multum non loquatur, ſed aſſiduè.* Matth. 6. Luc. 18.

Matthæi & Lucæ pugna hanc confirmat veritatem. Chriſtus apud Matthæum. *Orantes, nolite multum loqui.* Cap 6. Ergo breui oratione nobis vtendum. Idem Dominus apud Lucam, *Oportet ſemper orare, & non deficere.* Cap. 18. Prolongandá igitur oratio eſt. Quonam modo igitur breuis, ſi longa: longa, ſi breuis? Credo breui oratione nos ſemper vti debere, dum breuis oratio ſæpè ſæpiùs iterari curamus. Ad hæc D. Chryſoſtom. *Cum Ieſus iuſſiſſet Diſcipulis, ne more gentium orarent, vtentes multiloquio modum precationis docuit. Pater noſter, &c. Quomodo igitur dixerit aliquis, ſi paucis orandum eſt, parabolam ait propoſuit admonentem ſemper eſſe orandum? Vtrumque faciendum eſt, vt nec in longum verba proferamus, & tamen aſſiduè deprecemur.*

Chryſoſt.

71. *Huiuſmodi preces iacula.* Auguſt.

Breues planè, ac aſſiduæ huiuſmodi precationes iacula ſunt, queis diabolus immittens tentationes, configitur. Audiſti non ſemel vim earum orationum breuiſſimarum, quæ *iaculatoriæ* vocitantur? Hiſce vſos Patres apud Ægyptum D. Auguſtin. Epiſt. 121. c. 10. affirmat. *Dicuntur fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes; ſed eas tamen breuiſſimas, & raptim quodammodo iaculatas.* Aduerſus ſcilicet raptim à diabolo tentationes emiſſas. Ieſus equidem auulſus à Diſcipulis *quantum iactus eſt lapidis, & orabat dicens, Pater, &c.* Luc. 22. Vbi idem Auguſtin. lib. 2. qq. Euang. c. 50. contemplatur orationis myſtico lapidis iactu (ne dicam oratione iaculatoria breuiſſima) profugandas eſſe tentationes in animum irruentes Dominum docuiſſe: *Orate, ne intretis in tentationem.* En lapidis iactus.

Luc. 22.

72. *Huiuſce orationis vberrimi fructus.* Pſal. 118.

Proh huiuſce & breuis & aſſiduæ orationis emolumenta! Dauid, *Septies in die dixi tibi.* Pſal. 118. 164. Quam breuis oratio, quam frequens! Porrò breuis huiuſmodi orationis iterationi plurima ſpiritualia, ac temporaria donare ſpondent. Elegans ac fœcunda circa hoc argumentum D. Greg. Nyſſen. lib. de Orat. perſtrepit oratio. *Septies in die laudem dixi tibi.* Quare ſepties? Vt à ſeptem hoſtibus liberaret. *Oratio namque pudicitia præſidium eſt* (contra luxuriam,) *iræ moderatio, ſuperbiæ ſedatio, iniuriæ tenacis memoriæ expurgatio, inuidiæ profligatio, iniuſtitiæ ſublatio, impietatis correctio.* Quare ſepties? Vt ſeptem muneribus donari reciperem. *Oratio* namque *corporis robur eſt, abundantia domus, recta iuris, ac legum in ciuitate conſtitutio, Regni vires, belli trophæum, pacis ſecuritas, diſſidentium conciliatio.* Quare ſepties? Quia oratio ſeptem donorum exiſtit miniſtratrix. *Oratio virginitatis ſigillum eſt, matrimonij fides, viatoribus ſcutum, dormientium cuſtos, vigilantium fiducia, agricolarum fertilitas, nauigantium ſalus.* Quare ſepties? Quia ſeptem ægritudinibus medicinam præſtat. *Oratio reorum patrona, vinctorum ſolutio, fatigatorum requies, mœrentium conſolatio, lugentium ſolatium, nuptias contrahentium corona, morientium funus.* Quare denique ſepties? Quoniam cœleſtia ſeptem bona præſentat. *Oratio, conuerſatio, ſermocinatio cum Deo eſt, viſum effugientium contemplatio, eorum, quæ concupiſcuntur, certa fides; eiuſdem cum Angelis honoris conditio; bonorum progreſſus, &*

Nyſſen.

*Ant. de Eſcob. & Mendoz.* de Sanctis. Tom. I.

*incrementum, præſentium fructus, futurorum repræſentatio.* En breuis, & aſſiduæ fructus deprecationis.

---

## Capvt XII.

### *Importuna Oratio Ieſu.*

73. *Tranſeat à me calix iſte.* Marcus, *Iterum abiens, orauit, eundem ſermonem dicens.* Matthæus item; *Orauit tertio, eundem ſermonem dicens.* Annon redditur importuna oratio ex eiuſdem precationis iteratione? Importunè orandu Dominus docet ad opportunam bonorum conſecutionem. Vnde Paulus aiebat:

74. *Tam opportunum petere, quam reſpirare.* 1. Tim. 4. Chryſoſt.

*Inſta opportunè importunè:* 1. Tim. 4. Illud enim ipſum importunè inſtare, opportunum admodum eſt. Nunquam enim importunè accedit multiplicatis precibus orator. Chryſoſt. *Accedamus* (inquit) *importunè, imò hoc nunquam eſt importunè,* (ſed opportunè) *accedere. Sicut enim reſpirare importunum nunquam eſt, ita etiam non quidem petere, ſed non petere potius importunum eſt.* Vbi affirmat, tam ſalutarem animo importunam precum multiplicationem, quá corpore reſpirationis viciſſitudine. Non importunum corpori perpetuum aſpiraculum? Non igitur animo importuna orationis inſtantia.

75. *Effectus importunitatis huiuſce.* Tobiæ.

Huiuſmodi importunitati mirabiles adſcribuntur effectus. Nonne iunior Tobias ter eandem fundens, Ieſu inſtar, orationem, à percutienti dæmone liberatur? *Sara* (inquit ille) *exurge, & deprecemur Deum hodie, & cras, & ſecundum cras; quia his tribus noctibus Deo iungimur, tertia autem tranſacta nocte in noſtro erimus coniugio.* Tob. 8. Iungimur, inquam, Deo vt importunis precibus liberationem à diabolo conſequamur. Annon Anna longæua precum multiplicatione, ſeu importunitate naturæ impetrauit correctionem? 1. Regum 1. Porrò D. Chryſoſt. Annæ importunitatem, & opportunam optati conſecutionem confirmat Euangelicæ parabolicæ Viduæ exemplo. *Vidua quadam erat, quæ aſſiduè appellando crudelem, & inhumanum iudicem, neque Deum timentem, neque homines reuerentem frequenter* (& ait Lucas c. 18. *importunè*) *accedens, flexit.* Quid memorem Iacobum, qui poſt diuturnam orationis inſtantiam, nec aduentante aurora, Angelum, ſiue Deum dimittit; donec expetita benedictione donetur. Gen. 32. *Et inualuit* (inquit Oſeas) *ad Angelum.* Cap. 12.

Luc. 18. Gen. 32.

76. *Vnum petens Deum illigat.* Cant. 4. Gilleb.

Qui vnum importunè poſtulat, quomodo non tandem conſequetur, ſi labia orantis vnum Deum debellant, illigant. Vndè Dominus ad orantem ſponſam ait, *Sicut vitta coccinea labia tua.* Cantic. 4. Non dixit, ſicut vittæ, vt vtriuſque labij ſpeciem commendaret; ſed *ſicut vitta.* Eſt enim Sponſa fundens preces labij vnius, vnam poſtulat, hanc requirit. Pulchrè Gillebert. Abbas. *Vulneratur etiam oculo, & ligatur.* Illud 5. *Vulneratur oculo,* reſpicit ſententiam illam: *Vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum.* Id eſt in vnitate oculorum pariter in vnum ſcopum tendentium. Non aliter ac vnico reſpectu oculorum Deus vulneratur; inflammatur, ac ligatur vnica labiorum precatione. Omnia enim Sponſæ verba ad vnum expetitum poſtulandum diriguntur. Vndè *labia*

*inflammatur Sponſus, ligatur.* Quid enim importuna opportunè precatio non conſequatur?

77. *Semel petens, quodammodo quaſi non petens.* Iacob 4. Beda.

Quotiens non conſequor, quia ſemel aut iterum me petiiſſe ſatis eſſe arbitror? *Non habetis* (inquit Iacobus) *propter quod non poſtulatis.* Cap. 4. Syriaca lectio, *Quoniam non poſtulatis.* At ſtatim adiicit Apoſtolus: *Petitis, & non accipitis.* Si petunt, quomodo non poſtulant? Beda. *Quia qui male petit, in conſpectu interni teſtis nihil petit.* Rectè quidem. Sed Iacobus, me interprete, pacem illos affirmat & expetere, & petere, quam non conſequuntur, quia non petunt, *Non habetis, quoniam non poſtulatis.* Quomodo non poſtulant, ſi petunt? Quia per tranſennam vix ſemel poſtulant. Qui autem non inſtat orationi, vti Paulus ait, *Orationi inſtantes* quaſi nil petiiſſe quodammodo videtur.

78. *Vtilia poſtula.* Pſal. 26. Gen. 25.

Ad hæc, huiuſmodi orationis inſtantia vtilium rerum aſſecutioni impendenda eſt. *Vnam petij à Domino,* (inclamat Dauid) *hanc requiram.* Pſal. 26. Vnam videlicet Chriſti natiuitatem, vti æternùm Rex in domo Domini poſſet habitare. Iſaac olim ad meditandum egreſſus non tam coniugium cum Rebecca, quam Dei cum humana natura, cuius fructus Saluatoris natiuitas. Id quod non ſemel, ſed inſtantibus precibus poſtulabat. *Deprecatus eſt* (ait Textus) *pro vxore ſua.* Gen. 25. Vbi Chryſoſt. *Viginti annis perſeuerauit orans, & deprecans Deum.* Filium enim expetebat non tam in filium, quam in Saluatoris parentem. Ideo multiplicatis precibus velut importunus mendicus in conſpectu Domini apparebat.

Chryſoſt.

79. *Vnus ſit orationis ſcopus Deus.* Matth. 6. Nyſſen.

Chriſtus ad Diſcipulos, *Orantes, nolite multum loqui.* Matth. 6. Ad quem locum Nyſſen. de Oratio. *Orantes, ne ſitis battologi.* Quid battologia? *Linguæ* (ait ille) *volubilitas,* quando ab vna precatione in alteram diuertis. Vni inſtandum, idque ad ſpirituale bonum debet pertinere. Maria vni inſtabat, quia orationi ſtudebat. *Porrò vnum eſt neceſſarium.* Vna optima deprecatio, ſalus, aut vnius virtutis aſſecutio. *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.*

---

## CAPVT XIII.

### *Obediens oratio Ieſu.*

80. HÆc ſi nouiſſima in recenſitione, prima ſit orationis conditio, diuinæ ſubdi voluntati. Non meæ voluntati, ſed diſpoſitioni diuinæ pareat effectus. Sunt qui propriæ voluntatis aſſecutioni orantes incumbunt.

81. *Male petit iuxta voluntatem poſtulans.* Iacob. 4.

*Petitis* (inquit Iacobus) *& non accipitis, eo quod male petatis,* Cap. 4. Quid petebant? Pacis aſſecutionem expetebant, & poſtulabant. Curauerant hoſtes extinguere bello, nec pacis bono fruebantur. *Concupiſcitis, & non habetis. Litigatis, & belligeratis, & non habetis.* Quare? Quia male petitis. Quonam modo bene expetitur, quod male petitur? Adiicit Apoſtolus. *Petitis, vt in concupiſcentiis veſtris inſumatis.* Syriacè, *vt alatis concupiſcentias veſtras.* Id eſt, bonum poſtulatis; ſed non vt pax diuinæ ſubdatur voluntati; ſed in voluntatis veſtræ complementum.

82. Non benè audiebat apud Ieſum Marthæ deprecatio. *Dic ei, vt me adiuuet.* Luc. 10. Ac ſi voluntatem diuinam ad ſuam allicere conaretur. Non ſic Maria Ieſu pedibus hæret, indifferenter Dominico placito ſubens, vti aduertit Bernard. In eos oratores, qui diuinam voluntatem conantur inflectere, ſic inuectiuus Nyſſen. eitat inſurgit, *Qui imperitè vtitur oratione, non ad dantis altitudinem ſe ſe erigit,* (vt volantem ſequatur Magdalenam) *ſed ad humiles, & terram ſapientes cupiditates ſuas diuinam potentiam deſcendere deſiderat.*

*Sunt qui Dei voluntatem ad ſuam conentur allicere.* Luc. 10. Nyſſen.

83. *Dauidis oratio obſequens.* Pſal. 118.

Haud ſic Dauid inclamans. *A mandatis tuis intellexi.* Pſalm. 118. De illa loquitur oratione, quæ mentalis vocitatur, quæ intellectus eleuatione inſtituitur. *A mandatis* igitur *tuis intellexi.* Ac ſi diceret, Parui mandatis tuis, vt intelligerem, vt intellectuali orationi, ac contemplationi vacarem. Orationis namque fundamen obedientia eſt. D. Bernard. Pſalm. Qui habitat. *A mandatis tuis intellexi dixit, vt ſcias, niſi obedientia contemplationis guſtum penitus non deberi. Alioquin non dormiet tecum Sponſus in lecto uno illo præſertim, quem tibi pro obedientia floribus cicutis atque vrticis inobedientia aſperſiſti.*

Bernard.

## OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

### *Pater, ſi poſſibile eſt, &c.*

### Pugnaturus Ieſus, ſe munit oratione, vt tribus Apoſtolis oſtendat, queiſnam ſit eis viribus innitendum?

*Oratio enim neceſſarium aduerſus hoſtes viſibiles, ac inuiſibiles munimentum.*

PROMISERAT Petrus ſe ſe omnium futurum conſtantiſſimum. *Et ſi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Et ſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego non ſcandalizabor.* Inclamarāt Iacobus, & Ioannes poſſibile facili negotio, amari calicis Dominici participes fieri. *Poteſtis* (ait Chriſtus) *bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Dicunt ei: Poſſumus* Oſtendit autē Ieſus, quonam modo ſint aduerſus hoſtes, & calicis agonem muniendi. D. Paſch. lib. 12. adnotauit dicens. *Ecce cur eduxerit eos, oſtendit, vt diſcant, non de ſe incautè præſumere; ſed vigiliis, & orationibus prius impetrare. Vt videāt, & intelligant, vbi eſt, & quouſque poſſe hominis ſit, vel quomodo impetrare debeant. Videant quidem tendentem, & adorantem in faciem ſuam, & audiant dicentem: Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte.* Illud expende *Et quo vſque poſſe hominis ſit.* Dixiſtis, *Poſſumus, & non poteſtis vna hora mecum,* ſeu in meo conſpectu *vigilare.* Quonam modo, abſente me, totum poteritis calicem exhaurire? *Vigilate & orate,* vobis obiicientes humanæ potentiæ infirmitatem. 84.

Paſchaſ.

Non ſemel Diſcipuli ſe cum Ieſu morituros inclamarant. *Eamus* (inquiunt) *& nos, &* 85.

*moria*

*Poſt oratiõ ſurge ad opus.*

*moriamur cum illo.* Vereor, ſi data fuiſſet occaſio, fugam illos meditaturos fuiſſe, qui comprehenſo Ieſu, terga hoſti dederunt. Debuiſſent etenim prius orationibus, & vigiliis promiſſam huiuſmodi conſtantiam impetrare, quàm verbis iactitaſſent. Ieſus ita. Qui antè deprecationem pauore affectus oſtendebatur, poſt orationem triplicatam exurgens ait, *Surgite eamus:* Morti me iam intrepidè committam, non iam corripiar pauore, quia orationibus, & vigiliis conſtantiam infirmitati humanæ conſecutus ſum. Non aliter vos edocemini, non de vobis *incautè præſumere* (Paſchaſ.) *ſed vigiliis & orationibus prius impetrare.*

Paſchaſ.

86. Hinc hoſce ſpecialiter Eccleſiæ Proceres orare iubet, reliquos apoſtolos ſedere. *Sedete hic, donec vado, & oro.* Matth. 26. Promiſerant quidem maiora, in cuius felicem exitum neceſſaria orationis inſtaoria. Idem Paſchaſ. excogitauit ſatus: *Illis quidem ſuprà iuxtà Matthæum ſedere tantum iubet, iſtis autem vigilare, & orare cum eo. Quare? Ac ſi participes tanti diſcriminis.* Id eſt, Promiſerant, imò futuri erant participes diſcriminis tanti, calice erant potandi Dominico, iuxta ipſorum promiſſionem: *Poſſumus.* Ideo docet Dominus eos, quonam modo potentes efficiendi. *Orate, & vigilate mecum.* Sola enim oratio ab hoſtibus liberat, contra mortem armat, vita donat.

*Orat, qui promiſſa vult adimplere.* Matth. 26. Paſchaſ.

87. Adhuc pondero ſententiæ Paſchaſij particulam: *& quo vſque poſſe hominis ſit.* Quidquid potuerunt Diſcipuli præſtitère, nec tamen omninò immittentem ſomnum diabolum ſuperarunt. *Non potuiſtis* (inquit Ieſus) *vna hora vigilare mecum?* Vultis poſſe vigilare? *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.* Oratio enim vires roborat ad vigiliam. Quidquid poſſunt igitur adhibent Apoſtoli, vt conſtet omnis potentiæ orationem futuram eſſe parentem. Iſraëlitæ potentia Holofernis acti, magnis ſe præſidiis militaribus munierunt. *Præoccupauerunt omnes vertices montium, & muris circumdederunt vicos ſuos.* Hæc poterant Hebræi, nec tamen ſufficiens aduerſus tantum hoſtem potẽtia. Vndè ad orationem confugerunt. *Et clamauit omnis populus ad Dominum inſtãtia magna.* Iudith. 4. Ad quem locum appoſitè Lyran. *Fecit primò quod potuit. Sed quod facere non poterat, Deo precibus commendabat* En totũ, quod homo poteſt, nihil poteſt ad hoſtes debellandos, donec oratio dat & poſſe, & perficere. Vt oſtendatur *Quouſque poſſe hominis ſit, & quomodo* poſſe *impetrare debeat.*

*Nil potes ſine orationis præſidio.*

Iudith. 4.

Lyran.

88. Putabat Petrus gladium educens, fore, vt poſſet irruentes in Ieſum hoſtium copias omninò extinguere. Cui Dominus: *Mitte gladium tuum in locum ſuum.* Annon ô bone Ieſu, gladios nos iuſſiſti comparare? Profectò ad gladiorum vos acquiſitionem hortatus ſum. Attamen ſi ad myſterij perfectionem duos aſſerui materiarios gladios ſufficere: ſimul eadem vos nocte docebam orationis gladio victoriam eſſe reportaturos. Num carmen Dauidicum audiſtis? *Exaltationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum.* Pſal. 149. Vbi D. Chryſoſt. *Oſtendit, quod laudantes ſic, vincent.* Ac ſi inclamaret Ieſus, Ego à laude Patris (de quo ſuprà) orationem inſtituens, vt beneuolam redderem potentiam diuinam, eius præſidio in oratione comparato gladio donatus ſum aduerſus hoſtes irruentes. Quænam auguſtior victoria, quàm amariſſimo calice intrepidè potari? quàm in mediis teterrimis hoſtibus non timere?

*Orationis gladius ad hoſtes infirmandos.*

Pſal. 149. Chryſoſt.

89. Enimverò huiuſce orationis præſidij neceſſitatem ad victoriam liberationemque ab hoſtibus Ieſus egregiè oſtendit ter hodie orationis exercitamento incumbens. *Iterùm abiit, & orauit tertiò eundem ſermonem dicens.* Matth. 26. Vbi quæris, cur qui aut continuare preces poterat, aut ſemel impetrare, tertiò preces effundit? Vt reſpondeam, præmitto Ieſum non ſolùm dum inter viuentes degebat, ab hoſtibus inuiſibilibus liberatum, ſed inter mortuos etiã liberum prædicari, *Inter mortuos liber.* Pſal. 87. Ter igitur orat, vt oratio animæ ſanctiſſimæ vicaria conſtituatur, liberetque ab hoſte corporis, corruptione ſcilicet corpus mortuum, quod viuum fortiſſimus animus ab irruentibus periculis liberarat. Ad hunc ſenſum allicio D. Paſchaſ. lib. 12. ſantem: *Quinimo ter rogat in oratione Dominum, quia tribus diebus futurus erat in corde terræ,* vbi quodammodò vti *liber inter mortuos* commoraretur, orationis præſidio muniebatur. Hoc enim (vt verè loquar) munimine non indigens, ſe indiguiſſe oſtendere videtur, *vt nos edoceat.* Vti Abbas aduertit.

*Ideò ter Chriſtus orauit* Matth. 26.

Pſal. 87.

Paſchaſ.

90. Cæterum illa verba Dominica ad calcem Panegyrici ponderabo. *Orate, ne intretis in tentationem.* Matth. 26. Nam qui ab oratione recedit, diabolo hoſti hæreat neceſſum eſt, vnde continuo motu à tentationibus circumagitur. Iam vim ſententiæ Domini apud Matthæum perſpicuam habebis, *Oportet ſemper orare.* Cap. 6. Quare ſemper? Ne abſtractus à Deo animus hæreat hoſti, hoſtiumque tentationi reſeretur. Præclarè Nyſſen. de Orat. ad hæc. *Si homo, relicto Deo, negotiis totus intentus fuerit, neceſſe eſt, vt à Deo remotus, cum aduerſario prorſus verſetur. Recedit autem à Deo, qui per orationem ſe ſe Deo non coniungit. Ergo hoc prius oratione docẽdi eſtis, quod ſemper orare oporteat. Per orationem enim cum Deo eſſe contingit. At qui cum Deo eſt, ab aduerſario remotus eſt.* Quod ſi tentationes inſurgant, irruant, tanto ſocij præſidio faciliſſimo negotio ſuperantur.

*Plerumque excidis, qui ſine oratione hoſtibus hæret.*

Nyſſen.

# OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

## *Tranſeat à me calix iſte.*

## Poſtulat Ieſus calicem à ſe tranſire, vt ſerui antiqui curam agat.

*Seruus enim veteranus non facile à domo dimittendus.*

91. ISTUM ſignanter calicem à ſe tranſire poſtulat, nè propinantibus ſibi calicem Iudæis, paſſio ac mors Dominica pariat exitum. Id quod ex Hieronym. in

Commentario dedimus. Profectò probum admodum Dominum ſe ſe Ieſus præſtirit, dum curat, ne antiquus ſeruus, populus ſcilicet Iudaicus è domo dimittatur, licet accuratiùs gentilicus Chriſtianus effectui eſſet miniſtraturus. Præſtat audire ex D. Paſch. lib. 12. *Mi Pater,* (ait Ieſus) *tranſeat calix iſte à me. Blandientis quidem affectu, & deprecantis poſtulat, vt, ſi poſſibile eſt, tranſeat ab eo non tantum calix, ſed calix iſte. Poſtulat non timore patiendi, neque vt non patiatur, qui ideò venerat. Sed* (attende) *miſericordia prioris populi, ne ab illis biberet calicem paſſionis. Vnde & ſignanter ait: Calix iſte.* Expendā clauſulā illam: *Sed miſericordia prioris populi, ne ab illis biberet calicem paſſionum.* Regium etenim eſt, antiqui ſerui non facilè obſequia obliuiſci; ſed potius totis viribus impenſis curare, ne à domo omninò relegetur.

Paſchaſ.

92. *Ieſus Synagogam curat domo retineri.* Ex ore Dauidico Ieſus inclamat. *Saluum fac filium ancillæ tuæ.* Pſal. 85. Cruci ſuffixus, ô Pater, inſtar ſerui appareo, cum ſim hæres omniū. Noli ad mentem afferre me à Iudæis occiſum, ſed adfer ad memoriam filium me ancillæ tuæ, id eſt, Iudaici populi, ſiue Synagogæ, quæ tibi tot retrò ſæculis præſtitit obſequium D. Chryſoſt. ad Pſal. 115. *A multis retrò ſaculis, à tempore maiorum meorum dicatus ſum* (vel in lumbis auitis) *tuæ ſeruituti.* Miſerere igitur ancillæ antiquæ matri meæ, ne dicam nouercæ. Quid enim non Principis tanti ſedet iram antiquæ ſeruitutis, & obſequij obiectus?

Pſal. 85.

Chryſoſt.

93. *Et ab ipſa minimè potari calice.* Non ſemel miratus ſum Saluatoris erga hūc antiquum miniſtrum dilectionem. In crucem actus ſitit. Quod cum de Iudæis proculdubio adſtantibus quidam eum acero potare conarētur, *Cùm guſtaſſet, noluit bibere.* Matth. 27. Vt quantum poſſibile foret, Iudæos ab amariſſimi calicis propinatione remoueret. Guſtauit equidem noſtro more, num aquam offerrent, quam hauriret omninò non vti ſiti mederetur; ſed vt Iudæo calicis aquæ frigidæ propinatori cœlum deberetur.

Matth. 27.

Parœmiaſtes indixerat, *Amicum tuum, & amicum Patris tui ne dimiſeris.* Prou. 57. Hoc eſt, amicum antiquum, & ſeruum veteranum. Seruos enim Dominus appellat amicos. *Non vos dicam ſeruos, ſed amicos.* Vt conſilio Ieſus pareat Salomonis, ſeu Patris, etſi non ſemel ſe ſe dedit occaſio Iudam improbum ſeruum dimittendi, Matthiamque ſanctiſſimum admittendi: flagitia Iudæ iniquiſſimi tolerauit, corripuit. Quid plura? Cum dux eorum, qui comprehenſioni Ieſu operam nauabant, apud hortum acceſſit ad Magiſtrum nōn iam ſeruus, ſed hoſtis, inclamat Ieſus. *Amice, ad quid veniſti.* Vt oſtēderet amicum, ſeu ſeruum veteranum nullatenus à ſe dimiſſum, cum potius ille vltroneus à Dominica domo receſſiſſet. 94. *Iudam Ieſus perſeuerare curat.* Prouer. 17.

Antiquo Dei ſeruo Moyſe delinquente, ſic Deus: *Quia non credidiſtis mihi, vt ſanctificaretis me corā filiis Iſraël, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.* Num. 20. At mortuo Moſe, *Mortuus eſt ibi* (inquit Textus) *Moyſes ſeruus Domini, iubēte Domino.* Ioſ. 1. Ac ſi diceret, Nullus ſibi perſuadeat adcò me aduerſus Moyſem antiquum ſeruum meum iratū, vt eum à domo deturbarim. Mortuus eſt *ſeruus* meus, in ſeruitute occubuit, domeſticus adhuc meus obiit, imo ad præceptum meum ceſſit è vita. Quam nobilis heri proprium, de veteranis ſeruis inclamare id quod de Moſe Dominus, *Mortuus eſt* (loquor cum Caietano) *in ſtatu ſeruitutis meæ.* 95. *Minimè Moyſes dimiſſus.* Num. 20. Ioſ. 1.

Caiet.

## SECTIO TERTIA.

# SANGVINIS SVDOR.

## EX CAP. XXII. LVCÆ.

### *TEXTVS.*

*Verſ.* 44. Et factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.

### *COMMENTARIVS LITERALIS.*

### § I.

### *Quanam in oratione ſudorem emiſerit.*

1. *Non conſtat.* LITARIS Lucas mandauit orationem Ieſu, quotiens autem orauerit, quotiens ad Diſcipulos fuerit reuerſus, memoriæ non prodidit, Vndè minime conſtat, num in tribus orationibus, ab aliis Euangeliſtis adnumeratis ſudorem ſanguinis emiſerit, an verò in vna tantum, & quænam illa fuerit?

Quærimus igitur, an in tribus orationibus Chriſtus ſudorem huiuſcemodi effuderit? Reſpondent communiter Doctores ſudorem ſanguineum emiſſum à Ieſu in ſola tantum oratione 2. *An in tribus orationibus ſudarit?*

tinne tertia, atque extrema, mœrore vtrique excreſcente, atque inundante. Ego autem Ianſenij hæreo ſententiæ affirmantis Angelum confortatorem in tribus orationibus appariuiſſe. Vnde reor ob ſanguineum ſudorem Angelica conſolatione ſubleuari fuiſſe dignatum. Si ter igitur leuatus eſt, ter ſanguineum ſudorem effudit. Chriſtus igitur (vti exponit Barradius) tam in prima, quàm in ſecunda, & tertia oratione ſanguineum ſudorem effudit, præ ſummo animi angore; abſterſo autem ter ſudore ab Angelo aſſiſtente, ter redijt ad Diſcipulos.

## §. II.

### *Quotiens orat, ſanguinem emittit.*

### Vt oſtendat, orationem ex ſanguine efficacem exiſtere.

3. non de iſtis. NOn ſine myſterio quotiens orat, totiens ſanguineum emittit ſudorem, vt oſtendat orationem efficaciam deſumere ex ſanguine Ieſu. Id quod Simon de Caſſia lib. 13. adnotauit, fatus: *Sudat Chriſtus ſudore ſanguineo, vt orationem efficacem ſuprà naturam fieri omninò declaret, nec veram fieri niſi per ſanguinem Ieſu.*

4. ſum orationem Chriſti ſanguine .. Volui aſſolet quæſtio Num Adam immediatè poſt tranſgreſſionem pœnitentiam egerit? Variè reſpondent Doctores. Ego in præſenti cogor affirmare, non immediatè poſt peccatum pœnituiſſe. Ratio eſt manifeſta, quia ſi veniam deprecari debebat; & conſequi; huiuſmodi oratio efficax futura ex Ieſu admiſto ſanguine. At nondum reuelata fuerat Adamo Dominici ſanguinis effuſio vſque ad illius ſententiæ prolationem: *Ipſa conteret caput tuum.* Aliter, *ipſe.* Geneſ. 3. Vbi ad Ieſu paſſionem indicitur reſpectus. Poſt Dominicum itaque obiectum ſanguinem, poſt ſacratiſſimum muodo promiſſum liquorem, poteſt iam homo & veniam petere, & impetrare. Pulchrè Caſſi. *Orauit Adam petens indulgentiam poſt peccatum, non illicò ſed in poſterum.* Id eſt, Non illicò poſt culpam orauit; quia Domini ſanguis non ei fuerat promiſſus; ſed, poſt promiſſionem orationem effudit. *Orauerunt* (adiicit rationem) *omnes electi; ſed nullorum oratio ſine virtute ſanguinis Chriſti verum ſortitur effectum.* Proinde Saltator *in oratione ſanguinem fundit.*

Geneſ. 3.

Caſſia.

5. ſine ſanguineo oleo non tradere. Matth. 25. Orauerunt Virgines illæ per noctem, aduentante Sponſo, ſiue in nuptiali thalamo conſtituto, *Domine Domine, aperi nobis.* Queis Ieſus, *Neſcio vos.* Matth. 25. Quare non exaudiuntur? Quia ſtultæ, quia inſipientes. Vndenam (ais) inſipientes deprehenduntur? Noo equidem *ſumpſerunt oleum ſecum.* Verùm paſſim Doctores Dominicum ſanguinem, oleum iam, iam balſamum appellant. Vnde 10 olearum vetuſtæ exorans non tam malus inter ligna ſyluarum, quam arbor myrrhæ, ſiue Iolina ſuc̃tifera inter alias oſtenditur, ſeu myrrham illam primam, ſeu oleum pretioſiſſimum effundens. En Virginum inſipientia, non earum deprecatio erat Ieſu ſanguine rubricata.

6. Idcirco non potuit diues à gehenna liberationem. Luc. 16. Auguſt. *Mitte* (ait diues) *Lazarum, vt intingat digitum in aquam, & refrigeret linguam meam quia crucior in hac flamma.* Luc. 16. D. Auguſt. aſſirmat non liberationem tunc ab igne tartareo, ſed ſanguinis Dominici ſtillam expetere. Quare non ſimul petit à gehenna liberationem? Quia ſine Chriſti ſanguine ei omnino futuram inanem orationem vidébat. Quod ſi redemptio illa apud gehennam commoranti donanda fuiſſet oratione, ſalutari Ieſu ſanguine deberet intingi.

## §. III.

### *Num Ieſus verè ſanguinis ſudorem emiſerit?*

ET *factus eſt ſudor eius ſicut gutta ſanguinis.*] Sicut guttæ (inquit) ſanguinis, id eſt, ſimilis ſanguinis guttis. Annon erat ſudor ſanguinis guttæ, ſed ſicut guttæ? Euthym. *Significat Euangeliſta non quod ſanguinem ſudarit, ſed quod craſſos deduxerit Dominus ſudores.* Quem ſenſum ſic etiam reddit Theophyl. *Hoc prouerbialiter dicitur de eo, qui vehementer ſudauit, quod ſudauit ſanguinem. Volens igitur Euangeliſta innuere, quod groſſis ſudoris guttis madebat, ſumit guttas ſanguinis ad exemplum.* 7. Opinio Euthym. & Theoph reiicitur.

Sanguinis procuidubio ſudor Dominicos. Sixtus Sen. lib 5. ſect. 2. hunc ex D. Athanaſio adfert anathematiſmum. *Si quis negauerit verum hominem, quem Filius Dei aſſumpſit, ſanguinem ſudaſſe, anathema ſit.* Tanti apud Patres hæc veritas. Profectò particula *ſicut* non repugnat. 8. Verè ſudat ſanguinem.

Variè Doctores huiuſmodi particulam exponūt pro ſanguineo ſudore. Significat (aiunt) hoc loco non ſimilitudinem, ſed veritatem; quemadmodum particula: *Quaſi* veritatem ſignificat. *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti à Patre.* Ioan. 1. Vel, Factus eſt ſudor eius non ſanguis merus, ſed ſimilis craſſis guttis ſanguinis; quia ſanguini erat admixtus. Non ſolum enim (Lyrano auctore) humores per ſudorem effluebant, verum & ſanguinis ſudorem intingens. Mitto alias expoſitiones. 9. Expenditur variè à Patribus particula. Sicut.

Mea expoſitio eſt. Factus eſt ſudor eius ſanguineus, *ſicut,* ſeu ſimilis guttis, quia guttatim decurrebat. *Sicut gutta* ita vt ſanguinei ſuduris copiam innuat. *Quamuis enim* (loquor cum Caiet) *non deſcribatur ſanguis decurrens, deſcribuntur autem gutta ſanguinea decurrentes, vt multitudo earum ſignificetur.* 10. Auctoris expoſitio.

*Gutta.* Euth *Thrombi,* id eſt, *craſſiſſima gutta.* Profectò thrombus idem quod grumus, ſeu globus. Vnde apud D. Irenæum lib. 3. c. 32. legimus Chriſtum globos ſanguinis ſudaſſe. Et D. Iuſtin. dial. cum Typh. affirmat à Dominico corpore pro ſudore concretum ſanguinem defluxiſſe. 11. Quid guttæ?

## §. IV.

### *An ſanguineus hic ſudor Ieſu naturalis?*

NOnnulli negant naturalem fuiſſe. D. Hilar. lib. 10. de Trinit. *Sudorem* (inquit) *Chriſti nemo infirmitati audebit deputare, quia & contra naturam eſt, ſudare ſanguinem. Nec infirmitas eſt, quod poteſtas, non ſecundum naturæ conſuetudinē geſſit.* Gabriel. Tract. de Paſſ. art. 4. 12. Sententia negans. Hilar. Gabriel.

ex Beda. *Sanguis quidem ille naturalis fuit, ſed effuſio eius cū ſudore fuit miraculoſa; vt tali ſigno inſolito à ſæculis non audito, inſolitam anxietatis ſuæ,& doloris magnitudinem demonſtraret.* Profectò tantorum virorum venia in re tanta aliter meam ſententiam proferam.

13. *Naturalis fuit.* Naturalis equidem fuit ſanguineus ſudor ex naturali angore profectus. Indicabat ſudor ille Saluatoris angorem, qui non poterat aſpectari; angor qui indicabatur, naturalis erat: ſudoris ergo indicium erat ſimiliter naturale, & naturaliter indicabat angorem. Neque enim vires naturæ ſuperat ſudor ſanguineus, quia (vti Ariſt. affirmat) nonnulli iam ſudore cruento exundauere. Maldonatus noſter refert Lutetiæ robuſtum hominem audita ſententia capitali ſudore ſanguineo fuiſſe perfuſum. Et apud Epiſcopum Conimbr. legi in Luſitaniæ Regno fœminam mariti mortem vſque ad ſanguineas lacrymas deploraſſe.

## §. V.

*Quænam huiuſce ſudoris cauſa?*

14. *Varia ſudoris ſanguinei cauſa.* DIvvs Hieronymus lib.2.adu.Pel.Orationis vehementia. *Tam vehementer*(inquit) *Saluator orabat, vt gutta ſanguinis prorumperent ex parte, quem totum erat in paſſione fuſurus.* Gerſon.de Paſ.c.2.Gaudium. *Facile*(ait)*eſt creditu, quod cum ratio Chriſti cognoſceret ſenſualitatem eidem eſſe obedientem ad moriendum, ſuſcepit ex hoc in Deo ſingulare gaudium, & naturalem feruorem, atque vigorem, per quem totus ſenſualitatis ſanguis fuit commotus, & proceſſit ſanguinis ſudor.* Caietan.Sanguinem ſudat deficiente ſudoris materia. *Deficiente*(fatur) *aquoſitate ſanguinis quæ eſt materia ſudoris, nonnihil etiam ſanguinis emiſit. Erat enim corpus exhauſtum, & magnitudo paſſionum pellens violenter ſudorem, pepulit ſimul aliquid ſanguinis, deficiente ſudoris materia.*

Reſpondendum itaque, inauditi ſudoris cauſam inauditam Chriſti agoniam extitiſſe. Id quod Lucas ſignificat, dum ait: *Factus in agonia prolixius orabat, & factus eſt ſudor eius ſicut gutta ſanguinis.* Inde ergo factus ſudor, vnde in agonia factus. An non (obiicis) timoris eſt ſanguinem ad cor reuocare? Ergo ſanguis timentis Ieſu potius ad cor, quam ad ſudorem confluxit externum. Profectò ſanguis ad cor Ieſu vi timoris, & angoris accurrit; ſed vi obedientiæ, & amoris timorem, & angorem ſuperantis inde ad reliqua membra fuit depulſus, ſe ſeque egit in ſudorem. 15. *Auctoris ſententia.*

*Decurrentis in terram.*] Aptè in terram, quia terræ incolas homines, non Angelos aëris habitatores Chriſtus redempturus aduenerat. Siue vt verus Abel effuſi ſanguinis ſemine terram fœcundaret, vti illa martyres parturiret. 16. *In terram quare ſudor decurrit.*

---

# IN IESVM PATIENTEM APVD HORTVM.

# Panegyricus tertius Moralis circa Literam.

## EX SVDORE.

## *OBSERVATIO I.*

**Ad illa verba:**

***Et factus eſt ſudor eius ſicut gutta ſanguinis.***

Quælibet Dominici ſudoris guttula ſanguinis globus, globo mundiali ſufficiens:

*Sed vni homuncioni præſtatur.*

17. DIvvs Irenæus ſanguineas has ſudoris guttas *globos ſanguinis*, appellauit. Appoſitè equidem quæuis ſanguinis guttula globus vocatur, vt ex forma virtus innuatur ſanguinis pretioſiſſimi. Etenim vel guttula toti orbi terrarum ſufficiebat.

18. *Ex tunica Pontificia confirmatur.* Exprimit hoc pulchrè tunica Pontificia, quæ (Doctoribus atteſtantibus) Chriſti humanitatem referebat. Profectò tota erat ex orbiculis (quos aptè compellarim ocellos) innumeris elaborata, & contexta. Ac ſi orbiculi huiuſmodi poſſis vniuerſi Dominici corporis reſponderent. Vti ſcilicet guttularum orbes innuerent ſe orbes innumeros redimendos deſiderare. Nec aliud exprimunt mala punica *deorſum ad pedes tunicæ per circuitum* appenſa. Exod.28. Vti videlicet guttularum orbes decurrentes in terram pluribus orbibus terræ malis punicis deſignatis *diluendis* inſumerentur. Exod.28.

Hinc

19. *Copioſa redemptio.* Pſalm. 126. Hinc Vates; *Apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio.* Pſalm. 129. Copioſa, inquam, id eſt, ſuperabundans, quia pluribus vniuerſis orbibus ſufficiebat. Fluit ſanguis è Dominico corpore, qui quidem pluribus vniuerſis exundat. D. Innocentius: *Aſperſio ſanguinis eius* (exponit verba illa: *Copioſa apud eum redemptio*) *abundanter effuſi ad plenam redemptionem ſufficit pluribus vniuerſis.* Non modo vni vniuerſo, ſed vniuerſis omnibus. Id eſt, innumeris orbibus, qui quidem diuina queunt excitari potentia.

20. *Ad orbes poſſibiles ſanguis Domini recurrit.* Cant. 5. Rupert. Phil. Vnde, quia mundi non adſunt actualiter, vbi tantum pretium impendi poſſit, ad orbes poſſibiles, id eſt, qui diuina poſſunt excitari potentia, globuli guttarum ſanguinis accurrūt; vt ad orbes innumeros ſaltem poſſibiles innumeratum orbium guttularum pretium quodammodo extendatur. Manus cœleſtis Sponſi ſic ab anima fideli commendantur. *Manus eius tornatiles aureæ, plena hyacinthis.* Cantic. 5. Vbi Rupert. Diuinitatem, ſeu potentiam diuinam, manibus deſignatam aureis, tornariam appellat, quæ omnia opera ſua ſphærica perficit. Ipſe *Deus erat, & eſt antiquus tornator, qui tornauit cœlum & terram, & ſphærica Solis & Lunæ, cunctarumque ſtellarum corpora torno ſuo.* Aureas autem ait eſſe manus huiuſmodi, quia diuinæ; quia potentiſſimæ ad innumeros orbes patrandos. Iam expono verba illa: *Plena hyacinthis.* Ad quem locum Philo Carp. *Per manus plenas hyacinthis ſiue Tharſis, poſſeſſionem oſtendit.* Hyacinthi ergò ſanguis Ieſu, & è manibus perforatis, & è capite ſpinis compunctò, & è corpore flagellis vulnerato, & è ſanguineo ſudore effluens, ex ſententia Doctoris. Cur ſanguis Dominicus appellatur *Tharſis?* Quia (eodem auctore) *Tharſis* orbis eſt gentilium Domini ſanguine lucratus. Aptius dixeris, quia ſi *Tharſis* orbis, guttæ ſanguinis Chriſti orbis ſpeciem teferunt, Nam cum diuini illius Tornarij opus ſint, non poſſunt non ſphærica figura deſignari. His poſitis, ad quæſtionem adduco D. Ambroſij lectionē: loco namque illius: *Manus eius tornatiles aureæ*, legit *Orbes aurei*. Id eſt, in potentia diuina adſunt orbes aurei, ſiue orbes poſſibiles in increata ea eſſentia, qui in manu, aut potentia conditoris reſident. Quare igitur ſi guttæ ſanguinis Ieſu ſphæricæ, nō velocitet currunt ad orbem actualem, ſed in potentiæ diuinæ manibus continentur? *Plena hyacinthis.* Quia paruus eſt, & exiguus creatus orbis tot tantiſque ſanguinis orbibus pretioſiſſimis. Vnde ſanguinis orbes innumeri ibi gaudent reſidere, vbi à potentia diuina, tornaria ſcilicet, poſſunt innumeri alij orbes ad lucem vocari; vt poſſibilibus innumeris orbibus ludant innumeri ſanguinis orbes.

21. *Pro vnico homine totus effunditur.* Pſalm. 129. Carth. Hinc colligo Dominici ſanguinis mirabilē munificentiam, qui quidem innumeris orbibus ſufficiens, vni orbi, imò populo vni redimendo impendi dignatur. Vnde Dauid, *Quia apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio.* Copioſa redemptio, quia (vt oſtendimus) innumeris vniuerſis, ſiue orbibus ſanguinis pretium erat ſufficiens. Mox adiicit; *Et ipſe redimet Iſrael.* Pſalm. 129. Expono ex Carthuſiano. Tam eſt miſericors, vt copioſam redemptionem, ſiue infinitum ſanguinis pretium, quod innumeris orbibus erat ſufficiens, ſic Iſraelitico populo, imò vni ex fidelibus applicat, ac ſi in vnico homine omnes poſſibiles orbes continerentur.

22. *Damnat ingratos.* Gen. 4. Proh ſudorem ſanguineum decurrentem *in terram!* Quàm taxas ingratos! Sanguis olim Abel vocum damnabat clamitans effuſorem. Gen. 4. Effuſus ex ſudore ſanguis Ieſu pro omnibus, omnes damnat ingratos. *Melius inclamare* ſanguinem Chriſti, *quam Abel*, Paulus affirmat, Quia ſanguis Abel clamabat vindictam, ſanguis autem Dominicus veniam inclamat, Patribus atteſtantibus. Id quod de ſanguine ex vulnerato corpore effluente expono. At ſanguinis guttæ vltroneè decurrentes *in terram* ante clauos, flagella, ſpinas, & cuſpidem, contra omnes ſpeciatim inclamant ingratos, Pulchrè Simon Caſſian. citat. *Sanguis primi hominis iuſti ad Deum contrà fratricidam clamabat de terra. Et ſanguis Chriſti orationis* (ſeu in oratione apud hortum effuſus) *profuſus ad terram, contra omnes ad Deum clamat de terra. Igitur væ ingratis.* Simon de Caſſ.

23. *Ideo eſt talentum in ſudario.* Si ſanguis orationis Ieſu prò omnibus in terram effuſus contrà omnes inclamat, quid non artubus contremiſcat vouſquiſque peccator in ſudore Ieſu ſibi totius orbis, imò infinitorum orbium poſſibilium pretium accipiēs? Princeps noſter ſui pretioſi ſanguinis talenta omnibus, & ſingulis diſtribuit. Qui vnum accipit talentum huiuſce ſanguinis pretio, ac valore donatur. Repoſitum igitur tanti ſanguinis pretium *in ſudario* ſine fructu teſeruans Domino teddit, à quo mitti in tartara imperatur. Luc. 16. Quare? Quia *Non fatui eſt* (loquor cum Arnol. Carnot. de verb. Dom.) *acceptum in ſudario repoſuiſſe talentum, niſi negotiatione ſeruue reuertatur cum lucro.* Talentum in ſudario, ſiue in ſudore Dominico acceptum reponis? ſepeliſ? obliuioni commitis? Vereor, ne ſudore ſanguineo inclamante, detrudaris ad tenebras. *Væ ingratis.* Luc. 16. Arnold.

## OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

### *Et factus eſt ſudor eius, &c.*

### Ex ingenti patiendi gaudio ſanguinis hic ſudor duxit exortum.

*Vbi de lætitia patiendi pro Deo.*

24. Geiſ. VNDENAM *factus ſudor* huiuſcemodi tam inauditus? Ex Gerſone tradidimus cauſam gaudium extitiſſe, quo ſub proxima paſſione, mundique redemptione afficiebatur. *Cum cognoſceret* (inquit) Ieſus *ſenſualitatem eidem eſſe obedientem ad moriendum, ſuſcepit ex hoc in Deo ſingulare gaudium, & proceſſit ſanguinis ſudor.*

25. In cuius ſententiæ confirmationem duplex menti

*Sudat, qui conſolationē accipit.* Vazq. menti meæ nbiicitut indicamentum. Prius quidem ex Gabrielis Vazq. 3. p. q 11. diſt. 59. ſententia collıgi. Affirmat enim Chriſtum ab Angelo eoofortatum ante ſudotem: imò poſt colloquium, & confoıtationem Angeli dolorem, & agoniam creuiſſe. Id quod ex Luca facile deduco. *Apparuit illi Angelus de cœlo confortans eum; & factus in agonia, prolixius orabat, & factus eſt ſudor eius, &c.* Vt ſe videt Ieſus conſortatum, ac roboratum, ingentiori agonia immergitut, vnde ſudor ſanguinis inauditus. Quorſum hæc? Profectò is erat Ieſu patiendi pro hominibus affectus, vt eum primùm ſe ſe roboratum, ac conſolatum videt, huiuſmodi conſolatio efficit, quod angor ipſe non præſtiterat. Vnde conſolatio aggrauat angorem, ſanguineique ſudoris fons amarus exilit. Illud nempe minus pari, inauditæ paſſionis materiam Ieſu miniſtrabat.

26. *Orat vt ſāguis cum dolore effundatur.* Caſſia. Poſterius autem ex his verbis elicio: *Factus in agonia prolixius orabat, &c.* Vbi huiuſmodi Simon Caſſian. pulchrè excitat quæſtionem. *Mens mea* (inquit) *ſemetipſam cogit inquirere, ſed non poteſt, tamen ſcire peroptat, ſi, an orabat prolixius, quia ſanguis exibat; an ſanguis effluebat ex corpore, quia prolixius, & vehementius orabat?* Non ſoluit Pater. Aſt ego exiſtimo Chriſtum prolixius ac vehementius orauiſſe, quia ſanguis exibat, quem miſericordiæ affectu ſiſti curabat. Quare? Quia vltroneus ille ſanguinis curſus. Vnde patiendi anxius, prolixius orat, vt curſus velociter decurrentis ſanguinis retardetur, violentiæ flagellorum, clauorum, ac ſpinarum reſeruandus.

27. *Quaſi impoſſibile Ieſū crucē non habere.* Matth. 27. Enimverò quam plena gaudio tormenta Ieſu vlterius oſtendam. Iudæi Chriſtum cruci ſuffixum precabantur. *Si Filius Dei eſt, deſcendat de cruce.* Matth. 27. Imò & Principes Sacerdotum & Scribæ ad poſtulata adiciunt promiſſa. *Deſcendat de cruce, & credimus ei.* Ibid. Num verè Iudæi promittebant, ſe conuertendos, ſi Ieſus deſereret patibulum? Minimè. Quare igitur huiuſmodi conditionem appoſuere? Heus ſtulti, ſi è cruce deſcendit, vos efficiet ſtare promiſſis. Profectò iam conſtabat induratis Iudæis ſe ſe rem difficilem, imò impoſſibilem quodammodo poſtulaſſe. Nihil enim difficilius, quam Ieſum à clauis, à cruce, à doloribus, à vulneribus ſeparari.

28. *Hæc impoſſibilitas ponderatur.* Nonne homini iuſto, ac cordato impoſſibile quodammodo, ſe ſe dare è montis vertice præcipitem? Tam igitur impoſſibile Chriſtum tormenta fugitare. Olim diabolus Chriſto intendens ſuadere, ac perſuadere præcipitium. Matth. 4. *Mitte te deorſum.* Matth. 4. Ad quem locum legi apud Patres inſipientiæ incuſandum dæmonem, qui hominem, quem Deum ſapientiſſimum ſuſpicabatur, ad præcipitium allicere intenderet. An non impoſſibile ſapientiſſimo Filio Dei præcipitem ſe ſe è monte dare? Quis dubitet? Æquè quidem, auctore me, impoſſibile, Ieſum ab occaſione patiendi ſeparari. Imò ſeparatio hæc à paſſione, Ieſu quaſi præcipitium exiſteret. *Si Filius Dei eſt, deſcendat de cruce.* Matth. 27. Ac ſi dicerent. *Mitte te deorſum.* Tantundem enim Saluatori non pati, quam præcipitari. Ad hæc appoſitè Chryſoſt. Chryſoſt. apud D. Th. *Conſidera autem nunc vocem filiorum diaboli, quomodo imitantur vocem paternam Diabolus enim dicebat, Mitte te deorſum, ſi Filius Dei es. Et Iudæi dicunt, Si Filius Dei es, deſcende de cruce.*

An non inacceſſus Caluariæ mons, vbi Dominus fuit immolatus? Porrò tam promptus ad paſſionem, ac ſi ad rem facilem duceretur. Typicè olim de vitulæ oblatione ſic: *Tollent vitulam de armento, quæ non traxit iugum, & ducent eam ad vallem aſperam, & cædent in ea ceruices eius.* Deuterom. 21. Si vallis, quomodo aſpera? Aſpera, id eſt, decliuis vocitatur. Vt illud ipſum aſcendere ad Caluariæ verticem, idem ſit voluntariè morituro, ac ſi decliuem vallem deſcenderet. Quare aſcenſus tam facilis Ieſu? Quia ad accliuem montem aſcendit, quaſi non hominum, ſed propriæ ſtuderet vtilitati, ſeu voluptati incumberet, ac lætitiæ. Ideo inclamat, *Vadam ad montem myrrhæ.* Cant. 4. Septuag. *Vadam mihi ad montem myrrhæ.* Facilis mihi accliuis aſcenſio verticis, quia *mihi* aſcendo, meę ſtudeo lætitiæ. Sic Ieſus ſuum ad paſſionem affectum exaggerat. 29. *Tam Ieſus gaudet paſſione, quam ſi propria vtilitati vacaret.* Deut. 21. Cant. 4.

# OBSERVATIO III.

## Ad illa verba:

## *Et factus eſt ſudor eius, &c.*

## Inauditus hic ſudor ignei amoris effectus.

*Vbi de vera dilectionis indicamentis.*

VERIVS dixeris ex amoris æſtu ſanguineum effluxiſſe ſudorem. Quod quidem Simon Caſſia. affirmat, fatus: *Sudat ſudore ſanguineo, vt ſuprà naturam communem hominum ſuum dicat eſſe amorem, quando aquam in oratione pro omnibus fudit, & ſanguinem.* 30. Caſſia.

Proxima hæc verba in primis ponderanda ſunt: *Aquam pro omnibus fudit, & ſanguinem.* Poſt obitum Saluatoris è percuſſo latere aqua fluxit & ſanguis. *Exiuit ſanguis & aqua.* Ioan. 19. Ac ſimul ſunt Eccleſiæ Sacramenta profuſa. Eccleſiaque ſponſa arctiori Ieſu charitatis vinculo adſtringitur. Profectò ſanguis & aqua tum temporis ſine doloris ſenſu prodiere. At Ieſus non patiens Eccleſiæ vtilitati ſine adhibito labore ſtudere: apud hortum ex agoniæ vehementia quaſi præueniens ſine dolore vulnus, *aquam* (ait ille) *pro omnibus fudit, & ſanguinem.* Nec enim ardenter amat, qui ſine exhibito labore beneficia præbet. 31. *Effudit aquam, & ſāguinem cum dolore pro effudendo ſine dolore in cruce.* Ioan. 19.

Quid ſi oſtendero, ideò ſanguineo ſudore fuiſſe perfuſum, quia mors nimium tanto amatori differebatur? Id exprimunt verba illa: *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor, donec perficiam?* Luc. 12. Ex huiuſcemodi coarctatione expreſſus ſudor inauditus: *Sciens Ieſus, quia venit hora eius, vt tranſeat.* Ioan. 12. *Venit hora.* Non iam inſtat? præſens non eſt? *O quomodo coarctor!* Sudorem igitur ſanguineum emittit ex agonia, qua afficitur, dum iam iam paſſioni proximus, cognoſcit io proximum diem 32. *Sudat, quia nimiū mors differebatur.* Luc. 12. Ioan. 12.

dicm mortem ſuam eſſe differendam. Perpulchrè idem Caſſia. *Sudat Chriſtus morte vicina, quia ventura in craſtinum.* Plus enim afficimur proximi optatuum allequutioni, ex paruula mora intericcta.

33. *Quodammodo moritur ante crucem.* Vis aperiam huiuſcemodi feſtinationem? Quia mors in diem proximam differebatur, amor Ieſu adinuenit, quonam modo pridiè (ſaltem figuratiuè) moreretur. An non ſanguis hominis vita? Sanguinem igitur emittit, vti quodammodo vita profundatur. Elegaoter

Caſſian. id illuſtrat Caſſianus: *Signum erat ſanguis decurrens in terram profuſionis animæ Chriſti. In ſanguine enim dicitur eſſe vita.*

34. *Vult à ſe calicē tranſire. Matth. 26.* Iam orationis Dominicæ difficilem feſtinationem rimari licebit. *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat a me calix iſte* Matth. 26. Nil opus flagellatio, claui, ſpinæ, crux, milites. Ego me angore intus extràque vulnerabo, vitamque cum ſanguine effundam. *Tranſeat a me*, non à clauis, cruce, militibus vita mea egredi à corpore compellatur.

35. *Voluntatis ſudor. Caſſian.* Quod ſi, quod voluntarium eſt, magis ſapit charitatis affectum, effuſio ſanguinei ſudoris tota eſt voluntaria, totaque index voluntatis. *Sudat* (adhuc Caſſianus) *Saluator ſudore ſanguineo, voluntariè illum ſcaturiens fundendum ſanguinem ex verberibus, clauis, lancea, præfigurans. Vt oſtendat, totum eſſe voluntarium, quod agebat* Illa ponderanda: *Voluntariè, & præfigurans.* Ac ſi diceret, Sicut voluntariè hunc profundo ſanguinem: ſic reliqua voluntariè, de amantis more, tormenta ſuſtinebo.

36. *Cor Ieſu diffluit. Pſalm. 21. Iuſtin.* Quodnam denique perſpicacius amoris documentum, quam cor, inſtar ceræ, liquari? An non *factum eſt cor* Ieſu charitatis flammis accenſi, *ſicut cera liqueſcens?* Pſalm. 21. Vbi D. Iuſtin. dial. cum Tryph. in hunc morem: *Sudor Chriſti, inſtar concreti ſanguinis, deſtuebat: quod ſcilicet cor eius contremiſceret, eiuſque oſſa pari modo. Et cor eius ſimile eſſet ceræ, quæ liquore defluat.* Sic ille.

## OBSERVATIO IV.

Ad illa verba:

*Decurrentis in terram.*

### Vniuerſum Eccleſiæ corpus Ieſus ſudore ſanguinis diluebat.

*Tam pretioſam puritatem conſeruare procura.*

Divvs Bernardus Serm. 3. de Ram. ſuper hæc: *Decurrentis in terram, Vſque tertio* (inquit) *factus in agonia orabat. Vbi quidem non ſolis oculis, ſed quaſi membris omnibus fleuiſſe videtur: vt totum corpus eius quod eſt Eccleſia, totius lacrymis corporis purgaretur.* 37. Bernard.

Iam aqua, imò Chriſti ſalutifer ſanguis decurrit ad te ſitim, vt requirat aridam. Annon ſtultus Paralyticus, qui requiſitus non curat, ſine (vt verum dicam) non permittit inueniri? Ioan. 6. Appoſitè D. Bernard. ſer. de vite. *Stulte, ecce* (inquit) *oleum Ieſu. Quid tibi cum aqua? Si vis recipere ſanitatem, ecce fons vitæ miſericordiæ, in quo te nullus prohibet baptizari.* 38. *Piſcina ſudor Ieſu.* Bernard.

Haud igitur tibi indigenti opus hodie requirere piſcinam, ſed excipere ad te decurrentem. Expreſſit elegantèr Salomon in Epithalamio. *Manus eius* (inquit Sponſa) *tornatiles.* Cant. 5. Vbi Rupert. velocitatem decurrentium beneficiorum egregiè expendens, fatur: *Quis torno operatur, facilius, ac citius operatur. Sic iſte dilectus.* Teſtor ſanguinis globos (vti loquar cum Irenæo) orbiculi velocitate decurrētes in terrā. Iam reſpondet Sponſus: *Vmbilicus tuus crater tornatilis, numquam indigens poculis.* Cant. 7. Ac ſi diceret, Numquam terra cordis humani poculis indigebit, ſi tornatilis ſit, hoc eſt, ſi decurrat ad ſanguinem decurrentem. Aptius dixerim, os auerſum à voluptatibus ad excipiendum decurrentem ſanguinem conuertat. 39. *Excipe decurrentem.* Cant. 5. Rupert. Cant. 7.

Enimverò oportet ad huiuſcemodi ablutionem Dominicum ſanguinem oculorum fidelis lacrymis admiſceri. Ideo Bernard. cit. totius Eccleſiæ corporis, veluti oculis, ſanguinem affirmat profluxiſſe. *Vbi quaſi membris omnibus fleuiſſe videtur.* Vti videlicet ſanguinis guttæ à myſticis fidelium oculis effluentes, ſimul eliciant lacrymas peccatorum; queis quidem permixtus Dominicus ſudor maculis peccati noſtri diluendis impendatur. 40. *Sanguinem lacrymis admiſce.*

Id quod præſtitit olim Magdalena: *Stans retrò, lacrymis cœpit rigare pedes eius; & capillis terſit.* Luc. 7. Quare pedes lacrymis irrigabat? Num vti germen ſalutis exurgeret? Profectò, vti ſudor Ieſu lacrymis peccatricis immixtus ſibi exiſteret ſalutaris. D. Ambroſ. cat. D. Tho. *Lacrymis lauit pedes, terſit comis, vt per eas ſibi aſſumeret ſacros ſudores.* Illud pondera: Vt *per eas.* Poteſt enim referri particula: *eas* & ad comas, & ad lacrymas. Aſſumit itaque ſibi Magdalena per lacrymas *ſacros ſudores.* Sudor enim Ieſu lacrymis noſtris immixtus nobis ſalutaris exiſtit. 41. *Magdalena fit.* Luc. 7. Ambroſ.

 SECTIO

SECTIO QVARTA.

# OSCVLVM IVDÆ.

## EX CAP. XIV. MARCI.

## *TEXTVS.*

*Verſ.* 44. Et cum veniſſet *Iudas* ſtatim ad eum ait: Aue Rabbi. Et oſculatus eſt eum.

## *COMMENTARIVS LITERALIS.*

### § I.

### *Quare ſigno fuerit vſus ad Chriſti traditionem?*

1. *Duæ formæ in Chriſto.* Orig. Chryſoſt.

ET *cum veniſſet Iudas.*] Quid ſigno opus fuit, cùm tam notus Chriſtus omnibus eſſet? *Qui enim tradidit eum, dedit illis ſignum, dicẽs: Quemcumque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum.* Matth. 26. Reſponder Origen. ex antiqua traditione: *Non ſolum duæ formæ in Chriſto fuerunt, vna, ſecundum quam eum omnes videbant: altera, ſecundum quam transfiguratus eſt coram Diſcipulis; ſed etiam vnicuique apparebat ſecundum quod fuerat dignus. Propter huiuſmodi ergo transfigurationes eius ſigno indigebant.* Chryſoſt. aliter, *Signum* (inquit) *eis dedit, quia multoties detentus ab ipſis pertranſiit, neſcientibus eis; quod & tunc factum eſſet, ſi voluiſſet.* Porrò Origenis ſententiam non probo, quia nullius fundamenti: nec Chryſoſtomi, quia ſi Ieſus tam faciliter ex eorum manibus dilabi poterat, cuiuſnam exiſteret vtilitatis ſignum?

2. *Auctoris ſententia.*

Sequor igitur Theoph. aſſerentem ideò Signum adhibitum fuiſſe, quia maior pars eorum, qui ad comprehendendum Chriſtum venerant, milites fuère, id eſt, gentiles; qui quidem Ieſum non aſſolebant audire, vt potè à Iudæorum religione alieni.

3. *Leontij opinio improbatur.* Chryſoſt. Cyrill. Theoph.

Exiſtimat Leontius Chriſtum ſuâ tunc poteſtate feciſſe; vt non ſolùm milites; ſed nè Iudas quidem ipſe tandiù cum eo verſatus, ipſum agnoſceret. Quem Chryſoſt. Cyrilli, & Theophylacti ſententia roborat. At (quidquid ſit de militibus) cognitum à Iuda Chriſtum ideò cogor affirmare, quia *ſtatim ad eum, ait: Aue Rabbi, & oſculatus eſt eum.* Cognoſcebat igitur quem oſculabatur.

### §. II.

### *Quare potius oſculi vſus eſt ſigno?*

4. *Duplex opinio.*

DVas refert Orig. opiniones. Vnam, *Voluit reuerentiam ad Magiſtrum ſeruare, non audens manifeſtè in eum irruere.* Alteram, *Timens, ne ſi fortè ſe manifeſtum aduerſarium præbuiſſet, ipſe eis fieret cauſa euaſionis, cum poſſet ſecundum opinionem eius effugere, & facere ſe imperuium.* Ipſe autem ſuam exhibens ſententiam adiicit: *Ego autem puto, quod omnes proditores veritatis amare veritatem fingentes, oſculi ſigno vtuntur.*

5. *Auctoris placitum.* Luc. 7. Beda. Hieron.

Nos verò opinamur, Iudam ita ſignum exhibere voluiſſe Iudæis, aut militibus, vt quâ re Chriſtum eis prodebat, eadem Chriſtum ſuam celaret proditionem. Non equidem celaſſet, ſi inuſitatum ſignum tradidiſſet. Erat autem vſitatum, vt oſculo ſe Iudæi, præſertim inferiores ſuperiores, ſalutarent. Ideò queritur Ieſus apud Phariſæum, *Intraui in domum tuam, oſculum mihi non dediſti.* Luc. 7. Num putabat miſer Proditor poſſe ſe ſcelus ſuum Chriſto occultare? Ita planè. Nec enim verè in eum crediderat; ſed (Beda, & Hieron. auctoribus) omnia miracula illius, quæ viderat, magicis artibus tribuebat.

6. *Rabbi duplicitur.*

*Aue Rabbi.*] Signum itaque datum militibus, præbuit apud hortum Iudas. Vbi ingreditur locum ſibi notum mox acceſſit, ſeu potiùs irruit in Magiſtrum, & oſculo quaſi vulnere inflicto, ait: *Aue Rabbi.* Apud Marcum Græcè legimus nomen *Rabbi* duplicaſſe *Aue Rabbi, Rabbi.* Quare? Caietan. *In ſignum maioris reuerentiæ, & affectus; vt perfecta eſſet ſimulatio.*

7. *Quenam hæc ſalutatio.* Luc 22. Cyril.

At apud Matthæum, *Salue,* (ex Græco) gaude, *Rabbi.* Quam appoſitè! Inde enim Ieſu ingens gaudij, & exultationis ſeges, vnde ſuo ſanguine totum redimit orbem. Quod ſi peccatum confitereris, gaudiũ prorſus adaugeretur. *Gaudium* enim Deo *ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.* Luc. 15. Ideo Ieſus inclamat, *Iuda oſculo Filium hominis tradis?* Ad illa verba: *Ecce turba, & qui vocabatur Iudas.* Luc. 22. D. Cyril. fatur: *Dicit, Qui vocabatur Iudas, quaſi nomen eius habens exoſum.* Quare igitur Ieſus hoc inuiſo ſibi vocabulo vtitur? Profectò vt innuat vndenam verè gaudio eſſet perfundendus. Iudas enim ſonat confeſſionem. Ac ſi diceret, Me gaudere iubes? Gaudium meum plenum omninò, ſi poſt traditionem crimen confitearis.

# IN IESVM PATIENTEM APVD HORTVM.

# Panegyricus quartus Moralis circa Literam.

## EX IVDÆ OSCVLO.

## *OBSERVATIO I.*

Ad illa verba:

*Et cum veniſſet ad eum, ait, Aue Rabbi.*

Stultè Iudas conatur diſſimulare proditionem.

*Vbi de ſtulto peccatore, cuius inſcitiæ pœna æterna reſpondet.*

8\. VIDIMVS Iudam conatum eſſe ita militibus Ieſum manifeſtare, vt ſimul, oſculo præmiſſo, ſuam Ieſu abſcorderet proditionem. Id quod ſtultè Iudas architectatus eſt. Quonam modo enim ſe ſe amicum poſſet oſtendere, qui cum hoſtibus Chriſti inibat ſocietatem? Ad hæc Theophylact. (Theoph.) *Vide eius inſenſibilitatem? Quomodo credebat in oſculo Chriſtum decipere, vt quaſi amicus æſtimaretur. Si amicus eras, ô Iuda, cuius gratia* (ſiue quare) *cum inimicis acceſſiſti? Sed omnis prauitas ſine prouidentia eſt. Vtinam ſaperes, ac nouiſſima prouideres.* Profectò ob reſpectum ad carmen Dauidicum oſtendam peccatoris inſenſibilitatem, & ſtultitiam ex pœna, quæ illi in nouiſſimo reſpondet.

9\. *Virgines imprudentes æternũ cruciat ſtultitia.* Stultæ Virgines illæ abſque prouidentia præparandi olei curam neglexère. Quarum profectò ſtultitiam Dominus oſtendit, dum ait: *Amen dico vobis, neſcio vos.* Matth. 25. Illud pende: *Neſcio vos.* Defectuſne artis, aut ſapientiæ apud Deum? Minimè. Attamen exiſtimo inſcitiæ vocabulum à Domino vſurpatum eſſe, vt æternùm miseræ mente voluentes verbum illud: *Neſcio vos*, propriæ recordarentur inſcitiæ, vnde horribilius torquerentur.

10\. *Et diuite m.* Luc. 16. Confirmo ex Diuite malè prouido audiente: *Stulte, hac nocte repetent animam tuam à te.* Luc. 16. Miſero æterna tunc pœna annunciatur! Stultus autem appellatur à Deo, vt æternùm ſtultitia interminabili ſtultitiæ conſideratione, & obiectu puniatur. D. Baſil. (Baſil.) hom. in diu. *Audi miſer, te dignam appellationem. Stulte, hac nocte animam tuam abs te repetent. Superat æternam pœnam irriſio hac ſtultitia.*

11\. *Peccator bellua belluina torquetur inſcitia.* Belluarum nomina peccatoribus ſacra in Pagina accommodantur; *Iumenta* appellat Dauid. Pſalm. 48. *Serpentes*, ſeu *Viperas* Baptiſta. Matth. 3. *Equos* Ieremias. Cap. 5. *Vulpes* Salomon, Cantic. 20. Per peccatum enim ſtultus delinquens ab humanitate, ſeu rationalitate recedens, ad belluinam inſcitiam declinauit. Vnde ſupplicium Dominus illaturus, peccatori molam alligat aſinariam in profundum barathi demergendo. Vti ſcilicet æterna inſipientiæ conſideratione in rota, ſeu rotata interminabilitate torqueatur. D. Ambroſ. in Pſalm. 118. (Ambroſ.) ad hæc: *Poſtquam peccaſti, aliud eſſe cæpiſti;* (*Scriptura* enim paulo ante *peccantem non hominem, ſed ſerpentem, aut equum, aut vulpeculam, aut iumentum vocare conſueuit*) *& illud, quod eras eſſe deſiſti. Condemnaris autem in eo, quod ipſe mutatus es.* Vti ſcilicet inſcitiæ torquearis obiectu.

12\. *In morem pecudis viuentes pecudes in inferno.* Facilis iam Dauidici carminis ſenſus: *Sicut oues in inferno poſiti ſunt.* Pſal. 48. (Pſalm. 48.) Annon oues iuſtorum ſimulacrum? Quare igitur ſicuti oues peccatores in inferna detruduntur? Ad eos credo dirigere ſermonem Vatem, qui ſub ouili veſtimento lupos rapaces imitantur, qualis Iudas, qui ſimulata ouis manſuetudine, Saluatorem deoſculatur, quem crudeliter dilaniare contendit. Cuius improuidentiam & ſtultitiam ſupplicium manifeſtat. *Sicut oues* enim, ratione vtique carentes, in inferno collocatus eſt. Ad quem ſenſum me Chryſoſt. (Chryſoſt.) adduxit fatus: *Sicut bruta vixerunt. Sicut bruta pereunt.* Siue numquam deſinunt deperire pecudum inſcitiam imitati.

13\. *Laqueus dæmons illigantur.* Alibi Vates: *Ipſe liberauit me de laqueo venantium, & à verbo aſpero.* Pſal. 90. Num beſtiæ ſunt laqueo venatorio illigandæ? Ita plane. Omnis enim peccator brutali laborat ſtultitia. Pulchrè D. Bernard. (Bernard.) hic ſerm. 3. *Quid ſuperbis ô homo? Quid te ſcelum ia̅ctas? Vide, quia beſtia factus es, cui venanda laquei præparantur.* At vero in laqueum incidit, quando æternis tormentis traditur. Vnde addidit, *& à verbo aſpero.* Ad quæ idem pater: *Væ tibi* (inquit) *popule ſtulte. Nec liberari vis de laqueo venantium: nec à verbo aſpero poteris liberari.* Quodnam aſperum verbum? An illud: *Diſcedite maledicti?* Non improbo. Attamen aſperum verbum ſtultitiæ vocabulum, *Popule ſtulte.* Laqueis enim, in morem brutorum, peccatores conſtituti in inferno illigabuntur.

14. Putaſne ſolis homioibus huiuſcemodi calamitatem imminere? Certè Angeli æterno brutalitatis, ac ſtultitiæ obiectu, ac conſideratione cruciabuntur. *Sanguinem* (inquit Dominus) *animarum veſtrarum requiram de manu omnium beſtiarum.* Geneſ.9. Vbi Rupert. *Nomine* (inquit) *beſtiarum maligni ſpiritus intelligendi ſunt.* Quare in inferoo collocari dæmones beſtiarum deſignantur appellatione? Quia (auctore me) delinquentes ex Angelico celſo admodum intellectu ad ſtultitiam deuiarunt. Hinc Iob, *In Angelis ſuis reperit prauitatem.* Cap 4. Hebr. *Reperit ſtultitiam.* Reſpondens igitur peccato æterna ſtultitiæ conſiderationis pœna, apprimè peccatorum ſtultitiam, atque improuidentiam manifeſtat: *Omnis namque prauitas* (Vti Theophylactus aiebat) *ſine prouidentia eſt.*

*Angelis nunc bellua, quia ob crimen ſtulti.* Gen.9. Rupert. Iob 4. Theop.

## OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

### *Et cum veniſſet ſtatim accedens ad eum, ait.*

### Statim reprobus Iudas irruit in oſculum illico damnandus.

*Agiles enim ad flagitia ſignum præſeferunt damnationis.*

15. MARCVS *ſtatim* Iudam ad Dominum accurriſſe ait, Matthæus etiam *confeſtim* acceſſiſſe affirmat. An non ô Iuda, debebas è tantæ innocentiæ Ieſu, vel è tantæ tuæ nocentiæ obiectu retardari? Non fugiet milites vincturos; qui vinciendus approperat: *Surgite eamus.* Proh damnandi pronitas, facilitas ad flagitium!

16. Quam verè Dauid! *In circuitu impij ambulãt.* Pſalm. 11. Cur in circuitu Impij dicuntur ambulare? Num quia in itinere non proficiunt, ſed eodem ſemper redeunt? Sic Caſſiod. Num quia ſemper anxietate interminabili circum aguntur? Ita Gregor. Ego autem circuitus, ſeu totæ metaphora ad delinquendi facilitatem refero. Vti enim Rupert. ad Cant. 5. ad illa verba: *Manus eius tornatiles.* Cant. 5. profabatur: *Qui torno operatur, facilius, ac citius operatur.* Huiuſmodi itaque facilitati deliquendi æterna imminet ruina. Facilis ad peccandum es? Statim obiecto menti crimini aſſenſum præbes? Perſpicuum obiciis documentum, te nunquam quiete potiturum. Strab. ſic.

*Ad crimen faciles, properi ad damnationem.* Pſal. 11. Rupert.

17. Pondera, obſecro, Angeli excidentis in patrando crimine agilitatem. In vno (v.g.) inſtanti creatus, in proximè ſequenti inſtanti rotato curſu à voluntate diuina deuiauit. Vnde circuit in æternum: *Circuiui terram.* Iob. 1. Quare æternus Satanam circulus circumuoluit, & horribiliter diſcruciat? Quia tanta facilitas in delinquendo huiuſmodi erat pœna flagellanda. Pulchrè D. Gregor. *Satan laborans circuit, quia quietus in cæli culmine ſtare contempſit.* Huiuſcemodi enim facilitate ad flagitia accurrens peccator plerumque à via excidit ſalutari.

*Diaboli agilitas delinquentis.* Iob 1. Gregor.

*Beatus* (rurſum Vates) *vir, qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum nõ ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit.* Pſal. 1. Vbi Caſſiod. *Conſiderandus eſt ordo verborum, Abiit, ſtetit, ſedit. Abiit enim homo, cum receſſit à Deo. Stetit, cum delectatus eſt peccato. Sedit, cum in ſua ſuperbia confirmatus, redire non potuit*, inquam, *in ſua ſuperbia.* Illud expende: *Qui non abiit.* Receſſus à Deo ſignatur abeundi vocabulo. Ac ſi quis delinquat in morem illius, qui *abiit*, qui recedit, qui fugit. Qua quidem metaphora agilitas ad delinquendum exponitur. Qui igitur tam facilis ad delinquendum eſt, *in cathedra peſtilentiæ ſedet. Quia redire non potuit.* Qua exaggeratione infelicem huiuſcemodi hominis agilis, ac proni ad delinquendum, (qui vel ante gehennam reproborum, ſeu damnatorum more propter perſiſtentiam in culpa quodammodo eſt irreuocabilis) innuit ſtatum. 18.

*Facilis ad delictũ quaſi hic dãnatur.* Pſalm. 1. Caſſiod.

Dum in fatuum, & infatuatum Iudam ad iniquitatem facilem, *confeſtim* accedentem, & ſtridentem, *Aue Rabbi*, oculos conijcio: videor illud Eccleſ. audire: *Præcordia fatui quaſi rota carri, & quaſi axis verſatilis cogitatus illius.* Cap. 33. Vt enim illa rota, & axis pro ſua cognata volubilitate mox ac circumuoluitur, ſtridet: ita planè & impius Iudas, cuius conſilium infatuatum, *confeſtim* voluitur, ac ſtridet fatus, *Aue Rabbi.* Quàm pulchrè huiuſcemodi volubili ſtridori reſpondet ô Domine, *vox tonitrui in rota!* In cuius expoſitionem memini, me apud magnum exemplorum Speculum legiſſe, Iudam rotæ ingenti illigatum, interminabili agitatione circumuolui, horribili ſtridore excitato; vti pœna illa agilitati, ad crimen perpetrandum, reſponderet. 19.

*Rotatus ad delictum Iudas torquetur in roto.* Eccli. 33.

Appoſitè ad hæc Dauid: *Propter dolos poſuiſti eis, deieciſti eos, dum alleuarentur.* Pſal. 73. Aliter Hæbræo vocabulo *bachalacoth. In lubricitatibus conſtitues eos.* Vt ſit ſenſus. Propterea quod *ſtatim* ad dolos accurrerunt cum Iuda ſtatim accedente, & doloſis labiis oſculante Ieſum: poſuiſti eos torquendos in lotis lubricis, rotis eos alligaſti, vt interminabili circumagitatione eleuentur, & deiiciantur. 20.

*Ex Dauide confirmo.* Pſalm. 72.

## OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

### *Et oſculatus eſt eum.*

### Pacis inſtrumento tam hominibus ſalutari abuſus Iudas, illicò damnatur.

*Contra ſacrilegos communicantes indignè, aut templi deturpatores.*

QVAM

21. Ambroſ. QVam equidem irreuerentiam tacans Dominus, ait, *Iuda oſculo Filium hominis tradis?* Ad quæ verba D. Ambroſ. *Amoris pignore vulnera infligis? & pacis instrumento mortem irrogas? Filium hominis tradis? Magna, ò Domine, ſignificatio poteſtatis.* Quaſi diceret; Quia in pacis inſtrumentum deliquiſti, eo abutens in animi ruinam pignore, quod planè ad einſdem ſalutem fuerat ordinatum: Ieſum mox potentiſſimum Iudicem experieris. *Improbum* hanc Caſſia appellauit *iniquitatem.* Quid mirum volanti corripi romphæa? Hinc in Euchariſtiæ, templique violatores inſurgam.

22. *Contra indignè communicantes.* Simon de Caſſia ad hæc: *Aduertant, qui Christi corpus ſacramentaliter tangunt, quoniam ſi fidei, & amoris deſit integritas; cum oſculante Iuda ſortientur ſimilem portionem*, Quia videlicet Ieſum Filium hominis potentiſſimum Iudicem experientur. *Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit.*

23. *Illico in Manna delinquentes flagellantur.* Pſalm. 77. Caſſiod. Iſraëlitæ olim grauiſſimè deliquere. Nam *& tentauerunt Deum in cordibus ſuis, vt peterent eſcas animabus ſuis, & malè locuti ſunt de Deo.* Quid tunc Dominus? *Ideo audiuit Dominus, & diſtulit. Ideò* Imò punitionis loco (vti miſericordiæ diuitias oſtentaret) *Ignis accenſus eſt in Iacob.* Pſal. 77. Vbi Caſſiod. ignem huiuſmodi *charitatis accenſionem* interpretatur. Verùm enim *Ianuas cœli aperuit; & pluit illis Manna ad manducandum.* Id eſt, eos Euchariſtia refecit, eodē auctore. *Et pluit ſuper eos ſicut puluerem carnes.* Queis quidem terrenæ, pulueruſentæque cupiditates ſignificantur, vti idem Pater exponit. Quid plura? *Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos.* Illud *Eſca eorum* expende. *Dum ſcilicet* (ait ille) *Manna, & coturnicum carnibus veſcerentur.* Deſiderijs terrenis implicitus Euchariſtiam abſumis? Quam velox ſupplicium! Hugo Card. *Non diu diſtulit vindictam. Quia adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos.* Quique diſtulerat, quando contrà ipſum Deum inuiſibilem inſurrexerunt, illicò ſumit vindictam; quando amoris pignore abutuntur.

Hugo.

24. *Sacrilego Iudæ mox ſupplicium.* Exemplum in eodem Iuda exhibebo. Iudas multa latrocinia committens; *quia fur erat.* Ioan. 12. patienter fuit à Domino toleratus. Idem verò ad ſacram Synaxim indignè accedens, incunctāter in diabolicam ditionē emancipatus eſt. *Nam poſt buccellam tunc introiuit in eum Satanas.* Ioan. 13. Vbi Paſchaſ. *Iudas, donec buccellam acciperet, quamuis mente ſaucius, interdum tamen à Domini bonitate leniter crebròque monetur. Sed poſtquam indignus myſtica præſumpſit, inuaſit eum diabolus.* Vt vel viuens deſcendat in infernum ſacrilegus, aut in ſacrilegum illicò infernus aſcendat.

Ioan. 13. Paſchaſ.

25. *Mox Oza templi violator abripitur.* Nyſſen. Iam oſtendo, quàm velox vindicta in templi violatores. Totum corporis, ac capitis cultum Moyſes præſcribens Sacerdotibus, nullum pedibus ornamentum imperauit. Exod. 28. Quare? Reſpondet Nyſſen. orat. 11. in Cant. *Hoc ipſum pedes ſacerdotali cultui erat loco, quod ab omni tegumento nudus, ac immunis eſſet. Nam Sacerdoti incedendum erat ſacro in pauimento, quod cadauerosis pellibus calcare non fas erat.* Iuxta illud ad Moyſem, *Solue calceamentum de pedibus tuis, terra enim, in qua ſtas, terra ſancta eſt.* Exod. 3.

Oza itaque accurrit ad Arcam, vti labentem de plauſtro teneret; & percuſſus à Deo eſt *ſuper temeritate ſua, & mortuus eſt ibi iuxta arcam Dei.* 2. Regum 6. Quare illicò punitur? Quia voluptatibus vacans, (vti placet Doctoribus) non nudis pedibus terram ſacram conꝗngerat. Et ſi cius profectò ille matrimonij voluptatibus operam dederat. Quid immundo igne conflagrans? Imò quid ſacratiſſima abutens Baſilica ad immundos exceſſus? 2 Reg. 6

26. *Nadab & Abiud confeſtim abſumuntur à flamma.* Nadab & Abiud Aaronis filij ſacrarum ceremoniarum violatores, dum alienum offerunt ignem, ab vltrice flamma illicò exiliente abſumuntur. Leu. 10. Vbi Doctores obſeruant leniter hos duos Sacerdotes deliquiſſe ex ignorantia quadam, & inaduertentia, quam facilè tunc primùm enram frequenti populo ſacrificantes, potuerunt incurrere. Attamen pœna plectuntur incunctanter capitali. Cur hæc? Reſpondet Abul. Quia leuiſſimæ in Deum culpæ maiores pœnas merentur. Ego autem aptiùs argumento dixerim, quia vel leues culpæ apud ſacratiſſimum templum graui ſunt, & præpropero ſupplicio vindicandæ. Præcipuè vero ſi vel leues huiuſmodi exceſſus ad libidinem pertinere videantur. *Ideirco* (inquit Petrus Dam. Epiſt. 12. c. 4.) *cœleſti ſunt igne conſumpti, quoniam alienum ignem offerre Domino præſumpſerunt. Altaria quippe Domini non alienum, ſed diuini amoris ignem accipiunt.* Leu. 10. Abul. Damian.

27. *Christus illicò punit templi violatores.* Ioan. 2. Orig. Inuenit Ieſus olim in templo *vendentes oues, & boues, & columbas, & nummularios ſedentes. Et cum feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo.* Ioan. 2. Vbi Orig. *Conſideremus* (ait) *ne enorme videatur, quod Dei Filius, captis funiculis, parat flagellum, ad eiiciendum eos de templo?* Miraris ne Agnum, qui coram tondente ſe obmutuit, in leonem nunc conuerſum, vt incunctanter aſſumeret vindictam? id ſanè referendum arbitror ad criminis qualitatem. Apud templum enim commiſſa flagitia velociori plaga aſſolent vindicari.

28. *In conſpectu iudicis delinquens mox pœnas luit Iudas.* Pſal. 35. Bernard. In conſpectu Iudicis delinquis, & vis eum vti tarditate ad vindicandum? Iudæ flagitium coram Ieſu mente voluens Propheta cecinit, *Quoniam dolosè egit in conſpectu eius, vt inueniatur iniquitas eius ad odium.* Pſal. 35. *Ad odium* (inquit Hugo Car.) *id eſt, ad vindictam.* Nihil enim vindictæ proximius quam coram Domino delinquere. Rem illuſtrat D. Bern. in decl. *Diuino ſeſe vultui ſiſtere non veretur, tam quam domeſticus intrat, & exit; Magiſtrum ſalutat, genua flectit; oſculatur ore ſacrilego, dolosè agit? ſed in conſpectu Dei, vt inueniatur iniquitas eius ad odium.* Siuè vt illicò vindicta afficiatur iniquitas.

29. *Et Angeli.* Ezech. 28 Luciferi exemplo roborabo. Non ſemel miratus ſum illius horribilis ſupplicij velocitatem. Delinquit, mox ad inferos deturbatur. Quare? Verùm præterquam quod Angelica natura irreuocabilis erat ad frugem meliorem: qui in Domini, Iudicis vtique, conſpectu delinquebat, quaſnam poterat inducias excogitare? Ezechiel, *In multitudine negotiationis tuæ* (Angelum Deus alloquitur delinquentem) *repleta ſunt interiora tua iniquitate: & peccaſti, & eiecit te de monte Dei* Cap. 28. Ac ſi in more ſancto Dei, ſiue in templo in morem vendentium, & ementium, diabolus negotiaretur, *In multitudine negotiationis tuæ.* Quid mirū eſt, qui in

conſpectu Domini delinquebat, in cunctanter
Chryſolog. flagellari? *Peccaſti, & ieci te.* Id quod D. Chryſolog. ſerm. 26. confirmat ratus: *Deſperatus incurrit, qui in ipſis Dominantis oculis offendit: & excuſatione caret, qui facinus ipſo iudice teſte, committit. Sic diabolus cum eſſet Angelus, dum in Dei ſuperbit aſpectu, lapſus ad terram, ad tartara deiectus in diabolum mutatur ex Angelo,* particulam libra: *Dum ſuperbit, lapſus ad terram.* Ac ſi illud ipſum ſuperbire, & eleuari, deiici eſſet, & ad tartara detrudi. Tam velox vindicta ſuper templorum violatores.

## OBSERVATIO IV.

Ad illa verba:

### *Et oſculatus eſt eum.*

### Num ſalutare Iudæ illud oſculum extitiſſet, ſi addidiſſet amplexum, id eſt perſeuerantiam?

*Nam virtuoſa exercitamenta à peccatore non deſeri reuerſionis eſt ſignum.*

30. Beda. DE oſculi ſigno à Iuda exhibito Beda inquit: *Adhuc habet aliquid Iudas de verecundia Diſcipuli: cum eum non palam tradit perſecutoribus; ſed per ſignum oſculi.* Cur igitur benigniſſimus Ieſus non illum ad meliorem frugem reuocauit? Quia (auctore me) non myſticè addidit Iudas amplexū. Mentem expono. Conferunt equidem probæ actiones, vtpote adorationes, genuflexiones, horarij recitationes, & cætera huiuſmodi (tanquam remouens prohibens) ad ſalutem. Non ſemel Deus ad miſericordiam ex huiuſcemodi actionibus excitatur: ſed tunc plerumque id accidit, cum homo hiſce actionibus perſeueranter inhæret. Demus venerabili Doctori, gratia differendi, aliquid verecundiæ in oſculi tradito ſigno fulgurare. Hoc autem *aliquid de verecundia Diſcipuli* illorum exercitamentorum, de quibus ſermo, myſticam expreſſionem exiſtere contemplemur. Deberet profectò Iudas amplexu Dominum illigare, firmiterque, hederæ in morem, vitali arbori adhæreſcere. Leuiter acceſſit ad oſculū, leuius receſſit. Quid mirum abſque medicaminis effectu periiſſe?

31. *Harens mortuus Eccleſiæ gremio reuocatur ad vitam.* 4. Reg. 17. Filium Vidua illa olim habebat in gremio, mortuum vtique, cum accedens Elias ſiue myſticus Ieſus, ait: *Da mihi filium tuum. Tulitque eum de ſinu eius, & portauit in cœnaculum,* vita plane donandum. 3. Reg. 19. Vbi illud aduertam, è gremio materno, ſeu ex Eccleſiæ brachiis à Ieſu mortuum, vt ſuſcitaretur aſſumptum. Ille namque ad vitam ſæpè reuocatur, qui apud domum Ieſu firmiter perſeuerat. Ad
Gillibert. hæc Gillibert. ſer. 16. in Cant. *Non expedit tibi, extra materni ſinus ambitum reperiri, ne forte non tollat te verus Elias in cubiculum ſuum. Tolle, bone Ieſu, & hunc mortuum noſtrum de matris gremio,* inclamarem profectò: *Tenui eum, neque dimittam.* Appoſitè equidem Simon Caſſia. *Nec mutabatur* (inquit) Iudæ *animus, cum ſuſcitarem ex anima mortua, extra Chriſti tangeret ſanctum corpus.* Illam particulam? *Extra* adnotari precor. Id eſt: *Extra domum.* Ac ſi diceret, Animus Iudæ non mutabatur, nec ad contactum Dominici corporis ex oſculo Iudæ cadauer reſurgebat; quia *extrà domum* Dominicam cōmorabatur. *Elaboret ergo* (ait D. Gaud.) *omni ſtudio*
Gaud. *vnuſquiſque noſtrū permanere in domo Domini.*

Diſce hinc, in Religionis monte, Dei domo, conſtitutus, nullatenus inde transmigrare, ſed ibi firmiter hærere; licet enim vel ægrotans, vel vita functus reperiaris, ad vitam ſiudemmà diuina probabiliter valde vocaberis munificentia. Id quod Dauid inclamabat: *In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, Transmigra in montem, ſicut paſſer.* Pſal. 10. Auguſt. egregiè: *Vnus mons* (*Religionis* auctore Caſſiod.) *eſt in quo confido, quomodo ergo dicitis, vt ad vos tranſeam. Quia ſi hoc fecero, ero ſicut paſſer,* aucupis iaculo perimendus. 32. *Perſeueret Religioſus licet improbus.* Pſalm. 10. Caſſiod.

Quid, *Ero ſicut paſſer?* Manifeſtam profectò hic alluſionem inuenio ad coruum è Myſtica Dominica domo recedentem. Reuertebatur equidem, ſed non inibi diu commorabatur, (vti adnotat Caiet.) vnde domui non hæreſcens firmiter periit omninò. Haud aliter Iudas Ieſu domum dimittens, cum poſt buccellam egreſſus eſt, rurſum pergit ad arcam ſimulans columbam, pro oliua referens pacis inſigne: *Et oſculatus eſt eum.* Recedens deniqùe à domo mediis in mundialibus fluctibus ſuffocatur. Euſeb. cat. Græc. ad Pſalm. 10. complet argumentum: *Perfectus eſt, qui dicere poteſt, In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, Transmigra. At imperfectus eſt, qui ex hoc in illum locum emigrando, circumcurſat.* 33. *Quis recedit ab arca, coruus obruitur.* Gen. 4. Euſeb.

Mihi igitur indica quid Iudæ profuerit è *Diſcipuli reuerentia* (loquor cum Beda) exhibuiſſe? Nonne benigniter excipitur? Nonne inter amicos adnumeratur? Nonne affectuoſis verbis admonetur? Nonne opportunis inſpirationibus excitatur? Quid plura? Ex oſculo ſignum præferebat Iudas, ne ab Angelis, ab hominibus, à creaturis irrationalibus poſt tantum patratum flagitium, percuteretur: *Et poſuit Dominus in Cain ſignum,* Gen. 4. Ne videlicet à quocumque diuinæ Maieſtatis iniuriæ impeteretur vltore. Num Iudæ fuit oſculum, quod Caino ſignum? D. Hieron. *Tradidit perſecutoribus per ſignum oſculi. Hoc eſt ſignum, quod poſuit Dominus in Cain, ne quicumque inueniſſet, occideret eum.* Non ipſe cucurriſſet ad laqueum: vllæne ei creaturæ auderent inferre nocumentum? 34. *Oſculum Iuda, quod Cain ſignū.* Beda. Gen. 4. Hieron.

## OBSERVATIO V.

Ad illa verba:

### *Et oſculatus eſt eum.*

### Ieſus in actione externa cum oſculante Iuda, non in affectu conueniebat.

*Ad eorum, qui neceſſariò degunt cum impiis documentum.*

35. DOCET Ieſus Religioſos, in communitateque degentes; quonam modo poſſint cum improbis ſociis circa actiones communes cōuenire, ab eiſque animo longè ſeparari. Auctor huiuſce cogitationis Simon de Caſſia fatus; (Caſſia.) *Et oſculatus eſt eum. Ecce veritas, & falſitas: bonitas, & iniquitas: humilitas, & ſuperbia: patientia, & ira: charitas, & inuidia: liberalitas, & auaritia in actibus, non in animis conuenerunt. Chriſtus omnium origo bonorum, in ſuis virtutibus, & moribus ſemper idem.*

36. Exemplum Chriſti. Pſal. 119. Hugo. David Chriſti agens perſonam, tibi ſit in exemplum. *Habitaui cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea. Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus.* Pſ. 119. Quid Cedar? Hugo Card. *Cedar ſeu Tenebræ ſignificat præſentem mundum, in quo malitia regnat, & amatores ipſius tenebroſis actibus inuolutos occupat.* En iuſtos inter peccatores *actionibus* conſentientes communibus, minimè *in animis* conuenientes.

37. Et eiuſdem Dauidis. Pſal. 140. Proprio etiam ore profatur Vates: *Cum hominibus operantibus iniquitatem* cogor inhabitare. Tritici namque in morem, inter zizania dego, ſimul veſcimur, bibimus: *Et non communicabo cum electis eorum.* Strab. *Et non combinabor in deliciis eorum.* In corporeis actionibus cōbinabor, in animi conſeſſu longiſſimè recedā. Concludit pulchrè: *Singulariter ſum ego donec tranſeam.* Pſal. 140. Hebr. *Singulariter ſimul ſum ego.* Quonam modo *ſingulariter*, ſiue ſolus, ſi *ſimul* cum peccatoribus commoraris? Quia *ſimul* habito circa corporeas communitatis actiones, ſimul comedo, ambulo dormio. At ſi ad animi affectum reſpicias, *ſingulariter ſum ego; ſiue ſingularis;* (loquor cum Hug. Card.) *quia ſi cum malis corporaliter ambulo, conſenſum eis non præbeo.* Hgo.

Si patientiſſimus Iob Ieſu imaginē referebat, appoſitè in conſpectu Iudæ deoſculantis poteſt inclamare: *Frater fui draconum, & ſocius ſtruthionum.* Cap. 30. Hærens homini, ne dicā diabolo ſerpenti doloſo, crudeli, meam ſinceritatem, & benignitatem minimè exui. De Iobo Chryſoſt. hom. 2. inter improbos degente id profatur, quod de Ieſu apud oſculantem Iudam Caſſianus. Hic, *Ecce* (aiebat) *veritas, & falſitas: bonitas, & iniquitas: humilitas, & ſuperbia, &c.* Ille autem, *Columba* Iob *in medio accipitrum, ouis in medio luporum, ſtella in medio nubium, lilium in medio ſpinarum, germen iuſtitiæ in oppido iniquitatis.* 38. Sic Iob. Iob 30. Chryſoſt.

Difficilis hominibus doctrina. Fateor. *Facilius enim eſt,* (verbis vtor Nazianz.) *eis, qui inter improbos degant, vitium contrahere, quam virtutē impertire. Quemadmodum etiam facilius eſt, morbo alieno infici, quàm ſanitatem largiri.* Vnde appoſitè Simon de Caſſia illud appoſuit: *Chriſtus omnium origo bonorum, in ſuis virtutibus, & moribus ſemper idē.* Inter tenebras enim elucere, propriū Dei, à quo lux vera procedit. *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* 39. Quam difficilè id facimus. Nazianz. Caſſia.

Prorſus diuinum, inter fratres improbos inoffenſo pede inambulare. Sæpè miratus ſum Samuëlis in tanta improborum fratrum ſcelerum colluuione puritatem. Quo magis Filij Heli tenebricōſo igne ſuccendebantur, eo magis Samuël (cum eis corpore, ſupra ſe animo) ad diuinum rapiebatur amorem. An non id quid diuinum halat? Philo. Hebr. lib. de ſomno, affirmat Samuelem *non tam fuiſſe hominem, quàm vitæ genus afflatum diuinitus, & extra ſe raptum Numen.* Quia videlicet inter tenebras rutilus ambulabat. 40. Samuelis hinc laus. 1. Reg. 2. Philo.

# SECTIO QVINTA.

# PETRI GLADIVS.

## EX CAP. XVIII. IOANNIS.

## *TEXTVS.*

*Verſ.* 10. Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum, & percuſſit Pontificis ſeruum, & abſcidit auriculam eius dexteram.

*Verſ.* 11. Dixit ergo Ieſus Petro: Mitte gladium tuum in vaginam, Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?

## *COMMENTARIVS LITERALIS.*

### §. I.

### *Num Diſcipuli Dominum intellexiſſent?*

1. Varietas Euangeliſtarū. SIMON ergo *Petrus.* Matthæus non declarat quiſnam fuiſſet, qui percuſſerat Malchum. *Et ecce* (ait) *vnus ex his, qui aderant.* Vel ex tribus, quos Chriſtus ad orationem ſecedens, adduxerat, vel ex vndecim Diſcipulis vnus. Lucas verò omnes

*Ant. de Eſcob. & Mendoz.* de Sanctis. Tom. I.

Diſcipulos, qui aderant, paratos indicat, ad pugnadum, fantes, *Domine, ſi percutimus in gladio?*

2. *Non intellexerant Apoſtoli.* Non intellexerant Apoſtoli (probabiliter aſſero) quod paulò antè Saluator dixerat. Apoſtolis enim profantibus: *Ecce duo gladij hic:* teſpondit: *Satis eſt.* Quia cum dixit: *Qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium,* minimè ſignificauit armis ſibi opus eſſe, aut iis Diſcipulos vti oportere; ſed tantum ſignificare voluit, magnum imminere periculum, quod non ſoleat ab hominibus niſi armis propulſari. Neque cum dicit, *Satis eſt,* ſignificat duobus illis gladiis eſſe hoſtibus reſiſtendum, nec pluribus opus eſſe; ſed dicit, *Satis eſt,* quia nec illis, nec aliis gladiis ſibi opus.

3. *Petrus vndenam inſurrexit in Malchum?* Cùm igitur Chriſtum omnes interrogaſſent: *Si percutimus in gladio?* Petrus ante quam Chriſtus reſpõderet, Pontificis ſeruum percuſſit; quem, quia ſummi Sacerdotis miniſter erat, v. roſimile eſt, & audaciorem cæteris fuiſſe, heri ſui auctoritate confiſum, & infeſtiorem Chriſto domini ſui inuidiam, & maleuolentiam imitatum. Cum itaque cæteris hic præiſſet, priuſque conatus eſſet manus iniicere in Saluatorem, Petrus Ieſu reſponſum non expectans, audacem hominem in Chriſtum irruentem maiori conatus eſt audacia repellere.

## §. II.

*Simon benè interrogauit, ſed malè non expectauit reſponſionem.*

### Veri enim obedientis eſt interrogare, & expectare, donec ei reſpondeatur.

4. Caſſian. QVem equidem Petri errorem ponderans Simon Caſſianus luculenter profatur: *Petunt ſcientiam, ſiue licentiam Diſcipuli, ſi Dominum, & ſe ipſos tueantur gladio, aut ſi ferro impetant inimicos? Sed interrogatur in caſum, ſi ante reſponſum exitur in opus. Fruſtrà Petrus interrogat, dum ante Chriſti reſponſum ipſe percuſſerit. Non dediſſet profectò licentiam malè agendi, aut aliter ſe tuendi, qui malè acturi verbis increpauit in Petro, & facto auriculam ſanauit in ſeruo. Leuitate vſus eſt Petrus, qui ante reſponſum Domini vulnerauit.* Paucis illuſtro.

5. *Pilatus interrogans haud expectauit reſpõſionem.* Ioan. 18. Ieſus apud Pilatum: *Omnis, qui eſt ex veritate, audit vocem meam.* Cui Pilatus, *Quid eſt veritas? Et cum hoc dixiſſet, iterum exiuit ad Iudæos.* Ioan. 18. Si interrogas, quare non expectas reſponſionem? Auguſtin. *Credo in mentem illi veniſſe continuò conſuetudinem Iudæorum, quia ſolet eis dimitti vnus in Paſcha, & ideo non expectauit, vt reſponderet, ne mora fieret.* Qui interrogat Deum, nec reſponſionem expectat, vt iuxta diuinum præſcriptum operetur indicamentum præbet inter indignos, adnumerandum, etiã cum bonæ operationis prætextu hoſpite diffugit inſalutato. Quid ad percuſſionem?

6. *Non ſic Dauid.* Pſal. 140. O quàm pulchrè Dauid hanc excogitationem confirmat! *Eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.* Pſalm. 140. Id eſt, eleuo manus ad orationem, vt Deum interrogem. Quid? Num gladio vtendum mihi, aurora properante? *Nam in matutino interficiebam omnes peccatores terræ.* Bellè Chryſoſt. *Matutinum expectat veſpertinum.* Expectat, inquam, quidnam à Deo circa matutinam interneclonem, veſpertino roganti affectui reſpondeatur.

## §. III.

*Num percuſſerit Petrus Malchum ante Ieſu comprehenſionem, vel poſteaquam illigatus eſt?*

DIſſentire videntur Euangeliſtæ. Matthæus, & Marcus priùs comprehenſionem memorant, poſt percuſſionem ſcribunt. Lucas verò ac Ioannes priùs de percuſſione agunt, quàm de comprehenſione. Aliqui ſentiunt poſt comprehenſionem percuſſum Malchum, Matthæi nitentes verbis: *Tunc acceſſerunt, & manus iniecerunt in Ieſum, & tenuerunt eum. Et ecce vnus ex eis, qui erat cum Ieſu, extendens manum, exemit gladium, & percutiens ſeruum, &c.* 7. *Euangeliſtarum pugna.*

Opinor cum pluribus Petrum, antequam Chriſtus comprehenſus eſſet, Malcho auriculam abſcidiſſe. Hiſce moueor rationibus. Petrus & Diſcipuli, cum primùm viderunt Chriſtum comprehendi, fugerunt: ergo antequam Ieſus comprehenderetur, Petrus ſeruum Pontificis percuſſit. Si enim Petrum Ieſum illigatum aſpexiſſet, haud auſus eſſet tot hoſtes inuadere. Prætereà, Chriſtus tetigit Malchum, & vulneri adhibuit medicamen, quod factum videtur manu nondum vinculis alligata. Verba denique Lucæ id omninò confirmant. *Videntes hi, qui circa ipſum erant, quod futurum erat.* Non Petrus & Apoſtoli videbant, quod factum, ſed *quod futurum*, id eſt, futuram comprehenſionem. 8. *Ante Ieſu comprehenſionẽ Petrus ſeruum percuſſit.*

Quid ad Matthæum, & Marcum? Communiter reſpondetur, vſos fuiſſe anticipatione. Ego autem exiſtimo ſic exponendos: *Acceſſerunt, & manus iniecerunt in Ieſum.* Malchus & vnus aut alter militum audaciores mox poſt exhibitum à Iuda oſculi ſignum ad Ieſum acceſſerunt, & comprehendere conati ſunt, quod cum Petrus aſpiceret, *ex feruore fidei* (loquor cum D. Paſchaſ. lib. 12. in Matth.) *& charitatis, ex auiditate defenſionis pij Magiſtri percuſſit ſeruum Principis Sacerdotum. Sed ab Euangeliſtis non potuerunt ſimul dici, quæ ſimul in vno tempore facta ſunt.* Videntes autem reliqui milites, quæ Malcho acciderant, ſe ſe continuere, rei exitum expectantes. 9. *Exponuntur Euangeliſtæ.* Paſchaſ.

## §. IV.

*Num Petrus deliquerit?*

SImon *Petrus habens gladium, eduxit eum, & percuſſit Pontificis ſeruum.* D. Auguſt. lib. 22. cont Fauſt. cap. 70. affirmat Petrum vulnerando peccauiſſe. Quem aliqui ſequuntur ex reprehenſionis Dominicæ conſideratione. Taxauit eum; ergò deliquit. Non bona conſequentia. Multa enim bona fide, & ignoranter gerimus reprehenſioni obnoxia, quæ aliena à culpa non tam reprehenduntur, quàm erudiuntur. 10. *Sententia affirmans.* Auguſt.

Sentio igitur cum D. Paſchaſ. Petrum minimè deliquiſſe, cùm ex feruore fidei, & charitatis accenderetur. D. Ambr. lib. 12. in Luc. 22. *Petrus eruditus in lege, promptus affectu, qui ſciret Phinee reputatum ad iuſtitiam, quod ſacrilegos peremiſſet, percuſſit Principis Sacerdotum ſeruum.* 11. *Auctoris mens.* Ambroſ. D. Leo.

Non

Non itaque deliquit, qui ex iuſtæ vindictæ affectu vulnerauit. D. Leo: *Petrus, qui animoſiore conſtantia domino cohærebat, & contra violentorum impetus feruore ſancta charitatis exarſerat, in ſeruum Principis Sacerdotum vſus eſt gladio.* Non ergo ſe delicto contaminauit.

12. *Liberat Euangeliſta Petrum à criminis ſuſpicione.* Beda. Huiuſmodi à criminis ſuſpicione Petrum eximit Euangeliſta. *Simon Petrus habens gladium.* Simon idem quod *obediens.* Expono ſic. Conſiderauit Petrus ſe ex præcepto Domini gladium habere. Dixerat enim Ieſus gladium emendum, nec imperauit duos ibi obiectos gladios (*Ecce duo gladij hic*) proiici, aut deponi à Diſcipulis. Habens igitur gladium Petrus ex præcepto (vti ipſe intelligebat) Dominico, nec inutiliter geſtandum, quod vel tunicæ commutatione acquiri oporteret: eduxit eum, & Malchum vulnerauit. Allicio Bedam ad meam interpretationem. *Conſidera* (inquit) *Petri & amorem pium, & humilitatem. Alterum enim* (gladium eximere) *ex diligenti feruore fecit; alterum* (Malchum vulnerare) *ex obedientia.*

## §. V.

### *De auricula abſciſſione.*

13. *An omninò auricula abſciſſa.* ET *abſcidit auriculam eius dexteram.*] Num omninò auriculam Petrus amputauit, ita vt decideret in terram? Satis liquidò ex Euangeliſtis colligi non poteſt. Probabilius prorſus eam abſciſſam fuiſſe. Id enim ſcindendi, & amputandi verba, queis Euangeliſtæ vtuntur, præferunt. Attamen Lucas indicat non omninò fuiſſe deciſam. Non enim ait Chriſtum auriculam repoſuiſſe, ſed, *cum tetigiſſet auriculam eius, ſanauit eum.* Vndè probabiliter qui in hunc ſenſerit modum, opinabitur.

14. *Dextera auricula myſterium.* Paſchaſ. Multi myſterium adinueniunt in dexteræ auriculæ percuſſione. Id quod nec affirmo, nec nego. Licet autem litteralem ſcripturæ ſenſum inquiro, & ab allegoriis abſtinere contendo, attamen D. Paſchaſij attexam myſticam huiuſce loci expoſitionem. *Non qualecumque* (ait) *inſligit vulnus, nec cuicumque. Sed ſeruo Principis Sacerdotum amputauit auriculam dexteram. Quia ipſi Principes Sacerdotum iam ſerui erant peccati, quorum omnis auditus non in dextris, ſed in ſiniſtris erat legis; & ideo iure amputatur ab eis quidquid dextrum erat. Malchus Rex interpretatur, quia populus Iudæorum, quamuis à Domino in Regnum ſit electus, ipſi ſeruos ſe exhibuerunt, culpis exigentibus, ſempiternos. Et ideo præciditur ab eis auditus dexter, cum auſertur intelligentia diuini verbi. Petrus abſcidit auriculam, quia accepit claues Regni cælorum. Ille iure condemnat, qui abſoluit. Sed ſolus Dominus, qui præciſè ſanat, ſolus qui ex Iudæis quam plurimis auditum reddit, &c.*

## §. VI.

### *Ieſu increpatio.*

DIxit ergò Ieſus Petro, &c.] Quatuor (ex Euangeliſtis collegi) rationibus conatur 15.
Ieſus perſuadere Diſcipulis minimè vſu gladij *Abſtine à vulnere.*
oportere rapi ad vindictam. Prima. Mitte gla- *1 Ratio.*
dium tuum in vaginam. *Omnes enim* (ex Mat- Beda.
thæo) *qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Caiet.
Cap. 26. Gladio vtique ſpirituali. Sic Beda: *Omnis, qui gladio percuſſerit, gladio moritur, quia ipſo peccato animâ moritur, quodcumque commiſerit.* Caiet. facilius ad litteram: *Omnes, qui gladio iniquè interfecerint hominem, morte digni ſunt.* Vt ſcilicet ſententia Dominica non de facto, ſed de merito intelligatur.

Ratio ſecunda. *An putas* (ex eodem Mat- 16.
thæo) *quia non poſſum rogare Patrem meum, &* *Secunda.*
*exhibebit mihi modo pluſquam duodecim legiones Angelorum?* Non, ô Petre, tuo gladio indigeo, ſi hoſtium manus effugere intenderem. Rogat
Chryſoſt. cur non dixit, *An putatis, quia non* Chryſoſt.
*poſſum omnes hos perdere?* Reſpondet, *Quia nondum conſtantem de ipſo fidem habebunt.* Vos igitur pauci, & infirmi milites, nempè duodecim (numerum Apoſtolorum retinens, Iudamque adhuc vti amicum adnumerans.) A Patre poſſum non ſolum duodecim Angelos fortiſſimos, ſed pluſquam duodecim Legiones Angelorum impetrare, qui omnes hoſtes impetentes valerent comminuere.

Tertia adhuc ex Matthæo: *Quomodo imple-* 17.
*buntur Scripturæ, quia ſic oportet fieri?* Nè ad mei *Tertia.*
defenſionem Petre, inſurgas. Oportet enim impleri Prophetarum circa meam comprehenſionem, & paſſionem vaticinia.

Quarta denique ex noſtro Ioanne. *Calicem,* 18.
*quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* Cap. 18. *Quarta.*
Pater iuſſit, calicem paſſionis amariſſimum me Ioan. 18.
abſumere: Vſque igitur ad extremam guttulam hauriendus. Quare exiſtimas Ieſum deguſtauiſſe acetum? Quia extrema calicis erat ſtilla. Vndè illicò clamat Chriſtus, *Conſummatum eſt;* vtique poculum, quod Patris voluntas propinauit. Quid ô Simon, aduerſus comprehenſores inſurgis? Non hi, ſed Pater calicem manu tenet, Pater me potari iubet, hi ſolum miniſtri. Accipite Simonem de Caſſia. *Oruerat* Caſſian.
*iam in horto, vt tolleretur calix amarus, & inexauditus abſceſſit, decreto manente Paterno, vt ipſe biberet calicem paſſionis. Inquit ergo Petro, Pater dedit calicem mihi, non illi reddunt. Quis remouebit, quod Pater decreuit? Quis bibet, quem ego bibiturus ſum? Non vis tu homo, quod vult Deus? Si non bibo, quis bibet? Si non patior, quis pro genere humano patietur? Amara eſt potio, ſed ſitis vos mali caloris vſtuatis.* Hactenus ille.

## IN IESVM PATIENTEM APVD HORTVM.

# Panegyricus quintus Moralis circa Literam.

## EX PETRI GLADIO.

### *OBSERVATIO I.*

Ad illa verba:

*Habens gladium, eduxit eum.*

Iubet Ieſus Diſcipulos acquirere gladios, ſed non vt hoſtes percutiant.

*Illud fideli glorioſum, quod potens vindicari, abſtineat à vindicta.*

19. Ambroſ. DIVVS Ambroſ. lib. 10. in Luc. hanc ex Petri ore indicat obiectionem. *O Domine, cur emere me iubes gladium, qui ferire me prohibes? Cur habere præcipis, quem vetas promi?* Reſpondet acutè, *Niſi forte vt ſit parata defenſio, non vltio neceſſaria: & videar potuiſſe vindicari, ſed noluiſſe.*

20. *Exemplum Ieſu.* Matth. 26. Hoc Ieſus vtitur argumento, vt Apoſtolum à vulneris inflictione reuocaret. *An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò pluſquam duodecim legiones Angelorum?* Matth. 26. Poſſum equidem; hoc meæ benignitatis inſigne; poſſe vindicari, ſed nolle, immò potiùs malle tradi morti, quam operam nauare vindictę. Ad hæc Amb. *Multis (inquit) iniquum videtur; ſed non iniquus Dominus, qui cum ſe poſſet vlciſci, maluit immolari.*

21. *Ideo ſuper femur gladium geſtat.* Pſalm 44. Paſchaſ. Quam appoſitè Dauid! *Speciosus forma præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis. Accingere gladio tuo ſuper femur tuum, potentiſſime.* Pſal. 44. Vbi D. Paſchaſ. *Poſt egregiam formam decoris, poſt gratiam diffuſam in labiis, imperatur à Patre, vt accingatur gladio ſuæ fortitudinis, ad vltionem inimicorum.* Si ad vltionem paratus gladius, vibret manibus nudum, æthera vulneret, oculos fulgore perſtringat. Profectò ſuper femur in loco ſuo, ſiue clauſus vagina, gladius reſidet; vt innuatur paratum eſſe defenſionem: & ſimul appareat Ieſum *potuiſſe vindicari, ſed noluiſſe.* Genus namque non vulgare vindictæ eſt, potuiſſe quidem, ſed noluiſſe aſſumere vindictam. Vnde bene Paſchaſ. *Accingatur gladio ſuæ fortitudinis, ad vltionem inimicorum.* Tunc enim vltus Dominus, quandò percutiendi poteſtas non ad manum accedit, non ad actum reducitur; ſed lateri hæret, ſed reconditur, Domino aliquandò durius concertatore.

22. Cum intenderet Ieſus peccatores deterrere, apparet ore gladium vtraque parte geſtans acutum. Num manu æs tenetur ſtrictum? Minimè, ſed ex ore Dominico *procedebat gladius.* Apoc. 5. Refert ad mentem Paſchaſij proximam ſententiam: *Poſt gratiam diffuſam in labiis, imperatur à Patre, accingatur gladio ſua fortitudinis.* Quod ſi ori gladius apponatur, nunquam minus pronus ad vulnus infligendum. Labia etenim gratiarum fons quonam modo poterunt vulnerum effici ſcaturigo? Certè illa ipſa manſuetudo ô peccator, vulnus eſt. Nunquam potentior cordato gladius, quam cum parcit, dum vulnerare poteſt. *Et oſtentat ore.* Apoc. 5. Paſchaſ.

23. *Saul vulneratur, dum parcitur.* David olim & reſonantibus fidibus cor Saulis demulcere curauerat, & pluribus obſequiis (ne dicam beneficiis) auerſum animum ad ſe conatus fuerat reuocare. Quod cum omnia in caſſum admouerentur; accidit non ſine cœleſtis Numinis prouidentia, vt Dauid nactus fuiſſet occaſionem, qua impunè hoſtem potuiſſet comminuere. Potuit equidem, ſed noluit. Vnde Saul facinus miratus inauditum, ad meliorem tunc frugem redactus, inclamat: *Iuſtior tu es, quam ego. Dominus reddat tibi viciſſitudinem hanc pro eo, quod hodie operatus es in me.* 1. Reg. 24. Vbi Strab. *Abiiſſe,* inquit, *Saulem tunc pœnitentem de perſecutione Dauid.* Quod enim tot, tantaque officia, ac beneficia non potuerant, perfecit hoc; ſcilicet Dauidem *potuiſſe quidem percutere, ſed noluiſſe.* 1. Reg. 24. Strab.

24. *Aptus regno, qui parcendo vincit.* 1. Reg. 24. Lyran. Tunc Saul adiecit notanter, *Et nunc, quia ſcio, quod certiſſimè regnaturus ſis, & habiturus in manu tua Regnum Iſrael, iura mihi in Domino, &c.* 1. Reg. 24. Vbi quæris, vndenam Saul certiſſimè regnaturum Dauidem, & in manu habiturum Regnum Iſraëliticum, cognouerit? Hebræi apud Lyran. *Hoc ſciuit per ſignum ſibi datum à Samuele, quia ille regnaret poſt eum, qui ſcinderet veſtem eius.* Aptiùs ipſe Lyran. Ex eo quod potuiſſet vindicari, & noluiſſet, *confitetur ipſum Dauid eſſe dignum Regno.* Adnota itaque

verba

verba illa: *Et habituris in manu tua Regnum.* Non ſolum ex præmiſſa benignitate tua colligo, te regno potiturum, ſed omnes ſubditos ſub manu tua obedientiſſimos eſſe continendos. Quia videlicet, qui potens vindicari, non vult, potentiſſimè ſubigere vel ſubditum perditiſſimū ad meliorem frugem reuocari: quique gladium manu geſtans non percutit, eadem prorſus manu ſubditos continebit.

25. *Sic Deus.* Nunquam igitur Rex tam potens ad ſubditos debellandos, quàm cum abſtinet à vindicandi poteſtate. Salomon ſic expendit Dei erga delinquentes benignitatem: *Non enim impoſſibile erat omnipotenti manui tuæ, immittere illis multitudinem urſorum, &c. Sed miſereris omnium, quia omnia potes.* Sap. 11. Ac ſi diceret, Non ſolum peccatorum miſereris, quia miſericors es, vt miſericordiæ præbeas documentum; ſed quia omnipotens, vt omnipotentiam tuam poſſis, debellato ſine vulnere peccatore, manifeſtare. *Videatur* (Ambr. aiebat) *potuiſſe vindicare, ſed noluiſſe.*

# OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

## *Habens gladium, eduxit eum.*

## Percuſſit Petrus Malchum, quia gladium ad manum habebat.

*Occaſio enim peccandi ad manum potentiſſima.*

26. ERGO. Quam moralis conſequentia! Habebat gladium? *Ergo eduxit eum.* Si Petrus abſtinuiſſet à gladio, abſtineret à vulnere. O quotiens, quia gladium occaſionis ad manum habes animo tuo, exitiale vulnus infliges!

27. *Manus gladium tenens amputanda. Hieron.* Hinc Dominus, *Si manus tua ſcandalizat te, abſcinde, & proiice abs te.* Matth 18. Vbi D. Hieronymus, *Igitur omnis truncatur affectus, & vniuerſa propinquitas amputatur.* Illam particulam *Igitur*, copula cum *Ergo* Euangeliſtæ. *Ergo Petrus habens gladium* ad manum, *eduxit eum. Igitur* vniuerſa *propinquitas* amputatur, omniſque à manu absterreatur occaſio delinquendi.

28. *Diſtans hoſtis non terret. Rom. 8. 1.Cor. 9.* Eximius miles, imò ducum imperator Paulus, *Quis* (inquit) *nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio?* (omnium formidabilius adiecit) *an gladius?* Rom. 8. Idem alibi; *Caſtigo corpus meum.* 1. Cor. 9. Proh imperatorum fortiſſime, ſi tribulationem, ſi anguſtiam, ſi famem, ſi nuditatem, ſi periculum, ſi perſecutionem, ſi gladium, horribiles deſpicis hoſtes, quonam modo fragilis carnis tibi eſt formidini vulnus? Quia profectò hoſtium aliorum à longè emicat gladius, caro autem gladius ad manum. Egregiè Orig. lib. 7. in epiſt. ad Rom. *Orig.* *Iſte, qui cæleſtium virtutum aduerſum ſe, ſi commoueantur bella, non metuit, carnem ſuam metuit, & ex ea conſurgentes inſidias formidauit, quando dicebat, Macero corpus meum, & in ſeruitutem ſubiicio. Qui de nobis procedit hoſtis, cauendus eſt ipſe.* Quid mirum à Paulo hoſtes longè diſſitos deſpici? Mirum proculdubio eſſet, ſi coram præſente hoſtiolo non contremiſceret. Gladius enim ſub manu valdè timendus.

Vidiſti fœminam laſciuientem Ioſephi caſtiſſimi tenentem pallium, ipſumque Ioſephum illud proiicientem. Gen. 39. Ad quem locum D. Baſil. Seleuc. orat. 8. de Ioſ. *Tenacibus manibus retentam permittens veſtem, libidinis effugit inſaniam; fuga vſus pro armis, tradit veſtem, vt temperantiam teneat.* 29. *Gladium ad manum Ioſeph fugit. Gen. 39. Baſil. Seleuc.* Armis vtitur fugæ aduerſus pallium à fœmina contactum? Ita planè: Contrectatio enim illa gladius erat, aduerſum quem gladio fugæ vti Ioſephum oportebat. Vndè idem Pater ingenioſè adiicit, *Omnia muliebria ſpiculatu ſunt.*

Verba illa ponderanda: *Conuerte gladium tuum in locum ſuum.* Matth. 26. Gladij (ac ſi diceret) locus non manus, ſed vagina. *Suum* dixit. 30. *Ad locum gladij accedentes corripiuntur.* Vt innuat te & gladium diuerſa loca occupare debere. Ad domum mulierculæ diuertis? Ad locum gladij properas vulnerandus. Vidit olim Dauid in ſolario ſuo mulierem lauantē, & ipſe lapſus eſt, cum tamen non ad locum gladij anticipius properaſſet. 2. Reg. 11. *2.Reg.11.* Et tu ad locum gladij accurris, & à vulnere liberari exiſtimas? Quiſnam huiuſce gladij locus niſi meretricia domus? niſi theatrum? Porrò D. Chryſoſt. hom. *Chryſoſt.* 1. in Pſal. 50. contrà illos, qui ad gladij huiuſmodi locum appropiant, fatur, *Dauid talis ac tantus læſus eſt*, ſiue vulneratus: *& tu te putas non poſſe lædi? Et ille quidem non vidit meretricem in domo,* (gladium in loco ſuo) *ſed ex ſolario domus ſuæ: tu autem in theatro, vbi locus condemnat animam.* Hæc proxima verba haud cadant ſine pondere: *Locus condemnat animam.* Si enim anima hæret *loco* gladij, quomodo ſine exitiali vulnere recedet?

Indices, precor, quonam modo, ſi fragilis caro locus gladij eſt, potero à tam proximi aduerſarij vulnere liberari? 31. *Ne carni gladium exhibeas. Rom. 6.* Paulus ad hæc: *Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato.* Rom. 6. Id eſt, ne carni veſtræ arma, gladium ſcilicet aduerſum ſpiritum præbeatis. Noſtræ vtrique potentiæ, & prudentiæ eſt, carnem adeò infirmare, vt gladium illa minimè poſſit educere, imò vt omninò non habeat. Appoſitè Cyrillus Alexan. lib. in Leuit. *Cyrill.* *Nolite dicere, volumus, & non poſſumus; volumus continenter viuere, ſed carnis fragilitate decipimur, & impugnamur ſtimulis eius. Tu das ſtimulos carni tuæ, tu illam aduerſus ſpiritum tuum armas, & potentem facis, cum eam ſatias.* Quid illuſtrius?

# OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

## *Et percuſſit Pontificis ſeruum.*

Qui

## Qui alium gladio occidit, gladio perit.

*Quia peccatum gladius animum internecans.*

32. VTi Petrum ab inſtituto reuocaret Dominus, inclamat, *Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Matth. 26. Vbi huiuſmodi à Doctoribus quæſtio ſuſcitatur, Non omnes, qui gladium accipiunt, gladio percunt. Id quod non indiget probatione. Non igitur aptè à Domino prolatum, *Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt.* De gladio ſpirituali aut inferni, aut peccati Saluator loquutus. De inferni gladio percutienti tyrannos Simon de Caſſia. De peccati autem rhompeæa ſic Auguſtinus lib. 2. de ſerm. Dom. in mon. cap. 26. à me datus in Commentariis: *Omnis, qui gladio percuſſerit, gladio morietur; quia ipſo peccato anima morietur, quodcumque* (lethale videlicet) *commiſerit.*

Matth. 26.

Auguſt.

33. *Gladio morit. peccator.* Gen. 2. *Gladio peribit.* Explicatur hic locus ille Geneſeos: *De ligno ſcientiæ boni, & mali ne comedas. In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Cap. 2. Cur addidit *Morte*, ſi, *Morieris* ſufficiebat, Scio Hebraiſmum eſſe, ac ſi diceret, Mortem incurretis, vti ait Lipom. At ſpiritualiter expendens cum Ambroſio, Voluit declarare Deus mortis genus. Ac ſi diceret, Gladio peribis, peccati gladio vulneratus morieris, Quia *cauſa* (ait ille) *mortis inobedientia eſt.* Hoc gladio percuſſi & corpore & ſpiritu interimus.

34. *Mortuus Cain liberatur à nece ſecunda.* Gen. 4. *Conſurrexit* olim *Cain aduerſus Abel, & interfecit eum.* Porrò Dominus benigniſſimus, *Poſuit in Cain ſignum,* nè à quocumque inuentus interimeretur. Gen. 4. Proh legiſlatoris futura præſcriptio! *Qui gladio interfecerit, gladio peribit.* Iube ô Domine huiuſmodi legem indicturus fratricidam gladio vulnerari. Iam legem impleuit. Et cur gladio bis à Deo daretur Cain, ſi non Deus vindicat bis in id ipſum? Iam ſe ſe Cain, percutiens fratrem, peccati gladio vulnerauerat. Pro verbo illo: *Et interfecit illum,* legit Philo Hebr. lib. quod deter. *Et interfecit ipſum.* Particulam autem: *Ipſum* non de Abele, ſed de Caino ſic exponit, *Prima quidem ſpecie Abelem occiſum ſubindicat; ſin autem diligentius rem expendas, ipſum Cain à ſe ipſo. Proinde ſic legendum, Inſurrexit Cain, & occidit ſe ipſum, & merito quidem.* Peccatum namque gladius animo verius, quàm corpori enſis, mortem inferens.

35. *Ex Iſaia confirmatur.* Iſaias concinens profatur: *Tu autem proiectus es de ſepulchro tuo, quaſi ſtirps inutilis pollutus, & obuolutus cum his, qui interfecti ſunt gladio.* Cap. 14. *De ſepulchro tuo*, id eſt, de corpore tuo. *Cum his, qui interfecti ſunt gladio*, videlicet, cum hominibus gladio peccati interfectis. Vnde Septuaginta. *Cum mortuis defoſſis gladio deſcendentibus in infernum.* Secundum quidem miſeri animi ſepulchrum, qui gladio peccati percuſſus pro ſepulchro vtitur corpore. Ailredus apud Tilm. *Omnium* (ait) *reproborum ſepulchra eorum ſunt corpora.*

Ailred.

36. *Peccatoris nullus vſus.* Annon perſpicuum ſignum lethalis vulneris animo inflicti eſt, nulli vſui hominem aptum remanere? Quis dubitet? Qui igitur gladio percutit proximum iniuſtè, ſe ſe gladio peccati ſic vulnerat: vt nulli vſui aptus reperiatur. Quodnam euidentius ſignum lethalis percuſſionis? Gen. 27. Poſt benedictionem Iacobo impertitam, Rebecca felici adoleſcenti, Tibi, ô fili, frater tuus Eſau mortem minitatur. *Fuge igitur ad Laban fratrem meum. Cur vtroque orbabor filio in vno die?* Vulgariter iam circumfertur myſtica D. Ambroſ. expoſitio, Non quaſi metuiſſet Rebecca, quod ad pugnam venientes, mutuis conciderent vulneribus. Sed quod alter alterum occideret, vterque incurreret mortem eodem die. Occiſus quidem corporalem mortem gladio æris; fratricida verò mortem ſpiritualem gladio peccati. Hæc communiter. Ego autem huiuſcemodi è gladio peccati vulnus ex eo innoteſcere reor, quod poſtquam Eſau interimeret Iacobum, nulli vſui ipſe Eſau aptus remaneret. Seſe igitur, occidendo, occidit. Pulchrè Caietan. *Cur vtroque orbabor filio in vno die? Altero, quia occidetur; altero, quia non erit mihi vſui occiſor filij mei.* Et quidem peccator non facilè cuiquam bono vſui vtilis reperitur.

Ambroſ.

Caiet.

## OBSERVATIO IV.

Ad illa verba:

*Mitte gladium tuum in vaginam.*

## Petrus iubetur in locum ſuum gladium adducere, vt tractent fabrilia fabri.

*Nec enim ingerendus ſum muneri, quod non didici.*

MATTHÆVS autem, *Conuerte gladium in locum ſuum.* Vbi ſcitè Simon Caſſian. *Locus gladij eſt vagina, non hominis caro. Si hominis corpus locus efficitur gladij, aut erit in corpore aliquid exortum impertinens ſecandum, atque curandum; aut erit in corpore culpa commiſſa in eodem multanda conſilio iudicis. Quod ergo eſt medici, agricultor omittat; quod verò eſt iudicis, piſcator non faciat. Proindè iuſtè dicitur Petro, & omnibus ſpectantibus ad ſimilem actionem, Conuerte gladium in locum ſuum.* Nec aptè piſcator militem, iudicem ager, aut chirurgum. 37. Caſſian.

Huiuſce ſententiæ duplicem pondero particulam. Altera ſic, *Quod eſt medici, agricultor omittat.* Annon *locus* agricolæ termini verſandi aratro, fœcundandi fimo, honorandi ſemente? Si agricola ſuos terminos excedens, aratrum conuertat in calamum, colendos terminos, gerens medicum, in papyrum: deficient planè cadaueribus ſepulchra, ipſique agricultori exitialis ruina parretur. Habet & diabolus terminos ſuos, quos iam indè à paradiſi exordio zizaniis ſeruit. Vndè ad illud, *Inter ſemen tuum, & ſemen illius.* Gen. 3. Caietan. affirmat *ſemen diaboli eſſe zizania*, quæ quidem malus hic agricola in medio 38. *Quod eſt medici agricultor omittat.*

Digitized by Google

medio tritici ſemper ſuperſeminare curat. Qui igitur ab initio huiuſcemodi agriculturę (aptius dixeris perditioni) operam dedit, ſub mundi termino, vltrà agri terminos exiliens medicinæ incumbet ſtudio. Vnde quod eſt medici admittens, & hominibus, & ſibi parabit ruinam.

Clem. Rom. Appoſitè equidem Clemens Roman. lib. 3. de Recog. *Iſta ſigna, quæ ad ſalutem hominum proſunt, & aliquid boni hominibus conferunt, Malignus facere non poteſt* (quia ſcilicet vltrà exitialis agricolæ terminos) *niſi in fine mundi tantum. Tunc admiſcere ei conceditur aliqua etiam de dextris ſignis. Id eſt, vt ægritudines ſanet. Et propter hoc, tanquam qui exceſſerit terminos, deſtruetur.* Illud pende: *tanquam qui exceſſerit terminos.* Munus tuum ô Zabule, terminos zizaniorum ſemente deprauare, id quod ab exoriente mundo præſtitiſti. Quid tibi cum ægrotis? Quid tibi cum calamo? Mitte, ô miſer, in locum ſuum, reuertere ad terminos deſtruendos, ne & tu ex alieno munere deſtruaris.

Alteram expendo particulam Caſſiani, *Quod eſt iudicis, piſcator non faciat.* Piſcator reficiat retia ſua, flumina percurrat, maria fatiget. Annon tabernacula, ſiue tribunalia iudicum ſediliat? Quid ergo cum tabernaculis piſcatori? Vereor nè piſcator aſſidere curans tribunali iudiciario, mundum afferat ad ruinam. Piſcator Petrus iam rursùm iudiciarium gladium eduxerat, ab alienoque loco rapuerat, dum apud Thabor, *Faciamus* (ait) *hîc tria tabernacula.* Matth. 17. Tabernacula? Quid cum iudiciario tabernaculo piſcatori? Ad iudicis piſcator munus properas? Mundo exiſtes exitialis. Eleganter ad hæc Timoth. Antioch. orat. de Cru. *Quid tibi in mentem venit, Petre? Quæ non didiciſti, facere aggrederis? Retia didiciſti contexere, num etiam tabernacula ædificare? Tibine* (ait Ieſus) *parebo, an mundum ſaluabo? Hiccine maneam? Quis mundum redimet? Tuine ſolius curam geris, an non totius mundi?* Tractent igitur fabrilia fabri. 39.

Quod eſt iudicis piſcator non faciat.

Matth. 17.

Timoth. Antioch.

# SECTIO SEXTA.

# Comprehenſio Ieſu.

## EX CAP. XXVI. MATTH.

## TEXTVS.

*Verſ.* 56. At illi tenentes Ieſum, duxerunt ad Caïpham Principem Sacerdotum.

## COMMENTARIVS LITERALIS.

### §. I.

### *Num Principes Sacerdotum, Magiſtratus, & ſeniores ad comprehenſionem Ieſu venerint?*

1. Beda expoſitio.

LVcæ Teſtimooium dat occaſionem quæſtioni, *Dixit autem Ieſus ad eos, qui venerant ad ſe Principes Sacerdotum, & Magiſtratus templi, & Seniores: Quaſi ad latronem exiſtis cum gladiis, & fuſtibus?* Luc. 22. Matthæus autem affirmat eos conueniſſe in domo Caiphæ nocte illa. *Illi* (inquit) duxerunt Ieſum *ad Caipham, vbi ſcribæ, & ſeniores conuenerant.* Cap. 26. Concordiam ſic Beda excogitarit: *Non per ſe ipſos, ſed per eos, quos miſerunt ad comprehendendum Chriſtum; quid aliud, quàm ipſi in ſua iuſſionis poteſtate venerunt?* Hoc probabile.

Beda.

2. Auctoris mẽs.

Probabilius tamen exiſtimo veniſſe ad Chriſtum comprehendendum ex Principibus Sacerdotum, Magiſtratibus, & Senioribus nõnullos: in domo verò Caïphæ alios rei exitum expectaſſe. Caiet. *Tanta erat iſtorum maiorum cæcitas, vt incredibile non ſit ex quolibet ordine (ſcilicet Primorum Sacerdotum, Magiſtratuum templi, & Seniorum) aliquem perſonaliter aduenisse, & non horruiſſe talem vilitatem.* Siue itaque ad præſentes per ſe ipſos, ſiue ad præſentes per ſuos miniſtros ſermo dirigatur: Id vtroque exponendi modo manifeſtat, hoſce Primores tanti eſſe ſceleris auctores.

Caiet.

3. Ieſus illigatur.

Ioannes denique teſtatur *Cohortem, & Tribunum, & miniſtros* Ieſum comprehendiſſe, & illigaſſe, funibus nimirum, vel etiam ferreis catenis ad robuſtiorem cuſtodiam. *Tum Diſcipuli omnes* (Matthæo adnotante) *fugerunt.* Petrus verò & Ioannes à fuga retracti, vſque ad domum Caïphæ ſequuntur Saluatorem. *Cum Ieſu* (inquit Origen.) *pro nobis omnibus moriente mori, vt nos viuamus, hominum non erat, quoniam omnes fuerant in peccatis, & omnes opus habebant, vt pro eis alius moreretur, non ipſi pro aliis.* Ideoque aufugere permittuntur.

Origen.

§. II.

## §. II.

*Num Ioannes adoleſcens ſindone amictus?*

*Non hic Ioannes, nec Iacobus.* Caiet. Ambroſ. Epiphan.

A*Doleſcens autem quidam ſequebatur eum*, (addit Marcus) *amictus ſindone ſuper nudo.*} Cap. 14. Quiſnam hic? D. Gregor. Beda, Gloſſ. Ambroſ. Baron. affirmant fuiſſe Ioannem Euangeliſtam. Improbo hanc opinionem hiſce nitens fundamentis. Ioannes tempore paſſionis agebat iam annum trigeſimum, vt ſcitè probat Caiet. ſent 6. q. 4. Non ergo dici poteſt, *adoleſcens*, ſiue vt Græco originali, *adoleſcentulus*. Deinde, Vndenam Ioannes ſeu ſindone, ſeu cœnatoria veſte (vti innuit Ambroſ. in Pſal. 36) indutus ſuper nudo prodire cogeretur? Num probabile Ioannem veſtium obliuiſci potuiſſe, cœnatorio indumento ad hortum pergens? Minimè igitur adoleſcens hic Ioannes. D. Epiphan. hereſi 78. reputat fuiſſe Iacobum Minorem linea ſolitum veſte indui. Profectò nec tunc Iacobus adoleſcens, nec vllam vim adiicit lineæ veſtis coniectura, quæ non ſindon, ſed veſtis appellaretur. Marcus indicat non fuiſſe Apoſtolum, Diſcipuli namque omnes fugerunt. Adoleſcens autem ſequebatur eum. *Adoleſcens*, (inquit) *non Diſcipulus.* Si Diſcipulus eſſet, proculdubio dixiſſet. *Vnus autem ex iis ſequebatur eum.* Theoph. putat fuiſſe adoleſcentem ex domo, in quo cœnauerat Ieſus.

Ego autem opinor fuiſſe adoleſcentulum aliquem horti ſeu cuſtodem, ſeu operarium, qui tumultu excitatus, & ductus curioſitate, Chriſtum ſecutus eſt. 5. *Auctoris mens.*

# IN IESVM PATIENTEM APVD HORTVM.

# Panegyricus ſextus Moralis circa Literam.

## EX COMPREHENSIONE IESV.

### *OBSERVATIO I.*

**Ad illa verba:**

***At illi tenentes Jeſum.***

**Principes, Magiſtratus, & Seniores perſonaliter ad Ieſu comprehenſionem progrediuntur, ex crudelitate vileſcentes.**

***Ira namque, ac crudelitas Reges ſeruos efficiunt.***

6. QVINAM illi? Lucas, *Principes Sacerdotum, & Magiſtratus templi, & Seniores.* Quiſnam tantam muneris celſitudinem, ac ingeniorum ſuperbiam ad tam abiectum miniſterium depulit? Audite, precor, Simonem Caſſian. lib. 13. ſcitè profantem: *Ecce Principes, & Magiſtratus, & Seniores perſonaliter progrediuntur ad nefas, qui per malè ſubiectos poterant cruda perficere. Nam ſæpè crudelitas vileſcere fecit animos generoſos, & dominationem coegit peragere officia ſeruitutis.* Munus igitur ſeruorum exequuntur, quia crudelitas eos ad ſeruitutem detorbauit.

*Simon de Caſſia.*

7. Super beſtias homo accepit dominatum. *Dominamini piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtiis terræ.* Gen. 1. Principes terræ, nempe homines ob crudelitatem ſe ſe miſerè in beſtias diras conuerſi addicunt ſeruituti. Chryſoſt. hom. 4. in Matth: *Tu, qui naturalem beſtiarum feritatem in eam, quæ contra naturam eſt, manſuetudinem ſæpè commutas, quam habebis excuſationem, tuam manſuetudinem naturalem in feritatem, quæ tuæ naturæ eſt inimica, conuertens:* Clamat iam Propheta. *Vbi ſunt Principes terræ, & qui dominantur ſuper beſtias.* Baruc. 3. Ac ſi diceret, Non ſunt iam Principes, ſi ob feritatem conuertuntur in tigridas, homini vti mancipia obſequium præſtitura.

*Homo ſeruus poſt iram.* Gen. 1. Chryſoſt. Baruc. 3.

Herodes ille tot innocentum trucidator, Ieſu ſæuus inſequutor regnauitne, an ſeruiuit? Quis dubitet ſeruiiſſe, qui à manſuetudine tam Regiæ cognata, imò eſſentiali poteſtati recedebat, ſeſeque ſubmittebat iracundiæ? Scitè Ioſephus lib. 17. Ant. c. 10. *Vir in omnes ex æquo ſæuus, iræ ſeruus.* De Herode texit ſermonem, quem equidem virum gratis appellauit, ab iracundia, & crudelitate effectum leonem. 8. *Seruus crudelis Herodes.* Ioſephus.

Vulgatiter iam circumfertur locus ille Geneſeos, *Iniecit vxor domini eius oculos ſuos in Ioſeph.* Gen. 39 Cur non dixit, domina? Reſpōdet D. Ambroſ. lib. de Ioſ. cap. 10. *Rectè quidem vxor Domini, non ipſa Domina dicitur. Nam quomodo domina, quæ ſeruulis libidinis incentiua præſtabat.* Aſt ego huiuſcemodi ſeruitutem non 9. *Ægyptia addicta ſeruituti.* Gen. 19. Ambroſ.

ex libi

ex libidine ſolum, ſed ex iracnodia, & crudelitate, qua Ioſephum in carcerem detrudi imperauit ortum habuiſſe reor. Princeps itaque Ægvptia illa ob iracundiam ipſius iracundiæ mancipium effecta eſt D. Chryſoſt. ad Pſal 48. egregiè. *Vxor Putipharis Ægyptianumquid erat Regina?* (poteſtate videlicet) *Numquia maximam habebat poteſtatem? Illa quidem repulſam paſſa receſſit, & alij animæ morbo mancipata eſt, nempe ira.* Id eſt, mancipium iræ facta eſt. Quàm præclarè Theogenes! *Nihil tam ô Cygne, iniuſtum eſt, quàm ira, qua dominumlædit, & animo commoto, miſerè ſeruum facit.* — Chryſoſt.

# OBSERVATIO II.

## Ad illa verba:

## *At illi tenentes Ieſum.*

## Chriſtus apud hortum, non apud templum, vbi docebat, illigatur.

*Libertatem innuens prædicationis, & templi reuerentiam.*

10. Matth. 26. CONSTITVTVS in horto comprehenditur, qui docens in templo quotidie, minimè vnquam illigatus eſt. *Quotidie* (ait Dominus) *apud vos ſedebam docens in templo, & non me tenuiſtis.* Quare apud templum nacti non ſunt Ieſu comprehendendi opportunitatem? Pulchrè Simon Caſ. lib. 13. *Non ceperunt in templo docentem quotidie.* Turbarumne verentes tumultum? Profectò *altiori myſterio factum eſt, ne Chriſtus docens caperetur in templo in quo nec potuit lapidari. Libertas doctrinæ, atque verborum Dei præfigitur, quod Chriſtus in templo docens non capitur.* Diſcant hinc verbi Dei præcones in Regum conſpectu non timere. Libertas etenim verbi Dei eum efficit terroribus, ac periculis ſuperiorem. — Simon de Caſſia.

11. *Verbum Dei non poteſt illigari.* 2. Tim. 2. Caſſian. Prædicatorum Princeps Paulus ſic concionatores eripere curat à timore. *Verbum Dei non eſt alligatum.* 2. Tim. 2. Ac ſi diceret, Quid in Principum, in Tyrannorum conſpectu pauore concutimini verbi Dei fruentes libertate? Quãdo verbum Dei illigatum fuit? Exponit ſic Caſſia. *Verbum Dei non eſt alligatum, neque concluſum aliquando fuit funibus Tyrannorum.*

12. *Ideo non incidit in cor auari vbi laquei.* Num. 23. Origen. Aurion fortiſſimæ ad comprehendendum auaritiæ catenæ? Porrò preſſus auaritia incidit *in laqueum diaboli. Dominus autem poſuit verbum in ore eius*, ſcilicet Balaam, Num. 23. Cur non poſuit in corde, vt de cordis abundantia os loqueretur? Profectò auaritiæ cupiditas cor miſeri præconis poſſidebat. Orig. *Iniecit verbum Dominus in os eius, quoniam nondum cor eius capere poſſet verbum Dei.* Quare non poterat excipere? *Adhuc enim erat in corde eius mercedis cupiditas.* Si cupiditatis ibi laquei, non poteſt verbum Dei excipi à corde. Præcordia enim à cupiditate poſſeſſa potius carcer, quam hoſpitium, verbum Dei alligabunt, retinebunt. At verbum gaudens libertate, tenendum, alligandum non eſt.

13. *Eſt aurum vincula neſciens.* Oſeæ 2. Hieron. *Aurum neſcit vincula*, profatus ſcitè Menander. Ex ipſius namque pretio vincula quæque comminuuntur. Appoſita ſententia hæc ad Oſeæ expoſitionem. *Neſciuit* (de malis verbi Dei miniſtris) *quia ego dedi ei frumentum, & vinum, & aurum multiplicaui ei.* Cap. 2. Vbi Hieron. pro auro *pulchra eloquia* interpretatus eſt. Quid cum auro Dei verbo? Num quia vtrumque rutilat, flectitur, operit, pretioſum eſt? Ita plane. Sed argumento aſſinius, aurum rectè exprimit pulchrum prædicationis verbum, quia ſicut aurum vincula neſcit, ita verbum Dei alligari non poteſt.

14. *Carpuntur concionatores.* Petrus Bleſenſ. Vnde reprehenſibilis admodum concionator, qui Regalibus curiis inclamans ob Principum timorem amiſſa libertate verbi, illigatur, & conſtringitur. Bellè ad hæc Petrus Bleſen. epiſt. 16. *Verùm ſacro eloquio pollens, qui tenetur fontes ſuos deriuare foras, talentumque ſibi à Domino creditum cum lucro reportare, omnino inexcuſabilis eſt, ſi curialibus vinculis ſe innectit.* Quid illuſtrius?

15. *Verbum Dei recludi non poteſt.* Pondera illud, *Qui tenetur fontes ſuos deriuare foras.* Quam malè; imò quam difficilè fons incarceratur! Poteſtne lux vinculis alligari? Porrò per rimulas & ingreſſum molitur, & egreſſum. Haud aliter fons vix poteſt recludi, Quare D. Ambr. in Pſal. 45 fatus: *Domine, verbum tuum lumen eſt, verbum tuum fons eſt.* Sapientia equidem *clamitat in plateis.* D. Bernard. acutè, *Et verè in plateis, quia in latitudine* Neſcit conſtringi verbum, neſcit incarcerari. Taxat Bleſenſ. concionatores eos, qui *talentum Domini terra infodiunt.* Ac ſi tyrannide vſi iniuſtè verbum; liberum vtique, vinculis, ac carceri amandarent. — Ambroſ. Bernard. Bleſenſ.

16. *Confirmatur Iudæorum experimento.* Experimentum capere curabant Iudæi, num Ieſus Dei verbum exiſteret? & inclamant, *Si Filius Dei eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei.* Matth. 27. *Si Filius Dei eſt* id eſt, ſi Dei verbum potens animos conuertere. Vndenam, ô Hebræi, documentum accipietis Ieſum eſſe Verbum? Si deſcendat, ſi velit, ſi ſe ſe facilè à vinculis clauorum expediat Quia verbum non poteſt alligari.

17. *Verbum minime clauis impeditum.* Matth. 16. Centurio *videns, quia ſic clamans, expiraſſet, ait, verè hic homo Filius Dei*, ſeu Verbum Dei *erat.* Matth. 15. Ac ſi ad pulſationem Verbi Dominici, colligeret, id à vinculis ſolutum, ſicuti Petrus è carcere eductus fores domus, vbi continebantur Diſcipuli, pulſabat. Ieſus igitur vinculis adſtringebatur, Verbum autem non potuit conſtringi. Vndè D. Bernard. ſerm. 28 in Cant. *Oculus pronunciabat infirmum, morte turpiſſima condemnatum, cruci illigatum, veri Dei filius, Dei Verbum innotuit.* Quia videlicer ſolutum diuagatur, & ad aures, ad præcordia pulſabat. Inde proculdubio pectora percutiendi dimanat affectus. — Bernard.

# OBSERVATIO III.

## Ad illa verba:

## *At illi tenentes Ieſum.*

## Magnum Chriſto properanti ad paſſionem, & mundi redemptionem opprobrium, vi comprehendi.

### *In noſtræ pigritiæ ad Dei obſequium reprehenſionem.*

18. QVi vltroneus currebat ad vincula, feſtinabat ad mortem, iuſtè conqueritur: *Tamquam ad latronem exiſtis cum gladiis, & fuſtibus comprehendere me?* Vbi Paſchaſ. lib. 12. *Ac ſi diceret: Stultum eſt, eum quærere cum gladiis, & fuſtibus, qui vltroneum ſe veſtris tradidit manibus.* Proh ingratæ cæcitas ſponſæ!

19. *Seſe Ieſus offerebat ad necem.* *Aperi* (ait Ieſus) *mihi ſponſa mea, quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctis.* Cant. 5. Quaſi paſſionis ſuæ (Patribus atteſtantibus) vltrò minimè rogitus munera largiretur. Et tunc inter tenebras iam in lectulo, iam per plateas, iam ad hortum deſcendentem requirit Sponſa? O quàm tenebris obcæcata dormiebat! Ad hæc Paſchaſ. (Cant. 5. Paſchaſ.) *Nimia cæcitas eſt, in nocte quærere cum facibus ac ſi à veſtris aſpectibus declinarem, qui ſemper vobiſcum eram clamans: Aperi mihi Sponſa mea, Quid ergo neceſſe fuit per hunc proditorem quærere me, & ac ſi fugientem inueſtigare? Quid eſt quod agitis, niſi quia vos demoſtratis eſſe in tenebris.*

20. *Id probat Ieſus.* Perſpicuo Ieſus vtitur argumento, vt probet, ſe voluntarie ad vincula tendere. Petro ſeruum Principis ſacerdotum vulneranti inquit: *An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, & ipſe exhibebit mihi modò pluſquam duodecim legiones Angelorum?* Matth. 26. (Matth. 26.) O bone Ieſu, recordare precor, te Patrem orauiſſe, vti calix transferretur, nec tamen exauditum. Hinc profectò infero Ieſum vltroneum ad vincula propetare. Vti Paternæ voluntati ſubiacere cupiter, non eſt de tranſmotione calicis exauditus: Vt autem appareat vltroneum ad laqueos properare, aperit fore; vt infallibiliter circa Legionum Angelicarum præſidium exaudiretur; ſi Patrem exoraret. Appoſitè Simon de Caſſia. (Caſſia.) lib. 13. *Subinfert Chriſtus, quoniam conformatè Paternæ voluntati & ſua libens patitur, cum dicit, An putas quia non poſſum rogare Patrem, & exhibebit mihi pluſquam duodecim legiones Angelorum?*

21. *Laqueos non declinauit.* Annon vltroneus comprehenditur; qui cognoſcens laqueos, minimè declinat? Iudas oſculo Filium hominis traditurus, venatorij canis inſtar, acceſſit ad prædam. At Ieſus nullatenus aufugit, ſed doli præſcius, ſeſe retibus implicauit. *Surgite eamus, ecce enim appropinquat, &c.* Dauid ad Abner inſidiis Ioab occumbentem: *Nequaquam* (inclamat) *vti ſolent ignaui, mortuus eſt Abner, manus tuæ ligatæ non ſunt, & pedes tui non ſunt compedibus aggrauati: ſed ſicut ſolent cadere coram filiis iniquitatis, ſic corruiſti.* 2. Regum 3. Vbi ſcitè Theodor. (Theod.) *Non es ligatus, ſed ſimulatio amicitiæ tibi vulnus intulit.* Ac ſi diceret, ligatus non eſt Abner, quia mortem non effugiebat, vltroneus potiùs ipſe ſimulati amici tetendit ad laqueum.

22. *Laqueis ſatagit implicari.* Dum obiicio menti Ieſum Diſcipulos excitantem non ad fugam, ſed ad appropiationem traditoro ex laqueorum præcognitione, *Surgite eamus:* apparet, quàm appoſitè de illo, *Sicut aquila prouocans ad volandum pullos ſuos.* Deuteronom. 32. (Deut. 32.) Ad quem locum Paſchaſ. (Paſchaſ.) lib. 3. in Thr. *Ergo ipſe eſt aquila, quæ dum prouocat pullos ſuos ad volandum*, dicens, *Surgite eamus: expandit alas ſuas ſuper eos*, vt protegat. *Si ergo me quæritis, ſinite hos abire. Laqueo eorum captus eſt inſidiis.* Cognoſcebat inſidias? Ita planè. Declinabat, quas inſidias proditoris dignoſcebat? Minimè verò. Vltroneus igitur illaqueatus eſt, iuſtèque conqueritur, *Tanquam ad latronem exiſtis cum gladiis, & fuſtibus, &c.*

LIBER

# LIBER NONVS.

# CRISTI PASSIO EX CAIPHA.

## Paraphraſes, Commentariique Litterales ad Caput vigeſimum ſextum Matthæi, vigeſimum ſecundum Lucæ, decimum quartum Marci, & decimumoctauum Ioannis.

### *PANEGYRICI MORALES CIRCA Litteram in IESVM patientem.*

### PROLVSIO.

Dominici Vitæ ligni FRVCTVS IX.

DIVINVS *Paſtor ille, ouibus recedentibus illigatus ad Annam, ad Caipham adducitur. En Abel paſtor ouium à Cain agricola interemptus. Geneſ. 4. Ad quæ Rupert.* Totum, quod pertulit Abel, parabola eſt vel figura Domini noſtri Ieſu. Fuit ille Paſtor ouium: & Chriſtus: Ego, ait, ſum Paſtor ouium. Et ſicut Cain agricola perſecutus eſt paſtorem Abel, ita Annas & Caiphas hunc Paſtorem bonum occiderunt. Vnus enim & alter cum illo Cain *(de perſequentium more)* vnum corpus effecêre.

MATTH. MARC. IOANN.

Marc. 14. *Verſ.* 55. Summi verò Sacerdotes, & omne conſilium quærebant aduerſus Ieſum teſtimonium, nec inueniebant.

*Verſ.* 61. Ieſus autem tacebat, & nihil reſpondit.

Ioan. 18. *Verſ.* 22. Vnus *autem* aſſiſtens miniſtrorum dedit alapam Ieſu, dicens: Sic reſpondes Pontifici?

*Verſ.* 23. Reſpondit ei Ieſus: Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo; ſi autem benè, quid me cædis?

PARAPHRASIS.

55. *Nullus hoſtis capitalior Ieſu, quàm ſummi impij Sacerdotes, qui quidem cum ſcribis & ſenioribus conuenêre. Et ne viderentur homicidæ potius, quàm læſæ pietatis vltores, aduerſum Ieſum falſum teſtimonium venari contendunt; nec tamen vllum potuit humana verſutia excogitare.* Ex cap. 14. Marc.

61. *Ad hæc obticuit Ieſus, nec quidquam reſpondit. Fruſtra enim ſeſe defenderet innocentia.*

22. *At Pontifex, quò ſpeciem aliquam legitimi iudicij præberet, multa interrogat, quibus cum Ieſus modeſtè ſatisfaceret, quidam miniſtrorum, haud expectato ſui domini iuſſu, in faciem Ieſu alapam impingit, addens conuitium, Siccine tu reſpondes Pontifici?* Ex cap. 18. Ioan.

23. *Reſpondit Dominus liberè quidem, ſed manſuetiſſimè. Loquor apud iudicem, & reſpondeo rogatus, hic rationibus, non alapis agitur. Si quid malè dixi, doce: ſin nihil mali locutus ſum, cur tu iudicis miniſter in iudicio, tacente iudice, me diuerberas.*

Marc.14. *Verſ.* 65. Et cœperunt quidam conſpuere in eum, & velare faciem eius, & colaphis eum cædere, & dicere ei: Prophetiza.

*65. Iam equidem velut ritè damnatum Ieſum quidam ex illis cœperunt conſpuere, alij verò obtegere faciem eius, & colaphis impactis, inclamare: Vaticinare, quis te percuſſit? Haud difficile vaticinium. Sed Dominus quaſi velamine obtectus, ſe ſimulat non videre, ne illicò punire cogatur.* Ex cap. 14. Marc.

Matth. 26. *Verſ.* 69. Petrus verò ſedebat foris in atrio: & acceſſit ad eum vna ancilla, dicens: Et tu cum Ieſu Galilæo eras.

*69. Interea Petrum in atrio ſedentem, ac procul triſte ſpectaculum contemplantem adit ancilla fata: Tu quoque fuiſti huiuſce Galilæi aſſectator.* Ex cap. 26. Matth.

*Verſ.* 70. At ille negauit coram omnibus, dicens: Neſcio, quid dicis.

*70. Petrus autem ad muliercula vocem exanimatus, coram omnibus Dominum abnegauit. Quod cum non ſemel accidiſſet, galli cantu excitatus, & præcipuè oculorum Ieſu admonitione ad ſe reuerſus, ſtatim reſipuit, & egreſſus foras, amarè defleuit.*

## SECTIO PRIMA.

# Iudæorum calumniæ.

## EX CAP. XIV. MARCI.

### *TEXTVS.*

*Verſ.* 55. Summi verò Sacerdotes, & omne conſilium quærebant aduerſus Ieſum teſtimonium, nec inueniebant.

### *COMMENTARIVS LITERALIS.*

### § I.

### *Cur Sacerdotes, & omne conſilium falſa teſtimonia requirebant?*

1. *Caſſia reſponſio.* QVÆREBANT *aduerſus Ieſum teſtimonium.*] Quorſum, ô deprauati Proceres, teſtimonium quæritis, qui innocentem interimi iam decreuiſtis? Intendebant proculdubio ſpeciem aliquam iuris illi obtendere accuſationi. Simon de Caſſia: *Inquirebant teſtimonia, vt zelo iuſtitiæ puniretur, quem ipſi zelo inuidiæ ſectabantur, & iuſtitiæ velamento inuidiam, & animi crudelitatem palliare tentabant.* Sic hodie plurimi.

2. *Auctoris placitum.* Hoc equidem à me in Paraphr. datum. Nec minus conſonè & literæ, & Sacerdotum improborum procacitati, qui tam apertè Ieſu collocabant inſidias, reor, ideò teſtimonia contrà Saluatorem quæſiiſſe, quia ipſis non licebat ad capitalis ſententiæ accingi executionem, ſed damnatum ad Romanum præſidem debebant adducere, vt iure examinatus miniſtrantibus ſecularibus militibus reus ſupplicio capitali traderetur. Ideò quærunt falſa teſtimonia, quæ apud Præſidem ſuam poſſint inuidiam palliare, Ieſumque reum capitis perſuadere. Confirmo ex Caiet. *Quia non poterant Ieſum damnare ad mortem cum executione, reſeruato iudicio mortis* (id eſt, executionis capitalis ſententiæ) *Romanis, ideò quærebant teſtimonia, quibus poſſent apud præſidem Pilatum obtinere mortem Ieſu.* Caiet.

### §. II.

### *Num inuenerint hi falſa teſtimonia à ſe requiſita?*

3. *Græca lectio.* NEc *inueniebat.* Græcè bis legitur. *Quærebant falſum teſtimonium, & non inuenerunt: & cum multi falſi teſtes aduenisſent, non inuenerunt.*] Inuenerunt illi quidem falſos teſtes, qui falſa teſtimonia proferrent; at falſa teſtimonia non potuerunt inuenire. Non ſemper qui in proximi exitium falſos adit teſtes, nactus eſt impiæ mentis executionem. Facillimè namque Iudex inuiſibilis falſorum teſtium aſſolet infatuare ſententiam.

Num

4\. *Quodnam quærebant teſtimonium.* Num falſi teſtes? Ergo falſa teſtimonia proferebant. Ergò inuenerunt Sacerdotes, & omne conſilium falſa teſtimonia, quæ quærebant. Fateor falſa teſtimonia inueniſſe, ſed minimè inuenere, quæ requirebant. Conabantur enim aliquid aduerſum Ieſum confingere, & probare teſtibus iniquis, quod Ieſum mortis eſſe oſtēderent reum. Id quod nullatenus, nec poſt conſilium initum, nec poſt teſtium iniquorum conferentiam potuerunt inuenire.

5\. Exiſtimo igitur illud, *Conuenientia teſtimonia non erant*, idem eſſe ac, non erant exceſſus illi capitali ſententiæ obnoxij. Græcè, Non *erant teſtimonia æqualia morti.* Non erant idonea, queis Pilatus Ieſum ſupplicio addiceret capitali. Sequor D. Leonem ſerm. 10. de Paſchal. fatum: *Multis modis Iudaica impietas laborabat, vt occaſionem aliquam perpetrandi in Dominum Ieſum ſceleris inueniret. Mendacia, quæ falſi teſtes, iniuſtis Sacerdotibus famulando, protulerant, nihil quod morte dignum eſſet, adferebant.* *Confirmatur. D. Leo.*

---

IN IESVM PATIENTEM APVD CAIPHAM.

# Panegyricus primus Moralis circa Literam.

## EX IVDÆORVM CALVMNIIS.

## *OBSERVATIO I.*

Ad illa verba:

***Summi Sacerdotes quærebant aduerſus Jeſum teſtimonium.***

Iudices hi teſtes effecti, & actores, populo vniuerſo exitiales.

### *Contra improbos Judices.*

6\. NEMO *poteſt ſimul eſſe* (cum Plutarcho loquor) *& accuſator, & iudex.* Non poſſum non mirari impudētiam Iudicum falſum contra Ieſum teſtimonium quærentium. Iudices partem induunt, teſtis agunt perſonam? Tota Ciuitas deprauata eſt. O quam verè Iſaias! *A planta pedis, vſque ad verticem capitis non eſt in ea ſanitas.* Nunquam enim non populus premitur exitio, cum Iudices aut partē, aut teſtem agere non verentur. Appoſitè D. Paſchaſ. Non inuenerunt, qui quæſierunt. *Ex quo patet, quia ſecundum Prophetam, eo in populo à planta pedis vſque ad verticem capitis nō erat ſanitas, ſed vna iniquitas in omnibus, vna intentio,* Vna quidem intentio, quia Iudex idem procurabat, ac falſus teſtis; idē ac concitatus populus ſatagebat. Demoſth. aiebat, *Etiā religioſus iudex poteſt prauè iudicare.* Si religioſus valet errare; quid ſine vlla religione peruerſitate inaffectās?

7\. *Cum iudex teſtis, flagrāt delicta.* Vt aperiat D. Cyprianus lib. 2. Epiſtol. ad Donat. populi miſerandi flagitia, memorat peruerſitatem iudiciorum. *Inter leges ipſas delinquitur. Haſta illic, & gladius, & carnifex præſto eſt. Quis inter hæc ſubueniat? Patronus? Sed præuaricatur, & decipit. Iudex? Sed ſedet crimina vindicaturus. Et vt reus innocens pereat, fit nocens teſtis Iudex.* Ac ſi diceret, Iudex actoris, teſtiſque induit perſonam. Quid plura? *Flagrant vbique delicta, & paſſim multiformi genere peccandi per improbas mentes nocens virus operatur.* Quia haud in populo ſanitas, vbi Iudex mutatur in actorem, proſilit in teſtem.

8\. *Iudex Deus & pater debet eſſe.* De duobus filiis Samuelis, quos ille *poſuit iudices ſuper Iſrael?* Textus inquit, *Et non ambulauerunt filij illius in viis eius ſed peruerterunt iudicium.* 1. Reg. 8. Quid peruerti iudicium? Profectò iudicium rectum, & ſanctum eſt, cum Iudex iudicis ſententiam ferentis iuxta allegata, & probata munus gerit; actor poſtulat, teſtis probationes accumulat. At peruertitur tunc iudicium, cum vniuerſa hæc commiſcentur, actor agit Iudicem, Iudex autem teſtem, & actorem. Iam verò videamus, num ex huiuſmodi perturbatione, aut peruerſitate iudicij lues in rempublicam deriuetur? Profectò Iudex, vt ſit Reipublicæ ſalutaris, & Deus & Pater debet eſſe. Deus quidem, vt minimè perſonam accipiat: Pater autem, vt omnibus prouideat: Deus, vt reprobos contineat, & arceat: Pater, vt protegat, & ſalubriter reficiat. At iudicium peruertens nullatenus aut Deus, aut Pater eſt, vnde ciuitas ſine Deo, ac Patre miſerè diſturbatur, ac comminuitur. De filiis prædictis Samuelis adiicitur, *Fuit nomen filij eius primogeniti Ioel; & nomen ſecundi Abia.* 1. Regum 8. Quid Ioel? *Fuit Deus.* Quid Abia? *Fuit Pater.* Quaſi poſt iudicij peruerſionem nec Deus iam, nec Pater eſſet. Sic Rabanus, *Bene qui inchoata iuſtitia non permanſerunt, Fuit Deus, & Fuit Pater nomina-* *1. Reg. 8.* *Raban.*

*ti ſunt.* Quare? Quia ſine rectitudine iuſtitiæ Reſpublica plerumque & Dei & Patris protectione orbatur, vndè miſere cogitur deperire. Aiebat Seneca in Prouer. *Si verò quis aliquem iudicem excitet in teſtem: is de hac cauſa iudicium non ferat.* Quia vel eum citatum eſſe in teſtem, omninò à ferendæ ſententiæ poteſtate debet abſtrahere.

## OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

### *Quærebant falſum teſtimonium.*

### Principes iniqui requirunt falſos teſtes: falſi teſtes Principibus aſſident iniquis.

*Vbi enim iniqui Proceres, falſi teſtes reperiuntur.*

9. VIx equidem Principum aſpexi iniquitatem, vix Sacerdotum Principes, Ieroſolymæ Proceres vidi iniqua teſtimonia quæritantes, cum inclamaui: O quomodo teſtibus iniquis, animi vermibus populus ſcatebit! Inueni mox D. Paſchaſium lib. 12. huiuſce Paſchaſ. cogitationis authorem, Principes Sacerdotum quærunt falſum teſtimonium aduerſus innocentem? Conuenient planè multi teſtes iniqui. *Miſer populus, cuius Principes iniqui ſunt, & quorum ſeniores peruerſi, quia multi falſi teſtes in eorum numquam deſunt Conciliis. Nam Princeps, qui audit mendacia, omnes miniſtros habebit impios, quanto magis & ſi quæſierit eos?*

10. *Doloſi coram improbis Regibus.* Exod. 6. Vbi Princeps improbus, ibi doloſi. Loquitur Moyſes ad Pharaonem Regem iniquiſſimum. Quod cum nullatenus audiretur, virgam mittit in terram in doloſum ſerpentem commutandam. Cur ita? In conſpectu Principis iniqui potiorem planè locum doloſus, conſictus, quàm fidelis, & verus adipiſcitur. Pulchrè D. Chryſoſt. Chryſoſt.ſerm. de lapſu hom. *Proh neſas! Præceptum Domini contemnitur, & perſuaſio ſerpentis auditur; deſpicitur Deus prouidens, & ſerpens auditur decipiens.* Proceribus quidem hoc vitium magis genuinum, vt velior magis mendaciis titillati, quam dictis ſtimulari veracibus.

11. *Veraces exulans.* Nuo audiuntur viri veraces à Regibus iniquis. Deus Moyſi: *Ingredere, & loquere ad Pharaonem Regem Ægypti.* Ille antem obiecit, *Quomodo audiet me Pharao, præſertim cum incircumciſis ſim labiis?* Exod. 6. Exod. 6. Auguſt. D. Auguſt. q. 16. in Exod. transfert, *Ecce ego gracili voce ſum.* Quid ſi gracilis ſit vox? An mitteris Niniuitas prædicatione alta reducturus? Non ferrea voce tibi opus eſt, ſed ſibilo auræ tenuis. Doctor ergu appoſitè: *Mirum eſt tam gracili voce Moyſem fuiſſe, vt nè ab vno quidem homine poſſet audiri. An fortè Regius faſtus non permittebat eos de proximo loqui ſecum?* Ac ſi diceret, Vbi Principis ſuperbia aderat, ibi fidele, ac verum teſtimonium neceſſum erat conticeſcere. Quia veritas à conſpectu iniquorum Procerum ablegatur.

## OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

### *Quærebant teſtimonium, nec inueniebat.*

### Ieſu innocentiam nec falſa teſtimonia poterant obſcurare.

*In eorum leuamen, qui falſis teſtimoniis agitantur.*

AN nun cœleſtis innocentia, quæ nec hoſtium figmentis obſcuratur? *Multis* (ait D. Leo) *modis Iudaica impietas laborabat, vt occaſionem aliquam perpetrandi in Dominum Ieſum ſceleris inueniret. Mendacia, quæ falſi teſtes iniuſtis Sacerdotibus famulando, protulerant, nihil adſerebant.* 12. D. Leo.

Imò neque inueniebant exitum, ad viam huiuſce iniuſtæ probationis excogitandam, ad oppugnationem inſtituendam. Matthæus: *Quærebant falſum teſtimonium contrà Ieſum, & non inuenerunt.* Cap. 26. Aliter, *Et non inuenerunt exitum.* Tanto illi perſtringebantur innocentiæ Dominicæ fulgore, vt exitum minimè adinuenerint. Siue exitum non inueniebant, qua poſſent calumniarum inchoare viam. Paſchaſ. lib. 12. *Non inuenerunt exitum, id eſt, quomodo vel ipſum falſum teſtimonium collocarent, vel quomodo fictè ſic proferrent, vt vel veriſimile haberi videretur.* Proh innocentia Ieſu, quæ nec quonam modo in diſputationem incidat poteſt ab hoſtibus excogitari. 13. *Neque, vnde inchoarent impugnationem, inueniebant.* Matth. 26. Paſ. haſ.

Non magnum, inclamare Sponſam in Ieſu ſinu reſidentem, *Manus eius tornatiles.* Cant. 5. Apetiens Samuel incorruptus olim Iudex manus, inclamauit, ſe minimè muneribus corruptum. Profectò apud manus latibula, loculi, queis poteſt auaritia abſcondi. At manus Ieſu omninò immaculatæ conſpiciuntur, quia *tornatiles.* Interlin. *In nullo reprehenſibiles.* Tornatilis enim manus nulla poteſt latibula fouere. 14. *Ieſu manus ſine dolo.* Cant. 5. Interlin.

Annon vox populi tis Dei vox? Audite turbas. *Hoſanna Filio Dauid: Benedictus qui venit in nomine Domini.* Matth. 21. Obiicis turbas etiam poſtmodum vociferantes, *Tolle, tolle, crucifige eum.* Ioan. 19. Hinc potius colligitur innocentia Ieſu. Com mala opinio conſtans non eſt, ſed vulgaris vox modò affirmat, modò abnegat pro mutabilitate cognata, ſignum eſt abſolutionis. Id quod pulchrè adnotauit Simon de Caſſia fatus: *Vbi vulgaria teſtimonia non conueniunt, irreprehenſibilis vita fuit. Conuenientia verò vitam arguit crimino ſam.* Quaſi diceret, Cum vulgaris opinio conſtanter hominem condemnat, damnabilis procul dubio apparet; 15. *Turbarum acclamatione innocens Ieſus.* Matth. 21. Ioan. 19. Caſſian.

eum

Digitized by Google

cum autem vulgus variè loquitur, conſtantia virtotis arguitur. Vulgus etenim tam addictus malæ locutioni, vt minimè decenter de proximo loqueretur, niſi ab ipſa impelleretur veritate. Aliter D. Ambroſius lib. 10. in Luc. duo pugnantia teſtimonia, *Hoſanna, &c.* & *Tolle, tolle*, facit cohærere. Com *Tolle, tolle*, inclamatur, loquitur deprauatus affectus. Cum *Hoſanna* reſonat, veritas, inuitis hoſtibus, vociferatur. *Verè* (inquit) *memorabile diuinæ operationis inſigne, vt aduerſum ſe teſtimonium extorqueatur inuitis; cum Ieſum negant affectibus, quem vocibus confitentur.* (Ambroſ.)

16. *Iudices Ieſu prædicant innocentiam.* Enimuerò efficaciùs innoteſcit Ieſu ſanctitas, dum Principes, ſeu Iudices teſtes efficiuntur innocentiæ. Egregia profectò huiuſce innocentiæ teſtificatio Iudæ proditoris, *Peccaui, tradens ſanguinem iuſtum.* Matth. 27. Vxoris Pilati, *Nihil tibi, & iuſto illi.* Ibid. Latronis, *Hic nihil mali geſſit.* Luc. 23. Centurionis, *Verè hic homo iuſtus erat.* Ibid. Turbarum adſtantium morienti, *Percutientes pectora ſua, reuertebantur.* Luc. 23. Ipſorum denique dæmonum, *Exibant clamantia, & dicentia, Quia tu es Filius Dei.* Luc. 4. Porrò Iudices teſtes effici innocentiæ, dum quærentes teſtimonia conficta, non inueniunt, præclariſſimum eſt ſanctitatis documentum. Pilatus iudex clamat, *Ego nullam inuenio in eo cauſam.* Ioan. 18. (Ioan. 18.) Principes iudices falſa teſtimonia requirunt, nec inueniunt ipſi effecti teſtes ſanctitatis. (Paſchaſ.) D. Paſchaſ. ad hæc, *Principum concitatio, Sacerdotum; & ſcribarum conuocatio, necnon & ſeniorum, atque omnis Concilij conſpiratio, vt maior laus Chriſti, ac vita & doctrina irreprehenſibilis prædicetur. Qui ſic omnia irreprehenſibiliter fecit, & docuit: vt in eo nihil inuenirent mali ſimile multi mendaces, callidi, & aſtuti Principes.*

# OBSERVATIO IV.

### Ad illa verba:

## *Nec inueniebant.*

## Quærentes falſum teſtimonium in mediis falſis teſtibus non inuenerunt.

*Quia teſtis falſus nec à peruerſis iudicibus creditur.*

17. Paſchaſ. VBi eleganter D. Paſchaſius, *Quia falſi teſtes erant, qui acceſſerunt, quomodo non inuenerunt falſum teſtimonium, quod quærebant?* Reſpondet, *Inuenerunt vtique falſum, quod quærebant, & non verum, quia Ieſus innocens erat.* Hinc alia inſurgit difficultas. Si inoenerunt falſum teſtimonium, quod requirebant, quonam modo aſſerit Euangeliſta falſos teſtes, ſiue potiùs Primores illos falſum teſtimonium non inueniſſe? Rationem reddit notanter Textus: *Quærebant falſum teſtimonium, nec inueniebant, cum multi falſi teſtes conueniſſent.* Id eſt, Ideo non inueniebant, quod quærebant; qoia falſi teſtes illi, qui ad comprobationem aduocabantur. Teſtis etenim falſus nunquam creditur. Adiicit Paſchaſius: *Et non inuenerunt. Non quia falſum non inuenerunt; ſed quia ſic inuenire non potuerunt, vt falſitas non videretur.* Nunquam enim falſis teſtibus (iis ſcilicet, qui ad iniuſtam teſtificationem aſſolent conduci) credulitas adhibetur.

Vt veritas validiùs adſtruatur, vel ipſa obiectione confirmo. Zabulum quidem meritò teſtis deprauatus noſtrorum fratrum nuncupatur. Non obſcurum olim vel ipſi dæmones de Chriſti Domini diuinitate teſtimonium præbuere. 18. *Diabolus vera proferens non creditur.* *Exibant autem dæmonia à multis clamantia, & dicentia, Quia tu es Filius Dei.* Luc. 4. (Luc. 4.) Sed ſtatim ſequitur, *Et increpans, non ſinebat ea loqui.* Quarè prohibebat dæmonia profari? Reſpondes, Quia volebat myſterium diuinitatis tunc occultari. Si hoc intendebat, cur ab initio loqui non impediebat? Quia diabolus (aptius inſtituto) falſus teſtis cum eſſet, nullatenus crederetur, etiamſi verum protuliſſet. Vndè teſtimonium diaboli quaſi minimè exhibitum. Sine ergo, ô Domine, eum vociferari, ſi minimè credendus. Non prohibuit Ieſus diaboli teſtificationem, quod eſſet credendus; ſed vt (ex Patribus) manifeſtus dæmoniorum aduerſarius crederetur; ſed vt adolationem ſibi inuiſam omnino demonſtraret; ſed vt immundum os obſtrueret, ne indignè exiſteret præco veritatis. Non igitur prohibetur diabolus, quia credendus eſſet. Nunquam enim falſo teſtificatori, etiam cum vera euulgat, credulitas exhibetur.

Loquutus olim Dominus de delictis comprobandis, ait: 19. *Mendax non creditur.* *Si ſteteris teſtis mendax contra hominem, accuſans eum præuaricationis, ſtabunt ambo, quorum cauſa eſt, antè Dominum in conſpectu Sacerdotum, & Iudicum, qui fuerunt in diebus illis.* Deuteronom. 19. (Deut. 19.) Vbi requiro, Vndenam teſtificatio illa ſuſpecta reddebatur? Num reclamat accuſatus? Minimè, ſed eo ipſo, quod homo ille teſtis mendax iam haberetur, habitus, cui minimè fides adhibenda eſſet. Quare vt credibilis ſit falſus teſtis, neceſſum, non apud homines, cauſam diſcuti; ſed apud Deum. *Stabunt ante Dominum.*

Iuſtus Origenes contrà Celſi calumnias in Chriſti aſſeclas reſpondere, profatur, 20. *Confirmatur ex Origene.* *Criminationibus eius nihil ineſt veriſimile.* Quia eius, quia mendacis teſtatoris, quia ab omnibus non ſemel mendax deprehenſus. Mendax ille? Ergo nobis tacendum.

Id quod eleganter probat Ieſo exemplo. 21. *Ieſu probat exemplo.* Apud Caipham à falſis teſtibus impugnatus, cum Princeps Sacerdotum inclamaret, *Nihil reſpondes ad iſtorum aduerſum te teſtimonia? Ieſus tacebat.* Matth. 26. (Matth. 26.) Apud Pilatum autem Accuſatus nihil reſpondit, *ita vt miraretur Præſes. Non audis* (inquit) *quam multa aduerſum te dicant teſtimonia? Et non reſpondit ei vllum verbum. Erat enim* (ait Origen.) *res vera dignum, quod quiuis vel mediocriter prudens miraretur, eum qui falſis teſtimoniis vrgeretur, cum poſſet ſe defendere, adeo nihil horum curaſſe, vt ſtrenuè accuſatores contempſerit.* Iam non mirabilis taciturnitas Ieſu, ſi contemptibiles accuſatores. Et quando falſi teſtis accuſatio non fuit contemptibilis?

Probauit euentus. Præſes poſt accuſatorum 22.

*Cr editi non ſunt illi teſtes.* inſtantiam, poſt Ieſu ſilentium *procurat* (ait Pater) *dimitti Ieſum, Vtrum vultis dimittam vobis Barabbam, an Ieſum? Sciebat enim quod per inuidiam tradidiſſent eum. Ieſus ergo falſis teſtimoniis premitur, ſilet quidem nunc, nec reſpondet voce.* Et tamen innocens habetur vel à profano Iudice. Vndenam id? Quia falſorum teſtium numquam accuſationes vllius ponderis reputantur. Si enim voce non reſpondebat, teſtium perfidia eum innocentem proclamabat.

23\. *Duo falſi teſtes, etiam ſi verum enunciabant non credebantur.* Teſtor denique conteſtantes illos auriculates teſtes, Audiuimus Ieſum proclamaſſe: *Poſſum deſtruere templum Dei, & in triduo ædificare illud.* Matth. 26. Et tamen *conueniens non erat teſtimonium.* Quemadmodum olim Senum apud Danielem circa arborem teſtimonia non copulabantur. Porrò hi teſtes vna voce fatentur Ieſum aſſeruiſſe: *Poſſum deſtruere Templum, &c.* Quare igitur teſtimonia haud conuenientia reputantur, vnde repellenda à iudicio? Euangeliſta reſpondet: *Nouiſſime autem venerunt duo falſi teſtes.* Qui quidem vera pronunciabant (licet iuxta ſenſum, quem intenderant, falſum aſſerebant) & tamen minimè credebantur; quia falſi teſtes, etiam cum vera narrant, cum deprauatis Senibus Suſannæ calumniatoribus amandandi ſunt. *Non erat* (inquit Simoo de Caſſia) *conueniens teſtimonium. Iure conueniens non erat, quia dolus & fraus conuenerant.* Caſſia. Id eſt, quia doloſi & fraudulenti teſtes conuenerunt. *Venerunt duo falſi teſtes.* Queis minimè fides adhibenda eſt. Quam bellè Naſo 1. Amor. 10. illos taxat qui falſos teſtes in cuioſlibet rei probationem (fruſtra quidem) adducunt:

*Non benè conductis vendunt periuria teſtes.*

Nec enim benè, ſeu prudenter à te conducuntur in teſtes, qui eo ipſo quod periuria vendant, à nemine credendi ſunt.

# SECTIO SECVNDA.

# SILENTIVM IESV.

## EX CAP. XIV. MARCI.

## *TEXTVS.*

*Verſ. 61.* Ieſus autem tacebat; & nihil reſpondit.

## *COMMENTARIVS LITERALIS.*

### §. I.

### *Ieſus ſilentium apud Caipham.*

1\. *Silentium Ieſu inter calumnias.* IESVS *autem tacebat.*] Formula iudicij tunc erat, vt locus reo ſe defendendi, & reſpondendi præberetur. Redit Caiphas ad morem aliquid expiſcandi ex ore Dominico. Exſurgit ira concitatus, & tanquam furioſus contra ordinem iudicij, Iudex enim tranquillitate animi pietatem debet oſtendere. *Nihil* (inquit) *reſpondes ad ea, quæ iſti aduerſum te teſtificantur? Ieſus autem tacebat.* Quare? Plures cauſas Doctores excogitauère. Aliquas innuendas duxi.

### §. II.

*Tacet Ieſus, ne exaſperato Iudæorum vulnere, ad alta flagitia excitarentur.*

Iræ enim locus exhibendus.

2\. Caſſia. Simon de Caſſia, primam cauſam expreſſit: *Nec ad obiecta reſpondes, inſinuans, cum negantibus veritatem non eſſe in iudicio differendum, niſi ſuperioris iudicio arceantur. Semper enim reſponſio falſitatem per amplius exhauriret de illorum cordibus. Et adderentur peccata peccatis, & cumulus falſitatis excreſceret.* Profectò hinc potuiſſent digooſcere Iudæi Ieſum eſſe Dei Filium, qui vt Patrem imitaretur, anſam quamcunque auferre curabat, vnde hoſtes potuiſſent ad noua crimina excitari.

Mox vt Caiphas Ieſu ſilentium adnotauit, 3. *Ieſus refert Patris mores.*
dixit: *Adiuro te per Deum viuum, ſi tu es Chriſtus Filius Dei benedicti.* Quaſi aliquod ex ſilentio Ieſu documentum accepiſſet, vti eum Dei Filium aſſereret. Patris enim morem referebat, homines à peccati illice retrahendo. Ex Leuitica tribu olim centum quinquaginta viris ad inferos deturbatis, propterea quod fumantibus thuribulis, ſummum Sacerdotium præripere conarentur: præcepit Deus Eleazaro, vt tolleret thuribula, quæ iacebant in incendio, & producta in laminas affigeret altari. Num.19.
Num. 16. Quare? Caiet. *Vt eſſent in ſignum filiis Iſrael.* Caiet. Ne rurſum ad huiuſmodi ſacrilegia prolaberētur. Accōmodatius argumento exiſtimo, vt omnis occaſio ſimile patrandi ſacrilegium tolleretur. Nam ſi integra remanerent, auſus facilè traherentur. *Si* producta quidem in laminas,

nas, ſedoon altari ſuffixa, facilè inde ſublata in noua thuribula conflarentur. *Ne quis accedat,* (inquit Textus) *alienigena, & qui non eſt de ſemine Aaron, ad offerendum incenſum Domino: ad Moyſem.* Id eſt, præcipiente thuribula in laminas produci, & affigi altari. Caietan. *Loquente Iehouah.* Ac ſi Ieſu Patris filio proprium, omnem delinquendi anſam ab hominibus ſceleratis auferre.

4. *Confirmo.* Exod. 27. Ambroſ. Caiet. Quæſtio voluitur num expiationis Angelus corporali ſpecie apparu fiet, vt ad interrogata reſponderet? Affirmat Abulenſis, dum indicat in ſolo huiuſcemodi die thymiama ſolitum adhiberi ad tegendum oraculum fumi exhalatione. Caietan. autem aſſerit, Deum in propitiatorio infigurabilem ſe adorandum præbuiſſe, ne quod periculum idololatriæ illi populo daretur. Non id abnegamus. Imò qui ſemel viſibiliter dignabatur apparere in Ieſu Dei inuiſibilis, & viſibilis hominis honorem expiationis die, vt oſtenderet veram per Ieſum magni conſilij Angelum expiationem: thymiamatis fumo Angelum viſibili ſpecie obiectum regi prouidebat, ne occaſionem idololatriæ præberet Hebræis. En Ieſum ſub fumi nube abſconditum, curantem vtique ne peccatoribus occaſio delinquendi exhibeatur, Paternam circa hoc referens prouidentiam.

## §. III.

### *Tacet, ne coram indignis diuinum eloquium profunderetur.*

### In concionatorum documentum.

5. Paſchaſ. PAſchaſius ſecundam adfert Dominici coram Pontifice ſilentij cauſam. *Ieſus tacebat, indignum eum ſua reſponſione decernens, iuxta illud Propheticum: Dum conſiſteret aduerſum me peccator, obmutui, & humiliatus ſum nimis; & ſilui à bonis. Pſ. 38. Quia quibus loqueretur, nullus eorum erat dignus.*

6. *Manna in morem.* Verbi Dei Manna olim extitiſſe ſimulacrum non paucis oſtendit Origen. alibi à medatus. Quid præterea Mannæ cum verbo Dominico? Panis ille Angelorum Hebræis de cœlo lapſus ita fuit inter Ægyptiacos, & Chananæos cibos miniſtratus, vt cum neutris coniungeretur. Deficiente cibo, quem Hebræi de Ægypto extulerant, incepit Manna per æthera volitare. Exod. 16. Incipiente verò cibo, quem de Regione Chananitide acceperunt, Manna defecit. Eloquium enim cœleſte minimè apud indignos euulgatur, quod equidem eis nullatenus poteſt adhærere.

7. *Fugit inſipientes.* Gen. 27. Si omnis peccans ignorans, quid verbi Dominici ſapientiæ cum ignorantia? *Egreſſo Iacob foras, venit Eſau.* Geneſ. 27. An non ſimul duo fratres vltro citroque altercarentur, ſibique inuicem reſponſa dederent? Quid neceſſum, exire Iacobum ad Eſau ingreſſum? Reſpondet Philo Hebr. lib. de Temul. *Quantiſper enim ambulat in anima prudentia, exterminatur inimica inſipientia; ſed quàm primùm illa migrat, altera reuertitur, gaudens ob diſceſſum inimicæ infenſiſſimæ, propter quam exulauerat.* Quando enim ſapientia, & prudentia in inſipientiæ conſpectu emittit vocem ſuam?

Sub typo filij liberæ, & nati ancillæ idem Deus olim expreſſit. *Eiice* (inquit Sara) *ancillam, & filium eius: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ.* Geneſ. 21. Libera admodum veritas minimè cum peccatoris ſeruitute cohæret. Vnde Ieſu veritatis teſtimonium proferente apud Pilatum, ſeruus ille pro ſeruili conditione receſſit. Quaſi ſcilicet mancipium à libera veritate eiiceretur. *Nulla* enim (inquit D. Bernard. ſerm. de Aſcenſ.) *conuentio veritati, & vanitati; luci, & tenebris; ſpiritui, & carni, igni, & tepiditati.* 8. *Fugit mendaces.* Gen. 21.

## §. IV.

### *Ieſu apud Pilatum taciturnitas.*

LEgimus etiam Ieſum apud Præſidem, hoſtibus calumniantibus, obticuiſſe: *Et non reſpondit ei ad vllū verbū, ita vt miraretur Præſes vehementer.* Matth. 27. Quare Pilato reſpondere noluit? D. Hieron. *Ne crimen diluens, dimitteretur à Præſide, & crucis vtilitas differretur.* Vnde Ambr. lib. 1. Offic. *Chriſtus* (ait) *tacens in Euangelio, operabatur ſalutem omnium.* Quia ſi loqueretur, ſuam aperiens innocentiam, hoſtiumque retundens calumnias, Præſes beneuolus eum proculdubio abſolueret. 9. *Prima cauſa.* Ambroſ.

Theophyl. putat Ieſum reſpondere noluiſſe, quia ſciebat ſe nequaquam dimittendū, quamuis plenè ad hoſtium oppoſita ſatisfaceret. Conteſtatus Euthym. ait: *Superfluam ducebat Chriſtus reſponſionem, quæ Pilato daretur, cum non poſſet Iudæos comprimere.* 10. *Secunda.* Euthym.

Ego arbitror Ieſum obticuiſſe, ne hoſtes in Patris conſpectu magis damnabiles redderentur, ad maiores blaſphemias ex iuſta reſponſione, & defenſione Dominica prouocari. Id quod proximè paucis illuſtratum, adhuc Ezechiæ exemplo confirmo. 11. *Authoris ſententia.*

Ieroſolyma ab impio Rabſace obſidione tenebatur, qui cum blaſphemias contra Deum frequentiſſimè fœdo ore proferret, nihil Hebræi, ſic Ezechia Rege præcipiente, reſpondebant: *Siluerunt, & non reſponderunt ei verbum. Mandauerat enim Rex, dicens: Ne reſpondeatis.* 4. Reg. 18. Quare tam profundum ſilentium indicitur? Reſpondet Proco. *Nihil ad blaſphemias iſtas reſponderi piiſſimus Rex paſſus eſt, ne ad maiores prouocaret.* Haud aliter Ieſus non reſpondit calumniis laceſſitus, ne ad maiores blaſphemias vel inuitus impiiſſimos aduerſarios excitaret. 4 Reg. 18. Proco.

Præterea exemplum nobis præbere voluit Dominus tacendi in mediis calumniis. Noluit denique reſpondere, qui ſponte voluit pro nobis immolari. Qui enim vltroneus properabat ad mortem, ſatius duxit ſibi conticendum, quàm refellendis criminibus operam dare. Quid non Agnus immolandus, *coram tondente ſe* obmuteſceret? Iſa. 53. 12. *Alia cauſa.*

## IN IESVM PATIENTEM APVD CAIPHAM.

# Panegyricus ſecundus Moralis circa Literam.

## EX SILENTIO.

### *OBSERVATIO I.*

Ad illa verba:

*Ieſus autem tacebat.*

Tacente Ieſu, eius opera vociferabantur.

*Quia ſilentibus nobis, Deus noſtras vocales efficit actiones.*

13. Ambroſ. DIVVS Ambroſius taciturnitatis Ieſu cauſam ſic expromit: *Bene tacet, qui defenſione non indiget.* Id eſt ſermonis. Ipſo namque obticeſcente, eius opera inclamabant.

14. *Chriſticola operibus reſpondent.* Orig. Profectò Origenes l.con. Cel. coactus ad calumnias, quas Celſus contra Chriſticolas iactabat, reſpondere, ſic profatur: *Chriſtus falſis grauatus teſtimoniis obticuit. Sciens tota ſua vita & actu inter Iudæos ſpectatis, melius falſitatem delationis coargui, quam vllis verbis, aut defenſionibus. Tu verò; Ambroſi, neſcio cur aduerſus Celſi calumnias voluiſti nos reſpondere, quaſi non manifeſta veritatis contineatur rebus ipſis, longo efficatius, quam vllis literis, aut orationibus. Rebus* (ait) *ipſis.* Id eſt, Chriſticolarum vitæ puritate.

15. *Vita Diſcipulorum pro eis reſpondit.* Ioan. 18. Origen. Pontifex equidem *interrogauit Ieſum de Diſcipulis ſuis, & doctrina eius. Ieſus* autem nihil profectò circa indicatam calumniam in Diſcipulos reſpondit. Ioan. 18. Quare igitur, qui pluribus defendit doctrinam, Diſcipulos permiſit ſine defenſione in Principis Sacerdotum animo periclitari? Credo, quia nullatenus vocis defenſione indigebat illorum vita, quæ puritate ſua inclamando, hoſtium calumnias refellebat. Appoſitè Orig. cit. *Silet quidem, nec reſpondet voce. Dum per germanorum Diſcipulorum vitam reclamat ſuis accuſatoribus, ac refellit omnium teſtium mendacia.*

16. *Reſpondit Ieſus.* Pſalm. 101. Caſſia. Ore Ieſus Dauidico inclamauit: *Et reſpondebo exprobrantibus mihi verbum.* Pſalm. 101. Quando Dominus reſponſum calumniatoribus præbuit? Simon Caſſ. eleganter: *Non reſpondebat tunc Chriſtus exprobranti ſibi verbum. Sed reſpondit in poſterum, per aequitatem ſcilicet in morte oſtenſam, qua etiam à paganis creditus eſt eſſe Filius Dei. Reſponſum eſt per creaturas, quæ de ipſo moriente teſtata ſunt. Reſpondit per reſurrectionem à mortuis, apparitiones, & aſcenſionem in cœlos.* Quam diuinum vociferantibus operibus reſpondere!

17. Imò tunc, cum obticet, illa ipſa inter calumniatores taciturnitas eum effecit in pagani conſpectu admirabilem, & prodigioſum. *Non reſpondit ei verbum, ita vt miraretur Præſes vehementer.* Matth. 27. Vbi egregiè D. Paſchaſ. lib. 12. *Mirabatur conſtantiam eius, mirabatur, quomodo ſic taceret.* Illud enim ipſum tacere inter calumniatores, mirabile proculdubio eſt. Et quænam verbalis reſponſio eum adeò mirabilem oſtentaret, ac ipſa taciturnitas? *Quis non poterat admirari inter tantam rabiem accuſantium, & clamores vulgi, & furores Seniorum, cum videret eum tam tranquillum adſtare, tam mitem, & quietum, et in omni grauitate imperterritum, qui petebatur ad mortem, & nullo mouebatur affatu?* *Prodigioſus tacens apparuit.* Matth. 27. Paſchaſ.

18. *Opera inclamabant.* Thr. 3. Ambroſ. Virtutibus igitur vociferantibus aptè Ieſus labia ſilentio obfirmat Ierem. *Ponet in puluere os ſuum.* Thr. 3. Aliter: *Dabit in ſepulturam os ſuum.* Vbi eleganter D. Ambr. *Oſtendit quandam ſuprà modum patientiæ taciturnitatem, vt tanquam ſepeliat os proprium, ne loquatur, & velut quodam aggere virtutum obſtruat.* Tunc etenim virtutes obturatæ oris munere fungentes prominent, eleuantur, vt Ieſu prædicent innocentiam. Quid teſtabitur lingua, quod tot vel ex ipſo ſilentio emergentes virtutes tuba altius euulgant?

### OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

*Ieſus autem tacebat.*

Tacente Ieſu, eum Pater protegebat.

*Silentium enim noſtrum Deum ad noſtram protectionem excitat.*

NON

19. NON indiget (vt cum Ambroſio loquamur) *defenſione*, qui eo ipſoquod tacet, Patrem excitat, vt ad defenſionem ſeſe eius accingat.

20. *Patri accurrit ad tribunal, vt liberet.* Dum obticet inter hoſtium calumnias, Pater aſcendit ad tribunal, vt protegat innocentem. Huiuſmodi Ieſum contumelia laceſſiuere: *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?* Queis Saluator: *Ego non quæro gloriam meam, eſt qui quærat, & iudicet*. Ioan. 8. Ac ſi diceret, Pro me non intendo reſpondere, nec Iudex à Patre conſtitutus iudicare inter memetipſum & vos. Pater enim licet mihi commiſerit omne iudicium, me tacente accurrit ad tribunal. Chryſ. *Illatas* (ait) *contumelias Patris iudicio reſeruat. Vt nobis profecto inſinuet quantum nos eſſe patientes debemus.*

Ioan. 8.

Chryſoſt.

21. *Proprium id Patris.* Ore Dauidico proclamat: *Redime me à calumniis hominum*. Pſalm. 118. 134. Quare non dixit, Redime me à vinculis, à cruce libera, eripe à flagellis? Quia tam proprium Patris iudicantis munus tacentem in mediis calumnus Ieſum protegere, vt quaſi vni huic defenſioni addictus, ad vnum hoc munus obeundum inuocetur. D. Ambr. vlterius pergit euentum meditatus: *Chriſtus calumniis appetitus, ſilentium detulit triumphale.* Triumphale equidem, quia Pater, cuius exorabat protectionem, numquam non tacentibus, dum à calumniatoribus appetuntur, ſubuenire dignatur.

Pſalm. 118.

Ambr.

22. *Suſanna tacenti Deus ſubuenit.* Tacentibus dico. Nec enim ſolus Ieſus huiuſmodi à Patre munere donatur. Omnium enim obticentium inter calumnias, intendit iudex, imo & teſtis protectioni. Teſtor Suſannam à Presbyteris calumniatoribus agitatam, tacentem quidem, ſed tunc Deum animi vberi ſermone exorantem: *Exclamauit autem voce magna Suſanna, & dixit, Deus æterne, &c.* Dan. 13. *Eſt enim* (inquit D. Ambroſius lib. 1. Offic. c. 3.) *magnum, & negotioſum, ſilentium, vt erat Suſannæ, quæ plus egit tacendo, quam ſi eſſet locuta. Tacendo enim apud homines, locuta eſt Deo. Nec quærebat pro ſe hominum iudicium, quæ habebat Domini teſtimonium.*

Dan. 13.
Ambr.

23. *Videt Pilatus Patrè defendentem.* Cum Pilatum obiicio poſt prolatas aduerſariorum Ieſu calumnias, inclamantem: *Innocens ego ſum à ſanguine Iuſti huius*, ſubeſt in mentem requirere. Quidnam ô Præſes, vidiſti, vt huiuſcemodi proferres ſententiam, quando iuxta allegata cum capitis reû declarare ex Iudæorum mente deberes? Profectò cùm inter calumnias iuſtus obticet; neſcio quid diuinum innuens protectorem præſefert. Ideo Pilatus tacentem Ieſum curat abſoluere, quia quodammodo Patrem vidit defenſioni incumbentem. Nec enim iuſtus tacens inter hoſtium confictas querelas ſine Deo protectore vnquam inceſſit.

24. *Abimelech exemplo probatur.* Abimelech Iſaac ſanctiſſimum ſuo è Regno iuſſit abire, & ad auxilium properare. Patriarcha profundo ſilentio labia obfirmans, exceſſit è Regno. Vix receſſerat, quando eiuſdem Regis præcepto conuenitur Iſaac, & in veterem patriam conſortiumque reuocatur. *Vidimus* (inquit) *tecum eſſe Dominum, & idcircò diximus, Ineamus fœdus*. Gen. 26. Vbi quæſtio exoritur: Quando vidêre Geraritæ Dominum eſſe cum Iſaac? Num antequam ei imperium exulandi intimaret? Abſit. Nec à Regno pelleretur, qui tam vtilis exiſtere poſſet ex protegentis Domini patrocinio. Num poſtquam relegatus eſt? Minime. Dixiſſent etenim: *Videmus tecum eſſe Dominum*, non, *Vidimus* D. Chryſoſt. hom. 52. exiſtimat tunc Geraritas vidiſſe Dominum apud Iſaacum commoratem, cum obticens diſcedebat. Nec poteſt eſſe ſilentium inter iniurias ſine coniitantis Domini patrocinio.

Gen. 26.

Chryſoſt.

# OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

## *Jeſus autem tacebat.*

## Silentium Ieſu innocentiam apertè manifeſtabat.

### *Quia de natura ſilentij veritatem aperire.*

25. AD quem locum D. Ambr. *Quid opus erat ei loqui ante iudicium, cui ipſum iudicium erat plena victoria? Vincit cum iudicatur Chriſtus, quia ſic innocens approbatur. Vnde ait Pilatus: Innocens ego ſum a ſanguine Iuſti huius.* Ambroſ.

26. *Suſanna tacendo innocens apparuit.* Soſanna olim habita Presbyterorum teſtimonio, vt quæ nuptialem thalamum maculârat. Nihil de reſponſione curabat (vt vidimus paulo ſuperiùs) quæ à teſtibus religata, nihil iam niſi de animi ſalute gerebat. Tunc igitur quando Suſanna tacebat, illius innocentia inclamabat aſſerens protectionem. Nihil enim ſic innocentiam aperit quam ſilentium. D. Ambroſius in Tob. cap. 12. confirmat ſatis: *Non amat multis innocentia ſe defendere. Suſanna vocis aſſertione non eguit. Multa Presbyteri loquebantur, qui laborabant verborum fuco obducere veritatem; ſed tunc filia Iuda tacuit apud homines, loquuta eſt Deo.* Dan. 13. Ambr.

27. *Et Iob.* Quid referam Iob patientiſſimum, qui taciturnitate laborum ſuorum vicit impugnationes? D. Ambroſ. in Pſalm. 38. ad hæc: *Iob plagam ſuam ſilentio vicit, & tolerantiam ſuam taciturnitate ſuperauit.* Plaga enim ſanctiſſimum virum non ſemel accuſabat, quaſi grauiter deliquiſſet. Tolerantia ipſa aduerſus admirabilem virum inſurgebat. Ille autem ſilentio reportabat victoriam. Numquam enim non taciturnitatem comitatur triumphus. Valerianus Epiſc. Cemelienſ. *Plena victoria eſt ad clamantem tacere, & non reſpondere prouocanti.* Profectò tam eſt taciturnitati debita victoria, vt ſi externi hoſtes ſuperandi non adſint, ipſa plaga premens, ipſa tolerantia quodammodò proſiliant in hoſtes, vt habeat ſilentium quos ſuperet, quos vincat aduerſarios. Vicit igitur obticendo plagam, ſuperauit tolerantiam, quia innocens, vltro citroque à plagis impetitus apparuit. Belle Eurip. in Alexandra: *Domine, vehemens eſt malum inter homines calumnia. Sæpè autem alius loquentia ſuperatur. Licet iuſta dixerit, poſthabetur non loquenti.* Iob 2. Ambr.

Multas

28. *Et Stephanus.* Act. 6. Multas in D. Stephanum contumelias iaciebant Phariſæi vel lapidibus duriores, quibus audiendis ſtudebat Leuita, non curæ reſpondendi. Annon deberet innocens ad Dei gloriam animi innocentiam ſermonibus oſtentare? Profectò dum obticet, clarior obiicitur omnium oculis innocentia. *Et intuentes eum omnes, qui ſedebat in concilio* (vbi cauſa Stephani contrà iuris præſcripta, vigente aduerſariorum calumnia, diſcutiebatur) *viderunt faciem eius, ſicut faciem Angeli.* Act. 6. Vndenam Angelicus ille fulgor? Reſpondet noſter Salmeron innocentiam Leuitæ à ſilentio illius inter calumnias excitatam in Angelicum fulgorem prodiiſſe. Salmer.

29. *Et Ioſeph.* Gen. 39. Ambroſ. Refer ad memoriam Ioſephum & calumniis fœminæ impudicæ laceſſitum, & profundo ſilentio labia obſirmantem. Profectò vxoris calumniis auditis à Ioſephi Domino, *nimium credulus verbis coniugis iratus eſt valdè, traditidque Ioſeph in carcerem.* Geneſ. 39. Nec amplius eſt Putiphar delinquentis recordatus. Vndenam igitur ira deferbuit? Ioſeph (vt Ambr cap. 5. adnotauit) inter calumnias obticuit. Quonam modo igitur potuit Putiphar non ad ipſius innocentiæ cognitionem deuenire, licet pudicitiæ vxoris conſulens fortaſsè Ioſephum iuſſerit vinculis retineri?

## OBSERVATIO IV.

Ad illa verba:

### *Jeſus autem tacebat.*

### Silentium Diuinitatis Ieſu præco.

*Nec enim humana virtus, inter calumnias obticere.*

30. PARVM eſſet Ieſum ex taciturnitate innocentem oſtendi, ſi non ſilens Dei Filius apparuiſſet. Poſtquam Euangeliſta ſcripſit, *Ieſus autem tacebat, & nihil reſpondit* (mox adiicit Pontificis atteſtationem) *Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, ſi tu es Chriſtus Filius Dei benedicti.* Profectò non ſolum credidit Ieſum innocentem: *Non enim* (ait Caſſia) *ipſum per Deum adiuraſſet, niſi ipſum amare, aut timere credidiſſet:* ſed & Dei Filium vehementer ſuſpicatus eſt. *Quomodolibet* (addit ille) *Caiphæ adiuratio capiatur, Chriſtum arguit eſſe Filium Dei. Cur Caiphas adiurat, ſi eſt Dei Filius, niſi quia poſſibile credebat perſonam quandam Deum poſſe habere Patrem?* Vndenam autem huiuſcemodi perſonam eſſe Chriſtum ſuſpicatur, niſi quia eum inter calumnias hoſtium immobiliter vidit obticentem? Caſſia.

31. *Teſtor & Pilatum.* Matth. 28. Paſchaſ. Imò & Pilatus gentilis ex ſilentio Ieſu aliquid ſuprà oraturam humanam auſpicatus eſt. *Et non reſpondit ei verbum, ita vt miraretur Præſes vehementer.* Matth. 27. Mirabatur, quia inibi Dei omnipotentiam videbat excitantem miracula. Rem illuſtrat D. Paſchaſ. *Mirabatur* (in-quit) *conſtantiam eius. Fortior namque erat in eo virtus, quam humana natura ſe habeat. Et ideo poterat non ſolum admirari Pilatus, verum etiam vehementer. Quoniam taceret ſine vna defenſione ſua. Id quod quiddam diuinum halabat.*

32. *Ipſam taciturnitatem inſtem adhibeo.* Annon pluſquam ridiculum videretur, ſi ſe Dei Filium aſſereret, quando nihil è Patris æterni referret conditione? Equidem prudentiſſimè ſe teſtatus eſt & Regem, & Dei Filium, qui in mediis calumniis obticuerat. Silentium enim (vt ait Cyprianus) & indicia diuinæ maieſtatis expreſſit, & Paternam Patientiam præſentauit, Vnde appoſitè Tertulianus lib. de Patien. c. 3. Ieſu taciturnitatem commendans ait, *Hinc vel maximè Phariſæi, Dominum agnoſcere debuiſtis. Patientiam huiuſmodi nemo hominum perpetraret.* Tertul.

33. *Moyſes poſt ſilentium quaſi Deus.* 2. Cor. 3. De Moſe Paulus: *Moyſes ponebat velamen ſuper faciem ſuam, vt non intenderent filij Iſrael in faciem eius, quod euacuatur.* 2. Cor. 3. Ac ſi diceret, Ideo Moyſes velamine operiebatur, quòd facies eius euacuabatur, ſiue diſparebat. Inuiſibilis enim, Dei inſtar, reddebatur. Vndenam precor? Exiſtimo illum ex taciturnitate inter probra ad diuinitatis quodammodo faſtigium eleuatum. Rem approbat D. Ambroſ. *Quantas* (ait) *à populo illatas Moyſes abſoluebat contumelias? Quam miti ſermone poſt iniurias appellabat! Meritò æſtimatus eſt ſuper homines, & vt vultus eius non poſſent intendere.* Ambroſ.

## OBSERVATIO V.

Ad illa verba:

### *Ieſus autem tacebat.*

### Tacebat inibi Ieſus, in iudicio nouiſſimo reſponſurus.

*In patientiæ, ac ſilentij diuini horrorem.*

34. DIVVS Ambroſ. denique Dominici ſilentij ſic cauſam euulgat. *Quid opus erat ei loqui antè iudicium, cui iudicium erat plena victoria?* Senſus genuinus eſt, Non erat opus, Ieſum reſpondere verbis, ſiquidem ipſum Pilati iudicium eum expreſſit innocentem. Attamen in hunc etiam modum poſſunt verba explicari. Non erat opus Ieſum reſpondere antè iudicium hominum, ne condemnaretur, ſi menti præſentabar tunc iudicium illud nouiſſimum, quando parturiens loquetur, ſi nunc ſilenter hominis ſiſtitur tribunali. Ambroſ.

35. *Poſt ſilentium ſe iudicem minatur apud Caipham.* Poſt ſilentium Dominus in Caiphæ conſpectu ſe affirmat Iudicem futurum. *Et videbitis Filium hominis, &c.* Quare iudicij tunc fecit memoriam? Quia ſilentium Domini nunquam non ad ſtrictum illud tribunal reſpectum indicit. Hunc ad ſenſum adfero Dauidicum carmen. *Et reſpondebo exprobrantibus mihi verbum.* Pſal. 118. Vbi Simon Caſſian. *Ex Chriſti perſona loquebatur* Pſal. 118. Caſſian.

*loquebatur Dauid. Non reſpondebat tunc Chriſtus exprobrantibus ſibi. Sed quod in præſenti non erat, promittebatur eſſe futurum.*

35. *Et apud Pilatum, Ioan. 18.* Sed & apud Pilatum eodem reſpondendi more vſus eſt. Non enim prius ſe futurum Regem, aut Iudicem affirmauit, quam inter medios calumniatores obmutuiſſet *Regnũ* (inquit) *meum non eſt de hoc mundo.* Ioan. 18. Erit quando reſponſum calumniatoribus exhibeam. D. Chryſoſt. *Dicentibus* (ait) *maleficum eſſe, & quo eum arguerent, non habentibus, tacuit tamẽ.* Quid inde? *Tunc loquutus eſt ad Pilatum ad altiora erigens.* De Regno ſcilicet *tunc* fatus, cum ſe ſe inter calumnias tacitum obiecisset.

36. *Poſt ſilentiũ parturiẽs Ieſus loquetur.* Silet Ieſus in morem prægnantis. O quomodo in mentem ſubit mihi, tubam horribilem iudicij ex tam profundo ſilentio generari! Obticuit olim Pater Ioannis Zacharias. Eliſabeth vſa ſimul eſt taciturnitate, ne impregnationem euulgaret. *Ecce* (indicitur Zachariæ) *eris tacens.* Eliſabeth autem *Occultabat ſe menſibus quinque.* Luc. 1. Quorſũ hæc; Chryſolog. *Luc. 1. Chryſolog.* ſerm. 92. *Pater tacet, Mater celat. O quanto ſilentio vox naſcitur. O quanta taciturnitate tuba inclamatura generatur!* Deus Pater ſilet, tacet Mater, id eſt, Ieſus longo interuallo ſuperans maternam erga natos charitatem. Quid eſt profundo ſilentio niſi parturientis vociferatio, nouiſſima tuba? *Iſai.* *Parturiens loquar.* *Iſai. 42.*

37. *Iaculatoris exemplo expenditur.* Cum Ieſum inter calumniatores tacentem video, imò recedentem, & locum dantem, mihi propono, iaculatorum recordor, qui quidem cedentes, & velut fugitantes grauioribus vulneribus inſequentem abſciunt. Cum Iudæi in Ieſum indignarentur, ipſe *relictis illis, abiit foras.* Matth. 21. Annon celſioris potentiæ documentum præbuiſſes, ſi reſponderes, ſi in calumniantes inſurgeres? Profectò fugit ad iudiciale tribunal, terga vertit, vt throno aſſideat. Indè grauioribus calumniatores ictibus vulnerabit. Egregiè admodum D. Ambr. lib. Offic. c. 5. rem illuſtrat. *Si ſeruus conuitiam dicat, iuſtus tacet; & ſi criminetur, iuſtus non reſpondet. Hæc ſunt arma iuſti, vt cedendo vincat. Sicut periti cedentes ſolet vincere, & fugientem, grauioribus ſequentem vulnerare ictibus.*

## SECTIO TERTIA.

# ALAPA IESV.

### EX CAP. XVIII. IOANNIS.

### *TEXTVS.*

*Verſ. 22.* Vnus aſſiſtens miniſtrorum dedit alapam Ieſu, dicens: Sic reſpondes Pontifici?

*Verſ. 23.* Reſpondit ei Ieſus, Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo, ſi autem benè, cur me cædis?

### *COMMENTARIVS LITERALIS.*

### §. I.

### *Cur Miniſter alapam Chriſto impegerit?*

1. *An hic Malchus?* ASSISTENS *vnus miniſtrorum.*] Quiſnam? Chryſoſt. & Euthym. arbitrantur fuiſſe Malchum, quem percuſſerat Petrus, ſanauerat Ieſus. Nulla apparet ratio, qua id credere perſuadeat. Vnde exiſtimo alium ex miniſtris Pontificis huiuſce flagitij auctorem; cùm quia quos Ieſus curauit corpore, ſanauit & mente: tum quia Ioannes hoc probabiliter loco Malchum nominaſſet, ſi fuiſſet percuſſor, ſicuti adnominarat cum fuit à Petro vulneratus.

2. *Caiphæ interrogatio.* *Dedit alapam Ieſu.* Cum Ieſus ad Caipham adductus fuiſſet, interrogat eum Pontifex. Et de Diſcipulis, & de doctrina. Cui Dominus, non vt Caipham reprehenſione vulneret, ſed vt vulneratam defendat veritatem, profatur, Tu me tacitè accuſas, occultam me tradere doctrinam, quod prorſus à veritate alienum; publicè cum docuerim non meos hoſce paucos Diſcipulos ſolùm, ſed Iudæos omnes. Publica loca elegi docendi, nempe Synagogas, & Templum, in occultis, & abditis nihil ſum locutus. Non igitur mea apud te doctrina taxabilis debet apparere. Viſa eſt Domini reſponſio vni miniſtrorum inciuilis, nec qualis auctoritati Pontificiæ debebatur. Hic alapam Ieſu dedit, rem gratam Pontifici facere exiſtimans.

*Sic reſpondes Pontifici?*] Ac ſi diceret, Sermo 3. *Alapa inflicta.*
tuus eſt in Pontificem iniurioſus, ideo eius iniuriam alapa propulſo. Peſſimus miniſter, qui magis pro Principe, quam pro veritate decertat. Iniquus ſeruus, qui ante Domini præceptũ iniuriam irrogat. Caret iuſtitia miniſtrandi, etiam ſi iuſtus percutit, quem omninò nouerit innocentem. Tria hic ſimul admiranda concur-

runt: Serui immanis impudentia percutientis mortuorum ſuſcitatorem; Pontificis iniquitas tantum ſcelus in conſpectu ſuo commiſſum à ſeruo diſſimulantis; incredibilis Chriſti patientia, exclamante Chryſoſt. (Chryſoſt.) *Exhorreſcat cœlum, contremiſcat terra de Chriſti patientia, & ſeruorum impudentia*, adde, & de Pontificis iniuſtitia.

4. *Quare Ieſum ille vulnerauit?* Sed quare miniſter ille Chriſtum alapa vulnerauit? Probabile cum Toleto exiſtimo hunc miniſtrum ex præcipuis fuiſſe inter miniſtros, qui proximus tunc Ieſu, adulari intendens Pontifici, & zelum honoris eius præſeferre, non ignorans quanto odio ab omnibus haberetur Saluator, ideoque, ſibi omnia impune licere adiudicans, non erubuit hoc patrare flagitium. Typus præceſſerat in Michæa, qui alapa percuſſus fuit à Sedechia Pſeudopropheta adulante Regi Achab contra veritatis præſcriptionem. 3. Reg.

## §. II.

### *Percuſſa facies Ieſu, vt à facie noſtra ruboris dedecus auferatur.*

O quantus nobis ex crimine rubor!

5. Cyrill. MYſticam D. Cyrillus attexit cauſam percuſſionis huiuſce. Hoc enim dedecore *noſtrum dedecus, quo propter peccatum dedecorati ſumus, Chriſtus in ſe trãſtulit, vt a nobis auferret.*

6. *Confuſio vtilis.* Dedecore Deus peccatorum faciem obnubilauit in peccati efficax medicamen. Vnde Dauid: *Tota die verecundia mea contra me eſt, & confuſio faciei meæ cooperuit me.* Pſal. 43. Deus prouidus adeò erga delinquentes, *vt omne malum* (loquor cum Tertulliano Apol. c. . . .) *pudore fecerit perfundi.* Vt videlicet odio proſequeremur.

7. *Ruboris defectus noxius.* Hinc Anti-Chriſtus *faciet omnes puſillos, & magnos, & diuites, & pauperes, & liberos, & ſeruos habere charactẽrẽ in frontibus ſuis.* Apoc. 13. Quare? Vt efficiat ad audendum inuerecundos Quodnam perſpicacius damnationis documentum? D. Bernard. de Medit. c. 12. De *die in diem peccata peccatis addo, erubeſcenda video, nec erubeſco, quod eſt mortis ſignum & damnationis indicium.*

8. *Rubor Adã.* Gen. 3. Cur exiſtimas Adamum velociter (ſic Patribus atteſtantibus) ad meliorem ſe ſe poſt præuaricationem frugem recepiſſe? Quia pudore affectus confugit ad latibula foliorum. Gen. 3. Decantauit Dauid: *Confundantur, & conuertantur valde velociter.* Pſalm. 6. (Pſalm. 6.) Valde equidem Adam velociter conuertitur, quia pudore illius (Ambroſ.) facies obtenebrata eſt. D. Ambroſius ad Geneſ. *Habent remedium, qui ſe abſconderunt, nam qui abſconditur, erubeſcit; qui erubeſcit, conuertitur valde velociter.*

9. *Alapa crudelitas.* Sunt qui affirment adeò fuiſſe grauem Dominicæ maxillæ ex alapa verberationem, vt per totam domum inſonuerit, & veſtigia in Ieſu facie impreſſa remanſerint, in terramque Saluator fuerit proſtratus, armata denique manu impactam fuiſſe, adeò validè, vt ſanguis ex naribus, ore, & oculis proſiliret. Legatur noſter Seruius.

## §. III.

### *De Ieſu humili reſponſione.*

RESpondit ei Ieſus, *Si male locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo; ſi autem benè, quid me cædis?* ] Ac ſi diceret, Sententiam tuam declara, confirma, ac oſtende me male locutum fuiſſe, id autem coram Iudice, & Pontifice. *Si autem benè locutus ſum*, ſine cauſa me cædis. Manſuete admonet percuſſorem iniuriæ ſibi illatæ, ſeque vera & recta locutum eſſe confirmat, & Pontificis iniquam inſinuat diſſimulationem. 10. *Reſponſio Ieſu.*

De Ieſu patientia, quam nos ſimul docere intendit, D. Auguſtin. fatur: *Si cogitemus, quis acceperit alapam, nonne vellemus eum, qui percuſſit, aut cœleſti igne conſumi, aut terra dehiſcente ſorberi, aut correptum dæmonio volutari aut aliqua huiuſmodi qualibet pœna, vel etiam grauiori puniri? Quid enim horum per potentiam iubere non potuiſſet, per quem factus eſt mundus, niſi patientiam nos docere voluiſſet, qua vincitur?* Hominis autem impotentiam in conſpectu Dei alapa diuerberati ita deſcribit D. Athanaſ. *Tu homo, non ſuſtinens ab homine tecum eiuſdem naturæ contumeliis affici, imitare Dominum tuum. Si enim ille, cum Deus eſſet, tolerauit pro te ab homine peccatore colaphis cædi: tu indignaris, quod hoſtis tibi conuitium dicit, & paras vltionem. Proh immenſam animi ſoliditatem, & ſtultitiam magnam! Ideò nobis pœna deſtinata eſt, & ignis ardens; quod cum rationales ſimus, irrationalibus beſtiis nos ſimiles reddamus.* 11. *Patientia Ieſu.* Auguſt. Athanaſ.

Quærit hîc D. Auguſtinus: *Cur non fecit, quod ipſe precepit? Si quis te percuſſerit in vna maxilla, præbe ei alteram.* Et reſpondet, illud præceptum non eſſe ad literam intelligendum, vt præbeamus alteram maxillam, ſed vt animo tranquillo iniurias perferamus: parati potius alteram præbere maxillam, quàm iram concipere, aut vindictam deſiderare. 12. *Cur alteram maxillam non præbuit.*

*Teſtimonium perhibe de malo.* Cyril. *Oſtende in quo erraui.* Cur manſuetiſſimus reſpondit Ieſus? Exiſtimo reſpondiſſe, ne tacens videretur comprobare, ſe male locutum, Pontificemque iure eius taxaſſe doctrinã. Vnde Baſil. Epiſ. 65. *Ad calumnias tacendum non eſt, non vt contradicendo nos vlciſcamur: ſed nè mendacio in offenſum progreſſum permittamus.* Qua igitur de cauſa Pontifici reſpondeat, eadem etiam nunc reſpondet percutienti, non quidem propter illatam ſibi iniuriam, nec precipuè vt percuſſorem corripiat; ſed vt ſe verè, & rectè locutum eſſe oſtendat, doctrinamque ſuam publicam, & mundo notam ſignificet, nec verum eſſe, quod ei impoſitum fuerat, nempe in tenebris docuiſſe. Plura in Panegyricis. 13. *Cur reſpondit Ieſus?*

# IN IESVM PATIENTEM APVD CAIPHAM.

## Panegyricus tertius Moralis circa Literam.

### EX ALAPA.

### *OBSERVATIO I.*

Ad illa verba:

*Dedit alapam Ieſu.*

Alapâ percuſſus Ieſus non præbuit alteram maxillam diuerberandam, quia primum vulnus abundè hoſtium crudelitatem exſatiauiſſe videbatur.

*Opprobrium vincit quorumlibet vim tormentorum.*

15. Caſſia. VBI ruſum Simon Caſſian. lib. 13. dat quæſtioni: *Cur alıam ò Ieſu, non paras maxillam, pro vt in tuis ſermonibus docuiſti, vt tali opere validior ſit ſermo doctrina? An vt affectus tadio actus, Quid me cadis?* Affectuſne tædio noluit alteram præbere maxillam, quaſi ioclamaret, Satis eſt? Minimè equidem. Nec grauioribus opprobriis Chriſti patiendi deſiderium exſatiatur. Attamen tanta inmanitas percuſſioois & iniuriæ, vt deſiderium iogens patiendi potuerit exſatiari.

16. *Sitis Ieſu expleri potuit vnius alapa potu.* Christus equidem ſitit opprobriis ſatiari. At coostiturus in via, cum nondum ad ſuppliciorum horribilium terminum (ſiue potius dixerim inchoationem) deueniſſet, bibit de torrente, alapa diuerberatus eſt, & quaſi exſatiatus inclamare, erecto capite, poterat, Sufficit. *De torrente* (ait Dauid) *in via bibet, propterea exaltabit caput.* Pſalm. 109. Ad quem locum Caſſiod. *Torrens fuit turbulenta perſecutio Iudæorum, de qua Dominus Chriſtus bibit in via.* Quonam modo in via? Credo ex eorum ſententia, qui aſſerunt apud Annam (cum Dominus in via conſtitueretur ad Caipham) alapa fuiſſe vulneratum; tunc in via ex turbulentæ perſecutionis bibiſſe torrente, ac propterea quaſi expleta ſiti, extollere caput potuiſſe.

17. *Opprobriis ſaturatur.* Tertullian. *Saginari voluptate patiendi diſceſſurus volebat.* Non dixit tormentis patientiæ, ſed voluptate: vt magis affectum ad tormenta ſubeunda animum Dominicum indicaret. Ieſus igitur tam anxiè expetens opprobria, mox ac diuerberatur alapa, poterat ex ſaturari. Ieremias: *Dabit percutienti ſe maxillam, ſaturabitur opprobriis.* Thr. 3. Vbi D. Ambroſ. (Thr. 13. Ambroſ.) *Non dixit, Subibit opprobrium; facile eſt enim, vnam aut alteram contumeliam ſuſtinere: ſed addidit: Satiabitur opprobriis.* Quaſi vna maxillæ percuſſio plurimas vſque ad ſaturitatem contumelias, plurima opprobria complecti potuiſſet.

Vox illa Dominica eſt: *Deſiderio deſideraui hac Paſcha manducare vobiſcum.* Luc. 21. De deſiderio inhiante ad paſſionem exponit Tertullianus. Pende illa verba: *Deſiderio deſideraui.* Cur multiplicat? An non vt deſideriorum ſuorum erga paſſionem, tormenta, opprobria, multiplicitatem oſtenderet? Hæc igitur multiplicitas deſideriorum vna maxillæ percuſſione poterat exſatiari. Perpulchrè D. Paſchaſ. ad Threnos: *Oſtenditur auiditas deſideriorum, cum dicitur, Dabit percutienti ſe maxillam, & ſaturabitur opprobriis.* Ac ſi diceret: Non ſolùm ſimplicis deſiderij, ſed multiplicis deſiderij patiendi auiditate faciem præbuit percuſſuro. Num non tam anxia fames, tam ingens deſideriorum auiditas vno alapæ vulnere exſatutari valebat? 18. *Deſiderio patiendi poterat alapa expleri.* Luc. 21.

Profectò huiuſce ſaginæ magnitudinem indicabo, ſi oſteodero non ſolum, Ieſu patientem potuiſſe exſatiari; verùm diabolum conatum io Ieſum omnium tormentorum vim acertuare, exſatiatum planè fuiſſe. Omnes cooatus ſuos impetuſque diabolus io vno patientiſſimo Iobo, typum Ieſu gerente, comminuendo inteodit collocare: *Collegit* (ioclamat Iob, ſiue eius ex ore Ieſus) *furorem ſuum diabolus in me, & comminans mihi, infremuit contra me dentibus ſuis. Aperuerunt ſuper me ora ſua, & exprobrantes percuſſerunt maxillam meam.* Iob. 16. Super quem locum Lyranus diabolum eiuſque aſſeclas affirmat totum conatum, totam faciem ſuam appoſuiſſe, vti Iob comminuerent, ſiue vti Ieſum affligerent. Totuſque impetus vſque ad maxillæ diuerberationem deſæuiit: *Percuſſerunt maxillam meam.* Quid plura? Adiicit Iob, *Satiati ſunt pœnis meis.* Quaſi vnius maxillæ percuſſio tot tantaque in Iob ſiue in Ieſum aceruarit opprobria, vt vel rapidiſsimorum leonis, & canum torquendi 19. *Et expletur diaboli torquentis auiditas.* Iob. 16. Lyran.

fames ſaginaretur. Diſce hinc quam omnium tormentorum vim vincant, opprobriorum iniuriæ proximis illatæ. Vel profanus Cleanthes: *Nihil fere tam eſt malignum, quam opprobrium.*

# OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

## *Dedit alapam Ieſu.*

## Patientia Ieſu idem ac alteram præbere maxillam.

*Nam patientia perfectiſſimum eſt opus, etiam cum inchoatur.*

20. Caſſia.

ALITER reſpondet idem Caſſia, quare Ieſus alteram non præbuiſſet maxillam verberandam? Quia videlicet patienter iniuriam tolerare, tam egregium, quàm alteram maxillam exhibere. Id quod ſuprà ex D. Auguſt. adnotauimus. *Virtus* (inquit Caſſia) *magna eſt tranquillo animo.*

21. *Alteram maxillam obtulit.* Thren. 3.

Plerumque equidem alapa repentino motu ſolet impingi adeò, vt percuſſus minimè vltroneus vulneretur. Quare Ieſus Diſcipulos monet oportere, vt repentino huiuſcemodi motu ab inimicis percuſſi, alteram vltroneè maxillam exhibeant; vt qui non voluntariè vna fuêre alapa vulnerati, ad alteram vltronei feſtinent. At Chriſtus Dominus cum eſſet omnes hoſtium præueniens impetus, non inuoluntarius prima fuit alapa vulneratus. *Dabit* (inquit Vates) *percutienti ſe maxillam.* Thren. 3. Qui ergo vltroneus iam ſuſcepit iniuriam, non erat cur alteram maxillam exhiberet. Addidit igitur & mollem reſponſionem, vt non ſolum ſemel, ſed & bis vltroneus maxillam offerret.

22. *Duplici legi ſatisfecit abunde.* Nyſſen.

Caſſia equidem *in virtutibus perfectam* appellat, imò perfectiſſimum facinus, iniuſtè percuſſum iuſtæ vindictæ non ſtudere. Non itaque Ieſus legi tunc ſolum exhibendæ alterius maxillæ paruit, ſed alteri legi voluit perfectiori parere, molliter vtrique hoſtibus reſpondendo, vt tibi leges incredibilis patientiæ præſcriberet. Id quod eleganter proſequitur Nyſſen. *Vbi alapis maxilla percuſſa, tunc ille quomodo vltus eſt? Nonne poterat terra hiatibus abolere? vel dimouere ex propriis terminis mare, & voraginibus terram ſubmergere? vel Sodomiticam imbrem ignis demittere vnico verbo, vel aliquod aliud acerbum ſupplicium irrogare? Attamen hæc omnia miti patientique animo pertulit, vtique tua per ſe ipſam leges patientiæ dedit.* Illud aduerte: *Vbi alapis maxilla percuſſa.* Non enim vna maxilla ſolummodo vulneratur. Nam & alteram dignatus eſt exhibere. Illud enim ipſum patienter tantum tolerare opprobrium, idem prorſus, ac rurſum altera in maxilla diuerberari.

23. *Alterā dexterā exhibuit*

Lex equidem exhibendi alteram maxillam ex D. Matthæo ponderanda eſt. *Si quis te percuſſerit in dextera maxilla, præbe ei & alteram.* Cap. 5. Vbi D. Hier. illud: *Alteram* de altera dextera exponendum cenſet. *Percuſſa dextera noſtra, non debemus ſiniſtram præbere, ſed alteram, hoc eſt alteram dexteram.* Qualem? Liceat mihi exponere. dexteram benigniter amplexantem illum, à quo iniuria mihi illata eſt. Illud enim ipſum percuſſi dexteram percutientem amplexari, idem eſt, ac alteram dexteram maxillam præbere. Acutè admodum Simon de Caſſia. *Perfectum eſt* (inquit) *in virtutibus eum qui te percutit, cum odio te feriat, tu dextera charitatis conſtringas.* Caſſian.

# OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

## *Dedit alapam.*

## Suſtinens patienter alapam Ieſus ſe ſanctiſſimum oſtendit.

*Perfectiſſimum namque, patienter iniurias ſuſtinere.*

DE doctrina, de moribuſque Ieſu ac Diſcipulorum Pontificem interrogaſſe reor ex Caietani auctoritate. *Ego* (inquit Dominus) *palam locatus ſum, &c.* De doctrina reſpondet, de moribus autem nihil profundit, Cur ita? Profectò quia alapam accepturus patientiſſimè ſufficiens erat de ſanctiſſimis moribus laturus teſtimonium. Omniū etenim virtutum gloria fulgens oſtenditur, qui tantæ patientiæ virtute decoratur, nam patientia opus perfectum habet. Iac. 1. 24

25. *Sanctiſſimi Magiſtri diſcipuli exmiè ſancti.* Matth. 27. Caiet.

Quærit ingenioſè Caiet. Cur Dominus Diſcipulos tutari non curarit, cum de Diſcipulis primum interrogaretur? *Pontifex ergo interrogauit Ieſum de de Diſcipulis ſuis, ac de doctrina eius.* Quare igitur non prius reſponſum exhibet de Diſcipulis, quam de doctrina. Innuit Cardinalis ſufficientiſſimè de Diſcipulorum moribus reſpondiſſe, ſuſtinens alapæ horribilis iniuriam. Ac ſi diceret Dominus: Quales Diſcipuli eius, qui patientiſſimè tantum ſuſtulit opprobrium? Sanctiſſimi planè, qui tantum Magiſtrum ſequuntur, cuiuſque actiones imitantur. Nec enim tam efficaciter illorum ſanctitatem tunc primùm verbo exprimeret, quam poſt paruum interſtitium oſtendit exemplo.

26. *De ſanctitate alapæ ſ. ſtinentia egregius quam verba reſpondit.*

Licet autem multa Dominus ſeu de propria bonitate, ſeu de Diſcipulorum perfectione faceret verba, nullatenus ſanctitatem tam apertè monſtraret, quam alapæ ſuſtinentia. Intendens Chriſti bonitatem incredibilem Ieremias expendere, ait, *Bonum eſt viro cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua, ſedebit ſolitarius, & tacebit, quia leuauit ſuprà ſe.* Vir enim à cunabulis dolorum, & ſciens infirmitatem. Vultis vnico exprimam verbo viri bonitatem? *Dabit percutienti ſe maxillam.* Thre. 3. Ad quæ elegāter Thren. 3.

Rupert.

Rupert. Rupert. *Quam bonus eſt vnigenitus, qui cum in forma Dei eſſet propter nos accepit formam ſerui atque poſt gloriam claritatis, quam habuit apud Deum, ſaturatus eſt opprobriis dans percutienti ſe maxillam.* Et quonam à perſpicuiori Ieſu bonitas experimento innoteſceret. Sed & Iob Chriſti gerens perſonam, poſtquam præcelſæ perfectionis præſtitit documenta, quaſi colophonem adiiciens fatur: *Exprobrantes percuſſerunt maxillam meam.* Cap. 16.

27. *Hoc perfectionis Euãgelicã faſtigium.* Perfectionis Euangelicæ Chriſtus ſuis aſſeclis exhibet documenta: *Beati pauperes, beati mites, beati qui lugent, beati qui eſuriunt, beati miſericordes, &c. Vos eſtis lux. Qui fecerit, & docuerit, magnus vocabitur. Niſi abundauerit iuſtitia veſtra. Omnis qui iraſcitur fratri, reus erit iudicio. Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum. Sit ſermo veſter, eſt, eſt; non, non.* Quid plura? Vnico verbo totam exprimo perfectionem. *Si quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam,*
Matth. 5. *præbe illi & alteram.* Matth. 5. Omnia iam grauiſſima præcepta leuia admodum putet, qui pondus maximum pecuſſionis huiuſmodi leuauit, quaſi diei & æſtus pondera ſuſtinuiſſet conſummatus omnino. Belle Cæſar. Dial. 4.
Cæſar. *Quiſquis vnam percuſſus maxillam, etiam alteram præbet deſinit, quid põdus Dei & æſtus ei tentationum ferat, Dominus, tanquam omne opus laborioſum ſui mandati prompte impleuerit.* Sic Nazianzeni frater.

# OBSERVATIO IV.

Ad illa verba:

## *Cur me cadis?*

## Dum Ieſus ſe puerum reſpondendo dulciter oſtendit, ſe virum fortiſſimum manifeſtat.

*Nil enim magis robuſtum, quam minimè vindicari.*

28. Ambroſ. PONDERANS D. Ambroſius Ieſu verba: *Si male locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo; ſi autem benè, cur me cadis?* profatur ad Pſal. 73. *Vide quemadmodum quaſi vir iuſtiſſimus, quaſi is qui ſe vindicare non poſſet, pueriliquodam loquebatur affectu.* Illa expende: *Quaſi vir, & quaſi puer.* Quid cum puerulo viro? Profectò tantum abeſt, qui ſuffert in morem pueri iniuriam, infirmus habeatur, vt illud ipſum puerili patientia ſuſtinere iniuriam idem ſit, ac ſe ſe virum fortiſſimum oſtentare.

29. *Patiens & puer & miles ſimul eſt.* Cant. 3. Lectuli Salomonis ſic cuſtodes deſcribuntur: *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſrael, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi.* Cant. 3. Ad quænam bella? Suſtinent enim iniuriarum ictus, perſecutionum vulnera tolerant. Hinc Iſrael fortiſſimi ad tolerantiam? Igitur neceſſariò illi inter pueros ſunt adnumerandi. Nec enim puer ex ſuſtinentia qui non vir maximus exſurgat: nec maximus vir qui non ſimul puer habeatur. Audite Nyſſen. hom. 6. in Cant. *Quando qui femori accingit enſem, expulit animi perturbationem:* (quid fortius, quam laboribus non perturbari?) *tunc infans eſt expers animi eiuſdem perturbationis. Idem ergo eſt dicere armatos eſſe, & infantes.* Nyſſen. Nam cum infantis imperturbabilis affectu ſuſtines iniuriam, tunc vir fortiſſimus omninò appares.

Dominus ad Diſcipulos: *Quis veſtrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, &c. & ille de intus reſpondens dicat: Iam oſtium clauſum eſt, & pueri mei mecũ ſunt in cubili.* Luc. 11. 30. *Idem exprimit Dominus.* Luc. 11. Ad quæ Ambroſ. *Quis eſt nobis amicior, quam qui pro nobis corpus ſuum tradidit?* Ambroſ. Si igitur Salomon verus ille amicus, cur pueros vocitat, quos fortiſſimos milites alibi vocauerat? Exiſtimo eos Dominus in præſenti pueros appellare, vt eorum circa laborum ſuſtinentiam, impaſſibilitatem exprimat. Pueri igitur illi ob iniuriarum tolerantiam. *Illa enim ætas* (loquor cum Nyſſeno cit.) *incapax eſt perturbationis.* At ſimul eos viros fortiſſimoſque exiſtere milites neceſſum eſt. Idem Nyſſen. apud D. Thom. ſic Nyſſen. Lucã exponit: *Opportunè eos, qui per arma iuſtitia impaſſibilitatem vendicauerunt, ſibi pueros appellat.* Quid autem tunc minus infirmum, quam ſi ſe circa labores reddentes impaſſibiles vniuerſa mundi pericula ſuperare?

Homines Chriſtus, ſeu perfectos natura viros ad vterum reuerſuros, in ibique ſpiritu 31. *Patiens vir puer homini neceſſariò vocatur.* informandos eſſe prædicauit. Ioan. 3. Num pueruli effecti hominem, ſeu virum exuerent? Minimè. Quia potius ex crucis tolerantia (de Ioan. 3. qua Dominus Nicodemo) pueruli in fortiores viros aſcenderent. Ex D. Machario hom. 8. con- Mach. firmo: *Gratia omnia membra, & cor ſedat, ita vt anima videatur eſſe velut puellus mali neſcius. Nec in poſterum homo condemnat Græcum, aut Iudæum, ſed interior oculo puro omnes recipit.* Vix puellum memorat, & mox hominem non ſemel adiungit. Nil etenim magis virile, quam iniurias acuſantium in morem pueruli ſuſtinere.

# OBSERVATIO V.

Ad illa verba:

## *Si malè locutus ſum, &c.*

## Si non alteram maxillam præbuit percuſſori Ieſus, alteram ipſi alapam impegit.

*Patientia enim verberat inimicum.*

DIVVS Ambroſius præfata verba Matthæi exponens: *Si quis in* 32. Ambroſ. *dextera maxilla te percuſſerit, præbe & illi alteram,* ſic legit: *Si quis alapa te percuſſerit, præbe illi & alteram alapam.* Id quod ad patientis reſpon-

ſionis refert mollitiem. Quaſi videlicet alapa percutiat hoſtem, qui poſt tantam acceptam iniuriam benignè reſponderit.

33. *Deus ſic vindictam ſumit.* Exod. 9.

Sic Deus Pharaoni Hebræos non iam maxillas, ſed oculos Dei percutienti Dominus, *Nunc extendens manum, percutiam te.* Exod 9. Extendis manum vti alapam impingas Hebræis, meam faciem, meam ſimilitudinem referentibus? Extendens manum, te altera alapa percutiam. *Idcireò autem poſui te.* Chaldæus, *Suſtinui te.* Ac ſi Deum patienter hoſtem crudeliſſimum ſuſtinuiſſe, idem ſit ac illum extenſa dextera percuſſiſſe.

34. *Percutiens percutitur.* Ezech. 3. Ambroſ.

Viſus mihi Ezechiel ad conſpectum Domini hodie proclamaſſe: *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum.* Cap. 3. Pagninus ex Hebræo. *Vt adamantem fortiorem dedi frontem.* Vbi hoſtes Ieſu cum ſilice componuntur, qui percuſſus ſcintillas vibrat, vt proxima incendat. Ambroſ. lib. 1. Offic. cap. 21. *Si lapides teras, nonne ignis erumpit?* Obiicias tibi quæſo Miniſtrum ſilicem percutientem adamantem patientiſſimum. Annon ipſa percuſſio exitialis percuſſori, qui quidem incenditur è vulnere, & diſtorquetur?

35. *Impingens alapam, ſibi alteram impingit.* Ezec. 20. Ambr.

Et quidem plerumque per patientiam efficeis, vt ſuamet pœnitentia verberantem reuerberes, ſeu potius pœnitens ipſe ſibi alapam impingat. Apud eundem Ezechielem Dominus, *Diſplicebitis vobis in omnibus malitiis veſtris.* Cap. 20. Septuaginta appoſitè, *Et percutietis facies veſtras.* Percutientes Ieſum, vos ipſos dirè vulnerabitis patientiſſimum Ieſu reſponſum audientes. *Nonne* (inquit bellè D. Ambr lib. 5. in Luc.) *fit per patientiam, vt ſua amplius pœnitentia reuerberes verberantem?*

36. *Sagitta in inferentem reuertuntur.* Tertul.

Rurſum expende proximum Ezechielis locum. *Ecce dedi faciem tuam duriorem frontibus eorum.* Cap. 3. Septuaginta, *Et erit ſemper firmior petra.* Tertul. de Pat. c. 8. *Omnis iniuria manu incuſſa, cum patientiam offenderit, eodem exitu diſpungetur, quo telum aliquod in petra conſtantiſſima duritia libratum, & obtuſum. Concidet enim ibidem irrita opera & infructuoſa; & nonnumquam repercuſſum in eum, qui emiſit, reciproco impetu ſæuiet.* Illa itaque manu crudeli iniuria lapideæ faciei Ieſu incuſſa tanta excepta patientia in ſuum relapſa eſt iaculatorem.

## OBSERVATIO VI.

Ad illa verba:

*Si malè locutus ſum.*

### Reſpondit Ieſus percuſſori, non vt conquerатur de propria iniuria, ſed de iniuriantis incommodo.

*Te etenim delinquendo læſiſti.*

37. Caſſian.

PRofectò reſpondit Ieſus, non vt de proprio vulnere conquereretur, ſed de vulneratoris exitio. Præmitto Simonem Caſſia. lib. 13. *Perfectum eſt in virtutibus ei, qui te percuſſit, inſerre verba ſalutis. In id tendebat Saluator qui vult omnes homines ſaluos fieri, vt hunc malè miniſtrantem in miniſtrum ſuperna vita conuerteret.* Vnde illud: *Quid me cædis?* tantundem, ac ſi proclamaſſet affectu materno in cōſpectu filij vulnerati. *Porque* (vt Hiſpanè expouā) *te hazes mal?* Ac ſi plus ea percutiētis incōmodo, quàm ex proprio vulnere ſauciaretur.

38. *Cadentis plorat vulnus.* Ambr. Philip. 2. Orat.

D. Ambroſ. ſerm. 20. in Pſal. 118. *Si male locutus ſum, &c.* (Ieſus ait) *Si autem bene, quid me cædis. Quaſi infirmus cadis deploras iniuriam.* Non cæſi, ſed *cadis.* Deplorat iniuriam, quam filius ipſe cædens accepit, vulnus namque lapidi conſtanti impingens, grauiter læſus eſt. Paulus, *Vt ſitis ſine querela, & ſimplices Filij Dei.* Philipp. 2. D. Anſelm. *Vt proximus non poſſit de vobis conqueri.* Profectò ſi vox *Querela* conſideretur, non quaſcumque querimonias ſignificat, ſed eas ſolummodo, quæ ex amore oriuntur, vt videre eſt apud linguæ Magiſtros. Ita Horat. 2. Od 6.

*Deſine mollium.*
*Tandem querelarum.*

Planus iam Apoſtoli ſenſus: *Sitis ſine querela ſimplices Filij Dei.* Nihil efficiatis, vndè pater veſter cœleſtis aduerſum vos molles poſſit excitare querelas, Quare me tuomet vulnere inflicto læſiſti?

39. *Curam gerit erronis.* Auguſt.

Cum proprium ſit eius, qui alapam impingit, mox vertere terga. Ieſus molliter reſpondens, quaſi dexteram porrigit, vt teneat fugam meditantem, eumque ouem ad errorem ſiniſtræ deuiantem, perducat ad dexteram. D. Auguſt. tract. 116. in Ioan. expendo ſententiam. *Vbi non reſpondebat; ſicut ouis ſilebat; vbi reſpondebat, ſicut Paſtor docebat.* Docebat ſcilicet ouem illam erroneam locum dexteræ, vbi Dominicæ oues collocantur. Hinc pulchrè exoritur rurſum D. Hieronymi expoſitio ad locum Matthæi: *Si quis te percuſſerit in dextera, præbe ei & alteram dexteram.* Sic Ieſus alteram dexteram præbuit, dum in morem benigniſſimi Paſtoris eum docuit, quonammodo poſſet ad dexteram collocari. Hieron.

40. *Vulnus Ieſu fuga peccatoris.* Thren. 3. Paſchaſ.

Et quidem grauiſſimum Ieſu vulnus, peccatorem vulnerantem fugere apud ſiniſtram periturum. Hinc ex Ieremia querimonia: *Ædificauit in gyro meo, & circundedit me felle, & labore.* Thren. 3. Vbi Paſchaſ. lib. 3. *Quoniam coædificauerat ei Pater in gyro obſidionem, quando cum armis, & fuſtibus eum à Iuda traditum comprehenderunt, & ne poſſet effugere, vinctum eum perduxerunt.* Expoſuit Dauid, *Traditus ſum, & non egrediebar.* Pſalm. 87. *Videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus.* Ergo ille, qui traditus cū fuerim à Diſcipulo, percuſſus à miniſtro, nō egredior (ſic diſponente Patre, qui mihi mutum appoſuit) vt illum eripiam à laqueo, vt hunc adducam ad ouile. Num dolor hoc ſit maior?

41. *Quam dirum eſt vulnus.*

Dolor hic num æqualis ei, quem exciperet Ieſus, ſi oſſa viuentis confringerentur? Cur Pater iam indè ab Agno Paſchali iuſſit, ne Ieſu oſſa perfringerentur? Mitto alias cauſas; vnam illam exhibeo, nempè prius eadem Ieſu oſſa quodā modo cōfringenda. Vndè

ne his

ne bis frangerentur, Pater imperauit eis parcere milites. Quandonam igitur confracta ſunt oſſa Saluatoris? *In me* (inclamat Ieſus) *vertit, & conuertit manum ſuam tota die, contriuit* Thren. 3. *oſſa mea.* Thren. 3. Pater iam contriuit oſſa, vos ò Milites, parcite. Et quidem contriuit tunc oſſa (interprete D. Paſchaſio) *quando in paſſione Chriſti etiam ipſi Apoſtoli contriti ſunt, & pauore mortis fugati.* Paſchaſ. Certè eorum reuocabilis fuga. Quid non dirius confringerentur, quodammodo oſſa Ieſu ex percutientis fuga irreuocabili?

# SECTIO QVARTA.

# FACIEI OBVELATIO:

## EX CAP. XIV. MARCI.

## TEXTVS.

*Verſ. 65.* Et cœperunt quidam conſpuere in eum, & velare faciem eius, & colaphis eum cædere, & dicere ei: Prophetiza.

## COMMENTARIVS LITERALIS.

### §. I.

### *Improperia recenſentur.*

1. *Tota nocte percuſſus eſt. Aug.* ET *cæperunt quidam conſpuere in eum.*] Illud *cæperunt* innuit non ſemel expuiſſe. Tota etenim nocte Ieſum ſaturari opprobriis curauerunt. Aſſerit D. Auguſtin. lib. 3. de conſ. cap. 6. fatus: *Hæc intelligitur paſſus Dominus vſque ad mane.* Et Paſchaſ. *Hæc* (inquit) *vſque ad mane geſta ſunt.*

2. *Num Primores Ieſum illuſere.* *Conſpuere in eum.* Scilicet *in faciem eius*, vt Matthæus adnotauit. Poſtquam reus mortis conclamatus eſt, hi cuius cauſa mori dignabatur, afflicto probra, irriſiones, atque illuſiones addidere. Num ipſi Sacerdotes, & Primores illuſerint, ac percuſſerint? Reſpondeo præcipuos illuſionis, & percuſſionis huiuſmodi authores Miniſtros fuiſſe, Primores autem probabiliter extitiſſe non ſolum tanti facinoris approbatores, verum & exequutores. Id exprimit Marcus, *Et cæperunt quidam conſpuere in eum, &c.* adiicit, *Et miniſtri alapis eum cædebant.* Ergo *quoſdam* diſtinguit à *Miniſtris.* Illi igitur quidam Primores procuIdubio fuêre.

3. *Conſputionis iniuria.* *Conſpuere in eum.* Primò faciem Ieſu terræ, cœloque venerandam fœdis ſaliuis conſpurcarunt. Quæ quidem horribilis ignominia vſitata fuit apud Iudæos, vti ea illis verbis colligitur, *Si Pater eius ſpuiſſet in faciem illius, nonne debuerat ſaltem ſeptem diebus rubore ſuffundi?* Num. 12. Pater ergo aliquando in faciem filij inſpuebat, vti eum grauiſſimè puniret: filius verò tam ingenti ignominia affectus, ſaltem ſeptem diebus rubore ſuffundebatur.

4. *Cur faciem velauerunt? Chryſoſt.* *Et velare faciem eius.* Veſte deinde, vel aliquo alio haud mundo velamine Ieſu oculos operuere. Quare? Reſpondet Chryſoſt. hom. 86. in Matth. *Tam gratioſa, & benigna Domini facies erat, vt hoſtes, quamuis crudeles eſſent, & eum odio proſequerentur, non poſſent tamen eam cernentes, in eum ſæuire; ſed emolliti commiſerabantur. Ideò conſilium eorum fuit faciem eius velare; quo atrocius eum cæderent, colaphos, & alapas impingerent, barbam vellerent, pulnerem in faciem eius iactarent, & execrarentur in eum.* Plura alia myſticè Patres. Ego etiam exiſtimo irriſionis ergò, faciei appoſitum velamen, vti eum falſum Prophetam oſtentarent.

*Et colaphis eum cædere.* Colaphus Græcum vocabulum. Græcus Euthym. ſic exponit, *Eſt colaphus verberatio, quæ in collo fit; vacua manu, vt ſonum edat.* Theophyl autem colaphum cum alapa confundit. *Colaphizare eſt manibus percutere, & ſimul incuruatis digitis, & pugno cædere.* Cum Euthymio diſtinguo collaphum colli percuſſionem, ab alapa vulneratione quidem faciei. 5. *Cædunt colaphis.*

*Et dicere ei, Prophetiza.* Quia vulgo inſignis Propheta habebatur, & ipſe ſe Filium Dei 6. confeſſus fuerat, per irriſionem obuelatis oculis, eum cædentes, interrogant, *Propheti za nobis, quis eſt, qui te percuſſit?* Nec quidem prophetauit. *Stultum enim erat,* (loquor cum D. Hieron.) *verberantibus reſpondere, & prophetizare cædentibus, cum palam percutientis videretur inſania.* *Cur adiicit? Prophetiza.*

Proh mundi delictis præſtantiſſimum medicamen! Quàm dulciter cecinit Sedulius 7. lib. 5. *Christi probra noſtrorū vulnerum medicamen. Sedul.*

*Saluator patiens ſubiecto corpore totum*
*Suſtinuit, noſtraque dedit ſua membra ſaluti.*
*Namque per hos colaphos caput eſt ſanabile noſtrum.*
*Hæc ſputa per Dominū noſtram lauêre figurā.*
*Hu a apu nobis libertas maxima plauſit.*

Ii 4 Tunc.

## §. II.

*Tunc, cum cædebatur Ieſus, percutientium vulneribus medebatur.*

### Quia bonum pro malo à iuſto reddendum.

9. *Se debellantem benedicit, Deus planè.* ILluſtro breuiter hanc ſententiam: *Noſtraque dedit ſua membra ſaluti.* Quis niſi Ieſus ſe vulnerantibus illa tenebricoſa nocte pararet medicinam?

Gen. 32. Euſeb. Nocte quadam Iacob preces effundebat. *Ecce vir luctabatur cum eo vſque ad mane, & cum præualuiſſet Iacob, dixit ei Angelus, Dimitte me, iam enim aſcendit aurora. Reſpondit Iacob: Non dimittam te, niſi benedixeris mihi.* Geneſ. 32. Annon ſtultum, impugnatorem ab impugnato, imò & expugnato benedictionem poſtulare? Quàm pulchrè Euſebius Gal. hom. 8. de Paſch. *Qui vincitur, benedicit? In Iacob ergo Iudæorum populus, in Angelo Chriſtus agnoſcitur.* Præualuerant enim (authore D. Auguſtino) ad tempus in Dominica paſſione Iudæi. Adnota itaque conſequentiæ vim, *Qui vincitur, benedicit? Ergo in Iacob Iudas, in Angelo Chriſtus figuratur.* Quis enim niſi Deus eſſet, tunc benedictione donaret percuſſores, quando crudeliter vulnerabatur?

Abacuc Oratio ſic inſcribitur, *Oratio Abacuc Prophetæ pro ignorantiis.* Vbi Lyranus iudicij ſui ignorantiam, ex quorundam opinione, narrat Prophetam profiteri. Quinam error iudicij Abacuc? *Domine* (inquit) *audiui auditionem tuam.* Id eſt, (Lyrano interprete) audiui Iudæorum probra, irriſiones, contumelias, calumnias, alaparum, colaphorum ſtrepitus meas peruenit ad aures. Adiicit, *Et timui.* En iudicij error. Quis non ſibi prudenter perſuaderet Ieſum tam immaniter vulneratum aduerſus percuſſores inſurrecturum? Iam à meo excidi errore: *Domine, opus tuum in medio annorum viuifica illud.* Cap. 3. Illa verba: *In medio annorum*, ad Dominicam ætatem, qua paſſus Dominus, allicit idem Lyran. Hæc eſt tuæ paſſionis conditio, vt opus manuum tuarum, quod te interimit, tunc vita dones. 10. *Vulneratus ſanat.* Abac 3. Lyran.

Colaphos itaque ſuſtinuit inobedientiæ noſtræ, ſputa noſtræ fœditatis admiſit, alapis noſtræ captiuitatis eſt vulneratus, vt ægritudini noſtræ mederetur. Paulum audite. *Qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* 2. Corinth. 5. Fecit peccatum, id eſt, figuram abluendi peccati in ſuo corpore ex inflictis hac nocte vulneribus admiſit. *Hoc* (ſcitè inquit D. Ambroſius) *ad eas referendum videtur, quas Deus in carne ſuſcepit iniurias. Et neceſſum fuit, vt ærumnarum multitudinem miſerationum multitudo depelleret.* 11. *Hinc peccatum feciſſe Paulus affirmat.* 2. Cor. 5. Ambroſ.

# IN IESVM PATIENTEM APVD CAIPHAM.

# Panegyricus quartus Moralis circa Literam.

## EX FACIEI OBVELATIONE.

### *OBSERVATIO I.*

Ad illa verba:

*Et cœperunt conſpuere, &c.*

### Tota Ieſus nocte percutitur, imò æternum quodammodo paſſus eſt.

### *Vbi de hominibus, accepta iniuria, ſeneſcentibus.*

12. VIDIMVS ex D. Auguſt. Ieſum tota fuiſſe nocte vulneratum. *Hac* (ait) *intelligitur paſſus Dominus vſque ad mane.* O nox ſuperans æternitatem! Tot opprobria Ieſus vna in

13. *In robuſta ætate conſtitutus quaſi ſenio confectus apparet.* Abac. 3. nocte ſuſtinuit, tot vulnera accepit, vt nox ſæcula tranſiliens, æternitati adhæreſcere conari videretur.

Inclamabat Propheta: *Domine, opus tuum in medio annorum viuifica illud.* Abac. 3. Vbi Lyran. *Chriſtus etiam* (ait) *trigeſimotertio anno, quod eſt quaſi medium ætatis humanæ, paſſus eſt.* Ac ſi diceret: Quid ò vir, in ætatis robuſtæ meta conſtitutus, quaſi ſenio confectus es? Viuifica opus tuum, adde florentis robur ætatis, ne ſcilicet ab hoſtibus tuis pigritudinis incuſſeris. Proh Deus immortalis! Quid, ò Propheta, vidiſti in Ieſu, quod portenderet ſenium? Caput è puluere conſpicitur, caluitium crinium reuulſio effecit, maxillæ eius alapis exaratæ.

*Vetuſtam* (conqueritur Ieremiæ ore Ieſus) 14.

*fecit*

Inter inimicos inueterauit. Thren. 3. *fecit pellem meam, & carnem meam.* Thren. 3. Vbi D. Paſchaſ. gemere affirmat caput noſtrum, quod peccatorum actiones crudeliſſimæ cum ad ſenium perduxerint. *Inueterani inter omnes inimicos meos.* Pſal 6. Cur Dauid ſe aſſerit ad ſenium perductum? Num quia in veteris hominis Adam antiquitate permanſit? Sic Caſſiod. Num quia per conſuetudinem, & perſeuerantiam prauorum operum non nouum, ſed veterem ſe peccatorem agnoſcebat? Ita Gregor. Attamen conuenientius Theodor. *Omnibus malis* (ait) *grauiora mihi ſunt inimicorum opprobria, hæc enim me conſumunt, & liquefaciunt, & ad extremam ſenectutem adducunt.* Si ex opprobriis purus homo, ex Adami origine, & ex adulterio impurus ſenio conficitur: quid homo Deus nunquam vetuſto Adami veſtitus indumento?

15. Sæpè obiit & renatus eſt hac nocte Ieſus. Thren. 3. Age verò, non ſolum ſenuit hac nocte Ieſus; ſed totiens confectus ſenectute obiit, quotiens aliquod ſubiit opprobrium; poſt obitum verò rurſum mox quodammodo repetiit infantiam, vti iniurias, ac vulnera ſuſtinendo infinitas percurreret ætates, exantlaret ſæcula. Ieremias, *Ponet in puluere os ſuum.* Thren. 3. Legit D. Ambroſ. ſerm. 10. in Pſal. 118. *Dabit in ſepulchrum os ſuum.* Vbi ſilentium Domini inter probra, & calumnias contemplatur. Ac ſi diceret, Quotiens Ieſus aut probro affectus, aut colaphis vulneratus tacet, totiens deſcendit ad ſepulchrum. Quaſi enim ſenio confectus interit.

16. Apparet ſic. Apoc. 1. Id quod egregiè probat Apocalypſeos teſtimonium: *Et conuerſus, vidi ſeptem candelabra aurea, & in medio ſeptem candelabrorum aureorum ſimilē Filio hominis. Caput autem eius, & capilli erant candidi tanquam lana alba. Et pedes eius ſimiles aurichalco ſicut in camino ardenti.* Cap. 1. Ad quem locum Lyranus *ſignificatur* (ait) *hic maturitas mortis, & ætatis.* Ideo Ieſus ſenis in morem ardenti camino, id eſt pyra ſeu quodam buſto innititur. Vndenam ô bone Ieſu, tam maturè, imò tam immaturè ſecedis, & occumbis? Profectò candelabra noctem illam quodammodo æternam innuunt, qua Dominus innumera ſuſtinens opprobria ſæpè ſæpius ſenectute confectus properauit ad tumulum.

17. Sæpè ad cunam reuertitur. At enim ideo ſenex occumbebat, vti rurſum infans noua toleraturus inſurgeret. Iterum Abac. teſtimonium pulchrum planè accipite. *Domine, opus tuum in medio annorum viuifica illud.* Cap. 3 Lxx transferunt, *In medio duorum animalium.* Quid Dominicis annis cum duobus animalibus natalitij? Vaticinatur equidem Propheta Ieſum in ætatis medio, ad infantilem rurſum properaturum, ac ſi in præſepio in medio duorum animalium collocaretur. Quorſum hæc? Porrò Chriſtus ex opprobriis, & vulneribus ſeneſcens, ad infantilem affectu rurſum deueniet ætatem, de ſepulchro exiliens ad cunam; vti vna in nocte infinita ſecula tranſiliat. Seneſcere, mori efficiunt iniuriæ.

Igitur iniuriarum illator prorſus
quodammodo homi-
cida.

# OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

## *Et velare faciem eius.*

## Quàm immanes in Ieſum, qui eius oculos velari, eiuſque prophetiam inanem eſſe exiſtimabant!

*In peccatores à Dei conſpectu fugientes.*

AD hæc venerabilis Simon Caſſian. *Prophetiza* (inquit) *nobis, quis te percuſſit? Ac ſi prophetia careret anima Saluatoris, ſiue tanta ſit ignorantia Iudicis, quod culpam neſciat delinquentis, & quod neſciens culpam, non inferat pœnam. Vnde pernicioſa licentia peruagetur iniquitas, ſi Iudex ignorat, quem puniat. Similiter & ſi neſcit patiens ferientem, quod iuſtam nequit rependere vicem.* Eum abnegant Prophetam, oculoſque eius poſſe obrui caligine arbitrantur. Hinc effrænatio delinquentium. 18. Caſſia.

Deſcribit Dauid ſceleratos admodum peccatores contumelias in Dominum iactantes. *Effabuntur, & loquentur iniquitatem. Populum tuum, Domine, humiliauerunt.* Pſal 93. Caſſiodo. *Deo fieri contumelias haſce audiebant.* Vndenam igitur tam effrænati in Dominum irruunt? *Dixerunt, Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob.* Idem Caſſiod. *Æſtimant enim dementes Deum non videre mala illorum.* Opportunior adhuc Caſſianus: *Quid enim eſt, dicere, Non videbit Dominus, niſi, Prophetiza nobis, quis eſt, qui te percuſſit? Vt malefactorum impunitas ſubſequatur. Credunt namque nonnulli oculos Domini faſciolis ignorantiæ obuelaſſe, vt nec ipſe ſpeculator deſuper aſtet.* 19. Sæuit in Deū, qui cæcum mēditatur. Pſal. 93. Caſſia.

Deus olim Cœlicolis: *Clamor Sodomorum venit ad me, & peccatum eorum aggrauatum eſt. Deſcendam igitur, & videbo, &c.* Gen. 18 Vbi Abulenſis, *More humano loquitur* Ac ſi diceret. Hominum morem gerit Deus. Nam quia illi homines flagitioſi exiſtimabant, Deum nullatenus eorum peccata videre, *Nec intelliget Deus Iacob.* Deus ironicè inclamat, eorum gerens morem: *Deſcendam igitur, & videbo.* Iam expendo queis illi criminibus implicabantur. Profectò non ſolum infandæ libidinis æſtu incendebantur, verum & crudelitati operam dabant. Huc reſpicit illud Dominicum: *Et peccatum eorum aggrauatum eſt.* Ad quæ verba Abul. *Dicit Rabbi Salomon, quod quædam puella pauperi petenti panem dedit; ideo mandato Ciuitatis nudata fuit, & melle delibuta toto corpore, æſtiuo tempore in foro apibus, & muſcis expoſita; vbi cum grauiter torqueretur, clamauit ad Dominum contrà gentem illam, & exaudita eſt.* Quando etenim non crudelitatis facinore maculatur, qui Dei oculos cenſet obnubilari? Effrænati gentiles 20. Hinc Sodomitæ crudeliſſimi. Gen. 18. Abul.

cunam

euinam crimini non dederunt operam? At vndenam tam flagitioſi, niſi quia Deum colere curabant, qui eorum crimina non videret? D. Cyril. Ieroſolym. Catech. 3. *Alÿ* (inquit) *Solem ponebant Deum, vt occidente Sole ſine Deo eſſent: alÿ verò Lunam, vt in die Deum non haberent,* poſſentque Deo minime aſpectante liberius delinquere.

21. *Quam ex hoc capite immanes Iudæi Ieſu vulneratores!* Iſai.

Hinc elicies, quàm crudeles ſe præbuerint erga Ieſum, qui oculos velamine obtenebrabant, nec exiſtimabant Dominico ſpiritui ineſſe prophetiam! O quam ſæuiere ex faciei venerabilis conſputeatione! *Faciem meam* (Ieſus ait) *non auerti ab increpantibus, & conſpuentibus in me.* Iſai. 50. Hebraicè, *Faciem meam non auerti ab ignominÿs,* (& creſcit oratio) *& ſputo.* Valdè etenim apud Iudæos ignominioſum, vel à parentibus ſputo fœdari. D. Hilarius in Matth. *In palmis, atque ſputis, ad conſummandam hominis humilitatem, vniuerſa in eum contumeliarum genera exercebant.* Hilar.

# OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

## *Prophetiza nobis, quis eſt qui te percuſſit?*

## Quàm graue Ieſu, prophetare, ſe à Iudæis eſſe vulneratum.

*Nil enim Deo grauius, quàm hominem ſpecialiter beneficÿs donatum recedere, & deperire.*

22. Chryſoſt.

CHRYSOSTOMVS hæc ita verba perpendit. *Attende, quod Euangeliſta cum ſumma diligentia ea, quæ videntur eſſe exprobratiſſima exponit, nihil occultans, aut verecundans, ſed gloriam exiſtimãs maximam Dominatorem orbis terrarum pro nobis talia ſuſtinere. Hoc autem legamus continuò, hoc noſtræ menti infigamus, Prophetiza, quis te percuſſit.* Certè ex eo quod apertè agnouit Iudæos percuſſores, mirum in modum Dominus vulneratur. Me percurit amicus, proximus, propinquus populus Iudæorum, à meis vulnere afficior. Proh doloris exuberantia!

23. *Pauet Ieſus, & mœret, propter Iudæos ſe vulneraturos.* Matth. 26. Luc. 22. Paſchaſ.

Circa paſſionis inſtantiam Dominus *cœpit pauere, & mœſtus eſſe,* (& ait,) *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* Matth. 26. Attamen eandẽ paſſionem & mortem valdè expetierat, *Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum.* Luc. 22. Si mori cupis, cur mortis præſentia te arripit ad mœrorem, & non potius excipit ad gaudium? Proh Ieſu charitas! Mori cupit, ſed de occiſoribus Iudæis contriſtatur. D. Paſchaſ. lib. 12. in Matth. *Triſtabatur pro Iudæis, quos ſpecialiter elegerat in populum, & nutrierat quam dulciter; quoniam cernebat eos omnes in eius concurrere mortem.* Mors mihi dulcis, ſed à Iudæis occidi perquam amarum.

24. *Hũc calicem tranſire poſtulat.* Matth. 26.

Ideo clamat ad Patrem, *Si poſſibile eſt, trãſeat à me calix iſte.* Matth. 26. Auguſt. *Si fieri poteſt, vt ſine miniſterio Iudæorum occumbam, trãſeat calix a me, ſine occiſore necabor. Quam notanter adiecit, Calix iſte.* Non poſtulo non mori, non pati, ſed ſignanter hunc calicem epotare recuſo. Quemnam obſecro? A Iudæis vulnerari. D. Hieronym. apud D. Thom. *Signanter dicit, Calix iſte, hoc eſt populi Iudæorum qui excuſationem ignorantiæ habere non poſſunt, ſi me occiderint.* Ideo hæc vna circunſtantia totius calicis nomine deſignatur. *Calix iſte.* Hieron.

25. *Totus calix quonam modo eſt à Iudæis eſſe vulnerandum.* Hieron.

Profectò calicis nomine ex Patrum ſententia cuncti Ieſu labores, omnia improperia, ac vulnera deſignantur. Hieron. autem calicem appellat Iudæos. *Calix iſte, id eſt, populi Iudæorum* Quid cum calice Iudæis? An non vnum illud, id eſt, à Iudæis accuſatoribus in necem tradi, Ieſu totus calix, tota paſſionis amaritudo? Ita planè.

26. *Vnius Iudæi exitium crudeliſſima Ieſu calamitas.* Luc. 4. Oroſ.

Imò vnius ſolummodo Iudæi exitium crudeliſſima fuit Chriſto calamitas. A diabolo non ſemel tentatus, fortiſſimè hoſtem debellauit. Quid Dæmõ? *Conſummata omni tentatione, diabolus receſſit ab illo vſque ad tempus.* Luc. 4. Et quonam tempore hoſtis dirior, immanior acceſſit ad Chriſtum? Reſpondet Oroſius Apol. de liber. arb. *Ieſum ter diabolus tentauit, terque ſuperatus reliquit. Et non reliquit in perpetuum, ſed ad tempus, acrior vſque ad mortem crucis, Apoſtolo præuaricante, rediturus.* Ac ſi diceret cunctis cruciatibus Chriſti ex horto vſque ad crucem acrior fuit Domino Iudæ vnius præuaricatio. Quid omnium Iudæorum caſus, omnis populi Iſraël reprobatio ob illatam Ieſu necem, ſi vnius traditoris Iudæ damnatio tam acris Saluatori?

27. *Quaſi ex obſtratione illa ſe ſciſſet à Iudæis vulnerari moritur.* Matth. 27. Remig.

Non miror eum qui mortis dominus erat, qui paſſionis immanitatem ſuperarat, qui confixus vocem mirandam inferno terribilem diſſecuitus proferebat, ſe ſe demum morti tradiſſe non tam cruciatuum inſtantia, quam excogitatione illa, Miniſterio Iudæorum occumbo, populus ille quàm dilectus perit. *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Matth. 27. Mortis Dominus, qui non potui vinci tormentis, me morti committo quaſi volens victus à dolore. D. Remig. ad Cap. 4. Ioan. *Tolle Pater, animam meam, in manus tuas eam commendo; melior eſt mihi mors, quam vita, quia vnam gentem Iſrael ſanare non potui.*

28. *Cauſa huiuſmodi affectus.* Ioan. 4.

Quod ſi cauſam tanti Ieſu affectus in Iſraëlem requiras, obiicias, precor, meoti Ionam & de venia in Niniuitas diſpenſata à Domino iratus, & de arefactione mox hederæ triſtis. *Melius, ait, eſt mihi mors, quam viuere.* Cap. 4. Quare? Quia ventus vnam pulchram hederam exſiccauit. Cui Deus: *Tu doles ſuper hederam, in qua non laboraſti, neque feciſti vt creſceret, & ego non parcam Niniue ciuitati magnæ.* Et ego pereunte omni Iſraëlis dilectiſſimo populo vinea Domini Sabbaoth non mœrore conficiar? Ad hæc Remigius: *ſed & Dominus noſter fleuit ſuper pereuntem Ieruſalem. Melior eſt mihi mors, quam vita.* Ouis tendit ad lupos, vitis tranſit ad alienos, à beſtiis flores conculcantur, qui dulces mecum edebat cibos perfectionis cecidit è faſtigio. Quam crudele tormentum! Cætera à Ieſu nocte hac accepta opprobria tuæ meditationi materiam ſubminiſtrent. Remig.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO QVINTA.

# PETRI NEGATIO.

## EX CAP. XXVI. MATTHÆI.

### *TEXTVS.*

*Verſ.* 69. Petrus verò ſedebat foris in atrio, & acceſſit ad eum vna ancilla, dicens: Et tu cum Ieſu Galilæo eras.

*Verſ.* 70. At ille negauit coram omnibus, dicens: Neſcio quid dicis.

### *COMMENTARIVS LITERALIS.*

#### § I.

#### *Petrus ſequitur Jeſum ad atrium.*

1. *Petrus ſequitur Saluatorem.* DIvvs Petrus, (cæteri Diſcipuli, Ioannem ſi demas, metu territi, alius aliò fugerant) tametſi non ſucceſſerat pugna, tamen non poterat omninò obliuiſci curam Domini, quẽ vehementer diligebat: nec penitus audebat adeſſe. Sequitur tamen vtcomque procul, ac tandem per tenebras ingreſſus eſt ignotus in atrium. Caiphæ. Vbi quidem ſedebat admixtus miniſtris, ad prunas calefaciens ſe; vt quando non poterat defendere Ieſum, ſaltem quiſnam exitus iudicij exiſteret, videre quiret; ſiquidem ſpes nonnulla adhuc animum alebat Apoſtoli. Profectò Diſcipuli non Pontifici interceſſione introductum Petrum aſſerit Ioannes.

2. *Quiſnam Diſcipulus notus Pontifici?* Quiſnam fuerit huiuſmodi notus Pontifici Diſcipulus, ſi roges? Hieron. Chryſoſt. Euthym. Theoph. Lyran. & alij aſſerunt Ioannem. Vndenam? Hieron. *Propter generis nobilitatem.* Nicephor. *Quia partem, quā ſibi ex hæreditate obuenerat, Caiphæ vendiderat.* Lyran. quod *piſces Caiphæ domum ferre ſolebat.* Licet non aſſentiar, non audebo tantos Doctores impugnare. Quia igitur notus erat Pontifici Caiphę Ioannes, admiſſus eſt in atrium, Petro foris manente. Attamen probabilius exiſtimo fuiſſe aliquem ciuẽ Ieroſolymitanum ex nobilibus Ieſu Diſcipulis. Nec enim (vti adnotat noſter Sa) probabile piſcatorem notum eſſe Pontifici.

#### §. II.

#### *Tres Petri negationes.*

3. *Sedebat foris.* P*Etrus ſedebat foris in atrio.* Introductus Petrus in Caiphæ palatium, non aſcendit domum, vbi aderat Ieſus; ſed ſedebat foris in atrio. Hoc eſt, manebat foris extra alias ædes, in quibus Ieſus commorabatur. Nam & atrium illud intrà palatij ambitum erat.

4. *Quotiens abnegarit? Caiet.* Quæritur, quotiens Petrus Chriſtum negarit? Euangeliſtæ enim ſic negationes commemorant, vt plures, quàm tres, fuiſſe videantur. Caiet. ſepties Petrum abnegaſſe exiſtimat, ter à fœminis, quater à viris interpellatum. Quonam modo autẽ ſtare poteſt opinio huiuſmodi cum celeberrima Chriſti prædictione, *Antequam gallus cantet, ter me negabis?* Reſpondet ille, eum, qui ſepties negat, negare etiam ter, quemadmodum qui ſoluit ſeptem aureos, tres etiam ſoluit. Attamen non credam Dominum cum ſciret Petrum ſepties abnegaturum, ter ſe ſolummodò abnegandum ab illo prædicere. Ter itaque Petrus Dominum abnegauit.

5. *Ancilla prouoquium. Socrat.* *Acceſſit ad eum vna ancilla dicens, &c.* Petrus igitur ſedebat foris in atrio procul triſte ſpectaculum contemplans, & rei expectans exitũ, nec audens accedere propius, ne à miniſtris agnoſceretur. Oſtiaria eum, ſiue potius hoſtis adit ancilla, quæ propter illius nobilis ſocij Põtifici amici reſpectum illum ingredi paſſa erat, & eum noſcitãs, ait. *Et tu cum Ieſu Galilæo eras.* Vocat Ieſum Galilæum ignominiæ cauſa, ſicut qui iniquo erga eum erant animo ſolebant appellare, à quibus eapropter muliebrem leuitatem didicerat. Et quia cum in Galilæa plurimũ diuerſaretur, Galilæus fortaſſe eſſe credebatur; & quia omnes ferè Diſcipuli Galilæi erant. Sic Iulianus Apoſtata & Chriſtum, & Chriſtianos omnes Galilæos appellabat, vt author eſt Socrates lib. 3. Hiſt.

6. *Quare coram omnibus.* *At ille negauit coram omnibus, dicens; Neſcio quid dicis.* Quare coram omnibus Euangeliſta Petrum negaſſe dicit? Num vt declaret circunſtantiam, qua crimen augetur? Et quidem non mediocriter è publico ſcandalo creſcit iniquitas. Num vt hiſtoriæ fidem faciat, ne Apoſtolorum Principem falſo accuſare videatur, quaſi omnes qui aderant, pro teſtibus adducens? Profectò Procerum exceſſus, non ſunt niſi cum maximo euolgandi ſundamine. Ex his elige quam malueris reſponſionem.

7. *Negatio prima.* *Neſcio, quid dicis.* Securæ negationis emphaſim habet. Ac ſi dicat, Non ſolum non ſum, quẽ

me

me eſſe dicis; ſed tantum abſum, vt ſim, vti ne intelligam quidem, quid dicas. Sic enim ſolemus reſpondere, eum ab eo crimine, quod nobis obiicitur, longiſſimè nos abeſſe ſignificamus. Non intelligo, quid dicas, Neſcio quid dicis.

8. *Vis propoſitionis.* Profectò Ioannes ſcribit Petrum reſpondiſſe, *Non ſum.* Lucas, *Non noui illum.* Marcus *Neque ſcio, neque noui, quid dicas.* Exiſtimo hæc omnia exaggerandi cauſa Petrum reſpõdiſſe. Cùm ancilla quaſi dubitãdo, interrogauit. *Numquid & tu ex Diſcipulis es hominis iſtius?* Simpliciter dixit: *Non ſum,* vt ait Ioannes. Deinde cum inſtaret ancilla, & affirmanter proclamaret, *Et tu cum Ieſu Galilæo eras?* quod à Matthæo, Marco, & Luca adnotatur.

9. *Euangeliſtarum pugna.* Petrus itaque ad ancillæ vocem exanimatus, & oblitus illius magnificæ vocis, qua dixerat Chriſto, *Et ſi oportuerit me mori tecum, non te negabo:* coram omnibus abnegauit Dominum ſuum, dicens, *Neſcio quid dicas. Et continuè gallus cantauit.* Cum autem pararet exire, in ipſis foribus vidit illum altera ancilla, quæ prodens illum aliis miniſtris aſtãtibus ait, *Et hic erat cum Ieſu Nazareno.* Petrus autem rurſum abnegauit, adiurans ſe hominem non nouiſſe. Verum paulo poſt quidam ex circunſtantibus agnoſcentes Petrum, dicebant: Profectò tu ex hoc numero es. Si quidem non facies ſolum, ſed & ſermo tuus te prodit Galilæum. Tunc magis etiam expauefactus Petrus, cœpit nõ ſolum abiurare, ſed & execrationibus deuouere ſeipſum, ſi nouiſſet hominem. Et continuò iterum gallus vocem emiſit. Poſt hæc intuitus eſt illum Ieſus, & oculis illi loquens, admonuit. Tunc demum Petrus ad ſe reuerſus recordatus eſt, quod ipſi prædixerat Ieſus, iactanti fortitudinem ſuam: *Priuſquàm gallus bis cantet, &c.* ter me debellaberis. Ad intuitum ergo Ieſu ſtatim reſipuit, & egreſſus foras amarè fleuit.

10. *Reliquæ abnegationes.* Quonam modo Petrum Dominus reſpexit, ſi Petrus in atrio erat foris, & deorſum, Chriſtus autem in ædibus interioribus, quæ atrio ſuperiores erant? Reſpondet D. Auguſt. lib. de Grat. c. 45. ſpiritualem fuiſſe hunc Ieſu reſpectum. Contrà, quia Chriſtus *conuerſus* dicitur, cum Petrum reſpexit. Non eſt conuerſus ſpiritualiter, quia non erat animo auerſus à Petro. Ergo conuerſus eſt corporaliter ipſo vultu. Reſpondere pro Auguſtino poſſumus, conuerſum Ieſum etiam ſpiritualiter ad ferendum auxilium Apoſtolo.

11. *Quonammodo Ieſus Petrum reſpexit? Auguſt.* Probabilius tamen exiſtimo poſt trinam Petri negationem illico ductum Dominum ex aula ſuperiori in atrium inferius, vti poſſet vulnerari crudelius & diutius, à Pontificio abſtractos cubili. Tunc conuerſus ad Petrum, reſpexit illum, eoque edocuit reſpectu, quanta ſit humana fragilitas, & ad pœnitentiam excitauit, quam ille non diſtulit: ſed protinus exegit, *Egreſſus foras fleuit amare.* Ex Græco Marci textu ſic Theophyl. *Cum velamen eiecisſet, fleuit.* Hoc eſt, cum caput obuelaſſet, fleuit. Amarè enim fleuit obuelato capite, iuxtà hanc interpretationem, ex atrio diſcedens.

## §. III.

### *Quid de negatione Patres?*

12. *Varia Doctorum.* Plura Patres in præſenti aceruant. Iam Petri lacrymas laudibus efferunt. *Felices* (inquit D. Leo. ſerm. 3. de Paſ.) *lacrymæ tuæ ſancte Apoſtole, quæ ad diluendam culpam negationis, virtutem ſacri habuere Baptiſmatis.* Iam Dei gratiam commendãt. *Magnum dogma* (ait D. Chryſoſt.) *à Petro diſcimus, quia nullo modo hominis voluntas ſufficit, niſi auxilio ſuperiori roboretur. Quid eſt* (loquor cum Auguſt.) *homo ſine gratia Dei, niſi quod fuit Petrus, cum negauit Chriſtum?* Iam animi damnant elationem. *Quoniam* (ait D. Baſil. hom. de humil.) *arrogantius dixerat: Et ſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego non ſcandalizabor: humanæ traditus eſt puſillanimitati, & prolapſus eſt in negationem.* Iam Apoſtoli tepiditatem taxant. *Ad carbones* (inquit D. Ambroſ.) *Petrus ſtabat, quia algebat affectu.* Iam oculorum Ieſu laudant efficaciam. *Nec fieri poterat* (Hier. profatur) *vt in negationis tenebris permaneret, quem lux reſpexerat mundi.* Iam Petri pœnitentiam extollunt. *Dimiſſum eſt ei* (verbis vtor Victoris Antioch.) *tale peccatum; quoniam, quemadmodum oportebat, pœnitentiam egit, licet nondum hoſtia fuiſſet oblata, nondum victima ſacrificata, nondum eſſet ſuſpenſum peccatum, ſed adhuc dominaretur, & tyrannidem exerceret.* Iam denique fugam Petri ex atrio ponderantes inclamant. *In atrio Caiphæ ſedens,* (cum D. Hier. loquor) *non poterat agere pœnitentiam. Egreditur foras de impiorum conſilio, vt pauida negationis ſordes amaris fletibus lauet.* Plura in Panegyr.

[Theod. Chryſoſt. Aug. Baſil. Ambr. Hieron. Victor. Hieron.]

13. *Quare permiſſus Petrus cadere?* Quod ſi requiras, Cur permiſerit Dominus Apoſtoli caſum? plures reddunt cauſas Doctores. Ego vnam illam exhibebo, & illuſtrabo, nempe vt diſceret Petrus ex his, quæ paſſus eſt, peccatoribus miſereri. D. Auguſt. *Ideo* (ait) *Dominus Petrum paululum ſubdeſeruit, vt Eccleſiæ Rectori futuro ignoſcendi peccantibus quadam regula poneretur, vt in clauibus eſſet fidelis ianitor, in ſententiis clementiſſimus diſpenſator.* Conteſtatur D. Baſil. *Petrus lapſu inſtructus ad pietatem, & edoctus etiam aliis infirmis parcere.* [Auguſt.]

14. *Non excidit fide.* Ad hæc aduertendum duxi à duplici nos oppoſita ſententia fugere oportere. Sunt enim qui aſſerant fidem Petrum perdidiſſe. Nec enim fidem perdidit; ſed negauit, quod aliud eſſe quis Theologus non videat: Aptè Prudentius,

*Fleuit negator denique,*
*Ex ore prolapſum nefas,*
*Cum mens maneret innocens,*
*Animuſque ſeruaret fidem.*

15. *Vere abnegauit, & peccauit.* Sunt etiam & magnæ authoritatis Doctores, qui affirment Petrum, cum Chriſtum negauit, aut non peccaſſe, aut mentitum non fuiſſe: ſed ſalua veritate, ambiguè locutum; vt D. Hilar. & D. Ambroſ. ſcribunt. Nec enim (inquiunt) mentiebatur, qui eum hominem ſe noſſe negabat, quem Deum cognoſcebat. Quos, vt opinor, Doctores hiſce verbis D. Hieronymus notat: *Scio quoſdam pro affectu ad Apoſtolum Petrum, locum hunc ita interpretatos, vt dicerent, Petrum non Deum negaſſe, ſed hominem: & eſſe ſenſum, Neſcio hominem, quia ſcio Deum. Hoc quam friuolum ſit, prudens lector intelligit. Sic defendunt Apoſtolum, vt Deum mendacij reum faciant. Si enim iſte non negauit; ergo mentitus Dominus, qui dixerat: Amen dico tibi, quia hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis. Cerne quid dicat, Me negabis, non hominem.* Quamuis poſſumus Hilarium & Ambroſium ab huiuſmodi nota pia interpretatione liberare, vt non [Hieron.]

negene

negent & abnegauiſſe, & peccaſſe, & mentitum fuiſſe Petrum: ſed tantum ita locutum dicant, vt ex verbis eius aliquis verus ſenſus, fauorabilis nempè elici poſſit. Quia dixerat, *Non noui hominem.* Quod interpretari poſſemus, Non noui tanquam ſolum hominē, ſed tanquā Deū

## IN IESVM PATIENTEM APVD CAIPHAM.

# Panegyricus quintus Moralis circa Literam;

## EX PETRI NEGATIONE.

### *OBSERVATIO I.*

Ad illa verba:

*Petrus verò ſedebat.*

Excidit Petrus, vt cadentibus miſereatur ex his, quæ paſſus eſt.

*Nam Prælatus ex infirmitate propria ſcit & infirmis miſereri.*

16. PETRVS (aiebat D.Baſil.) *lapſu inſtitutus eſt ad pietatē, & edoctus etiam aliis infirmis parcere.* Qui enim propriam infirmitatem contemplatur; ſubditorum parcit miſeriæ.

17. *Deus ideò apparuit ſub ſpecie humanitatis caſui obnoxia.* Gen. 3.

Hinc diſces, quare Deus indutus humanitatis ſpecie in morem ambulantis poſt meridiem delinquenti Adamo apparuit inclamans, *Adam vbi es?* Gen. 3. Anſelmus acutè: Audiuit *vocem Domini deambulantis, non ſtantis.* Ac ſi vel habitu corporis inclamaret, Nil eſt, quod timeas Adam fugitans, quoniam ſi excidiſti, Dominum vides ambulantem, non ſedentem. Plinij pulchro experido teſtimonio. *Ambulans natura caſu procliuis* Deus equidem minimè eſt caſui obnoxius; ſedet enim, aſſidet throno. Ambulans obiicitur tranſgreſſori, vt indutus natura labili; fragili hominem labentem non timeat.

18. *Prodigus à Patre labili natura induto excipitur.*

Prodigus adoleſcens ſeruili affectus timore ad Patris domum reuerſurus ait, *Fac me ſicut vnum de mercenariis tuis.* At Parens *miſericordia motus eſt, & accurrit, & cecidit ſuper collum eius.* Luc. 15. Quare Deus non hærens throno expectat, ſed potius ſe ſimulat viſibili ſpecie cadentem? *Cecidit ſuper collum eius.* Vt ſimulans caſum, eum, qui verè ceciderat, benignus alliciat. Rem perficit D. Petrus Chryſolog. ſerm. 1. (Chryſol.) *Certè ſi abſceſſimus, ſi totam venimus ad ruinam, ſurgamus, & ad talem Patrem tali inuitati redeamus exemplo. Accurrit, & cecidit. Quis hic deſperationis locus?* Quomodo non miſerebitur, qui abſcedentem, & cadentem filium habitu cadentis excepit?

19. *Adam Princeps labilis.* Gen. 2. Ambroſ.

Adam Princeps hominum conſtituitur. Cui equidem illa indicta lex: *De omni ligno comede, de ligno ſcientiæ boni & mali nè comedatis.* Gen. 2. Ad quem locum D. Ambroſ. lib. 1. de Parad. *Quæ ratio e vbi præcepit, ex omni ligno edendum, ſingulariter dixit, Edes. Vbi autem de ligno ſcientia boni & mali non edendo, pluraliter, edetis, dixerit?* Exiſtimo id effectum, vt Adam Princeps futurus nunquam conſideret ſubditos delinquere, diuinamque legem tranſgredi, niſi ſe ſimiliter videat delinquentem. Vti ſcilicet facilè criminibus miſereatur, quibus ſe contemplatur obnoxium. *De ligno ſcientiæ boni & mali non comedatis.* Si ſubditus comedit, Princeps ſe comediſſe arbitretur. Tunc miſericorditer exercebit iudicium, cum ſe labilem fuerit arbitratus.

20. *Et Moyſes.* Exod. 32. Lyran.

Peccato maximo olim contaminato populo, Moyſes in Domini conſpectu, *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo.* Exod. 32. Lyran. eo libro intelligi affirmat *Librum vitæ, de quo delentur peccatores.* Caiet. *Eſt ſermo de libro Principatus.* Vtramque amplector expoſitionem. Moyſes enim præſtantiſſimum Principem agebat, dum miſericorditer ſubditorum ſalutem procurabat. Vndenam tam benignus? Quid non peccantibus miſereretur Princeps, qui ſe adeò fragilem exiſtimabat, vt è vitali libro cum peccatoribus quiret aboleri?

21. *Ieſu exemplum.*

Redeo ad Ieſum Prælatorum magiſtrum. Dum ipſe cum Diſcipulis nauigaret, excitata tempeſtate, iam iam nauicula mergebatur. Quid tunc Dominus? *Erat ipſe in puppi ſuper ceruical dormiens: & excitant eum, & dicunt illi, Magiſter, non ad te pertinet, quia perimus?* Mar. 4. (Marc 4. Chryſoſt.) Ad quem locum Chryſoſtom. docet quonam modo Ieſus periclitantibus, imo excidentibus peccatoribus medeatur. Affectus enim compaſſione, dormitionis ſpecie verè dormientes peccati ſomno excitare conatur. Perpulchrè Chryſoſt, (Chryſoſt.) *Ad dormientem confugiunt, & credunt obſiſtere ſæuientibus elementis eum, cui ſomnum dominari ſua compaſſione conſpiciunt.* Prælatus noſter, qui non nouit peccatum, dormienti induitur ex compaſſione natura? O quam clementer nos à peccati exitiali ſomno reuocauit, à naufragióque liberauit ægerum!

*Ant. de Eſcob. & Mendoz. de Sanctis. Tom. I.* Kk OBSER

## OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

### *Petrus ſedebat foris in atrio.*

### Petrus tepiditate laborans, à timore corripitur, vt abneget Magiſtrum.

*Quia tepiditas ſpiritualem virum deturbat.*

22. Paſchaſ. PASCHASIVS myſticè ad hæc: *Si tempus* (ait) *conſideremus, poterimus animaduertere, quibus Petrus premebatur malis, quando eum frigus obgelauerat. Non enim erat in atriis Domini, ſed in atriis Caiphæ.* Ac ſi diceret, Tepiditate preſſus Apoſtolus, quia non feruenter ad cœleſtem Patriam eleuabatur, miſerè corruit. Quando etenim tepiditas non ſpiritualem virum deturbauit?

Triplici admonitione Ieſus Petrum ad orationis feruorem excitarat.
23. *Totum iter feruenter percurre.* *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.* Semel, ac iterum, & tertiò Ieſus ad ſe cœleſtem euocabat Sponſam.
Cant. 2. *Surge, propera, & veni.* Cant. 2. Quare eam triplicata compellat admonitione? An quia ſatis non eſt ſpirituali viro feruenter iter inchoaſſe, ſi non ad perfectionem vſque perduceret?
Nyſſen. Ita planè. Nyſſen. Orat. 5. in Cant. *Rurſus ait ad excitatam, Surge: & ad venientem, Veni. Nec enim ille, qui hoc modo ſurgit, vnquam ſurgere deſinet: neque à currente ad Dominum, ampliſſimum illud diuino curſui deſtinatum ſpatium conficietur. Semper nimirum excitari nos oportet, nec vnquam eſt quieſcendum, etiamſi curſu propius ad ſcopum perueniamus.* Quàm feruenter Petrus volatum inſtituit! *Et ſi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* At in domo Caiphæ ſedebat Apoſtolus Petrus, *Petrus autem ſedebat foris in atrio.* Quid mirum miſerè corruiſſe?

24. *Intermiſſionem fuge.* D. Paſchaſ. *Tempus* (acutè ait) *conſideremus, in quo negat Petrus.* Quid tempori cum negatione, ſiue quid negationi cum tempore? Petrus etiamſi præterito tempore feruenter auolauit, præſenti tempore *ſedebat*, cum ſibi eſſet ſemper currendum, ideò ex charitatis tepiditate corruit. Paulus ad hæc: *Charitas nunquam excidit.*
1. Cor. 13. 1. Cor. 13. *Nunquam* charitas præteritum tempus aſpectat, vt ſedeat, ſemper aſcendere vlterius conatur, ſoli præſenti tempori firmiter inhæret.
Bernard. Pulchrè planè D. Bernard. *Vera virtus finem neſcit, tempore non clauditur.* Nec enim vera virtus eſſet, ſi varietati temporum inniteretur.

25. *Præteritum non reſpicias.* Pſal. 14. Hieron. Vnde inclamat Dauid: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in mõte ſancto tuo?* Reſpondet, *Qui ingreditur ſine macula, & operatur iuſtitiam.* Pſalm. 14. D. Hieronym. *Qui ingreditur ſine mortalibus peccatis, & operatur iuſtitiam, quæ magna virtus eſt, & mater omnium.* Iam quæſo, adnota temporum varietatem. *Quis habitabit, quis requieſcet?* En futurum felicitatis æternæ. *Qui ingreditur, qui operatur.* En præſens ſpiritualis viri profectus. Quare non dixit, *Qui ingreſſus eſt ſine macula, qui operatus eſt iuſtitiam?* Quia ſpiritualis vir nihil cum tempore præterito debet habere, omnia in præſenti ei collocanda, vt ad futurum perducatur.
D. Baſilius Cat. Græc. *Attende exactam dictionis vim. Non dixit: Qui ambulauit; ſed Qui ambulat, neque: Qui fecit iuſtitiam; ſed Qui facit. Non enim vnus actus perficit ſtudioſum virtutis operatorem; ſed per omnem vitam prorogari, & extendi conuenit virtutis actiones.* Baſil.

Aſſimile Pauli teſtimonium: *Ego me non arbitror comprehendiſſe. Quæ retrò ſunt obliuiſcens,* 26. *Pauli exemplo confirma.*
*ad ea, quæ ſunt priora, extendens me ipſum, ad deſtinatum perſequor, ad brauium ſupernæ vocationis.* Philip. 3. Vbi expende illud præteritum: *Comprehendiſſe,* illud præſens: *Perſequor;* illud futurum: *Ad brauium ſupernæ vocationis,* ſiue felicitatis æternæ. Num Apoſtolo ſatis prælapſo tempore cucurriſſe? Minimè. Præſenti tempore currit, non ſedet. Quia ſemper currendum ei, qui futuræ felicitatis palmam expectat. Phil. 3.
D. Bernard. Epiſt. 253. *Numquam iuſtus arbitratur ſe comprehendiſſe. Sed ſemper eſurit, ſititque iuſtitiam. Non enim ad tempus, inſtar mercenarij; ſed in æternum diuino ſe mancipiat famulatui.* O tepiditas, quando non ſpiritualem virum deturbaſti? Bernard.

## OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

### *At ille negauit coram omnibus.*

### Semel abnegans Petrus, deinde, & tertiò ſe grauioribus criminibus illigauit,

*Quia multiplicatione peccatorum obſtinatior delinquens ſæpe grauiora perpetrat.*

CONTEMPLARI licet Petri delinquẽtis decurſum. Primò ſimpliciter abnegat, *Neſcio, quid dicis.* Deinde, negat adhibito iuramento, quia non hominem agnouiſſet. Tertiò denique adiicit inſuper & deteſtationem. Quando enim peccatum ſine huiuſmodi incrementis in animo perſeuerat? Id quod adnotauit Paſchaſ. lib. 12. *In prima* (inquit) *negatione ſua coram omnibus dicit tantum, Neſcio, quid dicis. In ſecunda verò negat cum iuramento. Porrò in tertia dicitur, quod cœperit deteſtari. Grauius quidem, ac grauius negat. Quia quanto profundius in negationem vadit, tanto etiã cum iuramento amplius peccat.* 27. Paſchaſ.

Dominus olim ad Cain ita ſuccenſum in Abelem! *Quare iratus es, & cur concidit facies tua? Nonne ſi benè egeris, recipies, &c.* Gen. 4. Septuag. *Peccaſti, quieſce.* Te iratum intueor, vultuque decidente cogitabundũ. Væ tibi: Si enim non quieſcis, in grauius procul dubio, exilies peccatum, 28. *Peccata Cain aggrauantur ſucceſſu.* Geneſ. 4.

Digitized by Google

Chryſoſt. peccatum. D. Chryſoſt. *Peccaſti, & grauiter peccaſti. Igitur quia grauiter peccaſti, quieſce, tranquillitatem facito; ne addas priori peccato grauius aliud.* Quare grauius ſecundum additum peccatum futurum? Scitne peccator à peccato in peccatum tranſilire, quod prioris non exuperet grauitatem? Annon Petri in morem, à ſimplici iracundia properauit in homicidium, ab hoc autem tetendit in deſperationem?

29. *Confirmatur.* Gen. 4. Expendo ſententiam illam: *Nonne ſi bene egeris, recipies; ſi autem malè, ſtatim peccatum tuũ in foribus tuis aderit?* Gen. 4. Quid peccato cum domus foribus? Profectò primum peccatum quaſi diabolicæ machinationis *fores* eſt. Super quod diabolus aliorum grauiorum criminum exædificationem extruit. Huc reſpicit Apoſtolicum illud: *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.* Epheſ. 4. Quare? Si in morem Cain concidente vultu, cogitationum laxatis habenas, peccatum quod pro foribus eſt, increſcet in machinam. Perpulchrè Theodor. *Vertitur, ne noctu quieſcente cogitatio, morbum augeat. Nouit namque diaboli machinas.* Secundum enim à foribus conſcendet in tecta, tertium autem è tectis auolabit in turres.

Epheſ. 4. *Diaboli machinationes.* Theod.

30. *Hæc Iudæ ruina.* Plutarch. Triplici item ſe ſe delicto Iudas contaminauit, auaritiâ, ſacrilegio, deſperatione. Sacrilegium quidem grauius auaritia delictum; ſacrilegio autem ingentius facinus deſperatio. Sitè quidem Gentilis auaritiam criminum portam appellauit. Aderat tunc Iudæ flagitium pro foribus, imò peccatum ipſum fores domus agebat. Non protinus euertit; quid mirum, ſi creſcente machina, ad domus pinnaculum Iudas leuaretur, vnde præceps datur in laqueũ

Chryſoſt. D. Chryſoſt. *In tas, ſi pecuniæ amorem coërcuiſſet, non veniſſet deinde ad ſacrilegium,* non denique *præcipitaretur in laqueum.*

31. *Id affirmat David.* Pſalm. 1. Baſil. Triplicatam equidem ruinam Vates inclamat: *Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit.* Pſal. 1. Ad quem locum D. Baſil. Cat. Græc. *Tria propoſuit* (inquit) *obſeruatione digna. Non abiiſſe in conſilio, non ſtetiſſe in via peccatorum, non ſediſſe in cathedra peſtilentia. Primò conſilium inimus, poſteà id actione confirmamus, demum in eo inſiſtimus.* In cathedra itaque peſtilentiæ ſedere, idem eſt, ac tertium perpetrare flagitium, Baſilio auctore. Quare igitur peſtilentiæ cathedram tertio crimini accommodauit? Quia ſi primi peccati morbus noxius erat, ſi ſecundi flagitij lues magis exitialis, tertij criminis tabes omninò peſtilens, imò omnis peſtilentiæ magiſtra. Malitia enim peccatorum quando non aſcendit, quando non proſilit in machinam?

32. *Huiuſmodi machina ſupra Ieſu dorſum.* Pſal. 118. Pulchrè alibi confirmat. *Supra dorſum meũ* (exclamat Ieſus) *fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem ſuam.* Pſal. 118. Vbi auſus Iudæorum, hoſtiumque Chriſti apprimè expenduntur. *Fabricauerunt.* Prius verbis, mox verberibus, tertiò denique me addixerunt in crucem. Ita Hugo Card. *Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores. Poſt impugnationem verborum, & verberum, prolongauerunt iniquitatem ſuam.* En fabricæ huiuſce proceſſus, Verba hærebant foribus, verbera aſcenderunt ad tecta, crux denique capitolium pertingit. En *diaboli machinas.*



## OBSERVATIO IV.

Ad illa verba:

*Negauit coram omnibus.*

### Excuſatum quodammodo habeo Petrum, quia in domo Caiphæ abnegauit.

*Minus enim grauiter delinquit, qui cadit in pugna.*

33. Paſchaſ. Minus equidem mirum, ſi Apoſtolus apud domum Caiphæ deliquit. Quod egregiè ponderat Paſchaſ. lib. 11. fatus, *Conſiderandum tamen eſt, vbi negat Petrus. Non in monte, vbi fuit cum Domino; non in templo, non in domo ſua; ſed in prætorio Iudæorum, & in nocte, vel in domo Principis Sacerdotum. Ibi ergo negat, vbi veritas non eſt, vbi Chriſtus ligatus eſt, & vbi Chriſtus contumeliatur, vbi eum intromiſit ancilla oſtiaria, & interrogat eum fraudibus ſuis, vbi innocentia difficile ſeruatur.*

34. *Grauius deliquit Adam in Paradiſo.* Gen. 3. *Non in monte,* (inquit) *vbi fuit cum Domino.* Olim Adam in paradiſo conſtitutus eſt, vbi cum Domino commorabatur. Deus enim ambulans *ad auram poſt meridiem* deſcribitur, vt innuat Textus Deum & Adami ſocium, & paradiſi habitatorem. Ibi Adam deliquit, ibi hoſtis gladio confoſſus eſt, vbi cum Domino commorabatur. Vnde non tam veniabilis Protoplaſti delictum, quam Petri, qui quidem non in monte, vbi fuit cum Domino; ſed ibi deliquit, vbi ſedes Satanæ, vbi improborum commoratio. Ad hæc Paſchaſius: *Idcircò in domo Caiphæ magis venerabilis Petri culpa eſt, quam Adami fuerat in paradiſo.*

35. *Dauidis grauior culpa, quia non in bello.* 2. Reg. 11. Dauid eo tempore, quo ſolent Reges ad bella procedere, domi remanſit, vbi vili feminco gladio fuit interemptus. 2 Reg. 11. Si ad bella proceſſiſſet, ſi inter furentes hoſtium phalanges vulnus accepiſſet, non mirabile. At domi conſtitutum à femina fortiſſimum imperatorem vulnerari, planè ingloriũ militi tanto, nec veniabile profectò quid portendit. Eleganter de more Bachiarius de recip. lap. *Requiro primum frater, vtrum qui cecidit, in pugna inuentus, an in domo fuerit vulneratus? Quia plus miſericordiæ meretur, quem in certamine hoſtis percuſſerit, quam ille, quem dormientem latro confoderit.* Petrus vulneratus & à femina, & ab ancilla; ſed in certamine, vbi nullus non ſagittarius, vbi non ſolum improbis, ſed rectis corde iaculum præparatur.

Bachiar.

36. *Ex conſortio mendacij, lapſus Petrus veritatem negat.* Gen. 46. Aliam Rathberti Abbatis expendo particulam. *Ibi negat, vbi veritas non eſt.* Quid è ſocio mendacio niſi negatio veritatis? Præcauit olim Ioſeph, ne fratres Ægyptiis immiſcerentur. Ideo inquit, *Cumque vocauerit vos Pharao, & dixerit, Quod eſt opus veſtrum? reſpondebitis, Viri paſtores ſumus ſerui tui. Hæc autem dicetis, vt habitare poſſitis in terra Geſſem* Gen. 46. Nam cum odio proſequerentur Ægyptij paſtores

ouium, Deorum vtique ſuorum percuſſores, vrbe paſtores interdicti in ſuburbium remitterentur. *Terra Geſſen* (inquit Abulenſis) *erat ſeparata in fine Ægypti, vt non habitarent inter Ægyptios.* Cur Ioſeph tam ſolicitus de fratrum ſeparatione ab Ægyptiis? Vt videlicet fidei veritas illibata perſiſteret. Nam cum Ægyptij naturaliter ſint mendaciis, ac adulationibus addicti, mirum eſſet, ſi ibi, *vbi veritas non eſt*, Hebræi veram fidem non abnegaſſent.

Abul.

## OBSERVATIO V.

Ad illa verba:

### *Egreſſus foras fleuit.*

### Foras egreditur Apoſtolus quia in domo Caiphæ pœnitentiam peragere nequibat.

*In peccandi enim occaſione haud agi poteſt pænitentia.*

37. Hieron.

QVARE apud Caiphæ domum mox ad Domini aſpectum Petrus non dicitur plorauiſſe? Reſpondet D. Hieron. *In atrio Caiphæ ſedens non poterat agere pænitentiam. Egreditur foras de impiorum conſilio; vt pauidæ negationis ſordes amaris fletibus lauet.* Illud pondera, *In atrio Caiphæ ſedens, non poterat agere pænitentiam.* Annon pœnitentia animo ſalubris? Ita planè. Quonam modo igitur qui voluntariè apud proximam delinquendi occaſionem commoratur, ſanari poteſt in peſtilentiæ domicilio?

38. *Quidnam peſtilentia ſaluti?* Pſal. 1. Baſil.

Appoſitè Dauid: *Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit.* Pſal. 1. Quid peſtilentiæ cathedra, niſi delinquendi occaſiones, vbi ſedes Satanæ? Non igitur poteſt qui in cathedra peſtilentiæ ſedet, pœnitentiæ donari ſanitate, ſiquidem corruptus aër vim ſalutaris pœnitentiæ inhibebit. D. Baſil. *Quemadmodum in peſtilentibus locis ſenſim attractus aër corporibus morbum inicit, ſic in praua conuerſatione maxima nobis mala hauriuntur.* Sicut igitur ad corporis valetudinem à peſtilenti loco abſtrahimur: ita ad animi ſanitatem delinquendi occaſionem declinare debemus.

39. *Habeat exitum pænitentia.*

Nonne pœnitens à creatura ad Deum conuertitur? Si igitur manes apud creaturam, quonam modo ad Deum parabis conuerſionem? Plorabo ibi, operiam cilicio carnem meam, à cibo abſtinebo. Nil horum præſtabis, vt oportet ad ſalutem, ſi remanes apud occaſionem proximam tranſgreſſionis. Teſtor Achabum, de quo Textus; *Operuit cilicio carnem ſuam, ieiunauitque, & dormiuit in ſacco, & ambulauit demiſſo capite.* 3. Reg. 21. Num tamen intus immutatus eſt? Minimè planè. Quod ſi cauſam requiras, ea in promptu eſt. Flebat apud flagitiorum ſuorum illectamenta, non recedebat ab idolis. Nec enim manendo apud creaturas quis poteſt pœnitere. Stirè ad hoc teſtimonium D. Ambroſ. in Pſal. 37. *In ipſo perfido Achab gemitus inueniſſet gratiam, niſi manens cumulaſſet offenſam. Non enim gemitus prædicatur, ſed qui habet conuerſionem.* Id eſt, Ille fletus commendabilis, quem ſequitur exitum, receſſum, fugam à loco, vbi ſcandalum excidendi.

3. Reg. 21.

Ambroſ.

In atrio (aiebat Hieronym.) *Caiphæ ſedens, non poterat agere pænitentiam.* Sic Ambroſ. ad virg. lap. *Pænitentia ergo non verbis agenda eſt, ſed & actu. In primis omnis cura vitæ huius interimenda tibi eſt, & quaſi mortuam te exiſtimans, ſicut ei, quo modo poſſis reuiuiſcere, cogita. Deinde lugubris tibi accipienda eſt veſtis.* Compone particulam illam: *Quomodo poſſis reuiuiſcere*, cum illa: *In domo Caiphæ non poterat agere pænitentiam.* Dic mihi, ſi caſu, qui defunctus exiſtimatus fuit datus ſepulturæ, in ſe reuerſus, meditaretur, quonam modo rurſum ad viuorum habitationem redire poſſet: annon in primis aut voce, aut vi ruptis funereis vinculis ab ergaſtolo proſilire curaret? Quis abneget? Hoc animus emortuus præſtare debet, vt poſſit à ſepulchro, vbi iacuerat mortuos, effugere. Nec enim ibi conſtitutus poteſt ad vitam reuocari. Implicat namque conuerti ad Dominum illum, qui apud creaturas conatur remanere. Alibi datum rem illuſtrat Ioannis teſtimonium. Lazarus proſilijt è ſepulchro ligatis manibus, & pedibus inſtitis, audita voce Saluatoris, *Lazare veni foras.* Cap. 11. Antonius Ghuiſlandos duplicem memorat reſurrectionem. Alteram ſcilicet, quâ corporaliter à tumulo ſurrexit; alteram, quâ ſpiritualiter ad vitam vocatus eſt. Profectò ſi reſurrectio corporea perfecta fuit apud ſepulchrum, ſpiritualis reſurrectio extra ſepulchrum peragitur. Vnde imperantur Diſcipuli, *Soluite eum.* Nec enim Sacerdotes abſoluunt peccatorem in ſepulchro commorantem, in occaſione delinquendi manentem, apud Caipham ſedentem; ſed proſilientem à ſepulchro.

40. *Deſere ſepulchrum, & viues.* Ambroſ.

41. *Hinc Iudæ pænitentia inutilis.* Matth. 27.

Diſſimilis pœnitentia Iudæ. Reliquit Dominicam domum, ſe ſeque ſeculari habitaculo commiſit. At *pænitentia ductus, retulit triginta argenteos*, nec tamen plorauit vtiliter. Quare? Qui egreſſus à Dominica domo, apud ſeculares deliquit, debebat omninò egreſſus à ſeculari habitaculo rurſum ſe in Dominicam domum recipere. In domo enim mundiali ſitus in ipſa delinquendi occaſione voluntariè degens poteratne agere pœnitentiam? Accipite D. Chryſoſtom. *Et egreſſus foras fleuit amarè. Propterea ei remiſſum fuit huiuſmodi peccatum, quoniam quomodo oportuit, egit pænitentiam. Pænitentiam quoque egit Iudas, ſed malè.*

Chryſoſt.

## OBSERVATIO VI.

Ad illa verba:

### *Fleuit amarè.*

### Petrus obuelato capite deplorat.

*Pudentem commendans peccatorem.*

Theoph.

43. Theoph. THEOPH. *Cum exiisset, fleuit.* Id eſt, obuelato capite, appoſito faciei velamine, dedit operam fletui. Inuerecundos equidem taxans peccatores. O quàm laudabiliter pudoris velamine obnubilatur facies, quæ turpiter in cælum auſa eſt!

44. *Petrus amat latibula.* Matth. 28. Poſt triduum Angelus Mulieribus, *Dicite Diſcipulis eius, & Petro, quia præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis.* Matth. 28. Quare ſpecialiter feminis indicitur, vt Petrum admoneāt de profectu ad Galilæam? Ibi videndus ab omnibus Diſcipulis Ieſus apparere debebat iuxta illud: *Ibi eum videbitis.* Petrus igitur pœnitens appoſito velamine in ſignum pudoris non auderet accedere ad locum, vbi Domini faciem ſpectaret, ab eoque, imò à reliquis Diſcipulis aſpici poſſet, niſi cognoſceret ex ſpeciali ſui commemoratione ſe gratiæ diuinæ reſtitutum.

45. *Confirmat Oſeas.* Oſe. 6. Hieron. Egregiè id confirmat Oſee. *Venite, reuertamur ad Dominum, quia ipſe cæpit, & ſanabit nos: Percutiet, & curabit nos, & viuemus in conſpectu eius* Cap. 6. Pro illo verbo: *Curabit nos*, Græcè habetur vocabulum, quod propriè ſignificat *linteola* (loquor cum Hieron) *quæ inferuntur vulneribus.* Seu quibus vulnera obuelantur. *Curabit nos.* Id eſt, velamina immittet, vt eo tempore, quo durat pœnitentiæ curatio, pudoris religioſi velamento obnubilemur. *Die tertia ſuſcitabit nos, & viuemus in conſpectu eius.* Sequemur Petrum ad Galilæam propeꝛantem, vbi, ablegato velamine, Magiſtri optimi, omniumque fratrum obiiciamus aſpectui.

46. *Lapſa virgo ſudario obuelatur.* Virgini lapſæ D. Ambroſ. ad virg. lapſ. pœnitentiæ habitum præſcribens ait. *In primis quomodo poſſis reuiuiſcere cogita. Deinde lugubris tibi accipienda eſt veſtis.* Ac ſi diceret, Morem vita functæ geras. Annon cadaueris ſudario facies operitur? Cogita igitur te mortuam Lazari habitu reſurgere debere tu verecundiæ documentum.

47. *Sic Magdalena.* Luc. 7. Gregor. Verè pœnitentem D. Gregor. homil. 33. in Euang. Magdalenam deſcribit illa expendens verba: *Attulit alabaſtrum vnguenti, & ſtans retrò ſecus pedes Domini, lacrymis cæpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat.* Luc. 7. *Oculis terrena (ait ille) concupierat, ſed hos iam per pœnitentiam conterens, flebat, &c.* Id eſt efficiens demitti, & collo inclinato terræ firmiter hærere in morem illius, qui pudore ſuffunditur. Id quod *Per pœnitentiam cōterens, flebat.* Opportunus namque tunc fletus, cum faciei præcedit ſiue comitatur obnubilatio. Quid quod capillos ſpargebat non minus vt ablueret pedes, quàm vt coram iudice faciem obuelaret?

48. *Non aliter Dauid.* Saluian. Sed & pœnitentis Dauidis habitum Saluianus lib. 2. de gubern. in hunc modum deſcripſit: *Agnoſcit reus culpam, humiliatur, compungitur, confitetur, luget, pœnitet, gemmas regias abdicat, criſpantia auro textile indumenta deponit, purpura exuitur, diademate exhoneratur.* Adiicit, *Proiudum pœnitentem cum patrocinio ambitioſi ſqualoris aſſumit; fletu effunditur, ſolitudine carceratur.* Quàm pulchrè lacrymarum profluuium cum ſolitudinis velamento copulauit!

49. *Qui operitur, aſpicitur à Deo.* His profectò efficaciter efflagitabit à Domino benignè reſpici, qui curat tunc temporis pudoris velamento faciem operiri. Dauid pœnitens inclamat, *Auerte faciem tuam.* Vereor equidem tot, tantiſque criminibus maculatus, in tuo apparere conſpectu. Mox rurſum inclamitat, *Ne proiicias me à facie tua.* Pſal. 50. Si, facie obnubilata, curas à Domino minimè aſpectari, cur petis ab eodem, reiecto velamine, videri? Quia tunc benigniter in meam Deus faciem intuebitur, cum me prius vidit obtectum velamine. Egregiè excogitauit D. Auguſtin. *Quia ſuprà dixerat, Auerte faciem tuam, hic propterea addit: Ne proiicias me à facie tua.* Nunquam enim ſecurius Dei aſpectum inuocabis, quàm cum poſt delictum eius oculos timuiſti. *Propterea addit, Ne proiicias me à facie tua.* Hinc pulchrè Iacobus Bill. Anthol. ſacr. ineptum pœnitentem comparat ei, *qui cum lacrymis celebrauit amici funera, mox nubila mæſta fugat.* Fugare enim è facie nubila idem ac non condigno habitu pœnitere. Pſal. 50. Auguſt.

# OBSERVATIO VII.

## Ad illa verba:

## *Fleuit amarè.*

### Petrus trinam negationem trino amoris affectu compenſauit.

*Virtutum enim exercitamentis flagitiorum habitus abolendus eſt.*

50. Paſchaſ. NON poſſum non Chriſti Domini benignitatem mirari, qui vt ab Apoſtolo ſuo omninò notam trinæ negationis ablueret, trinam huiuſcemodi negationem trino amoris affectu inaurari curauit. Bis enim & tertiò de Petri amore facit periculum, vt Apoſtolus triplici exardeſcens charitatis affectu, trinæ abnegationi trinam ſupponeret flammam. Adnotauit hoc Paſchaſ. lib. 12. fatus: *Imiteris Petrum, vt defleas mala tua, & diligas deinceps, ſicut dilexit Petrus. Etiam & tertiò interrogatus, quod ter negaueras, plena confitearis amore, & trino dilectionis affectu ex toto corde, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.*

51. *Dei amoris ignem foue poſt crimina.* Chryſol. Rom. 6. Chryſoſt. D. Petrus Chryſolog. illud Paulli: *Peccabimus, quia non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia?* Rom. 6. ſic exponit, *Ac ſi diceret, Fratres, peccauimus, quia in cura non permanſimus iam ſanati; peccauimus, quia ignem reliquimus iam curati.* Quaſi diceret, Igne diuini amoris flagrantes, ad pœnitentiam nos recepimus, poſt ſanitatem igitur non debemus ab hoc igne dimoueri, ne ingratitudinis incuſemur. *Audi* (inquit D. Chryſoſt. hom. 5. ad Roman.) *vt Petrus amore Chriſti vinctus ardeat, & anima, & vita, & omnibus rebus illum anteponens.*

52. *Vinctus ardet qui peccando illigatur.* Pende illud, *Vinctus ardeat.* Quodnam vinculum Petrum conſtringens? Profectò funiculus ille triplex trinæ charitatis affectus, quo conſtrictus, trinæ alterius negationis triplicis funiculi vim comminui curabat. Appoſitè ad-

Theodor. modum Theodoretus ſerm. de char. *Flenis quidem amarè, & quod vinitus eſſet, ſuam deſlenit imbecillitatem, aſſedit autem vinculis amoris irretitus.* Vt ſcilicet triplex hic amoris funiculus triplici diabolico laqueo reſponderet; & trino amoris affectu trinam negationem compenſaret.

53. Magdalena ſic. Luc. 7. In cuius robur Magdalenæ exemplum exhibeo. Hæc & oculis, & crinibus, & ore Dominum abnegarat. At pœnitens, *lacrymis capit rigare pedes eius, & capillis tergebat, & oſculabatur pedes eius* Luc. 7. Et quidem triplici abnegationi triplicem amoris affectum reſpondere curauit. Expendit eleganter Mag. Greg. hom. 33.

Gregor. *Oculis terrena concupierat*; (ſe abnegans cœleſtibus) *ſed hos iam per pœnitentiam conterens flebat. Capillos ad compoſitionem vultus exhibuerat* (negans ſe Dei imaginem) *ſed iam capillis lacrymas tergebat. Ore ſuperba dixerat*; (ſe negans cum Protoplaſto creaturam) *ſed pedes Domini oſculans, hoc in Redemptoris ſui veſtigia figebat.* Et adiicit, *Quot ergo in ſe habuit oblectamenta, tot de ſe inuenit holocauſta.* Vt triplex amoris affectus triplicem abnegationem oblitteraret. Adagium illud, *Poſt rem deuoratam ieiunium,* innuit aptè eum pœnitere, qui virtutis exercitamentis flagitia curat compenſari.

LIBER

# LIBER DECIMVS.

# CHRISTI PASSIO APVD PILATVM.

## Paraphraſes, Commentariiique Litterales ad Caput vigeſimum ſeptimum Matthæi, vigeſimum tertium Lucæ, decimum octauum, & decimum nonum Ioannis.

*PANEGYRICI MORALES CIRCA Litteram in JESVM patientem apud Pilatum.*

### PROLVSIO.

Dominici Vitalis ligni FRVCTVS X.

IAM *Aulica infremit crudelitas*: Quare (*proclamat Dauid*) fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius. *Pſalm.* 2. *Ubi Strabus*; Aſtiterunt non ſolum populi; id eſt, Pilatus: *Si vnus Rex Herodes, quonam modo Reges? ſi vnus Princeps Pilatus, quonammodo Principes? En Paßionis Dominicæ apud Herodem; & Pilatum immanitas. Unus Rex, vnus Princeps tantam ſæuitiæ ſuæ copiam dedere, vt Ieſus non à duobus, ſed ab omnibus Regibus, & Principibus tyrannis percuſſus eſſe videatur.*

MATTH. LVC. IOANN.

Matth. 27. *Verſ.* 3. Tunc videns Iudas, quod damnatus eſſet, pœnitentiā ductus, retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum, dicens:

*Verſ.* 4. Peccaui tradens ſanguinem iuſtum. At illi dixerunt: Quid ad nos? tu videris.

*Verſ.* 5. Et proiectis argenteis in templo, receſſit, & abiens laqueo ſe ſuſpendit.

PARAPHRASIS.

3. *Vinctum itaque Sacerdotum Principes tradidere Ieſum Pilato Præſidi, vt indamnatum animaduerteret. At Iudas, qui prodiderat eum, videns; quod damnato Ieſu, iam ad extrema pertenderent, actus pœnitentia, retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotū, & ſenioribus populi, dicens:* Ex c. 27. Matth.

4. *Peccaui, qui prodidi ſanguinem innoxium. Fateor auaritiæ morbo factum. Quid, inquiunt, noſtra refert? Tu videris.*

5. *Agnouit Iudas magnitudinem ſceleris ſui, ſed magnitudinem diuinæ munificentiæ non agnouit, abiecto magis animo, quam conuerſo, ac digreſſus, dedit ſe laqueo.*



Digitized by Google

Luc. 23. *Verſ.* 11. Spreuit autem illum Herodes cum exercitu ſuo,& illuſit indutum veſte albâ, & remiſit ad Pilatum.

*11. Pilatus autem cognoſcens de reo pertinere ad Herodem, reiecit ad illum, qui quidem non alia ſciſcitabatur à Ieſu, quam quæ ſciſcitaturus erat à Mago. Ieſum denique haud eius curioſitati ſeruientem Rex contemnens indutum veſte albâ remiſit ad Pilatum.* Ex c. 23. Luc.

*Verſ.* 39 Eſt autem conſuetudo vobis, vt vnum dimittam vobis in Paſcha: vultis ergo dimittam vobis Regem Iudæorum?

*39. Qui quidem cum hac via profeciſſet, propoſuit Iudæis vtrum è duobus ſibi vellent condonari diei feſti gratia; Ieſum, an Barabbam, Ciuitatis odium?*

Ioan. 18. *Verſ.* 40. Clamauerunt omnes dicentes: Non hunc, ſed Barabbam. Erat autem Barabbas latro.

*40. Sed tanta ira Pontificum, & his adhærentium inſania, vt poſtularent ſibi Barabbam condonari.* Ex cap. 18. Ioann.

Matth. 27. *Verſ.* 24. Videns autem Pilatus, quia nihil proficeret, ſed magis tumultus fieret: acceptâ aquâ, lauit manus coram populo, dicens:

*24. Præſes denique animaduertens, quod tentatis omnibus, nihil proficeret, ſed magis popularis tumultus concitaretur, prius abſoluit Ieſum, quam damnaret. Siquidem coram omnibus, accepta aqua, abluit manus ſuas, dicens:* Ex cap. 27. Matth.

*Verſ.* 25. Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius, vos videritis.

*25. Innocens ego à ſanguine Iuſti huius. Vos mortis auctores.*

Ioann. 19. *Verſ.* 1. Tunc ergo apprehendit Pilatus Ieſum,& flagellauit.

*1. Pilatus itaque victus illorum pertinacia veſania, condonauit illis Barabbam mortis auctorem, omnium iudicio damnatum etiam ante iudicium: Ieſum auctorem vitæ ex more Romano flagris cæſum tradidit, vt cruci ſuffigeretur.* Ex cap. 19. Ioann.

Matth. 27. *Verſ.* 28. Exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei.

*28. Tunc milites Præſidis, vt ex innoxiis ludibriis caperent voluptatem, quoniam audierunt, quod Regem ſe faceret Iudæorum, & ingenio ſuo obſequentes, & à Iudæis inſtigati ſpoliatum veſtibus ſuis, induunt chlamydem coccineam regale indumentum.* Ex cap. 27. Matth.

*Verſ.* 29. Et plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput eius, & arundinem in dextera eius.

*29. Diadematis autem loco coronam imponunt, capiti è ſpinis contextam, ſceptri vicem gerebat arundo; flexiſque genibus illudebant dicentes: Aue Rex Iudæorum.*

Ioann. 19. *Verſ.* 5. Exiuit ergo Ieſus, portans coronam ſpineam,& purpureum veſtimentum, & dicit eis *Pilatus*: Ecce Homo.

*5. Id quod Pilatus paſſus eſt fieri in Ieſum, vt Iudæorum odium hac hominis aſflictione placaret, reddito Ieſu pro inuidioſo miſerabili. Ecce, inquit, adduco vobis hominem foras, vt eius ſpectaculo veſtros oculos ſatiare poſſitis. Prodit Ieſus ſicut erat ornatus. Nec tamen barbarorum feritas miteſcebat.* Ex cap. 19. Ioann.

SECTIO

SECTIO PRIMA.

# POENITENTIA IVDÆ:

## EX CAP. XXVII. MATTHÆI.

### TEXTVS.

*Verſ. 3.* Tunc videns Iudas, quod damnatus eſſet, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum, dicens:

*Verſ. 4.* Peccaui, tradens ſanguinem iuſtum. At illi dixerunt: Quid ad nos tu? videris.

*Verſ. 5.* Et proiectis argenteis in templo, receſſit, & abiens, laqueo ſe ſuſpendit.

### COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

*Proditoris pœnitentis confeſſio, & reſtitutio.*

1. *Iudas ſecutus Dominum.* TVNC *videns Iudas.*] Colligo hinc probabiliter Iudam ſecutum Dominum cum Iudæis, & ſatellitibus vſque ad domum Caiphæ, teſtemque oculatum omnium, quæ facta fuere, extitiſſe; nec non ſententiam concilij: *Rem eſt mortis*, auribus percepiſſe. Vidit præterea Dominum ad Præſidem adduci, vt morti traderetur. *Videns tunc, quod damnatus eſſet*, pœnitudine ingenti affectus eſt.

2. *Num Iudas damnatum ſe vidiſſet, an Ieſum?* *Quod damnatus eſſet.*] Origen. tractat. 35. in Matth. ſenſum huiuſcemodi refert: *Videns Iudas, quod ipſemet damnatus eſſet, propter crimen traditionis, pœnitentiam egit.* Exiſtimo expoſitionem hanc à mente Euangeliſtæ alienam. Pœnituit equidem Iudam, quod Chriſtum vendidiſſet, videns, quod à concilio eſſet ille condemnatus. Quia fortaſſe ab ipſo venditus non eſt, vt occideretur. Quod ſi interimendum prodidit, poſteà tamen, cùm condemnatú vidit, ſerò pœnituit eú de traditione.

3. *Reſtitutio Iudæ.* *Retulit triginta argenteos.*] Quibus ſcilicet Chriſtum prodiderat, Chriſti eſt profeſſus innocentiam, aperuitque crimen, inclamans: *Peccaui, tradens ſanguinem iuſtum.*

4. *Quibuſnam Principibus retulit pecuniam?* *Principibus Sacerdotum, & Senioribus.* Quibuſnam? Erant enim tunc temporis omnes non in Templo, ſed Ieſu condemnationi operam impendentes. Nonnulli reſpondent ex præcipuis Principibus Sacerdotum, & Senioribus tunc aliquos in Templo commorantes, nactum Iudam, quibus pecuniam referre valuit. Exiſtimo retuliſſe quidem Principibus Sacerdotum, & Senioribus pecuniam, non verò neceſſariò apud templum morantibus: ſed vel in domo Caiphæ, vel in Pilati ædibus, vel in ipſa via reſidentibus. Non enim aſſerit Matthæus in templo commorantibus Principibus pecuniam detuliſſe: ſed illis non accipientibus, apud Templum proieciſſe.

5. *Sacerdotum reſponſio.* *At illi dixerunt: Quid ad nos? Tu videris.*] Quid (inquiunt) ad nos tuum attinet flagitium? noſtra nihil omninò refert, tu tibi conſule, tu vide quid geſſeris, quidque ſit deinde præſtandum? Cùm nollent itaque Proceres illi pretium ſanguinis apud ſe retinere, in Templum miſet abut, non veniam efflagitaturus à Domino; ſed vt proiiciens in ipſa dominica domo argenteos, ad miſerabile exitium properaret.

§. II.

*Iudæ iniuſtè acquiſita pecunia nec poſſeſſori deſeruit, nec à Deo accipitur.*

Nam malè partæ diuitiæ ſacris inutiles, & profanis.

6. VIdes pecuniam malè partam nec apud Iudam commorari, nec à Templi Rectoribus retineri? Talis pecuniæ deliclo acquiſitæ conditio! Nec ſacris miniſteriis deſeruit, nec profanis. Appoſitè D. Aug. ſer. 128. de Temp. *Reſtituit Iudas pecuniam Phariſæis. Sed nec Phariſæi* (auari admodum) *eam accipiunt.* August.

7. *Probatur ex Iſaia.* Apud Iſaiam pulchram admodum illuſtrationem inueni. Dominus ſic vociferatur: *Væ Ariel, Ariel Ciuitas. Circumuallabo Ariel, & erit triſtis, & mœrens, & erit mihi quaſi Ariel.* Cap. 29. In cuius expoſitionem præmitto *Ariel* idem eſſe ac *Leonem*, qua quidem appellatione diripicas Ieroſolyma ſignificatur. Omnes auaritiæ morbo corripiebantur mundiales ciues, vbi Sacerdotum nummis comparabatur, vbi publica latrocinia, vbi pecunia offerebatur Iudæ pro Chriſto prodendo. *Et erit mihi quaſi Ariel*: Siue *Ariel*. Septuaginta lucem aſſerunt expoſitioni Iſai. 29 Septuag.

Luc. 23. *Verſ.* 11. Spreuit autem illum Herodes cum exercitu ſuo,& illuſit indutum veſte albâ, & remiſit ad Pilatum.

*Verſ.* 39 Eſt autem conſuetudo vobis, vt vnum dimittam vobis in Paſcha: vultis ergo dimittam vobis Regem Iudæorum?

Ioan. 18. *Verſ.* 40. Clamauerunt omnes dicentes: Non hunc, ſed Barabbam. Erat autem Barabbas latro.

Math. 27. *Verſ.* 24. Videns autem Pilatus, quia nihil proficeret, ſed magis tumultus fieret: acceptâ aquâ, lauit manus coràm populo, dicens:

*Verſ.* 25. Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius, vos videritis.

Ioann. 19. *Verſ.* 1. Tunc ergo apprehendit Pilatus Ieſum,& flagellauit.

Math. 27. *Verſ.* 28. Exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei.

*Verſ.* 29. Et plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput eius, & arundinem in dextera eius.

Ioann. 19. *Verſ.* 5. Exiuit ergo Ieſus, portans coronam ſpineam,& purpureum veſtimentum, & dicit eis *Pilatus*: Ecce Homo.

*11. Pilatus autem cognoſcens de reo pertinere ad Herodem, reiecit ad illum, qui quidem non alia ſciſcitabatur à Ieſu, quam quæ ſciſcitatus erat à Mago. Ieſum denique haud eius curioſitati ſeruientem Rex contemnens indutum veſte albâ remittit ad Pilatum.* Ex c. 23. Luc.

*39. Qui quidem cùm nec hac via profeciſſet, propoſuit Iudæis vtrum è duobus ſibi vellent condonari diei feſti gratiâ; Ieſum, an Barabbam, Ciuitatis odium?*

*40. Sed tanta erat Pontificum, & his adhærentium inſania, vt poſtularent ſibi Barabbam condonari.* Ex cap. 18. Ioann.

*24. Præſes denique animaduertens, quòd tentatu omnibus, nihil proficeret, ſed magis popularis tumultus concitaretur, prius abſoluit Ieſum, quàm damnaret. Siquidem coram omnibus, accepta aqua, abluit manus ſuas, dicens:* Ex cap. 27. Math.

*25. Innocens ego à ſanguine Iuſti huius. Vos mortis auctores.*

*1. Pilatus itaque victus illorum pertinacia veſania, condonauit illis Barabbam mortis auctorem, omnium iudicio damnatum etiam ante iudicium: Ieſum auctorem vitæ ex more Romano flagris cæſum tradidit, vt cruci ſuffigeretur.* Ex cap. 19. Ioann.

*28. Tunc milites Præſidis, vt ex innoxij ludibriis caperent voluptatem, quoniam audierunt, quod Regem ſe faceret Iudæorum, & ingenio ſuo obſequentes, & à Iudæis inſtigati ſpoliatum veſtibus ſuis, induunt chlamydem coccineam regale indumentum.* Ex cap. 27. Math.

*29. Diadematis autem loco coronam imponunt, capiti è ſpinis contextam, ſceptri vicem gerebat arundo; flexiſque genibus illudebant dicentes: Aue Rex Iudæorum.*

*5. Id quod Pilatus paſſus eſt fieri in Ieſum, vt Iudæorum odium hac hominis afflictione placaret, reddito Ieſu pro inuidioſo miſerabili. Ecce, inquit, adduco vobis hominem foras, vt eius ſpectaculo veſtros oculos ſatiare poſſitis. Prodit Ieſus ſicut erat ornatus. Nec tamen barbarorum feritas miteſcebat.* Ex cap. 19. Ioann.

SECTIO

SECTIO PRIMA.

# POENITENTIA IVDÆ.

## EX CAP. XXVII. MATTHÆI.

### TEXTVS.

*Verſ.* 3. Tunc videns Iudas, quod damnatus eſſet, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum, dicens:

*Verſ.* 4. Peccaui, tradens ſanguinem iuſtum. At illi dixerunt: Quid ad nos tu? videris.

*Verſ.* 5. Et proiectis argenteis in templo, receſſit, & abiens, laqueo ſe ſuſpendit.

## COMMENTARIVS LITERALIS.

### §. I.

*Proditoris pœnitentis confeſſio, & reſtitutio.*

1. *Iudas ſecutus Dominum.* TVNC *videns Iudas.*] Colligo hinc probabiliter Iudam ſecutum Dominum cum Iudæis, & ſatellitibus vſque ad domum Caiphæ, teſtemque oculatum omnium, quæ facta fuere, extitiſſe; nec non ſententiam concilij: *Reus eſt mortis*, auribus percepiſſe. Vidit præterea Dominum ad Præſidem adduci, vt morti traderetur. *Videns tunc, quod damnatus eſſet*, pœnitudine ingenti affectus eſt.

2. *Num Iudas damnatum ſe vidiſſet, an Ieſum?* *Quod damnatus eſſet.*] Origen. tractat. 35. in Matth. ſenſum huiuſcemodi refert: *Videns Iudas, quod ipſemet damnatus eſſet, propter crimen traditionis, pœnitentiam egit.* Exiſtimo expoſitionem hanc à mente Euangeliſtæ alienam. Pœnituit equidem Iudam, quod Chriſtum vendidiſſet, videns, quod à concilio eſſet ille condemnatus. Quia fortaſſe ab ipſo venditus non eſt, vt occideretur. Quod ſi interimendum prodidit, poſteà tamen, cùm condemnatũ vidit, ſerò pœnituit eũ de traditione.

3. *Reſtitutio Iudæ.* *Retulit triginta argenteos.*] Quibus ſcilicet Chriſtum prodiderat, Chriſti eſt profeſſus innocentiam, aperuitque crimen; inclamans: *Peccaui, tradens ſanguinem iuſtum.*

4. *Quibuſnam Principibus retulit pecuniam?* *Principibus Sacerdotum, & Senioribus.* Quibuſnam? Erant enim tunc temporis omnes non in Templo, ſed Ieſu condemnationi operam impendentes. Nonnulli reſpondent ex præcipuis Principibus Sacerdotum, & Senioribus tunc aliquos in Templo commorantes, nactum Iudam, quibus pecuniam referre valuit. Exiſtimo retuliſſe quidem Principibus Sacerdotum, & Senioribus pecuniam, non verò neceſſariò apud templum morantibus: ſed vel in domo Caiphæ, vel in Pilati ædibus, vel in ipſa via reſidentibus. Non enim aſſerit Matthæus in templo commorantibus Principibus pecuniam detuliſſe: ſed illis non accipientibus, apud Templum proieciſſe.

*At illi dixerunt: Quid ad nos? Tu videris.*] Quid (inquiunt) ad nos tuum attinet flagitium? noſtra nihil omninò refert, tu tibi conſule, tu vide quid geſſeris, quidque ſit deinde præſtandum? Cum nollent itaque Proceres illi pretium ſanguinis apud ſe retinere; in Templum miſer abijt, non veniam efflagitaturus à Domino; ſed vt proiiciens in ipſa dominica domo argenteos, ad miſerabile exitium properaret. 5. *Sacerdotum reſponſio.*

### §. II.

*Iudæ iniuſtè acquiſita pecunia nec poſſeſſori deſeruit, nec à Deo accipitur.*

Nam malè partæ diuitiæ ſacris inutiles, & profanis.

VIdes pecuniam malè partam nec apud Iudam commorari, nec à Templi Rectoribus retineri? Iſta eſt pecuniæ delicto acquiſitæ conditio! Nec ſacris miniſterijs deſeruit, nec profanis. Appoſitè D. Aug. ſer. 118. de Temp. *Reſtituit Iudas pecuniam Phariſæis. Sed nec Phariſæi* (auari admodum) *eam accipiunt.* 6 August.

Apud Iſaiam pulchram admodum illuſtrationem inueni. Dominus ſic vociferatur: *Væ Ariel, Ariel Ciuitas, Circumuallabo Ariel, & erit triſtis, & mœrens, & erit mihi quaſi Ariel.* Cap. 29. In cuius expoſitionem præmitto *Ariel* idem eſſe ac *Leonem*, qua quidem appellatione diripiens Ieroſolyma ſignificatur. Omnes auaritiæ morbo corripiebantur mundiales eſſes, vbi Sacerdotum nummis comparabatur, vbi publica latrocinia, vbi pecunia offerebatur Iudæ pro iuſto prodendo: *Et erit mihi quaſi Ariel*: Sicut *Ariel*. Septuaginta lucem afferunt expoſitioni 7. *Probatur ex Iſaia.* Iſai. 29 Septuag.

expoſitioni: *Et erit fortitudo illius diuitiæ mihi.* Ego enim quaſi leo fortiſſimus Ieroſolymæ leonis diripientis malè comparatas diuitias diripiam. En diuitiæ minimè deſeruientes iniuſto poſſeſſori. At videntur Deo deſeruire, ſiquidem Deus Leonis in morem eas ſibi aufert: *Et diuitiæ mihi.* Profectò eas Deus aufert à poſſeſſore iniquo proiiciendas. D. Cyril. *Terrena diuitiæ eorum exinanitæ ſunt diripientibus his, qui eam obſident.* Nec enim ſacris vſibus deſeruiunt diuitiæ iniuſtè comparatæ, ſed exinanitis nec fruuntur profani.

8\. *Et ex Pſalte.* Conteſtatur Pſaltes: *Nutantes transferantur filij eius, & mendicent, & eiiciantur de habitationibus ſuis. Scrutetur fænerator omnem ſubſtantiam eius; & diripiant alieni labores eius.* Pſalm 108. *Pſalm. 108.* *Lyra.* *Theod.* Lyra ad literam Pſalmum totum exponit de auaritia Iudæ. Theod. *Quæ verba non Iudæ modò, verum omnibus perfidis congruunt.* Obiicias, quæſo, tibi Iudam, omneſque aſſeclas auaros diuitiis onuſtos. Num ipſis diuitiæ deſeruient? num ſacris muneribus impendentur? *Scrutetur fænerator omnem ſubſtantiam eius.* Chal. *Colligat exactor omnia, quæ ipſius ſunt.* *Genebr.* Geneb: ex eodem Chal. (vndenam ignoro) ſic: *Colligat fiſcus omnia, quæ ipſius ſunt.* Et illud adſert D. Bernard. *Quæ non capit Chriſtus, rapit fiſcus.* Id eſt, quæ Ieſus ſacris minimè patitur deſeruire, quæque ab iniuſto eripi peragit poſſeſſore, mundialibus deſeruiunt ſeu exactionibus, ſeu ſuppliciis.

## §. III.

### *Iudæ ſuſpendium.*

9\. *Num Iudas perierit ante Ieſum ſuffixum?* ET *abiens, laqueo ſe ſuſpendit.*] Num antequam Ieſus ageretur in crucem? Auctor qq. noui & Veteris Teſt. q. 64. Improbabile (inquit) *eſt apud me, quo die, imò quo tempore laqueo finierit Iudas.* Auctor Comment. in Marcum, qui D. Hieronymo adſcribuntur, poſt Chriſti mortem, & Latronum obiiſſe exiſtimat. *Alter* (inquit) *Latronum antecedit Petrum in paradiſum, alter Iudam in infernum.*

Probabilius exiſtimo ante Chriſti mortem Proditorem ad ſuſpendium cucurriſſe. Nitor illis Matthæi verbis: *Videns, quod damnatus eſſet, &c. & abiens, laqueo ſe ſuſpendit.* Non dixit, Videns, quod eſſet crucifixus; ſed *quod eſſet damnatus*; ergo ante Ieſu obitum hæc contigêre. Vnde D. Auguſt. in Pſal. 108. expendens illud: *Fiant dies eius pauci. Pauci* (inquit) *fuerunt dies Apoſtolatus Iudæ, quoniam ante paſſionem Domini ſcelere ipſius, & morte conſumpti ſunt.* Conteſtantur D. Leo D. Ignat. Orig. Theoph. & alij ex antiquis, & recentioribus. 10. *Auctoris ſententia.* *Auguſt.*

An Iudas illo obiit ex ſuſpendio? Euthym. ait cognitum à quibuſdam, & à ſuſpendio liberatum. Deinde poſtquam in occulto modico vixit tempore, effuſis viſceribus præcipitem actû. Theophyl. ſcribit inclinata arbore ſuperuixiſſe. Proculdubio ſuſpendio periit. Obiicies ex Luc. *Suſpenſus crepuit medius.* Græcè, *Præceps factus crepuit medius.* Act. 1. Reſpondeo verbum illud Græcum propriè ſignificare eum, qui capite eſt propendente, & vultu in terram deiecto, more eorum, qui pendent ex patibulo. Poſt ſuſpendium intumuit, & tumefactus crepuit. D. Bernard. ſer. 8. in Pſal. 90. *Iudas* (inquit) *in aere crepuit medius, &c.* 11. *Num obiit ex ſuſpendio?* *Euthym.* *Theophyl.* *Bernard.*

Cur ſe Iudas laqueo addixit? Theophyl. *Non ferens ignominias ſubſecuturas.* D. Leo. ſerm. 3 de Paſ. *Inſurrexit in ſe ipſum, non iudicio pœnitentis, ſed furore pereuntis.* Reſpondeo, Nimia triſtitia, immoderata pœnitudo, & deſperatio, quam concepit, quod videret Ieſum damnatum à Iudæis, quem ipſe prodiderat, eum impulit in laqueum. Hanc cauſam reddit Euangeliſta: *Videns Iudas &c.* D. Leo: *Iudam deſperatio traxit ad laqueum.* 12. *Cur Iudas ſe laqueo addixit?* *D. Leo.*

# IN IESVM PATIENTEM APVD PILATVM.

## Panegyricus primus Moralis circa Literam.

## EX IVDÆ POENITENTIA.

### *OBSERVATIO I.*

Ad illa verba:

*Retulit triginta argenteos.*

Accuratior pecuniæ cuſtos Iudas, quàm ſui.

*In auaros animi contemptores.*

13\. NE Pecunia deperiret, *retulit* iniuſtis, ac iniquis hæredibus, tum amens ſe ſe laqueo dedit præcipitem. Annon iuſtè amentem eum compellauit, qui in tuto voluit reponi pecuniam, ſuam verò conſcientiam in extremum exitium deturbabit? Proiicis in Templo argenteos. Optimum pecuniæ locum ſtatuis, ſe ipſum autem collocas in inferno.

Drogo. ferno. Id quod acutè exprimit Drogo Hoſtienſis de Sacram. Paſſ. fatus: *Vide, quam magni ponderabat argenteos. Non proiecit eos in ſterquilinio, ſed in Templo. Ecce infelix qualiter excæcatus eſt. Maluit ſe ipſum perdere, quam denarios perire. Denarios Templo, ſeipſum laqueo addixit.* Quid amentius?

14\. *Achitophel Iudæ ſimilis.* Haud diſſimilis olim Achitophel, qui daturus ſe ſe præcipitem barathro, eo quod Abſalom eius conſilio non acquieuit, prius curauit de diuitiis: *Porrò Achitophel abiit in domum ſuam, & diſpoſita domo, ſuſpenſus interiit,* 2.Reg. 17. 2.Reg.17. *Diſpoſita*, inquam, *domo*, id eſt, poſtquam ſuis facultatibus prouidit. Lyran. Lyran. *Diuiſit filiis ſuis bona ſua.* Prob auaritiæ inſania! Plus miſer ille de diuitiarum, quàm de ſui ipſius fuit commoditate ſollicitus. Maluit ſuum corpus in laqueum, ſuam animam in infernum deturbari, quàm opes relinqui incuſtoditas. Rupert. Rupertus ait Iudam ſe laqueo addixiſſe, quia præſenſit, *quod res non procederet ſecundum conſilium eius.* En vel ex hoc Achitophelis imago.

15\. *Iudas diuitẽ ſtultum imitatur.* Luc. 12. Diues ille frugibus abundat, & loco indiget, vbi reponat: *Quid faciam* (ait) *quia non habeo, quo congregem fructus meos?* Luc. 12. Quod ſi requiras quocum ille loqueretur? Reſpondet Chryſolog. ſer. 104. *Erat in illo alter. Quia ad eius penetralia iam diabolus poſſeſſor inſederat: & qui intrauerat in cor Iudæ, mentis eius tenebat arcanum.* Iam itaque diues ille Iudam imitatus requiſierat locum, vbi animum collocaret, vbi mentem reponeret; diabolus enim *ad eius penetralia poſſeſſor intrauerat.* Porrò qui animum inferno addixerat, nil aliud curat niſi de requirendo diuitiis domicilio. *Non habeo, vbi congregem fructus.* Inuenire deſidero dignum, amplum diuitiis receptaculum, licet animum expectet anguſtum. *O ſtulte, animam tuam repetent à te.* Si in baratro conſtituta, torquetur æternum, quid tibi proderit amplum diuitiarum repoſitorium?

16\. *Male diuidit homo hæreditatem.* Luc. 12. Ambroſ. Paulò ante huiuſce diuitis expreſſionem, quidam de turba ad Dominum hanc litem deferebat: *Magiſter dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem.* Cui Saluator, *quis me conſtituit iudicem ſuper vos?* Luc. 12. Vbi D. Ambroſ. ideo ait Dominum noluiſſe votis illius hominis abnuere, quia qui è cœlo in mundum venerat hæres animarum, dignouit, quam abs re mundialis heres facturus fuerat partitionem. Curaret ille de diuitiis hæredibus accommodandis, minimè autem ſollicitus eſſet de animo æternæ hæreditati reponendo. Vnde mox Diuitis præfati apponit ſimilitudinem.

17\. *Epulo prouidet diuitiis, non ſibi.* Luc. 16. Alter damnatus diues, qui byſſo, & purpura induebatur: *Mortuus eſt, & ſepultus eſt in inferno.* Luc. 16. Proh diuitis miſeria! nec corpori ſepulchrum breuis vrna præſtatur? Profectò qui diuitiis conſeruandis, ac reponendis prouidit, nihil de corporis aut animi repoſitorio curauit, vnde ſepultus in inferno eſt. Iam cum de exigua corporis commoditate curaret: *Vt refrigeret linguam meam,* audiuit: *Recordare, fili, quia recepiſti bona in vita tua.* Id eſt, quia quæſiſti locum, vbi diuitiæ reciperentur, vbi conſeruarentur; nihil autem de corporis, aut animi commoditate cogitaſti, diſpoſuiſti. Appoſitè Auguſt. Auguſt. de verb. Dom. ſer. 14. *Sic* (inquit) *moriuntur rerum ſuarum conſeruatores.* Siſte qui diuitiarum requirentes domicilium, vbi illæ conſeruentur, & corporis, & animi collocandi curam deponunt.

18\. *Non ſic Ioſeph.* Sanctiſſimus ille Ægypti Prorex, qui præuidit Iſraelitici populi profectum in Patriam, ſic iam moriturus ſuis de rebus curam geſſit: *Deus viſitabit vos: aſportate oſſa mea vobiſcum de loco iſto, & mortuus eſt.* Gen. 50. Gen. 50. Exod. 13. Sapiẽs vir non curauit de diuitiarum collocatione, ſed de animi ac corporis domicilio. Moyſes, dum egreſſurus populus immenſas Ægyptiorum opes adſportare curabat, vacuus omnibus, *tulit oſſa Ioſeph ſecum.* Pereant illæ in Ægypto, dum mens animuſque in cœleſti promiſſionis habitaculo reponantur.

# OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

## *Peccaui tradens ſanguinem iuſtum.*

## Sacrilegus Iudas à ſua conſcientia, ſententiâ propriâ, condemnatur.

### *Sacrilegium enim durior conſcientiæ tortor, quàm mors.*

19\. Ambr. DIVVS Ambroſ. ſerm. 50. ſic exponit locum: *Suâ ergo ſententiâ Iudas proditor condemnatur. Mirum fortè ſit vobis, quod non eum populus iudicauerit, non Præſes addixerit. Hoc ſacrilegi ſolet eſſe iudicium, vt impietatem ſuam ipſe dum recordatur, & puniat ſcelus ſuum, dum recognoſcit, & vindicet. Omnium enim ſupergreditur ſententias, qui à ſua conſcientia ſua ſententiâ condemnatur. Hoc, inquam, ſacrilegi ſolet eſſe iudicium, vt conſcius factis ipſe ſe damnet.* Eſtne laqueus crudelior ſacrilegæ conſcientiæ tortura? Vos teſtor Sacerdotes, qui ſacrilego auſu ad altare acceditis. Annon facilius tartareum ignem ſuſtineretis, quàm miſerabilis conſcientiæ ſtimulos, ſi iam non Pharaonis in morem indurationis morbo laboratis?

20\. *Sacrilegij recordatio cor diſcerpit.* Ierem. 17. Sacrilegus itaque *à ſua conſcientia condemnatur.* Opportunè Ieremias, *Peccatum Iudæ ſcriptum eſt ſtylo ferreo, vngue adamantino exaratum ſuper latitudinem cordis.* Cap. 17. Siue Proditoris Iudæ flagitium in ſecundario ſenſu taxatur, ſiue Iudæorum ſacrilegium in primario damnantium Ieſum deſcribatur. Sacrilegium itaque ipſo in corde inſculpitur ſtylo ferreo, & vngue adamantino; quia tanti flagitij recordatio tantumdem eſt cordi ſacrilego, ac ſi ſtylo ferreo, adamantinóque vngue carperetur, diſcerperetur. Ambr. Ambroſ. lib. 5. Epiſt. 32. *Scripta eſt, Iuda, culpa tua graphio ferreo, & vngue adamantino, & ſcripta in pectore tuo.* Vt pectori tot vulnera infligantur, quot literæ inciduntur.

21\. Filij Iſraël *cùm inueniſſent hominem colligentem ligna in die Sabbati, obtulerunt eum Moyſi, & Aaroni,*

*Sabbati violator ſeipſum damnat. Num. 15.* *Aaroni, & vniuerſæ multitudini. Qui recluſerunt eum in carcerem, neſcientes, quid ſuper eum facere deberent* Num. 15. Exoritur hinc quæſtio difficilis. Quonam modo neſcitent, quid de illo faciendum eſſet, ſi Exodi 31. expreſsè ſtatuitur pœna capitalis in Sabbati violatorem? Plures Doctores accruant ſolutiones. Nos ſic, Num non otioſè à Iudicibus quodam modo capitalis in violatorem Sabbati ſententia ferretur, ſi ipſe à ſua conſcientia ſua ſententia condemnatur? Quid Deus? *Morte moriatur* (inclamat non cõſultus) *homo iſte, obruat eum lapidibus omnis turba extrà caſtra.* Ibid. Si implēda legis diſpoſitio circa Sabbati violatores, *morte moriatur homo iſte*; duplici enim morti addicetur, qui iam à ſua conſcientia ſua ſententia condemnatus, rurſus capitali Iudicis ſententia interimitur.

22. *Typus Achitophel, & Abſalon.* Annon Achitophel Abſalonem excitarit ad ſacrilegum auſum in Dauid, in Chriſtum Domini? Pondera tanti facinoris ſupplicium. Iudæ ſacrilegi in morem ſe ſe dedit in laqueum. Cuiuſnam iudicis ſententia? Profectò ſuimet ipſe iudex, & carnifex. *Achitophel abiit in domum ſuam, & diſpoſita domo ſua, ſuſpenſus interiit.* 2. Reg. 17. Quiſnam te impulit ô miſer? Tam immanis Iudex vindex conſilij, quod nõ prodiit in factum? Profectò conſcientia miſerum in præcipitium deturbauit. Acutè Caiet. *Propera interiit ſententia, & ipſe ſuimet carnifex fuit, auctor iam prauorum conſiliorum.* Quid ipſum Abſalonem commemorem ſuomet crine ſuſpenſum? Quando non cogitatio criminis, ſacrilegum addixit in tortoram conſcientiæ omni lethali exitio duriorem? Parum iam *Philomenem primum inter confertiſſimos dimicantem periiſſe, & ſacrilegij pœnas impio luiſſe ſanguine*, auctore Iuſt. Hiſtor. lib. 87. Si ex Tul. ſententia, *Sacrilegij ſacrilegium pœna eſt.* Nam impius ipſe præcordiorũ affectus gladio crudelior hominem vulnerat.

*2. Reg. 17.* *Caiet.*

# OBSERVATIO III.

## Ad illa verba:

### *Laqueo ſe ſuſpendit.*

## Iudas auaritiæ fune ſuffocatus.

*Quia ipſa auari ſupplicium.*

23. DIvus Leo: *Iudas dum ſitit lucrum, peruenit ad laqueum.* Et quando non auaritia hominem miſerum ſuffocauit?

24. *Probatur in Diuite Euangelij.* Si dormite auari intendunt, irruet latro; ſi hærent menſæ, imminuentur diuitiæ; ſi ſterilitate terra laborat, deficiet cenſus; ſi fertilis frugibus ager, horrea ſemina non excipiunt. *Quid* (inquit) *faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos.* Luc. 12. Annon ille miſer ipſius abundantiæ pondere ſuffocabatur? Appoſitè admodum Chryſol. ſerm. 104. *Miſerum, quem abundantia fecit anxium!* Anxiabatur enim abundãtia ille, quemadmodum qui actus fune ſtrangulatur.

*Luc 12.* *Chryſol.*

25. Magus ille Simon, qui Spiritus ſancti gratiam conatus eſt pecuniã cõparare, à Simone Petro audiuit, *Pecunia tua tecum ſit in perditionem.* Act. 8. Ad ſuperos volare intendit, ſuper nubes eleuatus eſt; at miſerabili lapſu præceps in terram agitur. Quonam pondere? Exiſtimo diuitiarum. Ita explico verba illa: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem.* Siue in perditionis & inſtrumentum, & comitem, & carnificem. Egregiè D. Petrus Damian. Epiſt. 16. c. 20. *Pecunia cũ negotiatore percutitur: nam vbi deeſt pecunia percuſſio non timetur.* Tam horribilis carnifex pecunia ad hominis exitiũ, vt ſuaue omninò quodcumque capitis inſtrumentum ad exitium inferendum, ſi cum pecuniæ tortura componatur. *Nam vbi deeſt* (ait Damianus) *pecunia, percuſſio non timetur.* Nec enim vel dæmones, vel ignis ſic torquent auarum, quàm curæ ex ipſa illorum exortæ pecunia. Sic liceat exaggerare pecuniæ ſuſpendium.

*Laqueus Simoni Mago pecunia. Act. 8.* *Damian.*

Quid ſi oſtendam diuites ſine fune ſuffocatos ex ſolo pauperis aſpectu? Ita exanimatur auarus, cum ad aliquod ſubſidium exhibendum cogitur, ac ſi minimè natandi peritus, medio in alto flumine deperiret. Principibus illis, qui ad inuiſendum Iobum accurrerant, ſic vir patientiſſimus: *Nunc veniſtis, & videntes plagam meam, timetis.* Cap. 21. Quid, quæſo, timebant Reges (date mihi hanc veniam, vt Reges hi auari myſticè agant perſonam) vbi pugnæ palæſtra ſterquilinium, vbi ictus hoſtilis vulnerati homuncionis ſermones, vbi concertationes bellicæ fratris vlcerati commiſeratio? Poſt paruum interſtitium adiicit Iob: *Nunquid dixi: Afferte mihi, & de ſubſtantia veſtra donate mihi?* Timorem pellite, veſtram à vobis pecuniam non requiro. Vnde optimè Lyr. *Timebant* (inquit) *ne aliquid ſtipis à Iobo pro ſubleuatione ſua peteretur.* Exiſtimatis eos ex illo timore non ſuffocari? Non morabor Pagnini tranſlationem. *Quia nunc eſtis ſimiles torrenti, videtis fractionem, & timetis.* Timor vos conuertit in flumen, vobis ipſis ſuffocandis torrẽs exiſtitis, vbi miſerè obruamini. 26.

*Diues ex ſolo pauperis aſpectu ſuffocatur.* *Iob. 21.* *Lyran.* *Pagnin.*

Diuitiarum fune ſtrangulatum Abſalonem, è pretioſiſſimis capillis pendentem, quos nummis commutabat, aſſerit Drogo. Cupiditas enim inſtar rei patibulo infami agendi, gradus aſcendit ſcalæ, vt è faſtigio homo ſe ſe præcipitem laqueo committat. Rem illuſtrat D. Ambr. lib. de Nab. c. 2. fatus, *O diues! quaſi quoſdam gradus cupiditas habet; quo plures aſcenderit; eo ad altiora feſtinat, unde ſit grauis ruina lapſo.* Nec enim deſcenſurus, ſed lapſurus aſcendit diues, rei in morem ſtrangulandi. 27.

*[illegible] agendus auarus.* *Ambroſ.*

# OBSERVATIO V.

## Ad illa verba:

### *Laqueo ſe ſuſpendit.*

## Congruit pœna Iudæ flagitio.

*Sæpè peccato pœna reſpondente.*

ID Quod venerabilis Beda hiſce verbis explanat: *Dignam ſibi pœnam ſe inuenit, ve gutur, per quod vox proditionis exiuerat, laquei nodus necaret.* Adiicit, *Et qui homi-* 28.

*Beda.*

*num,*

*num, Angelorumque Dominum morti tradide: at: cœlo terræque peroſus, aeris in medio periret. Et viſcera, quæ dolum proditionis conceperant, rupta caderent,*

29. *Sitibundus diues ſiti extorquetur.* Luc. 16. Auguſt. Diuitem in primis Epulonem contemplare quæſo, ſiti inextinguibili adeò defatigatum, vt vel ſtillam ab inimico non ſine rubore multiplicatis precationibus poſtularet. Luc. 16. Cur ſiti torquetur? Vt planè ſupplicium morem gereret auaritiæ. D. Auguſt. lib. de ſalut. doct. c. 39. ad hæc: *Auarus inferno eſt ſimilis. Infernus enim quantoſcumque deuorauerit, numquam dicit, Satis eſt. Sic etſi omnes theſauri confluxerint in auarum, numquam ſatiabitur.* Siti deliquit: Siti meritò diſcruciatur.

30. *Sagittans reſtium corde iaculis intorquetur.* Chryſoſt. 2. Reg. 18. Plures tibi confirmationes exhibebit vna Abſalonis, Iudæ in morem pendentis, clades. Nam præterquam quod è coma ſuſpenſus, quam coronari paterno diademate conabatur: *Vt coma* (loquor cum Chryſoſt) *tyrannum* torqueret: *Tulit Ioab tres lanceas in manu ſua, & infixit eas in corde Abſalom.* 2. Reg. 18. Annon Abſalonis cor pharetra, vbi ſagittæ Dauidi immaculato dirigendæ cuſtodiebantur? Iuſtè igitur in corde lanceæ configuntur. Sic Chryſoſt. *In cor excordis tres ſagittas infixit, illic eum feriens, vbi erat receptaculum iniquitatis.*

31. *Cor triplex eius euertens triplici ictu vulneratur.* Aliter Dauid Kimhi trium iaculorum expendit myſterium: *Abſalom* (inquit) *furatus primùm fuerat cor regis, deinde cor ducentorum Senatorum, qui ſimpliciter corde ierant cum eo; tertiò totius Iſraelis. Ergo triplici ictu confoſſum eſt cor eius*, pœnâ delicto reſpondente.

32. *Decē Patris cōcubinarum conſtupratorē decem iuuenes interimunt.* 2. Reg. 18. *Cumque* (adijcit Textus) *adhuc palpitaret hærens in quercu, occurrerunt decem iuuenes armigeri Ioab, & percutientes interfecerunt eum.* Ibid. Decemne iuuenum facinus, in iam penè mortuum irruere? Profectò commiſſum ab impudenti Adoleſcenti delictum decem iuuenes percuſſuros attraxit. Audite R. Dauidē Kimhi: *Decem concubinas Patris conſtuprauerat. Igitur decem armigeri eum percutiunt.* Qua velut neceſſitate conſequentiæ (ergo) pœna delicto reſponderet.

33. *In foueā proijcitur quia in valle titulum erexerat.* 2. Reg. 18. Ambr. Quid plura? *Et tulerūt Abſalom, & proiecerūt eum in ſaltu in foueā grandem.* Vbi ſup. Nec ſine cœleſti cōſilio. Poſt paruum enim interſtitium quaſi reddens rationem huiuſcemodi exturbationis cadaueris in foueam, Textus ait: *Porrò Abſalom erexerat, cum adhuc viueret, ſibi titulum, qui eſt in valle Regis.* Vt qui ſuperbè in valle titulum erexit, humili tumulo, in foueam proijceretur. Ita D. Ambr. *Parricida Abſalom in valle Regis titulum ſtatuit: & in foſſam proiectus eſt, cum eſſet interemptus.*

34. *Lapidatur lapideus.* 2. Reg. 18. Lyran. Denique Iſrael filij: *Comportauerunt ſuper eum aceruum lapidum magnum nimis.* Vbi Lyranus obſeruat hoc illos præſtitiſſe *ſecundum legem, Deut. 21. Vbi præcipitur filium contumax à populo lapidari. Iſte autem* (adijcit) *non ſolùm erat contumax, ſed etiam manifeſtè perſequebatur Patrem, & ideò nō ſolùm erat dignus à gladio perimi, ſed etiam à populo lapidari.* En lapideæ Abſalonis contumaciæ lapides reſpondent. Illuſtro ex Æliano lib. 14. Cuius ſeruum vehementer in Dominum exardeſcentem ſic puniendum excogitauit: *Non in piſtrinum te* (vti ſeruos immitto) *ego te detrudam, ſed Olympiam ducam. Rectè* (adiicit Ælia.) *ille putabat conuenientius eſſe ſupplicium, ſi Olympia in conſpectu à radiis ſolaribus coqueretur.* Vt qui in dominum irâ ſuccendebatur, ignis ardoribus cruciaretur.

# OBSERVATIO V.

## Ad illa verba:

## *Pœnitentia ductus.*

## Inanis Iudæ pœnitentia.

### *Vbi de confeſſionis bona ac ficta proprietatibus.*

PROFECTO contemplatus Iudam & pœnituiſſe: *Pœnitentiā ductus:* & pecuniam reddidiſſe, quod non facilè præſtant peccatores: *Retulit triginta argenteos:* & peccatum confeſſione euulgaſſe: *Peccaui, tradens ſanguinem iuſtum:* non poſſum non huiuſce pœnitentiæ ſeriem recognoſcere. D. Leo inanem affirmat Iudæ pœnitentiam ob defectum fidei. Nec enim credidit ille Ieſu omnipotentiam, cuius vi grauiora crimina dilui poſſent: *Ieſum non Deum Dei filium, ſed noſtra tantummodo conditionis hominem inter extremum mortis tua periculum credidiſti.* D. Fulgent. exiſtimat ſpe Iudam caruiſſe: *Iudas peccati ſui pœnitentiam geſſit: ſed ſalutem perdidit, quia indulgentiam non ſperauit.* Laborauit prætereà & doloris defectu, & propoſito correctionis non fuit hærens, ex Ruperti ſententia. De his alibi. Ego autem hoſce prætereà delectus meditatus exhibeo. 35.

## CAPVT I.

### *Non expectauit, donec Ieſus ſuffigeretur.*

DIuus Paſchaſ. l. 12. *Pœnitentia ductus retulit triginta argenteos. Nec tamen ita pœnitentiæ modum tenere potuit, qui mox laqueo ſe ſuſpendit.* Particulam illam *mox* aduerte. Non dubium, quin ſemper diuinæ miſericordiæ fontes pateant pœnitenti; ſed eſt quando ſpecialiſſimè miſericordiæ iubar effulgeat. Quàm prudens Proditor accederet ad Domini ſuffixionem, quando ſacratiſſimus ſanguis efferueſcens vel Latronis maculas eluebat. Suadere hinc intendo, quàm vtilis ſit illa confeſſio, quæ ſanctâ in Hebdomada peragitur inter Dominici ſanguinis fluxus, cuius quidem aſpectus nos ad dolorem excitat efficaciùs; quamquè ſuſpecta non ſemel, quæ inter Paſchalis ſaturitatis ſymphoniæ modulos ſæculares plerumque inſtituitur ab homine non tam à deuotione illecto, quàm ab annui præcepti neceſſitate coacto. 36. Paſchaſ.

Proh confeſſio illa in fluentis Dominici ſanguinis conſpectu facta! D. Leo ſer. 3. de Paſſ. *Expectaſſes* (inquit) *Iuda, donec ſanguis Chriſti pro omnibus funderetur peccatoribus; informis lethi ſuſpendium diſtuliſſes, ſanguis Dominicus* 37. *Pœnitentia in conſpectu fluentis Ieſu ſanguinis.* D. Leo.

*te à præcipitio tuo reuocaſſet.* Chriſti enim ſuffixi habitus efficaciſſimè nos excitat ad lamentum.

38. *Petrus foras exiuit expectatos Ieſu ſuſſionem.* Non ſemel miratus ſum Petrum triplicis abnegationis crimini maculatum, non mox ad ſalutarem Ieſu fontem miſericordiæ accurriſſe; ſed continuò foras egreſſum, Dominicum aſpectum vitaſſe. Exiſtimabam illud: *Egreſſus foras.* Ad pudorem ita referendum delinquentis, vt propterea diſceſſiſſet, quòd in conſpectu Domini apparere vereretur. Iam autem ideò fortaſſe etiam receſſiſſe reor, (aſſerunt Doctores, Petrum coram ſuffixi Saluatoris cõſpectu diù perſeuerasse) vt ſpiritus, qui exierat, reuerteretur Dominico ſanguine diluendus. Non ſic Proditor: *Sed homo inconuerſibilis*, (loquor cum D. Leone) *ſpiritus vadens, & non reuertens, cordis ſui ſecutus eſt rabiem.* D. Leo.

39. *Nabuchodonoſor Petri imitator.* Dan. 4. Quid Nabuchodonoſore flagitioſius? Vigil inclamitauit, *Cor eius ab humano commutetur, & ſeptem tempora mutentur ſuper eum.* Dan. 4. Omnia adimpleta ſunt. Poſtquam autem ſeptem ſuper miſerum mutata ſunt tempora, ad pœnitentiam, & ad veniam recipitur. *Igitur* (ait ipſe) *poſt finem dierum, ego Nabuchodonoſor oculos meos ad cœlum leuaui, &c.* Cum Hugone Hugo. Cardin. ad. 4. Geneſ. myſticè expono hunc ſeptem temporum decurſum ad Dominici ſanguinis pertinere fluxionem. *Septuplum vltio dabitur de Cain, de Lamech verò ſeptuagies ſepties.* Geneſ. 4. Quod ſic exponit Doctor. Poſt ſeptem temporum decurſum expiabitur crimen Lamech. At ille decurſus iuxta Patris computationem ad tempus Dominicæ crucis ſpectat, de quo vberius alibi. *Igitur* (myſticè) *poſt finem dierum ego oculos ad cœlum leuaui,* vti Ieſum ſuffixum aſpicerem, & ſanguine fluenti tantum facinus dilueretur.

40. *Dauid expectabat ſanguinis fluxum.* Pſal. 50. Dauid, *Amplius laua me ab iniquitate mea.* Pſal. 50. Annon lacrymis ſæpè diluiſti! Quid igitur vberius expetis lauacrum? Exiſtimo ſanguinis Dominici Regem requirere rigatum, quando allatam ex Ciſterna Bethlehemitica aquam non hauſit, ſed eam Domino libauit. Expetebat enim ſanguinem Ieſu iuxta D. Ambroſij expoſitionem, vt ſcilicet eius criminum maculæ abluerentur. *Amplius laua.* Proh fluentis Dominici ſanguinis opportunitas, quàm ad cuiuſuis criminis dilutionem accommodata es!

## Capvt II.

### *Serò pœnituit.*

41. Hieron. ALiter Diuus Hieronymus: *Nihil profuit Iuda ſera pœnitentia, per quam ſcelus corrigere non potuit, hoc eſt, quod in Pſalmo de eodem dicitur, Et oratio eius fiat in peccatum. Vt non ſolum emendare nequiuerit proditionis nefas; ſed ad prius etiam proprij homicidij crimen addiderit.* Illas adnota particulas, *Non potuit emendare, Nequiuerit.* An impoſſibilis pœnitentia, dum ſuperſtes peccator? Minimè planè. Quare igitur Hieronymus impoſſibile fuiſſe Iudæ veraciter pœnitere affirmat? Quia pœnitentia ſera ob difficultatem maximam quodammodo repugnare dicitur.

Profectò quodammodo non poteſt pœnitere, qui non poteſt delinquere. Magdalena 42. *Potens delinquere Magdalena pœnitere potuit.* Luc. 7. Cæſar. pœnitentiæ affectu *attulit alabaſtrum vnguenti, &c.* Luc. 7. Adnotat Euangeliſta alabaſtrum vnguenti attuliſſe, vt innuat non ex impoſſibilitate homines alliciendi pœnitentiam egiſſe, ſed tunc facinora deploraſſe, cum poterat faciei ornatui intendere; & hominum illaqueationi operam dare. Expreſſit id D. Cæſarius Arel. hom. 7 *Nec ipſa ſe reſeruauit, vt in fine vitæ ſuæ pœnitentiam ageret; ſed dum adhuc poterat peccare, ſic voluit peccata deſerere; vt illam de adulteriis ſuis non impoſſibilitas ſubtraheret; ſed voluntas.* Illud pende, *Impoſſibilitas traheret.* Peccandi enim impoſſibilitas non hominem allicit, ſed trahit. At cum pœnitentiæ opus omninò debeat eſſe voluntarium (abiecit enim Dominus ſacrificium Cain, quia coactus offerebat) quid minus à voluntate, quàm hominem ab impoſſibilitate delinquendi trahi? Magdalena igitur cum *adhuc poterat peccare*, agit pœnitentiam, ne in conſpectu impoſſibilitatis delinquẽdi, ex Hieronym. mente, non poſſet.

Duo Latrones iuxta Crucem Ieſu pariter 43. *Latro ſo.* ſuffiguntur, quorum altero in blaſphemias procliui, alter aſſequendæ ſaluti ex pœnitentiæ affectu, effectúque operam dabat. *Nos* (loquit) *iuſtè*, Cui quidem Ieſus: *Amen dico tibi, Hodie mecum eris in paradiſo.* Luc. 23. Verbum hoc adnota: *Eris.* Adhuc temporis innuit inducias. Luc. 23. Profectò Latro beatus ideò, quia non ex impoſſibilitate delinquendi pœnituit; nam dum ſocius in blaſphemias irruebat, poterat & ipſe blaſphemiis Chriſti furari honorem. Potens igitur delinquere, huiuſmodique metaphorico latrocinio ſtudere, prius exitiali latrocinandi mori nuncium remiſit, quàm æternum Regnum poſtulaſſet. Cùm igitur poterat delinquere pœnituit, impoſſibilitatem (verè difficultatem vocitabis) effugiens pœnitentiæ. Planus iam Hieronymi ſenſus.

## Capvt III.

### *Inepti Miniſtri.*

INfelix, qui ab improbis Sacerdotibus, 44. ſtultis medicis extorquere medelam acceſſiſti. *Quid* (inquiunt) *ad nos?* Quaſi non eſſent de proximi ſibi animo commiſſo rationem reddituri. Pulchrè id adnotauit D. Paſchaſ. *Quid ad nos? Quaſi ipſi nihil mali* Paſchaſ. *admiſerint, nec curant de reatu proximi.* An confeſſarius admiſit proximi reatum? Profectò ita ſe habere debet circa adhibenda proximo vulnerato medicamina, quaſi ipſe idem admiſerit malum, propriæque ægritudini conſulere deberet.

Miſerrimum Ieroſolymæ ſtatum hiſce ver- 45. *Culpa populi Sacerdotu crimen.* bis exprimit Ieremias: *Cui comparabo te? aut cui aſſimilabo te filia Ieruſalem? Magna eſt velut mare contritio tua. Quis medebitur tui?* Num Sacerdotes? *Prophetæ tui non aperiebant iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent.* Thren. 2. Aliter pro *iniquitatem tuam* ponitur *iniquitatem ſuam.* Vnde difficile redditur Thren. 2. teſtimoniũ. Quorſum enim Prophetę medicorũ

munus

mu:ıus obeuntes propriam ſuam iniquitatem peccatoribus euulgarent, vt prouocarent eos ad pœnitentiam? Profectò tam coniuncta eſt Sacerdotis medicantis, ac peccatoris ſanandi cauſa: vt tantumdem ſit, Prophetas peccatoris flagitia non aperire, ac propria crimina diſſimulare. Quia videlicet qui diſſimulat peccatorum ſcelera, non conſulens medicamini illorum, quaſi propria eriminum vulnera immedicata relinquis: *Nec dubium.* (ſcitè ait idem

Paſchaſ. Paſchaſ. lib. 2. in Thr.) *quod culpa Sacerdotum ruina ſit populi, qui iniquitatem ſuam populo, vt prouocent ad pœnitentiam, non annunciant.* Illud: *Quod culpa Sacerdotum ruina ſit populi,* ſic expone: populi ruina Sacerdotum culpa eſt. Cauſa etenim confeſſarij & pœnitentis in vnum cohæret.

46. *Heli medicus æternũ æger, quia filios non curauit.* 1. Reg. 3. Damian.

Hinc Deus minaciter inclamat: *Iuraui domui Heli, quod non expietur iniquitas domus eius victimis, & muneribus vſque in æternum.* 1. Reg. 3. Quare Deus tam inacceſſibilis Heli? D. Petrus Damian. lib. 1. Epiſt. 6. affirmat Deum in Heli inuehere, quia filios criminoſos non curauit, vnde ipſe ſine medicamine periit: *Victimis, & muneribus omnia crimina diluuntur,* (ſumit victimas & munera non ſecundum externas tantum ceremonias, ſed ſecundum internos animorum affectus fidei, charitatis, pœnitentiæ) *ſola autem falſa in Epiſcopis pietas veniam non meretur. Videat, qui eorum diiudicare mala diſſimulat; quam dura ſententia apud diſtrictum iudicem ſe obnoxium reddat.* Num igitur Sacerdotes inclamitent. *Quid ad vos?* Si cauſa pœnitentis adeò cum Sacerdotis cauſa copulatur, vt recedente ſine medicamine peccatore, Sacerdos remaneat ægrotus: Num perierit Heli? non huius loci.

## Capvt IV.

### *Sine præparatione confeſſio.*

47. *Iudas ſine prauio examine confitetur.*

CÆterum Iudas ante confeſſionem præparationem minimè præmiſit. *Pœnitentiâ ductus, retulit triginta argenteos, & ait Peccaui.* Præproperè huiuſcemodi confeſſio facta eſt. Confiteri cogitat, & mox ducitur ad confeſſionem ſine vllo conſcientiæ facto periculo, qui non vno, ſed pluribus ſceleribus implicabatur. Haud ſidem illius Principis fuerat contemplatus fantis: *Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ.* Iſai. 38. Annua

Iſai. 38. confeſſio diligentem præparationem requirit. Quid ſi multorum annorum ſint crimina promenda?

48. *Prauiũ Dauidica confeſſionis examen.* Pſal. 50.

Audite integram confeſſionem David: *Dele iniquitatem meam.* Me etenim adulterio maculaui: *Amplius laua me ab iniquitate mea.* Ita vt ablutio cogitationem deprauatam pertingat: *Peccatum meum contra me eſt ſemper.* Quia contra hoſtium conſpectum, vbi ingentius belli periculum, ſtatui feci illius fœminæ maritum, vt infallibiliter de medio tolleretur: *Tibi ſoli peccaui,* cui ob ſpecialiſſima beneficia deuinctus eram. En cogitationes, actus circunſtantias, quæ ſibi videbantur aggrauare delicta, profitetur. Vndenam tam accurata delictorum peruulgatio? *Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco.* Imò recognoſco, recogito, mête euol-



uo, ſæpè cogitatione percurro in morem pueri, qui quod memoriæ mandare vult, ſæpè ſæpius repetit. Egregiè D. Ambroſius: *Delicta* Ambroſ.
*ſæpe repetendo, meruit miſericordiam poſcit.* Quàm integra erit confeſſio, præmiſſa tali peccatorum repetitione, ne è memoria labantur!

50. *Sponſa Ieſu præparatio.* Deut. 21. Lyran.

Sponſo Hebræo fœmina ſic præparabatur alienigena: *Radat* (ait Deus) *cæſariem, & circuncidet vngues, & deponet veſtem, in qua capta eſt, ſedenſque in domo flebit patrem & matrem ſuam vno menſe.* Deut. 21. Vbi Lyranus: *Per hanc mulierem ſignificatur anima pulchra ratione imaginis captiua ratione criminis. Hanc amat Chriſtus, & vult ſponſam habere. Sed oportet, vt deponat veſtes, id eſt, vitia & peccata preterita, & radat cæſariem, & circuncidat vngues, id eſt peccatorum circũſtantias aggrauantes deponat.* Quonam igitur modo rem tam difficilem perficiet? *Sedenſque flebit vno menſe.* Non præproperè ad pedes accurret confeſſarij, moris neceſſariis vtetur, vt in amaritudine poſſit omnes annos recogitare captiuitatis.

51. *Recogitat Prodigus.* Luc. 15.

Prodigus ille non mox poſt reuerſionis propoſitum, itineri ſe accinxit, ſed ſedens recogitauit, ad memoriamque adduxit facinota. *Ibo ad Patrem meum, & dicam.* Luc. 15. Surgam, inquit, de perficienda confeſſione ſollicitus. Sedebat vtique, vt intellectu luſtraret lapſus, ſentiret ruinas, reſpiceret vndique miſerum conſcientiæ ſtatum. Huc refero D. Chryſolo- Chryſolog.
gum. ſer. 3. fantem: *Intellexit lapſum, ſenſit ruinam, iacere ſe turpis ruina reſpixit in lubrico, & ideò ait, Surgam.* Nec viæ ſe committit, donec penitus ſtatu miſeriæ examinato, ſuam dignoſcit ruinam.

52. *Prius te ob præparationem accuſa.*

Rectè Salomon: *Iuſtus prior accuſator eſt ſui.* Prouerb. 18. Ac ſi diceret, Prius ſe ſibi accuſat, recogitando ſicut Prodigus, poſtquam pœnitentia eum ad iuſtitiæ ſtatum adduxit. Huiuſmodi autem præmiſſa intra conſcientiam accuſatione, cognoſcit, quonam modo vincula peccatorum diſſoluere in confeſſarij conſpectu valebit. Confirmat pulchrè D. Ambroſ. in Ambr.
Pſal 35. *Iuſtus prior accuſator eſt ſui. Nouit, inquam, quemadmodum peccatorum ſuorum vincula diſſoluat. Vt confitendo,* (poſt præparationem huiuſcemodi) *ſuum alleuet omne delictum.* Quàm appoſitè: *Omne delictum,* Quia qui ad Confeſſarios ſine ſufficienti præuio examine accedunt, nullatenus poſſunt (moraliter loquendo) omnia delicta, imò nec omne delictum, hoc eſt, & ſubſtantiæ & circunſtantiarum ſeriem exprimere.

53. *Magdalena examen.* Luc. 7. Gregor.

Obiicis Magdalenam præproperè ad miſericordiæ fontem accurrentem: *Vt cognouit, quod Ieſus accubuit in domo Phariſæi.* Non igitur ſtuduit peccatorum meditationi. D. Gregor. ab huiuſmodi nota liberans peccatricem, ait: *Quia hæc Mulier turpitudinis ſuæ maculas aſpexit, lauanda ad fontem miſericordiæ cucurrit,* Iam apud meditationis ſpeculum omnes maculas, omnes næuos adſpexerat. Imò quia ſe ſe maculis tot fœdatam vidit, cucurrit ad fontem. Præterea: *Stans retrò, lacrymis cœpit &c.* Quare retrò adſtat? An non ſupra dorſum Ieſu peccatores exædificauère? *Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem ſuam.* Viſa ſibi Magdalena ad fontem cucurriſſe, nec ſatis præmiſiſſe meditationem criminum, apud dorſum Ieſu, vbi

omnium crimina ſcribuntur, veluti in ſpeculo lucidiſſimo adhuc turpitudinis ſuæ maculas aſpicere conatur, fonte miſericordiæ pia, & integra confeſſione abluendas.

54. *Et Petri.* Denique D. Petrus præfatæ præparationis, & examinis nobis præbuit exemplum. Triplici abnegationis illigatus funiculo, cum primum fuit Dominicis oculis aſpectatus, *continuò egreſſus foras fleuit.* Matth. 26. Quare illico non accurrit ad miſericordiæ fontem, ſed quaſi fugitans ab ipſo, deliteſcit? Alia alibi. At præſenti inſtituto accommodatiſſimam rationem ex Victore Antioch. exhibeo. *Petrus* (inquit) *Chriſti obtutu peccati ſui admonitus, non palam illud auſus eſt facere, quocirca egreſſus eſt foras.* Cur non auſus eſt peccatum confiteri? Num ob Iudæorum metum? Profectò qui armatam cohortem non timuit, quando percuſſit Malchum, qui gladios armatorum non exhorruit, minimè aut linguas, aut calamos Scribarum, vel Phariſæorum exhorreſceret. Non auſus tamen eſt peccatum palam facere, quia qui deliquerat ter negando, additis iuramento, & deteſtatione, præuia examinatione indigebat, priuſquam coram miſericordiæ fonte abluenda crimina detegeret.

Matth. 26. Victor.

---

## Caput V.

### *Confeſſio non integra.*

55. SOlummodo, ô Iuda, tradendo ſanguinem iuſtum, deliquiſti? En defectus præparationis inconueniens. Plerumque confeſſio integra non eſt. Id quod D. Ambroſ. obſeruauit adnotans Iudam alia flagitia ſilentio præteriiſſe. Debuerat etenim inclamare, Peccaui tradens corpus, & ſanguinem iuſtum. Qui namque manducat, & bibit indignè, *reus eſt corporis, ac ſanguinis Domini.* Loculos item habens, & faciens latrocinia delinquit. Si confeſſio non integra, quonam modo pœnitentia ſalutaris.

56. *Adami integra, Caini non integra confeſſio.* Adæ Deus, *Maledicta terra in opere tuo.* Geneſ. 3. Caino autem, *Maledictus tu ſuper terram.* Geneſ. 4. Cur terra ex opere Adami maledicitur, Cain autem ipſe maledictione percutitur? Quia Adam confeſſus, non autem Cain. Porro & Cain aperuit delictum. *Maior eſt iniquitas mea, quam vt veniam merear.* Confeſſus quidem eſt, ſed non integrè ſicut Protoplaſtus. Ille etenim peccatum aperuit, nec circunſtantias obuelabit. *Mulier, quam dediſti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi.* Ipſa tulit, non ego ex arbore abripui. (Nec enim te reum debes exhibere eorum, quæ non commiſiſti.) Cain autem confuſè profitetur, *Maior eſt iniquitas mea,* cum vtique deberet ſingula propalare delicta: Odio exarſi, inuidiâ flagraui, fratricidio dedi operam, in hæreſim incidi, Dei ſcilicet abnegans immenſitatem, & ſcientiam; deſperationis laqueo meme addixi. Adam igitur omnia aperiens, confitetur: Cain autem plura diſſimulans abſolutè negat, quia non integra confeſſio prorſus abnegatio eſt. D. Athanſ. quæſt. 72. ad hæc. *Eò quòd Cain negauit, & à Deo abſcondit peccatum ſuum, maiorem in ſe pœnam deriuauit. Adam verò, quia confeſſus eſt malum illud, à ſe ſupplicium depulit.*

Gen. 3. Gen. 4. Athanaſ.

Abſcondiſſe aptè dicitur Cain crimina; quia non integra confeſſio abſolutè abnegatio eſt.

Audite Dauidem: *Reuela Domino viam tuam.* Pſal. 36. Vbi Ambroſius: *Quis reuelat* (inquit) *Domino viam ſuam, niſi qui Deo occultorum ſuorum arbitro interna ſui pectoris confitetur?* Aſſumitur viæ metaphora ab illo, qui poſt longum iter, omnes poſtea amico narrat euentus. Illuſtro ex D. Baſilio ad Pſalm. 1. *Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit;* aſſerit plures eſſe huiuſce viæ lapſus; nam & cogitatione deuiatur, & opere corruimus, & perſeuerantiâ in crimine computreſcimus. Omnem igitur viam reuela, omnes caſus aperi, circunſtantias omnes proferre cura. 57. *Omnes viæ ſucceſſus narranda.* Pſalm 36. Ambroſ. Baſil.

Lazarum Ieſus à tumulo prauæ conſcientiæ abſtracturus ait: *Lazare, veni foras.* At ille *continuò prodiit ligatus manus & pedes inſtitis, & facies eius ſudario erat circumligata.* Ioan. 11. Vbi Confeſſionis integræ nobis norma præſcribitur. D. Gregor. *Mortuus venit foras, cum peccator nequitias ſuas ſponte confitetur. Lazaro dicitur, Veni foras: ac ſi apertè cuilibet mortuo in culpa diceretur; Cur reatum tuum intra conſcientiam abſcondis? Foras per confeſſionem egredere; quia apud te interius per negationem lates.* Illa adnoto verba: *Cur reatum tuum intra conſcientiam abſcondis?* & requiro, Quare proſilit Lazarus illigatus? An non oportet ſaltem pedes ſolutos incedere? Profectò omnem reatum, omne vinculum propalet oportet, ab omni vinculo Apoſtolicis manibus abſoluendus. *Soluite* (inquit Ieſus) *eum, & ſinite abire.* Quomodo ſoluetur, ſi reatum, ſi vinculum non manifeſtat? quomodo niſi poſt ſolutionem ambulabit? Quid proderit illum manuum vincula ſeu vindictæ & auaritiæ crimina oſtendere, aut pedum catenas ſeu luxuriæ delicta manifeſtare, ſi capitis ſiue ſuperbiæ illigamenta abſcondat. 58. *Omnem Lazarus reatû diſſoluendum manifeſtauit.* Ioan. 11.

Mortalia igitur omnia crimina detegenda ſunt in confeſſione, ad eiuſdem integritatem. Mortalia dixi. Non enim neceſſariò venialia peccata proferre debemus cum adeſt mortalis criminis materia, nec deficiente hac, opus ſingula in particulari venialia recenſere. Egregiam huiuſce veritatis confirmationem do ex Canticis: *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos quomodo inquinabo illos?* Cant. 5. Vbi D. Nyſſen. & alij tunica affirmant lethalia crimina deſignari, tunicâ Adami memorantes. At pulueribus pedum peccata venialia exprimi probat pedum Apoſtolicorum ablutio. *Qui lotus eſt non indiget, niſi vt pedes lauet.* Iam clamat ſponſa, *Expoliaui me tunicâ, &c.* Quare lethalia crimina in tunica exprimuntur, venialia autem in puluere à pedibus contracto? Num quia tunica tota ſimul deponitur, non per partes: at pulueres ſeparatim incedunt, plures aquâ immerguntur, plures remanent? Non inficior. Peccata lethalia tunica tibi ſint ſimul vnica conſcientiæ denudatione deponenda. Peccata venialia non ſic ex neceſſitate. Si remanent plura, inclamare adhuc vacat *Amplius laua me.* 59. *Mortalia omnia neceſſario manifeſtanda, venialia non ſic.* Cant. 5. Nyſſen. Tres Pat.

SECTIO

SECTIO SECVNDA.

# ILLVSIO HERODIS.

## EX CAP. XXIII. LVCÆ.

## TEXTVS.

*Verſ.* 11. Spreuit autem illum Herodes cum exercitu ſuo, & illuſit indutum veſte albâ & remiſit ad Pilatum.

## COMMENTARIVS LITERALIS.

### §. I.

### *Ieſus Herodis ſiſtitur tribunali.*

1. *Ieſus apud Herodem.*

VIDEBAT Pilatus rem omnem geri aduerſus Ieſum à coniuratis Primoribus, & quibuſdam de populo horum malitiæ ſubſeruientibus; ſtudet ideò & reum & accuſatores ad alterius cognitionem reiicere; vt ſi non poſſit Ieſum liberare, ipſe ſaltem à cauſa liberaretur. Arripuit anſam ex vna vocula *Galilææ* (ab accuſatoribus incidenter vſurpata) cuius Tetrarcha erat Herodes. Requiſiuit, num Ieſus eſſet Galilæus? Affirmatiuè autem hoſtibus reſpondentibus, vt intellexit Præſes cognitionem de reo pertinere ad Herodem, eum ad Tetrarcham reiecit hiſce diebus Ieroſolymæ commorantem.

2. *Quid Herodes?*

Porrò Herodes vbi vidit adduci Ieſum, grauiſus eſt eo ſpectaculo. Iam enim ex multo tempore quadam accendebatur cupiditate videndi Ieſum, de quo tam multa audierat. Iamque ſpectabat fore, vt, ſe quoque ſpectante, miraculum ederet. Interrogabat Chriſtum variis de rebus, volens aliquid ab illo prolicere, non vt melior redderetur, ſed vt ſuæ curioſitati morem gereret. Ieſus autem, qui in hoc venerat, vt impij Principis ſeruiret libidini, ſed vt ſalutem omnium procuraret, nihil illi reſpondit: nos interim edocens, non promendum ſermonem aliquando Euangelicum, vbi conſtat indignos eſſe, qui audiant. Vrgent interim Pontifices & ſcribæ, & acriter accuſant eum apud Herodem, miſerè metuentes, ne quà reus elaberetur. Herodes autem tametſi Rex eſſet impius, tamen nihil commotus eſt eorum criminationibus, nimirum intelligens ab inuidia proficiſci, quidquid agebatur.

3. *Cur ſiluit Ieſus?* Ambroſ. Carthuſ.

Cur ſilet Verbum in Herodis conſpectu? Reſpondet D. Ambr. *Neque merebatur Herodes audire diuina, & Dominus iactantiam declinabat.* Carthuſ. autem: *Noluit reſpondere, vt exemplum nobis præberet fugiendi oſtentationem coram magnatibus.* Exiſtimo etiam ideò non reſpondiſſe, quia apud mundiales illos auditus audiendi non erat, vnde abſtinuit à verbo, iuxta illud: *Vbi non eſt auditus, non effundas ſermonem.*

Quare autem miracula non patrauit? D. Greg. *Quia vidit Herodem non quærere profectum, ſed ſigna, vel ſcientiam velle mirari.* Conteſtantur Euthym. Theophyl. Caiet. autem: *Ex parte* (inquit) *Herodis in promptu eſt meritum, quia curioſè mouetur; ex parte autem Chriſti ratio fuit, ne impediret paſſionem;* Elige quam malueris rationem. Ego D. hæreo Gregorio. 4. *Quare miraculum excitare noluit,* Gregor.

### §. II.

### *Illuditur Ieſus.*

SPreuit autem illum Herodes cum exercitu ſuo.] Quorſum Ieroſolymis Paſchali tempore exercitum fouebat Herodes? Quia Ieroſolymam grauis alicuius occaſionis gratia adueniens, ex Galilæa attulit exercitum in ſui cuſtodiam. Pilatum etenim Iudææ Præſidem habebat hoſtem. Sic Doctores. Ego arbitror exercitum hîc innuere non copias collectas ad bellum, ſed Regis ſatellitium. 5. *Quare exercitum Herodes duxerat?*

*Spreuit illum Herodes, &c.* Ignominiam tulit Dominus à craſſo Rege, & illius armato ſatellitio, ne non haberent ſimiles labra lactucas. Siquidem apud hoc hominum genus citius gloriam refert funambulus quidam, aut præſtigiator, quàm ſincerus veritatis euulgator Euangelicæ. Sed tamen interea Herodis ciuilitas damnabat Pontificum, & Phariſæorum impietatem, & reum abſoluebat, quem accuſatum obmureſcentem ad obiecta crimina non damnarit. Quare ſpernitur? Reſpondet Caietanus; *Putauit eſſe hominem loquacem coram vulgo, & indoctas turbas illum ſequi; propterea ſpreuit illum.* Placet. 6. *Spernitur ab Herode.* Caiet.

*Et illuſit indutum veſte alba, & remiſit ad Pilatum.* An veſtem albam Chriſtus ad domum vſque Pilati duxerit? Affirmatiuè plures reſpondent Doctores. Ego autem cum eis ſentio, qui affirmant Ieſum veſte alba indutum illu- 7. *Num veſte indutus alba remiſſus Dominus?*

ſum fuiſſe ab Herode, eiuſque ſatellitio; mox autem illâ exutum, rurſum repetiiſſe Pilati tribunal. Sic Caietanus, & alij. Quod quidem plus conſonat Euangeliſtæ: *Et illuſit indutum veſte alba, & remiſit ad Pilatum.* Non ait veſte alba indutum remiſſum ad Præſidem, ſed illuſum ab Herode, poſt illuſionemque ad Pilatum remiſſum.

8. *Cur alba veſte induitur.* Quorſum autem albo indumento amictus illuditur Ieſus? Vt reſpondeam, præmitto veſtem albam, & ſplendentem diuitum ac nobilium extitiſſe indumentum iuxta illud Iacobi: *Si introierit in conuentum veſtrum vir in veſte candida.* Cap. 2. Apud Romanos item qui adibat magiſtratum, candidâ togâ induebatur, à qua candidatorum nomine huiuſcemodi viri inſigniebantur. Induit igitur Rex Ieſum albâ veſte, vt dignitatem Regiam, quam ſibi tribuiſſe hoſtes obijciebant, irrideret. Haud aliter in domo præſidis eandem Regiam Chriſti dignitatem veſte coccineâ milites irriſerunt. Ex eo die coiit amicitia inter Herodem & Pilatum, cùm antea fuerit ſimultas. Impia verò pax eſt, quam conglutinat iniuria veritatis. D. Ambroſ. hanc duorum Principum amicitiam typum aſſeruit vnionis populi Iudaici, & Gentilis circa mundi terminationem.

# IN IESVM PATIENTEM APVD PILATVM.

## Panegyricus ſecundus Moralis circa Literam.

### EX HERODIS ILLVSIONE.

### OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

*Amici facti ſunt, &c.*

Pilatus & Herodes in conſpectu Dominicæ Paſſionis in amicitiam copulantur.

*Paſſio enim Ieſu conglutinat auerſos.*

9. IMò in præſenti, eodem auctore, vinculum eſt Paſſio Dominica quæuis auerſa corda faciens cohærere. Paulus, *Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum.* Epheſ. 2. D. Hieronym. hic interpretatur, *pax*, id eſt, *pacem faciens*. Vnde Coloſſ. 1. *Pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cælis ſunt.* Id exponens ſubdit Apoſtolus, *Qui fecit vtraque vnum.* Id eſt, (Hieronymo interprete) *vtrumque populum Iudaicum & Gentilicum conciliauit.*

Eph. 2. Hieron.

10. *Poſt paſſionem fideles non diuidatur.* Olim quidem aquæ ab aquis diuidebantur. *Diuiſit aquas ab aquis.* Gen. 1. Homo ab homine diſſidebat. Iam ex patientis Domini ſacramento profluit *ſanguis & aqua.* Ioan. 19. Quare? Vt aqua hominum vnum fiat cum ſanguine Saluatoris. D. Auguſt. Adami dormientis typum in morient Domino contemplatus eſt. *Ego* (ait Ieſus) *dormiui, & ſomnum cepi. Ipſe quo dormiente in cruce fit illi Eccleſia de ſacramento ſanguinis, qui de latere mortui profluxit, & ex eius coſta ædificauit mulierem.* Si fideles ex Paſſione Dominica ſanguis, ſponſa Ieſu, haud poſſumus inſtar aquarum fugere in diuiſionem; ſanguis enim Chriſti non diuiditur, Sponſa Ieſu vnica planè. *Vna eſt columba mea.* Exædificatio Domini diuiſionem non admittit poſtquam *fecit vtraque vnum.*

Ioan. 19. Auguſt.

Miror profectò à prodigo fratre filium frugi diſſidere, poſtquam vitulus ſaginatus eſt occiſus. Luc. 15. Nunquam enim non ſoluuntur inimicitiæ in Ieſu cōſpectu patientis. *Tulit* olim Abraham *vitulum tenerrimum.* Geneſ. 18. Vbi Origenes: *Vitulus non eſt durus, ſed tener. Et quid tam tenerum, quam ille, qui animam ſuam poſuit pro amicis?* Hic eſt vitulus ſaginatus, quem pro recepto filio iugulat *Pater.* Illud adnota: *Poſuit pro amicis.* Potius dicere deberet, *Pro inimicis.* Optimè pro amicis. Nullus enim adeo à Ieſu & proximo auerſus, qui in conſpectu morientis, ſeu patientis Ieſu, non trahatur ad amicitiam. 11. *Poſt Ieſum vitulum occiſum omnes amici.* Luc. 15. Gen. 18. Orig.

Quærit à Domino Propheta, *Quare rubrum eſt veſtimentum tuum?* Video fideles omnes tuo ſanguine rubricatos. Reſpondet Ieſus, *Torcular calcaui.* Iſa. 63. Crucem aſcendi. Ideo homines facti ſunt mihi in veſtimentum inconſutile planè. Effectus enim Dominicæ Paſſionis, diſſidentes ad vnum venire veſtimentum. Pulchrè D. Bernardus in Apoc. *Quare Domine Ieſu, rubrum eſt veſtimentum tuum? Torcular calcaui. Factus ſum obediens vſque ad torcular crucis. Iam ergo exalta eum Deus, & donet dona hominibus. Quæ dona? Ipſam ſuam tunicā polymitam,* 12. *Præmium Ieſu patientis, fideles amicitia coniungi.* Iſai. 63. Bernard.

*tam, & inconſutilem. Polymitam quidem, ob multorum ordinum diſtinctionem; inconſutilem, propter indiſſolubilis charitatis vnitatem.* Concludit: *Sit etiam & talis vſque ad finem creatura.* Si præmium Dominicæ Paſſionis, te huiuſmodi vnitate donare, quonam modo in profluentis ſanguinis conſpectu ditis inimicitiis exardeſcens, inconſutilem tunicam diſcerpiſti?

## OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

### *Illuſit indutum veſte alba.*

### In ſplendenti, & pretioſa veſte illuditur Ieſus.

*Contra pretioſum profanum Sacerdotum indumentum.*

13. VT Rex Ieſum illuderet, eum veſte pretioſâ, diuitum indumento, indui fecit. Annon Sacerdos Chriſti agit perſonam? Quis dubitet? Cum autem Sacerdos mollibus vtitur veſtibus, Ieſum pretioſis veſtimentis indutum ſpernit, & illudit. Quid Herodes? Ieſum induit pretioſâ veſte, ac ſimul eiuſdem vilium veſtimentorum illudit abiectionem, & (vt vulgariter exponam:) *Hacia burla del mal veſtido.* Non aliter Sacerdotes ſe pretioſis indumentis ornantes, Ieſum afficiunt illuſione.

14. *Ieſum ſpernit aulico Sacerdos vtens indumento. Iſai. 1.* Ore Prophetæ Dominus conquerebatur: *Filios enutriui, & exaltaui, ipſi vero ſpreuerunt me.* Iſai. 1. Vbi Lyran. *Filios enutriui, id eſt, Clericos, ipſi namque præ cæteris Catholicis, pane ſacræ Scripturæ, & Euchariſtiæ ſacramento ſunt enutriti.* Vndenam autem Dominum ſpreuerunt. Num quia ad idololatriam voluptatum diffugêre? Hoc, pluraque Patres adnotant. At pulchrè D. Bernard. ſerm. 33. in Cant. affirmat Sacerdotes Ieſum ſpreuiſſe ex Regio apparatu. *Bernard.* *Hiſtrionicus* clericis *habitus*, *Regius apparatus.* Poſtmodum poſt paruum interſtitium adiicit: *Vox plangentis in tempore iſto: Filios enutriui; ipſi autem ſpreuerunt me.*

15. *Ieſu ac Baptiſtæ exemplum. Cant. 2. Matth. 6.* Vt magnus Sacerdos Ieſus ſuorum veſtimentorum modeſtiam commendaret, proclamat, *Ego flos campi, & lilium conuallium,* Cant. 2. Hoc vtique lilia, quia de indumentorum apparatu minimè curant. *Conſiderate* (ait Dominus) *lilia agri, quomodo non laborant, neque nent, &c.* Matth. 6. Vnde Sacerdotes eodem ornari indumento iam inde à priſtina lege curantur. Virgâ florenti, ſiue in lilia conuerſâ Sacerdotium nouæ legis innuitur, cui quidem nulla debet adeſſe cura de indumentis, quæ natiuæ modicitatis terminos tranſiliat. His poſitis, veniamus ad Ieſum de Ioannis laudibus effuſum: *Quid exiſtis in deſertum videre? Hominem mollibus veſtitum?* Ac ſi diceret, *Lilia agri non laborant, neque nent*, non de pretioſis ac mollibus curant indumentis. *Qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt.* Luc. 1. Ioannes conſobrinus meus & amicus meus alter ego. Num putatis me poſſe à Ioanne ſperni, & illudi? Minimè illudet me in deſerto in morem lilij commorantis; nam qui illudunt, & ſpernunt me in domibus Regum ſunt, me delicatis veſtibus induentes. Egregiam dabo D. Laurentij Iuſtiniani de Chr. ago. cap. 13. confirmationem. *Luc. 1.* *Laurent. Iuſtin.* *In veſte* (inquit) *toties illuditur Chriſtus, quoties qui præſunt in Eccleſia pretioſarum veſtium nitent apparatu. Nempè Domino teſte, Qui mollibus veſtiuntur in domo Regum ſunt. Vbi mutato habitu, illuſus eſt Chriſtus? Nonne in domo Regis Herodis?* Non itaque Ioannes me candidum lilium agri in deſerto veſtitus, mollibus indumentis illudit: quia qui illudunt veſtibus pretioſis ornati in Regum domibus commorantur.

16. *Sacerdotium illudunt mollibus veſtiti. Rom. 11. Bern.* Paulus ad hæc: *Miniſterium meum honorificabo.* Rom. 11. Quonam modo honorificabis miniſterium tuum? Sacerdotium tuum? prædicationem tuam? Num meretricio nitore? habitu hiſtrionico? apparatu mundiali? D. Bernard. Epiſt. 42. *Honorificabitis miniſterium, non dominium. Ipſum honorificabitis, non vos. Honorificabitis autem non cultu veſtium.* Chriſtus enim cuius miniſtri ſumus, non honoratur pretioſis veſtibus, ſed ſpernitur, ſed illuditur.

17. *Deus ſpernet ſic ſe ſpernentes. Pſal. 52. Bernard.* *Deus* (inquit Dauid) *ſpreuit eos.* Pſalm. 52. Profectò ſpretus Dominus ab huiuſmodi Clericis eos ſpernet aliquando. Poſtquam D. Bernard. cit. profanum Sacerdotum cultum deplorauit, in has minas prorupit. *Non Chriſti ſtigmata ſunt hæc, Verum Sacerdos Dei altiſſimi, cui ex his indumentis placere geſtis, mundo, an Deo? Si mundo cur Sacerdos? Si Deo, cur qualis populus, talis & Sacerdos? Qui autem vult amicus eſſe huius mundi, inimicus Dei conſtituitur. Et Propheta: Deus diſſipabit oſſa eorum qui hominibus placent, confuſi ſunt, quoniam Deus ſpreuit eos.* Pſal. 52.

## OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

### *Spreuit eum Herodes.*

### Herodes illudens Ieſum, rectè ſui nominis, quod *Syluester* ſonat, impleuit ſignificationem.

*Plerumque enim aliorum irriſores ſtulti.*

VENERABILIS Beda idem eſſe ait *Herodes* vocabulum ac *de pellibus glorians.* Quaſi pelles omnis ſint Herodis ornatus indumentum, ſupellex. Quid non Syluestre inſonat huiuſcemodi conditio? Profectò, cum video Ieſum ad Herodis conſpectum adduci, à Regeque iniquo deſpici, & illudi, cognoſco, quàm impleat Herodes ſui nominis vocabulum. Agreſtium enim 18. *Beda.*

Syluestrium, & ſtultorum hominum eſt, alios ſpernere, & illudere.

19. *Herodes illuſor ad vmbraculum in Iarim, qui Syluester.* Cyril. Illuſionem huiuſcemodi apud Herodis aulam præuidens Oſeas ait: *Et ipſe in Aſſur delatus eſt munus Regi vltori.* Cap. 6. Septuag. in Bibliis Sixtianis tranſtulerunt. *Et ipſum in Aſſyrios ligantes tulerunt muneri Regi Iarim.* Vbi D. Cyril. Ieroſol. Ieſum in conſpectu Regis Herodis contemplatur. *Herodes autem* (ait) *tunc Rex erat, & adorabat Ieroſolymis.* Tertul. expreſſiùs: *Herodis velut munus à Pilato miſſus, Oſeæ vocibus fidem reddit. De Chriſto enim prophetauerat, Et vinctum eum ducent xenium Regi.* Cyprian. Enimvero Cyprianus exp. ſymb. exponens vocabulum *Iarim*, ait, *Bene addit nomen Iarim, quod eſt Syluester. Quia Herodes erat Syluester.* Vndenam *Syluester* Herodes? Num quia de vinea Iſraëlitica non erat? Ita planè. Sed aptius argumento ideò reor appellatum Syluestrem, quia Dominum ſpreuit, & illuſit. Nihil enim tam ruſticum, quàm contemnere proximum, & in eius conſpectu ſubridere.

20. *Nabal ſtultorum irridentium typus.* Confirmo ex Nabal; quod quidem nomen idem eſſe ac *Fatuus* ipſa vxor Abigail profeſſa eſt. *Nomen viri erat Nabal. Porrò vir durus, & malitioſus.* Si Nabal ſtultus, quidni & malitioſus, & durus, ſiue agreſtis, ſyluester? Hic itaque pueris Dauid efflagitantibus cibaria reſpondit: *Quis eſt Dauid, & quis eſt filius Iſai? Tollam ego panes meos, & dabo viris, quos neſcio vnde ſint?* 1. Reg. 25. Caiet. 1. Reg. 25. Vbi acutè Caietanus illud verbum: *Neſcio*, expendens, *Relatiuè ad ipſum Nabal intellige inſcitiam.* Quàm appoſitè Abigail *Secundum nomen ſuum ſtultus eſt, & ſtultitia eſt in eo.* Ibid.

21. *Irriſores ſpinæ ex ſylua.* Pſal. 117. Caſſio. Hugo. Dauid huiuſcemodi irriſionem apud Herodis aulam præuidens, ex ore Dominico inclamauit: *Circundederunt me ſicut apes, & exarſerunt ſicut ignis in ſpinis, & in nomine Domini, quia vltus ſum in eos.* Pſal. 117. Caſſiod. Chriſtus à ſæuientibus Iudæis circundatus fauus. Hugo Card. *Et ſicut ignis in ſpinis crepitum facit, & ſtrepitum, ſic Iudæi contra Chriſtum*, dum ſcilicet illuditur, & contemnitur apud aulicos. Illud vnum velim obſerues. Iudæos cachinnos in Ieſum illuſionis cauſa malitioſo ſtrepitu iactitantes ſpinis comparari. Syluestre mihi inſonat quidquid ad innocentiæ deriſionem dirigitur. Prou. 21. Vnde Salomon, *Fatuus in riſu exaltat vocem ſuam.* Prouer. 21. Cum videlicet, vt ſpernat, vt illudat innocentem, vti ſpinæ, crepitat inter flammas.

## OBSERVATIO IV.

Ad illa verba:

*Veſte alba indutum.*

### In candido veſtimento Ieſus Euangelicæ Virginitatis martyrium præſignauit.

*Quando enim Virginitas non martyr occubuit?*

Beda, *Qui in veſte alba ſpretus, & illuſus eſt, in caſta carne eſt paſſus.* Ac ſi diceret, Cum videris ſperni, & illudi Ieſum in alba veſte, tantundem vobis ſit, ac ſi virginitatem Ieſu hoſtes vulnerarent. De martyrio virginitatis plura congero Tom. 4. circa D. Ioannis Euangeliſtæ martyrium. In præſenti aliter perſequor argumentum, dum pondeso virginitatis candorem ex murmuratorum, ſpernentium, ac illudentium vulneribus purpurari. O quoties vir caſtus ſpernitur, virgo abſcondita illuditur, vidua continens maledicis ſermonibus carpitur, vxorata pudica afficitur opprobriis! En lilia roſarum perfuſa decore. 22. Beda.

Vidiſti apud Herodem Ieſum ſpretum, & illuſum ſub albo veſtimento? Cum illis qui affirmant huiuſmodi indumento amictum remiſſum fuiſſe rurſum ad Pilatum nunc ſentias, & ſuppone veriſimiliter à militibus Præſidis veſte coccinea ſuperindutum, vt gemino opprobrio ſimul afficeretur. Quàm pulchrè candida puritatis Euangelicæ veſtis purpuratur! Vbi illuſio, & irriſio vulnerant virginem, iam duplicis martyrij palma refulget. Duplex enim martyrium eſt, & virginitatem colere, & ab hominibus ſperni, & irrideri. Beda venerabilis: *Qui bis alba purpurea veſte indutus illuditur. Geminum martyrij genus exprimit.* Gemina, ô Virgines, condecoramini corona, & quia virginitatem colitis, & quia hominum impudicorum ludibria toleratis, qui quidem nunquam non perſequuntur puritatis amatores. 23. *Super alba Ieſu veſte purpura aſſuitur in martyrij virginitatis documentum.* Beda.

Inclamitabat olim Sponſa, *Candidus & rubicundus dilectus meus.* Cant. 5. *Candidus* (loquor cum eodem Beda) *ſcilicet actione, rubicundus ſanguine. Et ipſe variis membrorum ſuorum floſculis vernans, in pace lilia gignit, in bello roſas.* Iam equidem non in bello ſolum, ſed & in pace roſas producit. Bellum enim murmuratorum, ſtultorum amantium & in pace vulnerat, & in pace palæſtram effingit. 24. *In pace Ieſus gignit roſas martyrij.* Cant. 5. Beda.

D. Auguſt. ad illa verba: *Conſurrexit Cain aduerſus fratrem ſuum.* Gen. 4. affirmat proſapiam generis in ſeculo non reliquiſſe, quia virgo: at virginum extitiſſe parentem: *Ac qui primus geſtauit Saluatoris imaginem, qui virgo & Martyr fuit*, ipſe martyr & virgo filiorum parens extitit, qui virginitatis candore rutilarēt, & martyrij ſanguine rubeſcerent. Vnde Hugo Cardinalis aſſerit, in ſanguine Abel filios inclamare vindictam. An omnes Abelis filij occiſi fuêre, & ideò inclamant vindictam in ſanguinis effuſores? Profectò omnis virgo de effuſo ſanguine conqueritur: Nam vel à tentationibus vulneratur, aut irriſorum linguis percutitur. 25. *Omnis Virgo martyrij ſanguine purpuratur.* Auguſt. Gen. 4. Hugo.

## OBSERVATIO V.

Ad illa verba:

*Et facti ſunt amici Herodes, & Pilatus.*

Cœ-

## Coit amicitia inter Herodem, & Pilatum, vt vnanimes Ieſum perſequerentur.

*Diſcordes enim frequenter peccatores ad detractionem iuſtorum vnanimes.*

26. Beda. CVtus equidem amicitiæ nos experimur effectus. Non enim in vnum copulantur, vt ſe inuicem diligant; ſed vt acrius fideles perſequantur. Audite Bedam, ad cap. 23. Lucæ. *Hoc nefandiſſimum Herodis & Pilati fœdus, quod in occidendo Chriſto pepigerunt, hactenus eorum velut hereditario iure, ſucceſſores cuſtodiunt, quando Gentiles, & Iudæi, ſicut genere & religione, ita etiam mente diſſidentes, in Chriſtianis tamen perſequendis conſentiunt.*

27. *In vno Cain omnes diſcordes copulati in iuſtorum perniciem. Gen. 4. Rupert.* *Fuit Abel paſtor ouium, & Cain agricola.* Ad quem locum ſic Rupert. *Omnes fures, & latrones hunc paſtorem ouium Ieſum occiderunt. Omnes cum illo Cain vnum corpus fecerunt: alia fuere membra,* & diuerſa admodum; (de humani corporis membrorum more) *ſed vnum corpus ex eis, & ex omnibus quicumque innocentiam perſequuntur.* Num pes palpat, aut manus ambulat, aut auris videt? Omnia igitur perſecutorum tanta diſcordia, diſſidentia ad iuſtum vulnerandum vnum cum Cain corpus efformant.

28. *Bellantes inuicem iuſtum debellant. Gen. 49.* Quàm verè Iacob! *Simeon & Leui vaſa iniquitatis bellantia.* Sententiis enim, opinionibus, voluntate perpetuò diſcrepant. Adiicit, *In conſilium eorum non veniat anima mea.* Geneſ. 49. Si nunquam eorum idem ſenſus, nunquam eadem voluntas, quare ô bone Ieſu, eorum conſilium perhorreſcis? Quia vna vel inter diſſidentes improbos animorum intentio, *vt ſagittent immaculatum.* De conſpirantibus in Ieſum D. Ambroſius expendit teſtimonium. Ambroſ.

Quid magis homini inuiſum quam diabolus? At vt noceant homo, & diabolus in vnum coaleſcunt. Diabolus & Eua pariter in Adamū irruêre. Satan & vxor Iob ad affligendum ſpiritum robuſtiſſimum ſunt confœderati. Quare Dominus iam inde ab exordio, *Inimicitias ponam inter te & mulierem.* Gen. 3. Quid opus huiuſcemodi inimicitiarum ſtimulos adhiberi, ſi mulieri genus horribile ſerpens, poſtquam eius inſidiis miſerè corruit? Profectò licet femina & ſerpens nunquam amoris vinculo colligabuntur inter ſe; at vt poſſint acrius innocentem pe-rimere, inibunt ſocietatem, inter eos coibit amicitia. Oleaſter, *Vt diſcas, non eſſe minoris virtutis malos amicos, ſeu illorum amicitiam diſſoluere, quàm bonam fouere.* Nec enim idem eſt, quendam cum alio amicitiam fouere, ac eius exiſtere amicum. Huiuſmodi enim peccatores amici cum minimè ſint, in amicitiam aduerſus innocentem agglutinantur. — 29. *Dei beneficio diaboli, & mulieris diſſidentium amicitia diſſiuuntur. Geneſ. 3.* — Oleaſter.

Aduerſus denique murmuratores, qui cum minimè voluntate conſentiant, in foro aggregati famam proximi vno auſu, vno ſermone vulnerant, D. Bernardus inſurgens fatur: *Ineunt familiaritatem, ad maledicendum, concordes ad diſcordiam. Conciliant inter ſe inimiciſſimas inimicitias, & pari conſentanea malignitatis affectu celebratur odioſa collatio. Haud ſecus egêre quondam Herodes, & Pilatus, de quibus narrat Euangelium, quia facti ſunt amici in illa die, hoc eſt, in die Dominica Paſſionis.* Hactenus ille. — 30. *Contrà murmuratores ad diſſidium vnitos.* Bernard.

## SECTIO TERTIA.

# BARABBÆ DIMISSIO:

## EX CAP. XVIII. IOAN.

### TEXTVS.

*Verſ.* 39. Eſt conſuetudo vobis, vt vnum dimittam vobis in Paſcha. Vultis ergo dimittam vobis Regem Iudæorum?

*Verſ.* 40. Clamauerunt rurſum omnes dicentes: Non hunc, ſed Barabbam. Erat autem Barabbas latro.

### COMMENTARIVS LITERALIS.

§ I.

*Pilati propoſitio.*

1. *Pilati inuent.* CVm Præſes in Iudæorum conſpectu circa Ieſu liberationem nihil verbis proficeret, aliam requirit anſam liberandi Ieſum. Mos apud Iudæos, vt in die feſto Præſes dimitteret eis vnū aliquem ex iis, qui in vinculis ſeruabantur. Conſtringebant autem tum temporis vincula inſignem quendam ac famoſum latronem cui

nomen

uomen Barabbas, quod quidem nomen inuiſum populo dignoſcebat. Conuocatis igitur ad ſe Iudæis, rogabat, vtrum vellent ſibi Barrabbam condonari, an Ieſum? ſperans fore, vt præ tam infami populi perturbatore, mallent Ieſum libertate donari.

2. *Vndenam orta vincti liberatio?* Paſchaſ.

Vndenam, ais, apud Iudæos à Romano Præſide vinctum vnum Paſchali tempore è vinculis abſoluebatur? Lucas, *Neceſſe habebat dimittere eis, &c.* Cogebatur Pilatus conſuetudine dimittere vnum, non pro libito; ſed quemcunque Iudæi poſtulaſſent. Huiuſce autem conſuetudinis ratio illa erat, quia eodem Paſchali tempore populus olim Hebræus ex Ægypria fuerat captiuitate dimiſſus. Quia igitur *nouiter Iudæi* (loquor cum Paſchaſ.) *iugum Romanorum ſuſceperant, ſeruabatur eis lex & conſuetudo, vt beneficiis prouocati libentius Romanis deſeruirent, donec firmaretur iugum eorum ſuper eos.*

## §. II.

### *Iudæos Romani arctius beneficiis ſeruituti illigabant.*

### Nam beneficia ſeruos efficiunt.

3. Paſchaſ.

Piaculum ducerem, ſi non liceret incidenter appoſitam Paſchaſij ſententiam confirmatem. Romani equidem, ad quorum iugum Iudæorum caput ſubmiſſum erat, beneficiis onerabant Iudæos. *Vt beneficiis prouocati libentius Romanis deſeruirent.* Hoc etenim habent beneficia, quod efficacius hominem ſeruituti addicant. Reges tunc magis onerant ſubditos, cum tributis exoneratos beneficiis afficiunt. Iugi enim ablatio, iugi equidem impoſitio eſt.

4. *Paralyticus oneratus magis tributarius diſcedit.*

Teſtis accedat Paralyticus ille, à quo Dominus abſtulit iugi miſerrimam ſeruitutem, eum ab ægritudinis vinculis abſoluens. Surgenti autem indixit, *Tolle grabatum tuum.* Ioan. 5. Quorſum grabatum humeris hominis imponitur? Quia illud ipſum à tributo ægritudinis eximi, idem eſt, ac tributo ſubmitti. Partim quidem eſſet hominem vt coactum ſub ægritudinis iugo inuitum iacere, maioris ſeruitutis indicamentum eſt preſſum grabato, ſeu ſeruitutis grauitate vltroneum ambulare. Quam pulchrè Bernard. ſerm. 15. Qui habitat. *Onerat nos, cum exonerat Deus.* Nunquam magis ſeruituti addicti ſubditi, quàm cùm ab exactionibus liberantur.

Bernard.

5. *Reges tributa auferentes ardtius ſubditos efficiunt tributarios.*

Dauid appoſitè, *Et pauci facti ſunt, & vexati ſunt à tribulatione malorum, & dolore.* Pauci ciues Regni potentiſſimi, inſtat ſpicarum ſunt reliqui. Hi quidem vexati propter flagitiorum exuberantiam. *Effuſa eſt contentio ſuper Principes.* Primores Regni excogitant, quonam modo & pauci relicti ſeruient, ſe quidem & diuitias ſuas Catholici Regis pedibus iuſtè in fidei defenſionem conſecrantes? *Adiuuit* profectò Rex *pauperum inopiam*, eorumque ſtuduit incrementis. Quid tunc? Num ſubditi pauci aut effecti pauciores, aut à iugo exempti ſeruitutis? *Et poſuit ſicut oues familias.* Pſalm. 106. Vbi fœtus increſcit, lana rutilat, argentea, lac niueum effulget in tanti obſequium Imperatoris. Ex Hugone Cardin.

6. *Subditum beneficia Stylo clauo.*

Egregius Zacharias, *Super lapidem vnum ſeptem oculi ſunt, Ecce ego cælabo ſculpturam eius.* Cap. 3. Ac ſi diceret, Populum meum beneficiis onerabo, Septem etenim oculis Spiritus ſancti dona deſignari vidimus. Quid Princeps cœleſtis poſtquàm populum ſuum tot muneribus auxit? *Ecce ego cælabo ſculpturam eius.* Stylo ferreo, ſiue ære candenti meum quaſi mancipium ſigillabo. Proximè præmiſerat, *Adducam ſeruum meum orientem.* Siue exquiram, quonam modo ſeruus meus à morte, à bellis, à temporum inopia confractus rurſum exoriatur. Renaſcitur planè, cum ſubleuatur; arctiori item ſeruituti addicitur, cum oneratur beneficiis, & muneribus. Dulciter Publius Num. cecinit. *Beneficium accipere, libertatem vendere eſt.*

Zach. 3.

## §. III.

### *Populi reſponſio.*

7. *A Principibus edoctus inclamat populus.*

*Clamauerunt ergo omnes dicentes.*] Non profectò proprio ex marte deprompſerant turbæ conſilium. *Principes* enim (ait Matthæus) *Sacerdotum, & ſeniores perſuaſerunt populo, vt peterent Barabbam, Ieſum verè perderent.* Imò ſe ipſos à cæcis Principibus ducti in foueam miſerè præcipitarent. D. Cyril. Ioan. 18. *Quoniam* (ait) *multitudo Iudæorum non modo ad cognoſcendum Chriſtum à Principibus non fuit deducta, imò etiam ad cædem eius inflammata, propterea lapſa in baratrum periit.*

8. *Iudæi clamitantes, leones in ſylua.*

*Clamauerunt omnes.* Proh vulgaris inſipientiæ clamatores! *Facta eſt mihi* (conqueritur Ieſus ore Prophetæ) *hæreditas mea ſicut leo in ſylua, dedit contra me vocem ſuam.* Ierem. 1. Vbi D. Cyril. *Fertur Leo, cum aliquod animal capere vult, mirabilem ſolere rugitum edere, quo animalia, quæ propinqua ſunt, perterrita cadunt. Quaſi leo in ſylua Synagoga aduerſus Saluatorem facta eſt. Nam quamuis nullo ille terrore perculſus ſit, clamoribus tamen ſuis Chriſtum Synagoga interfecit.*

9. *Deſcriptio Barabbæ.*

*Non hunc, ſed Barabbam. Erat autem Barabbas latro.*] *Barabbas* idem quod *Filius patris* D. Hieronym. autem, *Filius magiſtri eorum.* Id eſt, diaboli, à quo Iudæi edocebantur, vti aduertit Euſebius Emiſſ. Attamen ego *Filius patris* interpretor. *Bar* enim *Filius. Ab*, ſiue *Abba Pater* eſt. Matthæus vinctum inſignem vocat. Chryſoſtom. Id eſt, *inſignis, & famoſus latro.* Euthym. *Nominatus pro malitiis.* Marcus cum ſeditioſis ait fuiſſe vinctum, & in ſeditione homicidium feciſſe.

10. *Iudæorum flagitium.* Auguſt. Paſchaſ.

*Non* igitur *hunc, ſed Barabbam.* D. Auguſt. tract. 115. in Ioan. *Non reprehendimus, ô Iudæi, quod per Paſcha liberaſtis nocentẽ, ſed quod occidiſtis innocentẽ.* Adnota Iudæorũ malitiã. Nõ ſolùm Barabbã dimitti efflagitat, cũ pluris faciẽs, quã Ieſum; verũ & Ieſum cruci ſuffigi poſtulat. Id quod D. Paſch. expreſſit. Si petiiſſent, vt faceret de Ieſu quod vellet, & tantũ vt *Barabbã eis abſolueret, magna impietatis crimẽ eſſet, cùm & ſceleratũ petiiſſent ſibi dari, & iuſtũ nollẽt, cùm poſſent, liberare ad vitã. Nũc autẽ agunt, quod ſceleſtius eſt, quia proclamãt eũ in mortẽ, & petũt vocibus, vt crucifigatur.* Hæc eſt populo gratitudo, hæc eſt ſimulata Sacerdotũ, ac maiorũ religio. Pilatus itaque victus illorum pertinaci veſaniã, illis condonauit Barabbam omnium iudicio damnatum etiam ante iudicij examinationem, & in Ieſu conſpectu à vinculis, & in cæcorum mente à criminibus abſolutum.

IN

## IN IESVM PATIENTEM APVD PILATVM.

# Panegyricus tertius Moralis circa Literam.

## EX BARABBÆ DIMISSIONE.

## *OBSERVATIO I.*

**Ad illa verba:**

***Eſt conſuetudo vobis, vt vnum dimittam vobis in Paſcha.***

Laudabiliter Iudæi ex Ægyptiis vinculis liberati, vincti cuiuſdam liberatione Paſchalem ſolemnitatem colebant.

***Ea enim gratitudo apprimè commendatur, quæ morem gerit beneficij.***

11. Paſchaſ. MOs erat Iudæorum (D. Paſchaſius) *vt in ſolemnitate Paſcha'i, quando liberati ſunt ex Ægypto, peterent Principibus ſuis vnum reum.* Id quod comprobat ex Ionathæ abſolutione: *Inde eſt, quod Saul petente populo Ionatham abſque offenſa, cùm teneretur reus pro guſtu mellis, etiam prodente Deo, mox à morte relaxat, quem decreuerat etiam cum iuramento, licet filius eius eſſet, Saul interficere. Sed tamen petente populo Iſrael, quem parabat interficere, relaxauit ad vitam.* Pulchrè equidem pro recordatione dimiſſionis vinctus dimittitur, vt & ipſa gratitudinis actio accepti beneficij morem gerat. Dimiſſus vinctus popolos Iſraël? Vinctus reus à carcere in gratiarum actionem dimittatur.

12. *Pro Arca ædificatione Noë Altare ædificat.* Totius orbis reparatio ex Arca, quam imperatus à Domino Noë ædificauerat, habuit exortum. Poſt diluuium ex Arca egreſſus, *Ædificauit Noë altare Domino.* Geo. 8. Ad actionem gratiarum de ædificio Arcæ altare ædificat Patriarcha; vt vel ipſa exterior forma gratitudinis beneficij mori reſponderet. Pulchrè planè Rupert. (Rupert.) *Nota* (ait) *gratitudinem Noë. Iuſſus quidem fuerat Arcam, in qua ſaluaretur, ædificare; & modo altare ædificat, in quo idem Saluator ſuus adoretur.* Vti ædificatæ Arcæ ad ſalutem, ædificatum Saluatori altare reſponderet.

13. *Pro ædificato tabernaculo Abram extruit altare. Gen. 12.* Abram è Patria egreſſus, *tranſgrediens ad montem, qui erat contra Orientem Bethel, tetendit ibi tabernaculum ſuum, ædificauit quoque ibi altare Domino.* Geneſ. 12. Illa particula: *Ædificauit quoque* non te prætereat. Ac ſi diceret, Cœleſti beneficio accepit Abram poſt longam viam apud montem ſiſtere, & locum habitationis ædificare. *Ædificauit* igitur *quoque.* Vt gratitudinis actio actioni beneficij poſſet aſſimilari. At Chryſoſt. (Chryſoſt.) ſic, *Vide religioſam eius mentem, & gratitudinem. Quia tabernaculum ſuum fixerat, altare Domino ædificauit.* Verbum illud, *Religioſam mentem* perficit argumentum. Erat enim hæc gratitudo intellectus, actio gratiarum ingenioſa morem peragens beneficij.

Agar à Deo aquæ puteum conſecuta, cum in tanto diſcrimine verſaretur, cognouit ſe procul dubio ſpecialiſſimè viſam à Deo. *Tu Deus* (ait) *qui vidiſti me. Propterea appellauit puteum illum, puteum videntis me.* Gen. 16. Ad quem locum acutè Caietanus *Non ſat fuit Agar agere gratias Deo, ſed grata amplius in memoriam tanti beneficij puteum illum nunc appellauit ab eodem beneficio.* Vt videntis putei nomen videnti Deo reſponderet. 14. *Agar pro accepto puteo à vidente eum vocat videntem.* Gen. 16. Caiet.

Promiſit Deus Abrahæ mirum in modum fore dilatandum, latitudineque terræ potiturum. Fodit puteos Patriarcha. *Tertium puteum appellauit Latitudinem, dicens; Dilatauit nos Dominus* Gen. 18. Super quem locum D. Chryſoſt. *Vide gratitudinem, Bonorum meminit,* ſcilicet dilatationis, *& pro illis gratias agit,* huiuſcemodi beneficij gratiarum actione reſpondente memoriam æternans, dum pro accepta latitudine puteum latitudinem appellauit. 15. *Dilatandus Abraham puteum latitudinem appellat.* Gen. 18. Chryſoſt.

Coram Arca Dauid exſiliebat, proculdubio concelebrans memoriam Iſraelis ſiccis pedibus mare tranſeuntis, virgæ (quam Arca cuſtodiebat) beneficio, & ex Ægyptia captiuitate fugientis. Quam piè, imo quàm ingenioſè religioſa pedum commotio pedum è compedibus liberatione concelebrabat. Porrò filij Iſraël ingrati Deo liberatori, vt ſe gratos impiè oſtenderent vitulo comedenti fœnum, comederunt ipſi coram illo. *Surrexerunt ludere.* Exod. 32. Ad quæ verba Rupert. *Comederunt, & biberunt in gloriam vituli comedentis fœnum.* Id quod ægrè tulit Dominus. Ingenioſa enim huiuſmodi actio gratiarum morem gerens beneficij ſoli vero Deo libanda eſt. Quid plura? *Ludere ſurrexerunt,* choreas in conſpectu confictæ deitatis 16. *Hæc ingenioſa gratiarum actio Deo ſoli.* Exod. 32. Rupert.

ducere non verentur. Egregiè Abbas. *Ingratiſſimi eiſdem pedibus, quibus mare tranſierant, coram tali figura ſaltauerunt.* Cùm potius deberent, Dauidis in morem, coram Domino exilire. Vt ſcilicet pedum tripudium memoriam eorundem pedum è compedibus Ægyptiacis liberatorum celebraret.

17. *Toletus imitatio.* Ingenioſæ igitur huiuſmodi gratitudinis formulam imitemur. Accepi à Deo egeſtatis ſubſidium? Pauperem menſæ meæ hærere procuro. Et ſic de reliquis actionibus charitatis. Exhibeo exemplum. Religioſus à fideli exceptus hoſpitio, ab ipſóque à frigoris, famis, ſitis vulneribus liberatus, gratiam rependens, curet eum à peccati vulneribus liberari. Id quod Viri Iabes Galaad præſtitère, cùm beneficus enecati à Saul qui eos fortiſſimè defenderat eius cadauer ab hoſtium eripuerunt opprobrio. 1. Reg. 31. Ab hoſtium (ac ſi dicerent) opprobriis nos eripuit: Eius cineres ab hoſtium opprobriis eripiamus. Strab. ad hæc, *Quos Saul ab aduerſariis defenderat, rependunt quod poſſunt. Nos quoque* (appoſitè ad intentum) *benefactores noſtros gladio peccati peremptos, quoad poſſumus a Philiſthinorum*, id eſt, dæmonum, *opprobrio eripiamus.*

1. Reg. 31.

Strab.

## OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

*Non hunc, ſed Barabbam.*

### Maximo ſupplicio Barabbas à vinculis abſoluitur.

*Nam hic ſolui reum reprobationis eſt ſignum.*

18. APVD Pilati tribunal Barabbas flagitioſus abſoluitur à carcere, Ieſus parens iuſtitiæ vinculis illigatur. Proh Deus immortalis! Tuæ iuſtitiæ permiſſione reus dimittitur, iuſtus incarceratur? Profectò tunc maximè iratus Deus aduerſus peccatoré, dum eum à vinculis abſolui permittit Præſidis aut nequitiâ, aut errore. Laxatis namque reus habenis, grauioribus criminibus fœdatus, ad grauiorem currit damnationem.

19. *Peccator abſolutus in mortem damnati curris ad ruinam.* Tanquam cum damnato agit Dominus cum eo, quem liberum permittit ad delinquendi impunitatem. Iudæ proditori Collegij Apoſtolici legibus illigati ait, *Quod facis, fac citius.* Ioan. 13. Vbi D. Thom. *Non ſunt verba præcipientis, ſed verba permittentis.* Dixerim accommodatius, *Verba dimittentis*, & abſoluentis Iudam à Collegij anguſtiis, vbi conſtrictus, & illigatus, non poterat ita liberè huc illuc diuagari ad Ieſu proditionem. Vnde acutè adiicit Doctor: *Nam diabolus miſerat in cor Iudæ, vt traderet eum.* Miſerat equidem, non tam liberè poterat ipſe cor Iudæ inter Collegij vincula, & anguſtias poſſidere. Dimittit ergo illum Ieſus, ſeu rumpere vincula horribili ſupplicio permittit.

Ioan. 13. D. Thom.

Quidquid enim (mihi credite) Domini eſt, mactatur; quidquid diaboli, in libertatem effugit. Ad memoriam aduoca duos illos hircos apud Leuiticum: *Duos hircos ſtare faciet coram Domino, cuius exierat ſors Domino; offeret illum pro peccato; cuius autem in caprum emiſſarium, emittat eum in ſolitudine.* Cap. 16. O ſortem infelicem! Quando ſors Domino exit, mactatur animans; quando cedit animanti in vitam, dimittitur. Audite D. Hieronym in Ieſu Barabbæque hiſtoria duplicem caprum memorantem: *Hic duo hirci adſunt, vnus apompeos, id eſt, emiſſarius cum peccato populi in deſertum inferni abſolutus dimittitur; alter pro peccatis abſolutorum vt agnus occiditur. Pars Domini* (pulchrè adiicit) *ſemper mactatur. Pars diaboli, qui eſt magiſter eorum, quod ſonat Barabbas, vinus, ſed effrenata in tartarum præcipitatur.* Et quando huiuſcemodi effrænatio hominem non ad tartara præcipitauit? 20. *Quod eſt Dei, mactatur. quod eſt diaboli, ſoluitur.* Leuit. 16.

Hieron.

21. *Expiabilis illigatur, inexpiabilis dimittitur.* Vnde Dauid, *Beatus vir, qui non abiit.* Pſal. 1. Illud etenim ipſum abire, quid niſi grauioribus ſceleribus contaminari? Philo lib. quod deter. id eleganter expendit: *Arbitror eos, qui omninò non ſunt inexpiabiles, optare puniri potius, quam dimitti. Nam hæc miſſio facilè ſubuerteret eos ceu malè ſaburratas naues carentes gubernatoris prouidentia. Animaduerſio verò ad correctionem profuerit.*

Pſalm. 1. Philo.

22. *Reprobus Cain ſolutus dimittitur.* Genеſ. 4. Benigniter ſe ſe habens cum Cain Dominus, non dimittebat eum, potius monebat, ne ſolutus diffugeret. *Peccaſti, quieſce.* Gen 4. ex Septuaginta tranſlatione. Poſt homicidium tamen cum accenſus iracundia dimittit. Vnde ipſe inexpiabilis, ſeu inexpiandus *Cain* (vt loquar cum Philone) inclamat: *Ecce eiicis me à facie tua. Omnis ergo qui inuenerit me, occidet me.* Quaſi *optaret puniri potius, quam dimitti.* Cain ergo liberè per mundiale deſertum, inſtar emiſſarij hirci, diuagatur, theſauro iræ maximum adiiciens incrementum. Opportunè D. Auguſt. lib. 50. hom. 42. *Ipſa* (inquit) *eſt infelicitas hominum. Hic dimittuntur, & ipſa peccata ſecum portant; & ſupplicij theſauros inueniunt.* Ponunt ſoluti peccatores *in theſauris abyſſos.* Pſal. 32. Quia quaſi plures damnationes acquirunt, dum liberè diuagantur.

Philo.

Auguſt.

## OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

*Non hunc, ſed Barabbam.*

### Ingenti beneficio Chriſtus vinculis illigatur.

*Quia hîc inſontem premi, ſignum eſt prædeſtinationis.*

ENIMVERÒ tunc Deus homini valdè beneficus, cum eum ligari permittit. Ideò ſoluto Barabba, Chriſtus vinculis addicitur grauioribus, vt qui patibulo tradendus erat. 23.

Teſtor

24. *Colligantur Hebræi pueri ingenti præmio. Dan. 3. Zeno.*

Teſtor Hebræos ob negatum imagini Babylonici Principis cultum in fornacem immiſſos: *Sidrach, Miſach, & Abdenago ceciderunt in medio camino ignis ardentis colligati.* Dan. 3. Proh ingens ſupplicium! Imò proh præmium ſingulare! Annon ſingulare præmium virtutis, Deo dulciter adhærere? Colligati igitur à Domino excipiuntur, munere donandi cœleſti. D. Zeno ſerm. 6. de trib. Puer. *Illò præcipitantur inſontes, & ibidem propter quem præcipitantur inueniunt. Denique excipiuntur non flamma, ſed rore; Dei dignatione, non pœnâ.*

25. *Et Ioſeph apud Ægyptum. Sapien. 10. Ambr.*

Num pœna Ioſephum in carcerem detrudit? Certè dignatio Dei, non pœna: illigatum adoleſcentem à Domino non derelictum cecinit Vates. *Deſcenditque cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit eum.* Sap. 10. D. Ambroſ. de Ioſeph: *Inaudita cauſa, inexploratâ fide veri, tanquam reus criminis in carcerē Ioſeph mittitur; ſed cum Dominus nec in carcere deſerebat. Non turbentur innocentes, cum oppreſſa iuſtitia traduntur in carcerem. Viſitat Deus & in carcere ſuos. Sed quid mirū ſi viſitat Deus & in carcere ſuos poſitos, qui ſe ipſū in ſuis in carcere poſitū eſſe memorauit? In carcere, ait, eram, & non veniſtis ad me.*

Porrò & Chriſti vincti, & Barabbæ ſoluti differentiam apprimè illud exponit, *Anima Domini mei erit cuſtodita quaſi in faſciculo, anima inimicorum tuorum rotabitur.* Vbi Strabus egregiè, *Pulcherrima* (ait) *comparatione ſtatum iuſtorum & reproborum diſcreuit. Hos faſciculis, illos lapidi fundæ aſſimilat. Faſciculus enim adſtringitur, vt conſeruetur: lapis in funda ponitur, vt abiciatur. Sic enim electi preſſuris tribulationum conſtringuntur, vt iis admoniti arctius charitate nectantur, & per manus Redemptoris in perpetuū conſeruentur. Reprobi quanto latius voluptatibus ſuis dimittūtur, tanto lōgius a diuina viſionis gloria proiiciuntur, Ipſi enim de manu Dei repulſi ſunt. Anima inimicorum rotabitur.* Quid illuſtrius? 26. *Iuſtus faſciculo alligatur, impius lapis emiſſus. 1 Reg. 25. Strab.*

## SECTIO QVARTA.

# PILATI ABLVTIO.

## EX CAP. XXVII. MATTHÆI.

### *TEXTVS.*

*Verſ. 24.* Videns autem Pilatus, quia nihil proficeret, ſed magis tumultus fieret: acceptâ aquâ, lauit manus coram populo, dicens:
*Verſ. 25.* Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius, vos videritis.

### *COMMENTARIVS LITERALIS.*

### § I.

### *De manuum ablutione.*

1. *Accuſatur Pilati flagitium.*

TVNC *Pilatus videns, quod nihil proficeret.*] Præſidis liberare Ieſum procurantis verbis magis incendebatur populi vociferantis inſania. *Tolle, tolle, crucifige* hominē. Pilatus itaque animaduertens, quod tentatis omnibus, nihil proficeret, ſed magis popularis tumultus excitaretur, abſoluit Ieſum, & damnandum hoſtibus commiſit. Non excuſat Euāgeliſta Pilatum, ſed Chriſtum, dum docet Præſidem non vllo idoneo teſtimonio, non vllo probato crimine; ſed ſolo popularis ſeditionis metu, Chriſtum damnauiſſe: & ita damnauiſſe, vt damnando etiam abſolueret.

2. *Cur lauant manus. Virg.*

*Accepta aqua, lauit manus coram populo.*] Sunt qui exiſtiment, non ſolum Iudæorum fuiſſe ceremoniam, vt Iudices reum morte iudicaturi, aqua manus diluerent, vti Deut. 21. ſed aliarum etiam gentium conſuetudinem. Virg. Æneid. 2.

*Me bello è tanto digreſſum, & cæde recenti*
*Attrectare nefas, donec me flumine viuo*
*Abluero.*

Fuerit ſanè mos aliarum gentium, Romanorū certè non fuit, vti Origenes adnotauit. Vnde exiſtimo Pilatum Romanum in cauſa hominis Iudæi apud Iudæos Iudaicâ ceremoniâ ſuam innocentiam teſtari voluiſſe. Sciebat Iudæos manuum ablutione innocentiam ſignificare, vti Deut. 21. & Pſal. 25. perſpicuum.

3. *Declarat verbis. D. Leo.*

*Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius.*] Declarat verbis, quod ablutione aquæ ſignificabat. At ſe ipſum condemnat, eum damnans, quem iuſtum eſſe apertè cognoſcit. Mentitur ergo, cum dicit, *Innocens ego ſum* Nec enim condemnato iuſto, innocens eſſe poterat. D. Leo. ſerm. 8. de Paſſ. Pilati iniquitatem expreſſit: *Nec purgant* (ait) *contaminatum animum manus lota, nec in aſperſis aqua digitis expiatur, quod famulante impia mente committitur. Exceſſit quidem Pilatè culpam facinus Iudæorum, qui illum timore Cæſaris territum, & inuidioſis vocibus increpatum, ad effectum ſui ſceleris impulerunt. Sed nec ipſe euaſit reatum, qui cooperatus ſeditioſis, reliquit iudicium proprium, & in crimen tranſiuit alienum.*

4. *Vos videritis.*] Num ſcilicet id impunè facere valeatis? Puto enim ad cœleſte tribunal Pilatum eos remiſiſſe. Ac ſi diceret: Aliquando dignoſcetis, quàm flagitioſè me ad iuſti impellitis damnationem. Expoſitionem hanc confirmo Simonis Caſſiani ſententiâ: *Quandam aliam ineffabilem iuſtitiam intellexit eſſe Pilatus, cum dixit, Vos videritis. Senſus eſt verborum: Vos me ad iudicandum hominem innocentem importunè compellitis; ſed cum pœnam ſuſtinebitis huius ſceleris, agnoſcetis.* In præſenti (ſi hæc vera ſunt) proculdubio memoria voluebat Pilatus ſententiam Ieſu ſantis, *Propterea qui tradidit me tibi, maius peccatum habet.*

*Pilatus Dei iudicium memorat.*

Caſſia.

## §. II.

*Pilatus rectè Procurator, non Iudex aſſeritur; quia voluntati ſubditorum ſeruiebat.*

Contra Iudices non Iudices.

5. NOn poſſum non vecordiam Præſidis mirari. *Vos videritis.* Voluntati, arbitrio eorum cauſam relinquis? Ita planè. *Tradidit voluntati eorum. Quis tu hic, quaſi quis non hic?* *Anno* (inquit Euangeliſta) *quintodecimo imperij Tiberij Cæſaris, procurante Pontio Pilato Iudæam.* Luc. 3. Cur non dixit, gubernante, moderante iudicante Pilato Iudæam; *ſed procurante?* Iudex equidem verè non erat, qui magis procurabat Iudæam ſibi conciliare, quam legum præſcripta defendere.

Luc. 3.

6. Mortuo Samſone Iſraëlis moderatore, iudiciarium munus ſuſcepit Heli. Attamen Scriptura ait, *In diebus illis non erat Rex in Iſraël; ſed vnuſquiſque quod ſibi rectum videbatur, hoc faciebat.* Iud. 17. Vnde exoritur quæſtio. Si iuxtà probabiliorem ſententiam Heli Samſonis ſucceſſor quadraginta annis extitit Iſraëlis moderator, quonam modo aſſeritur, in diebus illis Iſraelem gubernatore caruiſſe? Illam optimam cauſam reddidit Textus, *Vnuſquiſque, quod ſibi rectum videbatur, hoc faciebat.* Voluntati ſubditorum dabat Heli cauſas? Non erat Iudex in Iſraël. Iudex ille magis ſui procurator, quam Reipublicæ moderator eſt. Eleganter Rupert. lib 4. de vict. verb. cap. 10. *Mortuo Samſone, dignum non exiſtimauit ſcriptura, vt diceret. Poſt hunc ſucceſſit Heli, licet iudicauerit Iſraël quadraginta annis. Sed inter infelices dierum illorum hiſtorias ita querela frequens eſt. In diebus illis non erat Rex in Iſraël; quia vnuſquiſque quod ſibi rectum videbatur, hoc faciebat.*

*Pilatus imitator Heli.*

Rupert.

---

# IN IESVM PATIENTEM APVD PILATVM.

# Panegyricus quartus Moralis circa Literam.

## EX PILATI ABLVTIONE.

## *OBSERVATIO I.*

Ad illa verba:

*Videns Pilatus, quia nihil proficeret.*

Pilatus cecidit ab ſpe liberandi Ieſum, quia cognoſcebat illum per inuidiam traditum.

*Inuidia enim non parcit.*

7. VIDIT Præſes, quia nihil proficeret, imò videns, quia nihil proficere poſſet. Quare? Quia cognouit Ieſum inuidia Iudæorum traditum fuiſſe. At inuidia tam crudelis, vt minimè poſſit à vulnere abſtinere. Pulchram do Simonis Caſſi. lib. 13. ſententiam. *Nullam cauſam* (inquit) *in eo ſe Pilatus inueniſſe crebrò prædixerat. Sed cauſam traditionis ſciebat eſſe inuidiam, quæ nunquam quieſcit, quouſque ſit deleta felicitas. Nullus ea eſt ſeuerior inimicus, qui nunquam ſiſtitur, niſi proſperitas retundatur. Propter quod Pilatus videns, quod nihil proficere poterat; accepta aqua, lauit manus, &c.* Perpende illius particulæ vim: *Quòd nihil proficere poterat.* Num inuidia non poteſt miteſcere, percutit vſque ad internecionem.

Caſſia.

8. Dignoſcens Rebecca Eſau in fratrem iratum poſt benedictionis ablationem, hortatur Iacob, vt diffugiat. Gen. 28. Quod ſi obiiciam parenti trepidanti Iacobum fratrem eſſe Eſau, vnde & hanc ignoſceret iniuriam, ſicut olim ignouit primatus emptionem, iramque Eſau temporis interſtitio paruo extinguendam: reſpondebit, nullatenus poſſe Iacobum coram fratre degere, quin præceps feratur ad vulnus. Quare? Quia vidit Rebecca Eſau inuidiæ morbo laborare. D. Hier. Epiſt. ad Euſt. *Maluit Iacob hoſtibus, quam inuido ſubiacere.* Quia videlicet hoſtis ſi poteſt percutere, poteſt etiã ignoſcere. At inuidus ſẽper præceps ad vindictã, quando parere nouit?

*Inuidus Eſau quodammodo non poterat non fratrem interimere.*

Gen. 28.

Hieron.

Cupi

9. *Inuidia neceſſariò vulnerat.* Menan. Gen. 49.

Cupidinem arcu atque ſagittis armari ideò aliquis aſſerebar, quia *ineuitabilia eius vulnera. Aptius inuidia arcus & ſagitta.* Quando, precor, fera illa peſſima inuidia potuit ab infligendo vulnere abſtinere? Iam planus ſenſus illius Geneſeos teſtimonij, *Inuiderunt illi* (ait Iacob moriturus de Ioſeph) *habentes iacula.* Cap. 49. Vbi D. Hieron. adnorauit inuidiam eum arcu & ſagittis introduci, *vt ſagittet immaculatum, & pulchrum.* Quid inuidiæ eum ſagittario? Ineuitabilia profectò ſunt vulnera inuidiæ, quæ non poteſt pharetræ committere ſagittas, donec de medio pulchritudo auferatur. (Hieron.)

10. *Poſt mortem pulchri eaſi inuidia eũ exclamat ſapiens.* Gen. 4.

Imò etiam poſt ablatam gloriam pulchritudinis, adhuc præparat inuidia iacula; quia malum hoc terminum non habet. Poſtquam inuidus Cain de medio ſuſtulit Abelem pulcherrimum, ſanguis innocẽs inclamabat, Gen. 4. Num vindictam? Plures huiuſce inclamationis cauſas reddunt Doctores. Ego autem exiſtimo inclamaſſe præſidium, quoniam adhue quodammodo inuidiæ vulnera timebat. Quia videlicet inuidiæ malum ſine termino, nec vltima pulchri calamitate ſatiatur. Appoſitè D. Cypr. de zel. liu. *Mala* (inquit) *cætera habent terminum, & quodcumque delinquitur, delicti conſummatione finitur. Liuor terminum non habet, permanens iugiter malum, & ſine fine peccatum.* (Cyprian.)

11. *Etiam proprio exitio nõ poteſt parcere.* Gen. 37. 1. Reg. 19.

Quis poſſit aduerſum ſe ſagittam dirigere? Inuidia, quæ quia non poteſt crudelitatem exuere, vt alium percutiat, gaudet vulnerari. Inuidi fratres Ioſeph innocentem iuuenem de medio tollere curarunt etiam tunc, quando ipſis fameſcentibus cibum afferebat. Moriatur pulcher, (ex Philone) licet inuidus famè habeat deperire. Quid memorem Saul aduerſus citharœdum Dauidem, cuius concentu à torquenti ſpiritu liberabatur, inſurgentem? 1. Regum 19. Annon aduertis ô Rex, te miſerè ſine medicamine periturum, ſi occidis benefactorem? Proh inuidiæ crudelitas! Non poteſt abſtinere ab exitiali ictu, quamuis inuidus eodem mucrone transfigatur. Vnde D. Bernard. de int. domo, c. 42. profatur: *Inuidus potius eligit in malis verſari, quam in aliis bona cernere, Ideoque contra proprium commodum contendit.* Hinc Menander: *Inuidus hoſtis eſt ſibi ipſi.*

12. *Irati Iudæi parcunt Ieſu, inuidi minimè.* Ioan. 5. Chryſoſt.

Vidiſti Ieſum flagello Iudæos petentientem, flagellatos autem mirabiliter tolerantes? Quare qui tam patienter, ſine cuiuſuis querelæ euulgatione flagella ſuſtulerunt apud templum; in Pilati conſpectu non ſolum flagellationi Ieſu, ſed & ſuffixioni inſtantiſſimè, magnis excitatis vociferationibus operam nauant? Diſcrimen attigit D. Chryſoſt. hom. 22. in Ioan. *Quia multo magis aliena gloria offendit inuidos, quam proprium malum.* Pulchrè planè. Sed accommodatior argumento reſpondeo. Apud templum percuſſi flagello in iram exarſere; at apud Pilatum ex miraculorum Ieſu gloria inuidia corripiebantur. Verùm ita licet feritatem leonis imitetur, poteſt manſueſcere, poteſt gladium non ſtringere, in vulnuſque non præcipitari. Inuidia autem difficillimè valet nec ex templi reuerentia, nec ex qualibet circunſtantia adeò motus effrænatos comprimere, quin ad iniuriam proximi cæco impetu deferatur. Pilatus igitur vidit, *quod nihil proficere poterat.* Quia cognouit Iudæorum inuidiam, quæ vix poteſt à vulnerando pulchro contineri. Iam illud Horatianum lib. 2. Epiſt. exigua cenſura liueris: (Oratius.)

*--- Diram qui contudit hydram*
*Notaque fatali portenta labore ſubegit,*
*Comperit inuidiam ſupremo fine domari.*

Non equidem vulgaris victoria, ſi vel ſupremo in fine domaretur.

# OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

## *Accepta aqua, lauit, &c.*

## Abluit Pilatus manus, ſed non culpam.

*Nam Præſes cedens timori intus contaminatur.*

13. Paſchaſ.

FAlsò te, ô Index, prædicas innocentem, qui eo ipſo quod timori cedas, iam quod amplius laues, contraxiſti. D. Paſch. lib. 12. in hanc ſententiam: *Lauit quidẽ manus, ſed culpam non lauit; quia Iudex non cedere debet timori, nec vllis aduerſantium impulſionibus, vt ſanguinem condemnaret innocentem, quem prædicabat iuſtum.* Bonus iudex in tenebris iudicat nihil reſpiciens, ſolummodo audiens enarrationem veritatis; ne cuiuſuis aſpectus eum poſſit à veritatis iudicio auertere. Sic Areopagitarum tribunalia inter tenebras conſtituta refert Lucianus.

14. *Malè Pilatus exiuit ad Iudæos.* Ioan. 19. Pier.

Non ſic Pilatus; facies Iudæorum videbat ſemel & iterum, vt ex illorum minis magis terreretur. Ieſus Pilato aperuit ſe de cœlo deſcendiſſe, vt teſtimonium perhiberet veritati. Tum Præſes inquit, *Quid eſt veritas? Et iterum* mox *exiuit ad Iudæos.* Ioan. 19. A veritate oculos auertit, conuertit ad Iudæorum minas inclamantium, *Non es amicus Cæſaris.* Quid non aduerſum veritatem ſententia proferetur? Olim ſtatua (Pier. auctore lib. 35.) quæ Præſidem referret auerſis oculis proponebatur, vt nihil reſpiceret iudicaturus, quod poſſet eius ſententiam inflectere. E contrà Pilatus inuerſis oculis reſpectus effugit veritatis, ad timorem conuertitur. *Exiuit ad Iudæos.*

15. *Iuſtitia aduerſarium nõ timet.* Gen. 2. Philo.

Quatuor fluuij è paradiſo egrediebantur, quibus (Philone auctore) quatuor deſignantur cardinales Virtutes; *Nomen vni Phiſon, ipſe eſt, qui circuit omnem terram Heuilath. Nomen ſecundi Geon, ipſe eſt, qui circuit omnem terram Æthiopiæ. Nomen tertij Tygris, ipſe vadit contra Aſſyrios.* En tibi tres Virtutes Prudentiam, Fortitudinem, Temperantiam, quarũ duæ Prudentia, & Fortitudo circumeunt terram, perſonas conſiderant, circunſtantias perpendunt. Temperantia autem *vadit contra Aſſyrios*, quia habet aduerſarium (voluptates ſcilicet) quem timeat. Quid plura? *Fluuius autem quartus ipſe eſt Euphrates.* Gen. 2. Vbi ſcitè Philo lib. de Ioſ. *Porrò iuſtitia, quam nobis refert Euphrates, nec oppugnat quenquam, nec circumuallat, nec habet aduerſarium.* Quem videlicet poſſit timere. Iuſtitia

non circumuallat, vt videat, vnde terreatur; nec vadit *contrà.* Sibi perſuadeat Iudex nullum mundialem adeſſe, qui ſibi timorem poſſit incutere.

16. *Iudex ſit vti Creator.* Gen. 1.
*In principio* (inquit Moyſes) *creauit Deus cœlum & terram.* Gen. 1. Heb. *Iudex*, vel *Iudices.* Cur Creatori Iudicem copulauit? Reor Moyſem Legiſlatorem optimi Iudicis voluiſſe conditionem exprimere, tum, cum primò illud vocabulum intonabat. Nullus aptior ad iudicandum quàm ille, qui nullum habet ſuprà ſe quẽ poſſit timere.

17. *Moyſes iudex & Creator.* Exod. 7.
Vndeonam exiſtimas id Moyſem didiciſſe? Conſtitutus fuerat Iudex populi, ac ſimul Pharaonis Deus. *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis.* Exod. 7. Proinde populum iudicabis Hebræum, omnia diſpones, quaſi nullus ſit, qui poſſit te ad timorem trahere. Rex Pharao potentiſſimus? Tu Pharaonis Deus, Creator. Num Creator creaturam aduerſum ſe dimicantem verebitur? Ad hæc Caietan. (Caiet.) *Magnanimus eſto, quia loco mei conſtitui te relatiuè ad Pharaonem. Non ſis tanquam inferior, ſed tanquam ſuperior eo, vtpotè agens Deum Iudicem.* Iudex enim Deus Creator Iudex nullius creaturæ timore debet retardari, quo minus rectum iudicium non exerceat.

18. *Supplicium timidi Iudicis.* Apoc. 7. Tertul.
Porrò ſtrictum iudicium timidis Iudicibus Ioannes minitatur, quia magnum crimen ob mundialem timorem innocentem condemnare. *Timidis,* (inquit) *& incredulis, & execratis, & homicidis, &c. pars illorum erit in ſtagno ardenti.* Apoc. 21. Tertul. adu. Gnoſt. c. 12. *Ante omnes reprobos timidis pars in ſtagno ignis.* Num timiditas tantum flagitium eſt, quod debeat timidus omnium damnatorum turbam præcedere? Profectò, me auctore, non de timido quocumque, ſed de Præſide omnibus peccatoribus præpoſito ſermo procedit. Nunc timentem, ob humanum timorem (vti ait Lyran.) declinantem ad peccata, ad innocentis damnationem deuiantem horribile admodum expectat ſupplicium?

# OBSERVATIO III.

## Ad illa verba:

## *Vos videritis.*

## Peruersè iudicauit Pilatus, quia ipſe non videbat, quod videndum Iudæis prædicabat.

*Vbi de Iudice Dei iudicium aſpectaturo.*

19. Caſſia.
VOS (inquit Caſſianus lib. 13.) *me ad iudicandum hominem innocentem importunè compellitis; ſed cum pœnam ſuſtinebitis huius ſceleris, agnoſcetis.* Hæc Pilatus. O ſi dixiſſet! *Nos videremus,* & non, *Vos videritis.* Pœna etenim ſuſtinebit impellens ad crimen, & impulſus. Totus Pilati iniquè iudicantis error, Iudæis iudicium cœleſte ad memoriam reuocare, ac ſimul falsò ſibi blandiri, nullatenus ſe huiuſmodi ſubiacere iudicio.

Tertullianus affirmat Verbum iudicis ſtricti & ſeueri perſonam induens ad delinquentes Protoplaſtos acceſſiſſe. Sed adnota Textum: *Et cum audiſſent vocem Dei.* Gen. 3. Hebr. *Vocem iudicum.* Filius ſub humanitatis ſpecie iudicem acturus accedit, quem quidem Pater iudex comitatur. Vt edoceat iudicem futurum Adamũ tunc rectum hominis iudicium, quando Deum iudicem intuetur. 20. *Iudex cœleſtis & terrenus pariter incedant.* Geneſ. 3.

Olim Dauid *faciebat iudicium, & iuſtitiam omni populo ſuo.* Profectò ne ad ſiniſtram declinaret, *Ioſaphat filius Ahilud erat à commentariis.* 2. Reg. 8. Hebraicè: *Ioſaphat erat recordator.* Quidnam autem ad Regis memoriam afferebat? R. Sal. *Varios caſus, qui venerant ad Dauid, vt per ordinem expedirentur.* Exiſtimo Ioſaphat recordatorem fuiſſe præſcriptionum legis (vti Lyran.) & Iudicis cœleſtis, ne Dauid iudicans vllo modo aut timore, aut amore mundiali corrumperetur. Colligo namque Dei iudicium infixum menti Dauidicæ ex Pſal. 74. Cuius inſcriptio: *In finem, ne corrumpas.* Ac ſi diceret, In finem reſpice, ne corrumpas recti iudicij ſeriem. Adiicio carmen illud eiuſdem Pſal. *Dixi iniquis, Nolite iniquè agere, & delinquentibus, Nolite exaltare cornu, quoniam Deus Iudex eſt.* Imò & Reges gentium iudicaturi lateri hærentem admonitorem ſtatuebant, qui continuò inclamitaret, *Reſpice finem.* Quam liber à timore mundiali, qui Iudicis cœleſtis tribunali ſiſtitur! 21. *Hinc Dauid rectus iudex.* 2. Reg. 8. Pſalm. 74.

Moyſem populi Iſraëlitici Iudicem, & Imperatorem, fugientem ire ad Pharaonem, ne ab illo occideretur, occurrens Dominus *volebat occidere.* Exod. 4. O Iudex, non timebis mundialem poteſtatem, ſi ad cœleſtem Iudicem eleuaueris mentem. *Moyſes* (inquit Theod.) *alioqui magnus, metuebat Pharaonem. Minabatur ergo illi pœnas Angelus, metum metu repellens, maiore videlicet minorem.* 22. *Et Moyſes.* Exod. 4. Theod.

Equidem Iudices timidos, qui in morem Pilati, propter mundialium Principum terrorem, à vero Iudicio deterrentur, cum infidelibus quodammodo incredulis adnumero. Nam ſi crederent Deum eſſe, futurumque nouiſſima die Iudicem, nullatenus mundialis timor iudiciarij gladij aciem hebetaret. Huc reuoco Apocalypſeos teſtimonium: *Timidis & incredulis pars illorum erit in ſtagno ignis.* Cap. 21. Quare Timidos non copulauit cum homicidis, aut fornicatoribus, aut veneficis, quorum ibi peragitur memoria; ſed cum incredulis? Num quia timidi Iudices, qui propter mundialem potentiam à vera, iuſtaque ſententia recedunt, ſe infideles profitentur? Ita planè. Si enim animum crederent ad cœleſte tribunal vocandum, ab omni mundiali timore liberarentur. Confirmo excogitationem hanc ex Rupert. ſententia. *Timidi ſunt, qui neque fidem, neque ſpem habent futurorum: & de promiſſionibus Dei dubitantes, nihil forte propter ſpem vitæ, nihil arduum propter præmiorum fiduciam aggrediuntur. Idcircò præſenti loco Timidi cum incredulis ſociantur. Et ſicut Incredulorum, ita & Timidorum pars in ſtagno ardenti fore denunciatur.* Pulchrè. 23. *Iudices timidi ſuſpecti circa articulum extremi iudicij.* Apoc. 21. Rupert.

SECTIO

SECTIO QVINTA.

# FLAGELLA IESV.

## EX CAP. XIX. IOAN.

## *TEXTVS.*

*Verſ.* 1. Tunc ergo apprehendit Pilatus Ieſum, & flagellauit.

## *COMMENTARIVS LITERALIS.*

### § I.

### *Num Pilatus ſuis manibus flagellarit Ieſum?*

1. *Sententia affirmans.* TVNC *ergo apprehendit Pilatus Ieſum, & flagellauit.*] Quibus verbis plures Doctores fulti, affirmant ipſum Pilatum flagellationis miniſtrum extitiſſe Beda, *Intelligendus eſt Ieſus non ab alio, quàm ab ipſo Pilato flagellatus. Scribit namque apertè Ioannes: Tunc apprehendit Pilatus Ieſum, & flagellauit; ac deinde ſubiungit, Et milites plectentes coronã de ſpinis, impoſuerunt capiti eius.* Bedam ſequuntur Victor Antioch. & alij ex antiquis Doctoribus.

2. *Auctoru ſententia negãs.* Verùm enim verò improbabilẽ hanc reputo ſententiam. Præſides enim prouinciarũ ad tam abiectam verberandi functionem ſeſe minimè demittebant. Quod igitur per alios faciebat, id Pilato tribuitur. Cum itaque Pilatus, aſſerente Ioanne, apprehendit, & flagellauit Ieſum, munus huiuſmodi militibus imperauit. At optimè adiicit Euangeliſta milites coronando crudeliter Ieſu operam dediſſe. Quia flagellatio imperata à Præſide Præſidi tribuitur, licet milites fuerint executores; attamen coronatio ſolis militibus datur, quia non imperati Ieſu caput vulnerauerunt.

### §. II.

### *Pilatum omnino dedeceret propriis manibus vulnerare Saluatorem.*

### Quia indecens valdè, à Præſide ſubditos vulnerari.

3. QVod ſi mentem meam minus feſtinanter vultis aperiam. Indignum planè ſemper reputaui Prælatos ſupplicium propriis manibus de tranſgreſſoribus ſumere.

4. *Non prepoſitos, ſed ſeruos adnatã ſupplicia exequi.* Legibus olim non ſolùm benedictiones, ſed & maledictiones in criminum vindictam præſcribebantur. Porrò Tribus Iuda & Tribus Leui, quibus datum Eccleſiaſtica & ſecularia iudicia moderari, prorſus à maledictionum inflictione excludebantur. Proferant duæ hæ Tribus benedictionum munera; at maledictionum ſupplicia imperent quidem, ſed non exequantur. Pulchrè ad hæc Theod. q. 34. adnotauit Tribus omnes deputatas ad huiuſcemodi ſupplicia inferenda, haud ex domina & libera, qualis Rachel, & Lia; ſed ex ancillis, qualis Bala, & Zelpha exortũ habuiſſe. Proprium enim Principibus, Dominis per ſe præmiorum diſtributioni vacantibus, omninò à ſuppliciorum executione abſtinere. At ſeruis adnatum, huiuſcemodi plagarum conſtitui executores. *Notandum* (ait Pater) *eſt, benedicendi facultatem conceſſiſſe Tribubus ex liberis oriundis. Ad maledicendum verò ſemiſeruos conſtituit.* Tribus igitur Iuda, & Leui iudicaturas dedecebat ſupplicij inferendi in ſubditos delinquentes conſtitui miniſtras. Deut. 27. Theod.

5. *Deus apu proprio aculeo non puniens.* Deum Iudicum normam in exemplum adduco: *Dulcis, & rectus Dominus, propterea legem dabit delinquentibus.* Pſal. 24. Dabit, inquit, legem, non verbera infliget tráſgreſſoribus. Quare autem rectus & dulcis nuncupatur? Quia cũ habeat apum præſes aculeum, haud illo vtitur ad vindicandum. Rectus ille imperio, dulcis actione: *Apibus* (inquit D. Ambr. lib. 5. Exam.) *Rex natura clarus formatur inſignibus, vt magnitudine corporis præſtet & ſpecie; tum quod in Rege præcipuũ eſt, manſuetudine. Nam etſi habet aculeum, tamen eo non vtitur ad vindicandum.* Pſal. 24.

6. *Nullatenus Prælatus percuſſor.* Vt Paulus oſtenderet, quàm dedeceret Prælatum contumelioſum eſſe in ſubditos ait. *Non percuſſorem.* 1. Tim. 3. D. Ambr. *Non lingua ad conuitium relaxet.* Vt ablegat Prælatos à conuitiorum iactatione, vtitur percuſſionis vocabulo. Ac ſi diceret, Tam indecens Prælato iactare contumelias, quàm ipſum dedecet fieri ſubditorum percuſſorem. 1. Tim. 3. Ambroſ.

### §. III.

### *Quare Pilatus iuſſerit Ieſum flagellari? & num bis diuerberatus?*

7. ET *flagellauit* ] Flagellatio communis fuit Iudæis leuior, præcipiente Domino Deut. 25.

*Flagellatio communis Iudæis & Romanis.*

ne plagatum numerus quadragenarium excederet; Romanis autem certus numetus deſcriptus non erat. Vnde more Romano Dominum flagellatum, non eſt qui ambigat.

8. *Quæſtioni ſatisfacio.* Luc. 23.

Cur Dominus verberatus? D. Hieronymus: Quia Romanorum legibus ſanctum, crucifigendum priùs diuerberari. Matthæus: *Ieſum flagellatum tradidit eis, vt crucifigeretur.* D. Aug. quem ſequuntur Cyrill. & Chryſoſtom. aliam item cauſam aſſignans: *Hoc* (inquit) *Pilatus non ob aliud feciſſe credendus eſt, niſi vt eius iniuriis Iudæi ſatiati, ſufficere ſibi exiſtimarent, & vſque ad eius mortem ſæuire deſiſterent.* Flagellatio igitur facta, vt hac pœna inflicta, à morte ſeruaretur. Nititur hæc ſententia illis verbis Luc. 23. *Corripiam* (Pilatus ait) *eum, & dimittam.* Et Ioannes poſtquam flagellatum fuiſſe refert, narrat Pilatum eum voluiſſe liberare Ergo non verberatus fuit, vt ſuffixioni traderetur.

9. *Num bis flagellis cæſus Ieſus?*

Porrò aliqui ex recencioribus hoc argumento illigati, duas affirmant flagellationes. Semel (inquiunt) Ieſus flagellis cæſus ad correptionem, quod Lucas; iterum ad crucifixionem; quod adnotat Matthæus. Exiſtimo (Gerſonis, & Montani veniâ) hanc opinionem contextui non poſſe accommodari. Nam, vt ipſi auctores affirmant, illa flagellatio à Matthæo expoſita eſt, quæ vltimo eſt facta ad crucifigendum. At hæc eadem cum ea, quam narrat Ioannes. Ergo nullatenus ex Ioanne colligi poteſt Ieſum ſemel, & iterum verberatum. Probo eandem eſſe. Matthæus tunc coronatum ſpinis, & veſte purpureâ circumdatum affirmat Ieſum; id ipſum refert Ioannes. Conſtat autem hanc Ioannis non eſſe factam ad crucifigendum; nam vt ex eodem habetur, coronatum ſpinis, & veſtitum chlamyde Pilatus Chriſtum populo oſtendit poſt flagellationem, & voluit eum liberare, multumque recuſauit cruci tradere ſuffigendum. Igitur facta non eſt crucifixionis cauſa flagellatio, cuius meminit Matthæus. Non ergo Ieſus ſemel fuit & iterum flagellis percuſſus. Quid ad legem Romanorum? Reſpondeo iam eſſe flagellatum Chriſtum, nec opus fuit, vt ea intentione rurſum flagellaretur. Et forſitan, me auctore, Pilatus ea pœna Saluatorem affecit, vt liberare poſſet, ſi populus placaretur, ſin minus ad crucifigendum ſua lege diſponeret. D. Paſchaſ. confirmat: *Flagellis cæditur ſicut conſuetudo eſt Romanorum, Quoniam Marcus dicit feciſſe, vt populo ſatisfaceret, & ceſſarent ab interfectione eius, cum viderent eum flagellatum.* Vtrumque ita Pilatus complexus eſt. Nec conſtat mihi, qui hoc prætextu Romanorum monumenta euolui, num flagellatio à Romanis antè crucem illata externos vulneraret. Non exigui ponderis argumentum huius exiſtimo, quia latrones cum Domino ſuffixos, non lego flagellatos.

## §. IV.

### *De numero flagellorum Ieſu.*

10. *Nõ determinatur numerus verberũ.*

PRæmiſi Dominum Romano more flagellatum fuiſſe, vnde quadragenarium numerum præſcriptum Iudæis Romanos milites tranſiliiſſe non repugnat. Attamen determinatum verberum numerum nec Scriptura, nec antiqui Patres tradiderunt. Quidam ex recentioribus aſſerunt quinque millia verbera Domino inflicta. Conſonat cum D. Brigittæ reuelatione lib. 1. qua conſtat Ieſum 5475. vulnera perpeſſum. Extant hac de re Barthulomæi Laurentij carmina, apud Tanletum à te requirenda. Cum autem Chriſti vulnerum maxima pars ex flagellis exorta ſit, ergo quinque millia circiter fuere ictuum ex flagellis, reliqua verò pars 475. reliquis plagis attribui poteſt. D. Vincentius corporis oſſibus 276. ter ictus verberum Ieſu ait reſpondiſſe. Vnde 628. plagis cæſus eſt. Addit prætetea à planta pedum vſque ad capitis verticem crudeliter diuerberatum Ieſum, primò quidem ſpinis, & vepribus acutiſſimis; ſecundò flagellis aculeatis, tertiò hamatis catenis. Affertque ex Euſeb & Chryſoſt. Non inueni vbinam hæc ab hiſce Doctoribus ſcribantur. Brig. Vincent.

11. *Auctoris mens.*

Ego quidem in re dubia, à cuius circunſtantiis Patres Euangeliſtas imitatos exiſtimo conſultò abſtinuiſſe, admittens D. Brigittæ reuelationem affirmo ita grauiter tot flagris percuſſum Dominum, vt ad miſericordiam poſſet flectere Iudæos. Attamen non adeo grauiter vulneratum reor, quod fuiſſet periculoſa flagellatio. Nec enim Pilatus Ieſum extinguere volebat; ſed à Iudæorum manibus liberare. Cum Ioſeph petiit à Præſide corpus Ieſu, miratus ille, quod iam obiiſſet, & accerſito Centurione, rogauit, ſi iam mortuus fuiſſet. Quod ſi periculoſa extitiſſet flagellatio, non in admirationem huiuſmodi raperetur, qui tot millibus verberum Ieſum viderat tam proximum exitio. Cõpone plagas Ieſu cum animi ipſius reſeruatione ſicut in ſanctiſſimo Iob, & ſint tibi milites Romani dæmones immaniſſimè Saluatorem diuerberantes. Nec enim fortitudo defuit in veritate, quæ præceſſit in typo.

12. *Ad columnã religatur.*

Duo inſuper requiram. Vnum quidem, an Ieſus proſtratus fuerit ad flagella excipienda? *Sin autem* (inquit Dominus) *eum, qui peccauit, dignum viderint plagis* Iudices, *proſternent, & coram eis facient verberari.* Deut. 25. Nihilominus reſpondeo, Ieſum non Iudaico, ſed Romano more cæſum columnæ fuiſſe illigatum. Teſtor ipſam columnam Herculeas ſuperantem. D. Hieron. in Epita. Paulę: *Oſtendebatur* (inquit) *columna Eccleſiæ porticum ſuſtinens infecta cruore Domini, ad quam vinctus dicitur, & flagellatus.* Eiuſdem partem Romæ oſtendi in templo S. Praxedis à pluribus teſtatum audiui, & legi. Hieron.

13. *Adfuit Deipara.*

Alterum denique, num Deipara viderit Ieſum flagris percuti? Dion. Carth. ſerm. de Paſ. & Metaph. de dorm. Deip. affirmatiuè reſpondent. Hic hiſce verbis: *Cum tempus adeſſet paſſionis, & iam abduceretur ad Pilatum, &c. Mater ſicut in aliis ſuperabat mulierem, ita hic videtur quoque pluſquam mulier, quæ ab illo minimè receſſit, ſed propius ſequebatur, nihil timens, quod eſſet formidabile.* Libenter ſubſcribo. Carth. Metaph.

IN

# IN IESVM PATIENTEM APVD PILATVM.

# Panegyricus quintus Moralis circa Literam.

## EX FLAGELLIS IESV.

## *OBSERVATIO I.*

Ad illa verba:

*Et flagellauit.*

Verbera Ieſu ex auaritiæ crudelitate effluxére.

*At nihil immanius auaritia.*

14. Chryſoſt. MILITES minimè imperati Ieſum ſpineâ coronâ crudeliſſimè ſtipauerunt. Quærit D. Chryſoſt. hom. 83. in Ioan. *Quomodo milites hæc faciebant, ſiquidem non præceperat Pilatus?* Reſpondet egregiè: *Ad Iudæorum gratiam. Neque enim noctu à Pilato iuſſi cum Iuda profecti ſunt: ſed pecunia à Iudæis allecti omnia audebant.* Si allecti pecunia audebant omnia, ad quæ non fuerant imperati: quid non auderent in ſacratiſſimum corpus Saluatoris & pecunia corrupti, & à Præſide iuſſi? Quam crudelis flagellario, vbi crudelitas auaritiæ, cum iuſſionis obſequio copulabatur!

15. *Iniuria hæ in fornace auaritiæ cõflata.* Bernard. D. Bernard. ſerm. 20. in Cant. appoſitè ponderauit peculiares Dominicæ paſſionis quaſdam iniurias in auaritiæ fornace fuiſſe conflatas: *Christi* (inquit) *opprobria, flagella, clauos, lanceam in fornace auaritiæ conflant.* Conflata hæc in fornace auaritiæ? Proculdubio communis crudelitatis terminos tranſilient. Tot tantaque fuêre opprobria, vt qui ſiti patiendi inflammabatur, his quodammodò ſaturaretur, iuxta illud: *Saturabitur opprobriis.* Non ſuffigetur tribus, ſed quatuor clauis, vt crudeliori afficiatur dolore. Lancea ſæuiet in cadauer. Quid flagella? Mirabar aliquando, quod quinque millia flagra exiſtere potuiſſent. Auaritiæ fornace flagellatio conflatur? Proh exiguus adnumeratus à Brigitta numerus verberum!

16. *Typus Samſon.* Vbinam conflatum Samſonis fortiſſimi exitium lacrymabile? Annon in fornace auaritiæ? Illigatur Nazaræus, quia à Philiſthæis Dalila audiuit: *Dabimus tibi mille & centum argenteos.*
Iud. 16. Ambroſ. Iud. 16. Ambr. lib. 2. Offic. c. 20. *Quid? Fortiſſimum omnium Samſon nonne Dalilæ auaritia decepit? Itaque ille, qui rugientem leonẽ manibus diſcerpſit ſuis, qui ſuns intextos neruis velut mollia ſtupæ fila dirupit, fragili vinculo illigatur.* Quid mirum auaritiæ vi, & crudelitate Nazaræum vinciri, ſi milites auaritia corrupti columnæ alligarunt Nazarenum?

17. Dauidis ex ore Dominus columnæ me iudice, illigatus: *Ecce ceperunt animam meam, irruerunt in me fortes.* Pſal. 58. Proh Deus immortalis! Plaga præſcriptum terminum præteriuit? Annon in Iob Ieſu patientis typo terminum poſuiſti, quem vel ipſe diabolus non præteriret? *Verumtamen animam illius ſerua.* Iob 1. Certum eſt *animam Saluatoris* (loquor cum Caſsia.) *nulla potuiſſe aduerſitate occupari.* At in præſenti vſque ad animam quodammodò penetrauit vulnus, quia non diabolus irruit in Ieſum, ſed *in me* (inquit) *irruerunt fortes.* Quinam fortes ij? *Qui* (D. Aug.) *ſperantes in diuitiis præualuerunt.* Quid non totius humanitatis terminos proſilirent milites, qui diuitiis, ex hac actione crudeliſſima, Iudæorũ ſperabãt augeri? *Irruerunt in Ieſum fortes ex pecunia milites.* Pſal. 58. Auguſt.

Non poterant milites illi patrare flagellationem, quæ quidem omnibus iam Nationibus commune ſupplicium. At modos verberationis crudeliſſimos excogitarũt. Quid crudelius, quid nouius, quàm hominem illuſionis gratiâ, chlamyde indui purpureâ, ſpinarum crudeliſſimarum redimiri coronâ? Id milites ab auaritia edocti patrauêre. Opportunè ad hæc D. Chryſoſt. hom. 6. ad Pop. *Qui pecunias diligit, & innumera proximo mala patrabit, & ſibi pariter cum illo.* Vel ſibi ipſi excogitabit acerbiſſimi ſupplicij exquiſita vulnera, qui dat operam auaritiæ. 18. *Auarus innumerorum proximo malorum patrator.* Chryſoſt.

## OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

*Et flagellauit.*

In Pilato & militibus omnes Ieſum diuerberarunt dæmones.

*Malleus vtique iuſtorum.*

19. Beda.

BEDA, qui ipſum Pilatum propriis manibus Ieſum flagellaſſe affirmat, ( cuius reiecimus ſententiam) id accidiſſe in typo ſcitè adnotauit. Liceat nobis à ſenſu Patris recedentibus, eius ex hoc capite placitum ponderare: *Primitus* (inquit) *ipſe Pilatus flagellauit, poſt militibus tradidit.* Porrò *Pilatus qui os malleatoris interpretatur, ſignificat diabolum, qui ſecundum Prophetam malleus eſt vniuerſa terra.* Pilatus itaque diabolus *malleator vniuerſa terra,* Ieſum flagellauit adeò immaniter, vt vſus malleo pro flagello, vim, quam ad totius orbis homines contundendos impendit, in vno diuerberando Ieſu copularit.

20. *Quam horribilis malleator dæmon vnum hominem vulnerauit*

Profectò operæpretium eſt contemplari, quàm horribilem, & crudelem ſe ſe præſtet diabolus *malleum* non *terra vniuerſa*, ſed hominis vnius. Ad mentem reuoca patientiſſimi Iobi hiſtoriam. D. Chryſoſtom. affirmat nuncium illum, qui quatuor clades Iobo aperuit, diabolum extitiſſe. Quatuor itaque verbera impegit vnus dæmon viro patientiſſimo. Videamus quid ſub mallei ictibus Rex? *Tunc ſurrexit Iob, & ſcidit veſtimenta ſua.* Cap. 1.

Iob. 1. Chryſoſt. Origen.

Quare ſcidit veſtes? Perpulchrè reſpondet Origen. *Conſcidit veſtimēta ſua, ſine mora ſemetipſum praparans ad plagas. Ecce, inquiens, corpus nudum, ecce corpus detectum. Vos flagellate inimici, tanquam Dei ſatellites; ego autem ſufferam, Vos verberate, ego autem ſuſtinebo, dicens cum Ieremia, Dorſum meum dedi ad flagella.* Vnus Satan acceſſerat non viſibiliter ſub percuſſoris habitu, ſed ſub nuncij compatienter enarrantis aſpectu, & adeò afficitur dolore vir, vt ſibi videatur omnes dæmones ſuſtinere percuſſores, ad ōmniaque flagella ab vniuerſis dæmoniis infligenda eſſe præparandum. Quid poſt omnium verberum impactionem? Veſtræ meditationi relinquam.

21. *Contritus eſt malleus percutiendo Ieſum.*

Si ergo vniuerſæ terræ Malleator omnes hodie vires, quibus omnes iuſtos contundebat, imò peccatores, vt vnum vulneraret Ieſum: quot flagella, quot vulnera! quanta Deus immortalis, huiuſce diuerberationis crudelitas! Vultis apertè oſtendam? Audite Ieremiam: *Quomodo confractus, & contritus eſt malleus vniuerſa terra.* Cap. 50. Vbi D. Bernard. de tranſ. Malac.

Ierem. 50. Bernard.

*Diabolus* (inquit) *tanquam malleus cœleſtis opificis factus eſt malleus vniuerſa terra. Terit electos ad eorum vtilitatem, reprobos conterit in eorum damnationem.* Si fortè contingat malleum vulnerando confringi, tunc equidem quando grauiori cum impetu deſcendit: an non apertè oſtendetur tunc grauius vulneraſſe? Quis dubitet? Probo igitur Ieſum grauius fuiſſe omnibus iuſtis, omnibus peccatoribus vulneratum. Quia malleus percutiendo Ieſum confractus eſt. Quærit Propheta: *Quomodo confractus, & contritus eſt malleus vniuerſa terra?* Num percutiendo iuſtos? Num contundendo peccatores? D. Bernard. omnes hoc malleo percuſſos affirmat, & tamen malleus integer perſeuerat. Profectò tunc confractus eſt malleus, & contritus, quando Ieſus flagellatus eſt. Huc reuoco pulchram Orig. hom. 3. in Ierem. ſentētiam:

Orig.

*Chriſtus* (inquit) *malleum hunc contriuit in paſſione* Ergo numquam tam crudeliter vulnerauit. En vnius crudelitas malleatoris.

22. Enimverò ex Bedæ ſententia poſtquam malleator Pilatus Dominum flagellauit, militibus vlterius percutiendum commiſit. Non enim ſolus Satan, ſed omnes tenebrarum Principes mallei, quibus ſinguli totum orbem contundit, Chriſtum Dominum vulnerauēre.

*Omnes dæmones malleatores contudere Ieſ.*

Appoſitè Origenes homil. 35. in Matth. crudelitatem militum flagellantium Dominum depingens fatur:

Orig.

*Ego autem puto milites hoc feciſſe operantibus in ſe inuiſibilibus Regibus, & Principibus ſeculi huius, qui aſtiterunt, & conuenerunt in vnum aduerſus Dominum.* Nec enim tam immanes in Ieſum, ſi non omnes malleatores in vnum conueniſſent, ad vnum fortiſſimum lapidem percutiendum.

## OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

### *Et flagellauit.*

### Vapulauit Ieſus vſque ad Iudaicæ crudelitatis, & inuidiæ ſatietatem.

*At Iudæi nonne immaniſſimi Dominici ſanguinis profuſores?*

PILATVS *autem volens populo ſatisfacere*, Ieſum flagellis cecīdit. Vbi Beda: *Quod quidem ideò feciſſe credendum eſt, vt ſatiati pœnis, & opprobriis eius, Iudæi mortem eius vltra ſitire deſiſterent.* Quam dira flagellatio, quæ arbitrante Pilato, potuit exſatiare Iudæos! 23. Beda.

In cuius expoſitionem expendam, quanta Iudaica ſanguinis ſitis. Naturalis huic peſſimæ generationi auiditas ſanguinis. Sæpè ſæpius Lex prohibebat Hebræis ſanguinis eſum. Cuius ſi cauſam requiras, audi Theod. q. 2. *Cur tam frequens interdixit Iudæis eſum ſanguinis? Æſtimo legis ſcopum eſſe, nempe vt cruentum eorum ſanaret animum.* 24. *Naturalis Iudæis ſanguinis ſitis.* Deut. 1. Theod.

Id quod Saluator aperuit hiſce verbis: *Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ab origine mundi, à ſanguine Abel iuſti vſque ad ſanguinem Zacharia.* Matthæi 23. Quonam modo Iudæi omnis effuſi iuſtorum ſanguinis rei eſſe potuerunt? Alij aliter. Ego equidem ideò reor Iudæos effuſi omnis iuſti ſanguinis illigati reatu, quia adeò crudeles, vt ſi non effectu, ſaltem affectu & effundi deſiderent, & gaudeant effuſum. 25. *Eorum crudelitati tribuitur omnis ſanguis effuſus.* Matth. 23.

Euſebium Emiſſenum hom. de S. Stephan. do huiuſce expoſitionis confirmatorem. Euſeb. *His* (ait) *verbis Saluator dicere videtur, quòd hac impia generatio tantum pœnam pro ſcelere patiatur, quantam pateretur, ſi omnium ſanguinem fudiſſet.* Quia omnes occidit affectu: Nec enim de effuſione huiuſce ſanguinis pœna immineret Iudæis non actu percutientibus, ſi non illum affectu profudiſſent.

26. *Omnē Chriſtianum ſanguinē effundi expetunt.* Math. 27.

Quid de ſiti ex Dominico ſanguine adiungam? *Sanguis* (inclamant) *ſuper nos, & ſuper filios noſtros.* Matth. 27. Ac ſi dicerent, Nos filiique noſtri,

noſtri, adeò hoc ſanguine exſatiari cupimus, vt nullus ſit Chriſticola, cuiur non ſiccis faucibur potaremus cruorem. Vnum teſtor Proditorem tam Dominici ſanguinis ſitibundum, vt ſe ſe (Rupert.) addixerit laqueo, (auctore Ruperro in Mar.) quia Chriſti nomen omninò extinguere non potuiſſet. Porrò Euſebiur Emiſ. citat. pulchrè (Euſeb.) huiuſcemodi ſitir ardorem expreſſit fatus: *Nemo Chriſtianorum vſquam occiſus eſt, qui Iudæorum, vel manibus, vel affectu non ſit occiſus.*

27. *Indicat Pilatus ex flagellato Ieſu hanc ſanguinis ſitim extinguendā.* Enimverò Pilatus, qui apertè dignoſcebat innatam Iudæorum ſanguinir ſitim, & ſpecialem auiditatem ad Dominicum cruorem, quādo deſperatam omninò ducebar Ieſu liberationem: machinatus eſt ſupplicium, quo infallibiliter (vti ſibi videbatur, & non ſine maximo fundamine) ſperabat fore, vt ſitis vel Iudæorum expleterur: *Flagellauit Ieſum.* Quam dirè, quam immaniter percuteret eum, ſi ad Iudæorum ſatietatem erat vulnerandur! (Beda.) *Vt ſi ſatiati pœnis eius, Iudæi mortem eius vltra ſitire deſiſterent.*

28. *Iudæi ſatiati tunc pœnis Saluatoris.* Num Pilatus habuit intentum? Habuit profectò. Iudæi enim Ieſu opprobriir & vulneribus, fluentique cruore exſatiati fuēre, licet, in morem eorum qui Bacho deſeruiunt, affectum minimè auerterunt à vino. Tollit ebriur ex ore ſcyphum, non quia ſibi inuiſum, ſed quia tunc exſatiatur, reliquum reſeruat in poſterum. Haud aliter exiſtimo ſatiator fuiſſe Iudæos flagellis Ieſu. Quando Pilatus Chriſtum tot vulneribur affectum Iudæis oſtentauit, illi inclamauerunt: *Tolle, tolle, crucifige.* Ioan. 19. (D.Thom.) Tolli profectò quaſi exſatiari iubent. D.Thom. in Ioan. egregiè: *Per hoc inſinuantes, quod nec eum videre poterant. Grauis eſt etiam ad videndum.* Vti accidit eir, qui nimio potu aut cibo pleni, etiam grauis ſibi vel ciborum poculique aſpectus. Si exſatiati, cur cruci ſuffigi vociferantur? Ebrij tunc, calicem iubent in poſterum cuſtodiri.

# OBSERVATIO IV.

Ad illa verba:

*Et flagellauit.*

## Patientiſſimus Ieſus voluntatis Paternæ memor erat, vt illigari, & flagellari permitteret.

*Vbi quàm paternis legibus illigemur.*

29. Aliter oſtendo huiuſce flagellationir immanitatem. Opus fuir patientiſſimo Ieſu ad memoriam reuocare paternam voluntatem circa illigationem ad columnam, & verberationem; vt ad vulnera pararetur. In cuius illuſtratiunem præmitto

30. *Repellit Petrū curantem ne Ieſus pateretur.* Dominicæ tolerantiæ robur.

Bis Petrus Ieſum abſtrahere conatus fuit à paſſione: *Abſit à te Domine, non erit tibi hoc.* *Conuerſus dixit Petro, Vade poſt me Satana, ſcandalum es mihi.* Matth.16. (Matth. 16.) Vbi Caietan. (Caiet.) *Eadem ſeueritate reprehendit & diabolum ad idololatriā prouocantem, & Diſcipulum mortem impedientem.* Iam etenim rurſur prouocauerat apud hortum Malchum vulnerando, Ieſum à manibus armatorum eripere. At tunc (vt adnotauit Tertull. lib. de Pat.) (Tertull.) *Patientia Domini in Malcho vulnerata eſt.* Noluit enim pāti ſciſſionem in *patientia.* Quaſi diceret: Tam properanter ad patiendum currebat, vt morula illa patientia Domini vulneraretur: *Vade* igitur *poſt me*, non ante me; ne ſcandala per te mihi ſtatuantur, quibus mors paſſioque mea poſſit retardari.

31. *Iudam appellauit amicum dum eius comprehenſioni dat operam.* Imò qui amicum Petrum diabolum appellauit, quia eum retardare curabat, ne properaret ad mortem: diabolum Iudam vocauit quodammodo amicum; quia circa proſperum ſuum è mundo diſceſſum ſatagebat: *Amice,* (inquit) *ad quid veniſti?* Matth.26. (Matt.26.) Non erat opus, vt accederes, iam me ad paſſionem properante. Tu currebar, ſed ego feſtinantior Diſcipulis inclamabam: *Surgite, eamus. Ecce appropinquat, qui me tradet.* Nec enim patiar, velociorem ad me tradendum Proditorem accedere: *Ad quid* igitur *veniſti*, ſi ego te iam requirere feſtinabam? Alibi Dominur Proditori: *Quod facis fac citius.* Ac ſi diceret, Num velocior currer? Siue (vt Hiſpanicè explicem) *Apoſtemos, à qual corre mas.* Tu videlicet ad tradendum me paſſioni, an ego ad præoccupandam hoſtium ſæuitiam? Curre, properabo. Proh curſoris inertiam, & pigritiam! *Quod facis, fac citius.* Quam ſcitè D.Bernard. ſerm. 3. de Cœn. Domin. (Bernard.) *Domine Ieſu vita mea, decus Angelorum, quantum eos diligebas, pro quibus mori cupiebas! Nobis vitam, tibi mortem affectabas. Sedulò cogitate, quantum eſt diligendus, qui ſe tradentem ad mortem ſic hortabatur!*

32. *Memor paternæ legis illigari permiſit.* Iam venio ad flagellationis inſtantiam. Profectò qui tam velociter ad paſſionem currebat ad columnæ, ad flagellorum conſpectum adeò afficitur, vt ſi Paternæ voluntatir memor non eſſet, non permitteret illigari. Obiicite, precor, (Gen. 22.) Abrahamum obedientiſſimum Iſaacum illigantem, ne vulnus refugeret. Porrò ocioſa videbitur actio Patriarchæ. Si tam obediens Iſaac vulneraturo ſubmittitur, quid neceſſaria vincula? Rupert. (Rupert) exiſtimat in Iſaaco Ieſum à cœleſti Parente fuiſſe adſtrictum ſpecialiſſimæ obedientię legibur, ne aufugeret columnæ alligari: *Colligauit planè Deus Pater Filium ſuum non imbecillitatis vinculo, ſed magna charitatis imperio, ne oblatum calicem paſſionis abigeret. Vnde in Pſalmo dicitur, Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me.* Quaſi ipſe Pater manus Ieſu teneret, vti à militibus columnæ religarentur. Illud expende: *Ne oblatum calicem paſſionis abigeret*, & contemplare, num apud hortum non mortis calicem præterire efflagitaret; ſed vnam duntaxar flagellationem?

## OBSERVATIO V.

Ad illa verba:

*Et flagellauit.*

### Quodammodo Ieſus ignorabat fore, vt poſſet diuerberari.

*Vbi de humana incrementis malitia, id audentis quod Dei quodammodo fugit cognitionem.*

34. TAM ingens verberationis immaniſſimæ opprobrium, vt quodammodo Ieſu ſapientiſſimo haud veniret in mentem huiuſcemodi genus ſupplicij. Numquam, ac ſi diceret. ô Pater, credidi (fari ſic liceat, vt huiuſmodi exaggeratione flagellorum immanitas magis innoteſcat) poſſe me ad tantam ſubmitti abiectionem, vt tam immaniter verberarer.

35. *Quemadmodo Ieſus ignorauit flagellationem.* Psal. 34. Hieron. Audite Ieſum ex ore Dauidico inclamantem: *Congregata ſunt ſuper me flagella, & ignoraui.* Pſalm. 34. Exponit ſic D. Hieron. *Cum Pilatus dixit, Dimittam eum emendatum, id eſt, flagellatum, Et ignoraui. Non quod ignoraret Christus aliquid. Sed ignoraui, quia propter quod iſtud mihi accidit, non commiſi, nec habui conſcientiam peccati, propter quod flagellari debuerim.* Rectè Pater. Sed accommodatiùs argumento huiuſmodi ſenſum admittit carmen. Tam à mea innocentia abſtracta flagellatio, vt quando irruentes in me viderim milites illigaturos columnæ, vt me diuerberarent, quaſi de re inſolita, & quamuis preſſus patiendi ſiti quodammodo non præuiderim. Hac exaggeratione exponit locum Theodoretus: *Ipſi cum turbis me inuaſerunt, interficere ſperantes, & ſubitò irruentes ignorantem me alligare conati ſunt. Hoc enim dicunt verba illa: Congregata ſunt ſuper me flagella, & ignoraui.* Symmachus: *Congregati ſunt ſuper me percuſſores, & neſciui.* Vulgariter exponam. *Nunca tal penſe.*

Theodor.

Symmach.

36. *Huiuſce ignorationis typus Iſaac.* Gen. 22. Olim ductus Iſaac ad ſacrificium, dum ignem & ligna præparata aſpiceret, requirens victimam holocauſti rogat: *Ecce ignis, & ligna, vbi eſt victima holocauſti?* Gen. 22. Vbinam agnus, aut vitulus vinciendus, illigandus? Nam victimæ vocabulum à vinciendo deductum placet aliquibus, quia offerendæ, mactandæque vinciebantur, religabantur. Ignorabat planè Iſaac; ſe vllo modo vinciendum. Cuinam etenim ſenſato veniret in mentem vnicum filium ... Patriarcharum vinculis illigandum? Profectò hoc ignorauit typum Ieſu vinculis ad columnam religandi. Egregia hæc fuit Lypomani excogitatio: *Interrogat* (inquit) *Iſaac patrem de victima holocauſti. Quia ignorare videtur Dominus Ieſus, cur patiatur. Vnde in perſona eius dicitur, Congregata ſunt ſuper me flagella, & ignoraui.* Quis enim crederet vnigenitum Filium tanquam mancipium religandum?

Lypoman.

37. *Confirmatur ex Ieremia.* Ierem. 11. Heſych. Conteſtatur, Ieremias cuius ex ore Ieſus clamat: *Et ego quaſi Agnus manſuetus, qui portatur ad victimam, & non cognoui.* Cap. 11. Vbi Heſychius ad Pſalm. 34. de Ieſu adducto, vt religatus columnæ vapularet, explicat locum. Inſtar Iſaac ego ducebar ad victimam, ad religationem; quæ quidem tam à Filio vnigenito abſtracta, vt quodammodo non cognouerim, numquam in meam mentem occurrerit.

38. *Vel ſapientiſſimus in paſſione ignorat.* Zach. 3. Hieron. Pondero excogitationem hanc ex Ieſu ſapientia & ſcientia circa paſſionis iniurias. Zacharias: *Super lapidem vnum ſeptem oculi ſunt, ecce ego cælabo ſculpturam eius.* Cap. 3. Vbi Hieronym. in proœmiali. Obſer. datus, in oculis ſeptem totidem Spiritus ſancti dona contemplatur. Quorum tria: *Intellectus, ſapientia, ſcientia.* Non enim ſemel, ſed iterum, atque rurſum Dominus ſapiens in paſſione exhibetur, vt innuatur, nullum non opprobrium apertiſſimè cognouiſſe, nihil ex ignorantia perpeſſum, ſed omnia ſcientem & volentem fuiſſe amplexum: *Deus meus volui.* Iam requiris. Si omnia ſapientiſſimus cognouit, quonammodo inclamitat, ſe ſe illigationem, & verberationem ignorauiſſe, & (vti aptius lingua materna expendam) *parece que ſe haze de nueuas?* Vt hominum execrabile flagitium, & huiuſcemodi ingentis iniuriæ appareat magnitudo, hac Ieſus vtitur exaggeratione. Innumera, eaque ingentia ſupplicia præueni. Attamen tam impudens hoſtium meorum flagitium in cuiuſnam cordati veniret excogitationem? De crucis ingentiori ignominia alibi ſermo.

## OBSERVATIO VI.

Ad illa verba:

*Et flagellauit.*

### Ingens admodum flagellationis opprobrium, quod Deus patiens redditor quodam modo puniuit ex parte, priuſquam machinaretur.

*Vbi de diuina erga peccatores tolerantia.*

QVID ſegnius Deo, quando ad vindictam accingitur? Immenſis propemodum vtitur moris, vel poſtquam decreuit vindicare: *Non permanebit* (inquit) *Spiritus meus in homine, quia caro eſt.* Deleri omninò carnales homines decernit. 39.
Adiicit tamen: *Eruntque dies illius centum viginti annorum. Gigantes autem erant ſuper terram in diebus illis: iſti ſunt potentes à ſæculo viri famoſi.* Gen. 6. Famoſi equidem ſceleribus, interprete Geneſ. 6.
D. Chryſoſt. hom. 22. Proh Deus immortalis! Chryſoſt.
Annon deleturus Gigantes ſceleribus potentes & famoſos in iram exardeſces? Ita planè. Quare igitur tot annorum interſtitio ſupplicium differtur? niſi vt appareat, quam præpoſterus Deus ad crimina vindicanda?

Imò

40. *Quæcumque mora Deo patienti redditori exigua.*

Imò tunc, cum tam procul ſupplicium conſpiciebatur, quaſi pro foribus inſtabat, ſi Dei tarditas circa inferendam vindictam conſideretur. Arcam Dominus fabricari iuſſit, in qua Noë, eiuſque familia diluuio liberarentur. Cuius equidem fabrica centum æquauit annos. Nam quingenteſimo ætatis anno opus aggreſſus, ſexcenteſimo perfecit. Geneſ. 7. Ad quem locum D. Chryſoſt. *Cum tot annis audiſſent peccatores, quia ante fores eſſet interitus, neque ſic à malitia ceſſarant.* Illam particulam premo: *Quia antè fores eſſet interitus.* Num antè fores aderat clades, quæ poſt centum annos futura prædicabatur? Porrò ea eſt Dei tarditas ad ſupplicium inferendum, vt etiam tam dilata pœna iam iam inſtare, & pro foribus adeſſe videatur.

Geneſ. 7. Chryſoſt.

41. *Probatur ex iudicio extremo.*

Quid ſi quod in nouiſſima die futurum eſt delinquentibus ſupplicium, quaſi iam prætertierit Deo patientiſſimo expectatori? *Tetendit* (inquit Propheta) *arcum ſuum, & poſuit me quaſi ſignum ad ſagittam.* Thr. 3. D. Hieronym. locum exponit de iudicij die: *In arcu* (ait) *quanto longius trahitur corda, tanto de eo diſtrictior exit ſagitta; ſic extremi iudicij dies, quanto longius differtur, vt veniat, tanto, cum venerit, de illo diſtrictior ſententia procedit.* Si ſagitta diuinæ vltionis iudicij extremi die debet auolare, quonam modo ad ſcopum contracto arcu iam Deus ſtatuitur? Quia tam patiens redditor, vt iam ſibi præteriiſſe videatur, quod in nouiſſima die præſtandum eſt.

Thr. 3. Hieron.

42. *Maior acceleratio ſupplicij peccati maiorē malitiam arguit plerumque.*

Hoc præmiſſo. Dic mihi obſecro, ſi Deus repente puniat peccatorem tunc cum delinquit, nonne perſpicacius ſæpè documentum eſt grauiſſimum extitiſſe flagitium? Ita planè, quod facillimo negotio probare poſſemus. Adhuc requiro, ſi non ſolum punitio peccati comitaretur actionem, ſed longe ante flagitium in peccatorem Deus inſurgeret puniendum, quid? Argumentum mihi eſſet flagitium illud incredibilis ponderis exiturum. Exhibeo exemplum. Cain ad Abel: *Egrediamur foras.* Geneſ. 4. Septuag. *Egrediamur in agrum.* Addit Ambroſ. lib. de Abel. *Sterilem, & infæcundum.* Vndenam ager ille ſterilitate laborabat? Num ex communi maledictione: *Spinas, & tribulos germinabit tibi?* Doctor reſpondet egregiè: *Tanquam præſagiens futura tanti ſcelerum, in loco germina denegauerat.* Et adiicit: *Quia non conueniebat, vt idem ſolum & contagia parricidalis ſanguinis reciperet præter natura, & fructus ſecundum naturam germinaret.* Tam graue Cain delictum ab ipſo mundi primordio ex parte quodam modo vindicatur (liceat mihi huiuſmodi vti exaggeratione ſcienti ſupplicium non præcedere, ſed ſequi delicta) dum agricolæ immani terra fructus denegauit priuſquam innocens ſanguis funderetur. Nec enim infœcunditas terræ illius dignoſci poſſet, niſi quia ſementis redditum denegarit.

Geneſ. 4. Ambroſ.

43. *Ieſum flagellantē prius flagellaturos ſe.*

Hinc dignoſcere datur, quàm incredibile flagitium flagellatio Ieſu, quando benigniſſimus, patientiſſimus, qui tot ſæcula differt vindictam, non ſolùm puniuit Iudæos ſe militum manibus flagellatores tum, cum vulnerant, aut proximè poſt diuerberationem; verum antequam eis flagellatio veniret in mentem, iam Ieſus in eos pro flagellatione vel myſticè vindicabat. Referte, quæſo, ad memoriam Dominum in Templum Ieroſolymæ ingredientem, efficientemque de funiculis flagellum, vt Templi prophanatores flagellaret. Dic mihi benignitatis fons, cur tam ſeuerus nunc (quando iudicandus, non iudicaturus) in peccatores inſurgis? Exiſtimo tunc in memoriam Ieſu occurriſſe, ſe ab illis, ſiue eorum cauſa eſſe verberandum. Vnde ab eis flagellandus, prius eos flagellauit. Illuſtro cogitationem hanc pulchra D. Auguſt. tract. 10. in Ioan. ſententia: *Qui flagellandus erat ab eis, prius illos flagellauit.* O quàm ingens iniuria, quæ nondum machinata eſt, & iam quodam modo vindicatur!

Ioan. 2. Auguſt.

# OBSERVATIO VII.

Ad illa verba:

*Et flagellauit.*

## Numerus flagellorum Ieſu quodam modo peccatoris verberum numerum adæquauit.

*Vbi de multiplici flagello peccatorum.*

44. Auguſt.

Divvs Auguſt. apud D. Thom. penè infinitum flagellorum numerum ſic deſcribit: *Ecce Dominus aptatur ad verbera, ecce iam caeditur; rumpit ſanctam cutem violentia flagellorum, repetitis ictibus crudelia verbera ſcapularum terga conſcindunt. Proh dolor! Tacet extenſus ante hominem Deus, & ſupplicium patitur rei, in quo nullum peccati veſtigium potuit inueniri.* Illud adnota: *Supplicium patitur rei.* Id eſt, quod reus mundus, ſiue omnes peccatores paſſuri fuerāt, vnus patitur Ieſus.

45. *Verbera Ieſu, vt peccatoris verberibus reſpondeant.* Pſal. 32. Innocent.

Vnde colligo innumerabilia fuiſſe verbera Ieſu, ſi peccatorum verberibus reſponderunt. Audite Dauidem: *Multa flagella peccatoris.* Pſal. 32. Ad quem locum ſic opportunè D. Innocen. III. *Multa meritò dicantur flagella peccatoris, quia & in carne flagellatur exterius, & in mente flagellatur interius. Flagellatur ex culpa, flagellatur ex pœna, flagellatur à Deo, flagellatur ab homine, flagellatur à mundo, & flagellatur à dæmone, Nec poſſit quis per ſingula enumerare peccatorum flagella.* Ieſus igitur innumeris verberibus cæſus eſt, quia ſuſtinuit verbera peccatorum. Pulchrè D. Hieron. in cat. D. Thom. *Ieſum flagellatum tradidit eis. Hoc autem factum eſt, vt (quia ſcriptum erat, Multa flagella peccatorum) illo flagello nos à verberibus liberemur.*

Hieron.

46. *Pro menſura delicti plagarum modus.* Deut. 25. Auguſt.

*Pro menſura delicti, erit* (inquit Deus) *& plagarum modus.* Deut. 25. Maximæ delictorum menſuræ hominum menſura maxima plagarum reſpondet. Obiter ex præmiſſis D. Auguſt. cit. verbis illud premendum accipe: *Ecce iam caeditur, rumpit ſanctam cutem violentia flagellorum.* Ac ſi diceret, primis vulneribus cutis ſacratiſſima extrahitur. Si ergo innumera flagella ad menſuram verberum peccatoris, quid efficerent reliqua vulnera, dum prima Dominicam

cutem

entem extraxere? Fateor me exaggerationibus vſum, ſi numerus vulnerum ſit recenſendus. At ſi qualitatem perpendamus, in conſpectu Dei flagellati, vnicum vulnus omnium flagellorum peccatoris numerum tranſilit.

47. *Pulchra Bernard. ponderationes.* Bernard.

Hinc D. Bernard. ſerm. 4. Hebdo. iuſta admiratio: *Vide nunc opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram. Flagellis caſus eſt.* Et verè maximum prodigium, Dominum illigari columnæ, & tot flagellis contundi: *Flagellis caſus eſt, hinc guttæ ſanguinis decurrentis in terram.* Ac ſi verberum memoria tam prodigioſo ſudoris profluxui ſterneret viam, imò ad curſum impelleret. Addit: *Miſericordia Domini multa, ſed & miſeria Domini multa. Hinc dolores, hinc miſerationes. Hinc oleum exultationis, hinc ſanguinis guttæ decurrentis in terram. Vincentne miſeriæ miſericordias; an miſericordiæ miſerias ſuperabunt?* Reſpondet, *Vincant miſericordiæ tuæ antiquæ Domine. Planè foderunt impatientiæ foueam, occaſiones indignationis plurimas, & permaximas miniſtrantes. Sed quid horum fouea ad abyſſum manſuetudinis tuæ?* Quaſi horribile adeò hoc facinus ſit, vt miſericordiæ abyſſo ſit obruendum.

# OBSERVATIO VIII.

Ad illa verba:

## *Et flagellauit.*

## Ex petra Dominica flagellis contuſa oleum noſtri medicaminis effluxit.

*Vbi de mirabili Dei benignitate.*

48. NON ſolùm Ieſus & militibus, & peccatoribus percutientibus ignouit, verum tantam exhibuit parcendo pietatem, vt ipſi aculei, qui alios impellerent ad iram, ſtimuli extiterint Ieſu ad miſerationem.

49. *Pro flagellatoribus orat in cruce.* Matth. 27. Iſai. 57. Hieron.

In cuius expoſitionem illa verba Dominica expende: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* Matth. 27. Hieronym. ad illud Iſaiæ: *Ad modicum quid contriſtaui eum, & percuſſi eum, & auerti faciem meam ab eo.* Cap. 57. *Auertit* (ait) *Deus faciem ſuam ab eo, vt formam ſerui pauliſper acciperet.* Quando ſcilicet pro hominum peccatis diuerberatus eſt. Tūc igitur duas Chriſtus ſententias copulauit. Vnam, *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* Alteram, *Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* Ac ſi diceret, Pater, rependè vicem, ſi faciem pauliſper auertiſti à me, dum verberarer; pauliſper nunc conuerte faciem tuam, vt reſpicias flagellatores. Hæc ex mente Bernard. ſerm. Hebdom. pœn. *Flagellis caſus eſt, omnium tamen dolorum*

Bernard.

*immemor, Ignoſce, ait, illis.* Quàm immenſa illius pietas, qui flagellatus immaniter, tamen pro flagellatoribus exorat!

Appoſitè Paulus: *Charitas patiens eſt, benigna eſt.* 1. Corinth. 13. Quàm patiens! Lapidis duriſſimi Ieſus flagris innumeris percuſſus referebat imaginem. Quàm benigna! Percuſſus lapis ignem amoris offerebat: *Pater ignoſce illis.* D. Bernard. vbi ſupra: *Ille clamas: Ignoſce; Charitas patiens eſt: ſufficit? Benigna eſt, cumulus eſt. Non enim ſola patientia ſed & benignitas Iudæos ad pœnitentiam adduxit. Quia benigna charitas etiam eos quos tolerat amat & amat tam ardēter. O Iudæi lapides eſtis ſed lapidem percutitis,* ignē ſcilicet emittentem. Quis crederet iniuriæ vulnere profundendum oleum in ipſius iniuriantis medicamen? *De quo lapide* (adiicit) *reſonat tinnitus & ebullit oleum pietatis:* Illud: *Tinnitus pietatis* pondera. Ille namque flagellorum ſtrepitus vox eſt obmuteſcentis Agni ad Patrem pientiſſimè emiſſa, inſonanſque: *Pater ignoſce.* 50.

*Ex lapide Ieſu percuſſo flagellis ignis fluit.* 1. Cor. 13. Bernard.

Quidam profectò flagellantur à Deo, vt purgentur, alij vt probentur. Ieſus innocentiſſimus non purgatur, ſanctitatis vertex non probatur. Vnde totum huiuſce flagellationis fructum flagellatoribus reconciliandis impendit. Id quod acutè D. Bernard. ibid. hiſce verbis expreſſit: *Flectuntur aliqui pro peccatis ſuis, & humiliter ſuſtinent; hoc tamen eis ad patientiam reputatur. Flagellantur alij non tam purgandi, quam probandi, & maior in eis patientia comprobatur. Quomodo non maximum cenſeatur in Chriſto, qui in funiculo hæreditatis ſuæ ab his, quibus ſpecialiter aduenerat, mulctabatur ſicut fur, nullum omninò peccatum; ſed neque in quo creſcere poſſet, habens, nimirum in quo Deus eſt, mundum reconcilians ſibi faciat opus ſuum?* Hoc opus, hic labor verberati Ieſu, non purgari, non probari, ſed flagellatorem mundum Patri reconciliare. 51.

*Ieſus pretiū omne flagellorum ſanādo percuſſori impendit.* Bern.

Imò non habens in ſe quod abluere poſſet ſanguis ex verberibus effuſus, nulla Ieſu cura niſi de veſtimentis, id eſt, peccatoribus abluendis. Hoc reſonant illa verba: *Lauit in vino ſtolam ſuam.* Gen. 49. Et illa: *Quare rubrum eſt veſtimentum tuum?* Conteſtatur Dauid: *Propter te* (ait Dominus) *ſuſtinui opprobrium.* Pſalm. 68. Non propter me flagellor, qui nihil rapui; ſed propter te raptorem. D. Auguſt. *Nihil magnum eſt, quod dicitur, Suſtinui; ſed quod dicitur, Propter te ſuſtinui. Si enim ſuſtines, quia peccaſti; propter te ſuſtines. Ille omninò nihil rapuerat.* 52.

*Abluit maculas noſtras ſanguine è flagellis fluxo.* Gen. 49. Iſai. 53. Pſalm. 68.

Profectò Ieſus flagellis ſuis nos Patri reconciliauit, mundum donauit pace, nos fures eripuit à flagellis, Iſaias: *Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum.* Cap. 53. Quem locum ſic Gilleb. interpretatur: *Diſciplinam debitā nobis pœnā Chriſtus ſuſtinuit, vt nobis iuſtitia pacem refunderet. Ipſe punitus, tu repropitiatus. Et tu punitus, ſed pœna tua pacem tibi parturire non potuit. O miſera & grauis diſciplina ſuper filios Adam conterens, ſed non protegens; puniens, ſed non purgans; conſumens, ſed non conciliāns. Diſciplina ergo pacis noſtræ ſuper eum, qui nobis attulit fructus pacatos iuſtitiæ.* 53.

*Mundum pacificauit Ieſus flagellatus.* Iſai. 53. Gilleb.

## SECTIO SEXTA.

# SPINÆ IESV.

## EX CAP. XXVII. MATTHÆI.

## *TEXTVS.*

*Verſ.* 28. Exuentes eum, chlamydem coccineam circundederunt ei.
*Verſ.* 29. Et plectentes coronam de ſpinis poſuerunt ſuper caput eius, & arundinem in dextra eius, &c.

## *COMMENTARIVS LITERALIS.*

### §. I.

### *Ieſus à militibus coronatur.*

1. *Cohors quid?* Paſchaſ. EXVENTES *eum.*]Conuocant milites totam cohortem,& per lodibrium induunt eum purpurea veſte, capitique imponunt coronam è ſpinis contextam,ſic ornatum cœperunt conſalutare dicentes: *Aue Rex Iudæorum.* Congregatam vniuerſam cohortem ad coronationem Ieſu Euangeliſtæ tradũt. *Cohors illa* (ait. D. Paſchaſ.lib. 12.) *multitudo militum erat. Quia in vna cohorte dicuntur trecenti, aut multò amplius milites eſſe, quorum numerus illam inuiſibilem deſignabat, contra quos dimicare Chriſtus venerat.*

2. *Coronationis tempus.* Num coronatus, poſtquam traditus eſt,vt crucifigeretur? Matthæus id videtur ſignificare. Ex Ioanne tamen perſpicuum,antequam traderetur ſuffigendus,fuiſſe coronatum,populoque oſtenſum, vt liberaretur. Matthæo autem reſpondeo cum D.Aug. vſum fuiſſe Euangeliſtam recapitulatione.

3. *Huiuſce illuſionis occaſio.* Paſchaſ. Quare milites Ieſum ſpineâ coronâ indutum purpurâ ſtipauerunt? Paſchaſ. reſpondet, *Audierant, quia Rex fuerat nominatus Iudæorum, & ideò illudunt nomini, non intelligentes, quid agerent.* Equidem, me auctore,cum audiſſent milites Chriſtum à Iudæis accuſari quod Regem ſe faceret, idcircò Regem illum ludicrum creauerunt Ad quod excitatos fuiſſe reor,quia ex domo Herodis veluti Regni candidatus, candida veſte indutus remiſſus fuerat. Vnde Romani milites honorem ipſum cuius acceſſerat candidatus, in domo Pilati ridiculè tribuebant.

4. *Num Pilatus huiuſce illuſionis auctor.* An vltronei milites? Superiùs innuimus pecunia Iudæorum corruptos id præſtitiſſe, vt Iudæis gratiam referrent, ſeu aptius dixerim, mercedis laborem. Alij reſpondent iuſſos à Pilato illuſioni Ieſu dediſſe operam,vt miſerabilior Iudæis redderetur. Sentio cum D.Aug. fante. *Hic apparet non ignorante Pilato hæc a militibus facta. ſiue iuſſerit ea,ſiue permiſerit. Illa ſcilicet cauſa, vt hæc eius ludibria inimici libentiſſimè biberent,& vlterius ſanguinem non ſitirent. Exiuit ergo Ieſus portans coronam ſpineam.* Et infrà, *Regem veſtrum crucifigam?* Ioan. 16. Ergo conſultò Pilatus coronatum produxit, vt Regem miſerandum potius,quam inuidendum oſtentaret.

### §. II.

### *Huiuſce Regni inſignia.*

5. *Quid chlamys?* CHlamydem coccineam circundederunt ei.] Chlamys propriè veſtis eſt militaris,pallio breuior,& aſtrictior. Vnde Poëta,

*----Ipſe agmine Pallas*
*In medio chlamyde,& pictis cõſpectus in armis.*

Dicitur à Marco & Ioanne veſtis *purpurea*, à noſtro Matthæo *coccinea.* Quod idem ferè. Quamuis coccinea à cocco dicatur, id eſt, grano; purpurea verò à purpura, id eſt, piſce conchæ incola, in faucibus habente liquorem, quo indumenta purpureo decore exornabantur. Ambroſ. D. Ambroſ. vocabulorum varietatem ſecutus, duabus putat veſtibus Ieſum à militibus indutum. *Chlamyde* (inquit) *coccinea induitur à militibus, & purpurea tunica in altera deſignans martyrum palmas, in altera Regia poteſtatis inſignia.*

6. *Vna ſolummodo veſte illuſus Dominus.* Vnam equidem fuiſſe ſiue coccineam ſiue purpuream veſtem probabilior opinio, quam confirmo ex D. Aug. *Intelligatur itaque quod Matthæus ait: Chlamydem coccineam circundederunt ei, hoc Marcum dixiſſe: Indutum purpura. Pro Regia enim purpura chlamys illa coccinea ab illudentibus adhibita erat, & eſt rubra quadam purpura cocco ſimillima.*

7. *An in formã pilei corona.* Vincent. Gabriel. *Et plectentes coronam de ſpinis,poſuerunt ſuper caput eius,*] Requiris, num corona in formam pilei fuerit contexta? Adeò contextam affirmat D.Vincent.ſerm. de Paſ.vt omni ex parte caput tegeret, & pungeret. Gabriel tract. de Paſ.coronam ſpineam fuiſſe opinatur coronæ imperatoriæ ſimilem,quæ caput cingit, &

tegit. Ego autem communibus hæreo picturis. Porrò ſpinis 72. vulneratum caput Dominicum. & D. Vincent. & plures aſſerũt Doctores.

8. *Aut ex iũcis marinis?* Num ex iuncis marinis? Auctor Hiſt. Schol. ſic; *Qui attentius conſideraſſe ſe dicunt ſpinas illas, aſſerunt iuncos fuiſſe marinos, quorum acus non minus ſpina pungit.* Approbant D. Vincent. Lyrao. Salmer. Tolet Bartad. DelRius autem

Del-Rius. lect. 6. de Paſ. negat id; quod iunci vnam habentes cuſpidem, parum idonei fuerint coronæ plectendæ. Sequor tantum oculatum teſtem in hunc modum ſcribentem: *Luſtraui non ſemel magnam illam corona partem, quæ Pariſiis in ſanctæ Sacello aſſeruatur. Vidi in Hiſpania Legione, & in Monaſterio de Spina, & Louanij, & alibi corona ſpinas varias: nulla illarum quidquam cum iunco commune habet; ſed omnis rhamnum, vel paliurum oſtentant. Vt Pariſienſis quidem vni ramo plures ſpinas in latere coherentes, quod à iunco procul eſt alienum.* Hactenus DelRius noſter.

*Et arundinem in dextera eius.* Ex ſolidioribus equidem calamis, quacum caput venerabile valerent non leuiter percutere. D. Hieron. *Cum caput eius percuterent arundine, ſuſtinet patienter. Vt Iſaiæ verum oſtendat vaticinium. Arundinem quaſſatam non confringet.* Cap. 30. Non leuis erat ex arundine percuſſio, quæ valdè patientiam Saluatoris tam acti vulneribus commendabat. 9. *Quid arũdo* Hieron.

# IN IESVM PATIENTEM APVD PILATVM.

# Panegyricus ſextus Moralis circa Literam.

## EX SPINIS IESV.

## *OBSERVATIO I.*

**Ad illa verba:**

### *Et arundinem in dextera eius.*

### Dum tacet Ieſus iniuriis affectus, tunc calamo illo ſcribit noſtra crimina punienda.

### *Vbi quàm ſuſpecta Dei mediis in flagitiis tolerantia.*

10. Paſchaſ. AB arundine exordior, ſi fortè metu iudicij peccatores à vulnere abſtineant infligendo. Paſchaſ. lib. 12. *Calamum geſtat, vt ſacrilegium nõ omittat conſcribere Iudæorũ.* Non deſpicias Ieſum ludibriis actum, quia tacet, quia non conqueritor. Habet calamum, quo conſcribat iniurias, & reponat in theſauris ſuis.

11. *Spinis ingratitudis pungens Ieſum, caueat, à calamo.* Exod. 3. Chryſolt. Deus olim Moyſi apparuit, igne præmiſſo: *Vidit* enim Propheta, *quod rubus arderet, & non combureretur.* Exod. 3. Ad quæ verba Chryſolog. ſerm. 164. *Deus daturus legem, ignem præmiſit in rubo; ſed diuinum rubus portauit, non concepit incendium, Iam tunc aculeis malitiæ plenum, & ingratum cultura legis populum præfigurans.* Quid argumento noſtro accommodatius? Ieſus mediis in ſpinis legem nobis charitatis indicit. Nos autem huiuſce ignis minimè participes, rurſum malitiæ aculeis pungimus Legiſlatorem. Proh hominum ingratitudo! Legem ſcribens Dominus inter rubi ſpinas, calamum geſtat, quo conſcribat ingratos.

13. Aliter: *Vt ſacrilegium non omittat conſcribere Iudæorum.* O quam timendus, quam non portabilis Dominus, quando laceſſitus iniuriis obticet! Scribit namque tunc flagitia noſtra aſſignato tempore punienda. Mulierem deprehenſam in adulterio adducunt hoſtes ad Saluatorem: *Hæc* (inquiunt) *mulier modo deprehenſa eſt in adulterio.* Ioan. 8. Quid intenderent Phariſæi, aperit D. Auguſt. *Dixerunt apud ſe ipſos, ſi eam dimitti cenſuerit, iuſtitiam non tenebit; hinc nos inueniemus ad accuſandum occaſionem.* Quaſi Ieſu iudiciariam potentiam illuderent, & Principem eum ludicrum facerent. Quid tunc Dominus? *Ieſus autem inclinans ſe deorſum, digito ſcribebat in terra.* At illi *vnus poſt vnum ibant.* Quò tenditis miſeri? Num verbis vos contumelioſis ad fugam ſtimulauit? Profectò non fugat nos eloquium, ſed ſilentium. Tunc enim, quando illuſus à nobis tacet, manu tenet calamum ſcribæ velociter noſtra crimina conſcribentis, vt reponens in theſauris ſuis aſſignato tempore puniat.

*Timendus Ieſus, quãdo tacet, quia ſcribit.*

Ioan. 8. Auguſt.

***

OBSER

## OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

### *Plectentes coronam de ſpinis, &c.*

### Spinis punctus Dominus, calamo vulneratus, Dux eſt, patientia mundum debellans.

*Vbi de patientiæ triumpho.*

13. August. CHLAMYS purpurea eſt, quia non incruento dimicat prælio; ſed pro populi, imo hoſtium ſalute Rex maximus effundit cruorem. Tenuem fragilemque refert haſtam noſtræ fragilitatis inſigne, non fragilem ad vulnus capiti ſacratiſſimo infligendum. Pro galea ſpinæ contegunt caput non à vulneribus protegentes, ſed crudeliter vulnerantes. Quorſum hæc? Profectò patientiæ armis mundum omnino debellauit. Auguſtin. tract. 116. in Ioan. *Sic Regnum, quod de hoc mundo non erat, ſuperbum mundum, non atrocitate pugnandi; ſed patiendi humilitate vincebat.* Et quando non patientia triumphat?

14. *Hoſtis ſitiens ſanguinem patientia frangitur.* Aug. Conabatur Ieſus in præſenti animos Iudæorum ſanguinem ac cædem ſitientes comprimere, (nec aliud intendebat Pilatus, profante Auguſt. *Vt hæc eius ludibria inimici eius biberent, & vlterius ſanguinem non ſitirent*) & patientiſſimè eorum tolerauit iniurias. Inclementiſſimus Saul ſanguinē ac cædem Dauidis vehementiſſimè ſitiebat. Et nihilominus poſtquam audiuit vocem Dauidis patientiſſimi: *Domine mi Rex*, qui ſiti ſanguinis premebatur, lacrymarum potabatur vnda: *Leuauit Dauid*

1. Reg. 24. Chryſoſt. *vocem ſuã, & fleuit.* 1. Reg. 24. Vbi D. Chryſoſt. egregiè ad meum argumentum: *Vide, quantum fecerit lucri David, hæc locutus? Animum ſanguinis, ac cædis ſitientem repentè ad lamenta, & eiulatus compulit.* Aptè ergo Ieſus animos Iudæorum ſanguinis, ac cædis ſitientes curauit exhibita ineffabili patientia delinire.

15. *Patiens Ieſus vincebat hoſtes.* Pſal. 73. Extat carmen Dauidicum ad huius argumenti confirmationem: *Qui inquirebant mala mihi, locuti ſunt vanitates, & dolos tota die meditabantur. Et factus ſum ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones.* Pſalm. 73. Vbi D. Hieron. *Nam cum me ſputis linirent, arundine verberarent, genu flexo illuderent, nihil eis motus reſpondi.* Num Ieſu patientia victrix euaſit? *Quia dixi; Ne quando ſupergaudeant mihi inimici mei.* Ac ſi diceret, Quia intendi inimicos meos minimè de victoria gloriari, ſed eos omninò coſtringere, ideò ſputis delinitus, arundine percuſſus, illuſus, nil penitus reſpondi, vt ſcilicet à mea patiētia vincerentur.

16. *Patientia vincit, cum non ſuppetunt vires.* Hebræos impius Rabſaces exagitabat opprobriis: Rex autem Ezechias, vt ſuos milites redderet victores, vidēs eos contumeliis actos, labia obfirmare ſilentio imperauit: *Siluerunt, & non reſponderunt ei verbum.* Iſai. 36. Quare tam profundum ſilentium indictum? Abulenſ. reſpondet: *Quia ad honorem Regis pertinebat, quod negotia ſua fierent prudenter.* Vt ſcilicet ad optatum euentum perducerentur. Quidnam in omnis tunc populi optatis? Vt vincerent tunc fracti Hebræi, Rabſace debellato. Tacebat populus; proculdubio patientia victoriam reportauit. Et quando non ſilentium inter iniurias cecinit triumphum? Complet argumentum D. Ambroſ. ſer. 17. in Pſal. Chriſtum inter ſputorum fœditatem, calamique diuerberationem conſtitutum contemplatus: *Chriſtus calumniis appetitus, ſilentium detulit triumphale.* Vti alibi dedimus. Ambr.

17. *Tã immanes Domino ſpinæ, quam Crux.* Vt autem huiuſce patientiæ percipias præſtantiam, doloris ex ſpinis à Domino percepti perpendo grauitatem. Extitêre equidem Ieſu tam graues quodammodo ſpinæ, quàm Crux: *Leuauit olim Abraham oculos ſuos, viditque arietem inter vepres hærentem cornibus.* Gen. 22. Vbi Ambroſ. de Abra. cap. 8. *Demonſtrat genus paſſionis cum ſuſpenſum oſtendit cornibus arietem. Virgultum illud patibulum Crucis eſt.* Profectò ex Doctorum ſententia Agnus hæreſcens cornibus virgulto ſentricoſo, Chriſtus ſpinea corona ſtipatus apparet. Cur igitur ſpinis illis genus paſſionis demonſtratur, Crux portenditur? Annon quia tam dirum ſpineæ coronæ tormentum, vt cum ſuffixione valeat comparari? Quis abnegat? Mirabilis prorſus Ieſu inter tantas iniurias, tamque atrocia ſupplicia patientia. Quid non Ambroſ. auctore Agnus inter vepres omnia debellans obiiciatur: *Hoc in ligno,* ſiue in virgulto *ductor gregis Agnus omnia traxit ad ſe.* Gen. 22. Ambroſ.

## OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

### *Coronam de ſpinis.*

### Mundialis Regni pungentes curæ ex Spinis Ieſu.

*Vbi de onere prælaturæ.*

MERITO, ô milites, Chriſtum ſpinis coronaſtis, vt Rex Iudæorum valeat oſtendi. Quid enim mundiale imperium niſi ſpinæ? Non illuſus Ieſus, ſed humana poteſtas. D. Laur. Iuſt. de triũp. Chriſt. ag. *Quidquid in Regno eſt arridere & vireſcere videtur. Accedere autem propius diligenter conſidera, quantis intus agitetur curis, quale etiam foris præferat germen vtique inutile, & citò periturum.* Rhamnus (ex quo Ieſu corona) foris floridus, intùs ſpinis plenus mundi prætendit imaginem. 18. Iuſtin.

19. *Rex omninò commoditatibus alienus.* Iud. 9. Intenduut ligna, vngere ſuper ſe Regem. dixeruntque oliuæ: *Impera nobis.* Quæ reſpondit: *Numquid poſſum deſerere pinguedinem meam vt inter ligna promouear?* Quare à te deferenda pinguedo præpoſita arboribus? Potius vlterius impinguabetis. Profectò enim nullo

Nn 2 modo

modo poſſimt cum pinguedine copulari. Idco ficus aufugit, vitis renunciat, nullaque arbor patitur ſtipari coronâ. *Verum dixerunt omnia ligna ad Rhamnum, Veni, & impera ſuper nos.* Vndenam Rhamnus in Regem aſſumitur? Profectò Regni mundialis foris roſis circundati, intus horridi ſpinis imaginem referebat. Quid reſpondet Rhamnus? *Si vere me Regem conſtituitis, venite, ſub vmbra mea requieſcite.* Iud. 9. Pondera illa verba. *Si verè me Regem conſtituitis.* Tantumdem ac ſi omnino repelleret Principatum. Nullum namque temporarium imperium verum, ludicra omnis poteſtas mundialis.

20. *Regnum inter rubi aculeos.* Exod. 3.

Deus olim Moyſi inter rubi aculeos apparuit laturus leges, quando Moyſem Hebræorum ducem conſtituit. Quid Deo legiſlatori cum ſpinarum habitaculo? Imò quia legiſer imperium Moyſis ſuper Hebræos præſignabat, inter ſpinarum aculeos thronum ſtatuit regiminis pungentes curas oſtentans. Tunc ad Moyſem: *Solue calceamentum de pedibus tuis,* Exod. 3. Quare Moyſi pedes denudari imperatur? Procop. Vti ſpinis è rubo excidentibus futurus Hebræorum Rector vulneraretur. Hinc ſe tam pungentes fugiens curas, arborum in morem, ſe ſe ab imperio expedire curabat. *Quomodo audiet me Pharao?*

Procop.

21. *Adamo Principi terra ſpinas producit.* Gen. 3.

Primus mundialis Princeps Adamus, qui quidem audiuit à Conditore: *Maledicta terra in opere tuo, ſpinas, & tribulos germinabit tibi.* Gen. 3. *Tibi?* Cur non & omnibus? Profectò tunc omnis humana familia in Eua Adamo Regi ſubiiciebatur, *Sub viri poteſtate eris.* Mulieres parturitione puniuntur, viri ſudore, labore, Adamus imperio. *Spinas, & tribulos germinabit tibi.* Tibi equidem futuro Rectori. D. Ambr. lib. 4 in Luc. c. 4. *Tribulos, & ſpinas curarum morſus appellat.* Nunquam enim non mundialis poteſtas innumerabilium curarum punctionibus vulneratur.

Ambr.

22. *Rex inter ſpinas lilium, ſic Eccleſia principatum.* Cant. 1.

Regimen, & imperium Eccleſiæ ſponſus Ieſus oſtentaturus, inclamat, *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Cant. 1. In cuius expoſitionem expendo ſententiam proximè ab Sponſo præmiſſam. *Ego* (inquit) *flos campi, & lilium conuallium.* Ibid. Vbi Honor in flore campi admodum rubicundo purpura induit Saluatorem, lilium autem eum efficit inter ſpinas. Quonam modo enim purpura poſſet indui temporariæ poteſtatis, niſi ſpinis ſimul pungeretur? Iam expono teſtimonium, *Sicut lilium inter ſpinas, &c.* O Regina ſponſa, ego Rex ſpinis compunctus, quidni tu inter filias imperium tenens ſpinis ſimiliter vulnerareris? *Sicut ego* (Honorius ait ex ore Dominico) *ſum lilium inter ſpinas, videlicet Iudæos me pungentes; ſic eris tu amica mea, inter filias, quæ te multis ſpinis cruciatuum pungent.* Illud enim ipſum filias habere, quarum exeras curam, compungi eſt, lacerari eſt.

Honor.

23. *Aries gregis princeps inter vepres Ieſus.* Gen. 22.

*Leuauit Abraham* (ait Moyſes) *oculos ſuos, viditque arietem inter vepres hærentem cornibus.* Gen. 22. D. Ambroſ. *Quare aries, niſi quia præſtantior cætero grege? Chriſtus enim fuit præſtantior omnibus.* Cur igitur Princeps inter vepres Aries, & non potius hærens throno oſtenditur? Quid mirum, ſi omnibus præſtantiorem eſſe, curamque de ouibus agere idem ſit, ac curarum ſpinis lacerari?

24. *Chriſtus ſpinarum pelago immerſus.* Ioan. 2.

Ionas immerſus Ieſu præfert imaginem. *Pelagus* (clamat) *operuit caput meum.* Cap. 2. Hebraicè, *Iuncus operuit caput meum.* Annon corona illa ſpinea caput obtegens Saluatoris? Corona mea curæ meæ vniuerſi pelagus vndas ſuperantes. Pruh iuncus non pungens iam, ſed, inſtar pelagi, fluctibus diuerberans. Quinam fluctus? D. Hieron. *Vniuerſæ perſecutiones, & turbines, quibus genus vexabatur humanum, ſuper meum detonuere caput.* Si Chriſti Regnum habet ſpinas pungentes curarum, quid Regnum mundiale, quid ſine ſpiritu temporaria poteſtas? Verè Plut. *Regna vnum honoris fructum cum multis incommoditatibus compenſant.* Imò perexiguus fructus honoris, Seneca Epiſt. 91. proſante, *Officium eſt imperare, non Regnum.*

Hieron. Plutarch. Senec.

# OBSERVATIO IV.

Ad illa verba:

## *Et arundinem in dextera.*

## Mundialis Principatus inanitas, ex Ieſu arundine.

*Contra ambitioſos.*

25. *Iuſtinian.*

VIDISTI mundialis Regni ſpinas curarum, vide inanitatem. D. Laurent. Iuſtin. *Hoc indicante Mediatore; qui illudi voluit ſicut in corona ſpinea, ita & in ſceptro arundineo. Meritò terrena dignitas arundini comparatur, quæ exterius viret, & tamen infructuoſa, intuſque inanis eſt, & vacua.*

26. *Omnis Regni Iſraëlitici infirmitas.* Oſe. 9. Hieron.

Iſraëlitarum Regum potentiam conſiderate, quæſo. Quid Hieroboam, Nadam, Baaſa, Hela, Zambri, & Amri fortius? Quid Achab, Ochozia, Ioram, Iehu, Ioachaz, Ioas, & altero Hieroboam potentius? Quid Zacharia, Sello, Manahe, Phaceia, Phacee, & Oſee auguſtius? Attamen tot Regum imbecillitatem, tanti Regni inanitatem hiſce verbis deſcribit Oſeas, *Gloria eorum à partu, & ab vtero, & à conceptu.* Cap. 9. Vbi Hieron. de Iſraëlitici Regni potentia ſententiam exponit. Quænam igitur tanti Regni potentia? Qualis infanti recenter concepto, aut geſtato in vtero, aut proximè nato ineſſe ſolet. Quid infante vnius diei infirmius? Quid ergo Iſraëlitico Regno fragilius? Illa namque exterior gloria arundinis gloriam referebat.

27. *Quo ingentius Regnum, eo fragilius.*

Voco ad quæſtionem, priuſquàm ab Iſraëlitico Regno recedam: Cur ex decem tribubus collectum Regnum hoc, proinde multo numeroſius, & potentius, quàm Regnum Iudaicum ex duabus tantum tribubus conflatum, citius corruerit? Ex ſuperbia maiori iuxtà potentiæ præſtantiam exortam ruinam arbitratur grauis noſter Interpres. Ego autem crediderim ipſam maiorem potentiam maioris fragilitatis, & inanitatis cauſam extitiſſe. Quid magis (dic mihi) inane, pila vento plena, an vter? Ibi equidem maior inanitas, vbi vberior aëris plenitudo.

Quid

28\. *Potentiſſimũ ſic Regnum Romanorũ.* Zach. 6.

Quid potentiæ Hebræorum immorabor? Obiicio mihi quatuor potentiſſima Regna, quibus Hebræi ſeruiêre: *Ecce quatuor quadrigæ* (ait Zacharias) *egredientes de medio duorum montium.* Cap.6. Vbi Lyra: *Hic ponitur ſucceſſio quadruplicis Regni cui ſucceſſiuè ſeruierunt Iudæi, ſcilicet Regnum Chaldæorum, Perſarum, Græcorum, & Romanorum.* Porrò omnipotentiſſimum Romanorum Regnum, ideò: *In quadriga quarta* (adiicit Propheta) *equi varij, & fortes.* Quia *Regnum Romanorum* (loquor cum Lyrano) *in fortitudine exceſſit præcedentia Regna.* En Regnorum fortiſſimum. Chal. ſic legit: *In quarta quadriga equi varij, & cinerei.* Vulgatus: *Equi fortes.* Quid fortitudini cum cinere? Quod magis forte in mundiali Regno apparebat, magis inane reperitur. Cineres certè hi arundinea medulla. Lyran.

29\. *Mundialis poteſtatis veritas quaſi manu.* Ezech. 1.

Profectò in quatuor Ezechielis animantibus quatuor mundiales monarchias Interpretes aliqui reſpexêre. Animantibus rotas Propheta adiungit Regnorum imaginem, & adiicit. *Aſpectus rotarum, & opus earum, quaſi viſio maris.* Cap. 1. Aſpectum diſtinguit ab opere, à veritate. Huiuſce potentiæ opus, veritas nil aliud, quam viſio (imo *quaſi viſio*) & inanis aſpectus, ſpecies eſt è rebus immiſſa, ſed non res. Philo Hebr. lib. quod Deus ſit immut. *Nil eſt in humanis rebus præter vmbram.* Id quod non mediocre diuinæ prouidentiæ documentum. Nam cum mundialis poteſtas tot grauiſſimis ſpinarum punctionibus laceretur, recordatio fragilitatis potentiæ mundialis mox perituræ medicamen adhibebit punctionibus. Philo.

# OBSERVATIO V.

## Ad illa verba:

## *Plectentes coronam.*

## Ieſus peccatorum noſtrorum ſpinas ſuper venerabile caput conſumpſit omninò.

*Vbi recidiuum in crimina reprehenditur.*

30\. Paſchaſ.

CVm exactè Euangeliſta adnotet exutum fuiſſe Dominum chlamyde coccinea, non affirmat extractam à venerabili capite coronam. Quid cauſæ? D. Paſchaſ. lib. 13. reſpondet: *Idcirco ab Euangeliſta corona illa ſpinea non detracta, neque depoſita dicitur, quia conſumpta à capite Ieſu peccata, vt iam non ſint ſpinæ, rectè creduntur. Suſtulit enim ea ſuper venerabile caput ſuum, & abſtulit à nobis, vt non ſint, ac conſumpſit.*

31\. *Ieſus ignis cõſumit criminum ſpinas.* Exod. 3.

Apparuit olim Dominus Redemptor Iſrael inter rubi aculeos, quos cœleſtis ignis agebat: *Vidit Moyſes. quod rubus arderet.* Exod. 3. Quorſum ſpinæ conflagrarent? Vt oſtendat Dominus, ideò inter ſpinas commorari Saluatorem, vt populi pungentes curas, lacerantiaque delicta potentiſſimo igne magis interius, quàm exterius comminuat. Clemens Alexand. lib. 2. Pæd. c. 8. idem præſtari à Ieſu ſpinis coronato, quam præſtabat Dominus inter rubi flammantis tribulos affirmat: *Quod primùm* (ait) *per rubum viſum fuerat Verbum, per ſpinam rurſus aſſumptam oſtendit eſſe eiuſdem potentiæ.* Clem. Alex.

32\. *Iunci criminum comburantur.* Exod. 3. Orig.

*Solue* (tunc Dominus ad Moyſem) *calceamentum de pedibus tuis.* Exod. 3. Aliquis affirmat Moyſi paſtoris calceamenta non ex pellibus animantis, ſed ex iuncis (de more) maritimis conſtructa, ex quibus Doctores (vti vidimus) ſentiunt Ieſu intextam coronam. Quare igitur Moyſes abiicere calceamenta iubeatur? Heu (ac ſi inclamet Dominus) Hebræi pedes peccatorum aculeis acti! Proiice abs te (myſticè) crimina, ignis iſte è Ieſu ſpinis ſtipato abſumet ſpinas, iuncorum comminuet aculeos.

33\. *Punctionis peccati vtilis recordatio.* Pſalm. 31.

Et equidem punctionis peccati conſideratione poſt coronatum Ieſum nullatenus reuertentur vlterius ad nos peccatorum ſpinæ. Fortiſſimo namque correctionis propoſito obfirmamur ex crudeliſſimi tranſacti vulneris recordatione: *Conuerſus ſum* (inquit Dauid) *in ærumna mea, dum configitur ſpina. Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam.* Vbi D. Innocent. III. peccatoris ſtabilem conuerſionem contemplatur: *Commendatur* (ait) *peccati confeſſio. Oſtendit enim confeſſionem ſuam eſſe perfectam, cautam, humilem, diſcretam, deuotam, & efficacem,* (Vnde Propheta) *Dixi confitebor, &c. Tanquam diligens ex certo ac firmo propoſito.* Ne videlicet rurſum ad ſe peccatorum ſpinæ reuertantur. Iam expendit Doctor, vndenam tam ſalubris confeſſio, firmáque peccatoris correctio habeat exortum: *Conuerſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina. Vt ſcilicet conſcientia puncta properet ad ſalutem.* O quam efficax ſtimulus ad perſiſtendum in via ſalutari, currendumque ad patriam velociſſimè aculeorum criminis recordatio! Innocent.

34\. *Ieſus ſpinas mutat in lapides pretioſos.*

Offer igitur coronato Ieſu peccatorum tuorum ſpinas non conſumendas ſolùm, ſed in pretioſos lapides conuertendas. Recordare Aaron diadematis lapidibus ornati, & audi Paſchaſium: *Spinas, quas capite geſtauit, non alicubi tranſpoſuit, ſed conſumpſit ita vt in capite Ieſu non ſpinæ, ſed lapides reſplendeant pretioſi. Hinc quoque dictũ eſt, quia in diademate capitis Aaron lapides fulgebant ſanctuarij. Caput namque Chriſti Deus eſt, in quo ſpinæ eſſe non poſſunt, & ideò in eo lapides iure reſplendere dicuntur.* Hactenus Abbas.

# OBSERVATIO VI.

## Ad illa verba;

## *Plectentes coronam de ſpinis.*

## Chriſti Regnum ſpineum ſubditis omnino ſalutare.

*In laborum encomium.*

35. Cant. 5. FILIÆ Ieruſalem accurrite, vti Regem Salomonem corona ſpinea ornatum intueamini: *Videte Regem Salomonem in corona.* Non coronam in Rege, ſed *Regem in corona.* Ipſa velut triumphalis currus geſtat Saluatorem, tam ſpectabilis equidem, vt non tam illa in Domini capite, quam totus Rex videatur in ipſa.

36. *Spinea corona monimentum criminis conuertit in gloriam.* Gen. 3. Chryſoſt. Erat quando ſpinæ nos peccati recordatione pungebant, fante Domino: *Maledicta terra in opere tuo, ſpinas & tribulos germinabit tibi.* Geneſ. 3. Vbi Chryſoſt. hom. 17. *Ecce maledicti monimenta, ſpinas & tribulos profert terra.* Spineæ planè coronæ debemus, quod peccati ac maledictionis monimentum gloriæ cõuertatur in titulum, vel memoria abolita delictorum. Nam ſi ſpinæ euentus hominis monumentum; Adami certè victoris, non deuicti corona illa videtur præferre documentum.

37. *Chriſtus intrauit in coronam quaſi in gloriam.* Rupert. Vis ediſcere, quàm appoſitè ſcriptum: *Videte Salomonem in corona?* Chriſtus quodam modo ſicuti in gloriam, in coronam intrauit. Annon ſanctis indictum: *Intra in gaudium Domini tui?* Ita planè; immenſa enim gloria homines abſorbentur, nec ipſa in illos, ſed illi in ipſam intrare contendunt. Quid ſi ſpinea corona ſit Domini gloria? Rupert. de vict. Verb. lib. 12. cap. 20. *Nolite hoc ſolum videre in corona eius, quod ſpinea ſit; videte in ſpinis illis illud, cuius præparatoria ſpinæ ſunt, cuius gloria, ſicut Pſalmiſta cecinit: Gloria coronaſti eum.* Gloria coronatur non qui gloriam capite perfert, ſed qui totus gloria ſtipatur ſiue potius abſorbetur à gloria. Si igitur Ieſus in coronam ſibi gloriam intrauit, quidni in corona videretur?

38. *Ieſus ſpinis coronatus Rex verus oſtenditur.* Oſe. 4. Theodor. *Videte Regem in diademate.* Profectò in ſpinea corona Chriſtus verus Rex oſtentatur. Nam Regis ſuos protectione donare, nos Princeps tutatur ſpinis. Dominus apud Oſeam: *Dirigam eum ego vt abietem virentem:* Cap. 4. LXX. *Ego quaſi Iuniperus cooperiens.* Theodor. *Omni ſtudio te curabo, ab omnique pernicie tutum efficiam, & inuadentem quaſi quibuſdam aculeis perterrefaciam.* Iuniperus enim coma redimitur aculeata. Non iam Chriſti (cui D. Hieron. tribuit teſtimonium) Iuniperi corona cinguntur tempora, ſed ipſe ad protectionem ſuorum ſpineam vertitur in coronam: *Ego quaſi Iuniperus.* Corona ſpinea ſum Regni adiiciens protectionem.

39. *Rex ſpinis vulnerat aduerſarios.* Iud. 8. Exod. 3. Theod. An Rex ſimul vulneret aduerſarios? Gedeon ſic Socoth viris: *Conteram carnes veſtras cum ſpinis deſerti.* Iud. 8. In cuius expoſitionem rubum Moſi obiectam affer in memoriam. Exod. 3. Ad quæ Theodor. per rubum ait Iſraelis infirmitatem ſignari, Cum autem *rubus* (vti ille adiicit) *debilis* ſit, & ſenticoſus, prætendit fore vt aliquando hominum infirmitas hoſtes horribiles valeat vulnerare: *Nolite ſuccumbere,* (Dominus ait) *hæc eſt veſtra infirmitas, erit potentia, quæ punget, & verberabit plurimos.* Quando? Cum ſpinæ Domino torquantur in coronam. Clemens Alexand. 2. Pæd cap. 8. Clem. Alex. *Quod primùm per rubum viſum fuerat, Verbum per ſpineam coronam aſſumptam oſtendit, &c.* En poſt coronam aſſumptam à Ieſu ſpineam noſtra infirmitas à Chriſto roborata ſenticoſa hoſtibus vulnerandis obiicitur.

Quod ſi mauis in corona ab hominibus acceptà Regem cœleſtem reſpici: *Videte Regem in diademate, quo coronauit eum mater,* intendit Dominus regni mundialis pungentes ſpinas oſtentare. Sic D. Laurentius Iuſtin. de trium. Chr. ago. cap. 14. *Hoc indicauit mediator, qui illud voluit in corona ſpinea. Quis in aſpectu primo potentum ſaculi non appeteret faſtum? Accede propiùs, diligenter conſidera, quantis intus agitetur curis: quale etiam foris proferat germen vtique inutile, & citò periturum.* 40. *Regno mundialis ſpinas Rex cœleſtis oſtentat.*

Regnum autem Chriſti ſi habet ſpinas, ſibi Dominus arripit, vti ſubditi gratiæ lege floridâ omninò perfruamur. Ieſu verba quibus Euangelicam indicit perfectionem ſi flores mittant, ſpinis videntur immiſceri, lilia enim inter ſpinas. At Rex noſter ſpinas extirpauit à lege, ſibi aſſumpſit, vt nos floribus non pungentibus coronemur. D. Athanaſ. de Paſ. *Spineam coronam geſtat Dominus, vt ſollicitudines noſtræ vitæ* (ſcilicet Euangelicæ) *extirparet, Quo ſementem verbi à ſpinis depurgatam haberemus.* 41. *Sibi Rex noſter arripit ſui Regni ſpinas, vti floribus perfruamur.* Athanaſ.

Fateor è Regis corona velut ex arcu fidelibus ſpinas emitti, vti laboribus ſubditus tyrannis Regibus addictus verum conuertatur ad Regem. Proh ſpinæ pungentis dulcedo! Canebat ſpina vulneratus Dauid: *Conuerſus ſum in ærumna mea dum configitur ſpina.* Pſ. 31. Quæ ponderans Aug. ait: *Quid factum eſt, cum configeretur ſpina? Datus eſt ei ſenſus doloris, inuenit infirmitatem ſuam. Et ille qui tacuerat confeſſionem peccati ſui, modo quid fecit, confixa ſpina? Peccatum meum cognoſcit, & ille ignoſcit.* 42. *Ad ſe conuertit peccatores ſpinis vulneratos.* Pſal. 31. Auguſt.

Quod ſi adhuc poſt venatoris iaculum peccator ſpinâ vulneratus non conuertatur: Rex ipſe venaticum vertetur in canem, vti ſubditos liberet à tyranno. Appoſitè Hugo Cardinal. ad cap. 2. Cant. *Fecit Dominus ſicut canis venaticus, qui feram inſequens caput intra ſpinarum aculeos immittit, non timens exulcerationem, vt feram capiat. Eccleſiam quaſi feram intra ſpinas latitantem extraxit: ſed punctiones ſpinarum vſque ad ſanguinis effuſionem ſuſtinuit, in cuius ſignum ſpineam coronam portauit in capite.* Si hæ Regis cœleſtis proprietates, in ſpinarum corona ab hominibus excipiendus. 43. *Ipſe Rex venaticũ vertitur in canẽ, ſi adhuc renuamus.* Hugo.

SECTIO

SECTIO SEPTIMA.

# ECCE HOMO.

## EX CAP. XIX. IOAN.

### *TEXTVS.*

*Verſ.* 5. Exiuit ergo Ieſus, portans coronam ſpineam, & purpureum veſtimentum; & dicit eis Pilatus: Ecce Homo.

## *COMMENTARIVS LITERALIS.*

### §. I.

### *Oſtenditur Ieſus.*

1. *Num Ieſus geſtarit arundinem? Caſſia.*

EXIVIT *ergo Ieſus portans coronam, &c.*] Iuſſu Pilati prodiit Ieſus vinctus, cæſus, conſputus, ſpineâ coronâ redimitus, & veſte indutus purpureâ. Num geſtauit dexterâ arundinem? Affirmat Simon de Caſſia, imò licet Euangeliſta præterierit, ſic ipſe transfert Euangelicam ſententiam. *Adduxit ergo foras Ieſum, circumdatum coccineâ chlamyde, coronâ ſpineâ coronatum, ſceptrum arundineum dexterâ geſtantem.* Huic hæreo ſententiæ, licet etiam probabiliter valdè calamum ex noo ſemel percuſſo capite Ieſu confractum deperiiſſe affirmare poſſem.

2. *Quo animo Pilatus nūc? Caſſia.*

*Ecce Homo.*] Hominem Pilatus tot vulneribus laceratum, tot actum lodibriis Iudæis oſtētat, vt eorum animos exſatiaret. Eodem animo populo nunc oſtendit, quo & flagellari iuſſit, & ſpinis coronari permiſit. *Ecce Homo. Quid adhuc in eum veſter deſæuit animus?* (verbis vtor Caſſiæ) *Inſpicite. Flagellatus eſt, conſputus eſt, deriſione coronam vobis adſtat indutus. Eſtne iſta Regalis purpura, quam timetis? Arundinem manu geſtat. Eſtne Regale ſceptrum, quo veſtri Reges hactenus vobis imperarunt? Vacuus calamus eſt, infelicitatē magis, quam proſperitatem inſinuat humanam. Pro vt volui percuſſi, nihil valuit inferre tutaminis. Quid vobis intulit mali? Quid verè poteſt inferre periculi? Si Regem ſe dixit, ecce inclinatus; ſi moderator veſter, ecce iudicio moderatus noſtro.*

### §. II.

### *Clamant Iudæi.*

3. *Iudæorum clamor.*

VErùm *non frigeſcit,* (inquit Doctor) *inardeſcit potius, & increſcit, quemadmodum ſi oleum adiiceres camino.* Inſano igitur tumultu clamarunt, *Crucifige, crucifige eum.* Ego (inſtar Præſes) iuris adminiſtrator, non alieni vindex ſum odij; nocentes ex legum auctoritate punio, non innocentiæ carnifex conſtituor à Cæſare. Hactenus veſtro ſeruitum eſt odio, non vltrà mihi in innoxium ſæuiendum. Quòd ſi nihilominus in crucem agendus Ieſus, nolo innocentis hominis ſanguine meum impiari prætorium. Vos hominem veſtro periculo abducite, & ſuffigite. Nec enim ego ſoleo niſi facinoroſos dare in exitium. Hæc tota res non legitimo more, ſed geritur per tumultum.

Rurſum Iudæi de læſæ maieſtatis diuinæ Ieſum crimine incuſant, affirmantes ſe Filium Dei aſſeruiſſe. *Cùm* autem *audiſſet Pilatus hunc ſermonem, magis timuit.* Quare maiori timore Pilatus correptus eſt? Exiſtimo Præſidem timuiſſe, ne fortè Ieſus Filius Dei verè eſſet, quem tot adfecerat contumeliis. D. Cyril. *Credidit* (inquit) *Pilatus poſſe Deum eſſe Chriſtum. Semideos enim, & Deorum filios gentilium fabula confingunt.* 4. *Cur Præſes maiori timore corripitur?*

Ad hæc ſi locum vnde Ieſus populo fuerit oſtentatus, ediſcere cupis, audi Adrichomium Theat. num. 110. Ieroſolymæ effigiatorem: *Xyſtus porticus erat in modum pontis lapidei, frequentibus arcubus ſuprà plateam publicam, ampla latitudine extructa, ac ſubdialibus inambulationis ornata, per quam à Pilati palatio in arcem Antoniam, & inde in Templum tranſitus erat. Ex hoc tuto loco Præſides Romani populum alloqui ſolebant; in quo ſtans Pilatus, Chriſtum videndum exhibuit, dicens: Ecce Homo.* 5. *Vndenam Ieſus oſtenſus?*

## IN IESVM PATIENTEM APVD PILATVM.

# Panegyricus ſeptimus Moralis circa Literam.

## EX ECCE HOMO.

## *OBSERVATIO I.*

**Ad illa verba:**

*Ecce Homo.*

### Tot,tantiſque Ieſu doloribus nullùm aptius nomen excogitari potuit quàm *Homo.*

*Vbi de noſtra humanitatis erumnis.*

6. Bernard.

QVIBVSDAM (Bern. ait) *oſtenditur.* Homo *caput hirſutum ſpinis, vt humilientur pariter,& compungantur.* Cur Ieſum Pilatus Hominem, non Dei Filium appellauit? Videns Ieſum tam vulneribus, opprobriiſque adfectum,quæſiuit, quid vocaret eum? Appellabo Filium Dei? Quid Deo cum flagellis,cum ſputis? Mancipium compellabo? Nullum tam vile mancipium tot vulnetibus actum. Inter animantia eum adnumerate contendam? Nec tyranus humanitate exutus ſic deſæuiit in fæ- ras. Quonam ergo Ieſum nomine adnotabo? Hominem appello. *Ecce Homo.* Humana namque natuta totius infirmitatis, totius miſeriæ colligatio.

7. *Quam inferior hominus ſubſtantia!* Pſal. 138.

Dauid, *Et ſubſtantia mea in inferioribus terra.* Pſal. 138. Inferiot ego omnibus tertæ animantibus, ſi corporis miſeriæ exponantur. Auguſt. *Id eſt, Ego in carne corruptibili ſubſiſto.* Annon cæteris animantibus caro corruptibilis? Profectò quodammodo eorum natuta haud corruptibilis, ſi cum humana corruptibilitate comparetur. Hebraicè, *In inferioribus terra,* idem ac *Acu pictus ſum.* Non tot pori apud me,quot punctiones,quibus equidem infimum terræ animal appareo.

8. *Miſeria ab omni nos ſuperbia munire poſſunt.* Geneſ. 1. Chryſoſt.

Nihil tam adnatum humanæ dignitati, quàm animi celſitudo, cuius amor Adamum ſanctiſſimum traxit in præuaricationem. At poſt ruinam Deus tot miſetiis repleuit hominem, vt vix adeſſet, quà vanitatis aura tenuis poſſet irrumpere. *Morboſum* (inquit D.Chryſoſt. hom. 11. ad Popul.) *& æruſmoſum hominis corpus Deus effecit,per ipſam docens naturam, ne vnquam talem conciperet cogitationem. Animam verò obliuioni, & ignorantia, & triſtitia, & curis obnoxiam reddidit, ne maiorem propria dignitate opinionem conciperet.* Quot ſpinæ humanæ miſeriæ, ſi ex eis vallum texendum, ne vanitatis vulpeculæ vineam demolirentur!

9. Exiſtimo illam imprecationem: *Maledicta terra in opere tuo* Gen. 3. præcipuè ad ſimum hominis terminari. Humanitas enim poſt culpam omnium eſt ſpinarum collectio. D.Bernard. ſerm. 48. in Cant. *Plenus eſt* (inquit) *mundus ſpinis, in terra ſunt, in aere ſunt, in carne tua ſunt.* Qui dixerat mundum ſpinis plenum, probare huiuſmodi propoſitionem conabatur, *In terra ſunt, in aëre ſunt.* At cum videret minimè in aqua ſpinas reperiri, (nec enim de piſcibus ſermo) nec in igne verſari omnium creaturarum abſumptore: quæſiuit vlterius vbinam totus mundus ſpinis plenus reperiri poſſet, & accurrit ad hominem. *In carne tua ſunt. Plenus eſt mundus ſpinis.* Quia homo cum ſit mundus paruulus, totus homo ſpinis plenus reperitur. Cum igitur Pilatus Ieſum tam plenum ſpinis, ſeu mortalitatis miſeriis aſpiceret, mox inclamauit, *Ecce Homo.* Nil enim priùs illi ſubit in mentem, quam humana natura ex tot ſpinarum, ex tot miſeriarum, ex tot crudeliſſimorum vulnerum obiectu.

*Homo mundus eſt ſpinis plenus.* Gen. 3. Bernard.

## OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

*Ecce Homo.*

### Ieſum Hominem, id eſt, virilem labores oſtentant.

*Quia viros efficit laborum tolerantia.*

10. CORONAM ſpineam portat? purpureum veſtimentum? Appoſitè appellatur *Homo*, ſeu *Vir.* Nil enim tam efficax, vt animos viriles addat, quam labores. Et ſi mihi liceat materno vti idiomate, ſi quem vi-

dero

dero laboribus actum, inclamabo, *Los trabajós le hizieron hombre.*

11. *A laboribus expers puer inſcius.* Iſai. 53. Lyra.

Iſaias, *Virum dolorum, & ſcientem infirmitatem.* Cap. 53. Lyran. *Virum dolorum, id eſt, multi, & magni doloris expertem.* Addit tunc, *Et ſcientem.* Scit enim inſtar hominis, qui laboribus tentatus eſt. De Ieſu puerulo recens nato idem Iſaias, *Paruulus natus eſt nobis.* Vis paruulum iam ſapientiſſimum hominem videre? *Cuius imperium ſuper humerum eius.* Crucem iam à cunabulis geſtat, plorat, frigore contrahitur: Quid plura? *Et vocabitur nomen eius Admirabilis, Conſiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri ſeculi, Princeps pacis.* Iſa. 9. Proh laboris expetimeorum puerulum in fortem, in ſapientiſſimum conſiliarium, in patrem, in ducem conſtituens!

12. *Ieſus oritur Vir propter labores.* Zach. 6.

Zacharias, *Ecce vir oriens nomen eius.* Cap. 6. Ac ſi diceret, Etiam cum Puer Ieſus exoritur; *Ecce Homo.* Quia labores eum mox in virum perfectum creſcere fecerunt. Ex illis qui apud deſertum à Domino fuêre ſatiati, quidam trium dierum interſtitium exegerant inſequentes Ieſum ſine vllo ciborum fulcimento; quidam autem probabiliter adlato à domibus cibò, refecti fuêre. Euangeliſta ſic, *Manducantium autem fuit numerus quinque millia virorum, exceptis mulieribus, & paruulis* Matth. 14. Hieronymum ſecutus, illos in præſenti myſticè viros appello, qui ſequentes Ieſum ſine vllo adminiculo ciborum, laboribus in viros excreuerant, eos autem, qui minimè fame preſſi ſunt, aut mulieres, aut pueros compellabo. *Comedunt* (inquit Pater) *quinque millia virorum, qui in perfectum virum creuerant, & ſequebantur eum, de quo dicit Zacharias, Ecce Vir oriens.* Quaſi tota virilitatis ratio non ex ætate, ſed ex inſecutione Ieſu, laborumque tolerantia adſumeretur.

Matth. 14. Hieron.

13. *Haud vir ſine labore.* Exod. 12. Interl.

Confirmo ex illo Exodi, *Profectique ſunt filij Iſrael de Ramaſſe in Socoth. Sexcenta ferè millia peditum virorum abſque paruulis; ſed & vulgus promiſcuum innumerabile aſcendit cum eis.* Cap. 12. Quodnam hoc vulgus promiſcuum innumerabile. Lyran. Ægyptij vtriuſque ſexus, qui cœleſtium miraculorum teſtes, ad Iudaiſmum deuenere. Apertè Textus, *Peditum virorum.* Pedites ſolummodò inter viros adnumerantur. Viri autem, qui equites comitantur, meritò feminea, aut puerili appellatione feriuntur. Anſelm. appoſitè, *Infirma non ſunt digna hoc numero.* Qui non pedites, qui non laboribus tentati, vix hominum appellatione digni.

14. *Christus vir appellatur cum vulneratus obiicitur.* Gen. 32. Auguſt.

Iam Saluatorem Iudæorum ſtimulis, punctionibus, vulneribus actum intueamur. Fuête obuiam Iacobo Angeli Dei. *Et ecce vir luctabatur cum eo vſque mane.* Gen. 32. Quinam ille vir? D. Auguſt. ſerm. 80. de Temp. Chriſtum Dominum à Iudæis vulneratum Angelum luctatorem fuiſſe fatetur. *Luctatur Iacob cum Angelo; quia populus Iudæorum luctaturus erat cum Chriſto. Vincebat Iacob Angelum; quia populus Iudæorum Chriſtum vſque ad mortem perſecuturus erat.* Tunc igitur Ieſus viri nomine inſignitur, cum Iudæorum iniuriis affectus oſtentatur. *Ecce vir.* Ac ſi diceret, *Ecce Homo.*

15. *Cuius typus Iob Vir etiam vocatur.* Iob. 1. Chryſoſt.

In cuius typum Iob, *Vir erat.* Cap. 1. Quare Vir? quare Homo? Quia luctator, quia tribulationibus tentatus, vti Ieſu patientis præferret imaginem. Quia Iob *pugil pietatis,* (loquor cum Diuo Chryſoſtom. hom. 23. in Geneſ.) *athleta orbis, qui ſolus intolerabilia illa ſuſtinuit, & acceptis innumeris à diabolo telis, ſicut adamas omnes impetus ferre potuit. Erat vir, Ecce Homo.*

# OBSERVATIO III.

## Ad illa verba:

## *Ecce Homo.*

## Non iam Homo opprobriis actus, ſed patientiæ corona redimitus Rex Saluator apparet.

### *Vbi de Patientiæ Regno.*

16. Caſſia.

NON ſolùm Hominem Pilatus aſſerit Ieſum, ſed & Regem *Ecce Rex veſter. Regem veſtrum crucifigam?* Vbi Simon de Caſſia lib. 13. quærit, *An Pilatus oſtenderit deriſiuè Chriſtum,* dicens, *Ecce Rex veſter,* vel aſſertiuè affirmauit Regem eſſe Ieſum? Et reſpondet, aſſertiuè id Præſidem ſignificaſſe, ſicut apertè innuunt Iudæi aſſertiuè inclamantes. *Non habemus Regem niſi Cæſarem.* Quid igitur tunc vidit Pilatus in Ieſu Regium? Profectò patientia virtus Regalis eſt.

17. *Ionas laboribus adfectus corona patientiæ donatur.* Ionæ 2. R. Dan.

Ionas vndis obrutus; veraciter inclamauit, *Pelagus operuit caput meum.* Cap. 2. Hebraicè *Alga,* ſeu *carix,* aut *iuncus.* Iuncus operuit caput meum. R. Dauid aſſerit *iuncos obuolutos fuiſſe capiti ceti in formam coronæ, & ideò obuolutos dicit capiti Ionæ qui erat in ceto.* Quod ſi quæras; (quidquid ſit de huiuſce expoſitionis iudicio) quare Ionas corona, & ex marinis iuncis, quorum Ieſu coronam contextam ex aliquorum ſententia vidimus, fuerit ſtipatus, dum ceti clauſtro recluderetur: Ea in promptu. Qui tam patienter labores ſuſtinuit, quonammodò non Regio ornatu redimeretur?

18. *Iobum patientia Regno donatus.* Caiet. Iob. 29.

Celebris quæſtio, Num Iob Rex extiterit? Caietan. negat ex illa ipſius ſententia, *Cum ſederem quaſi Rex circumſtanti exercitu.* Cap. 29. Vnde colligit Regem non fuiſſe, ſed quaſi Regem, hoc eſt, Principem Ciuitatis, & exercitus. At Regem fuiſſe LXX. lectio ſic innuit, *Hi ſunt Reges, qui regnauerunt in Edon, cuius Regioni etiam ipſe Iob dominatus eſt.* Iob. 41. Si non Rex, quonam modo Rex? Dominatus eſt quidem veraciter, quia eum non hæreditas, non ſanguis; ſed robur. patientia, virtus corona donabit. Pulchrè D. Chryſoſt. *Quis eum Iudicem, ſiue Regem conſtituit:* Reſpondet, *Ab ipſa virtute* (ſeu patientia) *creatus eſt Iudex.* Chryſoſt.

19. *Proiecit capitis ornamentum, patientiæ corona ornandus.* Iob. 1. Origen. Gen. 41.

Quid quod poſt cladium ſuſtinentiam detondit ille caput? *Tonſo capite, corruens in terram, adorauit.* Iob. 1. Profectò non luctus gratia, ſed cauſa coronationis. Appoſitè Origen. *Totondit comam capitis, non vt lugens, ſed vt luctum deponens, per tolerantiam ſuperior exiſtens ſicut Ioſeph cum è carcere ad Pharaonē educitur. Eductum* (loquit Textus) *de carcere Ioſeph totonderunt.*

*derunt*. Gen.41. Vt videlicet poſt tantam patientiam, capite ſtipato corona vniuerſæ Ægypto factus Redemptoris imago præficeretur.

20. *Rex Ieſus patientia adhuc poſtulat coronam.* Cuius equidem coronæ præſtantia tanta eſt, vt Ieſus antè mundi conſtitutionem glorioſus Rex, & ab ipſo conceptionis inſtanti Rex homo adclamet, *Venit hora, vt clarificetur Filius hominis*. Ioan.12. Quid in hora clarificabitur, ſuper omnia coronam accipiens, qui ab æternitate glorioſus Rex à conceptionis inſtanti accepit Principatum? Porrò patientiæ Regalis coronam expectabat tam excelſæ claritatis quaſi colophonem. Auctor D. Cyrillus Ieroſ. (Cyril. Cat.12.) *Non quod prius non habeat gloriam* (glorificandum ſe aſſerit nunc) *glorificatus enim erat* homo quidem ab inſtanti conceptionis, *glorificabatur tanquam Deus ſemper. Nunc verò glorificatus eſt patientia ferens coronam*. Cuius equidem pulchritudo tanta, vt quodammodo ſibi non extiterit gloria ornatus, donec patientiæ corona cingeretur.

Ideò iudicij articulo, quando glorioſiſſimus triumphator apparebit, à patientia mutuam coronam accipiet. Cœlicolæ Apoſtolis Aſcenſionis die proclamant, *Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet*. Act.1. Quomodo? Patientiæ corona redimitus. Pulchrè D. Auguſt. ſerm. 179. de Temp. *Sic veniet; clauorum vulnera illæſa demonſtrans, & foraminum cruenta monilia cum coronam exhibebit cœleſtis imperij*. Sic expono, Cum exhibere intenderit Ieſus hominum, ac Angelorum Iudex cœleſtis imperij coronam, foraminum cruenta monilia demonſtrabit, ſpinarum vulnera exhibebit, patientiæ corona præfulgidus. 21. *Indicaturus coronam patientia mutuabit.* Acto.1. Auguſt.

LIBER

# LIBER VNDECIMVS.

# PASSIO CRVCIS.

## Paraphraſes, Commentariique Litterales ad Caput vigeſimum ſeptimum Matthæi, decimum quintum Marci; vigeſimum tertium Lucæ, decimum nonum Ioannis.

### *PANEGYRICI MORALES CIRCA Litteram in JESVM patientem apud Crucem.*

### PROLVSIO.

*Dominici Vitalis ligni* FAVCTVS X I.

DOMINVS *palma victor meridie cacumina aſcendit; iam non eſt, quod vos fugæ dedatis,quicumque cum Adamo raptore fructum vetitum diripuiſtis!* Ad auram poſt meridiem *ſuffixionis Dominicæ ſalutis copia latronibus offertur. Rabanus appoſitè*, Aptè Dominus crucem meridie aſcendit,& promiſſa Latroni habitatione paradiſi,*poſt meridiem* ſpiritum tradidit. Vt eadem hora, qua primus homo lignum præuaricationis tetigerat,ſecundus Homo lignum redemptionis aſcenderet: & qua hora diei præuaricatores paradiſo expulerat, eadem confeſſorem latronem in paradiſum induceret.

---

MATTH. MARC, LVC. IOANN.

Ioan.19. *Verſ.*17. Baiulans *Jeſus* ſibi crucem exiuit.

Matth.27. *Verſ.*32. Exeuntes autem, inuenerunt hominem Cyrenæum nomine.

*Verſ.*33. Hunc angariauerunt, vt tolleret crucem eius.

Luc.23. *Verſ.*33. Ibi crucifixerunt eum, & Latrones vnum à dextris, & alterum à ſiniſtris.

PARAPHRASIS.

17. *Acceperunt itaque Iudæi Ieſum productum è prætorio, quem duxerunt ad locum ſupplicij ſibi humiliter crucem baiulantem.* Ex cap.19. Ioan.

32. *Inter eundum reperetunt Simonem quendam Cyrenæum, è villa redeuntem pium ſanè, vti decet agrorum cultores.* Ex cap.27. Matth.

33. *Hunc compulerunt crucem Ieſu baiulare,non in leuamen vulnerati,& defeſſi; ſed vt citius ageretur in crucem.*

33. *Venerunt in Golgotha, ſiue Caluariæ locum: affigitur Ieſus ligno,quin & curatum à Iudæis,vt ſimul cum eo duo figerentur Latrones, vt Ieſus medius ad dexteram habens vnum, ad læ-* Ex cap.23. Luc.

*Verſ.*37.

Math.27. *Verſ.* 37. Et impoſuerunt ſuper caput eius cauſam ipſius ſcriptam: Hic eſt Ieſus Rex Iudæorum.

Marc.15. *Verſ.* 24. Et crucifigentes eum, diuiſerunt veſtimenta eius, mittentes ſortem ſuper eis.

Luc.23. *Verſ.* 39. Vnus autem de his, qui pendebat Latronibus, blaſphemabat eum, dicens: Si tu es Chriſtus, ſaluum fac temetipſum,& nos.

*Verſ.* 42. Et dicebat *alter* ad Ieſum: Domine, memento mei, cum veneris in Regnum tuum.

*Verſ.* 43. Et dixit illi Ieſus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo.

Ioan.19. *Verſ.* 28. Vt cōſummaretur Scriptura,dixit: Sitio.

*Verſ.* 29. Illi autem ſpongiam plenam aceto hyſſopo circumponentes,obtulerunt ori eius.

Math.27. *Verſ.* 50. Ieſus autem clamans voce magna,emiſit ſpiritum.

*nam alterum, illorum,quibus erat adiunctus,ſimilis haberetur.*

37. *Perrò & titulus ludibrij cauſâ impoſitus eſt cruci: Hic eſt Rex Iudaorum. Qui tamen honorificentior erat, quàm vt ferre poſſent Iudai. Si quidem apud Pilatum egerant, vt hic titulus corrigeretur. Attamen vna in re paſſi ſunt Pilatum vincere.* Ex cap 27. Matth.

24. *Caterùm poſteaquam crucifixiſſent eum, vti Ieſu nuditas non ab Euangeliſtis pratereiretur, partiti ſunt inter ſe milites veſtimenta Ieſu; pro tunica,qua ſic erat contexta, vt diſſui non poſſet,ſortem mittentes.* Ex cap.15. Marc.

39. *Alter è maleficis, qui pendebat ad latus Ieſu, è cruce in eum conuicia iaciebat,dicens: Si tu es ille Chriſtus mundi Seruator, ſerua te ipſum ſimul & nos. Alter autem increpabat ſceleris, & ſupplicij ſocium, conſideratâ Ieſu manſuetudine. Bis inhumanum eſt, & moriture maledicere, & innocenti.* Ex cap.23. Luc.

42. *Hoc teſtimonium Ieſu reddidit in cruce Latro, vt vndequaque teſtata eſſet illius innocentia. Mox que conuerſus ad Ieſum, dixit: Domine, memento mei, dum veneris in Regnum tuum.*

43. *Jeſus autem, qui ſurdus erat, & mutus ad omnia conuitia,non eſt ſurdus, ac mutus cum fiducia poſtulanti. Illud, inquit, confirmo tibi,hodie mecum in paradiſo futurus es.*

28. *His peractis,cum Ieſus ſciret,nihil ſupereſſe, quod ad legitimam victimam pertineret. Vt impleretur Dauidicum illud:* In ſiti mea potauerunt me aceto: *è cruce inclamauit*: Sitio.

29. *Aderat ibi vas acidi vini plenum. Milites igitur ſpongiam acido vino impletam, admouerunt ori Ieſu,torturi ſitim,non refrigeraturi.* Ex cap.19. Ioan.

50. *Simul ac guſtaſſet acetum Ieſus, dixit:* Conſummatum eſt,*ſignificans ritè peractum ſacrificium iuxta Patris diſpoſitionem: ac mox, inclinato capite,reddidit ſpiritum.* Ex cap.27. Matth.

SECTIO

SECTIO PRIMA.

# CRVCIS BAIVLATIO.

## EX CAP. XIX. IOAN.

## *TEXTVS.*

*Verſ.* 17. Baiulans *Ieſus* ſibi Crucem, exiuit,

## *COMMENTARIVS LITERALIS.*

### § I.

### *Ieſu ſuffigendi pompa, proceſſus, luctus.*

1. *Eductio Ieſu. Mulierum fletus.* POSTEAQVAM omne ludibrij genus in eum milites exercuêre, rurſum indutum ſuis veſtibus (quo magis, me auctore, à ſuis, à populoque agnoſceretur) educunt ad ſupplicij locum. Comitabatur Ieſum numeroſa multitudo populi, ac mulierum, quæ, Sacerdotibus ac ſcribis gaudentibus plangebant, ac lamentabatur de morte Innocentis. Nil enim aliud poterant humiles, & imbelles aduerſus coniuratam Primorum impietatem. *Fletus erat* (inquit Caſſia) *iuſtus, quod ſe inuoluerat ſaua hominum prauitas, & quod altiſſima innocentia reportabat à iudicio ſententia falſitatem.* Flerent proculdubio qui ab humanitate non receſſiſſent. Cogebant (ne oriretur ſeditio, vnde Chriſtus eorum è manibus elaberetur propter mutabilem animum turbæ) Ieſum greſſibus feſtinare.

2. *Prohibet Ieſus lacrymarum motiuum. Latrones.* Attamen vacauit Saluatori, quonammodo feminis plorantibus in hunc modum obiiceret, *Filiæ Jeruſalem*, nolite deflere me, ſed de veſtra ac filiorum veſtrorum vice deploranda ſolicitæ ſitis. Nec enim deflenda innocentis mors, ſed illorum deplorandum exitium, qui pro ſuis ſceleribus & hic miſeris cladibus afficientur, & in poſterum pœnis addicentur æternis Ducebantur equidem ſimul duo facinoroſi, pariter cum eo damnari; ſed non eadem cauſa. Procuratum hoc à Iudæis, quo magis apud multitudinem Ieſum infamem redderent, quod tali eſſet adiunctus ſodalitio.

3. *Itineris Ieſu deſcriptio. Adrich.* Porrò à palatio Pilati (loquor cum Adrichomio) vſque ad locum, vbi Crux rupi infixa fuit, ſunt *greſſus mille trecenti viginti & vnus*, ſiue alia ſupputatione *pedes tres mille treceenti & tres.* Nec quæ piè de tota Crucis via idem auctor ſcripſit, duxi prætermittenda. † *Incipiens* (inquit *Dominus a palatio Pilati per viginti ſex greſſus, qui faciebant ſexaginta quinque pedes, ad locum proceſſit, vbi Crux ei impoſita eſt. Vnde baiulans Crucem per octoginta greſſus, hoc eſt, ducentos pedes, ad locum proceſſus eſt, vbi primùm cum Cruce cecidiſſe traditur. Inde ſtatim per ſexaginta greſſus & tres pedes ſiue centum quinquaginta tres pedes, ad locum venit, vbi B. Maria cum Ioanne Filio ſuo occurrit. Hinc autem per ſeptuaginta vnũ greſſus, & ſeſquipedem, ſiue centum ſeptuaginta nouem pedes, ad quoddam triuium, vbi Simon Cyrenæus Crucem poſt Ieſum portare coactus eſt. Iſthinc porrò per greſſus 191. & ſemipedem, vel 478. pedes, ad locum acceſſit, vbi ipſi Veronica occurrit. Atque illinc per 336. greſſus, & duos pedes, ſeu 842. pedes ad portam Iudiciariam, vbi rurſus cum Cruce lapſus eſt, Deinde verò ardua, ſaxoſa, atque paulatim aſcendente via verſus Septentrionem proceſſit per 348. greſſus, & duos pedes, ſeu 872. pedes ad biuium quoddam, vbi mulieres plorantes allocutus eſt. Ac iſthinc continuo per 161. greſſus, & ſeſquipedem, ſiue 424 pedes, ad radicem montis Caluariæ, vbi vltimo cecidit. Deinde vlterius per 18. greſſus, aut 45. pedes, ad locum, vbi carnifices ipſi veſtes extraxerunt: vbi & vino myrrhato felle mixto potatus eſt. Dehinc per 12. greſſus, ſiue 30. pedes, ad locum, vbi clauis Cruci affixus eſt. Inde poſtremo per 14 greſſus, ſiue 35 pedes ad locum, vbi de cruce pendens in foramine rupis Caluariæ fixus eſt* *Hactenus ex Adrichomio pluribus ſententiam totam auctoribus roborante.

† *Ant. de Eſcob. & Mendoz.* de Sanctis. Tom. I.

Verum Eccleſiæ traditio, linteo Ieſum à pia femina Veronica donatum, vti faciem extergeret. Hinc miraculum celebre excitatum. Huic namque linteo faciei ſuæ imaginem, gratiam referens, dedit Romæ hoc eſt ſpolium magnificum, totius populi veneratio. At *Veronicæ* nomen antiquum conuerſum in Veronicam. 4. *Veronica.*

### §. II.

### *Quare Dominicis humeris Crucis onus impoſitum?*

5. *Principatus Ieſu.* IEſus *baiulans ſibi Crucem, exiuit.* Græcè, *Portans Crucem ſuam.* Exiſtimabant Pontifices per Crucem Chriſti omninò gloriam diſperdendam. At per Crucem glorioſum comparauit imperium. *Principatus* enim Theophyl. Theophyl.

Luc.23.ait) *Domini, & Regnum eius eſt Crux.* Strabus autem, *Rex per Crucem non perdidit, ſed confirmauit imperium.*

6. *Figura Crucis ipſis humeris baiulata.* *Baiulans ſibi Crucem.*] Abel forâs educitur, vt trucidetur. Geneſ.4. Iſaac lignis onuſtus holocauſti. Geneſ.22. Noë arcam ad totius humanæ ſtirpis ſalutem oſtentat. Geneſ.7. Iacob ducentem in cœlum portat ſcalam. Geneſ.28. Eliacim Dauidicam geſtat clauem in paradiſi reſerationem. Iſai.22. Moyſes Virgam ſalutarem Hebræis, hoſtibus exitialem portendit. Exod.7. Abimelech ramum vitalem morientibus offert ad vitam. Iud.6. Hæc, & plura Patres.

7. *Crucis deſcriptio.* *Crucem.* Crux equidem quindecim pedes altitudinis habuiſſe dicitur, octo longitudinis lignum tranſuerſum, craſſitudine tanta, quanta magno viro ſuſtinendo ſatis eſſe potuit. Graue planè onus corpori defatigato, ſed Dominicæ patientiæ charitati leue.

8. *Cur baiulauit crucem ſuam?* Plutarch. Sed quare Crucem ipſe baiulabat? Nonnulli hoc tribuunt Iudæorum crudelitati. Non eorum deprauatum affectum excuſo, at effectum de more aſſero. Plutarchus enim de ſera Num. vin. adfert eos, qui in Crucem agendi eſſent, cruces ſuas humeris portare ſolitos, quemadmodum apud noſtrates circa collum fures funem præferunt, quo ſuſpendendi. *Facinoroſus quiſque* (ait) *vltimo affligendus ſupplicio, corpore ſuo proprio fert crucem.*

9. *Cauſa myſtica huiuſce baiulationis.* Caſſia. Quod ſi myſticis hæreamus, Simon de Caſſia quærit, *Quare defers, ô Domine, hanc lignorum ſarcinam?* Ex Ieſu ore reſpondet, *Porto lignum, vt vincam in ligno inuiſibilem hoſtem, qui vicit in ligno. Porto lignum, vt præter humanas artes ex ipſo faciam gradus aſcẽſionis in cœlum. Porto lignum ſuſpendendus in illo, vt omnia traham penitus ad meipſum. Porto lignum mortis, & vitæ.* Adde; Porto lignum, vt oſtendam, quonam modo Crux non trahenda, ſed baiulanda, non reptanda, ſed eleuanda ſit. Porto lignum, quia Crux non eſt alienis humeris apponenda.

10. *Obiectioni ſatis.* *Baiulans ſibi Crucem exiuit.* Inſurgit quæſtio. Conductum ait Matthæus Simonem quendam, vti Crucem adſportaret. Quonam ergo modo Ieſus Crucem baiulabat? Num quia vterque vires oneri admouebat? De hoc inferius. In præſenti reſpondeo Euangeliſtam modum adnotaſſe. *Baiulans Crucem, exiuit.* Exiuit è Pilati domo crucis ſuæ baiulator, at poſteà Simon Ieſu inſequutor adferebat. Sic D. Athanaſ. Hieron. & Auguſt.

---

# IN IESVM PATIENTEM APVD CRVCEM.

# Panegyricus primus Moralis circa Literam.

## EX CRVCIS BAIVLATIONE.

## *OBSERVATIO I.*

Ad illa verba:

***Baiulans ſibi Crucem.***

Grande Ieſu Crucis baiulatoris ſpectaculum.

***Vbi pij, impiique vis affectus adnotatur.***

11. Auguſt. CRVCIS baiulationem. Auguſtin. tract. 117. pietatiſque, & impietatis iudicium circa Ieſu crucem baiulantis præſens obiectum eleganter deſcribi. *Grande* (inquit) *ſpectaculum; ſed ſi ſpectet impietas, grande ludibrium: ſi ſpectet pietas grande myſterium. Si ſpectet impietas, videt Regem pro virga Regni lignum ſui portare ſupplicij. Si pietas ſpectet, videt Regem baiulantem lignum, ad ſemetipſum figendum, quod fixurus fuerat etiam in frontibus Regum, in eo ſpernendus oculis impiorum, in quo erant gloriatura corda Sanctorum.* Quam aliter pietas ſententiam fert, ab impietate! Si affectio pia adſit, quæ vilia aſpectu, ad auras adferuntur. Si non pi mens, quæ glorioſa oculis, ad modum deprimuntur.

---

### CAPVT I.

***Pio affectui grande hoc ſpectaculum.***

12. *Sponſa pulchrum videt Ieſum opprobriis detur-patum.* Cant.1. EXhibeo exemplum in Ieſu, de cuius pulchritudine ſponſa: *Ecce tu pulcher es, Dilecte mi, & decorus.* Can.1. Vbi Doctores qui verba proximè præmiſſa: *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonẽ in diademate, &c.* De Ieſu Crucem baiulante exponunt: affirmant pulchritudinem Chriſti opprobriis acti, morteque turpiſſima exacti hic ab ſponſa commendari. Vnde

Vndenam Eccleſiæ tam pulcher, & decorus ille qui omninò carebat aſpectu, *Vidimus eum, & non erat aſpectus?* Profectò adiicitur, *Oculi tui columbarum.* Ibid. Pius animæ affectus ab omni externa fœditate auerſus totum Ieſum cantabilem deprædicauit. *Corporis affectiones ſpiritus* (loquor cum Nyſſeno) *mortificans totus eſt effectus ſpiritualis. Hac de cauſa fertur teſtimonium ab anima liberata à corporali affectione.*
Nyſſen.

13. *Eiuſdem ſponſa alterum teſtimonium.* Cant. 1. Nyſſen.
*Egredimini* (clamat Sponſa) *filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater.* Cant. 1. En Ieſum Regem coronâ ſpinea redimitum, ſceptrum Crucis geſtantem. Vndenam tibi ô ſponſa, ſpinæ lapilli? Quia pio eras affectu. Ideò filias Sion affectu pio ornatas aduocas, non filias impij exercitus Babylonis. *Egredimini, filiæ Sion.* Nyſſen. *Factæ filiæ Sion admirandum hoc ſpectaculum aſpicite, intuemini decentiſſimam in capite Regis coronam, quam mater ipſius ei circumpoſuit, quem admodum Vates ille loquitur, Poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo.* En pietas affectus filiæ Sion ſpinas Ieſu æſtimat gemmas. *Mirabile ſpectaculum.*

14. *Affectus Euæ deuiatio.* Gen. 3. Ambr.
Vidit Eua non ſemel arborem malum ad veſcendum, quia affectus pius diuinæ hærebat voluntati. At non pio iam erga obedientiam affectu, licet nondum fuiſſet peccato maculata, *Vidit, quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis.* Geneſ. 3. Videatur tibi pulchrum oculis, at quomodo potuiſti dulcedinem arboris percipere, ſi nondum dentibus admouiſti pomum? Profectò iam affectu pio Eua arborem aſpiciebat. Vnde illud D. Ambroſ. de bon. mor. cap. 9. *Errat oculus, vbi errat affectus.*

15. *Ieſus pio affectu in Iudæorum crimen horribile collimat.* Luc. 23. Arnold. Clem. Alex.
Cuius potentiam Ieſus ipſe erga Iudæos mirum in modum affectus nos docet. Percuſſus ab ingratis Hebræis, actus in Crucem, crudeliſſimè vulneratus inclamat, *Pater ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt.* Luc. 23. Vbi Arnold. Carn. de verb. Dom. c. 5. *Nec tamen licet tanti criminis molem Mediatoris auctoritas collimaret, obſtinatio illius infidelitatis ex ſe excuſabilis erat.* Adnota illud: *Mediatoris auctoritas collimaret,* ſiue minueret. Non dubium quin perfectè Dominus malitiæ præſtantiam dignouiſſet. Attamen is, quo erga Iudæos ſuos flagrabat affectu, curabat quodammodo tanti erroris collimare rubiginem. Clemens Alex. ad hæc: *Solent magna natura & ab affectibus vacua ſagaciter collimare veritatem.* Qui autem affectu plenus obiicitur, veritati non ſemel procurat opercula. Ecce pietatis indicium. *Si ſpectes pietas grande myſterium.*

## Capvt II.

*Affectui impio hoc grande ludibrium.*

16. *Impio affectui omnia nutant.* Pſalm. 11. Nazianz.
IAm verò affectus impietatem ad periculum affero. Nunquam non impius affectus ſanctiſſima quæque condemnat, exaggerat tantilla peccata, trabem efficit feſtucam. Dauid, *In circuitu impij ambulant.* Pſal. 11. ſeu vertigine capitis laborant. Nazianzen. Orat. 3. de pace: *Eadem* (inquit) *terra ſanis quidem ac minimè læſis fixa, & ſtabilis eſt; iis autem, qui circumaguntur, ac vertigine laborant, mouetur: nimirum aſpicientium vitio ad rem aſpectam tranſeunt.* Quàm aptè D. Auguſt. *Grande ſpectaculum, ſed ſi ſpectes impietas, grande ludibrium,* quia *impij in circuitu ambulant,* nec verum de rerum ſtabilitate agunt iudicium.
Auguſt.

17. *Affectus prauus intellectum mutat.* Senec.
De iuſto, præpropero exitu, arrepto Sapiens: *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius.* Sap. 4. Illud exponam: *Ne malitia mutaret intellectum.* Ne ſcilicet impietas intellectum ità afficeret, vt quod malum cognoſcebat, iam reputet bonum; & quod bonum amplectebatur, iam omninò vti malum abiiciat. Appoſitè Seneca, lib. 2. de Benef. c. 14. *Sæpè noxia concupiſcimus, nec diſpicere, quàm pernicioſa ſint, licet; quia iudicium interpellat affectus.*

18. *Criminator, exaggerator eſt.* Matth. 26. Matth. 15. Baſil.
Quàm impiè Caiphas Ieſu humilem, veramque ſententiam criminabatur. *Blaſphemauit.* Quàm impij omnes aſtantes crimen exaggerabant! *Reus eſt mortis.* Impius hic Iudæorum affectus. Acceſſerant aliquando ad Ieſum obiicientes, *Quare Diſcipuli tui tranſgrediuntur præcepta ſeniorum? Non enim lauant manus, dum panem manducant.* Matth. 15. Quos Dominus de trabe propriis in oculis defixa non aſpectata, de feſtuca autem Diſcipulorum luminibus hærente viſa taxat. *Hic igitur* (ait D. Baſil. hom. *Quod ſine Deo*) *trabem illam, quæ intus eſt in oculo noſtro combureas, mundam conſtituit mentis aciem.* Vbi impium affectum trabem appellat Doctor, cui vel paruulæ feſtucæ trabes efficiuntur ad ſimilitudinem aſpectantis.

19. *Speculum deturpatum eſt.* Pſal. 6. Theophyl.
Hinc Vates: *Turbatus eſt à furore oculus meus.* Pſal. 6. Id eſt, affectus furoris adeò mentis lumina turbauit, vt iniquum circa obiecta proferam iudicium. Theophyl. libro 1. ad Autol. *Vt ſpeculum ſplendidum, ſic hominis animam purum & mundum eſſe oportet. Si rubigo inuaſerit ſpeculum, quod hoc patitur idem & tibi accidit.* Speculo rubigine turbato omnia omninò rubiginoſa ſunt. Non aliter animo impio vel ipſa deformis pulchritudo. *Talis,* (adiicit) *vt dicam, quod ſentio, Deum cernere nequaquam valebit.*

# OBSERVATIO II.

Ad illa verba;

*Baiulans ſibi Crucem.*

## Crux in humeris Ieſu nos donat & armis, & triumpho.

*Vbi de Dominici auxilij neceſſitate.*

20. Chryſoſt. Euthymi.
QVare humeris Ieſus Crucem deferebat? D. Chryſoſt. *Quemadmodum victores, ita Chriſtus victoriæ ſignum humeris tulit.* Aſt Euthymius, *Ferebat Crucem in humeris tanquam ſtrenuus miles lanceam, qua deiecturus erat aduerſarium.* Crux igitur humeris appoſita, & ſignum victoriæ, & belli inſtrumentum. Cruce pugnandum, Cruce vincendum. Pugnat Crux, vincit, ſi à Ieſu humeris non amoueatur.

21. *Fortem te reddit crux, vt nunquam non triumphum agas.* Matth.27.

Non iam Chriſtiane miles, ab ſpe excidas victoriæ, tuam perpendens fragilitatem. Ad noua arma, eáque fortiſſima, quibus adnata poſt Ieſu triumphum victoria, manus extende. Vidimus Ieſum coronæ ſpineæ geſtatorem, baiulatorem Crucis, non tamen arundineum ſceptrum dexterâ ille præferebat. Quid cauſæ? Profectò arundo illa noſtræ fragilitatis imago, virium, quibus innitebamur, typum agebat. Aſſumit igitur Ieſus noſtræ fragilitatis arma, vt confringat, vt proiiciat, quorum locum occupet Crux potentiſſima hoſtes debellatura. Apprimè D. Paſchaſ. lib. 12. *Suſcepit ſceptrum fragilis Regni de manibus noſtris, in quo nos malè confiſi diu innixi ſumus, vt triumpharet, & contereret eum in ligno Crucis, pro quo calamo ſceptrum Regni cæleſtis Crucem ſcilicet, & virgam æquitatis dedit nobis.* Accipe Crucem ſtrenuè miles, lanceam videlicet, *qua deiecturus aduerſarium.*

Paſchaſ.

Euthym.

22. *Ad robuſta opera ſurgimus Crucis contactu.* Marc 17. Anſelm.

Adhuc Apoſtoli apud Thabor arundineo fragilitatis baculo nitebantur, ſiquidem cælitus emiſſa vox eos fecit ſolo conſternari. Tunc *acceſſit Ieſus, & tetigit eos, dixitque eis, ſurgite, & nolite timere.* Matth.17. Ac ſi diceret, Proh militum infirmitas! Dum paſſionis, & Crucis meæ peragitur memoria, timore correpti coniacetis? Surgite (ex Anſelm. ſententia) ad pugnam, ad victoriam, certamina inſtituite aduerſus Proceres, eoſque proceræ magnitudinis, eis proculdubio ex Crucis adminiculo ſuperiores.

23. *Crucis virtus Ieſu humeris appoſita.* Iſai. 9.

Probo ex Iſaia: *Cuius principatus ſuper humerum eius.* Cap.9. Crux ſuper humerum Ieſu prædicatur. Quæ quidem nobis offertur pugnaturis non ab humeris Ieſu abſtracta; ſed eius humeris infixa. Vnde colligo nos mirum in modum ſemper quibuſque Principibus ſuperiores; quia videlicet Chriſti humerus altiſſimus eſt, inſtar Saulis cunctos aſpiciens inferiores animi hoſtes potentiſſimos. Egregiè Drogo Hoſtienſ. de ſac. Paſſ. *O maxime* (inclamat) *Imperator, quomodo, aut quo portas Imperium tuum ſuper humerum tuum?* Et reſpondet, *Humerus tuus altus eſt, & pertingit vſque ad Patris conſeſſum ſuper omnem Principatum, & Poteſtatem* Quaſi diceret, Ideò Crux ſuper humeros tuos altiſſimos eleuatur, vt homo pugnaturus ſemper hoſtibus ſuperior exiſtat. Quid igitur tibi, ex quo timore corripiaris?

Drogo.

24. *Super Excelſum Ieſum Crux nobis offertur pugnaturis.* Prou.9.

Vinces ſemper, dummodo Crucem ab humeris Ieſu non extrahas; ſed eorum fulcimento vtaris, quemadmodum furcæ miles bellicum tormentum facit hærere, vt facilius pilas exitiales dirigat ad hoſtes. Id ſapiens expreſſit: *Miſit* Sapientia *ancillas ſuas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia Ciuitatis.* Prouer.9. Hebraicè, *Vocauit ſuper humeros excelſorum,* ſiue *excelſi.* Quaſi diceret: Chriſtiani milites, Crucis vos lancea potentiſſima munite, cum hoſtibus vobis confligendum. Ad Crucem Ieſu excelſi humeris appoſitam accurrite, nec ab humeris Dominicis abſtrahite. Humeri Ieſu vobis ſint mœnia, vnde in excelſo conſtituti, omnes ſeculares, infernáſque Poteſtates contemnatis.

## OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

*Baiulans ſibi Crucem.*

### Sibi Ieſus Crucem baiulat, quia ſuam portans Crucem Diuinitatem oſtentat.

*Vbi de voluntaria Crucis baiulatione hominem ad diuinitatis faſtigium quodammodo attollente.*

NON ſine myſterio illa particula, *Sibi* appoſita eſt. Chriſtus enim hodie & *Sibi* & nobis Crucem geſtat. Nobis quidem, quia ob mundi ſalutem mori dignatus. *Sibi* autem, quia humeris apponens Crucem, Diuinitatis ſuæ oſtentat ſtemmata. D. Paſchaſius, *Dum Crux* (inquit) *ſuper humeros eius imponitur, factum eſt ſecundum Prophetam Principatus eius ſuper humerum eius.* Id eſt, Principatus, ſeu Regnum mundi inuiſibilis (nam Chriſti *Regnum non eſt de hoc mundo*) ſuper humeris Ieſu attollitur, fulget, omnibus datur aſpectandum. 25. Paſchaſ.

26. *Solus Ioannes aſſerit Ieſum crucem baiulare, quia ſpecialiſſimus Diuinitatis Ieſu aſſertor.*

Ioannes ſolus affirmat Ieſum baiulantem ſibi Crucem exiiſſe. Reliqui autem Euangeliſtæ non Ieſum, ſed Simonem portauiſſe aſſerunt. Ioan. 19. Matth.27. Luc.23. Et cur ſolus Ioannes crucem ſuper humeris Ieſu ſtatuit? Nonne ad Ioannem attinebat Ieſu Diuinitatem ſpecialiſſimè fidelibus obiicere dignoſcendam? Appoſitè igitur ſolus Ioannes Ieſum Crucem baiulantem exponit, quia ſolus Ioannes ſpecialiſſimè diuinitatis aſſertioni ſtudebat. Pulchrè Paſchaſ. *Nec igitur vacat à myſterio, quod ſecundùm Ioannem Chriſtus Crucem ſuam ſolus portare dicitur; ſecundùm reliquos verò non ipſe, ſed alius eam portans introducitur. Quia Ioannes diuinam eius naturam ſuſceperat explanandam.* Deus Ieſus? *Baiulans* igitur *ſibi Crucem exiit.*

Paſchaſ.

27. *Confirmo.* Matth.4.

Cuius exhibeo exemplum. Matthæus, Marcus, & Lucas Ieſum ſcribunt à dæmone tentatum apud deſertum. Verùm Ioannes tentationis hiſtoriam prætermiſit. Cur ita? exiſtimo; quia Ieſu tentatio ad humanam ſpectabat naturam, à diuinaque, quã ſpecialiſſimè aſſerebat, longè dimouebatur. Rathbertus Abbas. *Quando tentabatur, quia ſecundùm hominem eandem tentationem ſuſceperat vnigenitus Deus, Matthæus, Lucas, Marcus eam exponunt. Ioannes autem, quia diuinam eius naturam ſuſceperat explanandam, nullam ex eadem tentatione habuit mentionem: Inſtituto accommodat. Sic & hic imponentibus illis, qui ſuſceperũt eum, Crucem ſuam, quæ omnium eſt, portans ipſe, ab omni labore, iuxta diuinitatem, egreſſus eſt liber in eum, qui dicitur Caluariæ locus.*

Paſchaſ.

28. *Prohibet Ieſus ideo mulierum fletũ.* Luc 23.

Hinc Ieſus deplorantibus feminis inclamat, *Filiæ Ieruſalem, nolite flere ſuper me.* Luc.23. Quare à tam pio, iuſtóque planctu eas Ieſus amouere curauit? Mulierum illarum lacrymas ex cognato naturæ communis affectu exortas ratus, exiſtimo eas à planctu prohibuiſſe, quòd humanam ex baiulatione Crucis miſeriam deplorarent. *Nolite flere ſuper me.* Ex Crucis baiulatione miſerum homuncionem defletis, eum Deum deberetis agnoſcere? Quid miſeriæ humanæ cum geſtatione Imperij,

perij, cum portatione Principatus? . . .

28. *Cum Crucem tollit Ieſus diuinitatis vtitur veſtimēto.*

Porrò diuinitas nullatenus lacerandа in inconſutili veſte exprimitur, ſicut in ſpinea corona, chlamydéque coccinea cœleſte Ieſu Regnum figurabatur, D. Hieronymo & Paſchaſio interpretibus. Hinc eſt, quod baiulaturus Chriſtus Crucem, propriis veſtibus, inconſutili videlicet tunica ornatur; quia ex portatione Crucis oſtendebatur Deus, quem protinus reuerita eſt creatura. D. Hieron. Matth. 27. ad hæc: *Quādo flagellatur Ieſus, & conſpuitur, & irridetur, non habet propria veſtimenta; ſed ea quæ propter noſtra peccata ſumpſerat. Dum autem irriſionis pompa præteriret, tunc priſtinas veſtes recipit, & proprium aſſumit ornatum, ſtatimque elementa turbantur, & Creatori teſtimonium dat creatura.* Turbantur protinus ac illum Crucis geſtatorem, ex qua priſtina fulgent indumenta proſpiciunt; poſteàque teſtimonium de cognita nunc diuinitate reddidêre.

Matth. 27. Hieron.

29. *Cum deponit Crucem Regium exuit indumētum.* Matth. 27. Paſchaſ.

Paſchaſius lib. 12. affirmat non ſolùm inconſutilis veſtis Regium amictum, ſed & coronam ſpineam Regium ornatum exuiſſe miniſtrantibus militibus, quando ab eius humeris Crux omninò aufertur. (Vſque ad Caluariam enim, auxilium ferente Simone, Cruce onuſtus aſcēderat.) *Pulchrè Chriſtus aſcenſurus Crucem, Regalia veſtimenta depoſuit, vt ſcias quaſi hominem paſſum, & non quaſi Deum Regem.*

## OBSERVATIO IV.

### Ad illa verba:

### *Baiulans ſibi Crucem.*

### Sibi Ieſus baiulat Crucem; ſic fertur ad labores, ac ſi propriæ vtilitati non alienæ operam exhiberet.

*Vbi quàm patiens inter labores, qui ſe ſibi fructificare conſiderat.*

30. Simon. Caſſia.

VEL ideò *ſibi* Ieſus Crucem baiulabat, vt oſtenderet ſuum patiendi deſiderium. Vnde Simon de Caſſ. *Baiulantem* ſibi Crucem Ieſum ſic innuit paſſum, ac ſi propriæ vtilitati ſtuderet, ac ſi non nobis, ſed ſibi laboraret.

31. *Sibi ad montem myrrhæ aſcendit.* Cant. 4.

*Vadam* (inquit Sponſus) *ad montem myrrhæ* Cant. 4. Vbi Philo Carpat. per montem myrrhę corpus Ieſu intelligit, quod ſua ſponte neci eſt oblatum: *Is enim mons eſt,* (inquit) *de quo legitur, Abſciſſus eſt lapis ſine manibus. Ad hunc montem myrrhæ voluntariè acceſſit Sponſus.* En ipſe Ieſus myrrhæ mons eſt, quia *vir dolorum*, totiúſque laboris, ac paſſionis aceruatio. Profectò tam affecta voluntate omnes labores amplexus eſt, ac ſi non nobis, ſed ſuæ vtilitati, & profectui laboraret. *Vadam ad montem myrrhæ.* Legit Hugo Victor. *Ibo mihi ad montem myrrhæ.* Quaſi *ſibi* potius quàm nobis moreretur. *Ibo* (Doctor fatur) *ait mihi. Sibi vadit.*

Philo. Hugo. Vict.

32. *Vt ſuam Ieſus ducat paſſionem?* Matth. 16.

Iam planus ſenſus ſententiæ Saluatoris Petro inclamantis, *Vade poſt me Satana, ſcandalum es mihi.* Matth. 16. Cur tam acriter Ieſus Diſcipulum taxat, dum eum intendit Apoſtolus à tormentis eripere? Adnota Petri exhortationē, *Abſit à te Domine, non erit tibi hoc.* Illam particulam: *Tibi* expende. Quare non dixit: Non erit nobis hoc tanto tuæ vitæ diſpendio: ſed non erit tibi? Quia tam anxius Ieſus ad mortem ferebatur, ac ſi non mundo, ſed ſibi ſoli laboraret. Vnde reſpondit, *Scandalum es mihi.* Profectò ſcandalum huiuſmodi omnibus apponebatur. At benigniſſimus Ieſus tam ſuam hanc cauſam æſtimabat, vt ſibi ſoli ſcandalum ſtatui profiteretur, tanquam propriam ſolummodo vtilitatem impediret.

33. *Chriſtus ſuā ideò prædicat Crucem, ut quodammodò noſtra non ſit.* Luc. 9. Paſchaſ.

Fidelibus ſic Saluator: *Qui vult venire poſt me, tollat Crucem ſuam, & ſequatur me.* Luc. 9. Ad quem locum D. Paſchaſ. lib. 21. *Non enim ſuam, ſed noſtram portat Crucem; & ideò iubemur nos noſtram portare Crucem. Quia et ſi ſua eſt, in qua patiatur homo Deus, noſtra tamen eſt, qua redimimur, & ſaluamur.* Noſtra itaque Crux eſt ex eo capite, quo per Crucem ſaluamur; Chriſti autem Crux eſt, ex ea parte, qua in ea patitur homo Deus. Ac ſi inclamaret, Mihi ſoli baiulo Crucem *ad meam pœnam* (vt loquor cum Caſſiano) *atque tormentum*, ad veſtram autem vitam & ſalutem.

34. *Sibi ſoli arripit Crucem, ne nos grauet labores.* Caſſia.

Nondum exhauſta vis verbi illius Caſſiani: *Baiulabat ſibi Crucem Ieſus ad ſuam pœnam.* Id eſt, curabat, vt Crux, ſeu paſſio ſua nullius hominis humeros pergrauaret, ſibi ſoli pondus reſeruans: *A ſexta hora tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram, vſque ad horam nonam. Et clamauit Ieſus voce magna dicens, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* Matth. 27. Quare conqueritur Saluator in vltimo vitæ articulo conſtitutus, qui priùs in morem agni obmutuit? Quia Crux parum ex humero Chriſti elapſa humeros hominum incipiebat pergrauare; tenebris enim mundus offundebatur. Perpulchrè Orig. hom. 35. *Poſtquam vidit ſuper omnem Iudæam tenebras factas, dixit magna voce ſua. Quare me dereliquiſti?* Cum ſolus ipſe totum Crucis ſuſtinet pondus, à Patre fouetur, tenetur; cum particula Crucis, tenebræ ſcilicet, humeris hominum hæret, ſe à Patre derelictum proclamat.

Origen.

## SECTIO SECVNDA.

# CYRENÆI COACTIO.

## EX CAP. XXVII. MATTHÆI.

### *TEXTVS.*

*Verſ.* 32. Exeuntes autem inuenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem.

*Verſ.* 33. Hunc angariauerunt, vt tolleret Crucem eius.

### *COMMENTARIVS LITERALIS.*

### § I.

### *Quinam hic Simon?*

1. *Vndenam Cyrenæus.* INVENERVNT *hominem Cyrenæum.*] Cyrenæus dicitur homo hic (cuius humeris Crux Dominica impoſita) quod in ciuitate, vel in Prouincia Cyrene eſſet exortus. Iacet enim in Libya Prouincia huiuſce nominis Cyrenaica, adeſt & ciuitas Cyrene, cuius appellationis alia apud Cyprum. Viri huius *Simon* appellatio, quod ſignificat obedientem. Marcus Alexandri, & Rufi eum vocat parentem quaſi Chriſtianis eſſent illi cogniti, & fortaſſe Chriſti Diſcipuli. Vndenam enim noti Chriſticolis? Non ſatis firma circà hoc coniectura eſt: Tam enim pater quam filij potuerunt cum proſelytis prius adnumerari, poſtea autem ad Chriſtum conuerti, deriuata ex Crucis miniſterio gratiæ riuo ex benignitatis fonte.

2. *Num Iudæus.* Diſquiritur à Patribus num Simon hic Iudæus, an gentilis? Iudæum fuiſſe probat proxima de Diſcipulatu Alexandri & Rufi coniectura, ſed eadem ratione ſolidam minimè eſſe affirmo. Hilar. Ambroſ. & Leo gentilem efficiunt, cui ſententiæ ſubſcribo. Cùm propter literam: Cyrenæus enim à Cyrene ſeu Pentapoli iuxtà Libyam, vt Placet D. Paſchaſ. ſancti. *Homo iſte de Cyrene fuiſſe narratur, quæ eſt Pentapolis iuxta Libyam. Erat enim ex gentibus.* Tùm propter myſterium: *Non enim fortuitò* (loquor cum eodem Patre) *obuiam venit, ſed ex prouidentia Dei, vt in eo iam monſtraretur, quod gentes Crucem Chriſti portare deberent, & comparticipes paſſionis eius fieri. Indignus erat enim quilibet Iudæus Crucem Chriſti portare; quia fides gentium erat conceſſum, eam ſuſcipere, & poſt Ieſum ferre.*

### §. II.

### *Quonam Simon munere functus?*

3. EXeuntes, *inuenerunt hominem.*] Cum Ioanne Sectione ſuperiori compoſui Matthæum. Id quod in præſenti vberius confirmabo, alias *Quonam modo Simon Crucem portauit?*
recenſens expoſitiones. Ioannes, *Baiulans ſibi Crucem exiuit.* Cap. 19. Matth. *Exeuntes inuenerunt.* Quonam modo igitur Ieſus *ſibi Crucem* *Ioan. 19.*
baiularet? Prima expoſitio. Exeuntes ciuitatem, inuenerunt Simonem, poſtquam Chriſtus à domo Pilati vſque ad Ciuitatis portam Crucis baiulus extitiſſet. Secunda. Exeuntes domum Pilati inuenerunt Cyrenæum, non quidem ſtatim; ſed poſtquam Ieſus Crucem portauerat vſque ad triuium ſuprà in via Crucis indicatum ex Adrichomio.

Ad meam inibi indicatam recurro ſenten- 4.
tiam, affirmóque Matthæum non de exitu ex *Auctorum mẽs.*
ciuitatis porta, ſed de exitu ex domo Pilati exponendum, ſicuti & Ioannes, *Exiuit, baiulans ſibi Crucem.* Si ipſe egreſſus è Pilati domo baiulat, quomodo Simon tunc baiulator adſumitur? Quia non abſtracta omninò Crux ab humero Saluatoris.

Cuius robur ex dilucidatione huiuſmodi 5.
quæſtionis pendet. An Simon ſolus Crucem *Num Simon*
Chriſti portarit, vel Chriſto eam baiulanti *ſolus Crucis*
præſtiterit auxilium? D. Leo ſolum Simonem *portitor?* *D. Leo.*
aſſerit Crucis baiulatorem. *Simon* (inquit) *quidam Cyrenæus inuentus eſt, in quem lignum Crucis transferretur à Domino.* Quam ſententiam plures ex interpretibus amplectuntur illis Matthæi, & Marci verbis hærentes: *Hunc angariauerunt, vt tolleret Crucem eius.*

Nihilominus tamen ſequor Caietanum aſ- 6.
ſerentem Simonem ſimul & Chriſtum Crucis *Ieſus & Si-*
portitores. *Nam ſi ſolus* (inquit) *portaret Simon,* *mon pariter*
*videretur ipſe crucifigendus, non Chriſtus.* Fauet *portauere.* *Caiet.*
Lucas fatus: *Impoſuerunt illi Crucem portare poſt* *Adrich.*
*Ieſum.* Confirmat Adrichomij de genuflexionibus Ieſu ſub Crucis pondere deſcriptio. Bis enim dicitur corruiſſe, poſtquam Simon conductus eſt. Nec verba Matthæi & Marci me ab huiuſmodi ſenſu dimouent. Angariatus enim Simon eſt, *vt tolleret Crucem eius*, poſt Ieſum quidem, ſiue ad Crucem tollendam præſtaret

adiutor

Digitized by Google

adiutorium. Trabs etenim duorum virorum humeris appoſita ab vtroque portatur. Iam plana primæ quæſtionis de exitu à domo Pilati reſolutio.

7. *Coactus Simon, & quare?* *Hunc angariauerunt.* Compulerunt, coëgerunt, ex Græco vocabulo *compellere, cogereve ſignificante.* Lucas: *Apprehenderunt Simonem.* Apprehenſum ſcilicet coëgerunt. Quare coactus Simon huic dedit operam miniſterio? Quia valdè ignominioſum Cruci latronum patibulo manum admouere. Caietan. *Coegerunt Simonem. Erat enim tanta ignominia portare in illo ſpectaculo Crucem, vt nullus inueniretur, qui pretio hoc onus ſubiret.* Non tamen ideò affirmo nullam pecuniam loco mercedis Simonem accepiſſe. Conductus enim licet non vltroneus ad hoc miniſterium, laboris & ignominiæ ſuæ recepit mercedem.

*Vt tolleret Crucem eius.* ] Quare Iudæi conduxerint ad leuandam Crucem Simonem? Num ex pietate? Minimè; ſed vt celerius ad monem perueniret, ei de Cruce onere detracto. Tam anxiè cupiebant Iudæi ſitum Saluatoris explere examinatione. 8. *Quare adiutor Crucis baiulandæ datus Ieſu?*

# IN IESVM PATIENTEM APVD CRVCEM:

# Panegyricus ſecundus Moralis circa Literam:

## EX CYRENÆI COACTIONE.

## *OBSERVATIO I.*

Ad illa verba:

*Inuenerunt hominem nomine Simonem.*

Simon ſeu obediens portat Crucem Ieſu,

*Quia obediens eum omninò à quocumque liberat cruciatu.*

9. QVID *Simon?* Nonne *obediens?* Appoſitè Obediens Ieſum à Crucis onere liberauit: *Ipſe Simon vocatur* (ait Paſchaſ. lib. 12.) *quod interpretatur obediens. Hic poſt Ieſum Crucem portare feſtinat. Obediendo promeruit, vt tanto dignus munere eſſet.* Exiſtimat Pater omninò Simonem Chriſtum à Crucis pondere liberaſſe. Magnum procul dubio obedientiæ munus præſtitum, leuare Ieſum, ab omni eum labore immunem reddere. *Paſchaſ.*

10. *Iſaac Ieſus in obedientia conſpectus no poterat vulnerari.* Portauerat Iſaac humeris ligna, crucem ſcilicet, cui myſticè erat ſuffigiendus Ieſu gerens imaginem. Cum lignorum acerno hæreret, iam iam paterno gladio percutiendus, & eripitur à morte, & à Cruce myſtica liberatur. Geneſ. 22. Vndenam id? D. Auguſtinus ſer. 68. Temp. Abrahæ commendans obedientiam ait: *In re tam ardua nulla illi dubitatio fuit; ſed ſententiam Domini, tanquam qui optaret, accepit.* En cauſa, cur Iſaac non debuit, imò quodammodo non potuit vulnerari. Vbi enim adeſt obedientia, ibi Chriſtus liberatur à Cruce. *Gen. 22. Auguſt.*

11. *Et à ſiti liberatus eſt.* Dauid pluribus actionibus Chriſti egit perſonam & degentis apud nos, & à nobis horribili paſſione deſcendentis. Porrò ſitiens Rex, & cupiens Ciſternæ Bethlehemiticæ vnda potari inter belli tumultus, Ieſu Cruci ſuffixi ſitim exprimebat. Admirabilis prorſus obedientia militum illorum, qui tanto vitæ diſpendio exoptatam Dauidi aquam exhibuêre. Quam equidem obedientiam pluribus commendat Ambroſ. Apol. Dau. cap. 7. Enimverò Rex noluit haurire, *ſed libauit eam Domino.* 2. Reg. 23. Quare aquam ſitiens Dauid non epotauit? Crediderim myſtici Ieſu non tam aquam, quam hominum ſpiritualem profectum ſitientis in obedientiæ conſpectu ſitis extinctum cruciatum. Nam obedientia humeros Ieſu à Crucis eximit onere. *Ambroſ.*

12. *Ieſus ideò noluit bibere. Ioan. 19.* Quod ſi cauſa commiſerationis ſitienti Ieſu Milites acetum præbuêre, vti aliquibus placet; appoſitè Ieſus abſtinuit à potu, vti veritas typo conformaretur: *Cum guſtaſſet, noluit bibere.* Ioann. 19. Inclamauit: *Sitio,* ac ſi potari petiiſſet. Illi protinus promptè obſequentium typum agentes (vti Trug.) calicem miniſtrant, appoſita arundini ſpongia accepto plena. Noluit igitur bibere. Quia repugnabat quodammodo adeſſe ſitis cruciatum in obedientiæ myſticæ conſpectu. *Trug.*

13. *Obedientia thronus gloria Ieſu. Ezech. 1.* Porrò Ezechieli Ieſu gloria oſtenditur curru illo mirabili inuecta. Animantia illa quatuor obedientiæ imago; quatuor enim eorum vultus totidem mundi plagas reſpiciebant, vt eo ferrentur incunctanter, vbi ſpiritus impetus, ſiue directio cœleſtis immitteret. Cap. 1. Dominus igitur quando iam non moritur, quando omninò à cruciatu abſtractus apparet, obedientiæ curru triumphat.

14. Iam inde à cunabulis didicerat Ieſus obe-


dientiæ

*Simeon obediens currus gloria Ieſu.* Luc. 2. Paſchaſ.

dientiæ curru geſtati. Si Crucem Domini obediens Simon portat, Simeon obediens ipſum Ieſum vlnis geſtat. Nam obedientia Ieſum vel eximit à cruce, vel geſtat glorioſum. Paſchaſ. citat. ad hæc: *Vnum eſt, ſi dicamus Simon, aut Simeon, quia vtrumque nomen iuxta proprietatem Hebraici ſermonis obedientiam ſonat: Et ideò vnus eorum Crucem portare feſtinat: alter ſuſcipiens eum in manibus ſuis, ad templum Ieruſalem exultans ferre inter brachia, quamuis iam ſenex, gaudet.* Gaudet inquam, vt gaudio perfuſo infanti triumphum agenti conformaretur. Hæc iuxta primam de Simone totam Crucem portante, ſententiam. Meam iam opinionem aliter illuſtrò.

## OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

### *Ut tolleret Crucem eius.*

### Non ſolus Ieſus baiulat Crucem, ſed nos requirit coadiutores.

*Vbi de baiulandæ Crucis neceſſitate.*

15. Paſchaſ.

VIDIMVS tam Ieſum, quàm Simonem Crucis onus ſuſcepiſſe. Cuius ſi cauſam moralem requiras, ea in promptu eſt, vt intelligamus haud ſatis ad ſalutis conſecutionem Chriſtum Crucis pondus ſuſcipere, neceſſum enim nos eidem ligno manus & humeros apponere. Id quod Paſchaſ. exprimit fatus: *Congrue quidem ſatis* accedit Simon, vt tollat Crucem Ieſu: *Quoniam Ieſus eam pro nobis portauit, tunc demum in via nos eam ferre neceſſe eſt.*

16. *Petrus ad Crucis baiulationem mittitur.*

Satanas ſedere procurabat ſine Crucis geſtatione, ſine cœleſtis adimpletione voluntatis: *Sedebo in monte teſtamenti, ſimilis ero Altiſſimo.* Similis quidem Altiſſimo ſedenti, non proficiſcenti ſuæ crucis baiulatori. Petro Ieſus à Cruce reuocare curanti Dominus: *Vade poſt me Satana, ſcandalum es mihi.* Matth. 14. Vbi D. Hieronym. *Petro dicitur: Vade retro me Satana. Id eſt, ſequere me; contrarius es meæ voluntati.* Ac ſi diceret, Meæ voluntati obtemperans, me ſequere meæ baiulum Crucis. Ne Satanæ in morem ſedere cupias, non tamen crucis onus in via tolerare.

Matth. 14. Hieron.

17. *Iacob Crucem cum Ieſu baiulator.* Gen. 32.

Iacob proficiſcitur fugitans à facie Eſau; qui cùm ſomno labor intermitteretur, vidit ſcalam, viam quidem cæleſtem, Crucis aſpexit ſimulacrum, Dominum autem humerum ſuperiori parti Crucis apponentem. At Iacobus, Simonis inſtar, dorſum oneris inferiori parti accommodat. Nec ſufficeret Iacobo Dominum magiſtrum exiſtere Crucis baiulum, niſi ſimul ipſe diſcipulus humeros admoueret. Tert. appoſitè: *Cum Magiſter, & Dominus perpeſſus ſit perſecutionem, & traditionem, & occaſionem; multò magis ſerui & Diſcipuli eandem expendere debebunt.*

Tertul.

18. *Ieſus Moyſen inuitat ad Crucem portandam.* Exod. 3. Auguſt.

Olim Dominus Iſraelis, imò & mundi Saluator Moyſi *apparuit in flammis ignis de medio rubi.* Exod. 3. Vbi Chriſtum ligno, clauorum aculeis ſuffixum contemplor, quemadmodum in ariete cornibus hærente inter vepres D. Auguſtin. contra Fauſt. meditatus eſt: *Quis alius aries* (inquit) *immolandus in vepre cornibus adhærebat, niſi qui Crucis patibulo pro nobis offerendus affigebatur?* Iam Dominus inclamat: *Solue calceamentum de pedibus tuis.* Ibid. Ego Cruci ſuffixus? Tu ſpinis è rubo reliquis compunctus Cruci illigari operam impende. Confixus ego ſpinis clauorum? Par ad vtrumque ſpectet conditio neceſſum eſt.

19. *Inuitatur vnà & ſponſa.* Cant. 4. Auguſt.

Sponſus ad Eccleſiam: *Veni de Libano Sponſa, veni de Libano.* Cantic. 4. Hebr. *Mecum de Libano Sponſa, mecum de Libano. Veni* (inquit) *mecum.* Mihi Crucem baiulanti adiutorium præſta. D. Auguſtin. Pſalm. 7. *Venit Eccleſia tanquam currus Dei proſperum iter habens, & pertranſiit ex hoc mundo ad Patrem, vt fiat in ea, quod Sponſus ipſe dicit, qui pertranſiit de hoc mundo ad Patrem, &c.* Pertranſiit Ieſus baiulus Crucis? Quidni ad ſeruum æqualis conditio ſpectaret, de hoc mundo ad Patrem pariter tranſeuntem?

20. *Ieſus humerum vnum fideli præbet alterum.* Soph. 3. Anſelm.

Sophonias: *Seruient ei humero vno.* Cap. 3. Septuag. *Seruient ei ſub eodem iugo.* Quodnam iugum? Crux planè Dominica. Humero vno ſeruient Chriſto fideles in morem Simonis; Chriſtus namque humero altero Crucem comportat. Anſelmus: *Humero vno, id eſt, humero vnito. LXX. enim transferunt ſub iugo vno.* Quaſi Ieſus & fidelis, crucis ſint hinc illincque portitores, quemadmodum animans vtrumque iugum adſolet ſuſcipere, & currum admouere, aut aratrum comportare.

SECTIO

SECTIO TERTIA.

# SVFFIXIO.

## EX CAP. XXIII. LVCÆ.

### *TEXTVS.*

*Verſ.* 33. Ibi crucifixerunt eum, & Latrones, vnum à dextris, & alterum à ſiniſtris.

## *COMMENTARIVS LITERALIS.*

### §. I.

#### *De ſuffixione Domini.*

1. *Quid Caluariæ locus?* IBI *crucifixerunt eum.*]In locum deueoere, vbi erat crucifigendus Ieſus, qui *Golgotha*, ſiue Hæbræis, ſiue Syris, id eſt, *Caluariæ locus.* Sed vndenam loco huic Caluariæ oomen obtigerit? Num quod in eo fuerit Adami caluaria ſepulta? Sic D. Auguſt. Epiphan. Origen. Ambr. Athan. Cyprian. Tertullian. Theophylact. & alij. Cuius myſterium ferè omnes attigere. Pro omnibus Auguſtin. *Vt ibi erigeretur Medicus, vbi iacebat ægrotus.*

2. *Auctoris mens.* D. Hieronym. ſequor hanc opinionem minimè probantem: *Fauorabilis* (inquit) *eſt interpretatio, & demulcens aures, ſed non vera.* Conteſtantur Gloſſa, D. Baſil. Paſchaſ. & alij. Aſſero itaque Caluariæ montem dictum ideò, quia vel caluariis, ſeu craniis reorum funeſtaretur: vel mons ipſe caluus arboribus, herbis exutus, totus ſterilis, & ſaxoſus ſimilis caluariæ exiſteret, quamobrem damnatorum erat ſupplicio deputatus. Lege D. Cyril. Ieroſolym. Cyril.

3. *Potatur felleo poculo.* *Ibi*, ne qua pars eſſet corporis à cruciatu libera, aut ne quid ludibrij omitteretur, (neque enim exiſtimo poculum aduerſus clauorum vulnera fuiſſe Domino crudeliſſimis Iudæis aut pecunia deprauatis militibus propinatum) porrexerunt illi potum aceto ac felle temperatum, de quo inferius.

4. *Affigitur Cruci.* Mox ſpoliatum omnino veſtimentis in Crucem adegêre. Cuius accipe ex Simone Caſſia. Caſſia. deſcriptionem: *Diſtenditur in Cruce corpore Ieſus, magis in animo ad homines charitate diſtenſus, vt etiam ſui crucifixores non excluderentur ab huiuſce charitatis effectu, & affectu. Etenim orauit pro eis. Diſtenſo præſto ſunt claui, & mallei de ſuper ferientes in manu valida affigentium. Premebatur, & configebatur immiſericorditer illa caro, & illud corpus erat in illa hora in ſua paſſione ab omnibus derelictum. Sentiebat Chriſtus dolores in carne, ſed non animo mouebatur. Dilecti ſui vnica* Mater *inexplicabilibus pœnis in anima fodiebatur, & ſingultibus, & lacrymis irremediabilibus Chriſto patienti ſic conformis adſtabat.*

5. Enimverò plura occurrunt circa ſuffixionem Ieſu breuiter elucidanda. Rugas primò. Ex quonam ſit Crux arbore fabricata? Quidam ex quercu, cuius præceſſerat in Abſalone pendente typus. *Ex quonam arbore Crux?* Alij ipſam vitalem arborem è paradiſo variis in Ieroſolymitanam piſcinam euentibus tranſlatam, indeque non ſine ſpeciali cœleſtis prouidentiæ pulcritudine arreptâ ab hoſtibus Cruci materiam præſtitiſſe. Auctor Hiſt. Schol. in Euang. cap. 172. ex quatuor arborum generibus fabricatam docet: *Auctor. Hiſt.* *Inuenitur* (ait) *lignum Dominicæ Crucis & palmæ, & cypreſſi, &, vt quidam tradunt, oliuæ, & cedri.* Conteſtatur Bernardus. At Beda in Collect. tom. 3. *Beda.* *Crux* (inquit) *de quatuor lignis facta eſt, quæ vocantur cypreſſus, cedrus, pinus, & buxus, ſed buxus non fuit in Cruce, niſi tabula de illo ligno, in quo ſuit titulus.* Quatuor autem lignorum ſpecies ſic diſtribuit Gloſſa. Clement. 1. *Gloſ.* *Fertur Crux quatuor habuiſſe genera lignorum, cedrum in ſtipite, palmam in palo per longum, cupreſſum in ligno ex tranſuerſo, oliua in tabula ſuper Crucem.* Ego ex vnius arboris materia Crucem fabricatam, eaque quercu probabilius exiſtimo. Accepi ex D. Ambroſ. apud Gloſ. Ab- *Ambroſ.* ſalonis è quercu pendentis tragœdiam Ieſu ſuffixo accommodantis.

6. *Quonã modo ſuffixus fuerit?* Requiris ſecundò. Quonammodo ſit Dominus ſuffixos, humi collocatæ Cruci, an erectæ? Reſpondeo veroſimilius manus ligno humi iacente fixas eſſe, pedes verò iam erecta Cruce tabulæ cuidam Cruci ſuperadditæ ad munus huiuſmodi. Nec improbabiliter in Crucem iam erectam Dominum ſublatum alij exiſtimant.

7. *Quot clauis?* Quæris tertiò. Quot fuerit Ieſus clauis illigatus? Nonus, & Nazianz. pictures ſecuti tribus ſuffixum clauis credunt. Ego quatuor ſtatuo clauos. Difficile enim poſſunt duo pedes vno clauo transfigi. Hæc ſententia reuelationibus D. Brigittæ confirmatur. *Brig.* D. Gregorium Turon. audite: *Gregor. Turon.* *Claui, quod quatuor fuerint, hæc eſt ratio. Duo affixi erant in palmis, & duo in plantis. Sed quæritur, Num plantæ fixæ ſint quæ in Cruce pendere viſa ſunt potius, quam ſtare? Sed in ſtipite erecto foramen factum manifeſtum eſt, pes quoque paruulus tabulæ in hoc foramine*

*inſertus*

*inferius eſt, ſuper hanc verò tabulam quantam ſtantis hominis ſacra affixa ſunt planta.* Ex quibus colligitur Cruci inſertam tabulam, in qua pedes & conſiſterent,& figerentur.

8. *Quid factum de clauis.*
Interrogas quartò. Quid factum de hiſce clauis? Reſpondet Turon. Antiſtes: *Duo ſunt apti in fræno Conſtantini. Tertius proiectus in mare Adriaticum. Quartum aſſerunt eſſe defixum in capite ſtatuæ Conſtantini. Vt tota ipſa ciuitas, cui eminet, munitione ſalutis quodammodo galea coronata eſſet.* Quorſum Adriaticũ pelagus clauum abſorbuit? Profectò vt fluctus manſueſcerent: *Eo enim tempore* (ait ille) *mare magnis fluctibus mouebatur. Cum proiectus eſſet à Regina Helena clauus, mare quietum reddidit.*

9. *An ſpinea corona Ieſu apud crucē?*
Ambigis quintò. Num Ieſus apud Crucem ſpinea corona redimitus? Exiſtimat Euthym. à militibus detractam, cum Dominum purpurea veſte exuerunt. Sequor Tertull. adu. Iud. c. 13. profantem: *Chriſtus lignum humeris ſuis portauit, inhærens cornibus crucis, corona ſpinea in capite eius circundata.* Reuelationes, picturæ, & pia Eccleſiæ receptio conteſtantur.

10. *De ſitu crucifixi.* Damaſc.
De ſitu denique ſuffixi Domini dubitatur. D. Damaſc. lib. 4. de fid. cap. 13. *Dominus cum in Cruce penderet, ad occaſum proſpiciebat.* Videlicet terram Occidentalem, Italiam, cæteraſque Europæ Regiones, Romam præcipuè, in qua ſuam erat ſedem collocaturus. Quemadmodum antiquam teſtamenti Arcam Deus ad occaſum templi (typicè) voluit collocari. Adrichomius id ſtudio Iudæorum geſtum affirmat. Indignum enim eum reputabant, qui aſpectu ciuitatis donaretur. Rem hanc ego exiſtimo Iudæos parum curauiſſe. Sed equidem Dominus ipſe curabat, vt inclamaret: *Dorſum, & non faciem oſtendam eis, in die perditionis eorum.* Ierem. 8. Ierem.

## §. II.

### *De Latronum confixione.*

*ET Latrones, vnum à dextris, & alterum à ſiniſtris.*] Non ſatis Iudæis, Chriſtum infami patibulo affixiſſe. Medium inter latrones adegerunt, ſicut Iſaias fuerat vaticinatus: *Et cum ſceleratis reputatus eſt.* Cap. 53. Quis enim videret Dominum Latronibus hinc illinc ſtipatum, qui non cauſam communem exiſtimaret? Sic Euthym. Sed opportunè Sedul. apud Bed. 11. *Ieſus inter latrones.* Sedul.

*Par eſt pœna trium, ſed diſpar cauſa duorum.*
*Hi mundo ſunt quippe rei pro crimine multo.*
*Huic reus eſt mundus, ſaluatus ſanguine iuſto.*

*Vnum ad dexteram. & alterum ad ſiniſtram.*] 12. *Extremum hic iudicium adumbratur.*
D. Leo ſerm. 10 de Paſſ. exiſtimat extremum hic iudicium ſignificari, quando iuſti dexteræ hærebunt, peccatores Ieſu tenebunt ſiniſtram. Moraliter Beda Cruce boni Latronis eorum cruces ſignificari opinatur, qui pura intentione pro Deo perferunt labores, ſicut ſiniſtri Latronis Cruce ij innuuntur, qui mundi cauſa laborant, & anxiantur. De quo alibi.

Num Latrones clauis ſuffixi? Reſpondeo affirmatiuè. Euangeliſtæ enim eodem crucifigendi verbo vtuntur, cum ſuffixionem Chriſti, ac Latronum narrant. Probatur præterea ex hiſtoria inuentionis S. Crucis. Facile etenim negotium fuiſſet Chriſti Crucem dignoſcere, ſi illa ſola clauis fuiſſet perforata. 13. *Clauis ſuffixi latrones.*

# IN IESVM PATIENTEM APVD CRVCEM.

# Panegyricus tertius Moralis circa Literam.

## EX SVFFIXIONE.

## *OBSERVATIO I.*

Ad illa verba:

*Vnum à dextris, &c.*

Ieſus medius inter latrones in Crucem adigitur, vt eis ſimilis haberetur.

*Id enim reputaris, quod ille cui adhæreſcis.*

14. CAVSAM quam ex Euth. tradidi, quare Iudæi diſpoſuerint Chriſtum inter latrones collocari, paucis illuſtro: *Hoc* (ait) *ipſe factum vt in medio maleficorũ maleficus putaretur.* Quãdo non iuſtus inter peſſimos commoratus quaſi illorũ vnus habetur?

Omnibus equidem Ieſu perſpicua innocentia, eiſdem Iudicibus conteſtantibus: *Nullam in eo inuenio cauſam, ſed nec Herodes.* Attamen Ieſu acto in Crucem latronibus flagitioſis, titulus (diuina id prouidentia diſponente) Cruci Saluatoris apponitur: *Poſuerunt cauſam ipſius ſcriptam, Ieſus Nazarenus.* Matth. 27. Paſchaſ. appoſitè. 15. *Titulus ideò apponitur.* Matth. 27. Paſchaſ.

appoſitè : *Par ſiquidem pœna ; ſed diſpar cauſa.* Latronibus titulus latrocinij, Ieſu titulus innocentiæ perhibetur. Fallor niſi ob prædictam cauſam Maria & Ioannes Cruci Chriſti hinc illinc immobiliter adhæſere. vt quæ ſuſpicio à ſocietate malorum firmabatur , à ſanctorum ſocietate aboleretur.

15. *Quam ſimile ſiat iudicium de ſociis?* Ciuitas olim, vbi Raab Exploratorum fidelis miniſtra commorabatur, euertitur. At ne ſimul Raab deperiret , funiculus appenditur è feneſtra. Nec enim homines exiſtimant fore, vt poſſit inter improbos ſanctitas, aut fides collocare domicilium. Cur exiſtimas Loth ab Angelis ablegatum ab vrbe conflagratura ? Geneſ. 19. Lipoman. Quia *feſtinandum à contubernio peſſimorum.* Ne ſcilicet iuſti ſimul eodem afficiantur ſupplicio. Num non cœleſtis ignis diſcerneret probos à peccatoribus, ſicuti fornacis flamma vincula ab adoleſcentibus iuſtis diſcernere nouit ? Profectò tam adnatum hominibus inter probos commorantibus eorum ſceleribus contaminari, vt vel ab igne puniente, & diſcernente quodammodo reprobi haberentur , niſi prius ab exitiali abſtraherentur ſocietate.
Gen. 19. Lypom.

16. *Cur ſexta diei animātia benedictione donata non ſunt?* Creatis volatilibus, & piſcibus , *benedixit eis* Dominus: *Creſcite, & multiplicamini.* Geneſ. 1. Quare volatilia, natantiaque , quæ quintâ die plaſmata ſunt , benedictione donantur , non autem terreſtria animantia , quæ ſexta die lucem viderunt ? Reſpondet Strabus : *Ideo fortè animalibus ſexta diei non benedixit Deus ; quia inter ea erat & ſerpens.*
Gen. 1. Strab.

17. *Quid Triticū inter zizania?* Patrifamilias Deo ſerui fideles : *Nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo ? Vnde ergo habet zizania ?* Quod cum extirpationi zizaniorum ſe ſe accingerent, audiunt : *Non. Ne fortè colligentes zizania , eradicetis ſimul & triticum.* Matth. 13. Vbi D. Auguſt. in tritico iuſtos , in zizaniis improbos meditatur. Quare prohibentur agricolæ à zizaniorum eradicatione? D. Hieronym. Quia *inter lolium & triticum maxima ſimilitudo eſt, & in diſcernendo difficilis diſtantia.* Illud pondero: *In diſcernendo difficilis diſtantia.* Vndenam huiuſmodi difficultas ? Quia boni inter malos conſtituti mali omninò reputantur , vnde eradicabitur frumentum , quia eandem ſubit cenſuram, quod cum zizaniis commiſcet ſocietatem. Plura alibi.
Matth. 13. Auguſt. Hieron.

# OBSERVATIO II.

### Ad illa verba :

## *Ibi crucifixerunt eum.*

## Quàm amabilis hominibus Ieſu crucifixi ſpecies !

*E Cruce enim peccatores allicit.*

17. BENIGNISSIMA ſpecies Crucifixi omnibus peccatoribus obiicitur. Cur enim brachia protendit Dominus, niſi vt nos alliciat ad amplexum? *Ego* (inquit) *tanquam nutricius Ephraim , portabam eos in brachiis meis.* Oſee 10. Vbi Stephanus: *in brachiis meis in Cruce diſtentis. Ibi enim extendit Dominus brachia ſua , ad amplectendum nos, & portandum.*
Oſe. 10. Steph.

18. *Nobis ſuffixus Ieſus cœleſtis Pater oſtēditur.* Nec ſolùm allicit , & amplectitur vt nutricius, ſed vt Pater. Difficilis D. Bernard. ſerm 5. de ver. Iſa ſententia : *Diceremus* (inquit) *audebimus , quod Ieſus aliquando fuerit etiam ſine Patre?* Profectò Ieſus Cruci ſuffixus inclamauit: *Deus meus , Deus meus, vt quid dereliquiſti me.* Matth. 27. *Nemo id præſumeret* (pergit Doctor) *ſi non prior ipſe dixiſſet: Vt quid dereliquiſti me?* Habemus Chriſtum è Patre naſcentem, *in Patre cubantem, cum patre ſedentem, pro Patre ſtantem, ſub Patre pendentem, ſine Patre quodammodo morientem.* Occultatus equidem tunc Pater, quia Ieſus & Filij & Patris gerebat perſonam homines amplexando , alliciendo, nihil quid paternum non eſſet oſtentando. Confirmat Chryſolog. ſerm. 5. ad illud Luc 15. *Cum eſſet longe, vidit illum Pater ſuus, & miſericordia motus eſt, & accurrit.* Quiſnam accurrit ? Paterne cœleſtis , an Filius ? Profectò Pater in Filio crucifixo: *Cum adhuc impij eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Occurrit Pater, occurit in Filio.* Nihil enim magis paternum , quam Cruci pro reis filiis illigari. Crucifixus itaque Ieſus non ſolùm Filius , ſed & cœleſtis Pater oſtenditur.
Bernard. Chryſolog.

19. *E cruce Ieſus prodigos excipit Caluariæ filios.* Prodigos excipit è Cruce Pater optimus, peccatores amplectitur. Ideò affigitur apud Caluariæ montem , vbi egregij peccatores in crucem agebantur. Cruci ſuffixus Dominus Latronem conuertit in filium. Titulus Pſal. 44. *In finem pro his, qui commutabuntur , filiis Core.* Vbi D. Baſil. arbitratur *Core Caluariam* ſignificare. Vnde Filij Core filij Caluariæ interpretantur. Quinam Caluariæ filij , niſi crucifixi latrones ? Chriſtus ergo apud Caluariam ſuffigitur, vt Caluariæ filium beneficio , potentiaque Crucis in proprium filium conuertat: *Filij ſponſi* (ait Baſil.) *Filij crucis illius iam appellantur Filij Core,* ſiue Caluariæ. Quia ſcilicet tantæ benignitatis potentia commutati ſunt: *Qui commutabuntur.*
Pſal. 44. Baſil.

20. *Abſalom fugiens à Crucifixo fouetur.* Ex præcipuis Core filiis Abſalom dignus ob parricidium , qui cum Caluariæ peccatoribus adnumeraretur. Hic nec à cœleſtibus brachiis exceptus , nec gremio terræ materno fotus, à crucifixo Domino excipitur , brachiiſque benigniſſimis illigatur: *Cum ingreſſus fuiſſet mulus ſubter condenſam quercum , adhæſit caput eius quercui , & illo ſuſpenſo inter cælum & terram, mulus pertranſiit.* 2 Reg. 18. Vidimus ſuprà ex quercu Dominicam Crucem fabricatam Vnde ex D. Ambroſ. affirmauimus quercum, ex qua Abſalom pependit , Dominicæ Crucis imaginem extitiſſe. Cœlum itaque repulit parricidam , quod olim Angelum delinquentem deturbarat. Terra brachia compreſſit, ne exciperet ſeditioſi Core aſſeclam, quippe quæ Caluariæ filios non ſemel abſorbuit. Quid tunc? Profectò ſolus Ieſus arbori ſuffixus nouit brachia protendere, vt ab omnibus proiectum, omnibuſque exoſum complecteretur, ab itaque cœleſti protegeret , locum præſtans pœnitentiæ. Nec enim protinus Abſalom lanceis confoſſus.
2. Reg. 18. Ambroſ.

21. *Vbique in Crucifixo habet fugiens peccator protectionem.* Erat profectò quando fugam meditatus Dauid, quò fugeret non inueniebat: *Quo ibo a ſpiritu tuo, & quò a facie tua fugiam ? Si aſcendero in cælum , tu illic es ; ſi deſcendero in infernum,*

adeſ

*ades; ſi ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Pſalm. 138. Porrò D. Gregor. Nyſſen. de Orat. Dom. ex hoc loco Dominicæ Crucis gloriam rimatur. Omnia enim Chriſto crucifixo plena eſſe affirmat, vt vbique det peccatori & quò fugiat, & quo protegatur ab ira cœleſti. Quod ſi olim Altiſſimi manus vbique aderat peccatores comprehendens ad ſupplicium; nunc manus quidem Dei, ſed confixa clauis, vt excipiat fugientes, vulnúſque loco receptaculi præbeat. Ad cœlum aſcendens, caput habes Dominicum, vbi ſpinæ foſſas tibi offerunt refugij. In infernum properans, pedum confixorum foſſis abſcondere. Ad dexteram, aut ad ſiniſtram declinans, & Ieſu manibus protegeris, & vulneribus à cœleſti ira abſconderis.

Pſalm. 138. Nyſſen.

22. *Crucifixus diſperſos requirit, & congregat.* Iſai. 11. Baſil.

Quid dico, excipiet Ieſus crucifixus fugientes? Profectò diſperſos requiret, & congregabit, vt, muro appoſito, ad ſalutem diſpenſet. Præcinit id Iſaias: *Leuauit ſignum in Nationes, & congregauit profugos Iſrael, & diſperſos Iuda colliget à quatuor plagis terræ.* Cap. 11. Vbi D. Baſil. Crucifixi virtutem quatuor mundi plagis apponit: *Vt hac ſignificatione* (ait) *omnes mundi partitiones per eas ſancta Crucis partes ad ſalutem diſpenſentur.* Profugi enim congregantur, diſperſi colliguntur ſub arboris Dominicæ protectione.

# OBSERVATIO III.

### Ad illa verba:

## *Crucifixerunt eum.*

## Horribilis impœnitentibus Ieſu cruci ſpecies affixi.

*Quia numquam Deus magis Iudex, quàm cùm amplius benignus.*

23. HORRIBILIS profectò alio ex capite ſpecies Crucifixi peccatoribus. Suffixus enim Dominus mirum in modum deterret ingratos. Vnde D. Auguſt. *Ipſa Crux tribunal fuit, in medio enim Iudice conſtituto, vnus Latro, qui credidit, liberatus: alius, qui inſultauit, damnatus eſt. Iam ſignificabat, quid facturus eſt de viuis, & mortuis; alios poſiturus ad dexteram, alios ad ſiniſtram.* Dum illud lego: *Crucifixerunt eum,* nihil mihi dulcius; ſed & nihil horribilius poteſt excogitari.

Auguſt.

24. *Paſtor, qui dat vitam pro ouibus, hædos ſeparat, & repellit.* Matth. 25.

Iudicij prædicens rigorem Dominus: *Separabit eos* (ait) *ab inuicem, ſicut Paſtor ſegregat oues ab ab hœdis.* Matth. 25. Requiris, cur metaphora vſus Dominus, qui mox adiicit: *Tunc dicet Rex his, qui à dextris eius erunt.* Quid Regiæ dignitati cum Paſtore? Vt reſpondeam, expono illud Ioannis: *Ego ſum Paſtor bonus. Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis.* Cap. 10. Chriſtus bonus Paſtor Cruci ſuffixus, vita pro ouibus priuatur? Quo igitur habitu, qua ſpecie ſuffigitur, eadem & Iudex ſeueriſſimus apparebit.

25. *Peccatoris Dominus Paſtor, non liberator in iudicio.* Matth. 19. Ioan. 10.

Adoleſcens ſic ad Saluatorem: *Magiſter bone, quid boni faciam, vt habeam vitam æternam:* Cui Dominus: *Quid me interrogas de bono? Vnus eſt bonus Deus.* Matth. 16. Marcus autem: *Quid me dicis bonum?* Pulchrè D. Hieron. fieri aſſerit illuſionem ad illud Ioannis: *Paſtor bonus ponit animam ſuam pro ouibus ſuis.* Ac ſi diceret Adoleſcens: Paſtor bone, dans vitam pro ouibus: *quid faciam boni, &c.* Reſpondet ergo Dominus: *Quid me dicis bonum?* Quaſi diceret: Eo ipſo, quod bonus hic Paſtor ſum, dans pro ouibus vitam, huiuſmodi Paſtoris bonitas cedet ad malum peccatorum in nouiſſima die. D. Auguſt. *Vocas me ſecundum quod vides, bonum. Hæc forma apparebit in iudicio non tantum iuſtis, ſed & impiis; & ipſa viſio malum eis erit, quia pœnalis erit.* Paſtor itaque bonus nunc Cruci ſuffixus, tunc oues in malum flagitioſorum ab hœdis ſegregabit.

Auguſt.

26. *Rex militans pro nobis iuſtus? Rex iudicans obuictur.* Matth. 25. Auguſt.

Non ſine pondere labatur illud Matthæi: *Tunc dicet Rex his, qui à dextris eius erunt.* Matth. 25. Vbi rurſum requiro, Cur & Paſtoris & Regis metaphora vnica in re fuerit Saluator vſus? Num quia non bonus ille Rex, qui ſimul non eſt Paſtor ſubditorum? Bene quidem; ſed D. Auguſt. conuenientiùs: Regnum Chriſti hic locus *vbi cum hoſtibus confligitur, donec veniatur ad Regnum illud pacatiſſimum.* Vnde *Dominus regnauit à ligno*, quia Cruci ſuffixus cũ inuiſibilibus hoſtibus decertauit: *Tunc ergo dicet Rex* Ille qui *regnauit à ligno*, regnãs nouiſſimo die Iudex oſtenditur, vt qua ſpecie Cruci fuit affixus, eadem iudiciario hæreat tribunali.

27. *Ibi Abſalom iudicatur, vbi benignè à Cruce recipitur.* 2. Reg. 18. Chryſoſt.

Vidiſti Crucem Abſaloni gremium obtuliſſe In protectionem. Obiicias, quæſo, miſerum iam adoleſcentem apud Crucem miſerè deperire: *Adhæſit caput eius quercui, &c.* 2. Reg. 18. ad quem locum D. Chryſoſt. affirmat ſimul Abſalonem & à Cruce protegi, & apud Crucem vocari ad iudicium: *Deo è ſuperis ferente ſententiam.* Quaſi idem Ieſus, qui Cruci illigatus Abſalonem excipiebat, protegebat, poſtquam *longo tempore* (ad pœnitentiam, exhibito planè) *pependit* impœnitens, ingratus, eiuſdem Crucis miniſterio diſtorquetur, ab eodémque Crucifixo myſticè damnatur.

# OBSERVATIO IV.

### Ad illa verba:

## *Crucifixerunt eum.*

## Ieſu Clauorum encomium.

*Vbi de paſſionis memoria fidelium præſidio, vitiorum infrenatione.*

BEATVS Gregorius Turon. darus in Commentario redit illuſtrandus: *Duo claui* (inquit) *ſunt aptati in freno Conſtantini, tertius eſt proiectus in mare Adriaticum; quartum aſſerunt eſſe defixum in capite ſtatuæ Conſtantini.* 28.

Gregor. Turon.

*Conſtantini. Vt tota ipſa Ciuitas, cui eminet, munitione ſalutari quodammodo galea coronata eſſet.*

29. *Caſſinus memoria infrænatur.* D.Ambr.

In primis *duo claui ſunt aptati in fræno Conſtantini.* Nil ita comprimit effrænatos corporis, animique motus, equos videlicet, quibus non eſt intellectus, ſicut Dominicæ Paſſionis memoria. D. Ambroſ. Orat. de obi. Theod. memorans frænum Conſtantini pretioſiſſimum fatetur: *Habena de Cruce, vt poteſtas regat, ſitque iuſta moderatio.*

30. *Huiuſce infrænationis victoria.* Zach. 14. Ambr. Theod.

Ad quem ſenſum adfert Pater illud Zachàriæ: *In die illa erit, quod ſuper frænum equi eſt, ſanctum Domino.* Cap. 14. *Scilicet* (ait) *Clauus Chriſti in fræno Conſtantini.* Cur clauus fræni Domino offertur? Profectò in memoriam omnium corporis, animique motuum effrænatorum, qui hoc potentiſſimo fræno non modo compreſſi ſunt, verum omninò periêre. Theod. ad hæc: *Tanquam decimas quaſdam plurima ex ſpoliis Deo obtulerunt. Etenim frænos dedicarunt, gratiam referentes de ſtrage equorum.* Haud aliter brutalibus animi, corporiſque motibus compreſſis, extinctis Paſſionis Dominicæ memoriâ, ſacratiſſimis clauis adſcribatur triumphus.

31. *Claui diaboli figuntur.* Coloſſ. Origen. D.Leo.

Quod ſi equus diabolus: gratiam æternùm referas de omnibus tenebrarum Principibus clauo Dominico infrænatis, confixis. Quid Paulus? *Principatus, & poteſtates traduxit Dominus confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo.* Coloſſ. 2. Triumphans illos, quia clauis ſuis Cruci confixit. Origen. *In Cruce diabolus cum Principibus, & Poteſtatibus affixus eſt.* Triumphans illos, quia clauis vulnerauit, & extinxit. D.Leo ſerm. 28. de Paſ. *Claui Chriſti perpetuis diabolum fixere vulneribus, & ſanctorum pœna membrorum inimicarum fuit interfectio Poteſtatum.*

32. *Fluctus cóprimuntur.* Pſal. 103. Caſſio. Auguſt.

Deinde *Tertius eſt proiectus in mare Adriaticum*, vt ſcilicet pelagus tempeſtatibus actum, omninò quieſceret? Dauid: *Hoc mare magnum, & ſpacioſum manibus; illic reptilia, quorum non eſt numerus.* Pſal. 103. Vbi Caſſiodor. *Mare* (inquit) *præſentem mundum ſignificat, vbi malitia dæmonum velut quibuſdam fluctibus voluntas animarum inſtabilis commouetur.* Clauum Crucis accipe munimentum D. Aug. *Repentes tentationes quis numeret? Repunt; ſed caue ne ſurripiant. Vigiletur in ligno, etiam in aquis ligno nauigamus, etiam in fluctibus tuti ſumus.*

33. *Caput ſerpentis transfigitur.* Gen. 3. Iud. 3. Anaſtaſ.

Præterea *Quartum aſſerunt eſſe defixum in capite ſtatuæ Conſtantini.* In typum videlicet capitis ſerpentini clauo Dominico configendi: *Ipſa* (inquit Deus) *conteret caput tuum.* Gen. 3. Non opus virili potentia ad diabolum debellandum, poſtquam clauo potentiſſimo Crucis donati ſumus, infirma mulier ſufficit capiti ſuffigendo: *Tulit Iabel clauum tabernaculi, aſſumens pariter & malleum, & poſuit ſupra tempus capitis illius clauum, percuſſumque malleo defixit in cerebrum vſque ad terram.* Iud. 3. Proh mulieris infirmitas! ſed proh Claui è tabernaculo Ieſu, è Cruce inquam aſſumpti potentia ſerpentis caput configens! *Non vides* (inquit Anaſtaſius Sinai. lib. 12 Exa.) *infracta, & inuicta arma, in quibus Eccleſia Dei,* (imò infirma muliercula quæque) *conterit, & aufert caput ſerpentis. Crucem inquam Ieſu?* En fœmineo malleo vniuerſæ terræ malleus contritus.

34. Ad hæc omnes prædicti Clauorum triumphi inde excutiuntur, vnde Claui Dominum Cruci ita illigarunt, vt à nobis iam quodammodo non poſſet ſeparari. Erat cum in Regionem longinquam Rex noſter ſe conferret: erat cum ſaltem quantum iactus eſt lapidis à nobis dimoueretur. Iam nobiſcum vſque ad conſummationem ſæculi commoratur, quia clauis ſuffigitur. Obſequentibus igitur oſculis deuotiſſimè venerare clauos, compedes Saluatoris: *Introibimus in tabernaculum eius*, Crucem ſcilicet, *adorabimus in loco vbi ſteterunt pedes eius.* Clauos ſcilicet deoſculabimur. Pſalm. 131. Iam conſiſtit Dominus, iam fugere nõ molitur, beneficio Clauorum: *Quid enim opus erat* (loquor cum Theophyl. Orat. in ador. Cru.) *vt amplius moueretur, qui ſalutem, per quam victoria venit, iam perfecerat.* Si arripis fugam, ô bone Ieſu, vt me fidelem experiare miniſtrum; tuus ſum ego poſt Crucis victoriam. Sacratiſſimi adeſtote Claui, illigate Ieſum mihi; quid enim opus, vt amplius moueatur, quod amplius recedat, qui me omninò debellauit?

*Ant. de Eſcob. & Mendoz.* de Sanctis. Tom. I.

*Claui Ieſum illigant, ne diſcedat ab hominibus.* Pſal. 131. Theophyl.

# OBSERVATIO IV.

## Ad illa verba:

## *Crucifixerunt eum.*

## Ieſu Vulnerum commendatio.

### *Vnde virtutum ſtabilimentum exhibeo.*

NEc meo affectui ſatisfaciam, niſi vulnera Saluatoris ſpeciali celebrauero Panegyri. Plura Patres circa hoc argumentum. Vnus mihi Bernard. ſerm. 61. in Cant. plures mellis fauos ex vulneribus Ieſu conſtruit; dum inclamat: *Petra refugium herinaciis dicitur Pſalmo 103. Et re vera, vbi tuta, firmaque infirmis ſecuritas & requies niſi in vulneribus Saluatoris? Ego fidenter, quod ex me mihi deeſt, vſurpo mihi ex viſceribus Domini; quoniam miſericordia affluunt, nec deſunt foramina, per quæ effluant. Patet arcanum cordis per foramina corporis, patet magnum illud pietatis ſacramentum, patent viſcera miſericordiæ Dei noſtri.* 36. Bernard.

## Capvt I.

### *E Vulneribus Ieſu Fidei robur.*

EGo (inquit) *fidenter.* Vndenam huiuſce fidei firmitas? Ex Vulneribus Saluatoris: *Vbi tuta, firmaque infirmis ſecuritas niſi in Vulneribus Saluatoris?* 37. Bernard.

Thomas de Saluatoris potentia addubitabat. Cuius vt infidelitati mederetur, ſic Magiſter: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis.* Reſpondit Apoſtolus: *Dominus meus, & Deus meus.* Ioan. 20. En fides Thomæ à vulneribus diuinauit. Pulchrè Bernard. cit. *Dominus meus, inquit, & Deus meus. Vnde hoc reportatum oraculum, niſi* 38. *Thomas Ieſum Dominũ dignoſcit è vulneribus.* Ioan. 20. Bernard.

*ex foraminibus?* Num infidelis illius verba conſideraſti: *Niſi videro in manibus eius fixuram clauorum, non credam.* Quæcumque videret, quæcumque accidiſſent, non putabat ille fore, vt ad fidem reuerteretur. Solummodò Ieſu vulnera adeò æſtimabat efficacia ad aſtruendam fidem, vt à ſe viſa, protinus reſipiſceret, fideque firma inclamitaret: *Dominus meus, & Deus meus.*

39. *Vbi vulnera Ieſu, veritas fidei illuceſcit.* Numquam hæc Vulnera adſunt, niſi obfirmantia fidem, niſi adſtruentia veritatem. Non benè aſpicientibus infidelibus conueniunt, neque in vna ſede motantur maieſtas Diuinitatis, & vilitas paſſionis? Ideò, prouidente Domino, quando *iam non moritur*, vulnerum cicatrices oſtentat; vt paſſionis faceret fidem, quando illius humilitatis veritas ſupernis ſplendoribus obſcurabatur. Appoſitè D. Aug. ſerm 116. de Temp. *Neceſſarium enim erat, vt manifeſtarum præſens expreſſio cicatricum crucifixi corporis faceret fidem, quia ſplendor nouæ lucis priſtinam obduxerat veritatem, & cognitionem quodammodò obſcurauerat.* Implicare videntur tantæ maieſtatis gloria, & tanta vulnerum vilitas; ſed vulnera ipſa pro adnata ſibi ad fidem adſtruendam vi, efficiunt, vt paſſionis humilitas minimè abſorbeatur à gloria. — August.

## Caput II.

### *E Ieſu Vulneribus Spei firmitas.*

40. Bernard. IAm ſpes in conſpectu vulnerum Domini roboratur: *Quod ex me mihi deeſt* (ait Bern.) *vſurpo mihi ex viſceribus Domini, quoniam miſericordia affluunt, nec deſunt foramina, per quæ effluant.*

41. *Stultè Cain deſperat.* Vulneratus olim Abel vulnerati Ieſu referebat imaginem. Vnde Caino vertitur in errorem intolerabilem, quod feruente myſtico Ieſu vulnerati ſanguine, de venia deſperauerit. *Maior* (ait) *eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear.* Gen. 4. Vbi idem Bernard. *Peccaui* (inquit) *peccatum grande, turbatur conſcientia; ſed non perturbabitur; quoniam vulnerum Domini recordabor. Nempe vulneratus eſt* verus Abel *propter iniquitates noſtras. Quid iam ad mortem, quod non Chriſti morte ſaluetur? Et ideò liquet erraſſe illum, qui ait, Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear.* — Geneſ. 4. Bernard.

42. *Foramina Ieſu diuites admittunt ad Regnum.* Erat quando adeò difficilis diuitum ſalus, vt prædicaretur à Domino: *Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem in Regnum cœlorum intrare.* Matth. 19. Quid diuites? Vulnerum innumerorum acus Ieſu auctore, iam inuenere, quà poſſint ad cœlum tranſmeare. Quia vbi vulnus Chriſti, licet à me percuſſore, ibi meæ ſalutis ſpes. Paſchaſ. *Per acum ipſe Chriſtus intelligitur perforatus in paſſione, per quod vtique foramen omnia ad ſe & poſt ſe trahit,* nec diuites repellit, potius pellit in patriam. — Matth. 19. Paſchaſ.

Inclamabat Diues Epulo: *Pater Abraham, mitte Lazarum,* Cui Patriarcha: *Et nunc chaos magnum firmatum eſt, vt hi qui volunt hinc tranſire ad vos, non poſſint, neque inde huc tranſmeare.* Luc. 16. Fuit, ò miſer, quando Lazarus pauper vulnera tibi Ieſu obiiciebat, quà ad nos pertranſires. Impoſſibilis tibi iam tranſitus ad cœlum, quia Dominici vulneris iam meritò foramine priuaris. 43. *Diues Epulo periit quia ad Ieſu vulnera non ſe excepit.* Luc. 16.

## Caput III.

### *Ex vulneribus Ieſu Charitatis incrementum.*

QVid non charitas accipiat incrementum, ſi vulnera hæc fontes charitatis? *Miſericordia* (aiebat Bernard.) *viſcera Domini affluunt; nec deſunt foramina, per quæ effluant.* 44. Bernard.

Cur exiſtimas Martyres horribilibus actos tormentis immobiliter perſtitiſſe? Quia ad Ieſu viſcera ſe ſe recipiebant Vulnerum per foramina; vt charitate roborati, Tyrannos haberent ridiculos: *Defecit* (inclamant Martyres ex ore Dauidico) *caro mea, & cor meum.* Langueo, deficio tot exactus vulneribus. Quid igitur? *Deus cordis mei.* Pſal. 72. Hebr. *Petra cordis mei.* Ibi mihi deficienti refugium, vt charitas ferueat, vbi foramina Saluatoris. Egregiè D. Bernard. *Stat Martyr tripudians, & triumphans, toto licet lacero corpore, & rimante ferro; non modo fortiter, ſed alacriter ſacrum è carne ſua circumſpicit ebullire cruorem. Vbi tunc anima Martyris? Nempe in petra, nempe in viſceribus Ieſu, vulneribus nimirum patentibus ad introeundum.* 45. *Feruet Martyrum charitas à vulneribus Ieſu.* Pſalm. 72. Bernard.

An non illuſtris effectus charitatis iuſtitiam eſurire? *Beati qui eſuriunt iuſtitiam.* Matth. 5. Id eſt, qui ſic obſequendo Domino operam impendunt, ac ſi illud ipſum obſequium eſurirent. Profectò id habent obiecta vulnera Saluatoris, vt nos ad huiuſmodi ſpiritualem famem excitent. Olim vulnera Lazari typum gerentis Ieſu canibus & auiditate, & cibo donabant. Luc. 16. Quid vulnera Ieſu? Accipite pulcram D. Ambroſ. ſententiam: *Lazaro ſimilem illum puto, qui caſus ſæpius à Iudæis ad patientiam credentium vlcera ſui corporis lambenda quibuſdam canibus offerebat. Quia ſcriptum eſt, Famem patientur, vt canes.* 46. *Vulnera Ieſu nos faciunt eſurire iuſtitiam.* Luc. 16. Ambroſ.

Iam mihi ô Domine, interrogare liceat: *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? Et dicet, His plagatus ſum in medio eorum, qui diligunt me.* Zach. 13. Annon verius: *In medio eorum, qui oderant me plagatus ſum,* inclamaret? Profectò licet ex odio Ieſus vulneratus à Iudæis, non poſſunt non conſpici eius vulnera in amantium conſpectu; quia mirum in modum accreſcit charitatis flamma, vbi Dominus pro ſeruis vulneratur. Appoſitè Rupert. *Quærentı,* (ait) *quid eſſent plagæ illæ? Poterat reſpondere. Sunt monumenta* (dixerim fontes) *charitatis.* 47. *Amantes aſſident vulneribus.* Zach. 13. Rupert.

SECTIO

## SECTIO QVARTA.

# TITVLVS CRVCIS.

## EX CAP. XXVIII. MATTHÆI.

### TEXTVS.

*Verſ.* 37. Et impoſuerunt ſuper caput eius cauſam ipſius ſcriptam: Hic eſt Ieſus Rex Iudæorum.

## COMMENTARIVS LITERALIS.

### §. I.

### *Tituli inſcriptio.*

1. *Quid Titulus indicet?*

HIC *eſt Ieſus Rex Iudæorum.*] At Ioannes ſolum integrum titulum deſcribens, ait: *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.* Nomen, Patriam, cauſam necis Titulus exponit. Nomen *Ieſus* eſt. Patria *Nazarenus*; ſic enim ab omnibus appellabatur. Cauſa *Rex Iudæorum*, Hanc ſolam cæteri Euangeliſtæ narrarunt.

2. *Litera huius Tituli.*

Scriptus equidem erat Titulus *Hebraicè, Græcè, & Latinè* Non quidem partim Hebraicè partim Græcè, & partim Latinè; ſed totus titulus integer triplici fuit ſcriptus idiomate, vt legi facilè à quam plurimis poſſet. Illo enim tempore maxima multitudo etiam externorum Ieroſolymam conuenerat. Nam cum Ieſu mors pro omnium ſalute pararetur, & omni linguæ & Nationi prædicanda: cæleſti myſterio communis Titulus legendus omnibus eſt appoſitus. Nec enim ſalutis præconium erat vmbraculis obruendum in illiteratorum exitium.

3. *Vnde Titulus deducatur?* Euthym. Caſſia.

Quam noſter Matthæus *Cauſam* appellat, Ioannes *Titulum* vocitat: *Scripſit autem & Titulum Pilatus.* Euthym. *Titulus apud Romanos cauſa dicitur.* Licet ipſius Scholiaſtes Titulum è tueri aſſerat deriuatum. Siue quòd tueatur Iudicis ſententiam appoſita cauſa; ſiue in præſenti, quia Ieſu innocentiam tueretur. Hinc Simon Caſſ. arbitratur *Titulum à Titane* ſiue Sole deductum, quia perſpicuus Dominicæ innocentiæ aſſertor.

### §. II.

### *Quare huiuſcemodi Titulus appoſitus?*

4. *Mos cauſam ſcribere damnatorum.*

ET *impoſuerunt ſuper caput eius cauſam ipſius ſcriptam.*] Paſchaſ. id de more effectum affirmat: *Mos quidem* (ait) *erat eorum ſcribere cauſas damnatorum, & ideò Chriſti Titulus, & cauſa mirabiliter ſuper caput adſcribitur:* Contradicit D Chryſoſtom. negans titulos cæteris duobus fuiſſe appoſitos.

5. *Duæ cauſæ appoſitionis Tituli.*

Præterea Pater hom. 84. in Ioan. duas aſſignat cauſas, cur Titulum Iudex apponi iuſſerit: *Hic eſt Rex Iudæorum.* Prior eſt, *Vt Ieſum ex-*

*Ant. de Eſcob. & Mendoz.* de Sanctis Tom. I.

*cuſaret.* Crucifixus enim cum eſſet medius inter Latrones, facilè ſceleratus, & ſimilis à vulgo, quod tunc erat Ieroſolymis copioſiſſimum reputaretur. Idcircò titulo inſcripſit Regem Iudæorum. Altera eſt: *Vt Iudæos vlciſceretur.* Erat enim propter ipſorum pertinaciam eis infenſus. Propterea ignominia huiuſmodi eos adficere voluit qui ſuum Regem in Crucem adigerent. Non ſolum (adnotante Aug. Pſal. 56.) ignominiæ notam Pilatus voluit populo inurere; ſed ſimul innocentiam, quam lauans manus confeſſus fuerat, ſcripto etiam manifeſtare. Ianſenius ludibrij cauſa à Pilato Titulum appoſitum ſentit, vt exprobraret Regni adfectationem.

Chryſoſt. Auguſt. Ianſen.

Ego autem teſtimonio titulum reis apponi ſolitum: Quod ſi Latronibus (auctore Chryſ.) appoſitus non fuit: ideò effectum reor, quia non eis omnibus, ſed in caſibus inſignibus, qualis Ieſu, cauſa ſupplicij ſcriberetur. Vnde demonſtrare Pilatus voluit, cur Ieſum Cruci addixiſſet, nimirum quia ſe Regem Iudæorum faciebat, & reus à Iudæis læſæ maieſtatis dicebatur. Ac ſi diceret, Hic eſt ille, quia affectauit Regnum Iudæorum Et hæc cauſa ſupplicij. Quia tamen inuitus ſententiam dixit propter Iudæorum clamores, & in Chriſtum propenſus *Rex* ſcripſit *Iudæorum.* 6. *Auctoris ſententia.*

### §. III.

### *Curant Iudæi honorificum Ieſu Titulum immutari.*

CVm omnia viderentur ignominiæ plena Pontificibus, & Phariſæis, tamen hæc inſcriptio mouit animos illorum, quod honorificentior eſſet, quàm vellent; nec de appoſita cauſa, sed de ſuccidenda ſcriptura conqueruntur. Tantumdem erat impijs ſtudium abrogandi nominis, cui omnis totius mundi gloria debebatur. Agunt itaque cum Præſide de mutando Titulò. Ne ſcriberetur *Rex Iudæorum:* ſed quod ſibi nomen hoc vſurpaſſet. Pilatus autem: *Quod ſcripſi* (inquit) *ſcripſi.* Si qui- 7. *Iudæorum malitia.*

dem in rem omnium erat occidi Chriſtum;ſed rurſum in rem omnium erat nominis illius gloriam toto orbe reddi celeberrimam, cuius profeſſione ſalus omnibus deferretur.

8. Quam equidem Tituli immutabilitatem prædictam à Dauide fuiſſe D.Aug. Tract. 117. in Ioan. teſtatur: *O ineffabilem* (clamat) *vim diuina operationis etiam in cordibus ignorantium! Nonne occulta quadam vox Pilato intus quodam (ſi dici poteſt) clamoſo ſilentio perſonabat, quod tanto ante in Pſalmorum Libro prophetatum eſt? Ne corrumpas tituli inſcriptionē.* Verùm Pſ. 59. Titulus ſic habet: *In finem ne diſperdas.* Quod ipſe exponit de Titulo minimè obliterando.

*Prædicta Tituli immutabilitas à Dauide. August. Pſal. 59.*

# IN IESVM PATIENTEM APVD CRVCEM.

# Panegyricus quartus Moralis circa Literam.

## EX CRVCIS TITVLO.

## *OBSERVATIO I.*

Ad illa verba:

### *Quod ſcripſi ſcripſi.*

Prudenter Pilatus primùm ſcripſit mente, quod mox calamo ſcripſit, ne ſententiam delere cogeretur.

### *Edocens Judices pronunciandam reis ſententiam digerere.*

9. *Caſſia.* SIMON de Caſſ. l. 13. pulchrè ad hæc proxima verba: *Quod ſcripſi ſcripſi*, profatur: *Quod ſcripſi ſic ſcripſi, vt ſecundum præſidentiam noſtram mutare non liceat. Decet enim Præſidem prouidere quod dictat, ne cogatur ex imperitia retractare quod dixerit. Vnde quod ſcripſi in tabula, prius ſcripſi in prudentia. Quod ſcripſi literis, prius ſcripſi in iudicio rationis. Hæc replicatio affirmationem, & impænitentiam penitus habet; vt quod ſcripſi non pænitet me, quia ſcripſi.*

10. *Chriſtus calamo iam mente exaratam ſententiam ſcribit. Pſal. 44. Hieron.* Vt igitur Præſides in conſilio perſiſtant, operæpretium eſt; prius apud intellectum ſententiam effingere, ibique non ſingulari litura coërcere, vt minimè obliteranda producatur. Chriſtus ore Vatis: *Lingua mea calamus ſcriba velociter ſcribentis.* Pſalm. 44. Velociter? An non qui properè ſententiam profert, pœnitentiæ obnoxius? Profectò D. Hieronym. egregiè adnotauit: *Scriba iſte Chriſtus eſt, de quo in Euangelio, Omnis Scriba doctus ſimilis eſt Patrifamilias, qui profert de theſauro ſuo.* Sunt qui de lingua proferunt ſententiam, ſunt & qui de cordis, de mentis theſauro, vbi prius ſcribitur, quod ſcribendum eſt.

11. *Sic Deus hominem, inſtrumentum vtique conſcripſit. Gen. 1.* *Faciamus* (inquit Deus) *hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, vt præſit.* Geneſ. 1. En prius quam Deus hominem exterius ſcriberet, apud ſe ſcribebat, vt quod ſcriberet (loquor cum Caſſia) non pœniteret veraciter eum, quod ſcripſiſſet. Quare id? Quia hominem formabat, vt præeſſet: *Vt præſit.* Vnde docuit exemplo, quonam modo Iudex futurus prius ſcriberet mente, quàm calamo: *Ad ſolius hominis fabricationem* (ait Nyſſen. de opif. hom. c. 4.) *Creator ille rerum quadam cum conſideratione accedit. Nam naturam noſtram condidit veluti inſtrumentum quoddam* (ſcripturam inſtrumentum interpretari liceat) *Regno adminiſtrando idoneū.* Prius igitur inſtrumentum hoc mentis, ſeu conſiderationis calamo ſcribit, vt doceat, quonammodo homo ipſe ſine pœnitudinis periculo ſubditis imperabit. Deum etenim verè pœnitere non poteſt, licet quandoque inclamitet: *Pœnitet me, &c.* *Nyſſen.*

12. *Docet Regſ duplex huiuſmodi ſententia conſcriptio. 1 Reg. 10. Gregor.* Decet enim Regem conſideratio, meditatio præueniens quamcumque actionē. Vix Samuel Saulem Iſraelis inunxit in Principem, eum inclamat: *Cum abieris hodie à me, inuenies duos viros iuxta ſepulcrum Rachel in finibus Beniamin.* 1. Reg. 10. Vbi vertitur ab interpretibus in quæſtionē Rachel ſepulta iuxta Bethleem. Gen. 35. Bethleem erat in ſorte Iuda. Mich. 5. Ergo non potuit Saül illos homines & prope ſepulcrum Rachel, & in finibus Benjamin ſimul inuenire. Potuit quidem, (literam expono) quia Tribus Iuda & Benjamin erant confines. Ergo qui erāt in finibus Beniamin non procul aberant à finibus Iuda, in quibus erat ſepulcrum Rachel. Spiritum autem ſi requiras. D. Greg. affirmat Rachelem vitam contemplatiuam ſignificare. Quę quidem meditatio Tribui Iuda, Regali quidem, firmiter hæret. Vnde Rex miſſus ad homines alloquendos, ad Regimen hominum procurandum, ſimul immittitur ad Rachel, ad contemplationem, ad meditationem, quæ maximè decet Præſides, vt prius conſideratione ſcribant, quæcumque aut verbo, aut calamo ſunt ſine pœnitudine ſcripturi.

OBSER

## OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

### *Hic eſt Ieſus Rex.*

### Nullum tam puſillum Regnum, cuius Ieſus non dignetur Rex appellari.

*Quia vel vnus homo fideliter ſubditus Ieſum Regem conſtituit.*

13. Cyrill. August.

QVODNAM Regnum Ieſu? D. Cyril. *Titulus (ait) iſte per præcipuas linguas omnium linguarum Ieſum futurum Principem prædicabat.* At D. Auguſt tunc Ieſu Regni maximè terminos coarctauit: *Rex (inquit) eſt Iudæorum; ſed Iudæorum circuncisione cordis ſpiritu non litera.* Parum igitur Ieſus tunc dilatabatur, quia pauci circuncito corde Iudæi. Vociteris itaque o Domine, Regulus Iudæorum, non Rex. Proh Dominici Regni nouitas! Potentiſſimus Imperator effulget grege puſillo.

14. *Pauci Abrahæ filij Ieſu Regnum.* Matth. 2.

Pauci Abrahæ filij Regnum Ieſu. Tres illi Magi Ieroſolymam huiuſcemodi inclamatione diſturbauêre: *Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum?* Matth. 2. Quare Regem natum inclamitatis? Nam licet Rex veſter fortaſſe, nôn aliorum? Quia non poteſt non mox natus Regia appellatione inſigniri; ab egreſſu enim ex vtero nos filios Abrahæ verè ſubditos obtinet, licet aliorum renuentium Rex non vocaretur. Acutè D. Chryſol. ſerm. 157. *Erant iſti de filiis Abrahæ; eumque ideò Deum hominem Regem cognouerant.*

15. *Vnus Abrahæ filius Regnum Ieſu.* Matth. 2.

Quid dico tres filij Abrahæ? Vnus Profectò ex ſacro illo ſanguine natus Regnum Ieſu pergit Regum Orientalium inclamatio: *Vidimus ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.* Matth. 2. Cur non dixêre, Vidimus vnam ex Ieſu ſtellis, quæ nos vſque ad Ieroſolymam perduxit? Idem Chryſoſt. ſerm. 156. egregiè: *Habere cœpit ſtellam vnam, totam qui fecit, habet & continet creaturam.* Nam Albert. Mag. in *Miſſus eſt.* Stellam hanc Deiparam interpretatur, cuius pulcherrimam imaginem Sidus lucidiſſimum Magis referebat. En Regnum Ieſu, Vnica Abrahæ filia totus populus Saluatoris.

Chryſoſt. Albert.

16. *Vna ouicula Imperium Domini.*

Iſaias apprimè: *Cuius Principatus ſuper humerum eius.* Totúſne Principatus omnes ſubditi ſuper humeros Saluatoris? Ita planè, quia totum Regnum Ieſu vnica ouicula. Nonne vidiſti Paſtorem Regem nonagintanouem oues relinquentem, vnicam erroneam quæritantem? Lucæ 15. Super humeros attollit. En Rex, *cuius Principatus ſuper humerum eius.* Iſai. 9.

Iſai. 9.

17. *Ieſus in cruce Rex vnius Latronis.* Cant. 1. Luc. 23.

Quàm appoſitè Sponſa: *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo.* Cant. 1. D. Anſelm. *Ieſus in Cruce.* Apud Crucem Rex? Vbinam Regnum? Annon ibi Deipara? Ioannes? Bonus Latro? Proh Imperij potentiſſimi gloria. Imò licet ſolus ibi adeſſet Latro pœnitens, ſe ſe ſubditum recognoſcens Ieſu meritò inclamaret: *Memento mei, Domine, dum veneris in Regnum tuum.* Luc. 23. Quid Regium vidiſti? Me vidi ſubditum Saluatoris, Paſtoris, cuius Principatus ego ouicula erronea. Paſchaſius Latronem ait ſuffixum cum Ieſu, *quia Rex eſt omnium, ne ſolus leuaretur in Cruce.* Quaſi vnus ille Ieſum omnium Regem eſſe oſtentaret.

18. *Vel imago hominis ſubdita Regem conſtituit Ieſum.* Iſai. 1. Chryſolog.

Excogitationem acuam. Porrò imago quædam veri Iudæi, corde circunciſi potens Ieſu Regnum, vnde Princeps à Regibus dignoſcitur. In medio duorum animalium agnoſcendum Ieſum prædixerat Propheta. Verum Iſaias alterum ex huſce animantibus, curæ Ieſu hærentem Iudæum aſſerit, interprete Chryſol. ſerm. 158. *Agnouit bos poſſeſſorem ſuum.* Cap. 1. *Agnouit* (ait Pater) *Iudæus.* Magi ergo Ieſum Regem dignoſcunt, quia eum a quodam animanti Iudæum referente obſequio intuentur affectum: *Ibi Regem Chriſtum* (inquit ille) *appoſitum ante prophetica animalia intuentur, admirantur, agnoſcunt.* Agnoſce, ô fidelis, dignitatem tuam.

## OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

### *Impoſuerunt cauſam ſcriptam, Hic eſt Rex.*

### Sufficiens cauſa mortis Ieſu, Regem eſſe.

*Idem enim eſt Regem eſſe, ac pro ſubditis morti addici debere.*

19. Ioſeph.

PROFECTO mortis cauſa omninò ſufficiens: *Rex eſt*, pro ſubditis vitam impendit. Paſchaſ. lib. 12. accipite profantem: *Ecce conductus eſt miſer populus ad clamorem, & petitionem mortis Chriſti. Nec tamen inuenerunt cauſam, quia dignè moriatur, niſi quod Rex eſſet.* Rex eſt: Ergo dignè moritur. Nihil enim tam Regium, quàm vitam pro ſalute offerre ſubditorum.

20. *Pilatus verè affirmauit Regē Ieſum, cum vidit pro populo morientem.* Ioan. 19. Paſchaſ.

Hinc Pilatus, qui de Regno Ieſu addubitauit, imò habuit ludicrum, cùm primum vidit Ieſum in Crucem actum, verum Regem profeſſus eſt. Vnde iuſſit apponi: *Hic eſt Rex.* Quod cùm deleri Iudæi conarentur, adiicit: *Quod ſcripſi, ſcripſi.* Ioan. 19. Ad quem locum idem Paſchaſ. *Quod ſcripſi, vtique verum ſcripſi; non ſolum quia ipſe dicit, vt vos dicitis; ſed quia eſt verè Rex. Ecce vt cernitis fratres occaſione Chriſtus annunciatur Rex.* Id eſt, ex occaſione moriendi. Nulla enim tam digna Regi occumbendi occaſio, quàm Regem conſtitui; nec vlla ratio adeò efficax, vt quis Rex habeatur, quam eum videre pro ſubditis occumbentem.

21. *Paſtor pro ouibus moriens neceſſariò Rex appellatur.*

Se ſe Ieſus apud tribunal conſtitutum Paſtorem oues ab hœdis ſegregantem appellat, mox ſeſe vocitat Regem ſatus: *Tunc dicet*

Math. 25. Hieron.

*Rex.* Matth. 25. Cur tam citò metaphoram variauit? D. Hieronym. Ieſum aſſerit bonum illum Paſtorem, de quo apud Ioannem, *Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis.* Tunc ergo dicet *Rex.* Quid magis Regium, quàm vitam pro ouibus tradidiſſe? Bonus igitur hic Paſtor Regia neceſſum eſt ſibi adnatâ appellatione condecorari.

*Idem eſt Regem eſſe, ac debere pro ſubditis mori.*

22. Hinc aliquem in Regem conſtitui, idem eſt ac vitam pro ſubditis tradere debere. Proximè ad memoriam adduximus Saulem ex iuſſu Samuelis ad Rachelis ſepulchrum properantem. Quid eſt, quod vix inunctus io Regem Iſraël fuerat, & iam mittitur ad ſepulturam? *Inuenies* (ait Propheta) *duos viros iuxtà ſepulchrum Rachel.* 1. Reg. 10. Ac ſi diceret, Rex effectus non prius inuenies viros ſubditos, quàm ſepulchrũ. Subditos ſuſcipis gubernandos? Mors tibi procuľdubio eorum cauſa (ſi opus fuerit) ſubeunda.

1. Reg. 10.

*Rex quaſi cadauer viuens.* Ezech. 28. Chald.

23. De Rege Tyri Propheta ſic: *Foramina tua in die, qua conditus es, præparata ſunt.* Ezech. 28. Vbi Paraphr. Chald. *Non conſideraſti cadauer tuum, quod factus ſis concauitatibus.* Cùm primùm effectus Rex fuiſti, foramina tibi, ſiue ſepulchra præparata ſunt. Illud enim ipſum Regem conſtitui, tantundem, ac ſi cadauer appareres, pro adnata Regi moriendi pro ſubditis liberandis neceſſitate.

24. Eſau poſteri, quorum alij Reges, alij Duces; alij aliis miniſteriis addicti fuere, recenſentur. Porrò id maximè ponderandum, quod ſolummodò mors eorum, qui fuerunt Reges, ſcribatur, minimè aliorum. Regnauit Bela, *& mortuus eſt* Regnauit Iobab, *& mortuus eſt.* Regnauit Huſam. *& mortuus eſt.* Regnauit Adad, *& mortuus eſt.* Regnauit Semla, *& mortuus eſt.* Regnauit Saul, *& mortuus eſt.* Regnauit Balanam, *& mortuus eſt.* Geneſ. 36. Proh Deus immortalis! Soline Reges moriuntur? Profectò omnes alij moriuntur, vita cum terminatur. At Regibus vita ipſa mors eſt, cum in ſalutem, vtilitatemque debeat impendi ſubditorum. Non itaque poterat à Regum appellatione mors ſeparari, quia idem eſt, quem naſci, aut effici Regem, ac ſi cadauer naſceretur, ſeu efficeretur.

*Nil tã proprium Regi, quam mors pro ſubditis.* Gen. 36.

25. Cauſa igitur digna mortis Regiæ ipſa corona. Vnde appoſitè cauſa ipſa moriendi pro corona Regi Ieſu appoſita eſt, adnotante Paſchaſio. *Scribitur cauſa Ieſu ſuper caput eius, & ponitur quaſi corona, vt cunctis liqueat, quod ipſe eſt verus Rex Iudæorum.* Rex eſt verus Ieſus. Vndenam dignouiſti? Quia mortis cauſam diademate geſtat. Illud enim ipſum coronari, cauſa eſt moriendi. Regibus hinc, imò Prælatis liqueat adnatum ſuo muneri non ſolum ſemel mori pro ſubditis, ſed quotidie, ſed ſemper eſſe moriendum, (labores, curæ quid niſi mors?) vt vita ſubditi perfruantur.

*Corona Regis cauſa eſt mortis.* Paſchaſ.

SECTIO QVINTA.

# NVDITAS IESV.

EX CAP. XV. MARCI.

## *TEXTVS.*

*Verſ.* 24. Et crucifigentes eum, diuiſerunt veſtimenta eius, mittentes ſortem ſuper eis.

## *COMMENTARIVS LITERALIS.*

### §. I.

### *De veſtibus Jeſu.*

*Nudus pendente Cruce.*

1. PENDEBAT nudus in Cruce Ieſus, ne quid haberet huius mundi, qui cœleſte peragebat ſacrificiũ. Interea milites, qui crucifixerunt eum, quaſi reuicturus non eſſet, miſſis ſortibus, partiti ſunt inter ſeſe Domini veſtes. Nam hoc erat veluti præmium ſcelerati miniſterij.

*Quot Ieſus veſtes habuerit?*

2. Enimverò, quot, & quales Ieſus veſtes habuerit? Euthymius præter tunicam, quæ erat primum, & internum loco ſubuculæ apud nos, alia duo habuiſſe Chriſtum affirmat. Præter hæc erat pallium exterius. Communis hæc, & probabilis ſentẽtia; quia ex Scriptura nil de hac re definitum habemus. Ieſu tunicam fuiſſe laneam omnes fatentur, & à Deipara contextam Euthym. ex Patrum trãditione teſtatur.

Obiicis Dominum plures tunicas Diſcipulis habere prohibentem. Non obſtat. Quia aliud eſt habere plures tunicas, aliud plura veſtimenta. Non prohibuit Dominus plura veſtimenta, ſed veſtes mutatorias; vt aliis reſeruatis, aliæ in vſu haberentur. Hoc enim Diſcipulis myſterio vetuit ſingulari. Quod non huiuſce loci. 3.

*Obiectioni ſit ſatis.*

### §. II.

### *De diuiſione & ſorte.*

DIuiſerunt veſtimenta eius.] Num veſtium diuiſio fuerit cum ſectione, & ſciſſione earundem 4.

*An diuiſio veſtium fuerit cum ſectione?* earundem præter præcipuam tunicam? Aliqui (quos preſſo nomine refert Euth.) exiſtimarūt præter tunicam habuiſſe Dominum quatuor veſtes, diuiſaſque dici; quia ſingulis quatuor militibus (adnumerat enim Ioãnes milites quatuor) ſingulæ diſtributæ ſunt veſtes. Non recipit Doctor, putans & pauciores veſtes, & huiuſmodi diuiſionem ſectionem fuiſſe. Cùm enim duæ eſſent præter tunicam, quæ erat interius indumentum, vt inter quatuor diuiderentur, eas ſcindere neceſſarium. Huic hæreo ſententiæ propter D. Cyril. Chryſoſt. & Auguſt. conteſtantes. Sed præcipuè quia aliter Ioannem explicare non poſſum ſantem: *Fecerunt quatuor partes* Et rurſum de tunica: *Non ſcindamus eam*, ſicut ſcilicet de veſtibus effectum.

5. *Num ſors ſuper omnes veſtes?* Auguſt. Pſal. 21. *Mittentes ſortes ſuper eas.*] Quæritur, An ſors facta fuerit ſuper omnes veſtes, & non ſuper tunicam ſolummodo? D. Aug. tract. 118. in Ioã. arbitratur de ſola tunica fuiſſe ſortitos. Affert propheriam in probationem. *Diuiſerunt* (ait Dauidico ore Ieſus) *ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.* Exiſtimo tamen ſortem etiam fuiſſe factam ſuper veſtimenta, quod noſter Marcus apertè teſtatus eſt. *Diuiſerunt veſtimenta eius, mittentes ſortem ſuper eis, quid quiſque tolleret.* Nec D. Auguſtini laborantis ad ſuam ſententiam allicere Marcum, mihi placet ſolutio.

6. *Obiectioni reſpondetur.* Quid ad Dauidem? Sortis quidem ſolius tunicæ meminit, non quod negaret ſorte etiam veſtimenta eſſe diſtributa; ſed quod ſignificare vellet tunicam illam inconſutilem ſola ſorte alicui ex militibus contigiſſe, non ſectione ſimul; at veſtimenta præter ſortem fuiſſe partita, & ſciſſa. Mecum Ambroſ. & Theophyl.

## §. III.

### *Cauſa diuiſionis veſtium.*

7. *Cauſa literalis.* Hiſtorialem prius timabor Euthym per irriſionem ait milites veſtimenta Dominica diuiſiſſe, quaſi de Regiis veſtibus aliquid habere volentes. Profectò tam accurata diuiſio, & ſortitio veſtium, vt æqualiter diſtribuerentur; aliud portendit ſingularius. Hanc, prætereà opinionem improbabilem reddit D. Chryſoſt. id effectum affirmans, vt Prophetia citata impleretur, *Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea.* Nec hoc mihi probatur; nam Dauid prædixit, quia id futurum agnouit (de more Prophetarum.) Sequor igitur D. Cyril. aſſerentem, id à militibus effectum, quia ſoliti damnatorum veſtes ſibi miniſtri vendicare, vti apud noſtrates. Colligo hinc non fuiſſe veſtes Chriſti viliſſimas, ſed honeſtas; aliter milites non eas tam diligenter ſibi adciſcere curaſſent.

Cyril.

8. *Cauſa myſtica.* Cyril. Auguſt. Iam myſticam huiuſce diuiſionis cauſam expendo. Cyril. adnotat, in hoc ſignificari, quatuor orbis partibus ad fidem reductis, Chriſti carnem indiuiſibiliter, & impartibiliter in Euchariſtia communicari. At D. Auguſt. quatuor orbis partes, in quibus Eccleſia eſt, ſignificaſſe hanc veſtimentorum diuiſionem aſſerit cum Cyrillo. Tunicam verò vnitatem ipſius Eccleſiæ, quæ vna eſt vbique repræſentare docet.

## §. IV.

### *Vnitas fidelium in indiuiſa inconſutili tunicâ fulgurabat.*

### Contra vnionis perturbatores.

Diuiduntur veſtimenta, tunica integra reſeruatur. O tunica polymita & inconſutilis: *Polymita ob multorum ordinum, qui in ea ſunt, multimodam diſtinctionem: inconſutilis verò propter indiſſolubilis charitatis indiuiduam vnitatem* En Eccleſia, en collegium Ieſu, en communitas fidelis. 9. Bernard.

10. *Væ vnitatis ſciſſoribus.* Paſchal. Matth. 25. Tunica hæc minimè ſcinditur. Vnde væ vnionis perturbatoribus Et cur væ vnionis ſciſſoribus canitur? Quia vnitæ communitatis, quæ Petro ouium grex committitur, perturbatores ex ouibus tranſeunt in hircos, quibus quidem iudicium horribile præparatur. *Væ his*, (exclamat D. Paſchaſ.) *qui hanc ſcindere conantur tunicam, quæ deſuper contexta eſt per totum, quod nec ipſi milites conſiderantes opificium mirabile, fecerunt.* Vti hœdis inclamet, *Diſcedite maledicti. Sicut Paſtor ſegregat oues ab hœdis* Matth. 25. *Væ igitur, his, qui hanc ſcindere conantur tunicam.* Oues enim hoc molientes conuertuntur in hœdos tradendos tartaro, à morte depaſcendos.

11. *Vbi diuiſio hæreditatis Ieſu, ibi iudicium.* Damian. De hæreditatis diuiſione quidam apud Dominum agebat, dicens: *Domine, dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem.* Cui Dominus, *Quis me conſtituit iudicem aut diuiſorem ſuper vos?* Luc. 12. Vbi D. Petrus Damian. Epiſt. 16. anſam egregiæ præbet excogitationi: *Vis diuideret? Non habebis Ieſum Iudicem diuiſorem; ſed potius Iudicem diuiſionis vltorem.* Quia quotiens ob ea, quæ ſeminas, zizania oues Dominicæ ab ouibus diuiduntur, illæ quidem oues fortaſſe adhuc remanent, ſed tu ab illis hœdus ſegregatis. vnde mox Dominus iudicaturus adſtat; poſt hœdorum ab ouibus ſegregationem.

## § V.

### *De Ieſu denudatione.*

12. *Num crucem nudus conſcendit?* Pòrrò diuiſio præmiſſa veſtimentorum Ieſu, & tunicæ ſpecialis ſortitio ab Euangeliſtis aſſignata eò tendit, vt adſtruatur Ieſum nudum occubuiſſe. Quæritur igitur, num Dominus nudus Crucem conſcenderit? D. Ambroſ. reſpondet: *Sic enim tegumenta depoſuit, & talis aſcendit, quales nos, auctore Deo, natura formauit.* Simon de Caſſia. *Eum (ait) expoliauerunt omnibus veſtimentis ſuis, vt nuditas eſſet ad opprobriũ; & faciliorem redderet ad tormentum.*

13. *Auctorum mens.* Alij verò non improbabiliter affirmant velum, quo verenda tegerentur, à circunſtante quodam appoſitum. At ea quæ non ex Scriptura, aut Patrum approbata traditione adſciuntur; piè planè credibilia ſunt, ſed non tamen omninò credenda. Nec ab impudentia & crudelitate hoſtium alienum, non permiſiſſe, vti velamen apponeretur, maximæ (auctore me) Saluatoris ignominiæ operam dantes. Confirmatur ex reuelatione B. Brigittæ Panegyr. 2. exhibenda.

## IN IESVM PATIENTEM APVD CRVCEM.

# Panegyricus quintus Moralis circa Literam.

## EX NVDITATE.

## *OBSERVATIO I.*

Ad illa verba:

*Diuiſerunt veſtimenta eius.*

Ieſus Cruci addictus conſequenter veſtimenta deponit.

*Crucis enim comes Caluaria, ſeu temporariorum exigentia.*

14. Gellia. NVDATVM ait Caſſia lib. 13. Dominum fuiſſe, *vt facilior redderetur ad tormentum.* Ego dixerim, vt aptus ad Crucis tormentum exhiberetur. Nec enim conueniunt Crux & indumenta. Nuditas namque ſiue caluaria decet crucifixos. Vel potentiſſimum Imperatorẽ Crux conuertit in Caluariam. Heraclius ille Imperatorum decus haud potuit Crucis pondus niſi à veſtimentis Regalibus exutus comportare. Profectò vbi Crux attollitur, ibi *Caluariæ locus.*

15. *Comes Crucis ſterilis Caluariæ locus.* Ad memoriam reuoca quæ de Caluariæ monte tradidimus. Caluariæ mons ille nomine inſigniebatur, eo quod caluariam hominis imitatus nullo ornaretur nec arborum, nec herbarum amictu, omninò laborans ſterilitate. Crux igitur ſemper apud Caluariam commoratur. Crucifer es? Omnium igitur rerum patieris nuditatem. Hanc intimabat Ieſu Crucem baiulanti Simon de Caſſia eleganti ſententia: *Domine, quo vadis, Crucis pondere preſſus? Quo plantabis illam? Locus, quò duceris, ſaxoſus eſt, quomodo plantabis? Aridus eſt, quomodo irrigabis? Terra ſitiens eſt damnatorum, & interfectorum locus, nunquam virgulta fuerunt in ea. Quare igitur defers, Domine, hanc lignorum ſarcinam?* Appoſitè quidem ad terram aridam & ſitientem pergit ſuffigendus. Nec enim Crux niſi apud Caluariam, apud omnium rerum exigentiam, & nuditatem.

16. *Crucifera Siō caluaria inducitur.* Iſai. 3. Drogo. Egregiam mox nuditatis huiuſcemodi à Cruce accipe confirmationem. *Decaluabit Dominus* (inquit Iſaias) *verticem filiarum Sion.* Capite 3. Vbi acutè Drogo de Sacram. Paſſ. *Decaluabit verticem filiarum Sion, & faciet ibi Caluariæ locum, vbi figatur glorioſa Crux Chriſti.* Nec enim figitur Crux niſi in Caluariæ loco. Crux apud filias Sion? Caluaria igitur Cruci conſtruetur, prorſus ipſæ ad Caluariæ ſimilitudinem denudabuntur. Adiicit ſcitè Vates, *Dominus crinem earum nudabit, auferet ornamentum calceamentorum, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & inaures, & annulos, & mutatoria, & palliola, & linteamina.* In conſpectu enim Crucis nullum ornamentum omnium nuditas; ſi nunquam non Crux apud Caluariæ locum commoratur.

Omnibus Iob abundabat naturæ fulcris, nullis non ornabatur fortunæ indumentis, quando hoſtis tartareus ſic in Altiſſimi conſpectu. *Extende manum tuam, & tange cuncta, quæ poſſidet.* Iob. 1. Vbi Strabus per huiuſmodi diuinæ manus extenſionem Ieſu Crucem, & paſſionem ſignificari affirmat. Quaſi diceret Satan. Iobum Cruce pergrauari permitte. Quid plura? Profectò Rex ille Cruce Dominica, inſtar Heraclij, donatur, moxque omnibus ornatur & naturæ, & fortunæ operimentis, donec nudus ad communem matrem reuerti cogeretur. *Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc.* Ibi. 17. *Cruciferlob omnibus expoliatur.* Iob 1. Strab.

Quoſnam exiſtimas à flente Paulo *inimicos Crucis Chriſti* compellatos? Phil. 3. Qui ſimulantes ſe in Crucem actos, crucifixam vitam non habent. Equidem illa cruci ſuffixa vita eſt, quæ omninò à temporarijs oblectamentis nuda eſt, caluaria eſt, ſiue in Caluaria conſtituta. Ad hæc D. Chryſoſt. *Erant nonnulli, qui Chriſtianiſmum quidem ſimulabãt, ſed in delicijs viuebant. Crux propria anima eſt nullam ſibi oblectationem poſtulantis. Illi verò contrariam vitæ rationem conſequuntur. Quamobrem, tametſi dicant, ſe Chriſti eſſe, inimici tamen ſunt Crucis. Alioquin ſi Crucem amarent, id quoque ſtuderent, vt crucifixam vitam viuerent:* Crucifixam, id eſt, nudam omninò. Crucifigendum namque Ieſum (vt cum Caſſiano loquar) *expoliauerunt omnibus veſtimentis ſuis.* 18. *Crucis inimici, qui non denudantur.* Philo. Chryſoſt.

## OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

*Diuiſerunt veſtimenta eius.*

In

# In Ieſu ineffabilem Nuditatem.

*Vbi de tortura verecundiæ.*

19. Caſſia.

PONDERO iam non dignè ponderabilem Ieſu nuditatem præmittendo datam in Commentario Simonis de Caſſ. ſententiam: *Eum expoliauerunt omnibus veſtimentis ſuis, vt nuditas eſſet ad opprobrium.* Quàm magnum opprobrium nuditatis? Me iudice, omnis Paſſionis corporales cruciatus quodammodo adæquauit, quorum nuditas grauius improperium.

20. *An æquauit nuditas totã paſſionem?* Thren.1.

Totum Ieſu corpus tibi ſit ſpectaculum. *A planta pedis vſque ad verticem capitis non eſt in eo ſanitas.* Thren.1. Spina, arundo, ſputa, alapa, fel, colaphi, blaſphemiæ, flagella, claui, chlamys, lancea facilè quodammodo æquantur à nuditate. Quid moror egregium Euthymij teſtimonium? Recenſens ille totius Paſſionis tormenta ait: *Conſidera totam Saluatoris corpus iniuriis affectum: Caput quidem per ſpineam coronam, & arundinis percuſſionem, faciem per ſputa, maxillas autem per alapas, os verò per fel, & acetum, aures per blaſphemias, collum per colaphos, dorſum, & pectus flagellis, & verberibus, manus autem, & pedes clauis, latus verò lanceâ, cæteras quoque partes chlamyde.* Iam precor attẽdas: *Et vt ſemel dicam totam corpus ſpectaculo eſt expoſitum.* Ac ſi (expendo illud: *Vt ſemel dicam*) vna nuditatis expreſſio totius ſit paſſionis recapitulatio.

21. *Ieſu vulnera, adfuiſſe nuditatis teſtes.* Zach. 3. Hieron.

Zacharias Ieſu paſſionem exprimens fatur; *Super lapidem vnum ſeptem oculi ſunt, ecce ego cælaui ſcalpturam eius.* Cap. 3. D. Hieron. ad illud: *Cælaui ſculpturam eius*, omnia Ieſu vulnera aſſerit hiſce verbis recenſeri. Oculine ſunt vulnera omnia Ieſu? Profectò ſi *ſeptem oculi*, ſi hominum multitudinis oculi ſuper nudum hunc Lapidem, quid mirum vulneribus diris excauatum apparere? Vnde Propheta quaſi vnico verbo cupiens totius paſſionis Dominicæ ſeriem proponere, fatur, *Super lapidem oculi*, id eſt, Ieſus nudus apud columnam, apúdque Crucem à circunſtantibus adſpicitur? Iam cælaui ſculpturam eius, iam vniuerſa perpeſſus eſt, hoc velut omnia, imò hæc quodammodo ſola Chriſti tortura.

22. *Noë Nuditas totam Ieſu paſſionem præſignauit.* Gen. 9. Rupert.

Olim *Noë plantauit vineam, bibénſque vinum inebriatus eſt, & nudatus eſt in tabernaculo ſuo.* Gen. 9. Vbi Rupert. *Paſſio Chriſti Noë nuditate ſignificata eſt.* Pulchrè planè. Vna enim nuditas Saluatoris omnium opprobriorum, ac iniuriarum complexio eſt. *Nudatus eſt, quia à ſua carnis gente & à domeſticis ſanguinis ſui, ſcilicet à Iudæis paſſus eſt mortem, & crucem, & nudatus eſt.* Hanc particulam preme. Ecce nuditas præmiſſa à Ruperto non pro nuditate ipſa aſſumitur, ſi quidem de nuditate egit ſigillatim; ſed vt totius paſſionis generatim exprimeret hiſtoriam, vſus eſt vocabulo nuditatis. Ac ſi vna Nuditas omnes virtualiter contineret iniurias, & Nuditas Paſſionis totius nomen adnatum eſſet, *Ipſum eſt nomen eius.*

23. *Nuditas ipſã mortem æquauit.* Geneſ. 9. Rupert.

Æquauit omnes paſſionis iniurias? Parum dixi. Ipſam mortem æquauit. Tantundem enim fuit Ieſu denudari, ac mori. *Bibenſque vinum inebriatus eſt, & nudatus eſt.* Gen. 9. Super quem locum idem Rupert idem ait fuiſſe denudatum Noë, ac dormiiſſe adfectum ebrietate. Quod ſi typum Patriarcha agebat Ieſu idem fuit Saluatori denudari, ac dormire, ac mori, ſomno nouiſſimo ſoporato. Egregiè Abbas: *Vinea illa Synagoga in amaritudinem vitis alienæ conuerſa ipſum plantatorem amaro mortis poculo potauit, & inebriauit, ita vt obdormiret ſomno mortis nudatus.* Nudari etenim, & mori, idem pudentiſſimo Saluatori.

Adhuc creſcit ponderatio. Totam Paſſionis ſeriem, vniuerſas Ieſu patientis acceptas iniurias non ſolum æquauit Nuditas, ſed longo interuallo ſuperare videtur. Ex ore Dauidico Dominus ſuæ Paſſionis adnumerat cruciatus: *Quoniam tribulatio proxima eſt. Circundederunt me vituli multi, tauri pingues obſederunt me, aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut leo rapiens, & rugiens. Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumerauerunt omnia oſſa mea* Pſal. 21. Vbi Strab. *Deſcribitur* (ait) *Chriſti Paſſio.* Caſſiod. *Circundederunt me Vituli Iudæi, & Tauri Principes Iudæorum.* Hieronym. *Aperuerunt os ſuum, vt fera volentes me deglutire, cum dicebant: Crucifige, crucifige.* Caſſiod. *Foderunt, id eſt, clauis fixerunt manus meas, & pedes meos. Dinumerauerunt oſſa mea, quia pendens extentus eram in ligno* Iam exaggerat Vates iniurias, *Ipſi verò conſiderauerunt, & inſpexerunt me, diuiſerunt ſibi veſtimenta mea.* Ibid. Ac ſi diceret, *Ipſi vero*, Parum erat quodammodo me omnia illa perpeſſum, ſi non ipſi me conſpexiſſent denudatum; quando milites diuidendis meis operimentis operam dabant. Omnia illa ſibibam, *ipſi verò* me alio incredibili opprobrio affecerunt, *Inſpexerunt me.* 24. *Totam paſſionem ſuperauit.* Pſalm. 21.

Profectò tam ingens nuditatis opprobrium Ieſu, vt à primo conceptionis inſtanti, reliquos oblitus dolores, quaſi non dolores, vnicam nuditatem & mente euoluerit; & eius recordatione diſcruciatus fuerit. *Quoniam ego* (ait) *in flagella paratus ſum.* Id eſt, nudatus hæreo columnæ. Hoc enim eſt ad flagella præparari. *Et dolor meus in conſpectu meo ſemper.* Pſal. 37. Vbi duplex innuitur ponderatio. Vna, *Dolor meus*, ac ſi reliquæ iniuriæ haud fuiſſent quodammodo patituræ dolorem. Vnicuſne Ieſu dolor nuditas? Reſpondeo ex Deiparæ ad D. Brigittam reuelatione: *Ad columnam alligatus Filius meus, nihil omnino operimenti, ſed ſicut natus eſt, ſic ſtabat, & patiebatur erubeſcentiam nuditatis ſuæ.* Et non patiebatur flagellorum immanium vulnera? Annon inaudito verberum numero quatiebatur? Nonne exſanguis erat, iam penè laceratus, iam nudis oſſibus inter contuſas carnes albicantibus? Profectò inter dura tormenta ſolius nuditatis verbere quodammodo afficiebatur. Altera verò, *In conſpectu meo ſemper.* A primo conceptionis inſtanti ad hũc ſibi quaſi vnicum dolorem animum dicitur intendiſſe. 25. *Nuditas quaſi ſolus dolor Ieſu.* Pſal. 37. Brig.

Quid ſi dolor hic illi exanime Saluatoris cadauer irrupit? Poſtquam Ioannes aſſeruit crura Ieſu minimè confracta, ſed latus vulneratum, addit, *Facta ſunt enim hæc, vt Scriptura impleretur; Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia Scriptura: videbunt in quem transfixerunt.* Cap. 9. Ex Doctorum ſententia ſic verus nouo teſtamento cohæret. *Non fregerunt eius crura, vt* impleretur; quod ſcriptum eſt, *Os non comminuetis ex eo.* At vnus militum lanceâ latus eius aperuit, vt impleretur alia Scriptura, *Videbunt in quem transfixerunt.* Iam exoritur difficultas. Si teſtimonio Zachariæ vulnus lateris Domi- 26. *Tantundem Ieſum nudum videri, ac vulnerari.*

nici

nici exprimebatur, aptius prædixiſſet Propheta. Vulnerabunt lancea, quem tranſixerunt, ſeu cruci ſuffixerunt? Quid vulneri lanceæ cum aſpectu, aut viſione, vt viſio vulnus ſignificare queat? Quia tam ingens Saluatori nuditatis opprobrium, vt idem ſit videri, dum nudus pendet è patibulo, ac immaniter lancea tranſuerberari.

27. *Mucrone quidem diro.*

Iam calleo, cur Eccleſia dirum lanceæ mucronem appellarit? *Mucrone diro lanceæ.* Profectò non potuit non dirus mucro exiſtere, cuius vulnus verè fuit viſionis metaphorâ figuratum. Et quodnam puriſſimo virginum duci tam dirum opprobrium, quod à nuditate non vincatur?

28. *Minus quodammodo tolerabilis nuditas, quam peccatum. Luc. 15.*

Vis nuditatis infamiam exaggerem? Minus quodammodo tolerabilis apparet, quàm flagitium. Prodigus reuertitur ad parentem, qui mox nato ſibi obiecto, inclamat: *Citò proferte ſtolam primam, & induite illum.* Luc. 15. Et cur potius afferri non iubes cibos fameſcenti, qui pane mercenariorum vacuus vel ſiliquis cupiebat impleri? Audite Chryſologum ſerm. 3. *Chryſol.* *Suſtulit filij crimina, qui non ſuſtulit nuditatem.* Quid mirum, prius curari de operculo, quam de cibo: ſi tam fœda nuditas, vt quodammodo horribilem euincat peccatorum fœditatem?

Imò & ſolummodò vel nuditatis nomine ſuprema calamitas annotatur. Vt Dominus miſerum Iſraëlis ſtatum exhibeat, ſic inclamat, *Et erit ſicut populus, ſic Sacerdos.* Oſee 4. Vbi Theodoret. *Sacerdoti reprobato, & qui ex ſua dignitate excidit ſimiles eritis a mea prouidentia denudati.* Nil tam durum, quàm creaturam à prouidentia deſeri Creatoris, cuius adminiculo vel minima quæque animalcula confouentur. Huiuſmodi autem ſuprema miſeria quaſi aptè non exprimeretur, ſi nuditatis non adiiceretur vocabolum. Quid enim horribilius nuditate?

29. *Vel nuditatis nomen horribile. Oſe. 4. Theod.*

SECTIO SEXTA.

# IMPIVS LATRO.

## EX CAP. XXIII. LVCÆ.

### *TEXTVS.*

*Verſ.* 39. Vnus autem de his, qui pendebant latronibus, blaſphemabat eum dicens: Si tu es Chriſtus, ſaluum fac temetipſum, & nos.

### *COMMENTARIVS LITERALIS.*

### §. I.

### *Num ambo latrones in blaſphemias effuſi?*

1. *Chriſtus Ioſeph inter vinctos. Rupert.*

BENE Rupertus: *Ioſeph duorum medius vinctorum in carcere, vtriuſque ſomnii ſui proferens interpretationem Saluatoris noſtri forma eſt, vel vmbra, qui duorum medius latronum, in cruce vtrique iuxta fidem & meritum ſuum dignè dedit ſententiam.* Proh boni felicitatem, cui viris obiicitur, ſiue (interprete Del-Rio noſtro) Maria, quæ quidem à latere dextro crucis iuxta bonum latronem exiſtens (vti Drogo) eum ad pœnitentiam alliciens erroneam ouiculam humeris Paſtoris adiecit.

2. *Euangeliſtarum diſſidiū.*

*Vnus autem de his, &c.*] Locum difficilem & Matthæi, & Marci lectio reddit. Hic, *Et qui cum eo crucifixi erant, conuitiabantur ei.* Cap. 15. Ille, *Id ipſum autem & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.* Cap. 26. Si latrones, quonammodo Lucas vnum ſolummodò latronem prorupiſſe aſſerit in blaſphemias?

3. *Vnus ſolummodo latro blaſphemus.*

D. Auguſt. exiſtimat bonum Latronem minimè Ieſum improperiis adfeciſſe. Cui ſi obiiciam Matthæum, & Marcum, reſpondet eos vſos numero plurali pro ſingulari. Quemadmodum ſi is, quem ruſticus vnus irrideret, diceret, Etiam ruſtici me irrident? & vt lingua exponam materna, *Baſta que tambien los ruſticos hazen burla de mi.* D. Ambr. cum formidine non omninò determinans ſententiam, *Fortaſſe* (inquit) *& bonus Latro prius conuitiatus eſt; ſed repentè conuerſus. Potuit etiam de vno pluraliter dici.*

4. *Duo blaſphemabant.*

Hieronym. autem veroſimilius exiſtimat vtrumque latronem improperaſſe; deinde alterum credidiſſe. Eiuſdem ſententiæ Orig. Theophyl. & Euthym. Profectò cum D. Ambroſio ego anceps hærens, vtramque ſententiam valdè probabilem exiſtimo.

IN

# IN IESVM PATIENTEM APVD CRVCEM.

## Panegyricus ſextus Moralis circa Literam.

### EX IMPIO LATRONE.

### *OBSERVATIO I.*

Ad illa verba:

*Vnus autem ex his blaſphemabat.*

Nec arti furandi confidas poſt malum Latronem, qui vſque ad mortis anguſtias profers pœnitentiam.

*Hæc enim difficillima agonizanti.*

5. *Athanaſ.* — PRæmitto D. Athanaſium fantem: *Vides Latrones; ſed non ambo in eiſdem. Alter Regnum hæreditauit, alter in gehennam immiſſus eſt.* Proh Deus immortalis! Quando profuſus Ieſu ſanguis charitatis feruore ebullire conſpicitur, clamoribus piis (melius quàm ſanguis Abelis) æthera permulcens, vnus è duobus tormentis tartareis addicitur! Profectò è differentibus ad mortis anguſtias pœnitentiam, vnus è mille liberatur.

6. *Diligens ad latrocinium, negligens ad pœnitentiam. Nazianz.* — Quid Latrone diligentius ad pecunias diripiendas aliorum? Quare igitur ô Latro, non æquali diligentiâ de furanda tempeſtiuè ſalute curaſti? Appoſitè D.Gregor. Nazian. Orat. in Baptiſma. *Abſurdum fuerit cum pecunias auidè prærípias, ſanitatem in longius differre, atque extrahere.*

7. *Non ſæpè arte furandi tibi vtendiſ.* — Arte (inquis) furandi in vltima neceſſitate conſtitutus, mihi gratiam, & ſalutem acquiram. Meus ſocius furando & ad pœnitentiam, & ad paradiſum recipitur. Hæmorrhoiſſa furto acquiſiuit ſanitatem Tunc igitur & ego præcipiendæ benedictioni operam dabo. Ad hæc ſcitè Nazianz. (*Nazianz.*) *Ne ſanguinis defluuio labores, Chriſtumque iam ſuffragandæ ſalutis cauſa prehendere nequeas. Neque enim furto ſæpius circumueniri Chriſtus amat, tametſi clemens & mirè facilis ſit.*

8. *Latrocinandi ars vincitur à Ieſu Iudice arte Latrocinandi. Luc. 12. Nazianz.* — Porrò aduerſum huiuſcemodi latrocinium pugnat cœleſtis Iudex, qui in morem Latronis venturus annunciatur, vt artem arti opponendam ſignificetur. *Si ſciret Paterfamilias, quâ horâ fur veniret, vigilaret vtique.* Luc 12. An ô Latro, dignouiſti, quânam horâ Iudex in morem latronis aduentans tuæ furabitur ſalutis occaſionem? *Quis nobis præſtabit fore* (loquor cum Nazianz.) *vt vita finis curationem expectet, ac non potius adhuc ære alieno preſſos, tribunal illud ſuſcipiat.*

9. *Irridendus hic Latro.* — Supplex orabo mihi dari vti ficulneæ inducia. Quam ad rem idem Gregorius: *Tu quidem fortaſſe bone, & humane agricola, Dominum ſupplex rogabis, vt ficulnea adhuc parcat; nec eam ſterilitatis accuſatam adhuc ſuccidas: verùm ſibi permittat, vt ſtercora vndique in eam inicias, hoc eſt, lacrymas, gemitus, vigilias, animæ & corporis macerationem, quæ ex peccati confeſſione exiſtit?* Sic Theologus ſibilis Latronis confidentiam inſectatur. *Nazianz.*

Non (mihi credite latrones) aptum, nec arti latrocinandi, tempus vltima calamitas. Annon latro quietem captat, & ſilentium, vt diuitias diripiat? Quodnam ergo magis ineptum tempus ad latrocinium ſpirituale quàm mortis articulus, quando in medias diſturbationis, & tumultus fluctibus æger exagitatur? Elegànter Nazianz. cit. *Quandiu mentis compos es, ad Dominum accurre, quandiu non corpore & animo æger es, quandiu non circum te lacryma diſceſſus indices, atque vxor & filij diſceſſum retrahentes, & extrema verba requirentes, quando lateri tuo non hæret imperitus medicus, horas tibi largiens, quarum poteſtas penes eum non eſt. Quid febrim, quæ te beneficio afficiat, expectas, ac non Deum? Quid tempus, ac non rationem? Quid vim potius, quàm poteſtatem?* Ego non potero mentis tunc compos me ad meliorem recipere frugem. Poteris quidem ſed non te recipies; quia inter tot fluctus, inter tot mortis anguſtias conſtitutus, tam negligenter plerumque quæretur via, vt minimè inueniatur. — 10. *Ineptum tempus mortis vel Latrocinii.* *Nazianz.*

Abſalum arboris ramis impeditis capillis addictus cruci miſerè perit. 2. Regum 18. Potuitne à morte liberari? Potuit planè, ſed minimè liberatus eſt. Quare? Quia inter mortis anguſtias viam non inuenit, rem non attigit. Accipite Abulenſem quæſt. 12 illuſtratorem: *Potuiſſet ille tenere equum, ne introiſſet ſubter quercum ramoſam. Et poſtquam introiuit, & alligati ſunt capilli eius, poterat ipſe tenens mulum, ſoluere illos, & fugere. Et dato, quod manſiſſet pendens, poterat capillos amputare. Vel ſi non habebat gladium, poterat manus tenens arborem, illos ſoluere,* — 11. *Abſalonis exemplum. 2 Reg. 18. Abul.*

vel

*vel rumpere. Sed nihil horum fecit.* Quare? *Ipſe autem Abſalom iam moriturus, non attendebat, quod ad libertatem ſuam facere poſſet.* Poterat quidem, ſed anguſtiis actus, pœnitentiæ ſcopum non attingebat. Vereor, ne tibi pœnitentiam differenti, in ægritudinis crucem acto inſtar Latronis huiuſce, liberationis via non aperiatur. Nam ſicut cecinit ille, 3. Amor. 8.

*Scilicet omne ſacrum mors importuna profanat.* Importunitates enim exitialis ægritudinis ad cuncta ſacra perturbant attentionem.

## OBSERVATIO II.

### *Unus autem ex his, &c.*

### Miſerrimus Latro, qui è cruce deturbatur in tartarum.

*Vbi de duplici peccatoris impœnitentis inferno.*

12. HVgo Vict. *In cruce ſiniſtri Latronis pœna pro culpa, & poſt damnatio.* Proh Latronis miſeria! Viuis illigatus cruci, ad tartara moriens deturbaris.

13. *Pharao poſt plagas detruditur in profundum.* Pſalm. 75. Ruf.

Miſerabilis planè exitus Pharaonis, qui poſt tot plagarum cruciatus, magis obduratus deſcendit in abyſſum *quaſi lapis.* Huius pediſſequi inflictis crucianbus obdureſcunt. *Ab increpatione tua* (ait Vates) *Deus Iacob, dormitauerunt, qui aſcenderunt equos.* Pſal. 75. *Qui aſcenderunt equos.* Id eſt, (interprete Rufino) qui in crucem acti ſunt. *Dormitauerunt,* ſiue obduruerunt. *Ecce* (ait) *Deus Iacob* plagis inflictis, *increpat peccatores, intonat iras ſuas. Inter tanta tonitrua adhuc dormiunt, adhuc vitam veterem nolunt damnare. Duritia cordis obdormitio iſta eſt. Deſcendent hi in profundum quaſi lapis.* Proh viuus plagarum morti addictus! Proh mortuus interminabili morte cruciandus!

14. *Impœnitenti ignis exignis.* Exod. 11. Zeno.

Præcedenti columnæ nubis dux etiam ignis columna progredientibus Iſraëlitis ſuccedebat. Exod. 11. D. Zeno ſpirituali accommodans ſenſui locum, vitam inibi prauorum exprimi contemplatur. *In columna* (ait) *nubis, vt oſtenderet cæcum: in columna ignis, vt moneret arſurum.* Inter nubis myſticæ tanta ſuppliciorum tonitrua, adhuc cæcus? Te miſerum hîc igne laborum exactum flamma gehennalis expectat.

15. *Mors interminabilis.* Gen. 4. Alcuin.

Delinquenti Cain Deus ſignum appoſuit, ne ab hominibus ſeu animantibus occideretur. Gen. 4. Num pietate cœleſti à morte eripitur? Profectò impœnitentis deſcribitur miſeria, Alcuino auctore. Interminabilis vitæ quodammodo addicitur cruciatui, à quo tremoris laboribus laniato labores non recedunt, dum moritur; ſed continuantur horribilius, dum damnatur.

16. *Statio æterna.* Dan. 7. Richard.

De primo illo Regno Daniel, *Leæna, & alas habet aquilæ.* Vbi Richar. Victor. lib. 3. de eru. hom. p. 1. cap. 7. Latrocinantium aſpicit imaginem. Quid enim leæna, quid aquila velocius ad raptum? Vis oſtendam huiuſmodi peccatoris interminabilem & hîc & in futuro damnationem? *Aſpiciebam,* (ait Proph.) *donec euulſæ ſunt alæ eius, & ſublata eſt à terra, & pedibus quaſi homo ſtetit.* Cap. 7. Tunc cùm per aëra fertur, vt diripiat, alas ſubleuantes non habet, ſed pedibus ſtat. Quia laborioſum planè vitiis indulgere. Num eum è terra demum ſufferatur, requieſcet? Æterna tēporariæ ſtationi ſuccedit ſtatio. Bellè Richard. *Non iacet, ſed ſtat, vt nunquam requieſcat, ſine intermiſſione laborat, pedes ſine inceſſu fatigat.* Quia quaſi cruci ſuffixus, in morem viuit Latronis, & impœnitens moritur, *Vt nunquàm requieſcat.* Meritò aquilæ ſapientis pennæ homini huiuſmodi, aptius leænæ, præciduntur. Quid enim magis ſtultum, quàm hîc & in gehenna interminabili flamma diſtorqueri?

En Latronem, en Regem Hai duplici patibulo ſuffixum. Ioſue olim *Regem* Hai ſuſpendit in patibulo. Cap. 8. LXX. *Suſpendit ſuper lignū geminum* Damian. quidem de Cruc. Regem Hai mortis Regem diabolum ſeu peccatorem appellat, qui aptè gemino addicitur ſupplicio, ſi & hîc Cruci hæreſcit immanis, & ab æterno cruciatu minimè liberatur. 17.

*En Regem Hai duplici in patibulo ſuſpenſum.*

Quod ſi, auctore Drogone, Sarephtana vidua abnegans Prophetæ fameſcenti annonam typum gerat auari: colligit illa *duo ligna*, ſiue geminam crucem ſibi comparat, dum ob abnegatam pauperi micam, æternum myſticè inſtar auari diuitis ſtilla priuatur. 18.

*Auarus duplici ligno etiam addicitur.* Drogo.

## OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

### *Unus autem de his, qui pendebant latronibus.*

### Vno Latrone improbè pereunte, Deo quaſi omnes filij Adæ periêre.

*Quia mirum in modum Deus vel vnicum æſtimat hominem.*

PVGNANT Lucas & Matth. Ille enim, *Vnus* (inquit) *de his, qui pendebant latronibus:* Ille autem: *Id ipſum & latrones, qui crucifixi erāt cum eo, improperabant ei.* Num bonus Latro immitis in Chriſtum? Potius reprobum ſocium infrænabat, *Neque tu times Deum.* Cur ergo Latrones Textus aſſerit improperia profudiſſe? Exiſtimat D. Paſchaſ. omnes latrones, quicunque cum Adamo pomum vetitum rapuêre, in vnico latrone improbo deſignatos: *Non dicit, Ambo, ſed vnus: quia vnus hoc fecit.* Sed dicitur, *Similiter & latrones*, quaſi in vno latrone fugiente cuncti homines periiſſent. 19.

Expreſſit Dominus vnius exemplo margaritæ. Simile eſt Regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas: inuenta autem vna pretioſa margarita *abiit, & vendidit omnia* 20.

*Vna margarita quaſi omnes Ieſu.*

Digitized by Google

*Matth 13. Auguſt.* *omnia bona ſua, & comparauit eam.* Matthæi 13. D. Auguſt. aſſerit omnes homines cunctarum margaritarum multitudine deſignari. Cur igitur Dominus vno homine, qui perierat, inuento, omnibus ſe ſe bonis ſpoliat ad omnium hominum redemptionem præparatis? Quia ſic Chriſtus erga peccatores afficitur, vt vnicum hominem perditum omnis humani generis perſonam gerere reputaret. Vnde tanto vnum redimit pretio, ac ſi totum genus redimeret.

21. *Vnica ouis quaſi totus grex. Luc. 15. Ambroſ.* Paſtor hic centum ouicularum nonaginta nouem relinquens, vnicam requirit erroneam. Luc. 15. præſ, ore D. Ambroſ. *Diues Paſtor ſon ſus, cuius nos centeſima ouis ſumus.* Et cur cum Paſtor nonaginta nouem ouibus diues exurgat, centeſimam dum requirit, omnes nos in vna perdita ac inuenta ſocia & percamus, & recuperemur? Profectò omnes homines, qui centum ouium numero innuimur, ſingularis cuiuſcumque ouiculæ aut periculo, aut ſalute continemur: quia bono illi Paſtori vnum hominem amittere proinde eſt, ac ſi vniuerſum genus iret in perditionem.

22. *Vno damnato latrone, quaſi ſolitarius Ieſus. Matth. 27. Hilar.* Ideò Cruci illigatus ſe ſolitarium, ſe ab hominibus ſuis omninò abſtractum inclamitat. *Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* Matth. 27. Hilar. *Suam ſolitudinem conqueritur.* Solitarium me ò Pater dereliquiſti. Proh Deus immortalis! quando tuæ beneficio Crucis (vti ponderat Ambroſ.) à te omnia traxiſti, te ſolitarium inclamas? Solitarius profectò derelinquitur, qui vnum amittens latronem, quaſi omnibus hominibus ſe videtur ſpoliatum.

23. *Hic latro Adam, in quo omnes periere, comparatur. Geneſ. 3. Paſchaſ.* Confirmo ex illo Geneſeos teſtimonio. *Adam vbi es?* Cap. 3. Ad quæ Paſchaſ. componens è cruce querelam, *Vt quid dereliquiſti me,* cum clamore, *Adam vbi es?* affirmat clamore vtroque latronem requirere, & eum qui è ſuffixo diſceſſerat, & illum, qui in paradiſo deuiarat. *Ecce in hora noua voce magna clamat, qui ad auram poſt meridiem ambulat in paradiſo, & clamat, Adam vbi es?* Enimverò quid cum latrone Adamo probo illi latroni? In Adamo furante omnes puri homines, Virgine excepta, latrocinati ſunt. Cunctique patre pereunte periere, dum delicto fœdantur. Damnatum itaque apud Caluariæ montem vnum latronem Chriſtus quodammodo reputauit Adamum, quaſi vno huc latrone pereunte cuncti ſimul homines damnarentur. Tanti vnius hominis ſalus à Domino habetur, quam tu nihili ducendam exiſtimas.

24. *Vnus Iudas diſcedens quaſi omnes. Matth. 26.* Vnus Iudas diabolus effectus è Collegio receſſurus Magdalenæ carpens pietatem, iactitabat, *Vt quid perditio hæc?* Attamen alius Euangeliſta non vnum Iudam, ſed Diſcipulos innuit cunctos murmuraſſe. Cur ita? Quia Dominus ita anxiabatur vnam illam ouiculam amiſſurus, vt ſibi quodammodo videretur cunctum iam electiſſimum gregem periiſſe.

25. *Vnus malus conuiua quaſi multitudo malorum. Matth. 22. Hieron.* Vnus inter conuiuas fideles haud indutus dignè reperitur, ad tenebras detrudendus. *Mittite eum in tenebras.* Matth. 22. D. Hieron. affirmat illum eſſe *Multitudinem malorum.* Si vnus malus, quonammodo malorum exſurgit multitudo? Annon quia vnus damnabilis ad tartara immittendus optimo Regi Ieſu quaſi vniuerſa hominum multitudo?

Rex Herodes vnus fremit in Chriſtum, ſolus Princeps Pilatus illum morti addicit. Attamen Vates clamat, *Quare fremuerunt gentes, &c. Aſtiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius.* Pſalm. 2. Ad quæ Chryſoſt. *Numquid Herodes Reges, Pilatus Principes?* Porrò is eſt Domini in miſeros peccatores affectus, vt vno Rege perſequente, vno Principe vulnerante, omnes quodammodo reputet & Reges, & Principes periiſſe. 26. *Vnus Herodes & Pilatus quaſi omnes Reges & Principes. Pſalm. 2. Chryſoſt.*

E contrà verò adeò expetit Chriſtus vniuerſum humanum genus ſaluari, vt electo innumerabili prædeſtinatorum cœtu quaſi vnicus ei ſaluus exiſtat. Sub ſtellarum innumerabilium typo vniuerſum ſaluandorum collegium Abrahæ exprimitur. *Numera ſtellas, ſi potes, ſic erit ſemen tuum.* At Dominus ex ore Claudij Mar. Vict. lib. 3. ſic profatur. 27. *Cuncti prædeſtinati innumerabiles quaſi vnus.*

*Innumerum vulgus tu mihi ſolus eris.*

Ac ſi diceret. Vides innumerabile vulgus ſaluandorum? Mihi profectò vehementer cupienti hominum cunctorum ſalutem, tam ingens multitudo tu *ſolus es*: vnus ſolummodo quodammodo ſalutem aſſequitur.

## OBSERVATIO IV.

Ad illa verba:

*Unus autem de his, qui pendebant latronibus.*

### Malus latro famam boni videtur deturpare.

*Vnde edoctus prauos ſocios effugias ex eorum moribus, bonus licet ſis, iudicandus.*

Si dixerat Lucas: *Vnus de his, qui pendebant, latronibus*, non mirum Matthæum ſcripſiſſe, *Id ipſum autem, & latrones improperabant.* Nam ſi bonus latro cum malo pendebat, quid non ex prauo ſocio notaretur? Aſſolent enim ſocij eiſdem aut virtutibus, aut vitiis ſimiles apparere. 28.

Rurſum expendo Matthæi teſtimonium. Inungente Dominum Magdalena, *Videntes Diſcipuli indignati ſunt.* Matth. 26. Cum tamen Ioannes Iudam ſolummodo aſſerat obieciſſe, *Vt quid perditio hæc?* Si vnus indignabundus inſurgit, quonam modo omnes Diſcipuli ſanctiſſimi ab Euangeliſta damnantur? Scio Hieronymum ad tropum ſyllepſim referre, quo *pro multis vnus, & pro vno multi ſoleant appellari.* Aſt ego crediderim ex prauo ſocio Diſcipulis obueniſſe, quod eis vel exteriùs tam imprudens ſententia tribueretur. 29. *Vnus malus Iudas ſocios videtur obſcurare ſanctiſſimos. Matth. 26. Hieron.*

30. *Vnus ſerpens cunctis mundi animantibus.* Produxit olim *Deus beſtias terræ iuxta ſpecies ſuas, & iumenta, & omne reptile terræ in genere ſuo, & vidit Deus quod eſſet bonum.* Mysor à Domino id quod bonum eſſet haud fuiſſe benedictione donatum. *Creauit enim Deus cete grandia & omnem animam viuentem, atque motabilem, quam produxerant aquæ: & vidit Deus quod eſſet bonum; & benedixit eis.* Geneſ. 1. Gen. 1. Nam quonam modo à fonte bonitatis bonum ſine benedictione diſcederet? Exiſtimo equidem omnia hominis bona animantia Dei benedictionem accepiſſe: ſed à Moyſe id ſcriptum non eſſe, cùm eſſet homo, & non videret ſicut Deus, de bonitate quodammodo terricolarum animantium dubius hærebat. Quare Anaſtaſ. Sinait. lib. 8. Examer. *Anaſtaſ. Sinait.* *Secunda cauſa propter quam terrena priuata ſunt benedictione: quoniam in eis erat ſerpens Euæ hoſtis, & contrarius, & futurus erat obnoxius execrationi.* Non placet omninò; ſi potuiſſet Deus bonas creaturas benedictione donare, malum autem ſerpentem vacuum dono relinquere. Vnde credo ideò benedictionis mentionem à Moyſe appoſitam non eſſe, quia videns ſerpentem ſocium terricolarum, ſibi cuncta terrena animantia quodammodo ſerpentia apparebant, huiuſmodi nota omnibus ex vno prauo ſocio proueniente.

31. *Fugit Pilatus interfectorum Dei commercium, ne Dei interfector haberetur.* Cognoſcens Pilatus Domini innocentiam, Iudæorum iniuſtitiam, curauit ſe ab huiuſmodi flagitij nota liberare. Id quod præſtitit, quando fluenti aquæ manus appoſuit. *Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius, vos videritis.* Sed præcipuè poſt obitum Saluatoris id curauit oſtendere, ne à Cæſare Iudex corruptus haberetur, vel placet alicui. Accedentibus ergo ad Præſidem Iudæis, & petentibus, *Iube cuſtodiri ſepulchrum*, reſpondit: *Habetis cuſtodiam, ite, cuſtodite.* Matth. 27. Matth. 27. Requirit D. Petrus Damia. Orat. de Sab. ſancto. Damian. Quare properè à ſe Iudæos ablegauerit: & reſpondet acutè, *Horruit Pilatus commercium Dei interfectorum.* Nam ſi anxius famæ curabat oſtendere ſe nullatenus circa Ieſu necem deliquiſſe; admittens Iudæos ad conſortium, de eorum immani crimine omnium oculis fœdatus appareret.

Dominus latroni beato, *Hodie mecum eris in paradiſo.* Luc. 23. Singulas particulas expende. 32. *Ieſus latroni beatum promittit à prauo receſſurū.* *Hodie*, quia meam vocem hodie audiens, non eſt obduratum cor tuum. *Eris*, quia fœdatus crimine verè non fuiſti, pœnitenſque iterato Luc. 23. formaris. *In paradiſo* è quo latro Adam fuerat August. deturbatus. *Mecum* autem, vt te à prauo latronis ſocij liberem conſortio. *Mecum eris*, tuus ego ſocius vnicus adſtabo. *Ne vero verearis*, (eum D. Auguſt. ſerm. 120. de Temp.) *ne tibi aliquis latro in illo beato nemore inſidietur.* Et cur Dominus huiuſmodi beatum latronem donat ſecuritate? Quia malo aſſidens ſocio iniuſtus videbatur infamia, dum vno illo in blaſphemias effuſo, ipſe eodem crimine notaretur, profante Matthæo; *Id ipſum autem & latrones.*

SECTIO SEPTIMA.

# BONVS LATRO.

## EX CAP. XXIII. LVCÆ.

## *TEXTVS.*

*Verſ.* 41. Et crucifixi ſunt cum eo duo latrones vnus ad dexteram, & alius ad ſiniſtram.

*Verſ.* 42. Et dicebat ad Ieſum, Domine memento mei, cum veneris in Regnum tuum.

*Verſ.* 43. Et dixit illi Ieſus, Amen dico tibi, hodie mecùm eris in Paradiſo.

## *COMMENTARIVS LITERALIS.*

### §. I.

### *Latronis conuerſio.*

1. *Boni Latronis Proloquium.* CÆTERVM alter Latronum ſocium increpabat, dicens: Tu ſi moriturus homines non vereris, certè Deum timere debes, qui inſultas morituro; præſertim cum ſis illi ſupplicij ſocius, vel hoc ſolum debebat te à conuitiis cohibere, etiam ſi ſocius eſſet criminis. Nunc alia eſt illius, alia noſtra conditio. Nos pro maleſactis pœnas damus, ille innoxius occumbit. Hoc teſtimonium Ieſu ſuffixi, vt nullibi non linguæ de illius innocentia conticeſcerent.

*Domine, memento mei, cum veneris in Regnum tuum.*] Iudæi Regnum Chriſti irridebant. Titulus 2.

*Latronis boni confeſſio.* Ambroſ.

tulus illorum voces, licet non plenariè, confirmabat, ſolus Latro eum verè Regem profitetur. Domine, hi Regno tuo illudunt, Indictum exiſtimantes, te Regem credo pro populo tuo occumbentem. Cum in Regnum perrexeris, ad illud me ducito. *Intellexit Latro*, (inquit Ambroſ.) *quod pro alienis peccatis has plagas Chriſtus ſuſciperet; & ſciuit, quod illa in corpore Chriſti vulnera non eſſent Chriſti vulnera, ſed Latronis.* Profitetur præterea Dominum Regem Meſſiam immiſſum ad Iudæos, & in Regnum hoc poſtulat introduci. Confitetur deniſque animi immortalitatem, dum poſt mortem petit in Regnum Meſſiæ adduci. Necnon Chriſti credit Reſurrectionem, poſtquam vidit imperaturum.

3. *Ab omnipotenti Dei conuerſio Latronis.*

Quæris, vndenam conuerſio huiuſmodi habuerit exortum? Reſpondeo. Ex omnipotenti Deo, Latrone cooperante. D. Leo ſermon. s. de Paſſ. *Inde oriebatur hoc donum, vndè accepit fides ipſa reſponſum.* Auguſtin. & Gregor. conteſtantur. Omnipotentiæ equidem documentum admiranda conuerſio Latronis, & inter prodigia omnipotentiæ effectus adnumeranda. *Non minus fuit* (inquit Chryſoſt.) *in Cruce Latronem conuerti, & paradiſum intrare, quàm petras colliſi.*

4. *Num excitatus prodigiis, conuerſus?*

Enimverò D. Hieronym. Latronem vult ad conuerſionem excitatum iis prodigiis, quæ in morte Ieſu contigêre. *Sole* (inquit) *fugiente, terra commota, ſaxiſque diſruptis, & ingruentibus tenebris, vnus latro credidit in Ieſum, & priorem negationem ſequenti confeſſione emendauit.* Chryſoſt. & Orig. adhæreſcunt. Ego autem cum D. Leone exiſtimo Latronis conuerſionem præuenisſe prodigia.

5. *Ex Deiparæ interceſſione allectus Latro.* Salmer.

Crediderim profectò allectum fuiſſe Latronem ad pœnitentiam cùm probabiliter ex Deiparæ interceſſione, tum ex orationis illius Dominicæ auditione: *Pater ignoſce illis.* Noſter Salmer. tom. 10. tract. 40. refert ex D. Petro Damian. idcircò bonum Latronem reſipuiſſe, quia B. Virgo inter Crucem Filij & crucem Latronis poſita, Ieſum pro Latrone deprecata eſt. Nec abs re quod ex D. Anſelmo Dionyſius Carthuſian. ſcribit Deiparam cum Ieſu & D. Ioſepho fugientem in Ægyptum & in Latrones incidiſſe, & à bono hoc Latrone de eorum fuiſſe manibus liberatam. Vnde Deipara antiquum obſequium nouo hoc beneficio compenſauit. Quis Deiparæ non debeat à Domino ſalute donari, quæ noſtris tantillis illigatur obſequiis?

Alterum equidem motiuum de exorante pro hoſtibus Ieſu ſic confirmat Euthymius. *Alter Latro pœnitentia ductus eſt, audito, quod etiam pro his, qui ipſum crucifigebant, interceſſiſſet, veluti ſcripſit Lucas.* Vnde Lucas mox adiiçit poſt illa verba: *Ieſus dicebat: Pater, dimitte illis. Vnus autem ex his, qui pendebant Latronibus.* Chriſti etenim exoratio pro inimicis, eum, ad Regiæ dignitatis cognitionem adduxit. 6. *Oratio Ieſu pro inimicis eum allexit*

## §. II.

### *Dominica ad Latronem reſponſio.*

*Et dixit illi Ieſus. Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo.*] Quam felix ſemper adiungi Ieſu, qui nuſquam non ſeruat, ſi modò adſit Euangelica fiducia. *Hodie mecum eris.* D. Ambroſ ad Pſalm. 37. particulam illam: *Hodiè* ponderans ait, *Latro adhuc rogabat Dominum, vt meminiſſet ſui, cum veniſſet in Regnum: & Dominus, cum nondum veniſſet, ei iam Regnum cæleſte tribuebat. Quam velox miſericordia!* 7. *Quid Hodiè* Ambr.

*In Paradiſo.*] Rogas, quid ſignificet hoc loco Paradiſus? Promiſſum Latroni Paradiſum terreſtrè; è quo Adam fuerat deturbatus, docent Iuſt. Euthym. & Niceph. D. Bonauent. cap. 85. Medit. à Chriſto exiſtimat Patres ex limbo eductos, ſimulque Latronem, & in Paradiſum terreſtrem inductos. D. Auguſt. epiſt. 57. Paradiſum Latroni promiſſum ſinum explicat Abrahæ. 8. *Quid ſignificet hoc loco Paradiſus*

Nos autem exponimus cum recentioribus Paradiſum in præſenti beatificam viſionem. Vbi illa ipſa die Latro cum Ieſu commoratus eſt. Confirmo ex Diuo Auguſtino lib. 12. de Geneſ. cap. 28. & 34. viſionem Dei Paradiſum appellantem, imò *Paradiſum Paradiſorum.* 9. *Beatificatio Paradiſus.* Auguſt.

## IN IESVM PATIENTEM APVD CRVCEM.

# Panegyricus ſeptimus Moralis circa Literam.

## EX LATRONE BEATO.

### *OBSERVATIO I.*

Ad illa verba:

### *Et dicebat ad Ieſum.*

Arte furandi bonus Latro Regnum cœlorum acquiſiuit.

*Vbi de Regno cœlorum vim patiente, & à violentis rapiendo.*

10. Sedul. REGNVM *cœlorum* (inquit Ieſus) *vim patitur, & violenti rapiunt illud* Matth. 11. Quare opus, latrocinio nos Regnum cœlorum acquirere? Vt exponam, præmitto determinatas iam prædeſtinatorum ſedes, quibus occupatis, nulli vltra ad beatitudinem patebit aditus. Occaſio igitur (ſic fari liceat) inſidiis capianda ſalutis, & vbi nactus fueris opportunitatem, rapere cura beatitudinem. Sic bonus Latro arte furandi rapuit Paradiſum. Sedulius cecinit lib. 3.

*Abſtulit iſte ſuis cœlorum Regna rapinis.*

11. *Adultera Regnum expilauit Phariſæi.* Ioan. 8. Auguſt. Teſtor Adulteram ad Ieſum adlatam, clamantibus hoſtibus, *Hæc Mulier modò deprehenſa eſt in adulterio. Ieſus autem digito ſcribebat in terra.* Ioan. 8. Quid ſcriberet? Aug. *Illos in terra ſcribendos ſignificabat.* Beda, *Illum ſe monſtrauit, qui quondam legem in lapide ſcripſit.* Aptius autem cum Simone de Caſſia argumento, exiſtimo ſe Ieſum oſtēdere eum, qui Agnus ſine macula & librum myſticè aperit, & ſaluandos ſcribit. Nacta igitur Adultera occaſionem ſalutis, proculdubio doluit, de peccato pœnituit, nec coram Iudice abnegauit. Vnde recedentibus cæteris, *remanſit ſolus Ieſus, & mulier in medio ſtans*, quaſi in libro vitali conſtituta.

12. *Zachæus ſuo vnus ſalutem Epulone.* Chryſoſt. Quid memorem auarum Zachæum, qui præcurrens aſcendit in arborem, vt Ieſum videret, hoſpitioque exciperet perambulantem Iericho? Luc 19. Vbi Chryſoſt. *Zachæus* (inquit) *in his moras non traxit.* Quid ô Zachæe, greſſibus vteris crebrioribus? Vt diuitis epulonis Dominum commorantem in Lazaro repellentis, amiſſam ſidem obtineam verè Abrahæ filius. Ideò in his moras non traho, ne alius hoſpes diripiat meam ex hoſpitio coronam. *Nam vti profanus ille, Viuitur è rapto, non hoſpes ab hoſpite tutus.* Iam clamat Ieſus, *Hodie ſalus domui*

Beda. *huic facta eſt, eo quod & ipſe ſit filius Abrahæ.* Beda, *Non quia de eius ſtirpe genitus; ſed quia eius eſt fidem imitatus.* Auarus itaque epulo & titulo filij Abrahæ priuatur, poſtquam inclamarat, *Pater Abraham:* & excluditur à ſalute, quam diligens alter Diues ſurripere feſtinat, ad Abraham filiationem, & ſinum aduocatus.

Sed & Publicanus *à longè ſtans* inſidias equidem collocabat Phariſæo. Vidit illum ob ſuperbiam excidentem, dum inquit, *Non ſum ſicut cæteri hominum, &c.* Curat humilitate exhibita præripere ſalutem. *Domine* (ait) *propitius eſto mihi peccatori. Quid igitur miraris,* (ait D. Auguſt. ſerm. 3. de Temp.) *ſi ignoſcit Deus, quando ipſe agnoſcit. De longinquo ſtabat, Deus tamen appropinquabat.* Vnde poſt huiuſmodi adhibitam diligentiam, Dominus inclamat, *Amen dico vobis, deſcendit hic iuſtificatus ab illo.* Id eſt, loco illius, quaſi è manu præripiens Phariſæi ſalutem. 13. *Publicanus eripuit ſalutē Phariſæo.* Luc. 18. Auguſt.

Magdalena denique ſcortatrix alterius Phariſæi præripuit ſalutem, quam illi Dominus diſcumbens offerebat. *Stans retro.* Quaſi ex ſpecula attentè conſiderat Phariſæi actiones. Quod cum vidiſſet inurbanè Ieſum à Phariſæo exceptum, quidquid ille aut ablutionis, aut oſculi, aut vnctionis detraxit, illa diligenter impendit. Luc. 7. Quid plura? Adhibita diligentia rapuit ſalutem oblatam Phariſæo. Ad id quidem acceſſerat Mulier ore D. Paulini profata, *Cum vel indigni domum Phariſæi audiam Dominum veniſſe, contendam præripere hoſpitij gratiam, præripere ſi poſſem Regnum cœlorum,* 14. *Magdalena abſtulit gratiam Phariſæo.* Luc. 7. Paul.

*Regnum* itaque *cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Adhibe igitur diligentiam, o Latro, Adultera, Auarus Zachæus, Publicanus, aut ſcortatrix Magdalena ſalutem, ſedemque præripiat; vnde cum fatuis Virginibus, ianua clauſa, deturberis à Paradiſo. Pulchrè admodum D. Gregor. Nazianz. totam illuſtrat panegyrim. *Quocirca* (inquit orat. 40.) *vobis prouidendum eſt, ne ad gratiam cunctanter accedatis, verum ſummam celeritatem adhibeatis; ne Latro vobis anteuertat, ne Adultera vos prætereat, ne Auarus ſuperiore conditione ſit, ne Publicanus, ne ſcortator* (dixerim ſcortatrix) *ne denique quiſquam ex his, qui per vim in Regnum irrumpunt, illudque rapiunt.* 15. *Omnia hæc à Nazianzeno confirmantur.* Nazianz.

OBSER

## OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

### *Cum veneris in Regnum tuum.*

### Latro Ieſum Regem eſſe cognouit, quia eum pro inimicis exorantem audiuit.

*Regalis enim virtus inimicis benefacere.*

16. Euthym. INNVIMVS ex Euthymio Latronem vel apud Crucem Ieſum Regem dignouiſſe, quia audiuit eum pro inimicis preces ad Patrem effundentem.

17. *Caecitas Iudaeorū Ieſum Regem non dignoſcentiū.* Auguſt. Dauid, *Specioſus forma præ filiis hominum.* Pſal. 44. Vbi D. Auguſt. ſerm. 50. de verb Dom. tantundem ait Ieſum omnium pulcherrimum vocitari, ac Regem præ filiis hominum, ſiue vt præſit hominibus. *Diffuſa eſt gratia in labiis tuis.* Labia tua ò Domine, te Regem inunctum manifeſtant. A Patre enim veniam inimicis efflagitas. *Ignoſce illis.* Hinc elucet quàm poſt hæc ſpeciatim, ſtultè Iudæi inclamitabant, *Si Rex Iſrael eſt, deſcendat de cruce.* Vt Regem omniū pulcherrimum cognoſcatis, ſufficit eius labia veniam hoſtibus inclamaſſe. Regium etenim eſt parcere inimicis. *In hoc maximè* (inquit Pater) *innotuit Iudaeorum caecitas; dum ipſum pulcherrimum*, id eſt Regem *pro inimicis orantem non cognouerunt.*

18. *Stephanus, orans pro inimicis Regiā acquirit coronam.* Acto. 1. Euſeb. Stephanus, cuius nomen idem ac *corona*, pro lapidantibus exorauit, Ieſu perſonam referens. Quid tunc? Egregiè Euſebius Emiſ. *Deum pro impiis Deo plenus exorat, & coronam ſuam multiplicat.* Quonam modo multiplicat coronam? Iam ille nominis corona ſtipabatur, iam martyrij cum corona ornabat. Multiplicat coronam, dum pro inimicis orando ſpecialem Regiam coronam acquirit. Huiuſcemodi etenim virtuti Regia corona neceſſariò reſpondet.

19. *Dextera Dauid hoſti parcens Regio diademate coronatur.* 1. Reg. 24. Chryſoſt. Olim Dauid inimico Sauli pepercit, quando brachium eleuatum, ne ille percuteretur, retardauit charitas, ſicut cœleſtis vox dexteram Abrahami. 1. Regum 24. Ad quem locum D. Chryſoſt. *Egreſſus eſt igitur Dauid dexteram illam ſimul cum capite coronatam geſtans.* Cur ſimul cum capite? Quia ſicut Dauidis capiti Regium diadema debebatur, ſic dexteræ parcenti Sauli Regia ſimul debebatur corona; vti bis Dauid Rex & Samuelis oleo, & inimici venia inungeretur.

20. *Caecus poſtulat beneficio affici à Rege Ieſu.* Ioan. 18. Tertull. Cæcus inclamitarat, *Ieſu fili Dauid, miſerere mei.* Luc. 18. Ad quem locum Tertull. 4. cont. Marc. *Si aliquando Dauidem in recuperatione Sionis offenderant caeci reſiſtentes, quo minus admitteretur: ideo Chriſtus ex diuerſo Caeco ſubuenit, vt hinc ſe oſtenderet non eſſe filium Dauid* (filium, ſed Dei) *& ex animi diuerſitate bonus caecis, quos ille iuſſerat occidi.* Quare igitur Cæcus Ieſum filium Dauidis appellat, ſi Patrem ſetaturus eum percutere deberet, non ſanitate donare? Quia Ieſum Regis Dauidis memor, ius ſi-

*Ant. de Eſcob. & Menaoz.* de Sanctis Tom. I.

lium, eum quaſi cogit Regiæ dignitatis vi ad benignitatem inclinari, licet ex alio capite iuſta indignatione afficeretur, proprietate hac Regia aduerſus quantumuis maximam iracundiam præualente.

21. *Dauid regnat idcò regnauit.* 1. Reg. 24. Hoſtibus parcis? Neceſſariò te Regia ſtipabit corona. Poſtquam Dauid Sauli pepercerat inimico, ſic ille inclamauit, *Ecce agnoſco, quod regnans regnabis, quod Regnum Iſrael conſtituetur in manu tua.* 1. Reg. 24. Illud pende, *Agnoſco, quod regnans, regnabis.* Iam regnas in præſenti, dum me hoſtem tibi infenſum potis vulnerare, liberum dimiſiſti. Regnabis & poſtea, Iſraëlitico imperio potitus. *Regnans regnabis.* Regnas certè iam, ſi Tragico canente in Thyeſte:

*Rex eſt, qui poſuit metus,*
*Et diri mala pectoris.*

## OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

### *Vnus ad dexteram, & alter ad ſiniſtram.*

### Bonus latro tenens dexteram confitetur; dum alter apud ſiniſtram perit obduratus.

*Vbi de bona, aut praua ſocietatis vi.*

22. Paſchaſ. PASCHAS. à ſiniſtri Latronis plaga omne malum pandi fatetur, quia ſiniſtra illa, vbi hœdi conſtituuntur, ſicuti apud Latronis boni dexteram iuſti omnes commorantur. Quid mirum, impium Latronem minimè ſe ad bonam recipere frugem, ſi ſocius hæret reprobis? Bonus autem Latro dexteræ, vbi omnes electi, beneficio fuit ad pœnitentiam excitatus. Proh loci ad bonum, & ad malum aptitudo! Ore duorum hoc verbum ſtabit.

23. *Petrus in domo Caiphae Latro apud Ieſum Petrus.* Apud Caiphæ domum, & apud Ieſum Petrum contemplor commorantem. In Ieſu conſpectu confeſſor illuſtris inclamat, *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Apud Caipham autem mutatur in honoris Dominici Latronem. *Non noui hominem*: Porrò Latro inter prauos habitans actionibus Chriſtum denegat. *Factis autem negant.* At coram Ieſu, Dominum confitetur Petrus confeſſor effectus. Perpulchrè Drogo de Sacr. Paſſ. Drogo. *In te* (inquit, *beatiſſime confeſſor; de totius mundi ſterilitate fidei reliquias colligit Chriſtus. Tu fugientibus Diſcipulis, & Petro negante ſocius, & comes Paſſionis eius fieri gauiſus es. Tu Petrus in Cruce fuiſti, & Petrus in domo Caiphæ Latro. Tamdiu Petrus Latro fuit, quamdiu intus latitans Chriſtum foris negauit.*

24. *Iudas apud ſceleſtos diabolus, diabolus apud eū Iudas confeſſor.* Idem iudicium de diabolo & Proditore. Iudas nonne id fit ac *Confeſſio?* Diabolus autem quid nisi *Proditor?* Apud Ieſum Iudas

confeſſor, diabolus dum à Ieſu elongatur. Proditor eſt. Commutantur vices. Poſtmodum apud Iudæorum concilium Iudas recedens à Chriſto diabolus Proditor efficitur, dicente Domino, *Vnus veſtrum diabolus:* diabolus autem in conſpectu Domini Iudas exiſtit, dum abſtractus à ſepulchro Ieſum filium Altiſſimi, inuitus licet, confitetur.

## OBSERVATIO IV.

Ad illa verba:

*Hodie mecum eris in paradiſo.*

### Latro infimi gradus à Deo adſumitur, vt Latro ſupremi ordinis magis taxetur, ac diſcerpatur.

*Vti prauum Religioſum, aut Clericum, vel mundiales confundant delinquentes.*

29\. PRINCEPS generis humani ſupremo gradu conſtitutus ob latrocinium excidit, & aſſumit Deus Latronem ordinis inferioris primi Parentis celſum locum occupaturum. O quotiens delinquentem Religioſum Deus excelſo gradu excidere permittit, & in tantæ ingratitudinis vindictam ſecularem adſumit eiuſdem delicti reum, vt qui minus ſtrictis legibus tenebatur, & tamen poſt delictum reſipuit, ſurrexit: adſit in deriſum illius, qui ſtrictioribus vinculis illigatus, iugum proiecit!

30\. *Angelus ſuperbus cadit, homo ſuperbus aſſurgit.* Gen. 3.

Angeli ſuperbiæ flagitio ſe ſe excelſo throno collocati contaminauerunt. Paulo poſt in humili ſeculari loco conſtitutus homo ſuperbiæ reus inuentus eſt. Quare Angelico ſimili ſcelere homo fragilis deperire permittitur? Plures à Patribus cauſæ adnotantur. Vnam ego illam memorabo in præſenti, non quidem præcipuam rationem. Vt ſcilicet Deus vindictam de Angelica turba à cœlo ablegata ſumeret. Cœleſti culmini hærentes ſuperbiæ affectu vlterius auolare curaſtis? Ego alium ſuperbum ordinis inferioris ad veſtram deſertam dignitatem aſſumam, qui non tam ſtrictis legibus illigatus deliquit. Vt æternum ſit vobis in ſibilum. Alcuin. q. 4. *Quanto ſublimior Angelus in gloria* (ſeu in pulchritudine, in gradu,) *tanto maior in ruina. Homo verò quanto fragilior in natura, tanto facilior ad veniam.* Quaſi diceret, Plus exacerbatus Deus ex delicto Angelorum, quia in ſublimi throno conſtituti, ſuperbiere: quàm ex hominis culpa infimo loco commorantis. Vnde huius adſumit ſuperbiam, vt illius ſuperbi diuerberet auſus.

Alcuin.

31\. *Mulier adultera ex infima plebe adſumitur ad ſuperiorum gradus adulterantiũ confuſionem.* Ioan. 8.

Adulteri Phariſæi (appellati enim à Domino: *Generatio mala, & adultera,*) Mulierem adulterantem ex plebe ad Saluatorem adduxere. Qui equidem *digito* illorum crimina *ſcribebat in terra.* Ioan. 8. Sic enim exponit Hugo Cardin. Receſſere omnes, & ſeniores, qui maiores in culpa properantes ablegati ſunt. *Primi fuerunt* (ait Pater) *in fuga, qui primi fuerunt in culpa.* Non ſeniores magis adulteri; ſed quod in celſiori gradu poſiti arctioribus legibus tenebantur. *Remanſit* itaque *Solus Ieſus, & mulier ſtans. Relicti ſunt* (adiicit) *duo, miſeria, & miſericordia.* Quia quanto fœmina fragilior in natura, inferior in gradu, tanto efficacius Ieſu miſericordiam ad ſe alliciebat: ſeueriuſque Dominus in Proceres illos vindicabat, adulteram inferioris gradus aſſumens, vt celſioris gradus adulterantium ſedem occuparet.

Quod ſi ex auaritia etiam exemplum adſumendum ſit, caſum præſentem expendo. Apud diabolum inferioris ordinis Latro commorabatur. Iudas Ieſu ſocius in ſupremo gradu conſtitutus ſe ſe latrocinio maculauit. Nam *fur erat, & loculos habens, &c.* Deturbatur latro Iudas ab Apoſtolico faſtigio, cuius mox Chriſtus auſum improperat ex infima ſeculari plebe eleuans Latronem. Appoſitè ad hæc D. Ambroſ. ad Pſal. 39. *Tripudiabas Draco, quod Apoſtolum ſubtraxeras Chriſto. Plus amiſiſti, quam ſuſtuliſti, qui Latronem vides in Paradiſum eſſe translatum. Miniſter tuus eò peruenit, vnde iſte deiectus eſt.* Quid mirum ſi, eodem auctore, *Confitetur Latro, quem Diſcipulus abnegauit; Latro honorificat patientem, quem Iudas prodidit oſculantem.* O ſacri miniſtri, Eccleſiæ Proceres, cauete, ne diaboli miniſter ordinis inferioris adſumatur, vt veſtro in throno collocetur.

32\. *Pro Iuda latrocinante inferioris gradus Latro adſumitur.*

Ambroſ. Pſal. 39.

## OBSERVATIO V.

Ad illa verba:

*Et crucifixi ſunt cum eo duo latrones.*

### Innocens, pœnitens, & impœnitens neceſſariò cruciferi.

*Vbi de laboribus ſubeundis à bonis feliciter, miſerè à prauis.*

CVM Ieſu innocentiſſimo duo latrones, pœnitens, & impœnitens ſuffiguntur. Nemo equidem apud terricolas liber à cruce: innocens ſuſtinet, peccator pœnitens portat, ab illa impœnitens minimè liberatur. *Cum eo.* Quis non crederet neceſſarium innocenti, florido percurrere itinere? Imò innocenti neceſſarium, crucem grauiſſimam ſuſtinere. 33.

Porrò ad ſuperos tendens via ſpinis redundans, quâ nullus poteſt haud punctus incedere. Chriſtus *Ego,* inquit, *ſum via.* Ioan. 14. Innocens ego ſic viatores ad cœlum adduco, ſicut via ipſe ad cœlum aſcendi. Neceſſaria innocenti

34\. *Via cœleſtis ſpinis redundans.* Ioan. 14.

D. Leo. centi tibi crucis aſportatio, ſi via ipſa innumeris crucibus redundaui. D. Leo ſer. 6. de Paſ. *Meritò Dominus ipſe factus eſt via, quia niſi per Chriſtum non itur ad Chriſtum. Per ipſum autem ad ipſum tendit, qui per ſemitam patientia eius incedit. In quo planè itinere nec æſtus deeſt laboris, nec procella formidinis. Ibi ſunt inſidiæ iniquorum, perſecutiones infidelium, quâ Dominus Rex gloria ideò omnia percurrit, vt inter præſentis vitæ pericula non tam optandum ſit nobis declinando iſta effugere, quàm tolerando ſuperare.* Igitur aut innocenti ſine via (quod impoſſibile eſt) currendum ad ſuperos, aut ei crux eſt Dominica ſuſtinenda.

34\. *Deo acceptis neceſſarij labores.* Archangelum teſtor Tobiæ ſeniori poſt cæcitatem eum illuminando profatum: *Quando orabas cum lacrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abſcondebas per diem in domo tua, & nocte ſepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino; & quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, vt tentatio probaret te.* Cap. 12. Illud pondera: *Quia acceptus, &c.* Nam qui ex tam egregiis operibus innocentiæ reddebat ſpecimen quonam modo poterat à Cruce liberari? D. Cypr. lib. de mort. Tobiam affirmat neceſſariò tentatum laboribus, quia neceſſariò innocentiam ſequitur Crucis baiulatio.

Tob. 5 2.

Cyprian.

35\. *Quaſi ex neceſſitate conſequentia iuſto amaritudo propinatur.* Cruci Domino illigato ac ſitienti non aqua frigida, ſed acre poculum exhibetur: *Dicit, Sitio. Vas ergo erat poſitum aceto plenum.* Ioan. 19. Illam particulam expende: *Vas ergo.* Sitienti etenim innocenti quaſi neceſſitate conſequentiæ non aqua, ſed crucians poculum adhibendum. Nec enim poteſt non pati innocentia, ſi hominum malitia non poteſt ab impugnatione contineri. Pulchrè Cyril. Alex. l. 11. *Diſcimus hinc,* (id eſt ex aceto exhibito ſitienti) *non poſſe ſatiari aduerſariorum animos in perſequendis amicis Chriſti, ſed vſque ad vltimum ſpiritum magnum vndique tentationum commouere æſtum.* Si non poſſunt hoſtes exſatiari vſque ad vltimum innocentis ſpiritum, neceſſarius innocentiæ cruciatus. Vnde ſi ſatiat iuſtus, ergo non aqua frigida, ſed vas aceto plenum ei erit præparandum.

Ioan. 19.

36\. *Paradiſum ingreſſurus neceſſario gladio vulnerandus.* *Duo latrones.* ] Bonus equidem latro pœnitens vtique neceſſariò Cruci hæreſcit. Pœnitentia enim, quid niſi Crux? *Collocauit Dominus ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilem.* Gen. 3. Num non pœnitenti ad paradiſum reditus præparatur? Ergo neceſſariò gladij illius igniti eſt vulnere percutiendus. D. Iſidor. ad hæc: *Qui ad Deum conuertitur, per flammeam frameam verſatilem, id eſt, per tribulationes temporales vrentes peruenit ad arborem vitæ Chriſtum.* Nemo enim poteſt aliter illuc peruenire.

Gen. 3.

Iſidor.

37\. Ad illud Geneſ. *Ecce die tertio, quando grauiſſimus vulnerum dolor erat.* Cap. 34. Stephanus aſſerit die illa pœnitentiæ affectum deſignari, quem neceſſariò comitatur lamentum. Numquam enim pœnitentia ſine cruce reperitur. Vnde in pœnitentis incidens mentionem mox à diei tertij metaphora fugiens, ad oliuam, cuius typo Crucem intelligit, properauit. *Dies hæc eſt ſatisfactio bonorum operum* poſt pœnitentiæ vulnus. *Oliua enim ſeu Crux eſt pœnitentia, radix contritio, folia confeſſio, quæ in amaritudine fieri debent.* Neceſſariò enim Crux pœnitentiæ affectum comitatur. *Neceſſariò Crux affectũ pœnitentiæ comitatur.* Gen. 4. Steph.

Conſentit planè Drogo, dum viduam illam Sarephthæ animum exponit pœnitentem ſeſe ad ſacrum epulum præparantem: *En* (inquit) *colligo duo ligna, vt faciam,* Chryſol. *mihi animæ, ſcilicet meæ modicum viatici.* Et quare pœnitentiæ affectu duo ligna requirit? An non quia neceſſariò poſt pœnitentiam Crux expectat peccatorem. Ita Præſul Hoſtienſ. 38. *Poſt pœnitentiam crux peccatores expectat.* Drog.

Num latro improbus liber à Cruce? *Crucifixi ſunt duo latrones.* Nec ad ſiniſtram collocatus potuit fugere cruciatum. Videturne tibi, quia Cruci affixam vides innocentiam, quia pœnitentiam ligno aſpicis illigatam, ſatius ad improbitatem properare? Peccatori equidem indictum, *Maledicta terra in opere tuo, ſpinas & tribulos germinabit tibi.* Gen. 3. D. Aug. ad Pſ. 102. *Frater mi, in ſudore vultus tui veſceris pane tuo, & terra ſpinas & tribulos germinabit tibi. Audi eſt aliud vita noſtra: ſi potes* ſine Cruce viuere, *te conuerte ad aliquam voluptatem, vbi ſpinas non ſentias, elige quod volueris.* Tendo ad diuitias, quas vndique vel iniuria colligere curabo. Quid magis à Cruce abſtractum quàm diuitiæ? Et quem non auri aut argenti ſplendor à mœrore remoueat? *Eſto* igitur *auarus. In ardore auaritiæ quanta ſpina?* Quot laboribus diuitiæ! quot timoribus cuſtodiuntur! quot conſcientiæ ſtimulis poſſidentur! Pergâ ad voluptates. Quid dulcius amore? *Eſto luxurioſus; Amores turpes quantas moleſtias habent? quantas ſolicitudines in hâc vita?* Aſcendam ergo ad honorum mundialium faſtigium. Quid magis à cruce remotum? Imò quid amplius cruciatui appropinquans: *Eſto ambitioſus. In honorum cupiditate quanta ſpina?* 39. *Omnibus ſpinæ præparata.* Gen. 3. Auguſt.

Omnes itaque innocens, pœnitens, flagitioſus cruciferi: niſi quod innocenti Crux gloriam parturiat, pœnitenti conſolationem, damnationem verò impœnitenti. Totam obſeruationem ex Hug. Vict. confirmo. *Crucifixi cum eo duo latrones. In Cruce Chriſti glorìatio, in Cruce dextri latronis conſolatio, in Cruce ſiniſtri confuſio. In prima pœna ſine culpa, & poſt gloriatio: in ſecunda pœna pro culpa, & poſt remiſſio: in tertia pœna pro culpa; & poſt damnatio.* Feliciſſimè quidem & innocens & pœnitens Crucis pondera ſuſtinent, laboribus exagitantur. At impœnitens quàm miſer! temporaria Cruce pergrauatur, illigandus æternæ! 40. *Omnibus Crux, ſed innocenti ac pœnitẽti glorioſa impœnitenti exitialis.* Hug Vict.

SECTIO OCTAVA.

# SITIS IESV.

## EX CAP. XIX. IOANNIS.

### *TEXTVS.*

*Verſ.* 28. Vt conſummaretur Scriptura, dixit: Sitio.
*Verſ.* 29. Illi autem ſpongiam plenam aceto hyſſopo circumponentes obtulerunt ori eius.

### *COMMENTARIVS LITERALIS.*

§. I.

*Quænam hîc ſcriptura eſſet conſummanda?*

1. *Scriptura hæc ex Pſ.68.* VT *conſummaretur ſcriptura.*] Iam omnia, quæ à Iudæis vnus paſſurus erat, ferè eſſe completa dignoſcens Ieſus, nec aliud deeſſe præter vnũ, quod in ſcriptura prædictum erat, etiam hoc adimpleti cupiens, inclamauit: *Sitio.* Conueniunt omnes illam ſcripturam apud Pſalm.68.exiſtere: *Dederunt in eſcam meã fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto.* Ioannes ait Chriſtum clamaſſe: *Sitio,* vt impleretur ſcriptura. Scriptura autem non prædixit eum *Sitio* dicturum, ſed aceto potandum, cùm ſitiret. Propterea ſanè ſitim manifeſtauit, dicens: *Sitio,* vt ſcriptura impleretur, nempè eum aceto potandum. Nec illi aceto potaſſent, niſi eius verbo Ieſum ſitire cognoſcerent.

2. *Exponitur Carmen.* *Auguſt.* Sed quonam modo ad ſitim Dominicam aptantur illa verba: *Dederunt in eſcam meam fel?* Auguſtinus metaphoricè exponit, vt fel ſint dolores omnes à Ieſu tolerati. Sed, tanti Patris venia, non placet expoſitio. Cum enim hæc ſimul ſint copulata fel & acetum: acetum autẽ ad literam intelligendum ſit, etiam illud literaliter eadem ratione videtur explicandum. Nec quidem aptè eſca metaphorica, & potus materialis coniunguntur..

3. *Auctoris ſententia.* *Euthym.* *1.Cor.5.* *Ezech.34.* Sentio cum Euthymio de priori potatione (quam inferiùs expendam) vini videlicet cum felle mixti, locum intelligendum: *Dederunt in eſcam meam fel.* Sed quonam modo eſca dicitur cùm potus fuerit, & ab Euangeliſta bibi dictus ſit? Facilis ſolutio. Annon quiddam poculum ſimul & eſca? *Lac vobis potum dedi.* 1.Cor.5. En lac potus, & bibitur. *Lac comedebatis.* Ezech. 34. Ecce lac ſimul cedit in cibum. Dauid igitur memorans mizturam ex vino & myrrha, ſeu felle, & aceto, vt hæc duo diſtingueret, ne quis ad vnicam potationem referret: ideò vnum eſcam, alterum potum appellauit.

§. II.

*Quænam ſitis Ieſu?*

4. *Bis potatus Ieſus.* DIxit, *Sitio.*] Bis Dominus potatus ſemel ante crucifixionem, poſt ſoffixionem iterum. Primò oblatus ei potus ex vino myrrhato, ſeu felle admixto. Torquendis enim, vti membra obſtupeſcerent, minuſque doloribus afficerentur, hoc vini genus ſolitum propinari. Quod Dominus *cum guſtaſſet, noluit* haurire. Nec enim cupiebat ſenſum dolorum imminui. Poſteà verò aceto potatus eſt.

5. *Vera ſitis Ieſu.* Num verè Chriſtus ſitiebat? Ita planè, & maximâ ſiti equidẽ vexabatur. Caro enim illa ſacratiſſima (vti adnotat Cyril. l. 13. c. 35.) ingentibus doloribus exſiccata, humido etiam naturali effuſione ſanguinis conſumpto, ſiti diſcruciabatur. Quid doloribus ad ſitim potentius excitandam, qui naturalem calorem exagitant, & humidum conſumunt internum?

6. *Myſtica Ieſu ſitis.* *Iuſtin.* Non quidem abnegabo aliâ grauiori ſiti ſimul vexatum Saluatorem, quâ hominum ſalute, animiſque expleri cupiebat. Laurent. Iuſtin. de Chri. agone: *Quod Chriſtus Samaritanæ dixerat, Mulier, da mihi bibere: hoc in Cruce omnibus ait, Sitio, Sitis hæc de ardore dilectionis, de amoris fonte, de latitudine naſcitur charitatis; ſitiebat nos, & dare ſe nobis deſiderabat.*

7. *An biberit acetum?* *Anton.* *Ambroſ.* Num biberit acetum Ieſus? Ioannes: *Cum accepiſſet Ieſus acetum.* An guſtando, vel in viſcera traiiciẽdo? D. Antoninus, 1.p. tract. de Paſ. *Cum accepiſſet acetum, non quidem bibendo, ſed guſtando.* Eum ſequitur Titelman. Verùm mihi videtur vinum myrrhatum deguſtatum non bibiſſe, hauſiſſe tamen veroſimilius acetum. Sic Caietan. & alij D. Ambroſ. ſecuti profantem: *Acetum bibitur, vinum cum felle non bibitur.*

***

Digitized by Google

## §. III.

*Quorſum apud Caluariæ montem acetum, calamus, & ſpongia?*

8. *Cruci ibibi vas plenum aceto.* Theophyl. **I**Lli *ſpongiam plenam aceto hyſſopo circumponentes obtulerunt ori eius.* ] Vas adeſſe plenum aceto aſſerit Euangeliſta. Cur acetum ſpongia, hyſſopus & arundo in montem allata? Mos fuit, vt hæc in locum crucifixorum adferrentur. Theophyl. *Acetum Chriſto potant, id quod damnatis faciant.* Quibus in Cruce conſtitutis non poterat militum manu vas ipſum porrigi. Vnde ab inferiori loco ſpongiam plenam aceto calamo longo ligatam ori illorum milites ſugendam ſupponebant.

9. *Quare reis huiuſcemodi poculum?* Sed quare huiuſmodi poculum cruci ſuffixis ſolitum miniſtrari? Prætermiſſis variis Doctorum opinionibus quas apud Maldon. & Barrad. noſtros leges: exiſtimo cum Toleto dari crucifixis acetum, vt citius occumberent. Acetum enim valde officit vulneratis. Ea igitur cauſa, quâ myrrhatum vinum crucifigendis propinabant, vt minus doloribus excruciarentur, aceto etiam potabant crucifixos, vt citius à tormento illo per mortem liberarentur. Mecum ſentiunt Caietanus, Ianſen. Theophyl. & Montanus fatus: *Dabat Chriſto liberè acetum, vt citius interficerent. Nam acetum neruis læſis vehementer nocet, & dolorem primùm, deinde ſtuporem lethalem affert.* Caiet. Ianſen. Theophyl.

10. *Exponitur Lucas.* Solus Lucas exponendus relinquitur: *Illudebant autem & milites accedentes, & acetum offerentes ei.* Reſpondeo Chriſto non ſolum datum acetum, vt citius moreretur, ſicuti reliquis crucifixis; ſed vt ſimul illuderent. Cum enim ſitire ſe manifeſtaret, loco potus acetum, quod lethale tunc poculum, obtulerunt.

11. Rogas quare Dominus hauſerit acetum, ſi mortem ſtimulans, dolorem corripiebat? Lyranus docet non eſſe probabile eos citius mori, qui bibunt acetum. Vnde exiſtimo vulgari errore Iudæos ſolitos crucifixos aceto potare ad mortis properationem; ſicut apud noſtrates non diſſimiles huic errores circa moribundos percrebruêre. Ieſus igitur illorum gerens morem dignoſcens aceti proprietates, ebibit, vt non ſolum non ceſſarent tormenta; ſed aceti amaritudo tot doloribus adiiceretur. *Obiectioni ſit ſatis.* Lyran.

*Illi ſpongiam, &c.* Quod vnus accurrens præſtitit, vt Matthæus ſcribit, multi feciſſe dicuntur à Ioanne. Circa ſpongiam autem inſurgit difficultas. Matthæus ſpongiam ait arundini impoſitam, Marcus circumpoſitam calamo, Ioannes autem hyſſopo aſſerit circumpoſitam. D. Cyril. reſpondet totum verum. Nam varij milites acetum obtulêre, vnus ſpongiam calamo, ſeu arundini, alter ligno hyſſopi circumpoſuit. Theophyl. & Euthym. vnicum militem conſtituentes aceti propinatorem arundinem interpretantur fuiſſe virgã hyſſopi. Facilis concordia niſi obſtaret hyſſopum humilem herbam, nec calamos duros producentem, vt videre eſt apud Dioſcor. lib. 3. cap. 28. & Plinium lib. 26 cap. 4. In terræ promiſſionis hyſſopus magna? Non difficilè crederem, niſi Salomon: *Super ligno a cedro, quæ eſt in Libano, vſque ad hyſſopum, quæ egreditur de pariete,* diſputaſſet. 3. Reg. 4. Alij aptius ſpongiam dicunt hyſſopo loco illi calamo fuiſſe circumligatam. Nec omninò quieſco, cum tam minimam particularum deſcriptionem nõ ſine ſpeciali cauſa apud Euangeliſtas legam. Expono igitur ſic locum. Miles ſpongiam impleuit aceto, & ne imbibitus liquore elaberetur, hyſſopum herbam humilem & ob amaritudinem ſatis funeſtam, & crucifixis accommodatam circumpoſuit, ita vt ſpongiam complecteretur hyſſopus, & inuolueret. 12. *Circa ſpongiam & hyſſopum quæſtio.* Cyril. Theoph. Euthym. Dioſcor. Plin. 3. Reg. 4.

---

# IN IESVM PATIENTEM APVD CRVCEM.

# Panegyricus octauus Moralis circa Literam.

## EX SITI IESV.

## *OBSERVATIO I.*

Ad illa verba:

*Sitio.*

Ieſus noſtra ſitit peccata.

*Vbi quàm pium, humilè nos eum confeſſione potare.*

13. Aug. **D**Ivvs Auguſtinus ad Pſalm. 61. ſitim Saluatoris expendens ait: *In Cruce poſitus, Sitio: dixit, quamuis illi non dederunt, quod ſitiebat. Ipſos enim ille ſitiebat; at illi acetum dederunt, non vinum nouum.* Nouo vino Ieſus, peccatis videlicet Iudæorum, ac gentilium cupiebat impleri.

Sapientior ſponſa ſitientem dignoſcens Dominum, 14.

*Sponſa conuerſione Iudæorum, & Gentilius in Chriſtum epotat.* Cant. 8. Appon. Rupert.

minum, inclamauit: *Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ, ibi dabo tibi poculum ex vino condito, & muſtum malorum granatorum meorum.* Cant 8. Vbi Apponius Synagogæ conuerſionem contemplatur. Rupertus autem Gentium credulitatem. Hic vinum conditum exponit Euchariſtiam, ille autem confeſſionem intelligit. Promittitque Eccleſia fore, quando Iudæi, & Gentiles criminum confeſſione, & debita ad Euchariſtiam diſpoſitione, potius *malorum* ſeu criminum, quàm *granatorum* muſto ſitim Saluatoris extinguant.

15. *Sitis nos crucifixores.* Pſal. 61. Auguſt.

Mirum equidem Ieſum ſitire ſuos crucifixores, vulneratores, deriſores epotare. Sed tamen ſitis Ieſu Domini inſtar ſitis defatigati ex curſu, qui vel aqua turbida gaudet refrigerari. Appoſitè Dauid: *Cucurri in ſiti.* Pſalm. 61. Sitis Ieſu currentis? Aqua ei turbida refrigerium. D. Auguſt. *Cogitauerunt repellere honorem meum, cucurri in ſiti, retribuebant mala pro bonis, illi interficiebant, id. repellebant; ego eos ſitiebam.*

16. *Fatigatus ex itinere cupit vel amaro potu exſatiari.*

Abſtractus aliquando à Diſcipulis ſuis *Ieſus fatigatus ex itinere ſedebat ſic ſupra fontem.* Accedit peccatrix, à qua Dominus aquam efflagitat: *Mulier da mihi bibere* Ioan. 4. Non poſtulo aqua putei ſolùm exſatiari, ſed tuis potari criminibus, tuam ſitio ô fœmina, credulitatem.

Auguſt.

Auguſt. *Sitio, mulier, da mihi bibere. Samaritana, illa ad puteum ſitientem Dominum ſenſit, & à ſitiente ſatiata eſt. Senſit prior illa ſitientem, vt biberet ille credentem.* Annon aqua turbida eſt. Ita planè. Sed Ieſu itinere defatigato omne dulce poculum.

17. *Bibit de turbido peccatorum torrente.* Pſal. 109.

Propterea Dauid ſitim exprimens Ieſu ait: *De torrente in via bibet:* Pſal. 109. Ad quem locum D. Hieronym. *Torrens numquam habet mundam aquam; ſed ſemper turbidam.* En hominum peccata, quæ quidem pleno calice Deus Saluatori propinat apud hortum; omnemque criminum torrentem turbidum apponit, vt calice illo hauriat, & bibat. At Ieſus licet poculi amaritudinem dignouerit, tranſireque à ſe efflagitarit: totum tamen torrentem epotauit, quia nulla aqua turbida defatigato viatori: *In via bibet.* Opportunè Hieronym. adiicit: *Tuli calicem, & impleui de torrente mundi. Et quoniam turbida aqua, dixit, Si poſſibile eſt, tranſeat calix à me. Sed propterea bibit de torrente, quia in via erat.*

Hieron.

18. *Vituli pulueres epotauit.*

Vituli caput in pulueres redactum datur Iſraelitis in potum, Auguſtino auctore. Caput illud omnium maſſa peccatorum. Aqua admiſcentur hi pulueres, Chriſtoque Ieſu cedunt in potum. Quid hoc poculo amarius, & abominabilius? Sed quid Dominica ſiti ardentius, dum currit, dum fatigatur? Pulchrè Aug. *Caput vituli corpus eſt impiorum in ſimilitudinem vituli manducantis fœnum Moyſes in aqua ſparſit. Ideò in aqua ſparſum eſt, vt Chriſto in potum daretur; hoc vſque in finem ſitis iſto, currit, & ſitit.*

Auguſt.

19. *Dauid Iſſu Domino aquam periculorum libauit.* 2. Reg. 23.

Quis niſi è curſu fatigatus Dominus tam turbidam epotaret aquam? Olim Dauid ex bello fatigatus aquam expetiit è ciſterna Bethlehem, quam cum fortes illi detuliſſent, profudit: *Libauit eam Domino,* inclamitans: *Num ſanguinem hominum iſtorum, & animarum periculum bibam?* 2. Regum 23. Sanguine, ſiue ſanguinibus, animarumque periculis, id eſt peccatis non homo è bello fatigatus potatur. Domino plus defatigato huiuſmodi poculum iucundum. Appoſitè igitur Dauid Domino hunc calicem propinauit: *Libauit eam Domino ſitienti.*

Enimverò numquam Dominus ſine ſiti, quia numquam eius curſio terminatur: *Currit, & ſitit,* (inquit Auguſt.) *& numquam erit ſine ſiti.* Et adiicit: *Quid tibi deeſt ô corpus Chriſti? Impletur de te quod prædictum eſt: Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſeruient ei. Quid ergo ſitis? Tantus populus non ſatiaris?* Minimè equidem. Quia ſemper currens, numquam non ſiti huiuſcemodi pergrauatur. 20. *Numquam Dominus ſine ſiti.* Auguſt.

Tam ardens equidem ſitis Ieſu, vt crudelitatis arguatur quicumque eum ſitientem non potauerit. Deturbaturus in tartara reprobos Ieſus inclamabit: *Diſcedite maledicti in ignem æternum. Sitiui enim & non dediſtis mihi bibere.* Matth. 25. Ac ſi diceret, Ideò damnamini, quia me ſitientem veſtris criminibus non epotaſtis. Egregiè Origenes hom. 36 adhortans peccatores ad pœnitentiam ait: *Potemus Ieſum* noſtris videlicet peccatis: *Vt dicat de nobis benè potantibus:* id eſt, vſque ad ſatietatem (neque enim vlla gutta exitialis Babylonici calicis relinquenda) *Sitiui & dediſtis mihi potum.* 21. *Quam iuſtè damnatur, qui huiuſmodi calice Ieſum non potat.* Matth. 25. Origen.

Semper etenim ſitio mundi iuſtitiam. Dixit aliquando Dominus: *Beati, qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam.* Matth. 5. Cum miſericordia beatitudo, cum pace, cum puritate, cum tolerantia, &c. aptè quidem, ſed quid beatitudini cum ſiti? Profectò Ieſus beatitudinem eum iuſtitiæ ſiti copulauit, vt innuat, ſe etiam apud ſuperos commorantem numquam à noſtræ iuſtitiæ ſiti liberari. Quia *numquam erit ſine ſiti,* qui numquam non Gigas viam percurreret, numquam non Sol exoriens mundum illuminabit. 22. *Etiā in Beatitudine conſtituens ſitit noſtram iuſtitiam.* Matth. 5.

Apud deſertum quidem *cum* Dominus *ieiunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus poſtea eſuriit.* Matth. 4. Quid eſurit Saluator? Exiſtimo Ieſu & famem & ſitim hominum ſolummodo explendam ſaluatione. Exponit Ambroſ. ſerm. 46. de Quadr. *Continuatis quadraginta diebus, hæc ieiunia non eſuriens Dominus procurauit. Sed dicit Euangeliſta poſtea eum eſuriiſſe. Quomodo ergo poteſt fieri, vt qui tot dierum numero famem ſitimque non ſenſerit, poſtea eſurierit? Eſurit enim, & ſitit non cibum ac potum hominum, ſed ſalutem; nec eſtarum ſæcularium epulas concupiuit, ſed animarum deſiderauit cæleſtium ſanctitatem.* 23. *Et ſitit & famem Dominicam ſola noſtra ſalute explenda.* Matth. 4. Ambroſ.

# OBSERVATIO II.

## Ad illa verba:

## *Sitio.*

## Ieſus ſua ſitit tormenta.

*Vbi quàm impium, additis flagitiis tormenta adiicere patienti.*

CÆTERVM ex ſententia Auguſtini Dominus acriora ſupplicia propter homines ſe ſentire manifeſtat. Sitio vos nimium erga me acres experiri: *Sitio ait, tanquam diceret, hoc minus feciſtis, date quod eſtis Iudæi* 24. Auguſt.

*Iudæi quippe ipſi erant acetum.* Totam ô Iudæi in me effundite amaritudinem; ſitiens enim deſiderio patiendi poſt tantum tormentorum pelagus exhauſtum, nec ſtillam me bibiſſe reor.

*Ieſus ab vbere ſitiens labores.* Cyprian.

25. A parentis vberibus letus infans conuitiis, laboribus potatur, ſitis enim patiendi vivendi imitatur initium. D. Cyprian. ſer. de Nat. *Puer* (ait) *ſugens vbera, & ſuſtinens conuitia.* Ac ſi infans, qui auidè aſſolet in lacteum poculum ferri, non tam poculo lactis, quàm conuitiorum calice cuperet expleri.

*Labores Domino quaſi lac dulciſſimum.* Cant. 1. Anton.

26. Aduerſari videtur illud Epithalamij carmen: *Bibi vinum meum cum lacte meo.* Cant. 1. Ergo ab vberibus voluptatum vino, non laborum potatur aceto. Reſpondet meus Antonius Paduenſ. Dom. 3. in Quadr. *Quare non dixiſti, Domine Ieſu, Bibi acetum meum cum lacte meo? Quia virginalibus vberibus lactatur.* Ac ſi diceret, vti lacti dulciſſimo Matris debitum exhiberet honorem, noluit acetum memorare, ſed vinum; quaſi hauſta Matiæ dulcedine nil poſſet amarum experiri. Acutè planè. Sed crediderim ideò ſe vinum bibiſſe proclamare, qui ab vberibus acetum epotauiſſet, quia tam ardenti patiendi ſiti nullum non poculum acetoſum, acrior liquor dulcedine diffluit.

*Non exſatiatur hac ſitis Saluatoris.* Gen. 9. Rupert.

27. Si à cunabulis laborum aceto potaris, quid Cruci illigatus poſt conuitia, poſt flagella, poſt colaphos, poſt ſpinas vltrà te ſitire, proclamas? Sitis hæc profectò inebriati Saluatoris. An ebrij ſitis valet exſatiari? An amore ebrius Saluator? Audi. *Noe olim plantauit vineam, bibenſque vinum inebriatus eſt, & nudatus eſt in tabernaculo ſuo.* Gen. 9. Vbi Rupert. Non latere poteſt quod vinea illa bene plantata, id eſt Synagoga in amaritudinem vitis alienæ conuerſa ipſum plantatorem amaro paſſionis poculo potauit, & inebriauit. *Vnde dicenti, Sitio, obtulit acetum cum felle mixtum. Bibit ergo Dominus.* Ac ſi diceret, quia poculo fuerat ebriatus, adhuc in morem ebrij ſitiens vlterius inhiauit ad calicem.

*Omnes epotans labores quaſi non bibit.* Hebr. 2. Seuerian. Cyril.

28. *Quod cum guſtaſſet noluit biberet.* Id eſt noluit (ſic liceat exponere) innuere ſe bibiſſe, cum illa amaritudo epotata magis ſitienti nimium Domino in deguſtationem cederet, quàm in potum. Ideò Apoſtolus: *Vt guſtaret mortem,* Hebr. 2. Ipſum enim morte affici crudeliſſima non tam fuit ſitienti Ieſu calicem immenſum haurire, quam potum leuiter deguſtare.

*Imò quaſi nõ guſtauit.* Gen. 37. Proſp.

29. Imò nec ſe vel guſtauiſſe videtur. Memorare Ioſeph, quem *fratres nudauerunt tunica talari, miſeruntque eum in ciſternam veterem, qua non habebat aquam.* Gen. 37. Vbi D. Proſp. *Hoc & noſter Ioſeph Ieſus de ſua paſſione per Prophetam dicit, Proiecerunt me in lacu inferiori.* Igitur paſſio Chriſti tot tormentis, tot opprobriis referta in immiſſione ad lacum, ſiue ciſternam figuratur. Iam quæris, cur ſine aqua ciſterna prædicitur? Seuerian. *Quia erat Domini monumentum vacuum.* Cyrillus: *Quia inferos ſignificabat, apud quos vita in aqua figurata non eſt.* Verum accommodatius inſtituto meo, ideo reor ſine aqua ciſternam depingi, quia cum vniuerſa Chriſti ſupplicia ſignificaret, ad immenſum amaritudinis pelagus immiſſus Dominus vt biberet, poſtquam totus calicis liquor amariſſimus exhauritur à Domino, clamat ſibi vas ſine aqua exhibitum fuiſſe. Patiendi tanta ſitis Saluatoris!

*Quaſi excitatur ſitis laborum ex laborum ſatietate.* Auguſt. Thr. 3. Euſeb.

30. D. Aug. æternam ſitim Ieſu meritò affirmat. *Numquam ſine ſiti.* Quia ex ſaturitate cibi potus exoritur deſiderium? ex potus autem ſatietate rurſum amplius bibendi naſcitur auiditas. *Saturabitur opprobriis.* Thr. 3. An non Ieſum huiuſmodi ſaturitas excitaret, vt potum experet? Adde vniuerſa Chriſti tormenta in aſſo, non in cocto agno deſignari. *Non comedetis* (ait Dominus) *ex eo quid coctum aqua, ſed aſſum tantũ igne.* Exo. 12. Id quod Euſeb. Emiſ. ad paſſionis immanitatem transfert. Si igitur omnia opprobria, quæ Domino offeruntur in cibum, aſſa igne, quomodo nõ acrius ſitim excitabunt? Ideò poſt cibos abſumptos clamat, *Sitio.*

*Ex potione amplius Ieſu ſitis excitatur.* Arnold.

31. At expletâ ſiti, bibendi amplius excitatur deſiderium. Audite Arnoldum Carnotenſem de ſept. verb. Dom. *Peruerſa mens carnalium ſancto ori amaritudinem applicat, & fonte miſericordia venena propinat.* Quid Ieſu venena propinari? Innuit certè, amplius ſitim Domini accẽſam ex amaritudine, eorum in morem, qui ardentiſſimo veneno potantur, in cuius extinctionem ſine termino recurrunt ad pocula.

*Omniũ ſupplicia & labores ſitiebat.* Hilar.

32. Profectò non ſolùm Dominus proprios à ſe ſubeundos cruciatus, ſed & omnium ſuorum ſupplicia ſitiebat. D. Hilario calix Ieſu apud hortum obiectus non ſolum plenus propriis tormentis, verùm & omnium ſanctorum laboribus exhibebatur: *Tranſeat* (ait Chriſtus) *à me calix iſte.* Id eſt, *ſicut à me bibitur, ita ab iis bibatur.* Communis ſit martyrij ac laborum potus. Attamen *bibatur ab iis ſine ſenſu doloris.* Ego enim nimium ſitiens cupio omnium fidelium dolores exhaurire.

*Noſtras pœnas ſitit & exhaurit.* Dan. 3. Tertull.

33. Tribus pueris Hebræis in fornacem immiſſis comburendis: *Angelus Domini deſcendit in fornacem, & excuſſit flammam ignis.* Dan. 3. Aliter, *exhauſit flammam ignis.* Quiſnam hic flammas hominum epotans, ne illi crucientur, niſi magni conſilij Angelus Ieſus? Nec enim vel flammas hauriret niſi qui patienti ſiti diſcruciatur. Pulchrè Tertull. 4. cont. Marc. cap. 21. *Verbum in fornacem deſcendens flammam ignis exhauſit pœnas hominum ſitiens.*

SECTIO

SECTIO NONA.

# MORS IESV.

## EX CAP. XXVII. MATTHÆI.

### TEXTVS.

*Verſ.* 50. Ieſus autem clamans voce magnâ, emiſit ſpiritum.

## COMMENTARIVS LITERALIS.

### §. I.

### *Clamor morientis Jeſu.*

1. *Bis clamauit Ieſus.* BIs Dominum in extremo ſpiritu voce magna clamaſſe Euangeliſtæ teſtantur; ſemel cum dixit, *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* iterum cum ait, *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Clamor huiuſcemodi cordis quidem è magno feruore & deſiderio habens exortum.

2. *Cur clamorē emiſerit?* *Clamans voce magnâ.* Cur Chriſtus moriens inclamarit? Theophylact. *Clamat magna voce Dominus, vt ſciamus, verum eſſe, quod dixit, Ego poteſtatem habeo, vt ponam animam meam.* Ambroſ. voce ait magna clamaſſe, vt profiteretur, ſe vſque ad mortem pro peccatis noſtris deſcendiſſe. Athanaſ. Vt ſuam potentiam declararet.

3. *Auctoris ſententia.* Chryſoſt. Exiſtimo eò tendiſſe magnam Ieſu vocem, vt peccatorum induratorum conuerſioni operam daret. Vnde D. Chryſoſt. hom. 89. adnotat in hunc ſcopum vocis iaculum ducentem Ieſum, terminatis tenebris, inclamaſſe. *Propterea* (ait) *in fine clamat tenebrarum, vt intelligerent adhuc ipſum viuere, & ab eo tenebras factas fuiſſe, vt meliores hac ratione fierent.* Fierent quidem meliores ex obiectu Dominicæ potentiæ. Ideò voce magna clamat, vt intelligerent, non virtutis, & naturalis roboris defectu mori; ſed ſponte animam offerre.

4. *Miraculoſa vox.* Abul. D. Thom. Per miraculum etenim affirmo vocem magnam Dominum emiſiſſe. Abul. Parad. 3. c. 51. exiſtimat per miraculum vires Ieſu conſeruatas vſque ad nouiſſimum halitum. *Tunc mortuus eſt Chriſtus, cum voluit.* D. Thom. 3. p. q. 47. artic. 1. *Chriſti voluntate natura corporalis conſeruata eſt in ſuo vigore vſque ad extremum.* Attamen meæ propoſitioni inſiſto, veroſimilius exiſtimans naturæ humanæ Ieſu non fuiſſe inter tot cruciatus, & dolores conſeruatas per miraculum vires; ſed debilitatas adeò cruciatibus, vt non poſſet clamorem ante mortem ſine miraculo emittere, quem equidem emiſit excitato miraculo.

5. *Mors Ieſu violenta, & voluntaria.* Obiicies. Fuit igitur mors Chriſti violenta, non voluntaria, Dominicâ repugnante ſententia: *Nemo tollit animam meam a me; ſed ego pono eam.* Reſpondeo violentam fuiſſe, hoc eſt, vi vulnerum, & paſſionis illatam. Fuit ſimul voluntaria, quia cum facillimo negotio mortem, omniáque vulnera impedire valeret, id minimè præſtitit.

### §. II.

### *Capitis inclinatio, & ſpiritus receſſus.*

CLamans voce magna, emiſit ſpiritum.] Poſtquam inclamans dixit: *Pater, in manus tuas, &c.* caput inclinauit, & ſpiritum emiſit, vt Ioannes aduertit. *Inclinato capite, tradidit ſpiritum.* 6. *Clamor Ieſu.*

Quare caput inclinat? Plura Patres, & verè & pulchrè. Theophyl. *Manifeſtatur, quod ipſe fuerit Dominus mortis.* Orig. tract. 35. in Matth. *Quaſi ſuprà Patris gremium caput repauſans exiit* D. Athanaſ. *Mors metuens, appropinquare non audebat; ideò Chriſtus, inclinato capite, vocauit eam* Hugo Card. *Inclinat caput ad crucifixores, ad peccatores, vt oſtendat eis paratam indulgentiam.* Vel *vt oſtendat, quod porrectas aures habet, & inclinatas ad audiendum preces humilium.* Vel *quaſi ſupponens humerum, ad portandum nos, & onera noſtra.* 7. *Quare caput inclinat.* Theoph.

Ego autem huiuſmodi inclinatione capitis Ieſum arbitror adorationem indicaſſe, prætendiſſeque gratiarum actionem pro cruciatibus toleratis; ſed præcipuè humilem oſtendiſſe obedientiam vſque ad obitum; iuxtà illud: *Factus obediens vſque ad mortem.* Hugo Card. *Inclinato capite tradidit ſpiritum. Quaſi diceret, Inclino caput, quia per obedientiam morior.* 8. *Auctoris ſententia.*

Moyſes olim occubuit, *iubente Domino* Deut. 34. Iubēte Domino moriens Moyſes valdè illuſtris, licet placido obitu diſceſſit? Quid ergo illuſtrius Ieſu, qui ad Patris præceptum non placido, ſed crudeli diſceſſum curſu terminauit? D. Bernar. ſerm. de Paſ. ad hæc: *Inclinato capite Chriſtus factus obediens vſque ad mortem, tradidit ſpiritum. Mortuus eſt Moyſes, iubēte Domino: ſic Chriſtus mortuus eſt, iubēte Patre. Sed Moyſes placidâ morte obiit: at Chriſtus acerbiſſimâ ſubiit.* 9. *Sic Moyſis obitus.* Bernard.

Non

10. *Pulchra exclamatio ad obeuntem Ieſum.* Caſſia.

Non poſſum me continere, quin ingenioſam è pio Simonis de Caſſia lib. 13. affectu exhibeam ſententiam. Obiciebat Pater Ieſum expirantem, & inclamabat: *O animata infirmitas, quæ moriendo reanimauit mortuos! O beata imbecillitas, quæ præter vſum beatificauit & miſerias! O carentia humanæ potentiæ, quæ omnis ſupernaturalis potentiæ, atque virtutis copiam fecit! O debilitas derelicta, quæ per diſpendium mortis omnibus æternæ vitæ directiuum dereliquit! O effectio egens, quæ cunctis abſtulit egeſtatē! O iactura grauis, quæ ſic ſubuenit omnibus iacturis! O lineſcens lux ex pallore, ſedentibus in tenebris interlucens! O mors! mors mortem vincens, facta omnibus vita viuens! O palmaris pallor, per quem palmes pallens æterno vigore viget! O qualitas inuſa, quantitas infinita, per quam qualificatur inæqualis, & paruus ſumma quantitate refulget! O oratio ſic raucens, quæ peccatoribus raucis tribuit iura loquendi! O ſapientia ſtulta, quæ per ſtultitiam credentes voluit ſaluos fieri! O Titan æterne, patiens eclipſim ad horam, vt dies æternus nobis illuceſcat! O vox alta moriens, quæ omnem reuocauit erraneum, inſtruxit ignarum!* Hactenus ille.

# IN IESVM PATIENTEM APVD CRVCEM.

# Panegyricus nonus Moralis circa Literam.

## EX MORTE IESV.

## *OBSERVATIO I.*

**Ad illa verba:**

*Clamans voce magna.*

Chriſtus exaltatâ voce expirat, nos exili.

*Iuſtus enim eleuat vocem moriturus, peccator obmuteſcit.*

11. Hieron.

DIVVS Hieronymus: *Nos cum ima voce, vel ſine voce morimur, qui de terra ſumus; Chriſtus cum exaltata voce expirauit, qui de cælo deſcendit.* Solus cæleſtibus moribus imbutus quaſi tuba vocem exaltat iam iam migraturus.

12. *Nocens Abſalom non clamat moribundus.* 2. Reg. 18. Chryſoſt.

Crucifixum contemplere, obſecro, Abſalonem: *Illo ſuſpenſo inter cælum, & terram, mulus, cui inſederat, pertranſiuit.* 2 Reg. 18. Vbi D. Chryſoſt. *Pro ligno arbor extitit, pro milite autem adduxit eum mulus:* Profectò: *Vidit hoc quiſpiam, & nunciauit Ioab.* Nullus dicitur vocem Abſalonis audiſſe. Quare ô Princeps, non clamoribus vteris ingentibus, vt decet caſu tamis implicitum? Profectò appoſitè reſpondet Pater *a conſcientia* flagellari tunc temporis Abſalonem. Qui ſemper dilexit flagitiis maculari, in nouiſſima neceſſitate conſtitutus quonam modo vocem ad cælum, ad terram exaltaret?

13. *Nec proditor.* Acto. 1. Beda.

Proditor ille flagitioſus *laqueo ſe ſuſpendit.* Act. 1. Beda accommodatè: *Vt guttur* (inquit) *per quod vox proditionis exierat, laquei nodus necaret.* Mortis articulo iuſtè quidem tetra fuit Iudas voce priuatus; vti impius mutus obiret.

14. *Moribunda innocens Suſanna vocem exaltat.* Dan. 13. Lyra.

Quàm ſecus Suſanna: *Condemnauerunt eam ad mortem, exclamauit autē voce magna.* Dan. 13. Quonam tendit vocis exaltatio huiuſcemodi? Reſpondet Lyra: *Exclamauit ex conſcientia pura.* Et quando iuſtus in diſcrimine conſtitutus nouiſſimo non vocem exaltat?

15. *Iuſti & pœnitentes conſidentes clamitant morituri.* Iob 1.

Cur exiſtimas Iobum ſua ſcidiſſe veſtimenta? Origen. ait ad ſtruēdam ſibi ſepulturam veſtimenta Regalia ſciſſa proieciſſe. Mox longos attexit ſermones; quibus vel in Domini conſpectu ſuam iuſtitiam commendat. Moribundus coram Domino loqueris? Imò quia iam iam conficior, vberes parturio ſermones. Nam ſicut qui de terra eſt, ſine voce moritur, qui de cælo, exaltata voce debet expirare. Conteſtatus Dauid ait: *In diebus meis inuocabo, circundederunt me dolores mortis.* Pſal. 114 Aliter: *Dolores parturientis.* Ingemui, inclamaui, auxi vocem meam vehementer. Gloſſa declamante (Pſal. 114.) (Gloſſa.) tunc, cum diem obiit iuſtus, locum interpretatur. Vndenam vocem exaltas, ô Dauid? Paulo ante præmiſerat: *Dilexi, quoniam. &c.* Qui pœnituit poſt tranſgreſſionem, qui dilexit, in vltimo articulo conſtitutus, aptè vocem contendit, vt efflagitet ſubueniri, vt concinat victoriam.

16. *Innocens Abel etiam ſtrangulatus clamat.* Gen. 4.

Non equidem inde vocem non emiſit moribundus Iudas, quia ſtrangulatus interiit, ſed quia ex innocentiæ defectu vocem amiſit. Nam ſi præceſſiſſet innocentia, nec crudelis funis vocis exaltationem impediret. Teſtor Abelem innocentia fulgidum, cuius ſanguis tam excelſum clamorem immittebat: *Vox* (inquit Deus) *ſanguinis fratris tui Abel clamat ad me terra.* Gen. 4 In cuius expoſitionem requiro, quonam mortis genere Abel de medio

fuerit ſublatus? Singularem profert ex quibuſdam Abulenſis ſententiam ab interpretibus communiter reiectam, in hæc verba: *Aliqui* (ait) *volunt quod Cain ſtrangulauerit Abel ſtringendo guttura, ligando aliquo reſte, vel inſtrumento.* Quæ opinio, ſi ſequenda eſſet neſcio quonam modo verba illa poſſint accommodari: *Vox ſanguinis clamat ad me!* Niſi liceat (dare mihi hanc veniam) affirmare voces illas emiſſas ab ipſo Abelis ſpiritu è corpore exeunte. Proh morientis clamor inauditus! Stricta ſtrangulati guttura tam eleuatum emittunt clamorem? Quando non innocens voce expirat exaltata? Quando non vel in venis reſidens iuſtus

Paſchaſ. ſanguis proclamat? Ad hæc ſcitè D. Paſchaſi lib. 12. *Propterea feſtinemus, & nos vitam noſtram ſernare; vt & nos exitu noſtro poſſimus admodum voce magna clamare.*

## OBSERVATIO II.

Ad illa verbà:

### *Clamans voce magna emiſit ſpiritum.*

### Auxit Ieſus vocem migraturus.

*Edocens nos moribundos eleuatiori adfectu Deum exorare debere.*

17. Caſſia. SIMON de Caſſia lib. 13. *Clamans voce magna, Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum. Vox eſt morientis hominis, & tranſmigrantis de mundo.* Nunquam eleuatiori voce ad orandum eges, quàm in nouiſſima occaſione conſtitutus. Eleuata vox, magnus clamor vox morientis eſt hominis. Qui valens cœleſti obſequio ſtuduiſti, adhuc feruentiori affectu tuæ ſaluti da operâ migraturus.

18. *Magis diligat, qui mox eſt migraturus.* Dauid: *Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ, &c.* Ac ſi diceret, Ardentiori charitate & amicos, & hoſtes diligo in finem, celſiori ſiue adfectu pro me exorare procuro. Quare? *Circundederunt me dolores mortis.* Pſ. 114.

Pſal. 114. Strab. Vbi aptè Strabus: *Ideo dilexi, ideò inuocabo, hæ ſunt cauſæ diligendi, hæc clamare faciunt quoniam circundederunt me dolores mortis.*

19. *Tepore mortis hoſtis validior.* Quod ſi cauſam requiras. Cum validiori tunc hoſte valde decertandum. Apud deſertum diabolus à Domino deuictus *receſſit ab illo vſque ad tempus.* Luc. 4. Vbi Athanaſ. orat de Paſ. *Tunc diabolus cum pudore reiectus, obſeruandum ſibi perſuadebat tempus mortis, certus omninò poſſe ſe per mortem, quæ omnes in ſeruitutem redegerat, etiam hunc tentationibus ſubigere. Scriptum eſt enim apud Lucam, quod cum conſummaſſet diabolus omnem tentationem abſceſſit ab eo in tempus idoneum.* Si tempus diabolo idoneum mortis occaſio, quia tunc hoſtis validior, validioribus procuIdubio viribus indigemus. Perpulchrè Græcus Dionyſ. in Sotera:

Luc. 4. Athanaſ.

*Homini morienti vnuſquiſque licet admodum*
*Inimicus antea fuerit, conciliatur.*

*Moriturus vnum morti tantum debet affectum.* Debes equidem moriturus affectum deuotionis feruentiorem, quia tunc & mors, & diabolus valentior inſurgit. Plura alibi.

## OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

### *Jnclinato capite tradidit ſpiritum.*

### Inclinato Ieſus capite ex parte Matris accumbit.

*Edocens morituros ad potentem interceſſorem confugere.*

AD illa verba: *Inclinato capite, tradidit ſpiritũ,* ſic Hugo Card. *Inclinato capite ex parte Matris ſuæ. Quaſi diceret, Per ipſam veniam petite.* En ego moriturus Matrem deſigno; vt doceam fideles, quonammodo in nouiſſima neceſſitate conſtituti confugiant ad interceſſorem, aduerſus quem portæ inferi nequeant præualere. 20.

Dominus exitio horribili Sodomam delecturus, Angelos immittit, qui Loth ſanctiſſimũ *eduxerunt, & poſuerunt extra ciuitatem.* Poſt hæc: *Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam, & Gomorrham ſulphur, & ignem.* Gen. 19. Illud: *Igitur,* pondera. Ac ſi conſequens eſſet, ciuitates miſeras deleri iuſto foras extracto. D. Ephr. de mal. conu. vit. *Poſt iuſti ab his abſceſſum, Omnipotens manus ſuas poſuit ſuper eos, pluit ignem, & ſulphur, & perdidit omnes.* 21. *Sodomita ſine interceſſore periere.* Gen. 19. Ephr.

An non potuiſſet Dominus ex Ægypto aduocare Hebræos ſine Moyſi miniſterio? Potuiſſet equidem. Cur igitur Moyſem immiſit, qui *in manu potenti, & brachio excelſo* populum à ſeruitute abſtraheret? Vt oſtendat, egreſſuros ex Ægypto mundiali, ſiue morituros ſancto interceſſore maximè indigere ad felicem profectionis proceſſum. Ioan. Clim. 1. grad. ſcalæ opportunè: *Quicumque ex Ægypto egredi cupimus, prorſus Moyſe aliquo ad Deum, ac poſt Deum mediatore nobis opus eſt.* 22. *Egreſſuri ex Ægypto fideles Moyſe indigent interceſſore.* Exod. 3. Clim.

Quis non in admirationem rapiatur, ſibi obiiciens Abſalonem miſerè deperire? Quare ô milites Dauid parentis, Regis imperio non obſequimini? Cur miſerandũ adoleſcentem temporali & æterno affici excidio permittitis? An non Regiis iuſſionibus tenebamini Abſalonis procurare ſalutem? D. Chryſoſt. egregiè: *Qui Patrem ei reconciliauit, is ipſum interfecit.* Ac ſi diceret, Non mirum Abſalonem, etiam Rege eius ſaluti ſtudente, periiſſe, ſi Ioab iam ab interceſſione ſuperſedit. 23. *Abſalom ſine interceſſore perit.* 2. Reg. 18.

Dominus Petro: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt.* D. Ambr. *Si Apoſtolo, & Martyri Petro Infernalis porta non præualet; quiſquis ſociatur Martyri, tartaro non tenetur. Martyres enim inferni portæ non poſſident, quoniam eos* 24. *Potentiſſima tunc tartari porta ad homines adferendos.* Matth. 16. Ambroſ.

*Paradiſi*

*Paradiſi Regna ſuſcipiuni.* Cerberus igitur quantumuis rabidâ fame prematur, haud poterit fidelem animam deglutire, ſi Diuo interceſſore agglutinatur; quia ſcilicet Sancti cibus minimè mortis.

# OBSERVATIO IV.

Ad illa verba:

## *Emiſit ſpiritum.*

## Inclinat caput, vt peccatores alliciat.

*Benigniſſimus quidem precipuè è Cruce Saluator.*

25. INCLINAT *caput* (ait Hugo Card. *ad crucifixores, ad peccatores, vt oſtendat eis paratam veniam.* Nec enim ſuffixo Domino ſubeſt, qua poſſit prodire ſeueritas, totus etenim Dominus crucifixus eſt.

26. *E leone ſuffixo mel. Iud. 14. Ambr.* Samſom olim *dilacerauit leonem, quaſi hædum in fruſta diſcerperet.* Iud 14. D. Ambroſ in leone occiſo à Nazaræo Chriſtum Dominum à Iudæis occiſum recognoſcit. *Hunc leonem* (ait) *Samſom quaſi Iudæus occidit, & in eo mel in figura redimendæ hæreditatis inuenit.* Quid non melle diffluens in emortuo leone?

27. *Haud apud ſuffixum Ieſum, qua poſſit prodire ſeueritas vltionis. Origen.* Eſtne apud ſuffixum Ieſum aliquod ſeueritati oſtium? Orig. *Omnia paſſus eſt Chriſtus, vt nos erueret.* Ac ſi diceret, Omnia corporis membra diſtorqueri paſſus eſt, vt nihil non crucifixum peccatoribus oſtenderetur, nec haberet zelus vindictæ vndenâ poſſet exoriri. E capite ſeueritas prodire poteſt? Inclinatur, ſpinis vulneratur, caligant oculi, lingua felle abluitur, genæ alapis purpurantur. E collo? Colaphis percutitur. E dorſo, è pectore? Flagellis afficitur, aratur, lancea transfigitur. E manibus, è pedibus? Clauis illigantur. E cæteris membris? *Et purpura, & nuditate* lacerantur omnia, vt loquar cum Euthym. Ergo nullum vindictæ pa- *Euthym.*

ter oſtium. Eleganter ad hæc Guarricus ſerm. de Mat. Io. *Toto corpore crucifixus eſt. Vnde quæſo virtus ei eſſe poteſt ad reſiſtendum illi charitati, quæ veluti vinctum, & captum per omnia genera infirmitatum vſque ad mortem, mortem autem Crucis perduxit.* *Guar.*

Erat quando Deus vtraque manu inferens plagas, ne omninò deleret peccatores, quærebat qui interceſſione inſtitutum impetum illigaret. Inuenit Moyſem, inuenit Prophetas. At ne indigeret retardatore, ſe ſe Diuinitas quodammodo ſuffixit in Chriſto. Bellè Guar. citat. *Cum iratus eſt, manuſque ad feriendum extendit, quærit, vt ipſe conſitetur, virum ſimilem Moyſi, qui reſiſtat ſibi, & ſi non inuenerit, conqueritur. Non eſt qui conſurgat, & teneat me. Abſit tam vt fortis aduerſum vos ſit, qui pro vobis infirmari vſque ad mortem voluit. Iam non fortis vt mors, ſed fortior quam mors dilectio; cum virtute dilectionis infirmata ſit Dei fortitudo, cuius tamen infirmitas fortior inuenta eſt omni fortiſſimo, cuius mors probata eſt eſſe mors tua ô mors.* Quid excogitatius? 28. *Potentia Dei quodammodo ſuffixa in Ieſu, ne vulneret. Guar.*

Quem igitur vel ſuffixores timeamus Num Patrem æternum, qui ob mortis filij chariſſimi vindictam in nos animaduertet? Proh Ieſu charitas inclamantis! *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* Matth. 27. Perpulchrè D. Bern. *Dicerene audebimus quod aliquando fuerit etiam ſine Patre? Nemo id præſumeret, ſi non prior ipſe dixiſſet, Deus meus, vt quid dereliquiſti me? Habemus itaque Chriſtum ex Patre naſcentem, cum Patre ſedentem, pro Patre ſtantem, ſub Patre pendentem, ſine Patre quodammodo morientem.* Nam qui firmiter hæſerat Patri, vti innuunt illa verba: *Pater ignoſce illis*: appropinquante receſſu, parumper ſe ſe quodammodo dimouit à Patre fatus, *Vt quid dereliquiſti me?* Et quare ſe ſe quaſi abſtrahit à Patre? Vt ſcilicet à metu depoſcentis Patris apud proprium tribunal Filij mortem, peccatores omninò liberaret. 29. *Quodammodo Pater nõ adeſt, qui ob filij necem excitet litẽ. Matth. 27.*

Litigatrix, inquis, ſupereſt Mater occiſi, Iam illa gladio doloris transfuſa quodammodo occubuit, orbatuſque Matre Ieſus obiit, non adeſt, qui iudicio confligtari poſſit. Eò tendit ſententia Ioſephi apud Pilatum ſantis ex Epiphanij in die Paſc. ore, *Pro mortuo filio tuo interpello, qui ab his vulneratus eſt, quos ille paternè ſanauerat, & ipſa etiam Matre quodammodo orbatus eſt.* Quid inſtituto accommodatius? 30. *Et Matre quodammodo orbatur eſt, ne ipſa expoſtulet ante iudicẽ. Epiphan.*

# LIBER DVODECIMVS.

# CHRISTI FVNERA.

## Paraphraſes, Commentariique Litterales ad Caput vigeſimum ſeptimum Matthæi,& decimum nonum Ioannis.

### *PANEGYRICI MORALES CIRCA Litteram in IESVM funeribus addictum.*

### PROLVSIO.

*Dominici Vitalis ligni* FRVCTVS XII.

CONSVMMATO *opere Redemptionis patiens Jeſus inclamauit*, Conſummatum eſt. *Tanto operatori diebus laboris tranſactis, requies Sabbati conſecratur.* Requieuit die ſeptimo. Geneſ 2. *Ad quæ Junil.* Per requiem (*ait*) diei ſeptimi præſignabatur magnus dies ille Sabbati, in quo Dominus in ſepulchro erat requieturus, completis in die ſexto omnibus operibus ſuis, quibus mundum, quem ſexto die perfecerat, iam perditum reſtaurabat. Vnde in ſexta die dixit: Conſummatum eſt. *Sic ille.*

---

MATTH. IOANNES.

Math.27. *Verſ.* 51. Et ecce Velum Templi ſciſſum eſt in duas partes à ſummo vſque deorſum, & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt.

Ioan.19. *Verſ.* 33. Ad Ieſum autem cùm veniſſent milites *crurifragio operam nauantes*, & viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura.

*Verſ.* 34. Sed vnus militum lanceâ latus eius aperuit; & continuò exiuit ſanguis, & aqua.

Math.27. *Verſ.* 59. Et accepto corpore Ioſeph, inuoluit illud in ſindo-

PARAPHRASIS.

*51. Protinus omnia teſtata ſunt mortis Dominica efficaciam. Velo ſacro ſciſſo, Gentiles Iudæo ſecernitur; terra conſciſſa eſt, petræ ſciſſæ ſunt Iudæis exprobrantes cordis inuincibilem duritiem; monumenta aperta ſunt deuictam mortem innuentia.* Ex cap.27. Math.

*33. Adeuntibus prætereà Iudæis Pilatum, vt fractis cruribus, cadauera de medio tollerentur, ne imminens feſtum funeſtarent: frangentibuſque militibus crura Latronum, quos viuentes repererant, cum ventum eſſet ad Ieſum, quoniam viderunt illum iam exanimem, ſuperuacuum putantes, illius parcere cruribus decreuere.* Ex cap.19. Ioan.

*34. Sed adſtabat inter milites quidam, qui quo certior eſſet mortis Ieſu, lancea perfodit latus eius. Ac protinus ex vulnere ſanguis & aqua profluit, vber adhuc ablutio delictorum.*

*59. Cum autem immineret nox, diues Decurio Arimathienſis, nomine Ioſeph petitum, ac donatum corpus Ieſu conditum aromatibus ſindoni* Ex cap.27. Math.26.

ne

ne munda.

*Verſ.* 60. Et poſuit illud in monumento ſuo nouo, quod exciderat in petra; & aduoluit ſaxum magnum ad oſtium monumenti.

Ioan. 19. *Verſ.* 25. Stabat autem iuxta Crucem Ieſu Mater eius.

*munda dedit.*

60. *Ac in monumento nouo repoſuit, quod ſolido exciderat in ſaxo: aduolutoque ſaxo ingenti tanti cuſtodem theſauri, ad oſtium monumenti, abiit. Actum hoc conſilio cœleſti, ne aut quis furtim tolleret, aut ne Iudæi ſæuis immaniores ſæuirent in cadauer.*

25. *Quid ad hæc Deipara? Porrò amor illam egit in Crucem. At ipſo amore ſuperſtes conſtans oſtenditur, vt in medio ingrati populi dignè Ieſu obitum lamentaretur.* Ex cap. 19. Ioan.

# SECTIO PRIMA.

## Creaturarum motio.

### EX CAP. XXVII. MATTHÆI.

### *TEXTVS.*

*Verſ.* 51. Et ecce velum Templi ſciſſum eſt in duas partes, à ſummo vſque deorſum, & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt.

### *COMMENTARIVS LITERALIS.*

#### §. I.

#### *Veli diſruptio.*

1. CONTESTATÆ ſunt creaturæ Conditoris abſceſſum. Ab hora, qua maximè aſſolet feruere Sol, tenebræ ſubitò obortæ per totam Ieroſolymitanam regionem. Sol enim deteſtans tantam hominum impietatem, abduxit faciem ſuam à Ieſu morituro, qui lux erat totius vniuerſi. Terra concuſſa eſt, ſaxa diſſilierunt: nulla naturæ parte non inhorreſcente ad tam immane facinus. Quin & velum templi nullo mouente in duas eſt partes diſſectum.

2. *Quodnam templi velum diſruptum?* Hieron. D. Leo. Carth. *Ecce velum templi ſciſſum eſt in duas partes à ſummo vſque deorſum.*] Suppono duplex templi velum extitiſſe, vnum in oſtio Tabernaculi, alterum in oſtio exterioris domus conſtitutum; & requiro, Quodnam ex illis ſit in morte Dominica ſciſſum? D. Hieronym. ad Hebr. q. 8. *Quod in Tabernaculo, & in templo foris poſitum fuerat, & appellabatur externum.* At D. Leo ſerm. 10. de Paſſion. *Velum, cuius obiectu includebantur Sancta ſanctorum à ſummo vſque ad ima diſruptum eſt.*

Sequor Dionyſ. Carthuſ. vtrumque conſciſſum velum affirmantem. *Ecce velum templi*, id eſt, quod velabat. Veli nomine vtrumque complexus, vel memorans nobilius, id eſt, interius, quod per excellentiam velum templi adnominabatur, nec tamen negat alterum eſſe diſruptum.

*Ant. de Eſcob. & Mendoz.* de Sanctis Tom. I.

Quod ſi myſterium enodare velim huius diſruptionis, repudiatio Iudæorum innuitur. 3. *Sciſſi velaminis myſteria.* D. Leo. *Reputatos* (D. Leo) *vos, ô Iudæi, debuiſtis agnoſcere, & omne ius Sacerdotij perdidiſſe.* Deinde à Synagoga Eccleſiæ tranſmigratio ſignatur. *Adeo* (inquit D. Leo ſerm. 17.) *tunc à lege ad Euangelium, à Synagoga ad Eccleſiam, à multis ſacrificiis ad vnam hoſtiam, quæ Deus eſt, eiuſdem eſt facta tranſlatio.* Præterea ſignatur aperta iam adeſſe myſteria, quæ ſub typorum velamine latitabant. Ambr. in Luc. *Synagogæ velamen aufertur, vt religionis interna myſteria reuelata mentis cernamus obtutu.* Ambroſ. Necnon Iudaici ſceleris velum deteſtator apparet. Theophyl. *Sicut erat mos Iudæis, in blaſphemiis contra Deum ſcindere veſtes, ita nunc quoque diuinum Templum; quaſi ægre ferens Chriſti mortem, diſrupit veſtem ſuam, hoc eſt, velum.* Theoph. Per Chriſtum denique innuebatur apertam viam eſſe in cœlum, quæ antea erat omnino clauſa. Euthym. *Sciſſum velum ſignificabat ſurſum eſſe iam medium parietem inter cœlum & terram, qui inter Deum erat & homines, & factum eſſe cœlum hominibus peruium.* Euthym. Sancta quidem Sanctorum cœlum ſignificabant, Heb. 9.

#### §. II.

#### *Terræ concuſſio.*

TErra mota eſt.] Num tota vrbis terra concitata? Origenes negat. Baronius, & alij 4.



Digitized by Google

*An toto orbe terra commota?* Orig. Phleg. adfirmant. Quod Phlegontis lib. 14. comprobatur teſtimonio: *Quarto anno. 202. Olympiadis dies hora ſexta ita in tenebroſam noctem verſus, vt ſtellæ viſa ſint, terraque motus in Bithynia, Nycæna vrbis multa ex in ſubuertit.*

5 *Petra ſciſſæ ſunt.*) Id eſt, ſaxa, magnaque rupes diſſiliere. Num ex terræ commotione? Adfirmat Baronius. Ego autem peculiare miraculum extitiſſe reor, neque ex vi commotæ terræ extitum. D. Hieronymus Euangelio Nazaræorum legi aſſerit ſuperliminare templi infinitæ magnitudinis confractum, diuiſum. Nec non legit petram, ſeu rupem montis Caluariæ, in qua fixæ tres cruces, adeò ſciſſam, vt diuiſio interfecta fuiſſet inter Crucem Ieſu, & Latronis impœnitentis.

6. *Quonam tempore monumenta reſerata?* Hieron. *Monumenta aperta ſunt.*) In morte ne Chriſti, an in reſurrectione? Videntur nunc aperta in morte, quia corpora ſurrexere, quæ non decebat ad vitam reuocari, niſi prius mortuorum Primogenito è ſepulchro proſiliente. Affirmo tamen in morte Dominica reſerata ſepulchra, non tamen mox corpora Sanctorum ſurrexiſſe, ſed Dominicæ reſurrectionis inſtantia D. Hieron. *Cum monumenta aperta ſunt, non antea ſancti reſurrexerunt, quam Dominus reſurgeret, vt eſſe primogenitus mortuorum.*

7. *Num ſancti tunc reſurgentes rurſum obierint?* Num ij ſancti, qui reſurrexerunt, rurſus obierint? D. Auguſt. Euthym. Theophyl. & alij affirmant obiiſſe. Epiphan. autem, Ambroſ. Hieronym. Remigius, & alij ad vitam immortalem reſurrexiſſe profitentur. Non leuia fundamina vtramque ſententiam probabilem reddunt. Aſt ego crediderim iterum obiiſſe, ſi huiuſce reſurrectionis finem ſpectem Nam ſancti hi ideò reſurrexere, vt enuntiarent, ac probarent ſua reſurrectione Saluatoris reſurgentis triumphum. Vndè debuere ex his, qui noti Iudæis proximéque obiiſſent, exiſtere. At hi non videntur ad immortalem vitam adſumendi, relicto Baptiſta, cuius hodie caput adoramus, & alijs antiquiſſimis Diuis. Porquam igitur ſuo ſunt munere functi, ad ſepulchrum rurſum rediêre cadauera, animæque ad ſuperos auolauerunt. Confirmo ex D. Brigittæ lib. 6. c. 94. reuelatione. *Anima Sanctorum* (inquit Deipara) *qui ſurrexerunt, aſcenderunt cum Filio meo; ſed corpora expectant reſurrectionem.* Et lib. 7. c. 26. *Scias, quod nullum corpus humanum in cælo eſt, niſi corpus glorioſum Filij mei, & corpus meum.* Id quod firmiter ſemper adfirmabo. Brig.

## §. III.

*Cæterarum creaturarum commotio.*

QVin & reliquæ creaturæ rationis participes mirum in modum occumbente Domino doluere. Refert Salmeron noſter omniũ hominum corda ſubitum inuaſiſſe dolorem, atque illum quidem vehementem, etiam ſi cauſam ignorarent, vti moriente capite, tota membra contabeſcerent. 8. *Hominum luctus.* Salmer.

Quid de Angelorum cœlicolarum attexam compaſſione? D. Bernar. & Auguſt. conteſtantur amarè fleuiſſe. Audi ex ore Deiparæ ad Brigittam: *Congregati Angeli etiam quaſi turbati videbantur, cum viderent Deum in humanitate pati in terra.* Sed quonam modo immortales & glorioſi Cœlicolæ diſturbari potuêre? Gaudent quidem de fructibus paſſionis, ſed quaſi de pœna eius quodammodo (ait Deipara) ſeu metaphoricè *contriſtantur.* 9. *Metaphoricus Cœlicolarum dolor.*

De Spiritibus denique Sanctorum apud Abrahami ſinum decubantiũ adiicit Deipara, *Illi autem, qui erant in ſinu Abrahæ, multum turbabãtur, in tantum, quod maluiſſent in æternum eſſe in inferno, quã talem pœnã videre eſſe in Domino ſuo.* 10. *Spiritus commorantes in limbo dolent.* Brig.

# IN IESVM MORTVVM.

# Panegyricus primus Moralis circa Literam.

## EX CREATVRARVM MOTIONE.

## *OBSERVATIO I.*

**Ad illa verba:**

*Velum templi ſciſſum eſt.*

Velum ſcinditur, vt à Iudæis fidelium ex gentibus diuiſionem oſtentet.

*Vbi de prauis ſocijs fugiendis.*

11. Theoph. THEOPH. ad hæc, *Non eſt mortuus Chriſtus, ſicut communis homo; ſed cum magna poteſtate.* Velum templi diſruptũ, terra mota, petræ ſciſſæ, aperta monumenta, vt magna nobis myſteria portenderentur; neque enim excitantur miracula à Deo, niſi noſtræ inſeruientia vtilitati.

Ieſus igitur moriens *cum magna poteſtate,* 12.

eam

Digitized by Google

*Gentilis fugit à Iudæo.* eam exerit in primis in Veli ſciſſione. Pars veli Iudæos, pars gentiles ſignificat Simone de Caſſ. lib. 13. adnotante. *Pars vna Iudæorum eſt, quoniam adhuc eſt velamen in cordibus ipſorum; altera infidelium, qui idololatriæ velamen ſuper ſe habent. Sciſſura neceſſaria eſt.* Ac ſi diceret, Non bene conueniunt, nec in vna ſede morantur Chriſtianus ex gentibus cum Iudæo. *Neceſſaria eſt ſciſſura*, ne Chriſtianus ex gentibus contaminari queat.

13\. *Pilatus gentilis à Iudæis Deicidis abſtrahitur.* Matth. 27. Damaſc. Deicidæ Iudæi, Gentiles milites, imò Pilatum Præſidem ad immane flagitium traxêre. Vnde Pilatus proprio periculo ſapiens, rogantibus Iudæis crucifixi Domini cuſtodiri cadauer, reſpondit, *Habetis cuſtodiam, ite, cuſtodite*, Matth. 27. Et cur eos tam propetè à ſe diſcutit? Vnico verbo Damaſ. orat. de Sab. ſan. *Horruit Pilatus commercium Dei interfectorum.* Abite, ne me rurſum horribilibus delictis in cadauer ſæuiendo implicari faciatis.

14\. *Contra hæreticorum fideles contubernales.* Luc. 4. Iſidor. Ne ſocium tibi Iudæum hærere permittas, te fortaſſe adlaturum ad vetita, ſcripturarum abuſum teſtimoniis. Diabolus Ieſu apud deſertum, *Si Filius Dei es, mitte te deorſum. Scriptum eſt enim, quod Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te.* Luc. 4. Nec Dominus permiſit vlterius progredi diabolum, ſed conſummata omni tentatione, ablegatus eſt. *Vade retrò Satana.* Matth. 4. Quare ad vlteriores tentationes progredi eum Dominus non permiſit? Quia vbi deprauatus ſocius teſtimoniis vtitur Scripturæ ad errorem ſuum perſuadendum, *ſciſſura neceſſaria eſt.* Apprimè D. Iſidor. *Neque vetus ille rebellis, propterea quod oracula diuina memoria tenebat, cum tentaret, ob eorum cognitionem laudem merebatur: verum contra abiiciendus, ac deteſtandus erat.*

15\. *Iudæus prohibebatur olim à gentilis conſortio.* Iſai. 48. Ambroſ. Quando Iudaica lex ſuo vigore pollebat, Iudæi quidem à gentibus diuidebantur, ne idololatriæ ritibus Moyſi aſſeclæ contaminarentur, præſertim cum gentiles legis ſuæ præſcripta euulgabant. Iſaias ad ſuos: *Egredimini de Babylone, fugite à Chaldæis*, Cap. 48. Vbi D. Ambr. *Chaldæi ſunt, qui ſiderum curſus vana ſtudio ſuperſtitionis explorant; & impia ſerunt gentilitatis errorum. Ab his fuge, ne te capiant, ne te graui laqueo innectant.* Id quod dictum exiſtimet ſibi Chriſtianus ex gentibus. Ab omni Iudæo ſibi cauere curet, ſed ſpeciatim ab impia dogmata ferente.

## OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

*Terra mota eſt.*

### Terra contremiſcit, delicti Iudæorum pondus immenſum non ſuſtinens.

*Vbi de peccati pondere.*

QVARE terra tremore concutitur? Simon de Caſſi. *Tremit terra, ferre non valens, quod plebs Iudaica ſuſtinebat.* Immenſum profectò peccati pondus, quis valeat robuſtiſſimus ſuſtinere? 16.

17\. *Quantum pondus peccati?* Ioan. 1. Chryſoſt. Nauigante inobediente Iona, *Nauis periclitabatur conteri, & miſerunt vaſa, quæ erant in naui, in mare, vt alleuiaretur ab eis.* Ioan. 1. Equidem potentiſſimi maris dorſum non poterat Ionæ peccati ſarcinam ſuſtinere. D. Chryſoſt. *Nautæ nondum agnitâ cauſâ naufragij, nauem aliquantulum rerum iactatione ſubleuari arbitrabantur, & nihilominus nauigium turbabant; apud ſe enim periculi ſarcinam retinebant, & magis, magiſque Prophetæ corpore grauabantur, non corporis magnitudine, ſed peccati.* Mirum eſſet, ſi labilis aqua ferre quiret, quod ſtabilis terra nequibat ſuſtinere. Profectò omnium creaturarum materialium fortiſſimum cœlum, de cuius ſoliditate, & craſſitie plura Philoſophi. Id quod ſub immenſo peccati pondere ingemuit, excidente Angelo ſpiritu leuiſſimo.

18\. *Iudæi capite demiſſo ambulant ob peccati pondus.* 3 Reg. 21. Chryſoſt. Dicitote mihi, miſeri Iudæi, nonne capite demiſſo ambulatis? omnibus inuiſi opprobium hominum, deſpectio plebis? Quid illud portendit niſi frontem veſtram ab immenſo peccati onere deprimi? Poſt peccatum *ambulauit Achab demiſſo capite.* 3. Reg. 21. D. Chryſoſt. hom. 32. ad Pop. illam capitis demiſſionem delicti ponderi attribuit ſtatus, *Graue, & oneroſum eſt peccatum, & omni plumbo ponderoſius: ſic & Achab poſtquam hoc ſenſit, deorſum inclinatus ambulabat.* Quodnam Achabi flagitium? Nonne Naboth iuſtum occidere, & vineam iniuſtè poſſidere? Sic Iudæi, Hærede occiſo, Dominicæ vineæ conati ſunt effici poſſeſſores. Quibus hereditas ablata, ipſique tanti flagitij pondere preſſi, in morem Achabi, demiſſo capite huc illuc diuagantur. Plura alibi.

## OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

*Petræ ſciſſæ ſunt.*

### Petræ ſcinduntur, vt obmuteſcentibus hominibus, fiant veritatis præcones.

*Nunquam enim non veritas prodit in lucem.*

QVORSVM ſciſſarum petrarum miraculum excitatur? Caſſia appoſitè, *Vbi homines in hac iniuſtitia pro veritate tacent, ſaxa ſciſſa loquuntur, & prouocant dura hominum corda, vt ſcindantur, & recogitent eum, qui talem pro omnibus ſuſtinuit paſſionem* Deprimere conatis veritatem in iudicio, vt innocens pereat? Petræ ſcindentur ad veritatis manifeſtationem; inanimata dabunt voces ſuas. 19. Caſſia.

20. *Veritas ſemper eandem clamitat.* Exod. 28.

Deus olim, *Pones* (ait) *in rationali iudicij doctrinam, & veritatem* Exod. 28. Duodecim lapides in eodem iudicij rationali appoſitos legimus. Non opus in ore Sacerdotis veritatem reſidere, vt euulgari poſſit: appoſitè in rationali iudicij lapidibus inſculpitur, quemadmodum nomina filiorum Iſraël. Lapides enim ipſi coram Iudice inclamitabunt, vt veritatem manifeſtare queant.

20. *Petra Petri inclamitat veritatem.* Actor. 4. Chryſoſt.

Fuit quando Petrus, petra ſcilicet rogatus à puella, Dominum abnegauit, lingua obmuteſcente. Totum iam ſenatum de Deicidio liberè accuſauit. Act. 4 Loquitur petra, quod fragilis reticet homo. *Quod mirum miraculum* (pulchrè clamat Chryſoſt. *Ille qui quæreret, cum is, qui ante etiam abiectæ puellæ minas ferre non potuit, nunc aduerſus Iudæorum populum inſurgit.* Petra quippe coram ſenatu loquitur, quando fragilis apud Caipham homo deprimit veritatem.

21. *Inanimata apud Pharaonem veritatem promulgant.* Exod. 6. Sixtia.

*Ingredere* (inquit Moyſi Deus) *& loquere ad Pharaonem.* Moyſes autem, *Quomodo audiet me Pharao, præſertim cum incircumciſus ſim labiis.* Exod. 6 Sixtiana, *Cum mutus ſim.* Mutum ô Domine, ſeligis ad veritatis manifeſtationem coram tribunali, vbi Rex ipſe accuſandus eſt? Quid ſi Moyſes reticeat? Annon puluis terræ percuſſus, lapides è cœlo excidentes vocem prolaturæ ſunt, ad veritatis manifeſtationem? Hæc equidem veritatis vis reticente homine in iudicio, vel petrarum motibus manifeſtari.

# OBSERVATIO IV.

Ad illa verba:

## *Monumenta aperta ſunt.*

## Monumenta reſerantur, vt innuant mortem à Dominica morte interemptam.

*Vbi de infirmis mortis iaculis.*

22. *Ieſus moritur, vt deneces mortem.*

CAssiA perficiens argumentum: *Monumenta aperta ſunt, & apparebant illa iam reſoluta cadauera, conſumpta in pulueres, diſcompaginata in oſſibus, & plura ſcatentia vermibus, & patebant oculis intuentium,* *Sicque ſteterunt ab illa mortis hora.* Vt ſcilicet innuerent mortem Dominicam morti prorſus exitialem extitiſſe.

23. 2 Paral. 18 Beda.

Rex ille Iſraëliticus Achab mortem Domini figurauit. *Rex Iſrael ſtabat in curru ſuo contra Syrios vſque ad veſperam, & mortuus eſt occidente Sole.* 2. Paral. 18. Illud: *Contra Syrios,* adnota Id eſt, expendente Beda. *Contra Humectam,* ſeu humo reconditam. Obeunte enim Domino, humecti reſurgunt, morte Syria, ſiue Humecta pereunte. Appoſitè Ambr. currum Ieſu morientis aſſerit Crucem. *Currum ſuum triumphator aſcendit. Solet præcedere pompa victoris: at verò currum Domini triumphalem præit bona pompa reſurgentium defunctorum.* Ambroſ.

24. *Moriens Dominus mortis ſoluit dolores.* Actu. 2. Chryſoſt.

Petrus inquit Iudæis, *Quem Deus ſuſcitauit, ſolutis doloribus inferni.* Act. 2. Aliter, *Doloribus mortis.* Reſurgente Ieſu, dolores mortis ſoluuntur, quia moriente Domino, vehementer cœpit diſcruciari. Chryſ. hom. 24. 1. ad Corinth. *Cum Chriſtum mors habebat, dolebat, & affligebatur, quouſque eum euomuit. Ideirco inquit Apoſtolus, Soluens dolores mortis. Nec enim aliqua mulier, cum parit, ita dolet, vt illa cum corpus Dominicum comprehendiſſet, diſtrahebatur, lacerabatur.*

25. *Mortis aculeus hebetatur, Ieſu moriente.* 1. Cor. 15. Athanaſ.

*Vbi ô mors,* (inquit Dominus) *ſtimulus tuus?* 1. Cor. 15. Apis in morem mors Ieſum circumdedit, vulneratæque lapidem intendens, aculeo eſt expoliata. Id quod expendens D. Athanaſ. de Paſ. fatur, *Quemadmodum infeſtum animalculum, cui nomen Veſpa, cum impetit petram, non eam lædit incurſu, ſed potius perdit aculeum: ſic & mors vehementer falſa iſt incurrens vitam, quæ eſt Chriſtus Ieſus. Non enim potuit eum tenere mors, ſed ipſa potius aculeum perdidit adeò, vt quos prius tenebat aculeus, nunc exultent, ac dicant, Vbi tuus mors aculeus?*

26. *Mors à Ieſu in cibum, inſuaviſque nobis præparatur in potum.* Cyprian.

Omnibus itaque mors non modò non exitialis, ſed in cibum cedit, & potum. In cibum quidem, Cyprian. in Symb. profante: *Mors rapuit quidem corpus Ieſu, non ſentiens in eo hamum diuinitatis incluſum, ſed vbi* (in morem piſcis) *deuorauit, hæſit continuò, & diſruptis clauſtris velut de profundo tracta traditur, vt eſca cæteris ſiat.* Dulcem ſimiliter mors à Domino præparatur in potum. *Cum pro omnibus guſtaret mortem.* Hebr. 2. *Dominus* (ait Chryſoſt. hom 4. in Epiſt. ad Hebr.) *quoniam omnes homines mortem timebant, perſuadens eis, vt fiducialiter ad mortem accederent, & ipſe guſtauit mortem, nullam habens neceſſitatem.* Iam igitur poteris, ô fidelis, bibere calicem, quem ego bibi. O Pater, transfer calicem iſtum à me, *ab eis bibatur* (loquor cum Hilar.) *ſine ſenſu doloris, ſine metu mortis.* Hebr. 2. Chryſoſt.

SECTIO

## SECTIO SECVNDA.

# LANCEA.

### EX CAP. XIX. IOANNIS.

### *TEXTVS.*

*Verſ.* 33. Ad Ieſum autem cum veniſſent, & viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura.

*Verſ.* 34. Sed vnus militum lanceâ latus eius aperuit; & continuò exiuit ſanguis, & aqua.

## *COMMENTARIVS LITERALIS.*

### §. I.

### *Dominici lateris reſeratio.*

1. *Crurifragiũ.* Deut. 27.

PRÆCEPERAT Dominus Deut. 27. vt cadauera confixorum eodem die deponerentur. Id quod in præſenti præſtandum erat citius ob imminentem Sabbati ſolemnitatem. Quando enim crucifixus fuit Dominus, erat Paraſceue, ſeu ſexta feria. Quod ſi depoſitio differretur, toto Sabbato corpora manſiſſent apud patibula contra legis præſcriptum. Nec enim Sabbatum ſeruili opere erat violandum. Rogant igitur Iudæi Pilatum, vt crucifixis crura frangerentur, morſque illis acceleraretur, vt ante occaſum deponi quirent. Iam enim dies declinabat.

2. *Parcunt Domino mortuo.*

Adouit eorum precibus Præſes. Veniunt milites iuſſa Pilati executuri; inuentóſque duos latrones viuentes eos crurifragio adficiunt; Dominum autem iam mortuum comperientes, ab eius crurium fractione abſtinuere. Nõ enim crura frangebantur, niſi vt citius ſuffixi morerentur, vti docet Cyril lib. 12. c. 39.

3. *Cur noluit Dominus eius oſſa lædi*

Rogas cur noluerit Dominus eius crura cõfringi? Reſpondeo cum Orig. lib. 2. cont. Celſ. Integrum corpus manere voluit, ſignificans citò *reſurrecturum.* Id quod à D. Cypriano adprobatur. Non autem probo quod adicit Orig. mortem Ieſum accelerasse, & ante tempus naturale mortuum eſſe, vti vulnus oſſium euitaret.

4. *Cur vulneratur?*

*Ad Ieſum autem, cum veniſſent, &c. Sed vnus militum lanceâ latus eius aperuit.*] Cur lanceâ vulneratur? Cum crurium fractio eò tenderet, vt citius reus moreretur, Ieſu mortuo parcere decreuerunt. At vnus militum dubitans, num verè mortuus eſſet, lanceæ vulnere & documentum aſſumit, & officium crurifragij expleuit, vt D. Cyril. cit. placet, cuius iam data verba rurſum proprio in Panegyr. exhibeo.

5. *Diuina prouidentia id.*

Verùm ad Iudæorum gratiam conciliandam id effectum ſentit Chryſoſt. Id equidem ſcio diuina prouidentia permiſſum, vt de Dominica morte nullus vnquam quiret addubitare; vt quanto manifeſtior eſſet mors, tanto certiores de Reſurrectione redderemur.

Sed quare non ſibi viuo, ſed mortuo latus Dominus aperiri permiſit, & voluit? Vt nos inſtrueret. Nam aqua & ſanguis, quæ ex eius latere fluxere, Sacramenta ſignificabant, quæ quidem efficaciam, & dilatationem ex morte, & poſt mortem Dominicam acceperunt. Deinde, vt mortis eius effectus oſtenderetur. Apertio enim illa lateris ianuam Regni cœleſtis per Ieſu mortem reſeratam indicabat. 6. *Cur viui latus non vulnerari voluit?*

*Latus eius.*] Quodnam? Dextrumne, an ſiniſtrum? D. Bernard. ſerm. 7. in Pſal. Qui habit dextrum adfirmat reſeratum. *Dominus* (inquit) *dextrum ſibi latus paſſus eſt propter me fodi.* Eiuſdem ſententiæ ſonorent. Bonau. Ludol. Brig. Nazian. & alij. Obicies, Miles cor Dominicum haſta petebat. Ergo latus ſiniſtrum vulnerauit. Verum per dexteri lateris oſtium vulnus ad cor vſque tranſmeare curabat. 7. *Quodnam latus aperitur?*

Num tranſfium cor? Affirmat D. Brig. lib. 2. c. 21 hiſce verbis, *In corde punctus erat tam amarè, & immiſericorditer, quòd pungens non deſtitit, donec lancea attigit coſtam, & ambæ cordis partes eſſent in lancea.* D. Vincent. ſerm. de Paſ. conteſtatur. Nec aliud ſignificare reor Cyprian. de dup. Mart. ſantem. *Chriſtus emiſit quicquid reſederat in corde ſanguinis.* Gabriel denique tract. 1. de Paſ. aſſerit haſtam infixam ſub coſtis dextri lateris vſque ad cordis ipſius transfixionem. 8. *Cor transfixum* Brig. Cyprian. Gabriel.

*Vnus militum.*] Quis? Vſuard[illegible] Ado, & Beda ſcribunt hunc militem Longinum appellatum. De quo D. Iſidorus. *Longinus latus Saluatoris aperuit, & gutta ſanguinis Chriſti, cum eſſet altero oculo priuatus, illuminatus eſt extra, & intus lumine fidei, & per Apoſtolos baptizatus, & poſt longum tempus in eremo, Epiſcopatus honorem, & Martyrij coronam meruit.* Apud Salmeronem quidem legi, ſed dũ rem ore recognoſcere proprio in fonte conatus, non inueni. Profectò 9. *Quiſnam Miles?* Vſuar. Ado. Beda. Iſidor. Salmer. Petr. Come. Nazianz.

opinio

opinio bæc de Longino cruore ſacro delinito videnre, roborari ſolet ex illis verbis Ioannis: *Et qui vidit, teſtimonium perhibuit.* Hoceſt, miles cæcus, qui vidit, ſanguine Dominico inunctis oculis, teſtatus eſt. At non ad militem, ſed ad Ioannem videntem verba hæc referenda affirmo. Vnde non ob Euangeliſtæ ſententiam fides adhibenda opinioni, ſed ob Petrum Comeſt. c. 139. Nazianzenum Trag. & alios grauitate conſpicuos adfirmantes. Licet (ingenue fateor) dubius hæreo.

## §. II.

### *Sanguinis, & aquæ profluxio.*

10. *Non ſanguine permixta aqua fluxit.* ET *continuò exiuit ſanguis, & aqua.*] Latus Ieſu perfoſſum incunctanter fons ſanguinis & aquæ efficitur. Non equidem aqua ſanguine permixta profluit. Sic etenim diſcerni oculis non potuiſſet. Ioannes autem ſignificat ſe oculis corporeis aquam & ſanguinem vidiſſe fluentem. *Et qui vidit, teſtimonium perhibuit.*

11. *Num prior aqua profluxerit an ſanguis?* Quinam (requiris) liquor prior erupit? Aquã fluxiorẽ effluxiſſe priorem Chryſoſt. hom. ad Neoph. aſſerit. Cui ſi obiiciam prius ſanguinem ab Euangeliſta recenſeri; reſpondere poſſet, priorem locum obtinuiſſe ob dignitatem, non quod prior profluxiſſet. Attamen ex antiquoid codice adnotauit. Simon de Caſſia. & Salmerõ, poſt ſanguinem produſſe aquam adfirmant.

12. *Auctoris ſententia.* Ego autem exiſtimo aquam ſimul & ſanguinem diuerſis viis, & ſeparato curſu defluxiſſe. Sentio cum Cypriano tract. de Paſ. fante, *De latere tuo, Domine, fons egreditur in vitam æternam proſiliens, & de eadem, conſubſtantialique origine diuiſis limitibus aqua & ſanguis emanant.*

13. *Vera aqua effluxit.* Num aqua vera? Cauere oportet errorem ab Innocentio e. in quadam de cel. Miſſ. damnatum, quem noſtri temporis hæretici ſuſcitarunt, nempe non veram aquam, ſed humorem phlegmaticum fuiſſe, qui vna cum ſanguine de latere Dominico fluxit. Vera etenim aqua extitit, quæ aqua appellatur à Ioanne, & aqua ex viſu comprobata eſt.

14. *Miraculosè aqua profluxit, & ſanguis.* D Thom. Theoph. Conſtat hinc aquam excitato miraculo fluxiſſe. D. Thom 3. p. q 66. art. 4. *Fuit aqua pura miraculosè egrediens in corpore mortuo, ſicut & ſanguis ad comprobundam veritatem Dominici corporis contra Manichæorum errorem. Vt ſcilicet per aquam, quæ eſt vnum elementorum, oſtenderetur corpus Chriſti verè fuiſſe compoſitum ex quatuor elementis: per ſanguinem verò oſtenderetur eſſe compoſitum ex quatuor humoribus.* Similiter ſanguinem miraculosè profluxiſſe affirmandum eſt. Theoph. *Sanguinem ex mortuo corpore prodiiſſe, eſt admirabile.*

## §. III.

### *Profluentis ſanguinis & aquæ myſterium.*

15. *Latus aperitur ad exitũ myſteriorum.* C*Ontinuò exiuit ſanguis, & aqua.*] Hæc tametſi caſu geri videbantur, videlicet quod pro cruribus frangendis latus Ieſu perfoſſum ſit, diuini planè conſilij effecta ſuot diſpenſatione. Myſteria namque è reſerato fonte prodiere. Vnde militem aperuiſſe latus Saluatoris Ioannes affirmat, non percuſſiſſe: aquæ qui oſtium panderet ad egreſſum.

E latere itaque Chriſti Eccleſiam in primis efformatam recognoſco quemadmodum ex latere Adami dormientis Eua efformata eſt. Clemens V. de Sum. Trin. *Emiſſo ſpiritu, Chriſtus ſuſtinuit lancea perforari latus ſuum, vt exinde profluentibus vndis aquæ & ſanguinis, formaretur vnica, immaculata, ac Virgo ſancta Mater Eccleſia, coniux Chriſti: ſicut de latere primi hominis ſoporati Eua ſibi in coniugium eſt formata.* 16. *Effluxit Eccleſia.* Clemens.

Deinde ſanguis Iudæis in ſupplicium, aqua Gentilibus in ablutionem propinatur. Pulchrè id exprimit Cyril. Ieroſ. cat. 13. *Erant hæc duo de latere, iudicanti aqua, clamantibus verò ſanguis.* Aquam iudici ſuo Pilato gentili dedit ex latere, vt ablueretur. *Iudæis autem inſidiatoribus ex ſanguine damnationem.* Id quod ad incredulos & fideles extendit Rufin. in Symb. fatus, *Produxit aquam, quæ credentes diluat, produxit etiam ſanguinem, qui condemnet incredulos.* 17. *Aqua in ablutionem, ſanguis in ſupplicium.*

Tertiò ſanguine Martyres, aqua verò baptizandi fideles potati ſunt. D. Hier. epiſt. 83. *Latus Chriſti percutitur lancea, & Baptiſmi, atque Martyrii pariter ſacramenta funduntur.* Conteſtantur Tertul. Rufin. & Cyr. Ieroſ. 18. *Aqua baptiſmi, ſanguis martyrij.*

Quartò ſunt, qui aqua nos Baptiſmatis regenerari, ſanguineque Euchariſtico nutriri contemplentur. D. Chryſoſt. Ioan. 19 *Non caſu, & ſimpliciter hi fontes ſcaturiunt; ſed quoniam ex ambabus Eccleſia conſtituta eſt. Sciunt hoc initiati per aquam regenerati, ſanguine nutriti.* Cyril. Alex conteſtator. 19. *Baptiſmus, & Euchariſtia.*

Quintò, aquarum effuſione ex ſocio ſanguine reliqua Sacramenta proferuntur. Vnde illud Cypr. *De latere tuo fons egreditur, in vitam æternam proſiliens. Sacramentis in perpetuum duraturis, & fontis illius vbertas perenni lapſu vniuerſam Eccleſiam rigat, & fœcundat.* Et adiicit, *Ex hoc fonte non ſolum ablutionis primæ vndas haurimus, ſed & compunctionis, & lacrymarum perennes effluunt riui, miſericordiarum ſuauitas, & totius pietas affectus.* 20. *Omnia Sacramenta effluunt, & noſtra lacrymæ.*

Sextò, ipſo vulnere lateris innuitur Adæ vulnus eſſe ſanatum. Accipe ex Euthymio: *Foditur lancea in latere Saluator, quia peccato vulneratum eſt latus Adæ. Siue vt Euam lateris ſui vulnere à plaga lateris ſanaret.* Hinc latere dextero vulneratur Ieſus, quia ex eodem digniori Adami latere Euam exædificatam reor. Licet enim Pereira, & alij aſſerant ex latere ſiniſtro prolapſam communem Matrem, quod ibi cordis domicilium, ſedes vtique amoris: non vrget ratio; quia cor in medio pectoris reſidere ex anatomiæ peritis comprobatur. 21. *Vulneratum latus Adæ ſanatur è vulnere Ieſu.*

Aqua denique profluit in lauacrum, ſanguis in potum. *Nam prius diluimur,* (ait Chryſ.) *& poſtea myſterio dedicamur.* Manna olim forma orbiculari effluxit, vt innueretur ſanguinis Euchariſtici velocitas ad hominum decurrentis refectionem, de more formæ orbicularis. At (auctore Caieta.) prius ros in terræ irrigationem ſpargitur. Priùs enim aqua diluendus animus, quã ſalutari poculo ſatietur, quaſi in hoc aquæ velociſſimo ſanguine cedenti. 22. *Aqua in lauacrum, ſanguis in potum.*

IN

# IN IESVM MORTVVM.

# Panegyricus ſecundus Moralis circa Literam.

## EX LANCEA.

### OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

*Non fregerunt eius crura, &c.*

Milites infideles mortuum Ieſum vulnerare non audent.

*Contra pœnoſa Hebdomada prophanatores, noſtroſque milites facilè in iuramenta ruentes.*

23. *Reuerendus fidelibus mortuus Ieſus.* Matth. 26. Athanaſ.

MIrabar Apoſtolos fugientes. Iam nō miror. *Tunc diſcipuli, relicto eo fugerunt.* Matth. 26. Vbi illa particula ponderanda. *Tunc.* Quando? Certè quando adhuc viuus obiiciebatur. Belle D. Athanaſ. hom. de ſemente. *Fugerunt quidem à viuo.* At mortuum Dominum reueriti illi firmiter adhæreſcunt. *Ego* (ait Dominus) *ſi exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me. Hoc autem dicebat ſignificans, qua morte eſſet moriturus.* Ioan. 12. Quæ omnia moriens traxit? Imò tepentes Apoſtolos, è quibus iuxta Auguſtini mentem Iudas diabolus eiicitur. Qui ergo viuum fugientes quaſi deſpiciunt, mortuum reuerentur.

Ioan. 12.

24. *Imò in fidelibus.* Cyril.

Sed quàm reuerendus mortuus Ieſus, qui non ſolùm Apoſtolis, non ſolum fidelibus, ſed vel impiis hominibus venerandus obiicitur! Milites gentiles ſæuire non audent in Ieſum mortuum. Id quod D. Cyrill. Alexand. pulchrè confirmat. *Iudæorum obſequentes voluntati Ieſum inclinatione capitis expiraſſe putantes, crura eius non frangunt.* Si milites Iudæorum voluntati obſequuntur, quæ quidem dira, ac immanis omninò in Ieſum, quare eius crura non frangunt ad gratiam captandam Iudæorum? Ea eſt equidem vis Dominicæ mortis, vt vel prophani militis vel gentilis homuncionis crudeles illiget auſus.

25. *Subdubitans Ieſum non eſſe mortuum, transfixit.* Cyril.

Aliter idem Pater argumentum illuſtrat: *Militum vnus ſubdubitans fortaſſis, an mortuus eſſet, lancea latus eius compungit.* En mortis Dominicæ efficacia. Dum reputant eum mortuum, nullus audet attingere cadauer: dum autem venit eis in mentem fortaſsè adhuc viuum exiſtere, rurſum corpus vulnere afficitur, quod quidem creditum mortuum à vulnere eximitur.

26. *Quam deteſtabilis Cham Parentis, typū paſſionis non veneratus.* Gen. 9. Rupert.

Cham dormientis Noë, & Chriſti mortem figurantis nuditatem irreuerentia vulnerauit. Rupertus latè probat huiuſcemodi Patriarchæ nuditatem mortis Dominicæ typum extitiſſe. Euigilat Noë, filium que horribili afficit maledictione. *Maledictus Chanaan, ſeruus ſeruorum erit* Geneſ. 9. Vt non ſolus Cham puniretur, ſed ſupplicium deriuaretur in poſteros. Et quidem vel typum Ieſu mortui non reuereri, tam acri eſt addictum calamitati.

Profectò è Cham Maurorum & gentilium turba traxit canum nomine adſignificari. Vidiſti canes apud Diuitis Epulonis ædes in conſpectu vulnerati Lazari procumbentes, & vlcera lambentes? *Sed & canes veniebant, & lambebant vlcera eius.* Luc. 16. Tam potens mortis Ieſu vmbraculum, vt & canes Mauri, gentiles tam venerabile vmbraculum reuereantur. D. Ambroſ. *Lazaro ſimilem illum puto, qui caſus à Iudæis, ad vocationem gentium vlcera ſui corporis lambenda quibuſdam velut canibus offerebat. Quia ſcriptum eſt: Conuertentur ad veſperam, & famem patientur vt canes.* Pſal. 58. 27. *Canes ipſi Cham genus Ieſum mortuū venerantur.* Ambroſ.

O quàm immane facinus illorum, qui quando Ieſus in monumento reconditur, quando Dominicus occubitus celebratur, ſub Chriſtianæ pietatis prætextu templa ineunt, vt libidinoſis colloquiis quærant opportunitatem! Væ tibi ab incredulis militibus ſuperato D. Fulgent. lib. 3. c. 1. *Cum increduli milites detrahere auſi non fuerint morienti, quidam nunc ſub Chriſtiani nominis fuco non metuunt denegare regnantem.* 28. *Væ qui triduo mortis Dominica laſciuiunt.* Fulgent.

### OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

*Sed vnus militum lancea latus eius aperuit.*

Non permittit Ieſus ſua oſſa vulnerari, ne filij percuterentur.

*Vbi de parentum pietate.*

Myſticam

28. MYSTICAM in hunc locum reſeruaui cauſam, cur noluerit Ieſus crura conſringi? In oſſibus etenim ſucceſſio, & propagatio filiorum ab antiquis collucatur, ſi danda Pierio Valer. lib. 34. fides, & Poetæ præcinenti ex perſona Didonis. Æneid. 4.

*Exoriaſe aliquis noſtris ex oſſibus vltor,*
*Qui face Dardanios, ferroque ſequare colonos.*

*Os* itaque (ait olim Dominus) *non comminuetis ex eo.* Pater vulneretur, filij autem ab omni ſint vulnere immunes.

29. *Vulneratum latus dextrū Ieſu, ne filij ſauciarentur.* Geneſ. 2. Eſt communior Patrum opinio à ſiniſtro Adami latere coſtam extractam, vti mulieri filia tunc Hominis, vxor futura, coaleſceret. *Hoc* (inquit) *nunc os ex oſſibus meis.* Geneſ. 2. Nunc filia mea, os meum, poſtmodum autem vxor. Iam myſterium vulnerati lateris dextri Saluatoris reſeratur. Haud percutitur latus ſiniſtrum, quia ibi filij, Eccleſiæ nimirum fluxuræ ſucceſſio commorabatur.

30. *Dicitur apertum latus, nō percuſſum, ne Eua percuteretur.* Auguſt. Quòd ſi ex aliorum non improbabili opinione Eua formata ex lateris dextri coſta. Ne equidem vulnerentur filij, ait Euangeliſta, *Vnus militum lancea latus eius aperuit.* Non dixit, vulnerauit, percuſſit. Quare? Quia inibi filiorū vita reſidebat. Appoſitè D. Auguſt. *Vigilanti verbo Euangeliſta vſus eſt, vt non diceret: Latus eius percuſſit, aut vulnerauit; ſed aperuit. Vt ibi quodammodo vitæ oſtium panderetur.* Vnde viuentes filij, ſiue mater Eccleſia deberet exoriri.

31. *Ideo Ieſus quodammodo ſine Patre moritur.* Bernard. D. Bernardi ſententia ſub alio prætextu ſuprà data, rurſum venit ad trutinam. Ad illa verba: *Deus meus, vt quid dereliquiſti me: Habemus* (inquit) *Chriſtum à Patre naſcentem, in Patre cubantem, cum Patre ſedentem, pro Patre ſtantem, ſub Patre pendentem, ſine Patre quodammodo morientem.* Cur moritur *quodammodo ſine Patre?* Vt Pater ad adoptiuos filios Ieſu paternum transferret affectum. Id quod è patibulo pendens ſignificauit, dum inquit Deiparæ, *Mulier, ecce filius tuus.* Ioan. 19. Sine matre morior, vt te ad filiorum procurationem adducam. Sic exponit Guillelm. Pat. verba illa Sponſi: *Auerte oculos tuos à me, quia ipſi me auolare fecerunt.* Cant. 8. Ac ſi diceret, Affectus ille, qui mihi filio tuo debebatur, meos transferatur ad filios.

Ioan. 19.

Guillel. apud Del-Rio.

32. *De oſſibus, nō de carne curat.* Ioan. 19. Ponderandam amplius ſe dat illa ſententia è Cruce pendentis Saluatoris, *Mulier, ecce filius tuus.* Cur neque Patri, neque Matri carnis ſuæ curam commendat? Hugo Victor. *Quaſi quis quæreret, quid de carne fieri vellet? reſpondet ſe carnis curam non habere?* Ac ſi diceret, De oſſium curo indemnitate, filiorum commoditatem, ſalutemque procuro. *Ecce filius.*

## OBSERVATIO III.

### Ad illa verba:

### *Exiuit continuò ſanguis & aqua.*

### Lanceæ encomium.

*Vbi de vulnerato charitate Sponſo, Sponſa ſanguine diluta, nuptiiſque celebratis.*

NVLLA profectò Dominici ſanguinis guttula diuinam erga nos non obfirmat charitatem, vel à vehementi affectu ſanguineus ſudor profundatur in horto, vel flagella, aut ſpinæ plures fontes ſalutares aperiant. At ſanguis è lateris vulnere procurrens ſpecialiſſimè Ieſu cor ſaucium amore proclamat. Haud lanceæ ſolummodo vulnere, ſed potius ex amoris iaculo cor ſacratiſſimum illum ſanguinem miſit. *Vulneraſti* (clamat Sponſus) *cor meum.* En ſanguis tanto ſagittæ immiſſæ vulneri debitus. Appoſitè D. Cypr. de dup. Martyr. *Quidquid reſidebat in corde ſanguinis Dominus emiſit.* O quonam modo cordis cruor vulnus charitatis exaggerat! 33.

Cyprian.

34. *Percuſſum amore Ieſu pectus ante lancea vulnus.* Ioan. 19. Ideò exiſtimo Euangeliſtam notanter ſcripſiſſe, *Sed miles lanceâ latus eius aperuit.* Non dixit, *vulnerauit*, ſed aperuit, vt conſtet ſanguinem hunc non tam eſſe vulnerantis nouæ lanceæ effectus, quam antiqui vulneris charitatis. Oſtium lanceæ mucrone aperitur, vt cruor è charitatis vulnere effuſus in præcordia terram intingat. Auguſt. cit. *Non percuſſit, ait Ioannes, ſed aperuit, vt illic quodammodo oſtium panderetur.* Quo quidem effuſus iam è charitatis vulnere cruor profunderetur.

Auguſt.

35. *Voluntas Ieſu nil nobis ſiniſtrum prætendit.* En vulnerati Dominici cordis affectus oſtentatur, & ex lateris apertione, qualiter cor Ieſu erga nos ſit affectum apparet. A latere quidem dextro effluit cruor, emittitur lauacrum, cor Domini obiicitur, vt innuatur Ieſu voluntas, nil ſiniſtrum nobis prætendens, cuncta dextera procurans. D. Bernard. ſerm. 7. *Qui habitat. Dominus* (inquit) *meus Ieſus poſt cætera inæſtimabilis ſua erga me beneficia pietatis, etiam dextrum ſibi propter me paſſus eſt latus fodi, quod videlicet non niſi de dextra mihi propinare vellet, non niſi in dextra locum parare refugij.* Quia *Nihil iam* (loquor cum Iſidoro Peluſ. lib. 1. epiſt. 139.) *hædinum, ac ſiniſtro latere dignum in natura reliquit.*

Bernard.

Peluſ.

36. *Sanguis hic botrus Cypri hædos vertit in agnos.* Cant. 1. Cyprian. Iam botrus Cypri ſanguinis Dominici *in vineis Engaddi*, ſiue in *hædi fonte* conſpicitur, vt hædos conuertat in agnos, ad dexteramque faciat collocari. Cant. 1. Aquæ etenim è dextro fonte profluentes nos ad compunctionem alliciunt, vt è ſiniſtro hædi fonte oues exſurgamus. D. Cypr. ſerm. de Reſur. fatur, *Ex fonte lateris compunctionis, & lacrymarum perennes effluunt riui, miſericordiarum ſuauitas, & totius pietatis affectus.*

37. *Latus Saluatoris tibi vulnerato offert vnguentum.* Ambroſ. Quod ſi a leonis ore extractus egeas medicamine, latus dextrum Saluatoris tibi vnguentum exhibet vulnerato. Ambroſ. ad Pſal. 118. *Ieſus in ligno compunctus eſt lancea, & exiuit ex eo ſanguis & aqua omni vnguento ſuauior. Accepta Deo hoſtia.* Id eſt, hædus miſer huiuſmodi inunctus vnguento iam Deo accepta hoſtia reſurgit. Vt ſcilicet apud Chriſti præcordia ſecurus valeat commorari. D. Auguſt. Manu. c. 23. profante, *Longinus aperuit mihi latus Chriſti lanceâ, & ego intraui, & ibi requieſco ſecurus.*

Auguſt.

38. *Hodie nuptiæ celebrantur.* Rupert. Sponſa itaque vulnerauit Saluatoris præcordia, patefacto autem hodie Chriſti latere nuptiæ celebrantur. Vnde Rupert. lib. 2. de Oper. Spir. cap. 19. *De patefacto* (inquit) *Chriſti latere ſanguis & aqua ſacramentum productum eſt, & exinde ſtatim Eccleſia reformata. Nam ſtatim vniuerſa priſcorum electorum quantacumque ab origine mundi collecta fuerit ad inferos expectans,*

illo

Digitized by Google

*illo ſanguine, & illa aqua emundata, atque huic viro copulata eſt.*

39\. *Exurgit pura noua Eccleſia ex Ieſu dormiente. Gen. 2. Auguſt.* Ecce dormiens Adam è cuius latere pota, nouâ exſurgit Eccleſiâ. *Immiſit Deus ſoporem in Adam.* Gen. 2. Ad quæ D. Auguſt. *Chriſtus obdormiuit admitiendo in ſe ſomnum mortis iuxta illud; Ego dormiui. Ipſóque dormiente in cruce, fit illi mulier, id eſt Eccleſia de ſacramento ſanguinis, qui de latere mortui profluxit, & ex eius coſta adificauit mulierem. Ex tunc enim & vſque in finem ſeculi adificare non deſinet, vtglorioſam Eccleſiam non habentem maculam neque rugam exhibeat illi.* Quod ſi ex effluente ſanguine tot hominibus gloriæ prouenerunt, iuſtè alibi Doctor inclamat, *Quid iſto ſanguine mundius? quid iſto vulnere ſuauius?*

## SECTIO TERTIA.

# SEPVLTVRA

## EX CAP. XXVII. MATTHÆI.

### TEXTVS.

*Verſ.* 59. Accepto corpore Ioſeph inuoluit illud in ſindone munda.
*Verſ.* 60. Et poſuit illud in monumento ſuo nouo, quod exciderat in petra, & aduoluit ſaxum magnum ad oſtium monumenti.

## COMMENTARIVS LITERALIS.

### §. I.

### *Miniſtri funeris Jeſu.*

1\. *Ioſeph.* CVRATVM funus à duobus magnæ authoritatis viris Ioſepho, & Nicodemo. Ioſeph quidem diuitiis abuodans, ex ciuitate Arimathæa, Chriſti Diſcipulus, ſi occultus ob formidinem Iudæorum. Decurio quidem, vir bonus & iuſtus, vti ex ſingulis Euangeliſtis deducere licet. Quid Arimathæa? Ex Bedæ, & *Abulenſ.* Abulenſis. 1. Reg. 1. ſententia Ramatha eſt. Samuëlis patria, viginti ab Ieroſolymis milliaribus diſſita. Quid nomen Decurio? Haud hic adſignificare exiſtimo decem militum Præſidem, *Hieron.* ſed Senatorem, & Conſiliarium. Hieron. *In Marco Ioſeph iſte Conſiliarius appellatus eſt. Et de ipſo quidam putant Pſalmum primum eſſe compoſitum: Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum.* Congruit planè Ioſepho primus Pſalmus; cùm enim Conſiliarios eſſet, non coonſilio rapitur Iudæorum. Vnde Lucas. *Hic non conſenſerat conſilio, & actibus Iudæorum.* Cur diues dicitur à Matthæo? Reſpondet Hieron. Vt oſtenderet cauſam, quare à Pilato corpus potuerit impetrare. *Pauperis enim* (ait) *non erat, ad Pilatum Præſidem Romanæ poteſtatis accedere, & crucifixi corpus impetrare.*

2\. *Nicodemus.* *Venit autem* (ait Ioannes) *& Nicodemus.* Princeps hic Iudæorum, ille equidem, qui ad Ieſum nocte acceſſit, quique à Chriſto in Iſraël Magiſter appellatur. Ioannem etiam ſepeliendo corpori operam dediſſe quis eſt, qui abneget?

3\. Num Feminæ piæ, Magdalena ſcilicet, Maria Iacobi, & Salome funeri præſtiterint miniſterium? *Num feminæ ſepulturam curarint? Baron.* Ex R. Iacob, & R. Moyſe refert Baronius viros virorum, feminas autem feminarum cadauera curare conſueuiſſe. Oculos in primis claudebant defunctorum, ſtringebant mox faſciâ, tondebant capillos. corpus diluebant, inungebant vnguentis, obuoluebant linteis, in ſepulchro locabant. Quod ſi viri cadauera ſoli viri curabant, perſpicuum, Magdalenam, reliquaſque feminas plangere quidem potuiſſe, & deoſculari corpus; funeri autem nullum præterea obſequium præſtitiſſe. Id quod Marcus ſignificat, fatus, *Maria Magdalene, & Maria Iacobi aſpiciebant, vbi poneretur.* Non ergo ponebant ipſæ cadauer, ſed aſpiciebant, vbi reponeretur, funus ſecutæ; quia id poſt Sabbatum decreuerant vnguentis deliniri.

Nihilominos exiſtimarem Deiparam corpus curaſſe ſacratiſſimum. Nec conſentaneum, 4.
*Num Deipara? Metaph.* matres à filiorum funere curando lege, aut conſuetudine ablegatas. Sed Metaph. 15. Auguſt. ſic. *Virgo in deponendo Chriſto in Cruce maternis manibus inſeruiuit; & clauos, qui extrahebantur, in ſinu ſuo accepit, & membra illius amplexa eſt. Et Ioſepho in manus tradens ſudarium, ait. Tibi cura ſit, vt ſepulturæ tradens, hoc eum honeſtè componas, myrrha condias, & ei iuſta facias.* Vbi videtur innuere, Virginem Ioſepho curam corporis commiſiſſe. Equidem laudabilius Deiparam ſe omninò aut legi, aut conſuetudini accommodaſſe.

## §. II.

### *Funeris præparatio.*

5. *Sindon munda, & noua.*

SIndone munda.] Marcus emptam tunc ſindonem teſtatur. *Mercatus ſindonem.* Erat itaque linteum mundum, & nouum. *Hinc* (ait Beda) *Eccleſiæ mos obtinuit, vt ſacrificium altaris non in ſerico, neque in panno tincto; ſed in lino terreno celebretur: ſicut corpus eſt Domini in ſindone munda ſepultum.*

6. *Vnguenta.*

Porrò Nicodemus quaſi centum myrrhæ & aloës attulit libras, ad condiendum cadauer; nondum enim reſurrectionis fide omnioò fulciebatur. Quæris, cuiuſmodi libræ? Nam ſi menſurales, multis ſatisfuere corporibus inungendis. Putant nonnulli fuiſſe libras haſce non menſurales, ſed nummarias, quibus vnguentum comparatum. Exiſtimo menſurales libras extitiſſe. Diues etenim Nicodemus, & Iudæorum Princeps munificum ſe erga Dominum voluit exhibere, eius corpus, totumque ſepulchrum magna copia vnguenti perfundendo.

7. *Sepulchrum Ioſeph.*

*In monumento ſuo nouo.*] Hortum habebat Ioſeph iuxta Caluariæ montem, vbi rupes, in qua ſibi iuxta Iudæorum morem ſepulchrum exciderat. De quo Tom. 2. lib. 3. ſermo redibit.

## §. III.

### *Corpus Ieſu petitur, deponitur, ſepelitur.*

8. *Petit Ioſeph corpus audacter.*

IOſeph equidem *petiit corpus Ieſu.* Neque poterat ſepelire cadauer abſque Præſidis copia. *Audacter* hoc feciſſe Marcus adfirmat. *Audacter introiuit ad Pilatum, & petiit corpus Ieſu.* Audax equidem, qui Pilato, totique Ieſu hoſtibus fautorem ſe crucifixi oſtentabat. Quam quidem audaciam Deiparæ animo concepiſſe Ioſephum teſtatur Metaphraſ. cit. Alij à Cruce conſtantiam exortam appoſitè deprædicant.

9. *Ioſephi conſtantia.*

Celebrant Patres Ioſephi conſtantiam. Victor Antioch. in Marc. *Ex hoc facto ſummam Ioſephi conſtantiam, & fortitudinem expectare licet. Propter amorem Chriſti periculum mortis ſuſcepit, & vniuerſorum ſe odio tradidit.* Greg. Turon. lib. 1. c. 21. à Sacerdotibus ait comprehenſum, ſed mirabiliter à Ieſu reſurrectionis die liberatum. *Apprehenſus Ioſeph in cellam includitur, & ab ipſis Sacerdotum Principibus cuſtoditur. Sed reſurgente Domino nocte, parietes de cellula, in qua Ioſeph tenebatur, ſuſpenduntur in ſublime: ipſe vero de cuſtodia, abſoluente Angelo, liberatur, parietibus reſtitutis in locum ſuum.* Chriſtianus Drut. conteſtatur.

10. *Ioſeph donatur corpore.*

Pilatus itaque Centurione accerſito, de morte Dominica periculo facto, *iuſſit tradi corpus.* Marcus verbo donandi vſus eſt. *Donauit corpus Ioſeph.* Non igitur vendidit, ſed gratis dedit. Licet Theoph. veriſimile adſerat pretio redemiſſe Ioſephum Dominicum corpus. Hæc eo Græco vocabulo datum corpus ſine auri, aliúsve æris commutatione ſignificanti.

Miratum affirmat Marcus Præſidem de obitu Saluatoris. *Pilatus mirabatur, ſi iam obiſſet.* Vndenam admiratio hæc? Mirationem inde ortam exiſtimo, quia de Chriſto vulgarem conceperat opinionem, ſigniſque præcedentibus adhuc ad auguſtiora ſuſpicanda eleuatus fuerat. *Pilatus* (inquit Euthym.) *ſperabat Chriſtum tardè moriturum, tanquam diuinum quendam hominem, qui cæteros excederet.* 11. *Vndenam miratus Præſes.*

*Et accepto corpore Ioſeph.*] Quonammodo Ioſeph Chriſtum è Cruce depoſuerit, poſtratáne humi cruce, an ſtante, & erecta? Non conſtat. Si pictoribus fides adhibenda, erecta indicarunt Cruce depoſuiſſe. Probabilius autem Crux proſtrata Dominica. Baronium etenim ſequor ex R. Iacob, & R. Moyſe affirmantem ea, quæ damnatorum corpori inhæſiſſent, vna cum eis ſepeliri conſueuiſſe, eo quod legis eſſent maledictioni ſubiecta. 12. *Corporis depoſitio. Baron.*

*Inuoluit illud in ſindone munda.*] Ioſeph itaque & Nicodemus corpus è cruce vel depoſitum, vel abſtractum vnguentis ex more Iudæorum perfudere. Euthy. *Corpus in altari accipientes odoramentis illud vngimus ſuauibus, videlicet virtutũ operibus.* Sindone obuoluitur corpus. D. Hier. *Spiritualiter facit, qui puro mente ſuſcipit.* 13. *Corpus inungitur, obuoluitur.*

*Et poſuit illud in monumento ſuo.*] Cur alieno in ſepulchro reconditur corpus Ieſu? Aug. ſerm. 133. de Temp. *Ideò in aliena ſepulturà ponitur, quia pro aliorum moriebatur ſalute. Vt quid illi propria ſepultura, qui in ſe propriam mortem non habebat? Vt quid tumulus in terris, cuius ſedes manebat in cælis? Vt quid illi ſepultura, qui tridui tantum temporis ſpatio non tam in ſepulchro mortuus iacuit, quàm velut in lecto quieuit?* 14. *Cur in alieno ſepulchro?*

*Nouo.*] Quare nouum ſepulchrum? Iuxta literam bene Chryſoſt. *Quæ res diuinitus fuit diſpenſata, ne alium, non Chriſtum ſurrexiſſe ſuſpicio fieret.* Iuxta ſpiritum Auguſt. *Sicut in Mariæ Virginis vtero nemo antè illum, nemo poſt illum conceptus eſt: in hoc monumento nemo antè illum, nemo poſt illum ſepultus eſt.* Amat Dominicum corpus ſolitudinem, non admittit cadauerum aliorum ſocietatem. 15. *Quare ſepulchrum nouũ?*

*Quod exciderat in petra.*] Quare in ſepulchro ex rupe fabricato collocatus ſit Dominus? Reſpondet Hieron. *Ne ſi ex multis lapidibus ædificatum eſſet, ſuffoſſis tumuli fundamentis, ablatus furto diceretur.* 16. *Cur in petra exciſſum?*

*Et aduoluit ſaxum magnum ad oſtium monumenti, & abiit.*] In cuſtodiam ſcilicet corporis. Magnus autem lapis admouetur. *Vt non poſſet* (cum Interlin. loquor) *aperiri ſepulchrum ſine auxilio multorum. Nam ſi paruus eſſet,* (inquit Auguſtin.) *poterant dicere, ſe dormientibus ſublatum.* 17. *Cur ſaxum aduoluitur?*



Digitized by Google

# IN IESVM MORTVVM.

# Panegyricus tertius Moralis circa Literam.

## EX SEPVLTVRA.

## *OBSERVATIO I.*

Ad illa verba:

*Et accepto corpore.*

Myſtica ſepultura Ieſu.

*Vbi de recipienda Euchariſtia norma.*

18. Euſeb. Emiſſ. EVsEB Emiſſ. *Docet nos Ioſeph qualiter Chriſti corpus ſuſcipere debeamus.* Plures diximus conueniſſe, vt agerent iuſta Saluatori. Ioſephum, Nicodemum, Ioannem è viris; è fœminis autem Deiparam, Magdalenam, Mariã Iacobi, Mariam Salome. Omnes ſupremum Ieſu diem concelebrant.

19. *Adſunt iuris prudentes, ſeu confeſſarij docti.* Ioſeph quidem adſit; cui ex ſententia Hieron. Dauid primum Pſalmum dedicauit. *Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum.* O quàm aptè ad Dominicam ſepulturam adeſt bonus conſiliarius! Hic *panis vita, & intellectu.* Videat Conſiliarius, quinam dignè funeri Saluatoris iuſta perſoluit? Num ſindon munda, num libra inſta myrrhæ, & aloës, contritionis ſcilicet, & deuotionis? An exciſum ſit ſepulchrum in petra, ſeu propoſito ſtabili, vel in arena mobili?

20. *Mercatores iuſti.* Nicodemus accedat. Qui quidem attulit *quaſi centum libras myrrhæ, & aloes.* Huc adeſtote mercatores. Humatis Ieſum, dum iuſtitiæ iura ſeruatis. Magdalena olim peccatrix ſepeliendo myſticè Saluatori operam dedit. *Maria ergo accepit libram vnguenti.* Ad quem lo-
August. cum D. Auguſt. Tract. 50. in Ioan. *Quacumque anima fidelis vis eſſe, cum Maria vnge pedes Domini pretioſo vnguento. Vnguentum iſtud iuſtitia fuit. Ideò libra fuit.*

21. *Coniugati.* Vterque quidem vt coniugati velum capiti nuptiarum velamine præparabunt. *Ecce mille argenteos* (inquit Abrahæ Abimelech) *dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum.* Gen. 20. Vbi Auct. Hiſt. Schol. affirmat per velamen innuiſſe Regem Saram eſſe coniugem Abrahæ, non ſororem. Quid autem velamini capitis, ſiue ſudario cum coniugio? Nil vtrique coniugi magis hærens, quàm inſtat mortui ſudario operiri, ne conſortis vlla imperfectio vel agnoſcatur, vel euulgetur.

Gen. 20. Auct. Hiſt.

22. *Virgines.* Ioannes virgo lectulum offert ipſe baiulus.
Cant. 1. *Lectulus noſter floridus.* Cant. 1. *Lectulus* (ait
Honor. Honor.) *bona conſcientia. Ipſa eſt Domus Dei, in qua Chriſtus habitat, vt ſponſus in thalamo.* Dies enim Ieſu deſponſationis hodierna. Hic puritatis flores vernant, eodem atteſtante Doctore. Angelica hæc puritas corporis virginei baiula.

*Ant. de Eſcob. & Mendoz.* de Sanctis. Tom. I.

Magdalena profectò mundam ſindonem myſticè exhibebit. Quonammodo quæ erat in ciuitate peccatrix mundæ ſindonis faciet copiam? Sindonem animantibus plenam oſtenſam Petro Act. 3. vidiſti? Appoſita hæc Dominico corpori linteamina. D. Hilar pulchrè. *Ioſeph in munda ſindone corpus inuoluit. Et quidem in hoc eodem linteo reperimus de cœlo ad Petrum vniuerſorum animantium genera ſubmiſſa.* Adſint lacrymæ, quibus conſcientia mundetur, nec obſtaculum adiicietur, quia peccatis innumeris maculatus fuiſti, quominus præbeas mundum corpori ſacratiſſimo linteamen. Hinc apprimè Orig. *Puto magis munditiam ſindon illa habebat, ex quo inuolutum eſt corpus Chriſti, quam prius. Corpus enim Ieſu, quaſi corpus Ieſu, mundat omnia quæcumque tangit.*

23. *Inuitatur peccator ad funus.* Actor 3. Hilar.

Orig.

Deipara profectò ſepulchrum Filio præparabit. Nec enim niſi in thalamo puro requieſcit. *Lectulus* (ait illa) *noſter floridus.* Cant. 1. Vbi Guillel Par. *Verè tu Sol iuſtitiæ eclipſim mortis patiendo pro hominibus niger apparebis hominibus, & quaſi lumen extinctum abſconderis ſub modio, poneris in monumento. Verùm quæ vtilitas in ſanguine tuo, ſi deſcendas in corruptionem? Ergò die tertia refloreſcet caro tua.* Quare? *Quia erit lectulus noſter floridus.* Conditio autem virginalis ſepulchri, mortuum accipere, vt viuum proferat Saluatorem. Vnde Chryſol. *En ſepulchrum, en vteri noua forma mortuum accipiens, vt viuum enitatur.* Viuum Chriſtum vterus virgineus & excepit, & enixus eſt. Noua vteri forma noſtri virginei ſepulchri, quod quidem mortuum excipit Dominum, vt tertia die viuum reſtituat.

24. *Virginitas aptum exhibet Ieſu ſurrecturo ſepulchrum.* Cant. 1. Guillel.

Chryſol.

Viduæ denique Salome & Iacobi gemitibus funus Domini honorant. Debitum expiranti obſequium Saluatori *Emiſſa* ille *voce magna, emiſit ſpiritum.* Tunc nos adfert ad lacrymas. *Vox turturis audita eſt in terra noſtra.* Cantic. 2.

25. *Viduæ lacrymas offerunt.* Cant. 2.

Alcui. Cyril. Alcuin. & Cyril. de Ieſu proclamante, & gemente locum expendunt. At cum illo viduas omnes animas mœrentes eiulatus introducunt. Si ſponſus turturis in mortem diſcedit, ad illius gemitum nouiſſimum omnes viduæ turtures, omnes iuſtæ animæ gemant neceſſe eſt. Proh vnicus ſponſi clamor tot excitans gemitus! Apposite D. Bernar. *Si multi gementes, quid ſibi vult vnius expreſſio? Vox turturis, inquit, nõ turturum.*

Bernard. Reſpondet. *Ipſe* Sponſus *indicatur gemens, quia gementes facit.* Quando cum lacrymis & valido clamore expirat turtur ſponſus, quid non animæ viduæ turturum in mortem rapiantur in gemitum? Me miſerum optimo orbatum parente: quis me paſcet, ſuſtinebit: Rege; quis me tutabitur? Medico: quis ægritudini tantæ adhibebit medicamina? Paſtore: quis me ouiculam erroneam reportabit in humeris: Magiſtro: quis cœleſtia me docebit arcana? Sole: quonammodo inter tenebras ambulabo? Vita: & quomodo viuere poſſum extinctus? Gloria: & quomodo inferno addictus exultabo?

## OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

*Et accepto corpore.*

### Diues Ioſeph Dominico corpori ornando dat operam.

*Quàm laudabiles diuitiæ, quæ templis exornandis impenduntur!*

26. Origen. DIVITEM enim Euangeliſta teſtatur. *Et ipſe diues.* Orig. tradit cauſam, cur diues appelletur. *Qui petiit corpus Ieſu a Pilato, nõ qualiſcumque aliquis erat, ſed laudabilibus diuitiis diues.* O quàm laudabiles diuitiæ, quæ humando Dominico corpori cõſecrantur.

27. *Laudabilis Magdalena, quæ ſepeliendo Ieſu vnguenta conſecrauit.* Matth. 26. Caiet. Magdalena vnguenta pretioſiſſima afferens conuiuantem Ieſum inungere curauit. Matth. 26. Vbi Caietan. affirmat voluiſſe anticipata deuotione Dominicum funus celebrare. Quia futurum erat, vt aliquo accidenti obſtaculo, poſtmodum non exequeretur. Reprobant adſtantes, ſiue vnicus Iudas prodigentis animi ſumptum. *Vt quid perditio hæc? Poterat vnguentum iſtud venundari plusquam trecentis denariis, & dari pauperibus. Quid moleſti eſtis* (reſpõdet Dominus) *huic mulieri? Nonne bonum opus operata eſt in me?* Laudabile omninò opus condemnatis? Vndenam huiuſmodi laudabilis inſumptio diuitiarum? *Ad ſepeliendum me fecit.* Quidquid meo corpori honorando poſt meum obitum exhibetur, admodum laudabile.

28. *Iob ſic laudabiliter veſtimenta Regalia ſcidit.* Iob. 1. Erat quando Iobum ſanctiſſimum mirabar veſtimentorum Regalium ſciſſorem, deturpatorem, prodigumque proiectorem. *Scidit veſtimenta ſua.* Cap. 1. Et equidem verebar, ne minus laudabilis à quibuſdã haberetur, quod potius adſeruaris auguſtis veſtimentis non curaret tam ſtrictæ pauperiei ſubuenire. At poſtquã (plures inter cauſas à me excogitatas) apud Orig. legi, eum & ſe veſtimentis exuere, & ad terram proiicere, vt efficeret ſuam *pretioſam ſepulturam*, ſummis laudibus Regem ſapientiſſimum effero. Annon ille typum gerebat Saluatoris? Quando igitur Saluator ad maternum humi ſinum properat ſepeliendus, laudabiliter Regalia indumenta Principes monumento Dominico conſecrant. Orig.

29. *Aurum Magorum myſticè ſepeliendo Domino laudabiliter conſecratur.* Matth. 2. Nato Ieſu, Reges ab Oriente properant adoraturi, *apertiſque theſauris ſuis, obtulerunt ei aurum, thus & myrrham.* Matth. 2. Requirunt Doctores, quonam modo poſt Magorum diceſſum Deipara expenderit diuitias, quæ poſt paruum dierum interſtitium munus templo exhibet pauperis? *Par turturum, aut duos pullos columbarum.* Ego equidem ad myſtica me ex munere myſtico recipio. Annon in myrrha Dominica ſepultura figuratur? Sic omnes ferè Interpretes. Vbi ergo Dominicæ ſepulturæ typus apparet, pulchrè diuitiarum diſparet fulgor, quaſi inibi impenſæ laudabiliter innouantur. Tunc laudabiliter maximè facis ſumptus, quando altari ſacratiſſimo, quando Euchariſticæ menſæ munera conſecras.

## OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

*Et accepto corpore.*

### Ex corpore Dominico aut pretio redempto, aut gratis exhibito, taxantur auari Iudices, aut Sacerdotes.

*Quos valdè dedecet auaritia.*

NVm pretio exhibito corpus à Pilato acceperit: Theoph. propterea diuitem appellatum ab Euangeliſta exiſtimat, quia habuit vnde poſſet auarum Præſidem adire ex diuitiarum audacia. *Audacter introiuit ad Pilatum. Verum* (ait) *cum Ioſeph diues eſſet, veriſimile eſt, quod Pilato aurum dederat.* Et Strab. ad illa verba: *Et ipſe diues.* Quia (inquit) *ad Præſidem niſi diues accedere non poterat; non quod diuitias commendat Euangeliſta.* 30. Theoph. Strab.

31. *Apoſtolis non defecit animus ſed audacia, quæ requirtur diuites.* Strab. Druth. Mirabar aliquando Apoſtolos deliteſcere, quando Dominica ſepultura à milite procurabatur. Cur ô Petre, in præteritæ formidinis vindictam non audacter properas ad Pilatum? Non equidem deficiebat pœnitenti Apoſtolo animus; ſed audacia adeſſe non poterat. Quare: Strab. *Ad Præſidem niſi diues accedere non poterat.* Chriſtianus Druth. appoſitè planè. *Pauperes non erant auſi accedere ad potentem Præfectum; quia non curabat de hoc, quod Salomon dixit, Qui deſpicit pauperem, peccat. Noſtri enim, quibus præceptum eſt pauperes colligere, ipſi deſpiciunt eos, quãto magis ille Paganus.* Illud expende:

*Paupe*

*Pauperes non eram auſi.* Audacia enim à paupertate omoinò ablegatur. Diues audacter intro-iuit. Haud dedecus Petri, reliquorumque Apoſtolorum à Decurione ſuperari. Quia audacia illa magis diuitiarum, quam animi exiſtebat effectus. Quare Comicus Græcus diuites curans reprimere, aiebat.

*Hac fretus opibus aliquid iniuſtum audeas,*
*Audacia enim ſequitur opulentiam.*

31. *Vbi aurum profanus Iudex inueſtit.* Ambr.

Probos inexorabile ſecularis Præſidis! Quenam vis te commutauit? Pauperi durum, diuiti blandum? Enimverò diuitiæ plerumque os valent commutare. Phiſon fluuius *circuit omnem terram Heuilath, vbi naſcitur aurum.* Gen. 2. D. Ambr. in Pſal. 1. interprete, Phiſon idem eſt, ac *Oris commutatio.* Qui originem trahit à terra, vbi naſcitur aurum, qui diues adfert munera, quid non os Præſidis commutabit? Si pauperi durus, diuiti blandus reſalutabit. Egregiè Pater, *Meritò os ibi commutatur, vbi eſt aurum bonum.*

32. *Exemplum Præſidis ſecularis.* Gen. 3. Bernard.

Haud ſic ore commouetur Ioſeph Præſes Ægypti, durius pecuniam adferentibus loquebatur, triticoque, ſeu myſtico Domini corpore fratribus exhibito, pecuniam ſimul tradidit. Gen. 3. Nec enim pecunia accipiendus ille, qui (vt ait Bernard.) *totus mihi datus, totus in meos vſus expenſus.*

33. *Quam Ieſu Sacerdotum auaritia deteſtabilis?* Ioan. 3. Auguſt.

Nihil profectò tam excitat vindictam quàm apud templum immiſericordes Sacerdotes, iudices quidem, ſed ſimul iniuſtos mercatores reſidere, qui iuſtitiam vendant, accepto pretio exhibeant abſolutionem, corpuſque tradant Saluatoris. Quænam culpa Dominum mitem admodum excitauit, vt facto flagello de funiculis templi prophanatores percuteret, deturbaret? Iudices mercatores non permittit Ieſus apud templum commorari, *Expelluntur* (Aug. ſerm. 35. ad frat. in her.) *mali mercatores, falſi iudices de domo Domini.* Myſticè Sacerdotes carpit noſtrates, eos falſos iudices, veros appellans mercatores, qui pecuniæ commutatione corpus & ſanguinem Dominicum tradunt, rei effecti corporis, & ſanguinis Domini.

# OBSERVATIO IV.

Ad illa verba:

*Et poſuit illud in monumento.*

## Cum Ieſu ſepeliamur viuentes, vt vita donemur ſtabiliori.

*Vbi de Mortificationis exercitamentis.*

34. Luc. 23.

ADDITVR alibi, *In quo nondum quiſquam poſitus fuerat.* Tam nouum monumentum, quod nullum amplexum fuerit cadauer. Duplex particula ponderanda eſt. Et *Nondum*, & *Quiſquam.* Illud profectò: *Nondum* innuit poſtea poſitum in monumento illo aliquod corpus. Illud autem, *Quiſquam* licet de quoquam ex mortuis interpretari debeat, ſpiritualem præterea ſenſum admittens, non ſolùm de cadauere, ſed de homine viuente, tamen cum Ieſu commoriente expono. Ieſu itaque cadauer in illo ſepulchro primùm repoſitum eſt. At poſt ſepulturam Ieſu omnes fideles humantur, viuique apud Ieſum mortuum reponuntur ſpiritualiter viuificandi. Confirmo ex Orig. fante. *In quo nondum quiſquam poſitus fuerat. Planè ſi nunquam aliquis poſitus fuerat ibi; poſtea autem poſiti ſunt. Nam quod dicit: In quo nondum aliquis poſitus fuerat, cautè conſiderantibus, verbùm hoc ſignificatur. Dicimus ergo, quod fortè non ſimpliciter intelligere debemus hunc locum, quia dixit: Conſepulti ſumus Chriſto.* Orig.



35. *Duplex ſpelunca Abraham, quia & Ieſu, & nobis quærimus monumentum.* Gen. 23. Gregor.

Olim Abraham ad ſepeliendam Saram ſpeluncam duplicem enixè poſtulauit. *Vt ſepeliam* (inquit) *mortuum meum.* Gen. 23. Vbi D. Greg. in cate. contemplatur Chriſti Domini corpus humatum apud duplicem ſpeluncam. (Nam monumentum Domini duplex, vti tom. 2. lib. 2. videbimus.) Iam requiro, Cur duplex ſpelunca à Patriarcha ſanctiſſimo procuratur? Annon vt cum Chriſto mortuo viuus ipſe fidelis Pater ſepeliretur? Ita planè. Hæc enim adiecit Gregor. *Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto. Vita, ait, veſtra.* Viuitis enim dum mortuo Domino agglutinamini.

36. *Mortuo Adamo verè, viua exurgit Eccleſia.* Gen. 2. Auguſt.

Porrò Lyranus Abr. humum exiſtimat ſepulchrum illud procurauiſſe, quia ibi Adami repoſitum erat cadauer. Vt viuas, conſepeliri cura cum vero Protoplaſto. *Immiſit Deus ſoporem in Adam.* Gen. 2. Auguſt. *Deus Pater per crucis ſignum mortem in Chriſtum.* In ſepulchro requieuit capiens ſomnum. Tunc equidem, *ipſo dormiante, fit illi Mulier, id eſt, Eccleſia.* En mortuo Ieſu viuens Eccleſia conſepulta ſpirituali vita donatur.

37. *Viuas fidelis ſtabilius, cum Ieſu conſepultus.* Gen. 22. Auguſt.

Nunquam ô fidelis, magis vera vita donatus, quam dum Ieſu mortuo conſepeliris. Vidiſti Iſaacum ſub gladio paterno minimè læſum, ſed mirabiliter à vulnere liberatum? Gen. 22. Quænam vis te ô Adoleſcens, à mortis vulneribus eripuit, ſtabilique vita donauit? D. Auguſt. ſerm. 71. de Temp. *Audi et aliud ſacramentum. Ibi immolatus eſt Iſaac, vbi Adam primus fuerat ſepultus.* Annon Adam Chriſti ſimulachrum? Pluribus paſſim Doctores oſtendunt. Iſaac igitur congrue vita ſtabili donatur apud myſticum ſepulchrum Saluatoris.

# OBSERVATIO V.

Ad illa verba:

*Poſuit eum in monumento.*

## Sepultus cum Chriſto hoſtes inuincibiles omninò ſuperabis.

*Vbi de operibus à fideli nunquam non exhibendis.*

38. D. Leo.

NEQVISSIMI *hoſtis aſtutiam* (loquor cum D. Leone ſerm. 1. de Quadrag.) *non potentia Deitatis, ſed humilitatis myſterio vincimur,* Dum ſcilicet Ieſu corpus ſepulchri fœditatem inhabitare dignatur.

39. *Præſagit diabolus ſepulturæ victoriam.* Matth 8. Chryſolog.

Præſagiens profectò diabolus Chriſti ſepulti victoriam ſic coram ipſo conqueritur. *Quid nobis & tibi, Ieſu fili Dei? Venisti ante tempus torquere nos.* Matth. 8. Vbi Chryſol ſerm. 16. *Quid nobis & tibi Fili Dei? Hoc eſt dicere, Vitæ author, quid tibi cum mortuis? habitator cœli, quid tibi cũ ſepulchris? odor paradiſi, quid tibi cum fœtore? Quos cœlo deiecisti permitte habitare nos vel ſepulchra. Et ſi nos perſecutione tanta digni ſumus, tu tanta non dignus iniuria es.*

40. *Apud ſepulchrum diabolus omninò vincitur.*

Noſcebant mortis noſtræ ſocij à noſtri dominatu deturbandos cum primum cadauer Dominicum ſepulchri humani limina contigiſſet, omninò ab hominibuſque ſuperatos, in exilium immittendos. Pondera illam Euangeliſtæ ſententiam. *Et cum veniſſet trans fretum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia de monumentis exeuntes.* Matth. 8. Apparet Ieſus nondum mortuus, ſed moriturus, & iam dæmonia ab hominibus habentur, non homines à dæmonijs. Sic adnotat Chryſol. inibi fatus. *Ad præſentiam Chriſti homines exeunt de monumentis, & verſa vice captiuos ferunt à quibus fuerant captiuati.* Si igitur tam potens Domini morituri aſpectus, quid mortui ſocietas, cum ad ipſa ſepulchralia diaboli habitacula corpus defunctum deferatur? Non iam tunc ab hominibus dæmonia deuincientur, ſed omninò à ſepulchro ablegabuntur.

Math 8. Chryſol.

41. *Vt poſſis ſepeliri cum Ieſu ad victoriã, cũ ipſo crucifigi cura.*

Tota itaque hominis victoria cum Chriſto ſepeliri, ſepulti ſemper habitum præferre. Vis ſepeliri cum Chriſto, vt ſepulchrum illius te ab hoſtibus valeat liberare? Neceſſum tibi, cum Domino crucifigi. Nec enim ius ſepulturæ niſi ſuffixis præparatur. *Quando peccauerit homo* (tex ait) *quod morte plectẽdum eſt, & adiudicatus morti ſuſpenſus fuerit in patibulo, non permanebit cadauer eius in ligno; ſed in eadem die ſepelietur.* Deut. 21. Sepelitur planè qui crucifixus eſt. Honor hic ſepulturæ ſuffixis offertur. Rupert. lib. 13. in Ioan c. 19. *O mirabile & antiquum Crucifixi huius conſilium, qui antequam veniret, ita de ſepeliendo corpore ſuo dedit præceptum, vt prefuerit omnibus crucifixis ſcriptum pro ſe vna legis mandatum!* Proderit vtique nobis, ſi cõfixi cum Ieſu cum ipſo ſepulturæ requie perfruamur.

Deut 21. Rupert.

42. *Et ſomno ſeu morte, ac ſepultura operatoria ſit.* Gen. 2. Gauden.

Præterea Chriſtum ſepultum imitari cura ipſius ſocius effectus. Ille etenim vita functus adhuc operarius oſtenditur. *An non requieuit Dominus die ſeptimo ab vniuerſo opere?* Gen. 2. Ita planè. Sed requies illa extitit operaria, dum Spiritus Ieſu inferna penetrans Patres reuocauit ad lucem. D. Gauden. ſerm. 10 ad hæc. *Requieuit planè Dei filius ab omnibus operibus ſuis, quæ cœperat Deus facere, quando conſummatis mirabilibus vniuerſis, & impleto ſexto die omni opere paſſionis die ſeptimo, id eſt die Sabbati requieuit ſepultus. Sed quoniam Dei operoſa quies eſt, ipſa quies otioſa eſſe non potuit; nam corpore in ſepulchro depoſito, Dominus cum anima hominis ad inferna deſcendens vocauit de locis ſuis animas Sanctorũ.* Dormis cum Ieſu? Operibus iuſtis curam impende. Quia *etiam* (vt cum D. Ambr. epiſt. 60. verba faciam) *Sanctorum ſomnus operarius eſt.*

43. *Sparge ſepulturæ odorem.* Ioan. 19.

Ea autem opera decent ſepultos cum Ieſu, quæ dignam eius redoleant ſpeluncam. Annon Ioſeph, & Nicodemus corpus Dominicum *ligauerunt linteis cum aromatibus?* Ioan. 19. Ea equidem Chriſtianorum opera, quæ operum ſepulti Domini fragrantiam ſpargant, D. Ambr. in Exhor. ad vir. profante, *Dormiat cura tua, vigilet fides; dormiãt illecebræ corporis, vigilet cordis prudentia.* Operarius enim fidelium ſomnus. *Membra tua* (adiicit) *redoleant Crucem Chriſti, & ſepulturæ odorem.* Id etenim decet eum, qui cum Domino ſepultus Domini opera curat imitari. Annon operatorius Ieſu ſomnus inferna debellauit? Operatoria igitur mors tua penitus hoſtes confringi ac ablegari efficiet.

Ambroſ.

## SECTIO QVARTA.

# Deiparæ Martyrium, & luctus.

## EX CAP. XIX. IOANNIS.

### *TEXTVS.*

*Verſ.* 25. Stabat autem iuxta Crucem Ieſu Mater eius.

### *COMMENTARIVS LITERALIS.*

### §. I.

### *Juxta Crucem Maria commoratur.*

1. *Amor Deiparæ in Ieſũ.* Anſelm.

HAVD ô Domine, baiulans tibi ſoli *Crucem exibis*, portas & Matri in palmam vtique conſcenſuram. Profectò *Quidquid crudelitatis* (vt cum Anſelmo loquar.) *inflictum eſt corporibus Martyrum, leue fuit, aut potius nihil in comparatione tuæ paſſionis. Et vtique, pia Domina, non crediderim te potuiſſe tanti cruciatus, quin vitam amitteres, ſuſtinere, niſi ille ſpiritus vitæ, ſpiritus conſolationis, ſpiritus ſcilicet dulciſſimi Filij tui te confortaret.* Quàm exitiale vulnus, quando corpus Deiparæ, ne examinaretur, tam duplici diſcedentis Eliæ ſpiritu roboratur!

2. *Deiparæ conſtantia.* Conſtantiſſimum Deiparæ erga Ieſum amorem plenum fide & fortitudine conſiderationi oportet obiicias. Non timuit, non erubuit inter efferatos hoſtes crucifixi agnita Mater aſſiſtere, omnibuſque adſtare conſpicuo in vertice Caluarij. Quanto dolore cor Virginis premeretur, & velut contereretur, dum Filium vnigenitum, innocentiſſimum, (vti ponderat Toletus) & dilectiſſimum tam immanem necem videret ſubeuntem! Quam appoſitè Euangeliſta! *Iuxta Crucem erat.* Anima etenim Matris ſimul cum Filio patibulo ſuffigebatur, præuidente Simeone: *Tuam ipſius animam doloris gladius pertranſiuit.* Et interprete Cyril. lib. 12. cap. 13. O pluſquam ferinum Iudæorum cor, qui nec Matris lacrymis mouebantur, vt ſaltem à blaſphemiis in Chriſtum ſe ſe continerent. Quam vere Damaſ. lib. 4 c. 15. aſſeruit: *Quos dolores Deipara in partu non habuit, iuxta Crucem ex compaſſione anima ſuſtinuit.* Quin & D Anſelm. non ſolum Martyrem prædicat, ſed omnium Martyrum dolores, ſi conferantur cum Mariæ cruciatibus, leues adſerit extitiſſe. Portò de Martyrio Deiparæ, & Luctu vber ſermo redibit.

*Tolet.* *Cyril.* *Damaſc.* *Anſelm.*

3. *Haud Deipara ſpaſmus, aut indecorum quiddam.* Sed tamen nihil indecorum, nihil quod non ſumma cum modeſtia componeretur, admiſit. Vnde omninò expungenda illorum opinio recentiorum, qui in Virgine ſpaſmum eo: fingût. Habuit enim mentem nubilo paſſionis minimè diſturbatam, diuinæ omninò addictam voluntati: *Statura tua aſſimilata eſt palmæ.* Cant 4 Non cedit palma ponderi? Quonammodo cederet Virgo dolori? Non itaque crinibus manus admouit, non genas, non pectus laniauit, non eiulauit, aut vociferata eſt; ſed acerbiſſimum dolorem alto preſſit pectore, profuſiſque lacrymis modeſtè ſubindicauit. Audite Metaph. ſer. de Dorm. Virg. *Dicunt hi, qui de rebus hiſce tractauerunt, Virginem ab initio vſque ad finem ſe fortiter, ac conſtanter geſſiſſe; honeſtè quidem, & non indecoro vtentem motu, factis etiam oſtendentem ſe eſſe Matrem; ſed Matrem omninò illum, qui amico mortuo, motum animi certis finibus continuit; mortuumque videns Filium eo motu animi vſa eſt, vt oportuit.* Sed Deiparæ fortitudinem paucis confirmo.

*Cant. 4.* *Metaph.*

## §. II.

*Deiparæ iuxta Crucem conſtantia.*

### Vbi quàm rectè lacrymæ cum fortitudine agglutinentur.

4. *Ambroſ.* DIuus Ambroſius: *Stabat & ſancta Mater iuxta Crucem Filij, & ſpectabat Virgo ſui vnigeniti paſſionem. Stantem illam lego, flentem non lego.* Illud ponderа: *Videbat vnigeniti ſui paſſionem.*

Prodigium fortitudinis, & conſtantiæ Reſpha olim, quæ quidem patibulo filiis ſuffixis, *non dimiſit aues lacerare eos per diem, neque beſtias per noctem.* 2. Reg. 21. Proh conſtantiæ & fortitudinis miraculum! Maria tantum aberat, vt contrectans corporis viuentis, iam cadaueris vulneratores indignaretur, vt non iam Reſpham, verum Abrahamum vincens, conſtantiorem porrigeret manum, ſi mundi vtilitati, ex cœleſti præſcripto conſonum. 5. *Reſpham ſuperat Deipara* 2. *Reg. 21.*

De Machabæorum parente conſtantiſſima ſic Textus: *Suprà modum autem Mater mirabilis, quæ pereuntes ſeptem filios ſub vnius diei tempore conſpiciens, bono animo ferebat.* 2 Machab 7. Ad exordium capitis recurre: *Contigit autem ſeptem fratres vna cum Matre ſua apprehenſos.* Non ſe ſe illa obtulit hoſtibus; ſed apprehenſa in conſpectu apparebat filiorum. Deipara autem & vltrò adſtitit, & ſe ſe perſecutoribus offerebat: *Stabat* (inquit Aug. de infant. Virg. c. 7.) *ante crucem Mater, & fugientibus viris, ſtabat intrepida. Stabat non degeneri Mater ſpectaculo, quæ non metueret peremptorem. Pendebat in Cruce Filius, Mater ſe perſecutoribus offerebat.* Si conſtantia deprehenſæ ſuprà modum mirabilis: quanto magis conſtantia eius, quæ deprehendi geſtiebat, & procurabat, nos debet rapere in admirationem? 6. *Matrē Machabæorum vincit.* *Auguſt.*

Quando Planeta in domô ſua commoratur, ibi totam vim exerere dicitur. Luciferi, ſiue Stellæ matutinæ domus Libra. Quidnam Stella matutina apud Libram, niſi Mater Ieſu iuxta Crucem, quæ *Statera* ab Anaſt. Sinai. l. 4. Exa. nuncupatur, canente Eccleſia: *Statera facta corporis?* D. Ildefon. ſerm. 1. de Aſſum. *Qui cuncta quaſi ſtatera ſuſpenſa tenet, Crucis ſtateria ſuſpenditur. Super quem Virgo multum doluit.* Illud pende: *Super quem Virgo.* En Stellam commorantem in Libra. Doluit quidem multum; ſed apud domum ſuam collocata, vim ſummam manifeſtat. 7. *Suam fortitudine exerit Stella Maria apud Crucis ſtateram.*

Quid mirum non corruere; ſed immobiliter ſtare iuxta crucem; ſi non vulgari charitate fulgurabat, ſed quæ mortem vinceret. Erat quando dilectio ſumma Sanctorum fortis, ſicut mors; deprædicabatur: *Fortis ſicut mors dilectio.* Cant. Pugnam inſtruebant dilectio, & mors, & quia (ſic liceat exponere) haſta æquali dimicabant, non ſemel excidente dilectione, ſiue languente amore, egit mors potentiſſima triumphum. Ad aciem mortis properauit Petri dilectio, & ſæuiente morte, langueſcens excidit vulneribus acta. At Virginis dilectio longo interuallo ſuperans mortem, nullatenus potuit à morte ſuperari. Fortior enim quam mors Deiparæ dilectio. Pulchrè Guerric. ſer. 4. de Aſſum. *Stabat iuxta Crucem Ieſu Mater eius, planè Mater, quæ nec terrore mortis Filium deſerebat. Quomodo enim morte terreri poterat, cuius charitas fortior, quam mors erat?* 8. *Charitas Virginis fortior morte.*

# IN IESVM MORTVVM.

# Panegyricus quartus Moralis circa Literam.

## EX DEIPARÆ MARTYRIO ET LVCTV.

### *OBSERVATIO I.*

Ad illa verba:

*Stabat iuxta Crucem Jeſu Mater eius.*

Martyrium Deiparæ ex dilectione in Ieſum.

*Ubi de am ris tortura.*

9. Guerr.

GVERRICVS ſurſum: *Cuius charitas fortior, quam mors erat.* Fortior inquam ad vulnerandum, quam mors ad vulnera infligenda. Non ſæuit crux in crucifixam. Vulnerata iam charitate Deipara: *Vulnerata charitatis ego ſum*, quid mors eam ad formidinem adferret? Martyr itaque Deipara apud crucem ex charitatis vulnere.

10. *Aſcenſus Mariæ media charitate purpureus.* Cant. 3.

Illuſtre ex Canticis teſtimonium: *Ferculum fecit ſibi Rex Salomon, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum media charitate conſtrauit.* Cap. 3. Deipara ferculum Ieſu, cuius equidem aſcenſus ad ſuperos purpureus eſt, ſanguine Martyrij purpuratur, *media charitate.* Quæ quidem Deiparam ob compaſſionis affectum egit in crucem. Præclarè Guill. Paris. *Creauit ſibi Altiſſimus Matrem, cuius virgineo vtero portaretur. Et quoniam eidem glorioſæ Virgini & Matri de munere eius, qui natus eſt ex ea, ad culmen perfectionis, non defuit Martyrij ſublimis meritum: ſequitur in ferculo Aſcenſus purpureus. Aſcenſum purpureum media charitate conſtruxit.* Charitas enim adducens Deiparam ad Filij dilectiſſimi compaſſionem eius aſcenſum purpurauit, Martyr aſcendit.

Guill. apud Del-Rium.

11. *Ex Paulo confirmatur.*

Paulus: *Mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum.* Phil. 1. Quem locum cum Canticorum teſtimonio copulans Guillelmus adiicit: *Ergo ô Paule, tibi viuere præclare, aſcenſus eſt. Sed non omnium aſcendentium aſcenſus purpureus eſt; quia Martyrium hac prærogatiua eſt. Martyris vox eſt; Mihi viuere Chriſtus eſt, & mors lucrum. Quilibet Sanctus veraciter dicere poteſt, Mihi viuere Chriſtus eſt: quod autem ſequitur, Et mori lucrum, propriè ad Martyres pertinet. Mors quippe corporalis cæteris ſanctis conditio eſt, ſolis autem Martyribus præclariſſimi meriti lucrum eſt. Cum ergo Martyr ille inſignis dixit, Mihi mors lucrum, perinde eſt, ac ſi dixiſſet, Aſcenſus meus purpureus eſt.* Iam venit ad Deiparam. *Et ideo cum pia Mater dicit aſcenſum ſuum eſſe purpureum, ſe Martyrem profitetur, & ſibi mori lucrum. Martyres alij fuere moriendo pro Chriſto: hæc commoriendo Chriſto Martyr fuit, & Commartyr Chriſti.* Vnde *aſcenſum purpureum media charitate conſtrauit.*

Iam inclamat ſponſa: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* Cant. 2. Sep. *Quia vulnerata charitate ego ſum.* Guill. ad Paſſionem Dominicam effert, vt ſit ſenſus. Sponſus meus, quem pendentem aſpicio, *malus vtique inter ligna ſyluarum, flos campi, & lilium conuallium*, me vulnere charitatis adfectam confortare dignetur. Tam etenim ſaucia ex amoris vulnere, dum eum pendentem aſpicio: vt ſine ſpecialiſſimo Ieſu adhibito robore, omninò deperiiſſem. D. Anſelm. de laud. Virg. c. 5. *Vtique pia Domina, non crediderim, te potuiſſe vllo pacto ſtimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteres, ſuſtinere, niſi ipſe ſpiritus vitæ, ſpiritus conſolationis, ſpiritus ſcilicet dulciſſimi Filij tui te confortaret, te conſolaretur.* Tibi Ieſus malum mortis vtique arbor, & lignum vitæ; tibi ſerpens vulnerans, & ſerpens adhibens medicamen; & charitate vulnerata, & charitate donata valetudine.

12. *Filij mors Virgini patitur, & ſanat.* Cant. 2. Guill.

Anſelm.

Fortiſſimus equidem amor Pauli in Ieſum qui vitam Domini ſuam fecit. *Viuo ego, iam non ego; viuit vero in me Chriſtus.* Gala. 2. Num fortior vita, quàm mors? Abſit. Fortior mors vitam debellans. Vincitur, vincitur charitas, tua in Ieſum, ô Apoſtole, à Mariæ charitate. Dilectio namque Mariæ fortior, quam mors; quia Chriſti mortem ſuam effecit. Pulchrè admodum Hieron. ſerm. de Aſſum. *Eius dilectio amplius fortis, quam mors fuit, quia mortem Chriſti ſuum fecit.*

13. *Amor Deiparæ mortem Filij ſuam effecit.* Gala. 2.

Hieron.

Nec defuit crux Deiparæ, ipſa ſibi patibulum ex affectu charitatis: *Statura tua aſſimilata eſt palmæ.* Cant. 7. *Statura.* Compone hanc particulam cum Ioanne: *Stabat iuxta Crucem.* Ac ſi diceret, Illud ſtare, illa ſtatura palma erat, Crux erat. Stando enim iuxta Crucem affectuoſa amatrix, in crucem conuerſa eſt. Eleganter Guillel. *Per palmam, quæ manus victoris*

14. *Deipara ſtans iuxta Crucem, ſibi Crux facta eſt.*

Cant. 7. Guillel.

*Iboris antiquo ritu ornatur inſigne illud, ac victorioſum Crucis lignum notatur. Cui nimirum Euangeliſta ſtaturam pia Matris aſſimilatam inſinuans, ait, Stabat iuxta Crucem Ieſu Mater eius. Planè illa fortis, illa intus patiebatur crucem. Stabat illa iuxta Crucem ſui Ieſu, atque ea ipſa ſibimet quodammodo erat in Crucem erecta ſtando iuxta Crucem. Ipſa ſibi per affectum quodammodo erat Crux.*

15. *Conuerſa eſt Maria in ſpinas, clauos, flagella vulnera.* Ruth. 1. Multumne tibi Deiparam in crucem ex charitatis flamma conuerti? Profectò in flagella, in ſpinas, in clauos, in vulnera adeò conuertebatur; vt iam quodammodo non ſit Maria: *Non vocetis me Noemi, ſed vocate me Mara* Ruth. 1. Iam mirabilis rerum commutatio facta eſt. Erat quando Noëmi pulchra, nunc tota Mara. Nihil apud me niſi amaritudo. Non iam Maria, ſed flagella filij mei, ſed vulnera filij mei, operante charitate, ſum. Bonauent. Egregiè D. Bonauent. in ſtim. amo. *Quæro Matrem Dei, & inuenio ſpinas, & clauos: quæro Mariam & inuenio vulnera, & flagella. Quia tota conuerſa eſt in iſta.*

16. *Abraham vincitur à Maria.* Gen. 22. Abraham filium vulneraturus, ſe ſe prius vulnerauit, Dominus enim: *Ne extendas manum tuam ſuper puerum, nec facias ei quidquam;* cum tamen: *Extendit manum, & arripuit gladium.* Gen. 22. Si manum extendit, quonammodo eandem extendere prohibetur ſuper puerum? Num quia prius extendit manum ad gladium ſtringendum; nunc autem ad filij percuſſionem? Planè ad literam. Attamen ſi ſpiritum rimemur, extendens prius manum, ſeipſum charitatis affectu vulneraret, vnde extendere manum ſuper filium prohibetur. Ac ſi diceret Dominus, Te vulnere affeciſti, ſufficit, ne vlterius ad percuſſionem alteram procedas. Huc ades Deipara, re ipſa quodammodò flagellans, ſpinis ſtipans, configens, tu tibi flagella, ſpinæ, claui, Crux. Si parentes commouentur filiis dilectis, quid Deipara, quæ ſola tanquam Pater, & Mater filium ſuum diligebat? Anſelm. D. Anſelm. de excel. Virg. c. 4. *Excedit omnes amores parentum in filios amor iſtius Matris in filium ſuum.*

## OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

*Stabat iuxta Crucem Ieſu Mater eius.*

### Martyrium Deiparæ ex identitate cum Ieſu.

*Vbi de parentum ac filiorum quaſi vnâ eſſentiâ.*

17. S*i Mater eius*, dicere potuiſſet Ioannes: *Stabat iuxta Crucem Ieſu alter Ieſus.* Quia ſi amicus alter ego, quid mater chariſſimi filij? quid filius amantiſſimæ matris? Vnde Martyrium Deiparæ probaturus Chryſoſt. Chryſoſt. ait: *An tu tentationis expers eris, quandoquidem te Matrem eſſe confeſſa es? Quandoquidem illum peperiſti? Quandoquidem vterum tuum viſa es commodaſſe? Nuntius enim & index illius operationis venter tuus fuit, nunc tu igitur tentationis expers eris? ſed & tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Quam pulchrè.

Superuacaneum duxi oſtendere filium & matrem ſingulari quadam non tam vnione, 18. *Vna Mariæ & Ieſu caro; vnus ſpiritus.* quam vnitate inter ſe copulari. Conſulendus Tull. 3. in Ver. & Ariſt. 8. Ethic. Profectò quæ inter alios parentes & filios intercedit vnitas, Tull. inter Ieſum & Mariam arctiſſimam extitiſſe ex Ariſt. Arnol. Carn. oſtendo: *Vna eſt Maria ac Chriſti caro, vnus ſpiritus; vna charitas: vnitas diuiſionem non recipit, nec ſecatur in partes; & licet ex duobus factum ſit vnum illud, tamen vltrà ſcindi non poteſt; atque adeò Filij gloriam cum Matre non tam communem iudico, quam eandem:* Auguſt. & Dam. conteſtantur.

Proximam expende particulam: *Filij gloriam cum Matre nō tam communem iudico, quam* 19. *Cruciatus Ieſu cruciatus Mariæ.* *eandem.* An non contrariorum eadem diſciplina? Ex Philoſopho perſpicuum eſt. Si ergo Arnold. identitas præfata Ieſu & Mariæ efficit, vt gloria Ieſu ſit Deiparæ gloria, gaudium nempe & exultatio Ieſu ſit Mariæ exultatio: haud aliter paſſio, cruciatus, labores Ieſu, Mariæ proculdubio paſſio, cruciatus, & labores exiſtunt.

Hinc Deipara non ſolum Filium pro mundi 20. ſalute, ſed etiam ſeipſam Redemptrix quodam- *Quodammodo Maria Redemptrix.* modo immolauit, vt præfata identitas adpareat. Arnold. Ex ore Arnold. *Et quod difficillimum erat, moriebatur Virgo, & mori non poterat, & facti colligi Crux illa anima, & patibulum ſpiritus, in quo erat hoſtia viua, & beneplacens Deo, & medullatum holocauſtum, quod cum ipſa incenderet, tantum conſcientia miniſterio vtebatur, ipſaque ſine ſtrepitu ſeipſam mactans in altario interiori, & ligna, & flammas, & latices conferebat. Nimirum in tabernaculo illo duo videres altaria, aliud in pectore Mariæ; aliud in corpore Chriſti. Chriſtus carnem, Maria immolabat animam. Optabat verò ipſa ad ſanguinem animæ, & carnis ſua addere ſanguinem, & eleuatis in Cruce manibus celebrare cum Filio ſacrificium veſpertinum, & cum Domino Ieſu corporali morte redemptionis noſtræ conſummare myſterium. Sed hoc ſolius ſummi Sacerdotis priuilegium erat. Cooperabatur tamen* (attendo) *plurimum ſecundum modum ſuum ad propitiandum Deum: cum tam propria, quam Matris vera charitas Chriſti perferret ad Patrē, cum quod Mater peteret Filius approbaret, Pater donaret. Diligebat Pater Filium, & Filius Patrem: Mater verbo poſt vtrumque ardebat, vnumque erat, quod diuerſa exhibebant officia, quod Pater bonus, quod Filius pius, quod Mater ſanctu intendebat, quod in commune elaborabat dilectio, ſimulque ſe complectebantur pietas, & charitas, & bonitas, Matre ſupplicante, Filio interpellante, Patre propitiante. Filius ad Matris pectus, & vbera, Patre ad Filij Crucem, & vulnera reſpiciebat. Et quid inter hæc tanta pignora non meruerent?* Omnes apprimè obſeruauit Doctor rationes quibus ob identitatem cum Filio Deipara ad mundi ſalutem cooperata eſt. Dum videlicet ſeipſam pro mundi ſalute ita Deo immolauit per mortis, ac Crucis votum, & deſiderium, vt ſi fieri poſſet, ipſa etiam ad vniuerſitatem ſaluandam, cum Filio commori, & mortem illi ſimilem vellet optare. Dum ſuam voluntatem

Digitized by Google

voluntatem cum Filij voluntate prorſus conformem, & concordem exhibens, Filium ſuum pro communi ſalute morti addixit Dûmque ipſa mediatricem egit apud Mediatorem.

21. *Deipara Commartyr Ieſu.* Cant. 4. Rupert.

Rurſum expendo Epithalamij teſtimonium: *Ferculum fecit ſibi Rex Salomon, &c. aſcenſum purpureum media charitate conſtrauit.* Cant 4. Ferculum Ieſu Deipara, Ruperto auctore, Aſcenſus purpuraus, quia Deipara Martyrio aſcendit rubricata. Vbinam ſanguis? Maria & Ieſus identitate cohærent. Sanguis igitur Ieſu è vulnere Deiparæ profluit; quia vulnerato Ieſu Maria quodammodo vulneratur. Profectò ſanguis non apparet profluens è vulnere Mariæ, ſicuti è vulneribus Saluatoris ideò, quia vulnera Ieſu corporis quidem, Mariæ animi. Sanguis igitur Ieſu profluit in ſinum Mariæ, ipsaque diffluente Dominico ſanguine, non ſolùm Martyr, imò Commartyr exiſtit. Idem etenim quodammodo Maria, & Ieſu. Fluit igitur in ſinum ferculi ſeu currus Dominicus cruor, vnde ferculi purpuratur aſcenſus.

Guill. apud Del-Rium.

Egregiè Guillelmus ille non Paruus, ſed magnus: *Planè gladius acutiſſimus dolor Dominicæ Paſſionis animam piæ Matris penetrans, atque tranſuerberans, eam ſpiritualiter commori Filio fecit. Martyres alij fuère, moriendo pro Chriſto: hæc commoriendo Chriſto, Martyr fuit & Commartyr Chriſti. Plus eſt eſſe Commartyrem Chriſti, quàm Martyrem Chriſti. Martyres ſuo, hoc eſt, hominum foris ſanguine, ſed Maria Filij, hoc eſt, Dei ſanguine intus rubebat.*

22. *Intus Dei ſanguine rubebat.* 2. Par 18. 3. Reg. 22.

Pondere debito expendatur proxima particula: *Dei ſanguine intus rubebat.* Quaſi vulnus Ieſu Virginis vulnus, cuius ſanguis non foris erumpebat, ſed in ſinum inuiſibile animo effluebat vulnerato; quo quidem ſanguine aſcenſus Regij ferculi, ſeu currus purporaretur. Vidimus alibi mortem Achab Saluatoris necem figuraſſe: *Rex Iſrael ſtabat in curru ſuo contra Syros vſque ad veſperam, & mortuus eſt occidente Sole.* 2. Par. 18. Quibus verbis in hiſtoria Regum hæc clauſula adiicitur: *Fluebat autem ſanguis plagæ in ſinum currus.* 3. Reg 22. Num currus, ſeu ferculum Regis Iſrael Deiparæ? *Ferculum fecit ſibi Rex Salomon.* Cuius vti aſcenſus purpuraſceret, in ſinum currus ſanguis Dominicus ex Deiparæ inuiſibili vulnere profluxit. Proh non iam Martyrem, ſed Commartyrem Chriſti, Redemptricem quodammodo orbis, idem cum Ieſu!

23. *Communis crux eſt, & commune ſepulcrum Ieſu, & Mariæ.* Cant. 1. Guill.

Si communis Crux, quidni & commune ſepulchrum? *Lectulus* (inquit Maria) *noſter floridus.* Cant. 1. Nos ô bone Ieſu, ſimul morientes, non duplex ſpelunca, ſed vnicum excipiet monumentum. Guillelm. appoſitè. *Lectulus ille tuus, in quo caro tua per triduum requieſcet, nonne & meus? Nempè per maternum ero tibi commortua affectum.* Hactenus ille.

# OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

## *Stabat iuxta Crucem Jeſu Mater eius.*

## Martyrium Deiparæ præſtantiſſimum, quia ipſa erat anima Ieſu.

*Vbi de ſpiritualibus vulneribus corporea mirum in modum ſuperantibus.*

24. *Vulnus Deiparæ animo inflictum.*

PROXIMA Deipara Cruci, vbi animus ſuffigebatur, ſi non corpus alligatum erat. Simeon Martyrium Virginis apprimè præſignauit: *Ecce hic Puer poſitus in ſignum, cui contradicetur, & tuam ipſius animam doloris gladius pertranſibit.* Luc. 2. Ille quidem corpore, tu animo vulneraberis. Vnde appoſitè iuxta Crucem collocata deſcriberis.

Guerr. Bernard.

Guerricus cit. ad hæc: *Planè iuxta Crucem ſtabat, cuius mentem dolor Crucis ſimul crucifigebat, ſuamque ipſius animam tam multiplex pertranſibat gladius, quantis confoſſum corpus Filij cernebat vulneribus.* Et D. Bernard. ſignum mag. *Tuam ô Virgo, animam pertranſiuit vis doloris, vt pluſquam Martyrem non immeritò prædicemus, in qua nimirum corporeæ ſenſum paſſionis exceſſerit compaſſionis affectus* Duplex vtriuſque argumentum. Vnum quidem, Martyrij Deiparæ inuit præſtantiam, quia in animo vulnus inflictum. Alterum autem, eiuſdem Martyrij excellentiam ex eo capite, quòd Deipara ſit animus quodammodo Ieſu.

---

### CAPVT I.

*Quodammodo accidentarij omnium Martyrum cruciatus, ſi cum vulnere Deiparæ componantur.*

25. *Spiritualis Mariæ tortura.* Bernard. Guillel.

VIdiſti ex Bernardo pluſquam Martyrem Deiparam, quia eius animus vulneratus eſt: *Tunc ipſius animam doloris gladius pertranſibit.* Confirmat Guillel. ad illud Canticorum: *Aſcenſus purpureus.* Cap. 1. *Gladius acutiſſimus dolor Dominicæ Paſſionis animam piæ Matris penetrans. Aliorum Martyrum, corpus, & proinde præſtantius Martyrium fuit.*

26. *Eſſentialis Deiparæ paſſio, cæterorum accidentaria quodammodo.*

Quaſi accidentaria fuère Martyrum tormenta, ſi cum doloribus Deiparæ componantur. Martyres paſſi ſunt in carne: carne verò cruciatum ſuſtinente, animus non modo non diſcruciabatur, ſed etiam glorioſæ necis conſcius recreabatur. At Virginis tota paſſio in animo peracta eſt. Enimverò voluptas, quæ animo capitur ex contemplatione delectabilium plurimum excedit corporeæ delectationi, vt docet

Ariſtot.

Ariſtot. 1. Ethic. ſic etiam dolor animum angens longè ſuperat illum, quo corpus afficitur. Gloriam illam, quæ ad animum ſpectat, & in Dei clara viſione conſiſtit, à Theologis eſſentialis appellatur, ſicut illa, quæ ad corpus dimanat ex gloriæ dotibus beatitudo, & felicitas accidentalis nomine adnotatur. Quod ſi contrariorum eadem eſt diſciplina, pertinens ad animum dolor eſſentialis mihi eſt, corpus autem premens cruciatum quodammodo accidentarium appello. Hinc Deiparæ animo vulneratæ Martyrij præſtantiam recognoſco. Omnium Martyrum tormenta leuia, & quaſi accidentaria.

Anſelm.

cidentaria, ſi cum ſauciato Mariæ animo comparentur. D. Anſel de Excel. Virg. c. 5. *Quidquid crudelitatis inflictum eſt corporibus Martyrum leue fuit, comparatione tuæ paſſionis, ô Virgo.* Quia vtique quod corporibus infligitur tormentum, quaſi accidentarium eſt. *Tunc* igitùr *pluſquam Martyr fuit*, (loquor cum D. Ildefonſo ſerm. de Aſſum.) *quia in animo non minùs amoris, quam mœroris gladio intus vulnerata eſt.*

Ildefonſ.

25. *Omnes necaret diuiſus dolor Virginis.* Eccleſ. 1.

Quàm verè Maria amarum mare ex omnium dolorum confluxu! Quàm piè mare hoc non redundat! *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat.* Quia videlicet ſi redundanti amariſſimo hoc Deiparæ pelago in omnes creaturas vndatim amaritudo, dolórque diſtribueretur, omnés omninò interimeret. Nec auctor ego huiuſce excogitationis, ſed D. Bernar. ſatus tom. 1. ſerm. 61. *Tantus fuit dolor Virginis, quod ſi in omnes creaturas, quæ dolorem pati poſſunt, diuideretur, omnes ſubitò interirent.*

Bernard.

26. *Terminos humanitatis tranſiluit quodammodo.* Gen. 6.

Vnde exiſtimo Deiparam dolentem terminos humanitatis quodammodo trāſiluiſſe. Haud poteſt diuinitas doloris affici vulnere, ſed tamē ipſum Deum doluiſſe Scriptura proclamat. *Tactus dolore cordis intrinſecus.* Gen. 6. Vt videlicet apud Deum eſſet quodammodo (hyperbolicè loquor) infiniti doloris exemplum cui dolor Virginis poſſet aſſimilari. Anſam mihi, ſiue potius manum præbuit ad huiuſmodi cogitationem perſequendam Amadæus hom. 5. de Deip. ſatus, *Maria verò vicit ſexum, vicit hominem, & paſſa eſt vltra humanitatem: torquebatur enim magis, quàm ſi torqueretur ex ſe, quia ſuprà ſe incomparabiliter diligebat id, vnde dolebat.* Paſſa itaque eſt vltra humanitatem, quia apud humanos non extat quodammodo excogitabilis dolor, quem non longè ſuperet Deiparæ Martyrium. Dei igitur hyperbolicum infinitum dolorem imitetur.

Amad.

---

## Capvt II.

### *Quaſi anima Ieſu tota in toto, & tota in qualibet corporis Dominici parte paſſa eſt.*

27. *Maria anima Ieſu.* Guerr.

Iam D. Guerrici affirmantis Deiparam animam Ieſu, ſententiam expendo: *Tuam ipſius animam.* Id eſt, *animam tuam*, quæ eſt anima *ipſius, doloris gladius pertranſibit.* Hinc Deiparæ Martyrij vis apprimè declaratur.

28. *Vt maiorem dolorem habuit quàm Saluator?* Bonauent. Salaz.

Animæ rationalis totum corpus eſt domicilium, & ſingulæ corporis particulæ totam animam continent. Quia ſcilicet tota eſt in toto, & tota in qualibet parte. Iam minus audax mihi D. Bonauent. de comp. Virg. lect. 1. teſtimonium. *Hæc maiorem dolorem habuit, quam Saluator, qui tot ſuſtinuit.* Vera huiuſce teſtimonij interpretatio, (ſi ad bonum ſenſum vocandum ſit) hæc eſt, moderno ingenioſo interpreti. Virgo maiorem ſuſtinuit dolorem, quàm Saluator, non in vniuerſum collato dolore Virginis cum omnibus doloribus Chriſti etiam internis: ſed ſolum ſi externi Chriſti dolores cum doloribus internis Mariæ conferantur. Nam cum claui manus, pedeſque Domini configentes, &c. animū Virginis ſimul ſauciarent: maiorque ſit animi, quàm corporis cruciatus; fit Deiparam ex eo capite grauius, & acerbius doluiſſe, quàm Filiū.

Attamen meo conuenientius argumento, factaque collatione doloris interni Deiparæ cum doloribus externis Saluatoris, aliter Bonauenturam interpretabor. Nonne rationalis anima tota in toto, & tota in qualibet parte? Si igitur Deipara Chriſti anima per affectū, *Tuam ipſius animam*: tota in toto corpore Saluatoris reſidebat, & tota in quolibet membro commorabatur. Quando igitur Ieſu manus configebantur, non vulnerabantur pedes, quia pedes in manibus non reſidebant; quando pedes Cruci alligabantur, non venerabile terebrabatur caput, quia caput haud ſortiebatur in pedibus domicilium; imò nec totum Chriſti in quolibet mēbro percuſſo corpus vulnerabatur; ſed totum corpus ſemel omnibus dolentibus membris patiebatur martyrium. At Deipara anima Ieſu affecta tota in qualibet parte reſidens, cum pedes percutiuntur, tota vulneratur; cum terebratur caput ſpinis, tota vulnere afficitur. Vnde tot totæ Virgini plagæ, & exitialia vulnera, quot ſingulis Ieſu membris cruciatus, & dolores *Hæc* igitur *maiorem dolorē habuit, quàm Saluator, qui tot ſuſtinuit.* Quia quotiens ille aliquid ſuſtinebat in parte, Deipara id ipſum ſuſtinebat in toto. Anima equidem Ieſu tota in toto, & tota in qualibet particula reſidens. Hinc Arnoldus: *Chriſtus in Matre amplius, quàm in ſe pati videbatur.* Hæc cum grano ſalis accipite; nec enim aliter licuit Seraphici Doctoris pro meo modulo verba interpretari.

29. *Vna Ieſu plaga innumera Mariæ* Metaph.

Exaggero excogitationem. Non ſolum ſemel tota Deipara patiebatur, ob quemcumque ſingularem dolorem corporis Ieſu, verum vna Chriſti plaga innumera Mariæ vulnera exiſtebant. Id quod pulchrè adnotauit Metaph. de dorm. Deip. *Hæc omnia illa tranſuerberabant profundius, quam illi claui; & pro vna Filij plaga innumeris ipſa plagis ſauciabatur.* Vt iam tranſiliat compaſſionis animi terminos. Totus animus in quolibet membro vulnerato exiſtit, vnicus quidem. At animus Deiparæ multiplex reſidet apud quodlibet membrum Saluatoris, vt pro qualibet ſingularis membri plaga, innumeris tota Virgo Ieſu multiplex anima afficiatur vulneribus.

30. *Vt anima Ieſu lancea vulnere ſaucia Maria.* Ioan. 19.

Enimverò ad præfatæ doctrinæ robur, vt ſcilicet conſtet Deiparam Ieſu animam affectam quodammodo, & vltra dolores Ieſu aliquod ipſam ſingulare vulnus accepiſſe, ex quo ſauciaretur: mecon, obiicite, precor, militem illum lanceâ latus Dominicum confodientem; lanceâ inquam, cuius mucronem dirum appellat Eccleſia, *Mucrone diro lanceæ.* Vndenam (rurſum requiro) dirus mucrò, ſi exanime Ieſu pectus tranſuerberauit? Dirùs equidem, quia totam Deiparam, animam Chriſti confixit. D. Bernar. opportunè. *Et quidem etiam poſtquam miſit ſpiritum ſuum ille Ieſus, ipſius plane non attigit animam crudelis illa lancea.* Cur ergo crudelis? *Ipſius, cui nocere non poſſet, aperuit latus, ſed tuam planè animam pertranſiuit. Ipſius enim anima iam ibi non erat, ſed tua planè inde nequibat auelli. Tuam ergo ipſius animam pertranſiuit vis doloris, vt pluſquam Martyrem non immeritò prædicemus.* Chriſti latus *aperuit lancea*, non iniquit vulnerauit: at tuam ipſius animam pertranſiuit. Aperta ianua apud Ieſu corpus, vt vſque ad animam, vſque ad te ô Deipara, vulnus tranſmitteretur.

Bernard.

Ad

31. *Tota patiebatur quidquid Ieſus in parte ſuſtinebat.* Matth.26.

Ad hæc totam Virginem animam Ieſu paſſam quidquid Chriſtus ſingulariter patiebatur, oſtendo ex Petri negatione. Negat Petrus Ieſum. Ergo gladius doloris Virginem pertranſiuit. Hanc conſequentiam ingenuosè concedit D.Chryſoſt. Orat.de occurr.Dom.fatus: *Negauit Petrus. Pertranſiuit igitur Mariæ animam gladius.* Quælibet pars Dominici doloris totam Virginem quaſi neceſſitate conſequentiæ ſauciat, quia animam Saluatoris eam reddidit charitatis affectus.

# OBSERVATIO IV.

## Ad illa verba:

## *Stabat iuxta Crucem Ieſu Mater eius.*

## Martyrium Deiparæ, quia non audiuit, ſed vidit horribilem Filij necem.

### *Vbi quàm ſaucient oculos obiecta mala.*

32. MATER *eius?* Proh Virginis Martyrium! Et quomodo non moriatur parens, quæ non modo deflet interitum filij, ſed aſſidet ipſi morienti? Opportunè ſatis Arnold. *Intuetur te illa benedicta in mulieribus, & fixis in te oculis vulnera tua pietate conſiderat materna.* Quid inde? *Parentis affectu commoritur, & pectus maternum immaniter dolorum arctatur.* (Arnold.)

33. *Audiens Iob filiorum necẽ properat ad ſepulcrum.* Olim Iob non vidit, ſed audiuit ab vnico atteſtante miniſtro filiorum cladem: *Filiis tuis,* (aiebat ille) *& filiabus conueſcentibus, & bibentibus vinum in domo fratris ſui primogeniti, repentè ventus vehemens irruit è regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domus, quæ corruens oppreſſit liberos tuos, & mortui ſunt.* Tunc Iob inclamauit: *Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc.* Cap.1. (Iob 1.) Quaſi ſciſſis veſtimentis ſe ad tumulum præpararet. Cur ô Princeps, ad ſepulcrum properas, cur terræ ſinui hæres, poſtquam audiſti filiorũ exitium? Quia vel auditus rumor de filiorum morte prudentiſſimum, & patientiſſimum virum lethali adficit vulnere. Olymp. apud Comit. (Olymp.) *Proles præcipuè mouent, vt ſuſti naturam exulceret.* Tanto igitur vulnere ſaucius *corruit in terram,* quæritans commune ſepulcrum: *Reuertar illuc,* Vulnus Deiparæ contemplemini, non audientis, ſed videntis filij dilectiſſimi non ſubitò illatam mortem, ſed ſegniter ab hoſtibus necem protractam.

34. *Moritur parens in conſpectu filij morientis vulnere filij.* Exod 4. Lyran.

Quando parens non quodammodo moritur in conſpectu filij accepto vulnere morientis? Pergebat Moyſes in Ægyptum adducens ſecum vxorem, ac filium incircumciſum: *Cumque eſſet in itinere Moyſes in diuerſorio occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum.* Exod.4. Vbi Lyranus affirmat à quibuſdam hæc referri ad ipſum filiũ, ac ſi diceret, Intendit Dominus occidere, infantem incircumciſum, ideò Sephora *tulit illicò acutiſſimam petram, & circumcidit præputium filij ſui.* Haud mihi probabilis loci huiuſmodi ex Lyrano expoſitio, attamen in præſenti admitto, vt inquiram: Si filius occidendus erat, quare dixit Textus: *Occurrit* Moyſi Dominus, *& volebat occidere eum,* id eſt Moyſem. Num quia tantumdem erat filium in conſpectu parentis necari, ac ipſum horribili vulnere occumbere? Ita planè. Imò crudelius Moyſes in filio necaretur, quàm ſi ipſe percuſſus fuiſſet: *Si quidem* (loquor cum Iſidor. Peluſ. a. epiſt. 81.) *parentibus acerbius eſt ſupplicium, cum pueri exitio dantur.* (Peluſ.)

35. *Putauit Ioſeph mortuã Deiparam, quia iuxta Crucem Filij obitum interfuit.*

. . Mortua igitur Deiparà ex Filij morientis obiectu Inducitur Ioſeph diues ille, ac nobilis decurio, qui furi Dominico operam dedit à D Epiphan. in conſpectu Pilati huiuſmodi verba proferens: *Pro mortuo illo interpello, qui ab his vulneratus eſt, quos ille paternè ſanauerat, & ipſa etiam Matre orbatus eſt.* Vndenam tibi ô bone, venit in mentem Deiparam iam occubuiſſe? Vidiſti illam exanimem? Audiſti à condiſcipulis eiuſdem dormitionem? Profectò ſcio illam iuxta Crucem Filij ſtetiſſe, vidit illum morientem, horribilibus vulneribus actum; mirum eſſet, ſi iam non immani vulnere ſaucia obiiſſet. Obiit planè, pro mortuo illo interpello qui Matre orbatus eſt. Vnde non ad eſt, qui cadaueris procuret diſpoſitionem.

36. *Septem Deiparæ gladij numero infinito pene multiplicati.*

Cur exiſtimas ſeptem gladios cordi Mariæ configi? Vt innuatur ſepties lethaliter vulneratam fuiſſe ex Filij patientis aſpectu. Nam ſi credendum Doctoribus affirmantibus, Mariam à Ieſu patienti non diſceſſiſſe: vel ſaltem (ſi hoc non tam verum) ei omnes Ieſu abſentis cruciatus fuiſſe mentis oculis oppoſitos: vidit equidem illum apud Caipham alapa vulneratum, colaphis cæſum, flagellis percuſſum, ſpinis coronatum, ſub Crucis pondere corruentem, clauis confixum, lancea tranſuerberatum. Septies igitur commortua eſt. Profectò iam vidimus Feminam ex ſeptem filiorum occumbentium obiectu ſepties emortuam. Teſtor Machabæorum Matrem, pronante Auguſtin. ſerm. 109 de Sanc. (Auguſt.) *Illa videndo in omnibus paſſa eſt; facta mater ſeptem Martyrum, ſepties Martyr à filiis non ſeparata ſpectando, & filiis addicta amabat omnes, ferebat in oculis, quod in carne omnes.* Cordi igitur huiuſce feminæ illuſtriſſimæ ſeptem gladij poſſent configi in ſeptem Martyriorum documentum. Quid igitur ſpeciale in Deipara? Profectò Machabæorum Matri ſeptem gladij ſeptem ſunt indices Martyriorum, ſinguli gladij ſingula Martyria repræſentant. At ex ſeptem gladiis Dei patentis ſinguli innumerabilium ſunt indices Martyriorum. Tam ingens enim dilectionis affectu, vt vna plaga eam innumeris vulneribus afficeret. Præclarè Metaphraſtes ſub alio datus argumento: (Metaph.) *Pro vna Filij plaga innumeris ipſa plagis ſauciabatur.* Numera itaque plagas Ieſu, ſi potes; ad numerum adducantur alapæ, colaphi, flagella, ſpinarum terebrationes, clauorum, ac lanceæ vulnera. Proh immenſum dolorum pelagus! Si igitur vna Filij plaga innumeris ipſa plagis ſauciabatur, plagæ Ieſu innumerabiliter multiplicatę quemnam Deipara plagarum numerum efficerent: Et cuiuſnam animum non ſtupor inuadit?

Quid

37. *Qui videt filium patientem plus ipſo ſauciatur.*

Quid ſi plus quodammodo Deiparæ miſereri debeamus? Chananæa opem patienti filiæ à Domino efflagitans, ait, *Miſerere mei, fili Dauid.* Matth. 15. Et quare non dixit, Filiæ patienti miſerere, ſed mei? Quia mater quæ videbat Filiam ab ægritudine vexari, quodammodò plus ipſa patiente vexabatur. D. Chryſoſt. hom. 17. ex var. in Matth. *Non dixit, Miſerere filiamea, ſed miſerere mei ſpectatricis malorum.*

## OBSERVATIO V.

### Ad illa verba:

### *Stabat iuxta Crucem Ieſu.*

## Luctus Deiparæ relictę in valle lacrymarum poſt Ieſum.

*Vbi de duriſſima amicorum diuiſione.*

38. LVCTVM iam tam vulneratæ Virginis expendo. Luctus ergo Deiparæ prima ratio ſtare ipſam, ſiue ſuperſtitem relinqui, quando Ieſus filius dilectiſſimus occumbebat, *Stabat iuxta Crucem Ieſu.* Heu fili, ſtans ego te video è Cruce deponi, deferri ad ſepulchrum. Me omninò deſolatam!

39. *Minus acerba mors ſocio amico, aut filio. 2. Reg 31.*

*Saul & Ionathas amabiles, & ſpecioſi* (inclamabat Dauid) *qui in vita ſua non fuerunt diſiuncti, ita nec morte ſua ſeparati ſunt.* 2. Reg. 31. Vbi Lyranus: *Lamentabile eſt, quod tales duo ſine ſimul interfecti.* Iis equidem lamentabile, qui tantorum virorum fortitudine priuati ſunt. At Parenti fortiſſimo, filióque illuſtriſſimo valdè iucundum pariter occubuiſſe. D. Chryſoſtom. *Verum quod nullis obtigit, illis contigit, videlicet vno, eodémque die è viuis eripi, neutro alteri ſuperſtite. Exiſtimabat enim, vitam iniucundam fore, ſi alter ab altero fuiſſet diuulſus.* Illud adnota: *Quod nullis obtigit.* Felicitas námque pariter morientis parentis & dilecti filij non his aſſolet euenire. O quam iniucundum Sauli parenti, ſe ſuperſtitem relinqui, quando filius dilectiſſimus occumbebat!

Chryſ.

40. *Amariſſimũ Deiparæ omnia ad interitum properare, ſe vna ſtare.*

*Si exaltatus* (inquit Dominus) *fuero à terra omnia traham ad me.* Omnia crucifera ſequentur, mecum occumbent moriente. Sol perget ad interitum, velamen deperibit, terra commouetur, lapides quatientur, monumentáque cõmorientes ore aperto deglutient creaturas. Sola Parens ſtas iuxtà crucem? Proh me deſolatam, me ſuperſtitem omnibus confixis! *Cogitare nunc libet,* (inquit D. Bernard.) *quantus dolor tunc infuit Matri, cum dolebant, quæ inſenſibilia erant?* Dilectiſſimo Filio moriente, commorientibus omnibus viuo? Vita iniucunda admodum mihi futura eſt.

Bernard.

41. *Conſolatio eſt Matri vidua ſimul cũ filio mori.*

O quàm iucunda mihi corporea crux, vt commoriens Filio, vnico ſepulchro clauderemur! Vna reliqua mihi inter tot vulnera conſolatio, ſi daretur mihi eodem ac Filius nouiſſimo vulnere affici. Vidua illa Prophetæ efflagitanti cibos ſic, *En colligo duo ligna, vt faciam mihi, & puero meo, vt comedamus, & moriamur.* 3. Reg. 17. Vbi Rup. *En meam conſolor inopiam, amplectẽs Crucis ligna, vt comedamus & moriamur ego & Filius meus.* Nulla enim mihi, moriente Filio, (loquor cum Deipara) reliqua conſolatio, niſi meam Crucem tollere, Ieſumque ſequi morientem.

3. Re. 17. Rupert.

42. *Durum patrem à filio diuelli, vnde adſit conſolatio neceſſe eſt.* August.

Quando fortiſſimus Laurentius torquendum ferri videret Xiſtum parentem dilectiſſimum, mœrore correptus ingemuit. Cui Parens, *Noli mœrere, fili, ſequeris me poſt triduum. O conſolatio!* (vtor D. Auguſt. Ser. de D. Laur. verbis) *Non ait, Noli mœrere fili, deſinet perſecutio, & ſaluus eris: ſed Noli mœrere; quo ego procedo tu ſequêris.* Nec aliter ceſſaret à gemitu Leuita à parente optimo ſeparatus. Si Deiparæ Ieſus, Noli mœrere Mater, poſt triduum me reſurgentem ſequeris, haud plena conſolatio, ſi quodlibet tridui inſtans æternitatis æmulator. Quid, ſine Filio tot annos tranſactura?

43. *Deipara duriſſimum, Ieſum nõ ſequi Cruce batulatorem.* Zach. 1. Hiero.

Zacharias ſic Ieſum Cruce deſcribit equitantem. *Ecce Vir aſcendens ſuper equum rufum, & poſt eum equi rufi.* Cap. 1. D. Hieron. Ieſus *ob Crucis mortem rufus oſtenditur*, Sequentes equi, cruces equidem omnibus Martyribus præparare. Proh Matris deſolatio! Vni mihi equus, crux deficit, vt currentem in ſequar Saluatorem?

## OBSERVATIO VI.

### Ad illa verba:

### *Stabat iuxta Crucem Ieſu Mater eius.*

## Luctus Deiparæ Filio innocentiſſimo, pulcherrimo & ſapientiſſimo orbatæ.

*Vbi quam graue parenti bono Filio priuari.*

MAter eius. Mater (vt cum Toleto loquar) innocentiſſimi Filij, pulcherrimi, ſapientiſſimi. Quæ quidem omnia grauiſſimo vulnere adſolent parentum corda ſauciare. 44.

45. *Saul ex occidendo innocenti filio acriori vulnere afficiebatur.* 1 Reg. 19. Chryſo.

In primis quidem Deipara ex innocentia Filij occiſi mirum in modũ afficiebatur. Vt Saulem Diabolus vehementiſſimè vrgeret, machinatus quod Ionathas inculpabiliter legẽ à Patre latam de abſtinendo à cibo, tranſgrederetur, vnde innocens in conſpectu Patris daretur neci. 1. Reg. 19. Quodnam parenti acerbius dolor, quam filium innocentem de medio tolli? *Excogitauit* (inquit Chry.) *ſceleratus ille & hac rurſus prophaniorem moliri cadem. Si enim Ionathas ſciens peccaſſet, & iugulatus fuiſſet, filij cades tantum illi erat: nunc autem ex ignorantia pręuaricatus (nec enim audiuit iuramenta) deindè interfectus, duplicem Patri dolorem effeciſſet.*

*Filiū enim, & filium, qui nihil peccauerat, immolaturus erat.* Iooocentior longè Ieſus. Ionathas enim licet inculpabiliter mel deguſtauit, at Ieſus omninò ab interdicta hominibus arbore abſtinuit: & tamen Cruci addicitur inſtar latronis. *Magna eſt,* ô Mater, *ſicut mare cōtritio tua.* Parum eſſet, ſi tibi duplex adeſſet dolor, innumerabilibus doloribus oppleta es. *Quis medebitur tui?*

46. *Pulcher filius acriori luctu fletur.* Iob. vult.

Deindè pulchritudo Ieſu amiſſi luctum Matris augebat. Iobo ſanctiſſimo tranſacta tempeſtate, amiſſa bona duplicata reſtituuntur. Sed tamen pulchritudinem filiarum ſic Textus commendat. *Non ſunt autem inuentæ mulieres ſpecioſæ ſicut filiæ Iob in vniuerſa terra.* Iob vlt. En quare filij non duplo redduntur. Tanta patri iucunditas ex filiorum pulchritudine, vt illa ipſa pulchritudo ſupplere queat pro caterua filiorum. Catena Græca ſic, *Filias quoque egregia forma ſuſcepis, vt earum aſpectu omnis ſuperioris ærumnæ memoria funditus interiret.* (Græcus.) Quid ſi filiæ pulcherrimæ, rurſum corruente domo, interimantur? Profectò prioris ærumnæ acrius memoria parentis pectus vulnerabit. Proh meus filius *ſpecioſus forma præ filiis hominum!* Nullius non, te amiſſo, recordabor ærumnæ.

47. *Sapiens filius luctum parentis adauget.* Prou. 10.

Sapientia denique Ieſu occiſi Deiparam acerrimè ſtimulabat ad luctum, impellebat ad planctum. *Filius ſapiens lætificat patrem, filius verò ſtultus mæſtitia eſt matri ſuæ.* Prouerb. 10. Nihil autem prius filio ſapienti donatus parens cupit, quam huiuſmodi filium æternari, quam mortis vulnere nullatenus percoti. Pſalm. 72. (Pſal. 72.) hoc titulo inſignitur, *Pſalmus in Salomonem. Deus* (inquit Parens) *iudicium tuum Regi da, & iuſtitiam tuam filio Regis.* Et mox, *Sedes eius in æternum manebit.* Nil enim ſic contorbat parentem ſapientis filij, quam menti obiicere fore, vt poſſit tanto orbari theſauro. Sicut enim *filius ſapiens lætificat patrem* acceptus, idem amiſſus horribili adficit vulnere parentem. Te Matrem afflictam, quæ illum amiſiſti natum, cuius (ſi Salomon alios excelluit ſapientia) typum proculdubio referebat.

## OBSERVATIO VII.

### Ad illa verba,

### *Stabat iuxta Crucem Mater eius.*

## Luctus Deiparæ aſpectu ſuo Filium vulnerantis.

*Compaſſio enim dilecti patientis vulnerat amantem.*

48. *Vt Ieſus magis in Maria, quam in ſe patiebatur!* Arnold.

PRoh huiuſmodi ſtationis vulnus Ieſu inflictum! Seuera admodum ô pia Mater, iſta tua ſtatio eſt! O quā horribile vulnus Ieſu tuus lacrymabilis aſpectus! Non tātum illum vexauere funes, percuſſere colaphi, verbera laniauere, punxere ſpinæ, transfixere claui, quam iſta iuxtà crucem in conſpectu Saluatoris ſtatio. Arnold. appoſitè, *Chriſtus tunc in Matre amplius, quam in ſe pati videbatur.* Magna igitur *velut mare contritio tua, quis medebitur tui?* Me deſolatam! Nec potui me continere, quominus Cruci non illigarer: non potui nō oculos leuare ad filium pendentem: nec potui illum à vulnere ex meo aſpectu prohibere. Te percuſſi, ô bone Ieſu? Percuſſiſti ſanè, ſed inevitabile vulnus. *Num tua reguli lumina?*

49. *Oculi Virginis Ieſum vulnerantes.* Cant. 4.

Sponſum audite, *Vulneraſti cor meum, in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Cant. 4. Me ſuffixum intuita es, ô Mater, te vidi ſine ſponſo viduam, è collo pendente crine, nam caput Ioſeph iam ſuum diem obierat lætus, ne videret diem meum. Quid à tuis oculis lacrymarum fontibus, in tuæ viduitatis conſpectu niſi dirum meo animo vulnus? Hi cruciatus priores præcordia lacerantes. Sic expono D. Bernard. Sen. (Bernar.) *Vulneraſti cor meum; vulneribus primis vulneraſti in cruce cor meum.* Inter cruciatus paſſionis meæ vulnera à tuis oculis aſpectantibus exorta primatum tenuere.

50. *Oculi Virginis fecerant quodammodo expirare Ieſum.* Cant. 7.

Hinc rurſum inclamitat, *Auerte oculos tuos à me, quia ipſi me auolare fecerunt.* Canticorum 7. Quod tot diri cruciatus, tot immania verbera non potuere, vnus tuus valet adſpectus? Tui oculi madentes me properante migrare profectu feciſſe videtur. O vulnus ineffabile! Enimverò Ieſus ſatius duxit vulnere aſpicientis Deiparæ affici, quam chariſſimo illius priuari conſpectu. Vnde, *Vadam* (inquit) *ad montem myrrhæ,* ſiue ad Caluariæ locum. Et illicò inclamat, *Veni de Libano Sponſa mea, veni de Libano, veni.* Cant. 4. Guillelmus apud Del-Rium noſtrum. (Cant. 4. Guillel.) *Vadam ad montem myrrhæ paſſurus, ad Caluariæ montem, venies mecum, & ſtabis iuxta Crucem.* Componite quæſo, vocationis triſagium: *Veni, veni, veni,* cum vulnere, quod ſe accepiſſe ex Virginis aſpectu conqueritur. Si vulnerandus eras ô Ieſu, ex mea iuxta crucem commoratione, ſtatione, quare me non ſemel vocauiſti? Quia ſi, te præſente, vulneror, te abſente, morior. Vndique inevitabile lethum.

51. *Non defuit Deiparæ animus ad vulnus corporeū infligendum, ſi cœleſtis adeſſet voluntas.* Anton.

Enimvero etſi dolet de Filio ſuo lugubri percuſſo ſpectaculo, non defuit Deiparæ animus ad vulnus infligendum non dico ſpirituale, imò corporale, ſi ferret ſuperna voluntas. Num exiſtimas vnicum Abrahamum? Profectò ſi Iſaac typum Ieſu geſſit, ego exiſtimo Abrahamū perſonam Dei genitricis expreſſiſſe. Nec enim ille Virginem, ſi imperium ſupernum adeſſet ſuperaret. D. Antonin. p. 4. tit. 15. c. 41. §. 1. *Stabat Virgo ita diuinæ voluntati conformis, quod ſi oportuiſſet, ad implendam ſecundum rationem voluntatem Dei, ipſa Filium in Cruce poſuiſſet, ac obtuliſſet. Nec enim minoris fuit obedientiæ, quam Abraham.* Ex Anſelio. tranſcripſit.

## OBSERVATIO VIII.

Ad illa verba,

*Stabat iuxta Crucem Ieſu Mater eius.*

### Luctus Deiparæ loco Ieſu matris effectæ fidelium & peccatorum,

*In maximum delinquentium ſolatium.*

53. Anſel. MATER Ieſu nunc, mox ô Virgo, hominum cõſtitueris in matrem. Erat quando libenti animo compatienti Deiparæ illud aptabam Anſelmi. *Ipſa beata, & ſuper naturam donorum digna effecta, dolores partus, quos effugit pariens, illos tempore paſſionis ſuſtinuit, ex materna compaſſione viſcerum laceratu reparturiens.* Attamen iam video Mulierem Sole amictam cruciari, vt pariat fideles & peccatores, & tortura viſcerum reparturire.

54. *Mulier parturit homines Maria.* Apoc. 12. *Cruciabatur*, inquit Ioannes, *vt pareret*. Apocalypſ. 12. Ideò *mulier* vocitatur, *Mulier amicta Sole*. Ita Dominus cruci illigatus, *Mulier ecce filius tuus*. Ad quæ pulchrè Rupertus: *Mulierem hanc ſtantem iuxta Crucem mulieri parturienti talem Matrem talis Filius ſimilem dixit.* Si enim mater hominum conſtituebatur, quidni in dolore acerbiſſimo tot pareret filios?

55. *Mater eſt agnorum, & omnium.* Fideles ſcilicet, & peccatores: agnos, & hœdos. *Mulier*, ait Dominus, *ecce filius tuus*. Ioan. 19. D.Bern. exclamat. *O commutationem! pro filio Dei filij Zebedæi.* Annon in Zebedæi filiis ex mente Chry. iuſti & peccatores, agni & hædi deſignantur? Ita ad illa verba, *Dic, vt ſedeant hi filij mei vnus ad dexteram, & alius ad ſiniſtrã.* Mat. 29. Dexteræ quidem agni hæreſcunt, hædi autem collocantur ad ſiniſtram. Iam ô Virgo, loco Ieſu filij Zebedæi, ſiue myſtice iuſti ac peccatores traduntur, vt tibi conſtet in dolore filios parituram.

56. *Quot curis implicetur ex agnorum cuſtodia!* Ioan. 21. Guilel. O quot curis Mater, te filij implicabunt! Cluſtra relinque, paſtorali munere fungaris neceſſum eſt, nec ad agnorum ſolummodo, ſed ad hædorum, quorum parens efficeris, vocaris cuſtodiam. Agni quidem cura te mirum in modum ſollicitam requirit. Petro Dominus bis indixit, *Paſce agnos meos*. Ioan. 21. Vbi Guillelm. *Propter difficultatem cuſtodiæ huiuſcemodi Dominus Petro curam gregis committens bis dixit, Paſce agnos.* Mariam ideò ait gregum præire veſtigia, quando ſactis exemplis eos prouocat ad imitationem ſui: ſubſequi, quando piis tuetur auxiliis. Nam quia lupus non à facie inuadit, ſed à tergo, *Ideò neceſſe eſt, vt patrona gregis non ſolum ante faciem noſtram per exempli ducatum gradiatur; ſed & à tergo nos contra ſpiritualia nequitiæ brachio non carneo tueatur.*

Enimvero plus tantæ Matri moleſtiæ adiicit hædorum tutela, ei ita commiſſa, ac ſi ſingulariter Maria huiuſmodi muneri operam daret. Vnde qui Petro præſcripſit, *Paſce oues meas, paſce agnos meos*, non audiuit, *Paſce hædos.* Quia ſpecialiſſime quodammodo tota hædorum ſeu peccatorum cura ſoli Deiparæ reſeruatur. Ideò Sponſus, *Paſce hædos tuos*. Cant. 1. Ad quæ Guillelm. *Commendata Petro totius gregis cura, adhuc ſpecialiter ſaucia, & imbecillis pars gregis Patronæ commendatur, cum ait, Paſce hædos tuos.* Pulchè confirmat Honorius fatus: *Egredere de clauſtris ſeueritatis in latitudinem miſericordiæ, ô Mater miſerationis; & vt me facere vidiſti, oues fugitiuas & erroneas humeris in caulas reporta. Et paſce hædos tuos adhuc laſciuientes, & petulcos, hædos per culpam paſce ſinceritatis pabulo, nil, te paſcente, nociturum.* Proh moleſtiſſima tutela! Honor.

Illud adnotarim, *Hædos tuos*. Nam qui dixit *Oues meas, agnos meos*, non *hædos meos*, ſed *hædos tuos* ſiue Mariæ vocitauit. Quaſi ſpecialiſſimo iure peccatorum tutela ad Virginem attinere videatur. Niſi admoneamur potius haud omnes peccatores hædos eſſe Mariæ, queis illa ſuam curam impendat. Quinam igitur hædi ſunt hædi Mariæ? Audi ex Guillelmo Par. *Hædi Mariæ non ſunt peccatores illi, qui circa Matrem pietatis indeuoti, & inofficioſi exiſtunt, opemque eius vel non, vel tepidè requirunt; nec illi, qui Matrem pietatis ſtudioſè quidem venerantur, opemque eius implorare videntur; ſed à ſuis ſceleribus non conuertuntur. Hos non agnoſcit illa, quia ſic volunt eam eſſe Matrem pietatis, vt non ſit Mater iuſticiæ, & veritatis. Soli eius hædi ſunt, qui vt illam dignè venerentur, opemque eius aſſequi mereantur, peccata ſua perfectè deſerunt. Hi adhuc hædi ſunt, quia de recentium vulnere criminum adhuc ſauciam habent conſcientiam; ſed tamen hædi ſunt Mariæ, ab ea confouendi, ſanandi, & paulatim in oues mutandi, & de ſiniſtra in dexteram transferendi.* Quid illuſtrius? Non Maria confouet hædos, vti iidem omnes apud ſiniſtram maneant, nec vt iniurioſi Parenti cœleſti exiſtant. Iam illud Terentij perlegi. 38. *Quinam ſint hædi Mariæ?* Guillel.

*Matres omnes in peccato adiutrices,*
*Et auxilio in paterna iniuria ſolent eſſe.*

Non ſic Mater ſingularis ſicut & Virgo. Hædus extitiſti? Mariæ præſto eſt auxilium, non vt adhuc in delicto perſiſtas, non vt Patri ſis iniurioſus; ſed vt ex ſiniſtra pœnitens deducaris ad dexteram,

Plura Tom. 4.

# SERVVS DOMINÆ.

# OPERIS EPILOGATIO.

TIBI, ô gloria Hieruſalem, ô lætitia Iſraël cuius munitiſſima fundamina *vniuerſæ terræ exultatione* iacta fuere, mea panegyris perorat. Te vel pellucidiſſimũ omnis harmoniæ fontem, tuáq; inclyta facinora velut omnis cõſonantiæ originẽ mea Chelys modulatur, & tibi omnis modulationis epilogo concentus omnes ſacrat modulanda, & vouet pangendo. Nam ſi de Patris ſinu, de paternæ eſſentiæ thalamo, vbi noſtris oculis inconſpicuum ab æterno Verbum latuerat, in hunc orbem noſtrum humana ſpecie corporatum egreditur; tu ô Maria vellus niue candidius aureum cæleſtémque rorem admiſiſti, excepiſti. Si natalitiam adornat & inter Angelicas choreas omnibus lætitiis geſtientes nouus Sol nouo lumine irradiat, tua Virginitate quodammodo indiguit: ſola enim Virginitas (teſte Chryſologo) in terra æternum cæleſtéque numen allicere, concipere, ac denique parere poterat. Si ſacra infanti veſtigia paſtores libant, te ductrice, ô Spiritus chariſſima ſponſa, quæ *iuxta tabernacula paſtorum habitas*, pedes ſummi paſtoris oſculantur, & Filium, patrem, ac dominum tuum reuerenter adorant. Si Moſaycæ circumciſionis gladiorum aciem ſubit diuini ſanguinis primitias præoccupatæ tuæ redemptioni ſacrat, ne communi Adæ nebula marceſceres pretioſo ſanguine purpurata. Si ſacro Ieſus nomine inſignitur, proprium appellas. *Exultauit ſpiritus meus in Deo Ieſu meo.* Et merito, munere enim Ieſu aut Saluatoris tecum ſpecialiter fungitur; dum de te à miſera peccati ſeruitute

uitute eripit, in qua occidiſſes, ni lapſum anticipata redemptione præueniret. Si Orientalium Regibus adorandus exhibetur, tu, ô ſtella Iacob, gentilicam caliginem diſſipans, & lumine irradians Euangelico, brachiis excipis, & religioſis Magis adorandum deoſculandúmque offers. Si in ſummo Thaboris faſtigio Solis ſplendore clarius micat, niue candidiores albeſcunt veſtes, in tua Transfiguratione, quam regalis Aquila Ioannes contemplatur: tua frons aſtris cingitur fulgore clariſſimo micantium ſtellarum coronata, immortalitatis ſolari ſplendore circumfuſa: totum corpus radios ſpirabat, à quibus Solis vincebatur claritas, obſcurabatur ſyderum aſpectus, & Luna ad tuas plantas obuoluta victoriam tuæ lucis fatebatur, ac deniq; omnia ſtolæ tuæ aurata fila ſpeculum quoddam diuinitatis referebant. Si in horto tanquam cæde & ſanguine viuens magno dedecore comprehenditur, vexatur, impellitur, rapida celeritate raptatur, vbi primi Adæ & Euæ primæ inobedientiæ pœnas debitas luit: lætare, ô Paradiſum voluptatis diuinæ, quia ſecunda Eua, & omnium viuentium mater Filio Adæ ſecundo nihil morte luendum propinauit. Si coram Pontifice Caïpha, vbi omnia aduerſus Ieſum molimina vanitate & mendaci diſcordia per ſe diffluunt, vbi inſanit Iudex, fremunt aſſiſtentes, & tot lupi vni inhiant manſuetiſſimo Agno, vbi nil doloris, nil pœnarũ, nil crudelitatis prætermiſſum fuit, ad omnia tamen Saluator obmuteſcit, niſi cum facies ſacratiſſima depalmatur; tunc quidem loquitur, nam facies Chriſti, iuxta Richardum Laurent. Beata Virgo eſt: & cum facies colapho cæditur, tu, ô cœli Regina, percuteris, & tunc ſolum Chriſtus verbis propulſat iniuriam. Si Pilati atria innocentiam Chriſti reſonant, ne vitam & ſenſus deponat, cum in omnibus hominibus natalitium idem illos & morti & vitæ deſtinet: Chriſtum vero quia te matrem veneratur ô mater viuentium, háudquaquam morti natiuitas ſacrat. Si in cruce pendens ramos vitalis arboris fructus curuat opimos, radicem Ieſſe commendat, nunquam foliis expoliatã, nunquam frondium virore carentem, ſemper viuentem, & ipſam crucis arborem, antea mortis trophæum, animantem. Si dum cuncta membra Chriſti pendentis mortis viciniam denunciant, donec illud arctiſſimum vinculum per ſeptem pene luſtra ſumma concordia continuatum non ſine doloris acerbiſſimi ſenſus ſolueretur, velum templi ſubito diſcinditur, ictibus horrificis colliduntur lapides, Sol de medio aufertur, & cœlum & omnia atra caligine circumfuſa lacrymis totius vniuerſi funeta hominis Dei celebrant, tu, ô Virgo felix, ſi mundus tene-

bris veſtitur,madeſcit lacrymis delicta propria plangens , ô inter ſpinas roſa, ô inter ſcelera ſanctiſſima,exundantes lacrymarum riuulos dimittis,& lacrymas omnes vnicæ mundi ſacrilegi ſaluti procurandæ offers, & felix imploras. Exora ergo, ô ſtella maris,meum vt hoc opus communi luce fruens tui diuini Filij gloriæ præluceat, cuius vita & mors mihi argumentum fuere: nouum vt induam animum , & vt animoſos hauriam ſpiritus impetra, glorioſæ vt Reſurrectionis triumphos proſequar & vt æternùm tuo potiar auxilio.

*Laus Deo, Virgini, Ioſepho, Ignatio, Antonio.*

INDEX

# INDEX
# AD CONCIONES
## SIVE
# RECENS TENENDORVM
## SERMONVM NORMA.

*Jn quo adnotati quilibet Diſcurſus integra morali Obſeruatione, ſeu Puncto comprobantur.*

NVNQVAM non ſupetuacaneum reputaui concionum obſeruationes congerere. Docti enim proprio diſcurſu aliena quæque ad ſuam curant transferre ditionem. indocti autem ad vulgaris ſermonis libros accurrunt, vt dicant quæ memoriæ tradunt, communia equidem legenti non ſemel auditori. Attamen quia & morem gerere ſcriptorum operæpretium duxi, & doctis ac indoctis me debitorem eſſe profiteor, ſingula volumina mei operis vtriſque notationes iam ad integram Concionem redactas ex noua diſponendi ſermonis effictione offerent. Prius enim Punctum complectens totum Euangelium (quod ſiue Intentum, ſiue Introductio, aut Inductio Euangelij vocitatur) appono: mox quatuor Clauſularum Textus myſticè explico, vt totidem moralitatibus materiam miniſtrare queam, quarum quidem tuum erit etiam & alteram eligere, reliquis miſſis. Concio enim ſufficienter triplici puncto circumſcribitur, præcipuè cum nihil hoc ſyllabo notetur quod non integra proſequatur Obſeruatio pluribus Scripturæ ac Patrum teſtimoniis illuſtrata. Iam quod minus doctis vſum ſequutus prælibo, doctioribus non omnino ab ingenio ieiunum valet præſentari.

Breuiſſimè itaque Angelica inducenda ſalutatio, ne dum gratia ſit acquirenda, te ingrato auditori, potius gloriam terminatæ concionis expectare libeat. Hinc collige Euangelij paraphraſi minimè exordium huiuſmodi efformandum. Nam cum ſæpe neceſſum ſit, ob hiſtoriæ longitudinem dilatari, breuitati conſulturus haud te facilè expedies. Materiem igitur ſuppeditabit Euangelica hiſtoria, aut doctrina Deiparæ alicui conceptui vel Patris cuiuſdam teſtimonio confirmati, aut à te ſaltem non leuiter inducti.

Poſt ſalutationem ad Euangelij intentum veſtigandum accurre, quadam propoſitione in medium prolata, quæ quidem non nihil difficultatis aut ſpecioſitatis ad mores præſeferat, auditorémque ad ſpecialem attentionem alliciat. Hanc triplici ad ſummum ſcripturæ ac Patrum teſtimonio, ex citato puncto ſelecto, confirma, móxque id eſſe præcipuum Euangelij Intentum affirmabis. In cuius oſtenſionem Paraphraſim totius Textus adhibebis non quidem à ſententiis pulchris ieiunam. Qua terminata, propoſitioni illi à te præmiſſæ totam hiſtoriam aut doctrinam aptare procura, morali demum doctrina aut exterrens, aut permulcens audientis præcordia. Si autem alicuius Diui geſta præconiis proſequenda ſint, poſt inductionem Intenti Euangelici præcipua Diui magnalia recenſe, queis Euangelica illa doctrina conuenire videatur.

Intento igitur Euangelij totius aſſignato, ad clauſulas ſigillatim exprimendas ſeſe Concionator accingat. Percurrat Euangelium ex verbis Textus carptim inductis moralitates exprimens, non certè omnes Scripturæ ac Patrum teſtimoniis confirmans, ſed quaſi per tranſennam auribus exponens. Plerumque decem vel duodecim moralitates ob varietatis pulchræ ſatellitium operæpretium adnotare, quarum ſolummodo

 duas

duas aut tres ad ſummum duplici ſeu triplici Sacræ paginę Patrumque ſententia obfirmare licebit. Nec omnes ſucceſſiuè tres hæ moralitates confirmentur, ſed tribus clauſulis ſine ſpeciali confirmatione ad mores ſeruientibus præmiſſis, vni inſiſtas roborandæ, rurſúmque duplici aut triplici morali ſententia expoſita quidem, minimè ponderata: mox aliam obfirmare accedas, quam ſimul (ſi Diuorum exigant ſolemnia) ſancti cuiuſque peculiari magnali accommodare procures.

Clauſulis demum decem aut duodecim ſic perfectis, non inuenuſtum, præcipuas, confirmatas ſcilicet Concionis ſententias ſeu moralitates loco Epilogi ad compendium adducere, ſi affectus ſimul cordis excitentur, nec ſolummodo aures mulceantur. En nouam Cõcionis componendæ artem, cuius primo in Euangelio latius exemplar exhibeo, reliqua perſtringendo.

---

*PERFECTÆ EX NOVO arte Conciones ab Aduentu ad Cineres.*

## DOMINICA I. ADVENT.

*Erunt ſigna.* Luc. 21.

*Salutat.* QVAM horribilia hominibus iudicis inſtantia mundi luminaria. *Erũt ſigna in Sole, & Luna.* Sole etenim obruto tenebris, Luna ſimul luce orbata præſentatur. At non ſic Iudice accedente. *Tunc videbitis Filium hominis.* Filius hominis, id eſt Mariæ natus oſtenditur, dum Mariæ patrocinio (Ricardus Laurentinos) & iuſti exultant, & damnati minori pœnâ afficiuntur, debentes quidem Dei parentis precibus citra condignum flammis tartareis extorqueri. Proh Mariæ potentia tot æterni pelagi fluctibus amaris recedentibus, tanta dulciſſimi fluminis cœleſtis redundante gratia, cuius egentes munimine noſtram miſericordiæ Reginam oratione excitemus Angelica.

*Intentum Euangelij.* Qui cœleſtibus afficimini beneficiis animis adeſtote. Poſt beneficij enim collationem inſtat iudicium. *Lib. 6. ſect. 4. num. 28. p. 219. Recurre ad citatum punctum in confirmationemque propoſitionis ex tota illa obſeruatione duplex aut triplex ad ſummum elige teſtimonium. Mox conclude.* En Euangelij intentum hodierni. *Erunt ſigna* &c. Chriſti iudicaturi aduentum ſigna multa portendent, antequam veniat. Erit enim ille dies horribilis his præſertim, qui Ieſu tempus placidum & vltro beneficiis inuitans ad mentem meliorem ſperount. Proinde rerum elementa ad huius aduentum velut exhorreſcent. Sol ille fons luminis ſolitus exhilarare mondi faciem ſubita caligine vultum obducet. Ne quidem Lunæ erit ſuum lumen mutuum, quod vobis impartiat. Stellæ ſanguine rubentes de cœlo deſcendent ad terras. Item vehemens animorum anxietas, ac rerum deſperatio omnes gentes corripiet, intumeſcente mari, triſtique fragore reſonantibus fluctibus. Hæc & eiuſmodi portenta, quæ ſe proferent vndique, declarabũt Dei terribilem vltionem ingruere, eóque mortales metu & expectatione eorum, quæ mox ſuperuenient vniuerſo orbi extabeſcent, & exanimabuntur. Concutietur enim tota rerum natura, neque terra ſolum & mare commutabuntur, verum etiam illa ſolidiſſima mundi corpora, quæ hactenus ab elementorum mutatione immunia fuêre, ſolitaque tantum agere in ea, quæ ſubiecta ſunt, non autem viciſſim ab illis affici, commouebuntur, vt ampliùs metu terra concutiatur, dum cœleſte tabernaculum flagello contunditur. Qui nunc Filium hominis placidum ſunt aſpernati, mitem, ac beneficum: tunc videbunt eum ex ipſa humanitate horribilem, ſublimem in nube cum ingenti poteſtate, ſummàque gloria venientem. Porrò cũ hæc cœperint fieri, ſubrigite oculos, & capita veſtra ad cœleſtem illam ciuitatẽ attollite; non ſolum quia pax ex pacificæ Ieroſolymæ aſpectu, ſed quoniam in propinquo erit Regnũ Dei, in quo haud vlla malorum afflictio, ſed perpetua tranquillitas. Exemplum (inquit Dominus) ab arboribus capite, quæ ſignis certis fructus ſequuturi homines præmonent. Videtis enim ficus, & reliquas arbores, cum frondes, ac gemmas protrudunt, & æſtatem inſtare intelligitis, & fructus incipitis ſperare. Ita & vos, cum hæc transformandi mundi præludia videritis, certam ſpem concipite, iam iam Regnũ Dei proferendum. Illud affirmo, Non prætererit hæc hominum ætas, priuſquam hæc omnia euenerint. Num quid cœlo ac terra ſt abilius? Porrò cœlum ac terra citius euaneſcent, quam mea verba tranſierint inania. Proinde certi venturum hoc tempus formidabile, præparate vos in aduentum illius, ne vos opprimat oſcitantes. Ex quibus plane id adnoto, ſigna prædicta iudicis aduenturi & in ſole, & in luna, ſtellis, mari, Filioque hominis oſtentati. Quid ſtricto iudicio, quid nouiſſimæ hominum calamitati cum perſpicuis ab homine acceptis beneficiis? Sol enim hominum vitam conſtituit, confouet alimentis, diuitiis exornat; luna animantium partium fauet, tenebras ablegat, ſydera quæque nobis amiciſſima regimini humano operam impendunt, Chriſtus Filius Dei, hominis filius nos ſanguine profuſo redemit. Proh iudicij inſtantis acerbitas, vbi accepta nobis beneficia cœleſtia nos amplius ad formidinem excitabunt. Poſt beneficij enim collationem inſtat iudicium. *Id quod moribus accommodare intendas. Poſtquam operis noſtri duodecim Tomos euulgauerimus, omnium Euangeliorum tam de Tempore quam de Sanctis Paraphraſim integram initio cuiuſuis Sectionis Euãgelicæ appoſitam tibi concionaturo offeremus, qua vti oportebit, poſt primam propoſitionem, quæ Euangelij intentum clauſura eſt.*

Sic expoſito totius Euangelici Textus intento, ad clauſularum ſingularum expoſitionem te accinge. *Erunt ſigna in ſole, & luna, & ſtellis.* Quę luciliſſime homines ſydera oblectabant, mundi ſub occaſu lethalia hominibus ad parebunt. *Clauſula 1.*

patebunt. Bona enim temporaria cuncta in fine vitæ mala ſe oſtendent extitiſſe ſub boni ſimulacto. *In ſole & luna.* Nec enim infame magnis luminaribus ad vindictam peccatorum exſurgere in Principum documentum. *Et luna, & ſtellis.* Obſcurato nempe Rectore ſubditi tenebris offunduntur. *Erunt ſigna in ſole, & luna, & ſtellis &c.* Iudicij terrore excitat Dominus ad ſalutem. O quam iudicij formido ſalutaris. *Lib.6.ſect.*a.*num.*30. *p.* 217.

*Clauſula* 2. *Tunc videbitis Filium hominis venientem.* Inter ſyderum caſus, maris fremitus, terræ motus apparet Ieſus: ſolus enim eſt, qui omnia vincit impedimenta, vt ſuis fauere accedat. *Filium hominis.* Nec enim vſque ad vitæ terminum vnquam non henignus apparet. *Venientem.* Currit quidem vt faueat, volat, inſtat ceruorum hinnuli tranſilit montes. At vt ſupplicio homines afficiat, lento fertur gradu. *Tunc videbitis Filium hominis.* Sub benignitatis habitu accedit; quia nuoquam magis iudex, quam cum amplius benignus. *Lib.*11.*ſect.*3.*num.*23.*p.*444.

*Clauſula* 3. *His autem fieri incipientibus.* Poſt tot malorum progreſſus, hæc fieri incipiunt, vt fine terminatione incommoda annuncient. *Fieri incipientibus.* Principiis obſta, ne ſero medicamina præparentur. *Incipientibus.* Peccatori horribile, quod Deus inceperit vindictæ adſumendæ operam dare, nec enim facile ab inſtituto ſupplicio abſtinebit. *His autem fieri incipientibus.* Non iam perfectis his, ſed incipientibus peragi, pœnitentiam agite, cuius maturitas omnino ſaluraris. *Lib.*4.*ſect.*1.*num.*6n. *p.*129.

*Clauſula* 4. *Reſpicite, & leuate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra.* Quam apte reſpiciunt, vt capita eleuent. Nec enim vita corrigitur, niſi conſideratio præcedens obiiciatur. *Capita veſtra, redemptio veſtra.* Tua ſit capitis eleuatio, non aliena, ſi propriæ redemptioni operam impeodis. Contra eos, qui operibus aliorum omoium fidentes, à pœnitentiæ operibus abſtinent. *Reſpicite* &c. D. Gregorius, *Præmiſſis* (ait) *contra reprobos, ad iuſtorum conſolationem conuertitur*, queis equidem vel terribilia quæqne cedunt in bonum. *Lib.*1. *ſect.*t. *n.*59. *p.* 12. *Sic clauſulas Euangelij ducere operæpretium eſt, vt quæcunque a me exarata reperias, ad tuam referas ditionem, dehincque incipiant ad tuum penu pertinere.*

## DOMINICA II. ADV.

*Cum audiſſet Ioannes.* Matth. 11.

*Intentum Euang.* Cœleſti magiſterio quiſque viator indiget, ad ſpiritus iter percurrendum. *lib.* t.*ſect.*1.*num.* 68 *p.*23.

Ideo Ioannes Diſcipulos à Domino viam cœleſtem edocendos immiſit.

*Clauſula* 2. *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* An tu qni venturus ad hominum redemptionem, & ſalutem? *Cæci, ait, vident* &c. Ac ſi diceret, *ſum* Quia Del eſt, ex vnius beneficij collatione (quale viſum effingere) ad alterum maius (qualis hominum redemptin) accingi. *Lib.*6.*ſect.*a.*num.*37.*p.*218.

*Clauſula* 2. *Cæci vident.* Interrogant, num ſit Filius Dei, Ieſus antem reſpondet cæcos videre &c. Deus enim pro verbis, reſponſurus operibus vtitur exhibitis. *lib.*3.*ſect.*a1.*num.*28.*p.*101.*& lib.*9.*ſect.*2.*num.*13.*p.*374.

*Clauſula* 3. *Cæci vident.* Probat ſe Deum, quia lux eſt cæcos illuminans. *lib.*1.*ſect.*3.*num.*52.*p.*25.26.

*Clauſula* 4. *Quid exiſtis in deſertum videre? Hominem mollibus veſtitum?* Dedeceret ſacrum miniſtrum veſtimentorum luxus. *lib.* 10. *ſect.* 2. *num.* 13. *p.*403.

## DOMINICA III. ADV.

*Vt interrogarent eum.* Ioan. 1.

*Intentum Euang.* In humilitate Diuinitas eluceſcit *lib.*3. *ſect.* 3.*num.*18. *p.*115.

Ideo Iudæi hodie ex Ioannis humilitate actionibus mirabilibus expreſſa illum ſupra naturam exiſtimant eleuari, dum eum Meſſiam eſſe autumant. Queis quidem ille morem gerens ſe vocem inanem profiterur.

*Clauſula* 5. *Tu quis es?* Quiſnam ſit quærunt, non, quî vocatur? Aulicum de nomenclatura humana ſeu ſeculari interrogarent, de operibus vel ipſi ſeculares interrogant heremitam. *lib.*5.*ſect.* 2.*num.*103.*p.*185.

*Clauſula* 2. *Ego vox.* Nec munera egregia ſibi à Deo commiſſa peruulgat ſileutio equidem obuelanda. *lib.*7.*ſect.*6.*num.*40.*p.*315.

*Clauſula* 3. *Clamantis in deſerto.* Sic reſpondet nobiliſſimus ſacerdotis filius pro cognata nobilibus humilitate. *lib.*6.*ſect.*6.*num.*20.*p.*257.

*Clauſula* 4. *Cur ergo baptizas &c?* Quem paulo ante Deum æſtimabant, iam reum homuncionem profitentur ex mundialis fauoris inanitate. *lib.* 5.*ſect.*a.*num.*57.*p.*196.

## DOMINICA IV. ADV.

*Anno quinto decimo.* Luc. 3.

*Intentum Euang.* Principum exemplum ciues ſequuntur. *lib.*6. *ſect.*4.*num.*48.*p.*251.

Ideo imperantibus impiis Principibus, Tiberio, Herode, Pilato, Lyſania, Philippo, Anna & Caypha, tot vitiorum tenebris ablegandis à Ioanne, præcipuéque à iuſtitiæ ſole orbis obruebatur.

*Clauſula* 1. *Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem.* Quàm ille ad id muneris aptus! *lib.*1. *ſect.*2. *num.*21.*p.*17.

*Clauſula* 2. *Super Ioannem.* Tot mundialis imperij adnumeratis incolis, Dominici Regni ſubditus ſolus Ioannes memoratur. Quia vnus iuſtus Deo Regnum conſtituit. *lib.*11.*ſect.*4.*num.*14. *p.*449.

*Clauſula* 3. *In deſerto.* Nā ſolitaria futura cū Domino cōmunicatio adſeritur. *lib.*8. *ſect.*1.*num.*22 *p.*334.

Oratioque à ſecularibus curis abſtracta notatur. *lib.*8.*ſect.*2.*num.*17.*p.*333.334.

*Clauſula* 4. *Et venit in omnem regionem Iordanis prædicans Baptiſmum.* Vbi & greſſus iuſti, pretioſi admodum recenſentur. *lib.*8.*ſect.*1.*n.*45.*p.*330.

Et Baptiſmatis lauacrum commeodatur. *lib.* s.*ſect.*3.*num.*90.*p.*31.

## DOMINICA IN SEPTVAG.

*Exiit primo mane.* Matth. 20.

*Intentum Euang.* Feruens operum inchoatio quaſi perfectio eſt.

eſt. *lib.4.ſect.1.num.* 34. *p.*125.

Ideo eis, qui vna hora fecerunt, æqualis merces perfecto totius diei labori debita præparatur.

*Clauſula 1.* *Patrifamilias, qui exiit primo mane,* exiit *hora ſexta &c.* Proh onus prælaturæ. *lib.* 10. *ſect.* 6. *num.* 18. *p.*423.

*Clauſula 2.* *Primo mane.* Vti à primis cunabulis hauſta recte viuendi ſeries firmius duret *lib.*4. *ſect.*4. *num.*73. *p.*151.

*Clauſula 3.* *Ex denario diurno.* Æterni etenim diei præmium virtuti reſpōdet. *lib.*4. *ſect.*1. *n.* 27. *p.*123.

*Clauſula 4.* *Amice non facio tibi iniuriam.* Namqui amplius laborauit, illum maiorem laborem loco præmij accepit. Id tamen non ruſticis, ſed intellectu præditis. *lib.*7. *ſect.*1. *num.*37. *p.*278.

## DOMINICA IN SEXAGES.

*Exiit qui ſeminat.* Luc. 8.

*Intentum Euangelij.* Verbum Dei manna eſt ſemini ſimile coriandri varios iuxta diſpoſitionem parturiens effectus. *lib.*1. *ſect.*1. *num.*29. *p.*7.

Non aliter ſemen verbi ſacri à ſeminatore ſacro mioiſtro & terræ bonæ, & viæ, & petræ, & inter ſpinas effectuū varietate immiſſum eſt.

*Clauſula 1.* *Aliud cecidit ſecus viam.* Nec profecit. Clauſo etenim otanti cordi res cœleſtis infuoditur. *lib.*8. *ſect.*2. *num.*41. *p.*335.

*Clauſula 2.* *Aliud ſupra petram.* Cor durum odit culturam. *lib.*6. *ſect.*4. *num.*41. *p.*240.

*Clauſula 3.* *Aliud inter ſpinas.* vbi diuitiæ, minimè fructos ſalutis reperitur. *lib.*6. *ſect.*5 *num* 44. *p.*251.

*Clauſula 4.* *Aliud in terram bonam.* Iuſtum cor cœleſti ſemini nunquam non præparat domicilium. *lib.*7. *ſect.*5. *num.*30. *p.*308.

## DOMINICA IN QVINQVAGES.

*Ecce aſcendimus.* Luc. 18.

*Intentum Euang.* Peccatores quantumuis cæci, à patiente Domino alliciuntur. *lib.*11. *ſect.*3. *num.*17. *p.*443.

Ideo poſt memoriam paſſionis obiectam, cæcus hodie myſticus, peccator ſcilicet, illuminatur.

*Clauſula 1.* *Quod Ieſus tranſiret.* Ieſu nomen cuicumque ægritudioi medicina cum ſit, apte cæcus expectauit tenebras ablegandas. *lib.* 5. *ſect.* 2. *num.* 14. *p.*190.

*Clauſula 2.* *Miſerere mei*, miſerandi vtique, & ideo à Deo benignius excipiendi. *lib.* 1. *ſect.* 1. *n.*75. *p.*14.

*Clauſula 3.* *Iuſſit illum adduci ad ſe.* Cur non ad diſcipulos? Solus Ieſus alienis periculis fert opem. *lib.*7. *ſect.*6. *num.* 35. *p.* 314.

*Clauſula 4.* *Sequebatur illum magnificans Deum.* Recreationis beneficium hominis exigit gratitudinem. *lib.*1. *ſect.*3. *num.*19. *p.*22.

---

## DOMINICÆ QVADRAGES.

## DOMINICA I. QVADR.

*Ductus eſt Ieſus in deſertum.* Matth. 4.

*Intentum Euang.* P*Ropoſitio intentum totius Euangelij continens.* Qui à Deo ductus Deum requirit, ab omni formidine liberatur. *lib.*6. *ſect.*2. *num.*26. *p.*216.

Ideo Dominus ab Spiritu ſancto ductus Dei placitum requiſiturus facili negotio, non ſemel Diaboli iacula propellit.

*Vt tentaretur*, & vinceret conſequenter. Vt Dux teotatus, & vincēs apte dehinc pro aliorū ſalote decertatet. *lib.* 5. *ſect.*1. *num.* 52. *p.* 177. *Clauſula 1.*

*Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.* *Clauſula 2.* Diabolus mendax. *lib.*8. *ſect.*1. *num.* 30. *p.* 328.

Quod non poteſt implere promittit. *lib.*8. *ſect.*1. *num.* 35. *p.* 329.

*Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſerues.* Soli, *Clauſula 3.* inquit; nec enim iuſtus potes Deo & Diabolo ioſeruire. *lib.*6 *ſect.*1. *num.*48. *p.*208. *&c.*

*Angeli miniſtrabant ei*, qui quidem & adſti- *Clauſula 4.* terant decertanti. Proh Angelorum aduerſus hoſtes & pugoa & triumphus. *lib.*2. *ſect.*5. *n.*21. *p.*89.

## DOMINICA II. QVADR.

*Aſſumpſit Ieſus Petrum.* Matth. 17.

Toto libro ſeptimo.

## DOMINICA III. QVADR.

*Erat Ieſus eiiciens Dæmonium.* Luc. 11.

Falluntur corporei ſenſus, imo & animi po- *Intentum Euang.* tentiæ circa obiectas proximi actiones. *lib.* 4. *ſect.*2. *num* 42. *p.*139. *&c.*

Ideo poſt curatum mutum homines qui ſolummodo exteriora adſpiciunt, Diabolicæ arti tribuunt ſanitatem. At Ieſus qui *vidit* arcanas *cogitationes eorum*, ſolus veritatis attigit ſcopum.

*Et illud erat mutum.* Cur non dixit & cæcū *Clauſula 1.* & ſurdum; ſenſu etenim orbabatur vtroque? Quia hiſce ægritudinibus animi crimina deſignabantur, quæ minimè ponderanda ſunt, ſed per tranſennam ionuenda. *lib.*4. *ſect.*2. *num.*26. *p.*136.

*Et illud erat mutum.* Siue mutum efficiens. *Clauſula 2.* At factus mutus ex Diaboli ſocietate Diabolus mutus vocitatur Di bolo hæreſcens Diabolus iuſtè reputaris. *lib.* 11. *ſect* 3. *num.* 14. *p.* 442.

Et illud erat mutum. Id eſt (ait Euthym.) *Clauſula 3.* ille homo *erat mutus cæcus, & ſurdus.* Multa enim flagella eius qui Diabolo ſubditor. *lib.*10. *ſect.*5. *num.*44. *p.*419.

O quàm ſibi nocet peccator. *lib.* 8. *ſect.*5. *num.* 32. *p.*358.

Quam horribile ſupplicium tibi delinquenti crimen ipſum eſt! *lib* 10. *ſect.*1. *num.* 23. *p.* 396.

*Et cum eieciſſet Dæmonium, locutus eſt mutus.* *Clauſula 4.* Locutus eſt mutus vti Dominum exciperet. Ad Domini ingreſſum Diabolus ablegatur. Nam qui Ieſum excipit, neceſſum Diabolo renunciare. *lib.*6. *ſect.* 5. *num.*37. *p.*150.

## DOMINICA IV. QVADR.

*Abiit Ieſus trans mare.* Ioan. 6.

Illa gratitudo apprime laudatur, quæ morē *Intentum Euang.* beneficij gerit. *lib.*10. *ſect.*3. *num.*11. *p.*407.

Ideo Ieſus ſatiandis turbis accipiens à Patre panis multiplicationem aotequam poſtularet,

gratias peragit priuſquam acciperet.

Clauſula 1. *Vnde ememus panes vt manducent hi? Ecce iam triduo ſuſtinent me, nec habent quod manducent.* Antequam eligatur Ieſus in Regem à turbis ſoſtinebatur. Fugit Ieſus impetium, ne dum ſubditi ſuſtinent, Rex terrenus habeatur. Is eſt enim cœleſtis Rex qui ſubditos ipſe ſuſtineat. *Lib.10.ſect.6. num. 35. p.426.*

Clauſula 2. *Vt raperent & facerent eum Regem.* Quidnam Regium in Ieſu viderunt? An quia pauerat? Certè Rex prius ſubditos paſcere debet, quam legibus onerare. *lib. 6. ſect. 1. num. 12. p. 203.* Num quia ſapiēs? Quam ideo aptus ad imperium. *lib. 6.ſect.1.num 55.p.209.* Adde & quia ſuorum ſtudebat vtilitati. *lib. 5. ſect.2.num.51.p.195.*

Clauſula 3. *Fugit in montem ipſe ſolus.* En ſapientiſſimum fugientem, poteſtas enim incommodum maximum à ſapiente fugiendum. *lib.6.ſect.4 num. 21.p. 237.*

Clauſula 4. *Fugit ipſe ſolus.* Id eſt ſine ſubditis. Quonam modo enim cum ſubditis poſſet greſſus dirigere, nec lento gradu quorum onera portare deberet? *lib.6.ſect.2.num.53.p.221.*

## DOMINICA V. QVAD.

*Quis ex vobis arguet me?* Ioan.6.

Intentum Euang. Iniuria affectus homo ita afficitur, vt ſeneſcat. *lib. 9.ſect.4.num.12.p.380.*

Ideo profantibus Iudæis poſt Dominicam propriæ innocentiæ manifeſtationem, *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu &c.* Ieſus conqueritur, *Et vos inhonoraſtis me*, cum flagellatus obticuiſſet.

Clauſula 1. *Dicebat Ieſus turbis & Principibus*, æqualiter vtique contra Ieſum conuitia iactitantibus: Nam Principum ſubditi induuntur affectu. *lib.6.ſect.4.num.48.p.241.*

Clauſula 2. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Mox *Si veritatem dico vobis quare non creditis?* Nam gratia & veritas pariter incedere aſſolent. In gratia commotatur? Verax eſt. *lib.1.ſect.4.num. 97.p.47.*

Clauſula 3. *Si veritatem dico vobis quare non creditis mihi?* Ex verbis etenim me præſtantiſſimum deberetis agnoſcere. *lib.7.ſect.4.num.42.p.303.*

Clauſula 4. *Eſt qui quærat, & iudicet.* Inhonoraſtis me Patre obticente? Quam horribilis Dei iudicaturi patientia? *lib.9.ſect.2.num.34.p.372.*

## DOMINICA PALMAR.

*Cùm appropinquaſſet.* Matth.21.

Intentum Euang. Tam inſipiens peccator, vt poſſit vel à brutis edíicere obedientiam. *lib.6.ſect.2.num.9.p. 213.*

Ideo Dominus, vt peccatores confundat Hebræos Ieroſolymam ingreſſurus ad ſe iumenta imperat adduci ſibi facile obſequium præſtituta.

Clauſula 1. *Miſit duos ex Diſcipulis ſuis.* Ad peccatores recedentes epiſtolam inſpirationum, aut nunciorú Saluator immittit. *l.6.ſect.1.n.62.p.210.*

Clauſula 2. *Statim inuenietis aſinam alligatam.* Qua quidem ſtultus peccator qui amat vincula deſignatur. *lib.8 ſect.4.num.8.p.349.*

Clauſula 3. *Soluite, & adducite.* Suos bonus Præſul liberat à tyrannide. *lib.6.ſect.1.num.34.p.206.*

*Rex tuus venit tibi manſuetus.* Proh mirabilis Dei noſtri benignitas. *lib.10.ſect.5.num.48. p.420.*

Clauſula 4. *Eum deſuper ſedere fecerunt, alij cædebant ramos.* Hieron. *Ramos arborum, quibus Oliueti mons eſt conſitus.* Vti inouatur miſericordi ſedem præparari. Oliua enim miſericordiæ obiecta, quonammodo non ſedentis triumphum celebraret? *lib.7.ſect.1.num.8.p.274.*

---

## *FERIÆ II. QVADRAG.*

## FERIA II. POST DOMINICAM PRIMAM.

*Cum venerit Filius hominis.* Matth. 25.

Intentum Euang. Quàm præſtans eleemoſynæ apud diuinum tribunal præſidium! *lib. 6.ſect.4.num.34.p.239.*

Ideo cæleſtis Iudex coram ouibus & hœdis inclamans, *Eſuriui, & dediſtis mihi manducare, &c.* Oſtendit eleemoſynæ virtute fulgentes æterna felicitate donandos. Proh miſeri ob eleemoſynæ defectum igni addicendi ſempiterno!

Clauſula 1. *Tanquam paſtor ſolet ſegregare oues ab hœdis.* Hic neceſſario ô iuſti peccatoribus admiſcemini. Sed ſi greſſu cum impiis, non tamen affectu conueniatis. *lib.8.ſect.4.num.35.p.352.353.*

Clauſula 2. *Cum venerit ait Filius hominis.* Cur non ait, *Filius Dei?* Quia quo plus tunc humanus maiorem incutiet horrorem. *lib.9.ſect.2.num.34. p.372.*

Clauſula 3. *Tunc dicet Rex.* Paulo ante Paſtor vocitabatur. Ouibus quidem paſtor, Regno donandis Rex oſtenditur, ex præſulis ac ſubditi identitate. *lib.6.ſect.4.num.17.p.236.*

Clauſula 4. *Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum.* Cur non dixit æternum, ſicut *ignem*? Quia ſi Regnum gloriæ eſt, minime certè terminandum. *Lib.7.ſect.3.num.6.p.291.292.*

## FERIA II. POST DOMINICAM SECVNDAM.

*Quæretis me.* Ioan. 8.

Intentum Euang. Quam ſuſpecta Dei mediis in flagitiis tolerantia! *lib.10.ſect.6.num.10.p.422.*

Ideo enim hodie ideo innuit toleraſſe, quia certò ſcit peccatores hoſce in peccato morituros æternùm puniendos.

Clauſula 1. *In peccato veſtro moriemini.* Licet vel tunc me quærere falſo exiſtimetis, quia pœnitentia difficilis agonizanti. *lib.11.ſect.6.n.5.p.455.*

Clauſula 2. *Quæretis me.* Sero ſcilicet, cum tamen pœnitentiam deceat maturatio. *lib.6.ſect.5. num. 31.p.249*

Clauſula 3. *Vos de deorſum eſtis.* Vtique diaboli filij. A patre enim diabolo peccatores. *lib. 4. ſect. 3. num.13.p.143.*

Clauſula 4. *Cum exaltaueritis Filium hominis, tunc cognoſcetis.* Nullus enim tam impius, qui ſuffixum, ſiue mortuum Dominum non agnoſcat, & reuereatur. *lib.12.ſect.3 num.23.*

FER.

## FERIA II. POS DOMINICAM TERTIAM.

*Quanta ſigna audiuimus.* Luc.4.

*Intentum Euang.* Nemo Propheta in patria *lib.7.ſect.4.num.31.p.*302.

Iden Dominus hac prolata ſententia quæ alibi præſtiterat, minimè apud patriam gerere voluit.

*Clauſula* 1. *Medice cura te ipſum.* Haud id Domino ſanctiſſimo, ſed nobis imperfectiſſimis obiicitur. Nam concionator prius propriæ incumbere debet ſaluti. *lib.5.ſect.1.num.51.p.*177.

*Clauſula* 2. *Per medium illorum ibat.* Cum in morem Spiritus diſparuit, quia qui ad ſpiritum Rector transfertur, adhuc debet & inter homines commorari. *lib.7.ſect.2.num.43.p.*287.

*Clauſula* 3. *Per medium illorum.* Qui præcipitate curabant, *ibat*, ex tolerantiæ magnitudine. *lib.10.ſect.5.num.39.p.*418.

*Clauſula* 4. *Ibat.* Ambroſ. *Eos demulcendo.* De eorum procul dubio conqueritur incommodo; peccator enim ſe ipſum adducit ad exitium. *lib.9.ſect.4.num.37.p.*382.

## FERIA II. POST DOMINICAM QVARTAM.

*Et cum feciſſet quaſi flagellum.* Ioan. 2.

*Intentum Euangelij.* Sacrilegium durior animi tortor, quam mors. *lib.10.ſect.1.num.19.p.*395.

Ideo templi profanatores non plaga percutit exitiali, ſed ſolummodo deturbat à delubro à ſuomet ſacrilego crimine acriori morte diſcruciandos.

*Clauſula* 1. *Et cum feciſſet quaſi flagellum &c.* Auguſt. *Flagellandus ab eis, prius eos flagellauit.* Quaſi ſint delicta, quæ prius quodammodo puniantur ex parte quàm machinentur. *lib.10.ſect.5.num.39.p.*418.

*Clauſula* 2. *Quaſi flagellum ex funiculis mercium.* Negotiatorum enim auaritia ſuiſmet funibus flagellanda. *lib.6.ſect.4.num.78.p.*244.

*Clauſula* 3. *Eiecit de templo.* Ingreſſurus videlicet. Auaritia etenim ab inhabitaturo in nobis Domino excluditur. *lib.6.ſect.1.num.51.p.*208.

*Clauſula* 4. *De funiculis mercium.* Auaritia namque eſt auari ſupplicium. *lib.10.ſect.1.num.23.p.*396.

## FERIA II. POST DOMINICAM QVINTAM.

*Miſerunt Principes.* Ioan. 7.

*Intentum Euang.* Nunquam non patientia triumphat. *lib.10.ſect.6.num.13.p.*422.423.

Ideo ſe ad internecioné requirentes Ieſus benigniter excipit triumphum acturus.

*Clauſula* 1. *Miſerunt miniſtros, vt apprehenderent Ieſum.* O quam immanes Iudæi Dominici ſanguinis profuſores! *lib.10.ſect.5.num.23.p.*456.

*Clauſula* 2. *Quæretis me, & non inuenietis.* Quia agiles ad comprehenſionem. Nec enim agiles ad delicta Dominum apprehédunt ſalute donandi. *lib.8.ſect.4.num.15.p.*350.

*Clauſula* 3. *Si quis ſitit, veniat ad me.* Poſt delicta immania inuitat ad veniam. Proh dominicæ tolerantiæ magnitudo! *lib.10.ſect.5.n.39.p.*418.

*Clauſula* 4. *Adhuc medicum tempus vobiſcum ſum.* Et poteſtis pœnitere. Quam facile peccatori medicamen! *lib.4.ſect.2.num.15.p.*134.

## FERIA II. POST DOMINICAM PALMARVM.

*Ante ſex dies Paſchæ.* Ioan. 12.

*Intentum Euang.* Flagitiorum habitus virtutum exercitamentis aboletur *lib.9.ſect.5.num.50.p.*389.

Ideo quæ fuerat in ciuitate peccatrix frequenti vnctionis obſequio curat prauum habitum obliterare.

*Clauſula* 1. *Vnxit pedes Ieſu &c.* Sæpe vngit, ſæpe pœnitet, qua ſæpe deliquit. *lib.6.ſect.5.num.26.p.*248.

*Clauſula* 2. *Vt quid perditio hæc?* Vnus Iudas proloquitur. At alius Euangeliſta affirmat Diſcipulos murmuraſſe. Id enim boni reputantur, quod mali adhęreſcunt. *lib.9.ſect.3.n.14.p.*375.

*Clauſula* 3. *Quare hoc vnguentum &c.* Aduerſus Magdalenam neceſſario ex pœnitentia cruciferam murmuratio excitatur. *lib.9.ſect.8.n.32.p.*387.

*Clauſula* 4. *Vt quid perditio hæc?* Auarus omnia, quæ ad corpus non pertinent, reputat inane, animi vtique comptemptor. *lib.10.ſect.1.n.13.p.*395.

---

## *FERIÆ III. QVADRAGES.*

## FERIA. III. POST DOMINICAM PRIMAM.

*Intrauit Ieſus in templum.* Matth. 21.

*Intentum Euang.* Diuitiæ malè acquiſitæ nec diuinis vtiles, nec prophanis *lib.10.ſect.1.num.6.p.*393.

Ideo licet ſacrificiorum prætextu mali illi mercatores, ac nummularij adeſſent, columbas Ieſus, ac pecunias diſperdidit.

*Clauſula* 1. *Intrauit in templum, & eiiciebat &c.* Quia pergens ad domum Dei neceſſario viam parat. Nec enim vbi diuitiæ adſunt, via cæleſtis reperitur. *lib.6.ſect.5.num.44.p.*251.

*Clauſula* 2. *Eiiciebat vendentes, & ementes.* Cur illi vulnerati non reſiſtunt, non vindictæ dant operam? Quia apud templum nec impij ad crimen inſurgere audent. *libr.8.ſect.6.num.10.p.*361.

*Clauſula* 3. *Et cathedras vendentium columbas.* Ad ſacrificia ſcilicet præparatas euertit. Vt oſtendat cæleſtia gratis accipienda. *lib.8.ſect.1.num.40.p.*329.

*Clauſula* 4. *Ecce acceſſerunt cæci, & claudi*: Orig. Myſticè cæci accedunt in auaritiæ cæcæ vtique documentum. *lib.8.ſect.1.num.15.p.*326.

## FERIA II. POST DOMINICAM SECVNDAM.

*Super cathedram Moyſi.* Matth. 23.

*Intentum Euang.* Prædicatio penes linguam. Vnde concionatoris

toris cura debet impendi, quodammodo ſeſe à critico ſermone abſtrahens captui pareat auditoris. *lib.6.ſect.3.num.34.p.226.*

Licet peruerſi illi Scribę & Phariſæi in cõſpectu Domini eſſent, tamen, imperante Ieſu,& audiri eorum præcepta, & executioni mandari debebant. Proh quoſdam noſtræ tempeſtatis concionatores ſuper Petri cathedram ſedentes qui vitæ cum inculpabiles ſint, tam culpabilis ſunt ſermonis, vt nullatenus percipi ab auditore valeat.

Pudeat vos ô Critici, minus quàm Phariſæi Eccleſiæ prodeſſe, cum nec quæ diciiis poſſint facere, qui non poſſunt intelligere.

*Clauſula* 1. *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſai!* Praui illi, ſed docti. Vnde prorſus erant audiendi.. Indoctus ſanctus licet, cathedram non aſcendat. *lib.6.ſect.4.n.59 p.* 243.

*Clauſula* 2. *Imponunt onera incomportabilia.* Quia ipſi non prius amouerunt. *lib.4. ſect.3. num.95. p.155.*

*Clauſulu* 3. *Et non faciunt.* Inepti quidem Diſcipulorũ profectui, qui doctrinam audientes exemplum ſequi non poterant. *lib. 6. ſect. 4. mum.* 48. *p.241.*

*Clauſula* 4. *Dicunt enim, & non faciunt.* Quam iniuſtè Præſul, magiſter legi ſubditorum Diſcipulorum non obtemperat! *lib. 4. ſect. 6. num. 56. p.164.*

## FERIA III. POST DOMINICAM TERTIAM.

*Si peccauerit in te Frater.* Matth. 18.

*Intentum Euang.* Ex infirmitate propria ſcias infirmis miſereri. *lib.9.ſect.5.n.16.p.385.*

Ideo delinquens vocatur aptè frater eius qui munus exerit corrigendi. Vndè ſic corripiendo fratri operam naua, ac ſi eras ab illo frater ſcilicet quoque delinquens corripiendus ſis.

*Clauſula* 1. *Si peccauerit in te.* Quodcumque peccatum committat, peccat in te; quia te lædit dum ſocius tuus eſt. *lib. 7. ſection. 1. numero* 44. *p.279.*

*Clauiſula* 2. *Frater tuus.* Præſuli enim corrigenti ſubditus emolumento maximo aſſimilatur. *lib.* 4. *ſect.3.num.60.p.149.*

*Clauſula* 3. *Si audierit te lucratus eris fratrem,* Nam qui iniungit, ſanat. *lib. 5. ſection. 2. numero* 14. *p.* 190.

*Clauſulu* 4. *Si duo è. vobis conſenſerint.* Pro Chriſtianæ vnitatis gloria. *lib. 11. ſection. 5. num. 9. pag.* 451.

## FERIA III. POST DOMINICAM QVARTAM.

*Iam die feſto mediante.* Ioan. 7.

*Intentam Euang.* Obſeruandus feſtus dies & à ſeruilibus vacando, ſpiritualibus incumbendo. *lib.7.ſect.1. num.23 p.276.*

Ideò Dominus die feſto aſcendit in tẽplum, vt adoraret,& turbas edoceret &c.

*Clauſula* 1. *Iam die feſto mediante.* Non ad mediantem diem feſtum accedens, imperfectè cuſtodit, quemadmodum qui dimidiato intereſt ſacro. Colens ſanè Ieſus perfectè diem feſtum operum ſuorum commendat perfectionem. *lib.7.ſect.1.num.30.p.277.*

*Doctrina mea non eſt mea, ſed eius qui miſit me.* Doctutus apte ſe immiſſum profitetur. *lib. 1.ſect.1.mum.26.p.6.* *Clauſula* 2.

*Si quis voluerit voluntatẽ eius facere cognoſcet de doctrina.* Inobedientibus enim doctrinæ cæleſtis ſecreta non manifeſtantur. *lib.6. ſect.4. num.54.p.242.* *Clauſula* 3.

*Docebat, & admirabantur Iudæi.* Quia Ieſus admirabilis conſiliarius. *lib.6. ſect.2. num.38. p.218.* *Clauſula* 4.

## FERIA III. POST DOMINICAM QVINTAM.

*Ambulabat Ieſus in Galilaam.* Ioan. 7.

Iræ dandus locus. *lib. 9. ſect. 2. num.2. pag.* 368. *Intentum Euang.*

Ideò nolebat Dominus in Iudæam ambulare, quia Iudæi irati eum quærebant interficere.

*Non enim volebat in Iudaam ambulare, quia quærebant eum interficere.* Vnde illi nacti occaſionem. Propoſitum exequerentur; qoia occaſio delinquendi ad manum potentiſſima. *lib.8. ſect.5.num.26.p.357.* *Clauſula* 1.

*Tempus meum nondum venit.* Tolerat nunc, quia non tempus eius, in iudicio (cum tempus Domini) reſponſurus *lib.9.ſect.2.num.34. p.372.* *Clauſula* 2.

*Manifeſta te ipſum mundo.* Cur ſe Dominus mundo non manifeſtabat? Haud margaritum coram indignis proferendum. *lib.9.ſect. 2.num.5.p.369.* *Clauſula* 3.

M*anifeſta te &c.* Iam opera egregia eum manifeſtarant *lib.9.ſect.2.num.13.p.370.* *Clauſula* 4.

## FERIA III. POST DOMINICAM PALMARVM.

*Tunc abiit vnus è duodecim.* Matth. 26.

Aliquod Paſſionis Dominicæ monumentum euulgaturus ac ponderaturus viginti quatuor habes integros huiuſce materiei tractatus, & duodecim voluminum vnumquodque in feriam tertiam ac quartam pœnoſæ Hebdomadæ duplicem poſſit Paſſionis transferre tractatum. Hodie igitur tibi *Iudæ proditio* materiam ſuppeditet. *lib.6.ſect.1.&c p.324.*

---

## *FERIÆ IV. QVADRAGES.*

## FERIA IV. CINERVM.

*Cum ieiunatis.* Matth. 6.

SPititualis vita mortis memoria conſeruatur *lib.7.ſect.4.num.37.p.303.* *Intentam Euang.*

Ideo poſt faciei ablutæ capitiſque inuncti, queis ex Anſel. ſpiritualis vita innuitur, æruginis, tineæ, ac latronis, quibus

bus deſignatur mors, mentio peragitur.

Clauſula 5. *Cùm ieiunatis nolite fieri ſicut hypocritæ.* Rutilant enim hi ſanctitatis fulgore, tenebris quidem obruti. *lib. 6. ſection. 3. numero quarto, pag.* 212.

Clauſula 2. *Exterminant facies ſuas.* Sibi crudeles. Nuoquam non hypocriſis gladium exacuit. *lib.6. ſect. 5.num. 4 p.* 245.

Clauſula 3. *Nolite theſaurizare vobis in terra.* Mundialia enim contemnenda ab eis, qui Chriſto obſequium impendunt. *lib. 3. ſect. 1. num.* 16. *p.* 99.

Clauſula 4. *Et pater tuus reddet tibi.* Præmium iuſtitiæ repoſitum in cœlis, cuius ſpes labores imminuit. *lib. 7. ſection. 2. numero vigeſimo tertio, pag.*284.

## FERIA IV. POST DOMINICAM PRIMAM.

*Magiſter, volumus.* Matth. 12.

Intentum Euangelij. Paſſionis memoria dura corda impellit ad lacrymas. *lib.* 8. *Obſeruat. vnica proœm. n.*15. *p.*319.

Ideo duræ & adulteræ ſemper generationi vnicum ad pœnitentiam remedium, Ionæ ſignum, id eſt paſſio Dominica præparatur.

Clauſula 1. *Volumus à te ſignum videre.* Quando propria voluntas diuini imperij diſpoſitionem non molitur euertere, *lib. 7. ſect. 5. numero* 25. *p.* 307.

Clauſula 2. *Generatio mala.* Siue *procax*, expoſitore non indocto. Addit, *& adultera.* Effrænatio enim linguæ luxurioſi arguit intemperantiam. *lib. 4. ſect. 3. num.* 19. p. 143.

Clauſula 3. *Generatio mala.* Sicut (vt alij) *inuida*, me requirens ad mortem; quia inuidia neſcit parcere. *libro decimo, ſectione quarta, numero ſeptimo, pag.* 410.

Clauſula 4. *Signum non dabitur eis niſi ſignum Ionæ.* Siue ſignum tartarei ignis. Adultero appoſitè in medicamen tartareus ignis adhibetur, vt libidinis flammam extinguat. *lib. 6. ſect. 4. n.*73. *p.* 244.

## FERIA IV. POST DOMINICAM SECVNDAM.

*Ecce aſcendimus.*

Matth. 20.

Intentum Euang. Parentum ac filiorum quaſi vnica eſſentia. *lib.*11. *ſect* 4. *num.*16.

Ideo dum Didacus & Ioannes cum Magiſtro aſcendiſſe Ieroſolymam aſſeruntur, quaſi de nouo poſtea aſſeruntur acceſſiſſe cum matre.

Clauſula 1. *Aſſumpſit Diſcipulos ſuos ſecretò.* Ergo ex plurium ſententia Iudas aberat, ſecretum enim hoſtium nulli, amicorum paucis reuelandum. *lib. 7. ſect. 1. num.* 36. *&* 41. *p.* 278.

Clauſula 2. *Et Filius hominis flagellabitur.* Addit alius Euangeliſta, *Et poſtquam flagellauerint.* Quaſi flagellationis opprobrium præcipua eſſet paſſioni cura Saluatoris. Vide de flagellis Ieſu pulchra. *lib.* 10. *ſect.* 5. *pagina* 413. *& ſeqq.*

Clauſula 3. *Acceſſit mater filiorum Zebedæi, adorans, & petens aliquid ab eo.* Orationis enim aptè humilitas & obſeruatio comes adiicitur. *lib.* 8. *ſect.* 2. *num.* 52. *pag.* 336.

Clauſula 4. *Petens aliquid.* Ergo regnum temporarium non petebat, ſed æternum; quia mundialia nihil. *libro decimo, ſectione ſexta, numero vigeſimo quinto, pag.* 424.

## FERIA IV. POST DOMINICAM TERTIAM.

*Quare Diſcipuli tui.*

Matth. 15.

Intentum Euang. Ex pio affectu iudicij benignitas, ex impio crudelitas habet exortum. *lib.*11. *ſect.*1. *num.*11. *p.*434.

Ideò Iudæorum affectus tantillum diſcipulorum (dato quod e[illegible]t) defectum ponderat, cùm ad horribilia propria, gentiſque crimina caligaret.

Clauſula 1. *Ipſe reſpondens, &c.* Tacentibus Apoſtolis, reſpondet Ieſus, quia ſilentium noſtrum Deum ad noſtram excitat protectionem. *lib. 9. ſect.* 2. *num.* 19. *p.* 370. 371.

Clauſula 2. *Ipſe reſpondens, Quare & vos, &c.* Cur priùs Apoſtolorum innocentiam non aperit, quàm accuſantium flagellet malitiam. Profectò veritatem innocentiæ Diſcipulorum non aperit, quam ipſi tacentes efficaciùs aperiebant. *lib.* 9. *ſect.* 2. *num.* 25. p. 371.

Clauſula 3. *Quare & vos, &c.* Non fuit opus negare falſum crimen Diſcipulis impoſitum; quia falſus teſtis non creditur. *lib. 9. ſect.* 1. *num.*17. *pag.* 367.

Clauſula 4. *Quare & vos, &c.* Non eos auaritiæ, adulterij, ac crudelitatis arguit, cùm poſſet; quia proximi delicta minimè ponderanda. *lib.* 4. *ſect.* 2. *num.* 3. p. 138.

## FERIA IV. POST DOMINICAM QVARTAM.

*Vidit hominem cæcum.*

Ioan. 9.

Intentum Euang. Lux Verbi contra mortem medicina præparatur. *lib.* 1. *ſect.* 4. *n.*34. *p.*37.

Ideò cæco lutum mortis Chriſtus apponit, quod erat mox vero lumine ablegandum.

Clauſula 1. *Vidit hominem cæcum à natiuitate.* Quem ærumnis à natalitio tentatum aſpexit, meritò hominem, ſeu virum appellauit. *lib.* 9. *ſect.* 7. *numer.*10. *p.*384.

Clauſula 2. *Vidit hominem cæcum à natiuitate.* Quando hominem non illicò ſequuntur ærumnæ; ideò Deus linceis oculis ſtatim hominem à natalitio actum aſpexit cæcitate. *lib.* 9. *ſect.* 7. *num.* 6. *p.* 383.

Clauſula 3. *Nec peccauit hic, nec parentes eius, ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo.* Opus Dei beneficere. Ideo de proprij miniſterij facilitate eius effectus ad ſalutem hominis velociſſimi. *lib.1. ſect.6.num.15. p.34.*

Clauſula 4. *Vade ad natatoria Siloe.* Vbi & confeſſionis, & Paſſionis Dominicæ typus agitur. Nam qui tectæ Confeſſioni dat operam, ad Ieſu Paſſionem accedit. *lib. 10. ſect. 1. num. 36. p. 397.*

## FERIA IV. POST DOMINICAM QVINTAM.

*Facta ſunt Encænia.* Ioan. 10.

Intentum Euang. Apud Templum nec ab impiis Iudæis Dominus illigatur. *lib. 8. ſection. 6. numer. 10. pag. 361.*

Ideò non in templo Ieſus lapidibus Iudæorum petendus erat; ſed in portico Templi ſecurus ambulabat, qui nolebat in Iudæam ambulare.

Clauſula 1. *Facta ſunt Encænia.* Templi renouationem Hebræi ſpeciali ipſius templi ornatu celebrabant, oſtendentes, quam laudabiliter diuitiæ templis exornandis impendantur. *lib.12. ſect. 3.num.26.*

Clauſula 2. *Quo vſque animam noſtram tollis?* In hoc perfidi ſapienti, quia mala in te diuinæ cognitionis, & ad ipſum reuerſionis procraſtinatio. *lib.4.ſect.1. num.60.p.129.*

Clauſula 3. *Animam noſtram tollis.* Contiuò agonizantium ſiue agentium animam diſtorquemur. Proh horribiles peccatoris cruciatus. *lib. 11. ſect.8. num. 32. p.467.*

Clauſula 4. *Opera, quæ ego facio, ipſa teſtimonium perhibent de me.* Ieſu opera quiſnam ipſe, vociferantia.*lib.9.ſect.2.num.13.p.370.*

## FERIA IV. POST DOMINICAM PALMARVM.

*Procidit in faciem ſuam.* Matth.26.

De Oratione Ieſu apud Hortum *lib. 8. ſect.2. &c.p.331.*

## *FERIÆ QVINTÆ Quadrageſimæ.*

## FERIA QVINTA POST CINERES.

*Acceſſit ad eum Centurio.* Matth.8.

Intentum Euang. Pax ſiue ſpiritualis ſiue temporariabello acquiritur. *lib.2.ſect.5. num.26.p.90.*

Ideò Centurione milite memorato perfectæ pacis, obſequentibus Domino militibus, typus exhibetur. *Dico huic Vade, & vadit.* BellèGalfr. *Communitatis pax cótinuo mortificationis bello acquirēda.* Nec enim perfecta cunctorum obedientia, quę pacem huiuſmodi conſtituit & roborat ſine inſtituto mortificationis bello comparatur.

Clauſula 1. *Acceſſit Centurio rogans eum:* Oratio aduerſus ægritudinis tyrannidem Centurionem armauit.*libr.6.ſect.7.num.21.p.266.*

Clauſula 2. *Domine, puer meus iacet.* Id eſt, *filius meus.* Famuli non ſolum ætate, ſed & honoribus propinquitatis munerandi. *lib.4.ſect. 1. num. 83. p.153.*

Clauſula 3. *Ego veniam, & curabo eum.* At prius quam accedat curatur, quia impatiens eſt Ieſus temporis conſummationis ad benefaciendum. *lib. 4.ſect.1.num.42.p.126.*

Clauſula 4. *Non inueni tantam fidem in Iſraël.* Quia pluris ab Ethnicis, à ſecularibus aliquando quam à ſacerdotibus Iſraëlitis Deus habetur. *lib.6.ſect.1.num.41.p.206.*

## FERIA V. POST DOMINICAM PRIMAM.

*Ecce Mulier Chananæa.* Matth. 15.

Intentum Euang. Te canem, partem ſcilicet communitatis efficiens, filiorum pane ſatiaberis. *lib.4.ſect.5. num.47.p.147.148.*

Ideò Chananæa canis ſiue pars Dominicæ communitatis effecta filiorum pane ſaginatur.

Clauſula 1. *Chananæa egreſſa de finibus.* Quia in oratione deliquendi conſtituta non poterat agere pœnitentiam *lib.9.ſect.5.num.37.p.388.*

Clauſula 2. *Miſerere mei.* Cur non, miſerere filiæ? Quia parentes ac filij idē prorſus *l.1.ſect1. n.44.p.9.10.*

Clauſula 3. *Comminis illa dicens.* Dominus autem, *Magna eſt fides tua.* Ex oratione in alteram fæmina gentili mutata. *lib.7. ſect.2. num. 49. p.288.*

Clauſula 4. *Filia mea malè à Dæmone vexatur.* Infidelis enim labores moleſtos experitur, qui iuſto ſunt omninò boni, imò non labores. *lib.7. ſect.6.num.19.p.311.*

## FERIA V. POST DOMINICAM QVINTAM.

*Homo erat diues* Luc.16.

Intentum Euang. Eleemoſyna apud [illegible] uiſſimum tribunal nos ab exitiali ſententia [illegible] *lib.6. ſect.4. num. 34.p.239.*

Ideò Lazaro mendico minimè ferente præſidia, quia diues recep[illegible] ſibi bona *in vita ſua*, miſerè condemnatur.

Clauſula 1. *Homo erat diues.* Lazari nomen apponitur, non diuitis, quia peccator [illegible] caret. *lib.5.ſect.1.num.6.p.171.*

Clauſula 2. *Qui induebatur purpura, & byſſ[illegible]* [illegible] veſte prophana Dominus diuitis impij [illegible] affectum oſtentauit. *lib.7. ſect. 3. num. 25. p. 294.295.*

Clauſula 3. *Epulabatur quotidie ſplendidè.* A laboribus impium liberari, ſignum eſt damnationis. *lib. 11.ſect.3.num. 18.p.443.*




Digitized by Google

Clauſula 4. *Erat quidam mendicus vlceribus plenus.* Laboribus pius ille agitabatur, in ſaluationis documentum.*lib* 10 *ſect*.3. *num*. 23.*p*.408.

## FERIA V. POST DOMINICAM TERTIAM.

*Introiuit in domum Simonis.* Luc.4.

Intentum Euang. Deus præcordiorum noſtrorum domum ingreſſus, nunquam non excludit tyrannum. *lib*.6.*ſect*.1.*num*.48 *p*.208 *&c*.

Ideò ſub myſtico Ieſu ad domum Simonis ingreſſu ægrotans cor ab exitiali febre liberatur.

Clauſula 1. *Introiuit in domum Simonis.* Obediens (id Simon interpretatur) Dei ſemper præſentia fruitur: quia obediens nunquam non Deum aſpicit in Præſule quocunque imperantem. *lib*.7. *ſect*.3.*num*.36.*p*.296.

Clauſula 2. *Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.* Socrus obedientis. Nil illa pro ſe flagitat; quia leuis illi ex obedientiæ conſortio cruciatus.*lib*.11.*ſect*.3.*num*.9.*p*.442.

Clauſula 3. *Rogauerunt illum pro ea.* Nec ipſa rogauit? Quam patienter ſuſtinet, qui ſibi ex laboribus fructificare conſiderat. *lib*.11.*ſect*.2.*num*. 30.*p*.440.

Clauſula 4. *Rogauerant illum pro ea.* Ea autem ex cruciatu orationem reddebat efficacem. *lib*.8.*ſect*. 3.*num*.3.*p*.343.

Oratio in habitu pœnali. *lib*. 8. *ſect*.2. *num*. 46.*p*.336.

## FERIA V. POST DOMINICAM QVARTAM.

*Defunctus efferebatur.* Luc. 7.

Intentum Euang. Quam graue parentibus bonis priuari filijs. *lib*.12.*ſect*.4.*num*.44.

Ideò Dominus *miſericordia motus ſuper illam*, grauiſſimè vtique ex filij morte affectam adoleſcentem reuocauit ad vitam.

Clauſula 1. *Defunctus efferebatur adoleſcens.* Proh! vitæ breuitas humanæ! *lib*.1.*ſect*.3.*num*.84.*p*.30.

Clauſula 2. *Defunctus efferebatur.* Mors animæ ex Auguſtino figuratur. Peccatum enim gladius hominem totum internecans. *lib*.8. *ſect*.5. *num*.32. *p*.358.

Clauſula 3. *Et hæc vidua erat.* Maxima huiuſce fæminæ calamitas innititur quæ filium vidit, non ſolum audiuit exanimem.*lib*.12.*ſect*.4.*num*.32.

Clauſula 4. *Et hæc vidua erat.* Vidua quidem & in coniuge, & in filio. Quam durum à dilecto ſeparari! *lib*.12.*ſect*.4 *num*.38.

## FERIA V. POST DOMINICAM QVINTAM.

*Ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix.* Luc. 7.

Intentum Euang. Pœnitentia nō ſolum Deo concilat peccatorem, ſed & præteritam abolet infamiam. *lib*.6.*num*.30.*p*.313.

Ideò poſtquam Magdalena ſeſe ad Domini pedes pœnitens aduoluit, iam non peccatrix vocitatur, ſed mulier, quæ *erat peccatrix* ab Euangeliſta aſſeritur.

*Vt cognouit.* Acceſſit, ne ſera pœnitudine damnaretur.*lib*.10.*ſect*.1.*num* 41.*p*.398. Clauſula 1.

*Quod Ieſus accubuiſſet.* Non pergit ad Phariſæos ne ob Miniſtrorum defectum doctiorum inutilis confeſſio redderetur.*lib*.10.*ſect*.1. *num*.44.*p*.398. Clauſula 2.

*Stans retrò.* Quaſi fabricam peccatorū apud dorſum Dominicum recognoſcens, ne confeſſio præparatione careret. Clauſula 3.

*Et capillis ſui tergebat.* Vti faciem verecunda ſalubriter peccatrix operiret. *lib*.9. *ſect*. 3. *num* 5.*p*.374. Clauſula 4.

## FERIA V. POST DOMINICAM PALMARVM.

*Sciens Ieſus quia venit hora.* Ioan. 13.

Veri amoris indicamentum pati.*lib*.8.*ſect*.3. *num*.30 *p*.346. Intentum Euang.

Ideò qui ſuos iam inde à natali dilexerat, *dilexit in finem*. Hoc eſt morti additus efficacius amorem manifeſtauit.

*Sciens Ieſus, quia venit hora eius.* Eleuatiori operatur affectu, *dilexit in finem*. Intenſior etenim operandi ratio decet moriturum. *libr*. 11. *ſect*.4 *num*.17. Clauſula 1.

*Surgit à cœna &c.* Nam ſpecialis amoris affectus diligens obſequium eſt. *lib*. 3. *ſect*. 1.*num*. 30.*p*.101. Clauſula 2.

*Sciens, quia ad Deum vadit.* Pedes abluit Diſcipulorum: in humilitate enim Diuinitas eluceſcit. *lib*.3.*ſect*.3.*num*.18.*p*.115. Clauſula 3.

*Ego Dominus & Magiſter.* Pedes ablui. Regia virtus humilitas.*lib*.6.*ſect*.6.*num* 20 *p*.257. Clauſula 4.

## DE EVCHARISTIA HODIE.

*Cœpit lauare pedes Diſcipulorum ſuorum.* Accepturus enim Euchariſtiam vel à mundiali leui puluere debet mundari. *lib*. 3.*ſect*.1. *num*. 21. *p* 100. Intentum Euang.

*In finem.* Verè hodie *dilexit*, ſi Euchariſtiam inſtituit. Proh immenſi Diuini affectus amoris, & amare pectoris noſtri hoſpitium. *lib*.1.*ſect* 4.*num*.41.*p*.38. Clauſula.

Et ad proprium vſum ex omnimoda ablutione domū conuertere.*lib*.1 *ſect*.4. *n*.75.*p*.43.

Et gratiis ac virtutibus illam exornare. *lib*.1. *ſect*.4.*num*.79.*p*.44.

Et nos tranſiens ex hoc mundo ad Patrem, tabernaculum vtique ſecum transferre. *lib*.1. *ſect*.4 *num*.84.*p*.45.

---

## *FERIÆ VI. QVADRAG.*

## FERIA VI. POST CINERES.

*Audiſtis, quia dictum eſt.* Matth. 5.

EX paſſionis Ieſu obiectu inimici copulantur.*lib*.10.*ſect*.a .*num* 9. Intentum Euang.

Ideò Dominus vti nos ad inimicorum excitet dilectionem, ſolis iuſtitiæ pro amicorum, ac inimicorum ſalute naſcentis, & occumbentis typum expreſſit.

Ego

**Clauſula 1.** *Ego autem dico vobis.* Vt auctoritas Domini nos ad difficilimum inimicorum amorẽ alliciat. Iniuriæ enim ab illis acceptæ vincũt quorumlibet vim tormentorum. *lib.9.ſect.3.num. 15.p.375.*

**Clauſula 2.** *Diligite inimicos veſtros.* Ex veſtra vtique patientia verberandos. *lib. 9. ſect. 4. num. 32. p.382.*

Patientia enim ipſa maxima vindicta eſt. Ideò Dominus alapa percuſtus, de percutientis incommodo conqueritur. *lib 9.ſect.3.num.37. p.378.*

**Clauſula 3.** *Benefacite iis, qui oderunt vos, vt ſitis filij.* Siue vt fideles oſtendamini, Id enim fideli glorioſum, quod potens vindicari abſtineat à vindicta. *lib.8.ſect.5.num.19 p.356.*

**Clauſula 4.** *Vt ſitis filij Patris veſtri.* Sinè vt oſtendatis ad filiationem deueniſſe ex conuerſione ad Patrem. Pœnitens enim inimicos dilectione proſequitur *lib.7.ſect.3.num.20,p.294.*

*Vt ſitis filij Regis cæleſtis.* Iuimicis benefacere quam regale. *lib. 11. ſect. 7. num. 16. p. 461.*

## FERIA VI. POST DOMINICAM PRIMAM.

*Eſt autem Ieroſolymis.* Ioan. 5.

**Intentum Euang.** Peccator multiplicatione delictorũ obſtinatior, ſæpe grauiora perpetrat, *lib.9.ſect.5.num. 27.p.386.*

Paralyticus ille *triginta & octo annos habens in infirmitate ſua.* Obſtinati peccatoris agilis ad flagitia typum gerit. Cui Dominus: *Noli amplius peccare*, quaſi ex obſtinatione crimina multiplicaret.

**Clauſula 1.** *Ibi erat homo,* Iuxta piſcinam ſanctam, licet impius, homo aderat ille. Virtuoſa exercitamenta à reuerſuro peccatore non deſerantur. *lib.8.ſect.4.num.30 p.352.*

**Clauſula 2.** *Triginta & octo annos habens in infirmitate ſua.* Quam vel hic ſupplicium æternum peccatori! num non duplex tartarus impœnitenti? *lib.11.ſect.7.num.12.p.460.*

**Clauſula 3.** *Vis ſanus fieri?* Volebat planè, ſed nolebat ad lauacrum accurrere, pigro volente, & non volente. At in pœnitente propoſiti taxatur inconſtantia. *lib.4.ſect.1.num.22.p.123.*

**Clauſula 4.** *Iam ſanus factus es.* Num reliqui ſanitate donati? Ita planè (ex plurium ſententia) ablato ab eorum ſocietate inſigni peccatore cũctis quidem exitiali. *lib.7.ſect.1.num.44.p.279.*

## FERIA VI. POST DOMINICAM SECVNDAM.

*Erat Paterfamilias.* Matth 21.

**Intentum Euang.** Prælatus omnium æqualiter ſubditorum ſaluti inuigilet. *lib. 6.ſect.2.num.48.p.220.*

Ideo Præſulis ſupremi cura ſub vineæ typo exprimitur, cuius ſingulis vitibus opus eſt adhibendum

**Clauſula 1.** *Plantauit vineam.* Ex hoc beneficio plura conſequenter exoriuntur. *Et ſepem circumdedit, & fodit torcular, & ædificauit turrim &c.* Ex vnius enim beneficij collatione ad plura conferenda quaſi debitor Deus oſtentatur. *lib. 4.ſect.2.num.36.p.138.*

**Clauſula 2.** *Et ſepem circumdedit ei.* Id eſt Angelorum cuſtodia muniuit. Angelus enim cuſtos inſtar ſepis Dominum circundat, eius ſeſe bonæ accommodans voluntati. *lib. 6. ſect. 3. num.12. p.223.*

Torcular eſt Paſſionis firmitas ad præſidium. *ſect.11 ſect.3.num.28.p.444.*

**Clauſula 3.** *Peregre profectus eſt.* Hinc agricolarum peruerſitas. Quam impiè, ac inaniter arbitraris te abſente Domino delinquere. *lib.9.ſect.4. num. 18.p.381.*

**Clauſula 4.** *Malos malè perdet.* Illa particula, *Malè* hominum malitiæ reſpondet, vt ſupplicium morem gerat delicti. *lib. 8.ſect.4. num.8.p.349.*

## FERIA VI. POST DOMINICAM TERTIAM.

*Ieſus ergo fatigatus.*, Ioan.4.

**Intentum Euang.** Deus mirum in modum vel vnam æſtimat ouiculam quaſi totum ei itineris vitalis laborem impendens. *Lib. 11.ſect. 6. num. 19. p.456.*

Ideo ex itinere pro vna Samaritana muliere quaſi relictis cæteris ouibus *fatigatus* oſtenditur.

**Clauſula 1.** *Mulier, da mihi bibere.* Sitit Ieſus noſtris criminibus epotari ex Auguſtino. *lib.11.ſect.8. num.13.p.465.*

**Clauſula 2.** *Da mihi bibere.* Sitit, amplius defatigari, ideo ſedens *ſic* ſedet, id eſt fatigatus. *lib. 11. ſect 8 num. 24. p. 466.*

**Clauſula 3.** *Forſitan petiſſes ab eo, & daret tibi &c.* Aquæ petit ſtillam, vt aquæ præſtet abundantiam. Nam quod egeno datur, nunquam deficit. *lib.2.ſect.4. num. 47.p.80.*

**Clauſula 4.** *Et daret tibi aquam viuam.* Quam prudens cœleſtis concionator ex aquæ metaphora (circa quam Samaritana) ſalutaria ei elicit documenta. *lib. 6.ſect.3.num.36.p.227.*

Se captui aptat auditoris. *lib.6.ſect.3. num. 41.p. 228.*

## FERIA VI. POST DOMINICAM QVARTAM.

*Ecce quem amas.* Ioan. 11.

**Intentum Euangelij.** Peccator reſurgens à tumulo per aliam omnino viam incedat, nouum viuendi morem inſtituat. *Lib.6 ſect.7. num. 42. p.269.*

Ideò Dominus Lazarum ſuſcitatum, & à vinculis abſolutum per aliam viam incedere imperat.

**Clauſula 1.** *Tollite lapidem.* Seu ponderoſum imperium prius leuate ó Præſules. *lib.4. ſect.3. num.95. p. 155.*

**Clauſula 2.** *Lazare, veni foras.* Vt coram iiſdem pœnitens obiiciaris, qui teſtes obitus, ſeu criminis extitêre. *lib.7.ſect.2.num.55.p.289.*

**Clauſula 3.** *Soluite eum.* Peccator poſt reſurrectionem, mortis, ſeu criminis indicamenta proiiciat. ciat *lib.4.ſect.1.num.49.p 127.*

**Clauſula 4.** *Soluite eum.* Totum hominem ſoluite, non manus, ſeu pedes. Nullum non vinculum ſoluendum miniſtro pateat. Vbi de integritate confeſſionis. *lib.10.ſect.1.num.55.p.400.*

## FERIA VI. POST DOMINICAM QVINTAM.

*Collegerunt Pontifices.* Ioan. 11.

Peccato pœna reſpondet. *lib* 10: *ſect* 1. *num.* 18.*p*.396.

*Intentum Euang.* Ideo occidentes Ieſu, ne Romani tollerent locum, & gentem, à Romanis ob tantum facinus miſerè diſperduntur.

*Clauſula* 1. *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit?* Crudeli inuidia affecti quomodo non vel ipſum benefactorem trucidarent? *lib*. 10. *ſect*.4.*num*.7.*p*.410.

*Clauſula* 2. *Si dimittimus eum. venient Romani.* Illico poſt Saluatoris necem Romani venerunt. Præproperum etenim ſacrilegij ſupplicium. *lib*.8. *ſect*.4.*num*.21.*p*.350.351.

*Clauſula* 3. *Expedit vt vnus moriatur homo, ne tota gens pereat.* Vnus id eſt, Rex hominum, quia Rex, ac Deus tuus *Deus vnus eſt. Vnus moriatur*: Deuſne moritur immortalis? Rex ille hominum. At idem eſt Regem eſſe, ac pro ſubditis morti addici debere. *lib*.9. *ſect*.4.*num*. 20.*p*.381.

*Clauſula* 4. *Ab illo ergo die cogitauerunt, vt interficerent.* Audito Præſidi Cayphæ omnes ſubſcripſere. Maxima enim exempli, præcipue Prælati, vis. *lib*. 4 *ſect*.3.*num* 8 *p*.142.

## FERIA VI. POST DOMINICAM PALMARVM SVB AVRORA.

*Super lapidem vnum ſeptem oculi ſunt.* Zachar. 3.

Intentum Euangeliſtarum Chriſti Paſſionem ſcribentium exprimo. *lib*.8. Obſeruat. vnicâ prœm. à *num*. 1.*ad* 22.*p*.317..318.319.

Clauſulas autem ſiue Domini patientis greſſus ibid. à *num*.13.ibid.

## FERIA VI. POST MERIDIEM.

Dominicam ſepulturam lacrymis proſequor. *lib*.12.*ſect*.4.*&c*.

---

## *SABBATA QVADRAGES.*

## SABB. POST CINERES.

*Erat nauis.* Marc. 5.

*Intentum Euang.* DEi effectus ad ſalutem hominis velociſſimi. *lib*.6. *ſect*.1. *num*. 65.*p*. 211.

Ideò è tempeſtate iactatis diſcipulis ambulans Dominus apparet.

*Clauſula* 1. *Nauis erat in medio mari, & Ieſus ſolus in terra.* Solus enim Ieſus alienis periculis laturus opem adſtat *lib*.7.*ſect*.6.*num*.35.*p*.314.

*Clauſula* 2. *Laborantes in remigando.* Opera à fidelibus numquam non exhibenda ad periculorum euaſionem. *lib*.12.*ſect*.3.*num*.38.

*Clauſula* 3. *Viderunt eum &c.* Diſceſſerat, ſed mox, vti bonum decebat Præſulem, reuerſus eſt. *lib*.3. *ſect*.3.*num*.9.*p*.113

*Putauerunt phantaſma eſſe.* Si ex queiſdam Doctor peccati hic tempeſtas innuitur, meritò Dominum aſpicientem, & toleraotem videntes, horrore concutiuntur; tacet enim, aliquando reſponſurus. *lib*.9.*ſect*.2.*num*.34 *p*.372. *Clauſula* 4.

## SABB. POST DOMINICAM PRIMAM.

*Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem.* Matth. 17.

Toto lib.7 require.

## SABB. POST DOMINICAM SECVNDAM.

*Homo quidam habuit duos filios.* Luc. 15.

Pœnitens viam iniqoitatis mente percurrat, vti greſſus lacrymis abluat. *lib*.6. *ſect*.7.*num*. 35.*p*.268. *Intentum Euang.*

Ideò Prodigus reuerſuturus, mente euoluit miſeriam *Hic fame pereo.*

*Surgam, & ibo ad Patrem meum.* Mundi pœnitens declinet illecebras. *lib*.7.*ſect*.1.*num*. 4.*p*.273. *Clauſula* 1.

*Adducite ſtolam primam.* Verè pœnitens omninò transformatur, ad priſtinumque felicitatis ſtatum recurrit. *lib*. 7. *ſect*. 3. *num*. 14. *p*.293. *Clauſula* 2.

*Et induite illum.* Curet pœnitens de veſtium etiam immutatione. *lib*. 2. *ſect*.3.*num*. 5.*p*.65. *Clauſula* 3.

*Audiuit ſymphoniã.* Filius alter accedit, ciues congregantur; vti reditus aperiatur eiſdem, qui diſceſſionis teſtes extitiſſent. *lib*. 7.*ſect*.2.*n*. 55. *p*.289. *Clauſula* 4.

## SABB. POST DOMINICAM TERTIAM.

*Adducunt Scribæ & Phariſæi.* Ioan. 8.

Medicus cœleſtis Verbum terræ noſtræ vnitum contra luxuriem pharmacum ſcribit. *lib*.1. *ſect*.4. *num*.29.*p*.37. *Intentum Euang.*

Ideò coram adultera ægrotante Spiritus ſancti digito ſeſe dum ſcribebat in terra Humanitate indutus ad libidinis noſtræ extinctionem.

*Digito ſcribebat in terra.* Luxurioſos terræ addicit. Proh caſtitas cæleſtis! *lib*. 6. *ſect*.3. *num*.16.*p*.224. *Clauſula* 1.

*Qui ſine peccato eſt, primus in eam lapidem mittat.* Qui ſine peccato non eſt, haut valet lapidem in nocentem immittere. Deberent profectò accuſatores priùs propriæ conſcientiæ purificandæ incumbere. *lib*.5.*ſect*.1. *num*. 52.*p*.177. *Clauſula* 2.

*Remanſit ſolus Ieſus & mulier.* Inten. *Miſericordia & miſeria.* Dei miſericordia in mediis flagitiis magis eluceſcit *lib*.1. *ſect*.1.*num*. 75.*p*.*p*.14. *Clauſula* 3.

*Et mulier in medio ſtans.* Nec reſpondet? Tacet profectò ex flagitij rubore. *lib*. 9. *ſect*. 3.*num*.5 *p*.374. *Clauſula* 4.

## SABB. POST DOMINICAM QVARTAM.

*Ego ſum lux mundi.* Ioan.8.

*Intentum Euang.* Chriſtus mundiales tenebras ablegans,lumẽ apparet.*lib.1.ſect.3.num.53.p.26.*

Ideò eum ſequuti haud poſſunt in tenebris ambulare.

*Clauſula 1.* *Qui ſequitur me,non ambulat in tenebris.*Quia non poteſt luci ſimul ac tenebris obſequium præſtare.*lib 6.ſect.1.num.48.&c.p.208.*

*Clauſula 2.* *Sed habebit lumen.*Non inquit.*habet*,ſed *habebit*, quia non vult Deus nunc iuſtum claritate donare.*lib.7.ſect.3.num.42.p.297.*

*Clauſula 3.* *Non ambulat in tenebris* , triſtitiæ vtique; quia Dei ſocietas gaudium homini impertiiur. *lib.2.ſect.3.num.53.p.70.*

*Clauſula 4.* *Sed habebit lumen.* Quia hæreſcens Ieſu,qui lux eſt, quaſi Ieſus ſplendens exſurgit. *lib. 1. ſect. 1. num.36.p.8.*

## SABB. POST DOMINICAM QVINTAM.

*Cogitauerunt.* Ioan. 11.

*Intentum Euang.* Inuidia malis ſocij ſeu ciuis, ſeu proximi pulchri non exſatiatur. *lib.10.ſect.5.num.23. p.416.*

Ideò qui decreuerant fulgentiſſimum Ieſum de medio tollere, cogitauerunt *vt & Lazarum* eius ſeruientem gloriæ pulchrum planè interficerent.

*Clauſula 1.* *In craſtinum autem turba multa.* Vt vbertas credentium eos puniat, qui Lazarum occidentes curabant, nullum ad Ieſum credentem accedere.*lib.10 ſect.1.num.28.p.396.*

*Clauſula 2.* *Noli timere filia Sion.* Quæ dum requiris. *lib.6.ſect.2.num.26.p.216;*

*Clauſula 3.* *Ecce Rex tuus venit ſedens ſuper pullum.* Quia humilitas Regi cognata. *lib. 6.ſect.2. num.20.p.257.*

*Clauſula 4.* *Rex tuus.* Id eſt, tui dans operam protectioni, quod idem prorſus. *lib.6. ſect.2. num. 20.p.220.*

---

## *PRO CONCIONIBVS Dominicarum Quadrageſimæ veſpertinis, Adami hiſtoria.*

*DVodecim Hiſtorias ſacræ Paginæ totidem voluminibus attexam. Tuum erit Textus ſeriem percurrere, ampliare meum: currenti calamo te ad morales exercitare ſenſus, materiémque concionibus indicare.*

## CONCIO PRIMA.

*Formauit igitur Deus hominem de limo terræ*, Geneſ. 2.

*Salus.* Richardus Laurent. de Laudatione Virg. lib. 4. *Plaſmationem primi hominis Maria exemplariter imitata eſt. Vt ſicut primus Adam de terra virgine plaſmatus fuerat, ſic ſecundus de Matre Virgine, ſecundum hominem formaretur.* Num tota hominis infelicitas è terræ preſſum fragilitate prodiiſſe? Ita planè. Profectò, me auctore, ſingularis eius felicitas hinc rimari licet. Nam ſi è terra prodiit Adam, *Maria eius ortum exemplariter imitata eſt.* Vnde fragilis Adami exortus è terra virgine, Ieſu naſcendi è virgine Deiparæ exemplum expoſuit. Proh hominis è terra Mariana felicitas! Patriam Adami cæleſtis ſalutemus.

Poſt mundi mirabilis iacta fundamina, poſt lucis exortum, poſt firmamenti exædificationem, aquarúmque congeriem, poſt terram herbis indutam, pictam floribus, nobilitatam fructibus, poſt accenſa in firmamento cœli luminaria diei ac noctis gubernaculum, poſt auium piſciúmque natalitium, poſt iumentorum, reptilium, ac beſtiarum formationem, ſextum diem mundus recens attigerat, & ſeſe diuinæ Perſonæ in opus humanum accingunt, quod ſuum exprimeret auctorem. Angelorum fortaſſe miniſterium fuit elementaris materiæ congeſtio, ab vnius Dei halitu homo ſubitò elaboratus perfectus extitit, animo & corpore conſtans,ingenio præſtans, facie venuſtus, immortalitate, omnigena ſcientia. Opificis cognitione condecoratus. Gratia illum diuina à primo excepit inſtanti, nil in illo rebelle, nil rationi repugnans, dum animales quoque paſſiones iuſtam metam ſequuntur. *Hiſtoria.*

*Dixitque Deus, Fiat lux, & facta eſt lux.* Cur præmiſſo imperio lux vnicè exoritur? Quia obediẽtia nobilitati agnata.*l.2.ſect.1.n.26.p.53.* *Clauſula 1.*

*Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis.* Diuiſio bonorum à malis myſticè indicitur. Nam ſocietas vnius improbi pluribus eſt iuſtis exitialis. *lib. 7.ſect. 2. num.44.p.279.* *Clauſula 2.*

*Formauit igitur Deus hominem de limo terræ.* *Clauſula 3.*
De terra limoſa homo exſurgit, vti humanitatis ærumnæ tenaciter hærentes illicò præſententur.*lib.11.ſect.7.num.10.p.460.*

*Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ.* Spiritualis vita non ſolùm præcordiis infunditur, ſed & faciei cedit. Nam cùm pœnitentia eſt perfecta: homine transformato, vel vultus ipſe teſtimonium adducit.*lib.7.ſect.3. num.14.p.293.* *Clauſula 4.*

## CONCIO SECVNDA.

*Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adiutorium ſimile ſibi.* Gen. 2.

Num Eua Adamo in adiutorium? Minimè. Richardus lib. 1. *Literalis Eua viro ſuo non fuit in adiutorium, ſed in deſtructorium magis. Maria autem in adiutorium, quia in manu fœminæ tradidit Deus Siſaram.* Deſtructus ergo ex Eua ſocia Adam, ad Mariam tibi ſimile adiutorium accurre. *Salus.*

*Quemadmodum Deus hominem* (loquor cum D. Baſil. Hom. de Parad.) *à cæteris animantibus diſcreta, ac ſingulari dignatus eſt formatione: itidem & homini apparauit, ſuáque* *Hiſtoria.*

condidit

*condidit manu peramœnam, ac deli ciis omniferam diſſluentem manſionem, locum vtique omnem exuperantem creaturam, viſenda pulchritudine ſuſpiciendum, & admirabilem: iocum dico perilluſtrem, qui ob ſitus celſitudinem nulla ſui parte admittit tenebras: vtpote quem ex oriente ſyderum ſplendor irradiat, & vndique ſuo lumine cicunfundit. Retinet hic peramœnam, ac iocundiſſimam veris temperiem lucidiſſimo, & ſplendiſluo aero colluſtratus. Illic Deus plantauit Paradiſum, vbi nulla eſſet vis ventorum, nulla tempeſtatum intemperies, non hyemalis glacies, non veris humiditas, non æſtatis exaſtuatio, non autumni ſiccitas, ſed temperato, & pacifica inter ſe temporum conſonantia. Deinde vt terra eſſet pinguis, mollis, & verè fluens lacte & melle ad fertilitatem frugum accommoda, ac fertiliſſimis aquis irrigua quæ profecto incredibilem quandam pulcritudinem exhiberent: ſubtiles enim aquæ illa & multum quidem vtilitatis ſpectantibus conferunt, plus vtilitatis. &c.* Huc vſque Doctor. Quot arbores, tot menſæ gratiſſimis epulis fartæ. Vna ſolum de tam multis arbore præcepto conditoris interdicta, altera in medio Paradiſi in longiſſima ſæcula ſine ſenio ætatem, vitam, ſine moleſtia æternatura. Ad hanc mundialis imperij primam ſedem Dominus deduxit Adamum, cui iubet animantibus præſidere, queis proprietatibus conuenientia indidit nomina. Adamo ergo Eua ſocia, & adiutrix ſomnij vtique effectus (vt ſomnium voluptates exiſtere innuatur) data, cauſa extitit ruinæ.

*Clauſula 1.* *Plantauerat autem Deus Paradiſum voluptatis à principio, in quo poſuit hominem, quem formauerat.* Paradiſi namque incola, qui Deo præſtat obſequium. Vti Duplex iuſto Paradiſus præparetur, quemadmodum duplex tartarus excipit peccatorem. *lib. 11. sect. 6. num. 12. p. 456.*

*Clauſula 2.* *Produxitque Deus de humo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue; lignum etiam vitæ in medio Paradiſi, lignum quoque ſcientiæ boni, & mali.* Omnes arbores & pulchræ & dulcedine diffluentes. At non cunctæ eoſdem parturiunt effectus. O quotiens ſub pulchro tegmine latet abſynthium! Ne ergo ex ſpecie iudices, proculdubio ſeducendus. *lib. 4. sect. 2. num. 24. p. 136.*

*Clauſula 3.* *Tulit ergo Deus hominem, & poſuit eum in Paradiſo voluptatis, vt operaretur.* Quid cum operatione, ac labore deliciarum horto? Annon quia iuſti labores dulcedine, voluptate diffluunt? Ita planè. *lib. 8. sect. 3. num. 14. p. 345.*

*Clauſula 4.* *Et ædificauit coſtam in mulierem.* Metaphora ædificandi vſus, innuit Textus, fœminæ adnatum domo recludi, imo domum coniugis exiſtere. Nec enim incolumis domus inambulat, ſed cum diluuium arripit perituram. *lib. 2. sect. 1. num. 29. p. 53.*

## CONCIO TERTIA.

*In dolore paries filios: ſub viri poteſtate eris.* Geneſ. 3.

*Salus.* Laurentius lib. 1. de Laudibus Virg. *Triplicem maledictionem quaſi triplex væ excepit Eua in pœnam inobedientiæ. Prima, multiplicabo ærumnas tuas: ſecunda, in dolore paries filios: tertia, ſub viri poteſtate eris: ſine hoc triplici væ Mariam inuenies, quia nec ſenſit ærumnam in conceptu, nec dolorem in partu, nec viro fuit ſubdita, perpetuò virginitatis obtentu. Ideò dixit ei Angelus, Aue gratia plena.* O miſeram morientium parentem tot laboribus agitatatā! Præcordia iam, ô Regina, perfunde lætitia; nam ſi Maria ſine væ te participem benedictionis reddet, ſi cum Angelo proloquaris. *Aue gratia plena.*

Septies coniuges ſolem orientem viderant, ſingulis horis ad inexpertas delicias rapti, dum flores fructus, odorifera germina, piſces, volucres, animantia ſenſibus cunctis adiiciunt voluptatem: Adamus cœlicolarum ad choros ex auium concentu rapitur, Eua autem ex adnata curioſitate nondum culpabili ad noua ſeſe applicat exploranda: ſerpens totus Diabolico ſpiritu plenus obiicitur pulcher forma, amabilis ſibilo, aſtutus dictione. Regina ſeducitur virum corrumpit, pomo abſumpto, duplici hauſta mortalitate. Adamus igitur cum noxiæ ſocia poſt iudicium, poſt ſententiam beatis hortis in perpetuum expulſus, morti, cæteriſque miſeriis quæ mortalem conditionem comitantur, addicitur, repente ex beato miſer & auctor humani generis ruens, ſecum in eundem caſum poſteritatem traxit. *Hiſtoria.*

*Vocem tuam audiui in Paradiſo, & timui, eo quod nudus eſſem* Quam iuſtè pudore ſuffunditur! quam miſericorditer pudore affectus à domino excipitur! *lib. 9. sect. 5. num. 43. p. 289.* *Clauſula 1.*

*Mulier quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Caiet. *Mulier quam dediſti mecum.* Ipſa proinde è ſocietate ſerpentis in ſerpentem mutata me ſocium vertit in ſerpentem. Nam ſicut Dei ſocius quaſi Deus exſurgis; Diaboli comes Diabolus reputaris. *lib. 1. sect. 1. num 35. &c. p. 8.* *Clauſula 2.*

*Spinas & tribulos germinabit tibi.* Num Dei irati effectus? Imò benigniſſimi Numinis affectus indicitur. Laboribus enim hìc peccatorem agitari prædeſtinationis eſt documentum. *lib. 10. sect. 3. num. 24. p. 409.* *Clauſula 3.*

Sicut ſolui deliciis reum, reprobationis ſignum. *lib. 10. sect. 3. num. 18. p. 408.* *Clauſula 4.*

*Fecit Deus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas.* Nam qui pœnitentiæ dat operam cultum affectum veſtium externarum modeſtia curat oſtendere. *lib. 7. sect. 3. num. 25. p. 294. 295.*

## CONCIO QVARTA.

*Poſſedi hominem per Deum.* Gen. 4. *Salus.*

Idem Richardus lib. 4. *Beata Virgo & poſſidetur, & poſſidet. Paſſiue ait, Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum. Actiuè autem nato filio potuit dicere cum Eua. Poſſedi hominem per Deū.* Imò accommodatius iuſtituto. *Poſſedi Deum per hominem.* Id eſt, occaſione hominis delinquentis Deum poſſideo, vnde homini perpetuò addicta redditu a gratiam, Deum ipſum peccatoribus reddo. *Hiſtoria.*

Exilij initio (Nom ſolatio? certè laboris incremento.) Adamus Cainum & Abelem genuit

genuit, quorum ille matris *poſſeſſio*, agricola, hic patris *luctus* paſtor fuit. Citu dumeſticum, malum à malo exorta interuenit inuidia. Abelis ſacrificia Deus igne è cœlo miſſo probauit, Caini non item, vnde humo innidus fratrem interfecit, iratóque numine, vltrice parricidij conſcieotia profugus errauit, dum parentes vulnerantis filiis receſſum non deplorant, quia vulnerati, & occiſi ubiectus miſerandus inuiſam eis efficiunt parentum relationem. Multi deinde Adamo filij naſcuntur, ſed vnus fuit Serbus anno centeſimo & trigeſimo ætatis parentes oatus, qui Abelis tolleret orbitatem.

*Clauſula 1.* *Factum eſt poſt multos diee, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino.* Id reprobat Dominus in Caino ſacrificium reſpuens, quod poſt multos dies, cum potius ſit adoleſcentia virtuti litanda. *lib. 4. num. 73. p. 167.*

*Clauſula 2.* *Iratúſque eſt Cain vehementer, & concidit vultus eius.* Ille inuidia corripitur? Igitur Abel innocens occiderur licet molliter inuidus à Numine corripiatur, *Peccaſti: quieſce.* Nam inuidia parcere neſcit. *lib. 10. ſect. 5. num. 28. p. 416.*

*Clauſula 3.* *Dixitque Cain ad Abel, egrediamur foras* Ambroſ. *Egrediamur in agrum infœcundum.* Vndenam ſterilitas agro illi? Quia præſcius Deus futurorum primi parricidij palæſtram, *ei germina denegauit.* An crimina quædam tanta inundant malitia, vt Deus qnodammodo ab illis ſumat vindictam, quam perpetrentur? *lib. 10. ſect. 5. num. 39. p. 418.*

*Clauſula 4.* *Omnis qui inuenerit me, occidet me. Nequaquam* (ait Dominus) *ita fiet &c.* Et cur nocentiſſimus omnium vulnerum plaga dignus à miſericordi Domino reſeruatur? Traditur ille criminum armis crudelius trucidandus. Annon peccatum ipſum ſui ſupplicium eſt? *lib. 10. ſect. 1. num. 23. p. 396.*

## CONCIO QVINTA.

*Ambulauit Henoch cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus.* Gen. 5.

Sancti quique à Domino in cœlum transferuntur, quia in terra abſtracti à cœlo commorantur. Deipara autem quonam modo poteſt transferri, ſi apud terram habitans, ſimul in cœlis commoratur? *Maria* (ait Richardus lib. 12.) *erat corpore in mundo licet in cælis eſſet mente; quia cœlos attingebat ſtãs in terra. Henoch placuit Deo, & tranſlatus eſt in cœlum. Maria verò aſcendit innixa ſuper dilectum.* Ergo nequiuit transferri, quæ innixa ſuper dilectum ſemper commurabatur, cœleſti ſemper hærens tabernaculo. An apud cœlicolas degens, terrenam obliuioni habitationem committit? Abſit. *Regina etenim noſtra eſt iam ſpiritu in mundo licet ſit corpore in cœlis.* Eua hodie cecidit, ſed Adamo innixa. Orbati filij, haut recedit Deiparæ interceſſio.

*Hiſtoria.* Sethus Adami filius ſic omnes in ſe virtutes oſtendit vt Dei nomine vocari mereretur, & quot quot natos habebat, tot Dei filij adnumerabantur. Cain autem profugus filium Henoch progenuit, de cuius nomine condit vrbem, quem copioſa ſoboles ſecuta eſt, vt quot nati Caini, tot hominum filij excitarentur. Impia nempe Caini, pia Sethi progenies extitit. Cainus igitur parricidij magiſter Lamechi errore parricidæ, occiſus à nemine interemptus occubuit. At humani generis parens turba nepotum per decem generationes cinctus nõgenteſimum & trigeſimum annum agens animam agere geſtiebat, & inter nepotum oſcula, Euæ amplexus, ſuorum eiulatus, prophetica profundens verba, queis diluuium proximum cantabat, Deo optimo affectum, Abeli filio animum tradidit, filiorum, ac nepotum examinibus in communis parentis cadauer tuentibus. Deflet tandem maritum Eua, ne quid fletus primæ peccati conciliatrici defuerit, imò vt omnium ærumnarum vidua epilogum ageret, quæ toti progeniei profudit ærumnas. Porro Sethi progenies Henoch Deo gratus abripitur, vti diu ſuperſtes Adami in horto moraretur.

*Quoniam occidi virum in vulnus meum* (ait Lamech vxoribus) *& adoleſcentulum in liuorem meum.* Occidit Lamech Cainum. Quonammodo igitur occiſus, ſi appoſitum ei ſignum à Domino, vt a nemine interficeretur? Profectò interfectus à nemine, quia peccator Lamech iam nemo erat, delinquens etenim quaſi caret eſſentia *lib. 5. ſect. 1. num. 6. p. 171.* *Clauſula 1.*

*Hic eſt liber generationis Adam. In die, qua creauit Deus hominem, ad ſimilitudinem Dei fecit illum, maſculum & feminam creauit eos, & vocauit nomen eorum, Adam.* Si maſculus & femina creatur, duo ſcilicet, quonammodo eis quaſi vni nomen Adam imponitur? Annon maritus & vxor velut vnica eſſentia eodem debuere nomine inſigniri? Num non Adamus Præſul, ac Eua ſubdita eadem videntur eſſentia decorari? *lib. 6. ſect. 4. num. 17. p. 236.* *Clauſula 2.*
Quid ſi Euæ filiæ ac Adami parentis haud diſtincta perſona? *lib. 12. ſect. 4. num. 16.*

*Ambulauit Henoch cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum dominus.* Aduerſus Antichriſtum concionaturus per tot ſæcula propriæ vacat perfectioni. *lib. 5. ſect. 1. num. 52. p. 177.* *Clauſula 3.*

*Quia tulit eum Dominus.* Quare apud homines non aſſeruatur? Ne ex delinquentium ſocietate contaminaretur. Omnis nempe caro corrupit mox viam ſuam filiis hominum admixti. Quid non tot delinquentium turba iuſtu vni incommodi afferrent, ſi vnus peccator pluribus eſt iuſtis exitialis? *lib. 7. ſect. 1. num. 44. p. 279.* *Clauſula 4.*

## CONCIO SEXTA.

*Fac tibi arcam de lignis læuigatis.* Gen. 6.

Chriſtus Noe prædeſtinatos adducens ad vitam. Maria enim arca Noe prædeſtinatos excipiens in gloriam. Richardus Laur. lib. 11. *Maria eſt arca, Noe Chriſtus, qui interpretatur requies, quiquè dicit, Venite ad me omnes qui laboratis, & reficiam vos vtique in patria. Vnde dicit Beata Virgo: venerunt mihi omnia bona, ſiue ad me omnes boni, quia cella ſum omnium aromatum.* Maria igitur, quæ nos cũctos excipit in gloriam excitauit ad gratiam. *Salus.*

*Hiſtoria.* Rapto Henochu Sethi trinepote anoo poſt mundum conditum prope milleſimo, huius filius Mathuſales, cum annos ferè mille vixiſſet, nihilo faciliorem quam cæteri expertus eſt mortem. Vugo autem mortales mortis obliti, vitæ longitudine abuti cœperunt. Porru Sethi gens connubiis cum Caini gente iunctis, progenuit gigantes, & in externos lapſa mores omoia pudoris perfregit repagula. Vnde poſt mundum conditum milleſimu quingenteſimo nonageſimo ſextu flagrans vbique libidinis flamma perpetuis quadragiota dierum imbribus terrarúmque eluuione reſtinguitur. Vtinam non ſciotilla cioeribus expoſita rediuiua proſiliset. Animantium omne perit præter id quod Noe Dei monitu in arca aſſeruarat ad ſobolem. Poſt naufragium Noe vioum inuenit, vt Ieſu patieotis referret nuditatem. Certè Noe, qui ab aquis diluuij liberauit ſecum octo animas, ſimul Adami oſſa liberauit, quæ diuiſa inter Noemi filios, diuerſis mundi regionibus tumulantur. A tribus námque Noe filiis Semo, Chamo, & Iapheto gentes omnes toto terrarum orbe paulatim ſunt propagatæ: Iapheto Scythia & Europa; Chamo Syria, Ægypto, Africa; Semo Aſſyria, India, & Aſia reliqua obuenientibus.

*Clauſula 1.* *Videntes filij Dei filias hominum, quod eſſent pulchra, acceperunt ſibi vxores.* Mox Dominus inclamitat, *Non permanebit Spiritus meus in homine; quia caro eſt.* Quam citò, filij Dei ex praua vxorum ſocietate corrumpuntur! *lib. 11. ſect. 7. num. 26. p. 462.*

*Noe verò inuenit gratiam coram Domino.* Vnius iuſti gratia mundus innouatus exurgit. Deus enim mirum in modum vnum iuſtum hominem æſtimat *lib. 11. ſect. 6. num. 19. p. 456.*

*Clauſula 2.* *Multiplicata ſunt aquæ, & eleuauerunt arcam in ſublime.* Quam leuis arca tot volucres, & animantia continens. Nullum certè pondus vbi peccatum non adeſt. Proh miſerandi peccatores à diluuione abſorpti, quam veloces ex criminum poodere properaſtis ad ceotrum! *lib. 12. ſect. 1. num. 16. p. 475.*

*Clauſula 3.* *Aperiens Noe feneſtram arca quam fecerat, dimiſit coruum, qui egrediebatur, & non reuertebatur.* Exprimit corous volubilis pœnitens noxiam inconſtantiam. *lib. 4. ſect. 1. n. 22. p. 123*

*Clauſula 4.* *Et nudatus eſt in tabernaculo ſuo.* Expreſſit planè Ieſu ouditatem quam põdero, *lib. 11. ſect. 5. &c. p. 458.*

---

## *PARTICVLARES QVOrumdam Feſtorum Conciones.*

*SVnt qui ad Sanctorum ſolemnia communes ſeu virtutum, ſeu vitiorum obſeruationes trahunt, putantes ſe miniſterio feciſſe ſatis, ſi moralitates Euangelio conuenientes attigerint. Ego autem qui diuorum feſta propriis Panegyricis celebranda cenſeo, nihil adnotabo, quod ſpecialibus ſolemnitatis laudibus non conueniat.*

*Profectò nonnulli Sanctorum proprias laudes eundem ſecuti ſtylum efferunt, dum Euangelij Intentum toti Diui vita ſtudent accommodare, Clauſulas autem ſingularibus eiuſdem virtutibus annectunt. Id quod omninò approbo. Nec ideò improbarim aliorum morem, qui aut Scripturæ, aut Patris cuiuſdam ſtatuunt ſententiam fundamenti gratia. Triplici puncto triplicem Euangelij Clauſulam attingo, vnde Diui Magnalia referentur. Quod ſi non ſit aut Scriptura aut Patris teſtimonium in promptu, punctum triplex ex ipſo immediatè profluat Euangelio.* Exhibeo exemplaria, reliquáque, quæ ad Diuos ſpecialiter ſpectant, expono.

### IESV NATIVITAS.

*Exiit edictum.* Luc. 2. lib. 2. &c.
*Paſtores loquebantur.* Luc. 2. lib. 3. &c.
*In principio erat Verbum.* Ioan. 1 lib. 1. &c.

### CIRCVMCISIO.

*Poſtquam conſummati ſunt dies octo.* Luc. 2. lib. 4. &c.

### NOMEN IESV.

*Vocatum eſt nomen eius Ieſus.* Luc. 2. lib. 5. &c.

### EPIPHANIA.

*Cum natus eſſet Ieſus.* Matth. 2. lib. 6. &c.

### RENOVATIO VOTORVM SOCIETATIS IESV.

*Obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.* Matth. 2. lib. 6. ſect. 6. num. 26. &c. p. 258.

### TRANSFIGVRATIO.

*Aſſumpſit Ieſus.* Matth. 17. lib. 7. &c.

### RESVRRECTIO.

*Maria Magdalene.* Matth. 16.

DIES reſurrectionis homini reſtituit, quidquid ille Domioi libauit obſequio. *lib. 4. ſect. 1. num. 27. pag. 123.* *Intentum Euang.*

Ideò Chriſtus integer omninò reſurgit è tumulo cuios in typum Solem ſecum aote tempus exortum adduxit.

*Ieſum quæritis crucifixum, ſurrexit.* Nam ad vitam mortificatio oeceſſaria. *lib. 12. ſect. 4. num. 34.* *Clauſula 1.*

*Surrexit, non eſt hic.* Id eſt io ſepulchro. vbi mortuus iacuerat. Fuge reſurgens occaſionem delinquendi potentiſſimam. *lib. 8. ſect. 5. num. 26. p. 357.* *Clauſula 2.*

*Non eſt hic, videte locum.* Cum Dominu reſurgens ian non morituro, haud rurſum moriaris. Ideò ait *Videte locum, vbi poſitus fuerat* (non erit) *Dominus. lib. 4. ſect. 1. num. 16. p. 122.* *Clauſula 3.*

*In albis* Denique apparuere cœlicolæ edocentes, qualis poſt reſurrectionem futura beatorum gloria. *lib. 7. ſect. 2. num. 23. p. 284.* *Clauſula 4.*

## PENTECOSTES.

*Sic Deus dilexit mundum.* Ioan.3.

*Introduct.* Gen.1. *Tenebra erant ſuper faciem abyſſi, Spiritus autem Domini ferebatur ſuper aquas.* Vbi D. Baſil. *Spiritum Dei ſanctum intellexit. At ferri hoc loco fouere ſignificat, ac viuificare quodammodo aquarum naturam de more incubantis gallinæ, quæ ſuo calore vitalem quandam vim eius inſpirat.* Id quod Spiritus ſancti affectum erga creaturas ſignificare quis ambigat? *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret*, cuius exortum ex homana natura Paracletus, quaſi fouens oua, iam inde ab exordio maturabat.

*Diſcurſ 1.* *Spiritus autem Domini ferebatur ſuper aquas.* Puriſſima creaturarum viuentium generatio, Baſilio authore, iouuitur, quæ quidem diuinæ dilectionis affectu ſignatur, *ſic Deus dilexit mundum.* Nec aliter Spiritus apud terricolas moraretur. Spiritus enim Dei cum carne minimè commoratur, ſante Domino. *Non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro eſt.* Et ſuperbiæ & auaritiæ, & luxuriei, quæ carnis appellatione deſignantur propulſat affectom. *lib.6 ſect.1 num.48.&c p.208.*

*Diſcurſ.2.* *Ferebatur ſuper aquas.* Velociſſimè fertur, vti omnibus mundum donaret, cunctas etenim affirmante Baſilio præparat creaturas. *Sic autem Deus dilexit mundum, vt filium vnigenitum daret.* Proh muneris ineffabilitas, omniúmque ſimul donorum præpropera largitio! O quam velociter Spiritus ſancti charitas operatur! *lib 6. ſect.1. num.65. p.211.*

*Diſcurſ 3.* *Tenebra erant ſuper faciem abyſſi.* Quas equidem tenebras Spiritus Sancti perſpicua flamma dedebat in fugam. Ideò tenebris obruto mondo antè lucis exortum Sol Spiritus Sanctus fulgurabat. *Vt omnis qui credit in illum, non pereat.* Illuminat planè Paracletus incredulos, vt Chriſto hæreant credituri, vitáque donentur æterna. *lib.6, ſect.3. num.48 p.229.*

## EVCHARISTIA.

*Caro mea verè eſt cibus.* Ioan.6.

*Introitum Euang.* Eucharisticus cibus mores immutat. *lib.2. ſect.3 num.59 p.71.*

Ideò Dominus hominibus brutalitate preſſis cibus apponitur, vt non ſolùm ad humanitatem redeant, imò ad Deitatem eleuentur. *In me manet & ego in illo. Sicut miſit me viuens Pater, &c.*

*Clauſula 1.* *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Ad nutritionem ſcilicet ſpiritualem cibus & potus, ſi à ſanis cordibus excipiatur. *lib 1. ſect.4. num.70. p.43.*

*Clauſula 2.* *Qui manducat meam carnem, & bibet meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.* Deum immenſum corda puſilla excipiunt, noſtræ exilitati aptato pane. *lib 4. ſect.4 num.80. p.168*

*Clauſula 3.* *Hic eſt panis, qui de cœlo deſcendit.* Haud ſerendus, haud emendus panis, è cœlo effluens gratis accipitur, vti edoceat à mundiali auaritia ſeiungi oportere eum, qui accepturus accedit. *lib.3 ſect.1. num.21. p.100.*

Accommoda etiam, quæ dedimus à *num. 16. p.99.*

*Non ſicut manducauerunt Patres veſtri manna, & mortui ſunt.* Mox ſcilicet poſt indignam ſumptionem, vt edoceret Dominus properans ſacrilegè communicanti ſupplicium. *lib. 8. ſect.4. num.21. p.350.351.* *Clauſula 4.*

## INVENTIO CRVCIS.

*Erat homo ex Phariſæis.* Ioan. 3.

*Helena Chriſti Domini Crucem requirens,* (loquor cum Metaphr.) *non ſolum lignũ ſalutare, ſed & duorũ latronum patibula inuenit.* Id quod plures antiqui, & recentiores affirmant. Quàm pulchrè Regina & innocentiæ, & pœnitentiæ, & induratæ malitiæ labores dedicare exſurgit! Nullus etenim hic liber à cruciatu. *lib. 11. ſect. 7. num.32. p.462.* *Introduct.*

Perſequor. Ideò Nicodemus Iudæorum Princeps ad Ieſum *nocte* quaſi crucem quæſiturus acceſſit. Nocte quidem quaſi ab amico panem requirens, Crucem enim temporariorum exigentia comitatur.

*Veni ad Ieſum nocte.* En Saluatoris innocentis lignũ. Quis ſanæ mentis non exiſtimaret ab innocentia Crucem ablegari omninò? Profectò Innocens Ieſus Cruci addictus, laboribus ab adoleſcentia dedicatus, temporariorum exigentia preſſus. *lib. 11. ſect. 5. num. 14. p.452.* *Diſcurſ. 1.*

*Hic venit nocte.* Hunc nox apprehendit licèt ſeſe ad meliorem frugem recepiſſet. Nec enim innocente crucifero, pœnitentem liberum à Cruce diuagari oporteret, pro baiulandę Crucis neceſſitate. *l. 11. ſect. 3. n. 15. p.442.443.* *Diſcurſ. 2.*

*Princeps Iudæorum.* Num ſubditorum fœlicior ſors! An Nicodemo ſatius fuiſſet Iudæorum incredulitate commorari? Abſit. Impius enim impœnitens duplici Cruci Tartaro addicitur. *lib. 11. ſect. 6. num. 12. p.465.* *Diſcurſ 3.*

## EXALTATIO CRVCIS.

*Nunc iudicium eſt mundi.* Ioan. 12.

Dauidicum præmitto carmen. *Si aſcendero in cœlum, tu illic es; ſi deſcendero in infernum, ades; ſi ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Pſal. 138. Vbi ex Nyſſeno Crux Dominica figuratur triumphans vtique, & exaltata. Ad cœleſte faſtigium Crux caput attollit: *Si aſcendero in cœlũ.* Pede Tartara Crux triũphatrix inculcat *Si deſcendero in infernum.* Brachia militans vndique porrigit: *Si aſſumpſero pennas meas, etenim illuc manus tua, &c.* Proh exaltati ſemper vexilli triumphus! En Spiritus Euangelij. *Introduct.*

Primò Crux vſque ad Deitatis faſtigium exaltatur, & cruciferos eleuat, *Si aſcendero in cœlum. Et ego* (ait Dominus) *ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum.* Cuncta ad ſe trahere Deitatis eſt. Porrò Dominus Cruci illigatus, adeò exaltatus apparet, vt Diuinitatis thronum attigiſſe videatur. Et quando non voluntaria Crucis ſocietas hominem ad Diuinitatis verticem non eleuauit? *lib. 11. ſect. 2. num. 25. p.440.* *Diſcurſ 1.*

*Diſcurſus 2.* Deinde virtus Crucis pertingit ad tartara, Diabolo damnatiooi addicto. *Si deſcendero in infernum. Nunc iudicium eſt mundi,* quo quidem Diabolus condemnatur, muodus abſoluitur, *Et Princeps huius mundi eiicietur foras.* Neceſſaria certè homiois per Crucem abſolutio: à Cruce enim Dominus benigniſſimus oſtentatur. *lib.* 11. *ſect.* 4. *num.* 25. *p.* 450.

*Diſcurſ.* 3. Denique Crucis brachia huc illuc porriguntur, vt manus eum hoſtibus teterrimis conſerantur, *Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Et Princeps huius mundi eiicietur foras.* Vtique bello ſuperatus Cruce militaote, viocente. *lib.* 11. *ſect.* 1. *num.* 20. *p.* 445. Triumpho Crucis accommoda,

## ANNVNCIATIO MARIÆ.

*Miſſus eſt Angelus.* Luc. 1.

*Intentum Euang.* Filius Mariæ effectus, Ieſo frater efficeris. vnde filius Dei ad ſalutem eleuaris. *lib.* 2. *ſect.* 3. *num.* 20. *p.* 435.

Ideò Aogelus, Deo immittente, præſtaote, Mariam Chriſti matrem aſſignans, homines Dei filios videtur aſſerere.

*Clauſula* 1. *Et ingreſſus Angelus ad eam.* Quia minimè foras diuagabatur. *Miſſus eſt in ciuitate Galilaæ.* Mirum ſi extra ciuitatem moraretur, ſi extra domum inueniretur ab Aogelo, quæ præcepto coacta ſemper ſe tradidit in viam. *lib.* 2. *ſect.* 1. *num.* 29. *p.* 53.

*Clauſula* 2. *Et quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Filium etenim ſuum peperit Virgo, qui è Maria exortus, ſe Dei Filium eſſe manifeſtauit. *lib.* 2. *ſect.* 3. *num.* 38. *p.* 68.

*Clauſula* 3. *Quomodo fiet iſtud? &c.* Quid mirum ſapientiſſimam Mariam diſcere ab Angelo, quæ vel à paſtoribus diſcere dignata eſt? *lib.* 3. *ſect.* 1. *num.* 17. *p.* 99.

## SODALITII MARIANI, ALVMNIS.

*Bonum eſt viro, cùm portauerit iugum ab adoleſcentia ſua, ſedebit ſolitarius, & tacebit; quia leuauit ſe ſupra ſe.* Thren. 3.

*Diſcurſ.* 1. *Cùm portauerit iugum.* Mariaoum. Eſt enim Maria adoleſcentiæ pædagogus. *lib.* 4. *ſect.* 4. *num.* 53 *p.* 164.

*Diſcurſ.* 2. *Sedebit ſolitarius & tacebit.* Vt ſilentio muniti ſint pudicitiæ cultores. Nam ſilentium caſtitatis affine. *lib.* 3. *ſect.* 2. *num.* 56. *p.* 110.

*Diſcurſ.* 3. *Et leuauit ſe ſuprà ſe.* Spiritualibus etenim exercitamentis orationis & lectionis edocet ſuos alumnos Maria ad cœleſtia eleuari. *lib.* 3. *ſect.* 3. *num.* 32. *p.* 117.

## NATIVITAS MARIÆ.

*Liber generationis.* Matth. 1.

Quàm pulchrè Laorent. de Laud. Vit. *Exoritur lucidiſſima Stella Maria, quæ & vitam regit noſtram, & felicem mortem annunciat.*

*Diſcurſ.* 1. *De qua natus eſt Ieſus.* D. Vincentius Ferrat. affirmat Ieſum lucidiſſimum Solem ex ſtella clariſſima prodiiſſe. *Exoritur* hodie *lucidiſſima ſtella Maria. lib.* 6. *ſect.* 3. *num.* 54. *p.* 229.

Pergit Laurent. *Quæ & vitam regit.* Regit vtique erroneos, vt afferat ad viam, vt perducat ad Chriſtum. Quàm aptè Mariæ libat obſequium, qui Ieſu inueniendo operam nauat! *lib.* 3. *ſect.* 2. *num.* 44. *p.* 108. *Diſcurſ.* 2.

*Felicem* (tandem ait) *mortem annunciat,* edocens potentiſſimam Mariæ interceſſionem præcipuè requirendam ab eis, qui mortis experiũtur anguſtias. *lib.* 11. *ſect.* 4. *num.* 20. *p.* 449. *Diſcurſ.* 3.

## ANGELVS CVSTOS.

*Quis putas maior eſt.* Matth. 18.

Carthuſ. *Angeli ſocij ac amici hominum, perfecto bello, eos pace donant.* Quæ quidem ſententia Euaogelij expoſitionem, Aogeli cuſtodis continet magnalia. *Introd.*

Ac primò *Angeli* (inquit) *ſocij, ac amici hominum.* Amicus alter ego, ſeſe meæ voluntati accommodat. *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris. Angeli eorum* ſiue hominum vocitantur, qoia amicitiæ colligantur vinculo. Hi ſemper *vident faciem Patris,* vt diuioæ voluntatis prætextum callentes, cognoſcant, num hominum voluntas eidem cœleſti voluntati pareat; vti videlicet ſi rectum ſit hominum placitum eorundem ſeſe huic booæ voluntati accommodent. *lib.* 6. *ſect.* 3. *num.* 12. *p.* 223. *Diſcurſ.* 1.

*Perfecto bello,* ſeu inſtituta pugna. Pugoant etenim cuſtodes Angeli aduerſus hominum viſibiles ſeu inuiſibiles hoſtes. Vnde Dominus, *Non contemnatis vnum de puſillis iſtis, quia Angeli eorum &c.* Belligerantes hominibus adſtant. *lib.* 2. *ſect.* 5. *num.* 21. *p.* 89. *Diſcurſ.* 2.

*Eos pace donant.* Igitur *non contemnatis vnũ de puſillis iſtis, &c.* Vera etiam pax Angelis proferentibus, puſillis profertur. Queis quondam nato Domino militari habitu Angeli apparent, vti eos vera pace donarent. *lib.* 2. *ſect.* 5. *num.* 26. *p.* 90. Michaëli accommoda. *Diſcurſ.* 3.

## D. IOSEPHVS.

*Cùm eſſet deſponſata.* Matth. 1.

Appoſitè Caſſian. *Obedienti Regi Ieſeph obedire cura.* Ac ſi diceret, ſi Rex ille, cui per Mariam Sponſam temporale Regnum accinebat, (ni tyrannis cuncta perturbaret) obedientiæ promptæ documenta exhibuit, quid non eidem Regi noſtro ſubditi humiles prælibemus obſequium. Huiuſmodi diſcurſum confirmat Euangelium. *Introd.*

*Ieſeph autem vir eius, cum eſſet iuſtus, & nellet eam traducere.* Particula illa *Nellet,* ponderanda. Non vult Ioſeph, quia voluntatem verè obediens Diuioo placito accommodari curat. *Cum eſſet iuſtus.* Iuſtitia hioc Ioſephi eluceſcit, quæ in cæca obedientia comprobatur. *lib.* 2. *ſect.* 1. *num.* 16. *p.* 52. *Diſcurſ.* 1.

*Obedienti Regi.* Matthæus, *Ioſeph fili Dauid* (inquit Angelus) *noli timere, &c.* Vt Ioſeph nolit timere, ſiue nec velit, nec nolit, niſi quod Numini placuerit, eum Dauidis filium ſiue Regium natum compellauit. Nam quia de domo Regia Ioſeph promptior obediens oſten *Diſcurſ.* 2.

oſteotatur *lib.2.ſect.1.num.23.p.52.*

*Diſcurſ.3.* *Obedire cura.* Tota hominis Ioſephi alumni felicitas, ei obſequium præſtare. *Cum eſſet deſponſata mater Ieſu Maria Ioſeph.* En ſalutis viam. Accede ad Ioſeph, ei obedientiam impende, vti ad Mariam manu ducat, quæ & benigniſſimum perferat ad Ieſum. *lib.3.ſect.2. num 44.p.*108.

## IOANNES BAPTISTA.

*Eliſabeth impletum eſt tempus.* Luc. 1.

*Intentum Euang.* Tantus Ioannes ex virtutum ſplendore, vt neceſſum fuiſſet Euangeliſtam Ioannem eum hominem purum eſſe pluribus confirmare. *lib. 1. ſect.2.num.6.p.15.*

Ideò & noſter Lucas eidem inſtituto nauat operam. *Tempus pariendi.* In tempore exoritur, tempori ille addicitur, minimè ante tempus, *Peperit filium* hominis purum ex matre non virgine: nec enim Deus & homo à non virgine pareretur. *Quis putas puer iſte erit?* Temporis recurſu temporaria, ſpiritualiáque accipiet in- *Clauſula 1.* crementa, &c.

*Quis putas Puer iſte erit?* Num Propheta? Præcurſor? Concionator? Egregiè cuncta hæc expleuit Ioanoes miniſteria à Deo aſſumptus, & immiſſus *lib.1.ſect.2.num.26.p.17.* *Clauſula 2.*

*Puer iſte erit.* Non *eſt*, ſed *erit.* Nec enim vox Ioannes repentè loquutus; ſed diu apud deſerta commeratur, contemplationiſque exercitamentis vacat, priuſquam concionandi muneri incumbat. *lib.1.ſection.2.n.33.p.18.19.*

*Nam & manus Domini erit cum illo.* Hoc *Clauſula 3.* eſt, ſanctiſſimus exurget tota Dei manu eum priuilegiis donante. Vnum illud Ioannis auguſtiſſimam probat ſanctitatem, quòd fide admodum dignum ſit eius vnicum teſtimonium. Quia ſingularis cuiuſvis ſanctiſſimi teſtificatio fide digna. *lib.1.ſect.2.num.39.p.19.*

## IGNATIVS XAVERIVS.

BORGIA. GONZAGA.

*Sint lumbi veſtri præcincti.* Luc.12.

Lege apud rerum ſyllabum, titulum *Societas Ieſu*, totúmque librum quintum recognoſce.

# INDEX
# RERVM, BREVITATE
# COPIOSVS.

## LECTORI.

INDEX; me autore, longum compendioſa ſententia indicat tractatum, non tranſcribit: nec lectorem ad lautum conuiuium parturientibus verbis inuitat, quod cùm velit inire, nil aliud apud menſam poſt foliorum numerum euolutum inuenit, quàm eadem inuitantia verba, quæ legerat in ſyllabo. Quare nihil meorum Operum Index offeret, cui non integrum punctum morale pluribus ſacræ Scripturæ ac Patrum ſententiis (quarum in margine ſummarium) illuſtratum reſpondeat. Vt autem copioſus breuitate, aut copia breuis appareat, haud puncto vnicuique ſententias margini hærentes ſpeciatim attribuet: ideo enim inibi adnotantur, vt ab Indice monitus requiras cuncta quæ expoſitæ materiæ adeò conueniunt illuſtrationi, vt vix aliis communia videantur.

### A.

*Adoleſcens.*

ADoleſcentia virtuti litanda. *lib.* 4. *ſect.* 4. *num.* 73. *p.* 167.

Adoleſcentiæ rectè inſtituendæ norma. *n.* 7. *p.* 157.

Adoleſcens ſub præceptore. *n.* 8 *p.* 157.

*Aduentus.*

Aduentus Chriſti. Vide *Verbum incarnatum* 3. *p.* 157.

Aduentus Paſtorum ad præſepium. Vide *Paſtores* 2.

*Aulator.*

*Adulator* odit medicamen, vnde incurabilis. *lib.* 6. *ſect.* 4. *num.* 41. *p.* 240.

*Ætas.*

*Ætas puerilis circuncisi Ieſu.* Vide *Circunciſio* 4.

*Æternitas.*

Æternitas clareſcit hebdomadæ ſæcularis tranſacta. *lib.* 4. *ſect.* 1. *num.* 10. *p.* 121.

*Affectus.*

*Affectus* pij, aut impij vis ad quæque, aut extollenda, aut deprimenda illuſtratur. *lib.* 11. *ſect.* 1. *num.* 11. *p.* 434.

Affectu cum impiis non conuenias, etiam ſi actiones externæ ſint neceſſariò communes. *lib.* 8. *ſect.* 4 *num.* 35. *p.* 352. 353.

*Agilitas.*

*Agilitas* ad flagitia ſignum damnationis, ſicut ad virtutes prædeſtinationis documentum eſt. *lib.* 8. *ſect.* 4. *num.* 15. *p.* 350.

*Agricola.*

*Agricolas* vt alleuet Ieſus exoritur. *lib.* 2. *ſect.* 4. *num.* 44 p. 78.

Agricola fingere neſcit. *lib.* 3. *ſect.* 3. *num.* 38 p. 118.

*Alapa.*

*Alapa* impacta Ieſu. *lib.* 9. *ſect.* 3. *&c.* *p.* 373.

Cur miniſter alapam Chriſto impegerit? *num.* 1. *p.* 373.

Percuſſa facies Ieſu, vt à facie noſtra dedecus ruboris auferatur *num.* 5. *p.* 374.

De Ieſu humili reſponſione. *num.* 11. *p.* 374.

Alapa percuſſus Dominus non præbuit alteram maxillam diuerberandam, quia primum vulnus hoſtium crudelitatem abundè exſatiauiſſe videbatur. *num.* 15. *p.* 375.

Patientia Ieſu idem fuit, ac alteram præbere maxillam. *num.* 20. *p.* 376.

Suſtinens patienter alapam Ieſus ſe ſanctiſſimum oſtendit. *num.* 24. *p.* 376.

Dum Ieſus ſe puerum reſpondendo dulciter oſtendit, ſe virum fortiſſimum manifeſtat. *n.* 28 *p.* 377.

Si non alteram maxillam præbuit percuſſori, alteram ipſi alapam impegit. *num.* 32. *p.* 377.

Reſpondit

Reſpondit Ieſus percuſſori, non vt conque-tatur de propria iniuria, ſed de iniuriantis incommodo. *num.* 37. *p.* 378.

*Ambiguitas.*

Ambiguitas & certitudo Circuncisionis Ieſu. Vide *Circunciſio.* 2.

*Ambitio.*

*Ambitio* expetit inania. *lib.* 10. *ſect.* 6. *num.* 25. *p.* 424.

*Amor, Amicus.*

Ieſum feſtinanter requirunt qui ardenter amant *lib.* 3. *ſect.* 2. *num.* 30 *p.* 106.

Veræ dilectionis indicamentum pati. *lib.* 8. *ſect.* 3. *num.* 30. *p.* 346.

Amoris immanis tortura. *lib.* 12. *ſect.* 4. *n.* 9.

Amanti Deum omnia cedunt in bonum. *lib.* 1. *ſect.* 1. *num.* 59. *p.* 12.

Non omnibus amicis ſecretum tuum committas *lib.* 7. *ſect.* 2. *num.* 41. *p.* 287.

Duriſſima amicorum diuiſio. *lib.* 12. *ſect.* 4. *num.* 38.

Amantem vulnerat compaſſio dilecti patientis. *lib.* 12. *ſect.* 4. *num.* 48.

*Amor inimicorum.*

Verè pœnitens diligit inimicos. *lib.* 7. *ſect.* 3. *num.* 20. *p.* 194

Inimicis benefacere regalis virtus. *l.* 11. *ſect.* 7. *num.* 16. *p.* 461.

Fideli glorioſum, quod potens vindicari, abſtineat à vindicta. *lib.* 8. *ſect.* 6. *num.* 19. *p.* 361.

Inimicus tuo amore, eiuſque effectibus, patientia ſcilicet verberatur. *lib.* 9. *ſect.*.... *n.* 32.

Vide *Auerſi.*

*Angelus.*

Angelus cuſtos fortiſſimè aduerſus hominum hoſtes belligerans. *lib.* 2. *ſect.* 5. *num.* 21. *p.* 89.

Seſe rectæ hominis volontati accommodat, ideò ſtellæ comparatur Magorum duci. *lib.* 6. *ſect.* 3. *num.* 12. *p.* 223.

Pacem euulgaturi Angeli militari habitu pugnaces deſcendunt. *lib.* 2. *ſect.* 5. *num.* 26. *p.* 90.

Angeli pacem hominibus concinentes, eos ſimul potiri gloria affirmant. *num.* 40. *p.* 92.

Eleemoſynam bonæ voluntatis concelebrant. *num.* 54. *p.* 93.

Hominibus ex Ieſu ortu conciliantur. *num.* 61. *p.* 94. 95.

Grati ipſi gratitudinem homines docuere. *lib.* 3. *ſect.* 3. *num.* 31. *p.* 117.

Nomen Ieſu ſalutare ſibi venerantur. *lib.* 5. *ſect.* 2. *num.* 64. *p.* 197.

Angelus ad Paſtores natiuitatis die. Vide *Natiuitas* 4.

*Animus.*

*Animi* potentiæ circa ſimiles exterius proximi actiones iudicandas ſeducuntur. *lib.* 4. *ſect.* 2. *num.* 49. *p.* 140.

Animi proprij contemptor auarus. *lib.* 10. *ſect.* 1. *num.* 13. *p.* 394. 395.

Anima Ieſu Deipara eſt. *lib.* 11. *ſect.* 4. *n.* 22. Ideo tota in tota, & tota in qualibet Dominici corporis particula patiebatur. *num.* 27.

*Arundo.*

*Arundine* Ieſus, dum tacet, noſtra crimina ſcribit, aliquando punienda. *lib.* 10. *ſect.* 6. *n.* 10. *pag.* 422.

Signat mundialis Regni inanitatem. *lib.* 10. *ſect.* 6. *num.* 25. *p.* 424.

Triumphat in manu patientis Ieſu. *num.* 13. *pag.* 422. 423.

*Aſſumptio.*

*Aſſumptio* Diſcipulorum ad Thabor aſcenſum. Vide *Transfiguratio* 1.

*Auaritia.*

Auaritia ad Dei ingreſſum excluditur. *lib.* 6. *ſect.* 1. *num.* 51. *p.* 208.

Torquet auarum. *lib.* 6. *ſect.* 3. *n.* 78. *p.* 233.

Planè eſt cæca & ſtulta. *lib.* 8. *ſect.* 1. *num.* 15. *pag.* 314.

Gratis accipiendus, Ieſus non pretio comparandus. *num.* 40. *p.* 321.

Cuſtodit pecuniam accuratius, quam proprium animum auarus. *lib.* 10. *ſect.* 1. *num.* 13. *pag.* 394. 395.

Auaritia eſt auari ſupplicium. *nu.* 24 *p.* 396.

Auaritia immaniſſima Ieſum flagellauit. *lib.* 10. *ſect.* 5. *num.* 14. *p.* 415.

Dedecet Iudices, & Sacerdotes. *lib.* 12. *ſect.* 3. *num.* 29.

*Auerſi.*

Auerſi ex Ieſu paſſione conglutinantur, quia Paſſio domini meditationi obiecta nos ad inimicorum amorem allicit. *lib.* 10. *ſect.* 2. *num.* 9. *pag.* 402.

*Aula.*

*Aula* ad Deum via minimè ſecura. *lib.* 6. *ſect.* 5. *num.* 44. *p.* 251.

*Aures.*

Falluntur aures circa proximi delicta. *lib.* 6. *ſect.* 7. *num.* 10. *p.* 264.

*Auxilium.*

*Auxilij* diuini ad bene operandum neceſſitas. *lib.* 11. *ſect.* 1. *num.* 20. *p.* 435.

Ne nimium auxilio cœleſti fidas, ſed te ei exhibe coadiutorem. *lib.* 11. *ſect.* 2. *n.* 15. *p.* 440.

B.

*Baptiſmus.*

Per Baptiſmum nobis poteſtas circa adoptionem in ſtatu gratiæ exhibetur. *lib.* 1. *ſect.* 3. *num.* 90. *p.* 31.

Et in ſtatu gloriæ. *num.* 98. *p.* 52.

*Barabbas.*

*Barabbæ* dimiſſio damnatu Ieſu, *lib.* 10.*ſect.* 3.&c.*p.*405.
Pilati propoſitio.*n.*1.*p.*405.
Iudæos Romani arctius beneficiis ſeruituti illigabant.*n.*3.*p.*405.
Populi reſponſio,*n.*7.*p.*406.
Laudabiliter Iudæi ex Ægyptiis vinculis liberati, vincti cuinſdam liberatione Paſchalem ſolemnitatem colebant.*n.*11.*p.*407.
Maximo ſupplicio Barabbas à vinculis abſoluitur.*n.*18.*p.*408.
Ingenti beneficio Chriſtus vinculis illigatur. *n.*23.*p.*408.

*Bellum.*

*Bello* pax & ſpirimalis, & temporaria acquiritur.*lib.*2.*ſect.*5.*n.*26.*p.*90.
Bellum pacis,ſeu potentiſſimum pacis præſidium.*n.*35.*p.*91.
Bella ab inobedientia legum exoriuntur.*l.*2.*ſect.*1.*n.*44.*p.*56.

*Beneficium.*

*Beneficij* cuiusvis natalitium profuſis gratiis proſequi debemus.*lib.*2.*ſect.*5.*n.*12.*p.*88.
Apud Deum vnum beneficium excitat alterum.*l.*4.*ſ.*2.*n* 35.*p.*138.
Ex vnius beneficij collatione Deus quaſi debitor alterius conferendi exſurgit. *lib.*6. *ſect.*2. *n.*37.*p.*218.
Beneficium diuinum iudicij formido ſequitur.*l.*6.*ſ.*4.*n.*28.*p.*238.239.
Quàm lacrymabile,te tot beneficiis obæratum deperire! *l.*9 *ſ.*4.*n.*22 *p.*382
Beneficia ſeruos efficiunt,*lib.*10.*ſect.*3. *n.*3. *p* 406
Beneficij mutem gratitudo gerat, *num.*11. *pag* 407
Beneficium magnum,te hîc laboribus agitari.*n.*23. *p.*408

*Benignitas.*

*Benignitas* Dei nobis incutiat horrorem,*lib.* 11.*ſect.*3.*num.*23.*p.*444
Benigniſſimus Deus noſtris ſitit potari peccatis.*l.*11.*ſ.*8.*n.*13.*p.*465
Imo & tormentis, quæ pati debebamus, *n.*24.*p.*466
Cùm percutitur, ipſa morientis habitu ex hominum iniuria, ad veniam allicit,*lib.*11.*ſ.*9. *n.*2. *p.*468
Vide *Miſericordia.*

*Bonum.*

*Bona* cæleſtia gratis accipienda,*lib.*8.*ſect.*1. *n.*40.*p.*321

*Brutum.*

*Bruta* Euchariſtici vi panis conuertuntur in homines,*l.*2 *ſ.*3.*n.*59.*p.*71
Brutalis animi eſt dare ſcandalo occaſionem. *lib.*4.*ſect.*3.*num.*42.*p.*147
Homo (heu) ediſcit à brutis reuerentiam dominatori exhibere,*lib.*6.*ſect.*2.*n.*10.*p.*213

C.

*Calix.*

C*Alicem* poſtulat Ieſus à ſe tranſire, non vt non hauriat, ſed vti ſeruorum curam gerat.*lib.*8.*ſect.*2.*num.*91.*p.*341. 342

*Calumnia.*

*Calumnia* Iudæorum aduerſus Ieſum. *lib.*9. *ſect.*1.&c.*p.*364
Cur Sacerdotes & omne conſilium falſa teſtimonia requirebant,*n.*1.*p.*364
Num inuenerint hi falſa teſtimonia à ſe requiſita? *n.*3.*p.*364
Iudices ſi teſtes effecti & actores, populo vniuerſo exitiale. *n.*6.*p.*365
Principes iniqui requirunt falſos teſtes,falſi teſtes Principibus aſſident iniquis, *num.*9. *p.*366
Ieſu innocentiam nec falſa teſtimonia poteeant obſcurare,*n.*12.*p.*366
Quærentes falſum teſtimonium in mediis falſis teſtibus non inuenerunt, *numero* 17. *pag.*367
Inter calumnias obticere, virtus egregia eſt, *lib.*9.*ſect.*2.*num.*30.*p.*372

*Caro.*

*Caro* & ſpiritus vnà in ſede minimè commorantur,*lib.*4.*ſect.*1.*num.*10.*p.*121

*Caſtigatio.*

Ad Caſtigationem propriam nos excitant aliis inflicta ſupplicia, *lib.* 4. *ſect.* 3. *num.*12. *pag.*142

*Caſtitas.*

*Caſtitas* ex literarum ſtudiu conſeruatur,*lib.* 4.*ſect.*4.*num.*49.*p.*163
Caſtitas ortum ducere debet à pueritia, *num.*63.*p.*165
Ab vtero,*n.*67.*p.*166
Imo à lumbis parentum,*n.*70.*p.*166
Ei gloria præparata illuſtratur, *lib.*5. *ſect.*1. *num.*14.*p.*172
Caſtitas eſt fœcunditatis parens. *num.*45. *pag.*176.
Angelica caſtitas miniſtros Euangelij decet, *num.*120.*p.*187
Angelica præcipuè Religioſorum caſtitas confirmatur,*lib.*6.*ſect.*6.*num.*46.*p.*260

*Cauſa.*

Cauſæ circumciſionis Ieſu.
Vide *Circumciſio* 3.

*Cayphas.*

*Cayphas*, ſiue Paſſio Chriſti ex Caypha, *lib.* 9. *per totum.*
Vide *Iudaeorum calumnia,Silentium, Alapa,Faciei obuelatio, Petri negatio.*

*Certitudo.*

*Certitudo* & ambiguitas Circunciſionis. Vide *Circunciſio* 2.

*Charitas.*

Charitatis incrementum ex Ieſu vulneribus. *lib.*11.*ſect.*3.*num.*44.*p.*446.

Charitas proximi peccata operiat, ad pacis tuitionem.*lib.*2.*ſect.*5.*num.*49.*p.*93.

*Chriſtus.*

*Chriſtus.* Vide *Ieſus.*

*Circunciſio.*

Circuncifio Ieſu.lib.4.per totum.

Paraphraſis ſub initio.

Circunciſio I.

*Temporis Circumciſionis conſummatio.*

Quid Circunciſio, & quare inſtituta? *lib.*4.*ſect.*1.*num.*1.*p.*119.

Vndenam hi dies conſummati? *n.*5.*p.*120.

Quare octaua die ſolita Circunciſio celebrari? *num.*8.*p.*120.

Tranſacta hebdomade ſeculari, dies æternitatis eluceſcit.*num.*10.*p.*121.

Circunciſio incidit iuſtè figurato Reſurrectionis die.*num.*16.*p.*122.

Dum vita eſt incerta, ſeu peccandi varium propoſitum, non adeſt ſpirituali Circunciſioni opportunitas. *n.* 22.*p.*123.

Carnis ac ſpiritus Circunciſionem cum Reſurrectionis memoria Ieſus copulauit, quia quidquid in Circunciſione amittis, in Reſurrectione recipies.*num.*27.*p.*123.

Actionis Dominicæ Circunciſionis intentio ſub initio totum opus conſummatum efficit. *n.*34.*p.*125.

Vt circunciſus puer nos omnibus donet, impatiens conſummationis temporis oſtentatur. *num.*42.*p.*126.

Ieſus antè diei terminationem circunciſus, illico curauit à ſe peccati indicamenta proiicere.*num.*49.*p.*127.

Docet maturè circunciſus pœnitentiæ maturitatem *num.*60.*p.*129.

Circunciſio properata antè præcepti anguſtias cogit nos vt ſaltem debito tempore promptè obediamus.*num.*66.p.130.

Circũciſionis Ieſu peregrinatoria ſiuè ex abũdantia maturitas cogit nos ad operum huiuſcemodi exercitamenta.*num.*72.*p.*131.

Circunciſio II.

*Circunciſionis Ieſu certitudo, & ambiguitas.*

An conſtet ex Luca Ieſum circunciſum? *lib.*4.*ſect.*2.*num.*1.*p.*133.

Vbinam Puer circunciſus? *num.*5.*p.*133.

Nullus Circunciſioni locus aſſignatus. *num.*9.*p.*133.

Quiſnam Circunciſionis Ieſu miniſter? *num.*14.*p.*134.

Num culter lapideus?*num.*16 *p.*135.

Quidnam de pelicula ex Circunciſionis vulnere reliqua? *num.*18.*p.*135.

Quaſi per tranſennam magis innuit, quam exprimit Euangeliſta Ieſu circunciſionem. *n.*20.*p.*135.

Expreſsè aſſerit Lucas Puerum fuiſſe circunciſum, dum eum Ieſum appellatum affirmat. *num.*26.*p.*136.

*Nam appellari Ieſum, vulnerari eſt.num.*27. *pag.* 136. 137.

*Hinc in noſtrã Societatem hoſtium conſpiratio propter nomen Ieſu, ob idémque illius parta victoria.num.*31.*p.*137.

Mirum eſſet, ſi ſe Circunciſionis vulneri negaret qui pro nobis eſt infans effectus. *num.*35.*p.*138.

Impeccabilis Ieſus hodie ex vulnere Circunciſionis peccator apparet.*num.*41.*p.*139.

*Hinc conſtat ſenſus corporeos in errorem circa proximi obiectas actiones capi.num* 42.*p.*139.

*Imo & animi potentias per errorem, dum de actionibus hominum ſententiam proferunt, dilabi. num.*49.*p.*140.

Circunciſio III.

*Dominicæ Circunciſionis cauſæ.*

Decem innuo cauſas Circunciſionis. *lib.*4. *ſect.*3.*num.*1.*p.*141.

Percuſſus infans pro peccatis alienis, vt nos ad propriorum caſtigationem moueat. *num.*8.*p.*142.

Peccator apparens celat Diabolo Diuinæ filiationis Sacramentum *num.*13.*p.*143.

Docet Circunciſionem linguæ ad luxuriei infrænationem.*num.*19.*p.*143.

Omnimoda hominis ſpiritualis Circunciſio ex Ieſu.*num.* 25.*p.*144.

Sapiens Conſiliarius Ieſus Circunciſioni traditur ne paruulos ſcandalizet.*n.*38.*p.*146.

Paruulos dixi; nam ſicut *prudentia prædicti viri eſt, ſcandalum vitare num.*39.*p.*146.

*Inſcij paruuli, imo brutalis animi eſt, dare ſcandalo occaſionem.num.*42.*p.*147.

Circunciditur, vt communitatis bona commendet, ſingularitatem damnet. *n.*46. *p.*147.

*Communitatis hinc exprimo bona. num.* 47. *p.*148.

*Singularitatis mala recenſeo.n.*50.*p.*148.

Aptè hominum Princeps legi ſubditorum obtemperat.*num.*55.*p.*149.

*Nam legi parens ille ſubditorum onera leuiora reddit.num.*56.*p.*149.

*Et ſubditis emolumento maximo aſſimilatur. num.*60.*p.*149.

Circunciditur, Circunciſionem de medio ablaturus.*num.*66.*p.*150.

Circunciditur Chriſtus, vt Deitas indiuiſibilis, quæ in toto Saluatoris corpore continetur, minori in particula includatur, exiguæ noſtræ capacitati amplius accommodanda.*n.*71.*p.*151.

Legi Circunciſionis paret, vt eam à Deo vtiliter inſtitutam fuiſſe confirmaret. *num.* 77. *p.*151.

Et vt famulantem aduentui ſuo Circunciſionem honore cumularet.*num.*83.*p.*153.

Princeps Ieſus Circunciſionis legi ſubiicitur, vt prælapſi legiſlatoris gubernationem approbare videatur.*num* 89.*p.*154.

Onere experto ab eius obligatione Ieſus ſubditos abſoluit.*num.95.p.155.*

Circunciſio 4.

*Ætas puerilis circunciſi Ieſu.*

Appoſitè pueri vocabulo vſus Euangeliſta. *lib.4 ſect.4.num.1.p.156.*

Cur ætas teneritudine tanta laborans Circunciſionis ſignaculo initietur? *num.3.p.157.*

Ieſus *Puer* Circunciſioni traditur. *num.7. p.157.*

Vt oſtendat puerum ſub præceptore. *num.* 8.157.

*Et infantem ab vtero, imo nondum natum ſub præceptore quodammodo conſtituendum.num.* 17.*p.*158.

*Nam puer non diſcens difficile vir legis iugum imperrat.num.*21*p.*159.

*Fructibus opimis ex tradita præceptori iuuenta exurgentibus.num.*26.*p.*160.

Incommodis autẽ magnis ex nõ tradita,31.

Circunciſus Puer ſuis Ieſuitis puerorum inſtitutionem committit.*num.*57.*p.*161.

*Vnde Societatis Ieſu Schola pueros literas edocet, vt illi ſimul virtutum exercitamenta exhauriant,num.*38.*p* 161.

*Pueros mutat in ſenes.num.*43.*p.*162.163.

*Senes dierum malorum efformat in pueros. n.* 4(.*p.*163.

*Eſt magiſtra caſtitatis,num.*49.*p.*163.

*Suos alumnos ad Deipara allicit Sodalitium. n.* 53.*p.*164.

Puer Circunciſus nos edocet, ægritudini libidinis medendum priùſquam illius motus erumpant.*num.*62.*p.*165.

Quia caſtitas à pueritia.*num.*63.*p.*165.

*Ab vtero.n.*67 *p.*166.

*Imò à lumbis parentum.num.*70.*p.*166.

Oſtendit Puer Ieſus Circunciſioni traditus puerilem ætatem aptiorem ad regulare inſtitutum iucundum,*num.*73.*p.*163.

Se effectum Puerum Ieſus adhuc circuncidi patitur, vt ipſa puerilis ætas propter nos amplius minorati videatur.*num* 80.*p.*168.

*Cupiens legere Panegyricos ſuis moralitatibus cohærentes.*

Vide *Panegyr.Moral.Syllabum.Fructu* 4.

*Claui.*

*Clauorum encomium. lib.*11.*ſect.*3.*num.*18 *p.* 443.

*Cœlum.*

Cœleſtis ſuauitas mel in ore. *lib.5. ſect.2. num.19.p.191.*

In aure melos.*num.*24.*p.*191.

In corde iubilus.*num.*29.*p.*192.

Cœleſtia bona ſunt verè bona, mũdialia minimè. *lib.5.ſect. 2 n.57. p. 196.*

Cœleſtia bona magna valde magnã excitant voluptatem,*lib. 6. ſect. 5.n.53.p.252.*

Cœlum vim patitur, & à violentis rapitur, *lib.11.ſect.7.num.10.p. 460.*

*Communitas.*

*Communitatis* menſæ perennis abundantia. *lib.2.ſect.4. num. 48.p. 80.*

Communitas fons bonorum, ſicut ſingularitas ſcaturigo malorum eſt. *lib.4. ſect. 5. n. 46. p.147.*

In communitate virtute præſtantior ſingulari gratia eſt à prælato proſequendus. *lib.7.ſect. 1. n.51.p.280.*

Vt pax ſeruetur, omnes communitatis leges cuſtodiant.*lib.2.ſect 5.num.49.p.93.*

*Compaſſio.*

*Compaſſio* hominum in paſſione Ieſu.*lib.* 8. Panegyr. procemiali.*pag.*317.

Compaſſio dilecti patientis amantem vulnerat. *lib.*12.*ſect.* 4. *num.* 48.

*Comprehenſio.*

*Comprehenſio* Ieſu apud hortum. *lib.8.ſect. 6 p.359.&c.*

Num principes Sacerdotum, Magiſtratus, & Seniores ad comprehenſionem Ieſu venerint? *num.2.p.359.*

An Ioannes adoleſcens ſindone amictus? *num.4.p.360.*

Principes, & Magiſtratus, & Seniores perſonaliter ad Ieſu comprehenſionem progrediuntur, ex crudelitate vileſcentes. *num.6.p.* 360.

Chriſtus apud hortum, non apud templum, vbi docebat, illigatur,*num.*10.*p.*361.

Magnum Chriſto properanti ad paſſionem, & mundi redemptionem opprobrium, vi comprehendi *num.*18.*p.*362.

Vide *Panegyr.Syllabum,Fruc.8.Paneg.6.*

*Commercium.*

*Commercium* hominum & Angelorum. *lib.* 2.*ſect.*5.*num.*61*p.*94.

*Concionator.*

*Concionator* adſumendus, immittendus, non vltro muneri ingerendus eſt, aut percuſſurus. *lib.1.ſect.2.num.26.p.17.*

Propriæ ſaluti prius incumbens, appoſitè poſtmodum pro ſalute proximorum decertat. *lib.5.ſect.1.num.51.p.177.*

Sub ſeculari aut materiali, aut myſtico indumento proximo ſalutaris.*num.*66.*p.*179.

Angelus puritate exiſtat. *num.*120.*p. p.*187.

Ex ſeculari ſermone ad ſecularis reductionem documenta eliciat. *lib.6.ſect.3. num.36.p.* 227.

Concionator ſubtilis, & criticus captum ſequitur auditoris,*num.*43.*p.*228.

Indignis arcana cœleſtia non reuelet. *lib.6. ſect.4.num.54.p.242.*

Sileat concionator ignorans. *num* 59.*p.*243.

Scripturæ teſtimonia non detruncet. *num.* 67.*p.*244.

Eius initia ſupprimenda, nemo enim propheta in patria.*lib.7.ſect.4 num.31.p.302.*

Haud coram indignis diuinum profundat eloquium.*lib.9.ſect.2.n.5.p.369.*

*Confeſſio.*

*Confeſſionis* facilitas ponderatur.*lib.4.ſect.2. num.9.p.133.*

Inanis confeſſio nou accedit ad Deum ſuffixû,cuius obiectu dolor excitatur. *lib.10.ſect. 1. num.36.p.397.*
Serò fit.*num.41.p.398.*
Ineptum requirit miniſtrum,*num.44.p.398.*
Sine præparatione. *num. 47. p. 399.*
Non integra.*num.55.p.400.*
Bonæ coofeſſioois proprietates ex bis argue à *num.35.p.397.*
Humili confeſſione Ieſum potamus noſtram ſalutem ſitientem, *lib.11.ſect.8.num.13.p.465.*
Confeſſarius ineptus animi exitium.*num.44. p.467.*

*Coniugium.*

Ex coniugum caſtitate increſcit poſteritas. *lib.5. ſect.1. num.45.p.176.*

*Conſcientia.*

*Conſcientia* condemnat peccatores. *lib. 10. ſect.1.num.19.p.435.*

*Conſilium.*

*Conſilia* perfectioois ex Ieſu. *lib.5. ſect.2. num.38.p.194.*
Probos tibi conſiliarios adhibe, ne in errorem inducaris.*lib.6.ſect.2.num.18.p.215.*

*Conſtantia.*

*Conſtantia* Magorum quærentium Ieſum. Vide *Epiphania* 2.

*Conſuetudo.*

Ex *conſuetudine* induratus peccator odit medicamen.*lib.6.ſect.4.num 41 p.140.*
Praua conſuetudo in partes ſecanda, vt per partes facilius repellatur, quæ tota ſimul difficilè vincitur,*lib.7.ſect.6.num.24 p.312.*

*Conſummatio.*

*Conſummatio* temporis Circuncisionis. Vide *Circuncisio* 1.

*Contemplatio.*

Quod in contemplatione loqoimur, poſt ipſam euulgamus, quia couuerſatio noſtra ſpirituali exercitamento reſpondet. *lib. 1.ſect. 2. num.33.p.18.19.*
Ad contemplationis exercitium accommodatiſſima paupertas.*lib 1.ſect.4.num.41.p.38.*

*Conuerſatio.*

*Conuerſationis* qualitas ex orationis exercitio dimanat.*lib.1.ſect.2.n. 33.p.18.19.*

*Conuerſio.*

*Conuerſio* ad Deum ſi fieri poſſet cum auerſione ipſa copulari deberet. *lib.4.ſect.1. num. 60 p.119.*
Conuerſio peccatoris ex veſtimentorum modeſtia arguitur contra profanum pœnitentium iodumentum.*l.7.ſect.3.n.25.p.194.295.*

*Conuerſio.*

*Cor* hominis incarnati Verbi hoſpitium eſt.*lib.1.ſect.4.num.70.p.45.*
Humanum ergo Cor Deo præpara domicilium.*lib.7.ſect.5.num.30.p.308.*

*Corona* Vide *ſpina.*

*Creatio.*

*Creationis* beneficium noſtram exigit gratitudinem. *lib.1. ſect. 3. num. 19. p. 22.*

*Creatura.*

*Creatura* epiſtola eſt, quam Deus ad peccatorem immittit, admoneos ſe Deum ſolum, illam minimè.*lib.6.ſect.1.num.62.p. 210.*
Creaturarum motio in morte Ieſu. *lib. 12. ſect.1. &c. p. 473.*
Veli diſruptio.*num. 1. p. 473.*
Terræ concitatio. *num. 4.p.473.*
Cæterarum creaturarum commotio.*num.8. p.474.*
Velum ſcinditur, vt à Iudæis fidelium ex gentibus diuiſionem oſtenret. *num.11. p. 474.*
Terra contremiſcit, delicti Iudæorum pondus immenſum non ſuſtinens. *num.16. p. 476.*
Petræ ſcinduntur, vt obmuteſcentibus hominibus, fiant veritatis præcones. *num. 19. p.475.*
Monomenta reſerantur, vt innuant mortem à morte Domioica interemptam. *num.22. p.476.*

*Crudelitas.*

*Crudelitas* Reges efficit mancipia. *lib.8.ſect. 6. n. 6 p.360.*
Nuoquam proximi malis ſatiatur. *lib. 10. ſect.5.num.23 p.416.*

*Crux.*

Crucis baiolatio *lib.11.ſect.1.p.433.&c.*
Ieſu ſuffigendi pompa, proceſſus, luctus. *num.1.p.433.*
Quare Dominicis humeris Crucis onus impoſitum? *num.5.p.433.*
Graode Ieſu Crucis baiulatoris ſpectaculum *num.11.p.434.*
*Pio quidem affectui.num.12.*
Impio eoim affectui grande ludibrium,*num. 16.p.435.*
Crux in humeris Ieſu nos douat & armis, & triumpho. *n.20.p.435.*
Sibi Ieſus Crucem baiulat, quia ſuam portans Crucem Diuinitatem oſteotat. *num.25. p.436.*
Sibi baiolat, ſic fertur ad labores, ac ſi propriæ vtilitati, non alienæ operam exhiberet. *num.30.p.437.*
Vide *Paneg.moral.ſyllabum*, *Fructu* 11. *Paneg.1.*

*Cruci ſuffixio. lib.11.ſect.3.&c.p.441.*
De latronum confixione.*num.11.p.442.*
Ieſus medius inter latrones in Crucem adigitur, vt eis ſimilis haberetur.*num.16.p.443.*
Quam amabilis hominibus Ieſu crucifixi ſpecies.*num.17.p.443.*

Horribilis impœnitētibus Ieſu Cruci ſpecies affixi.*num.23.p.444.*
Ieſu elauorom encomium. *num. 28. p.444.*
Ieſu vulnetum commendatio. *num. 36. p. 445.*
*E vulneribus enim fidei rebur. num. 37. p. 445.*
*Spe firmitas.num.40.p.446.*
*Charitatis incrementum.num.44.p.446.*
Vide *Panegyr. Moral. Syllabum Fructu* 11. *Paneg.3.*
*Crux* neceſſariò tollenda ad ſalutem. *lib.11. ſect.2.num.15.p.440.*
Crocis ealuaria, ſiue temporariorum bonorum è Crucis ſocietate exigentia. *lib.11.ſect.5. num. 54.p.452.*
Omnes neceſſariò cruciferi. *lib. 11. ſect.7. num.32.p.462.*
A Cruce præcipuè benigniſſimus Saluator. *lib.11.ſect.9.num.25.p.471.*
Crux ſiue paſſio Crucis.
Vide *lib.11.per totum.*

*Cyrenaus*

*Cyrenai* coactio, vti Crucem Domini baiularet.*lib.11.ſect.2.&c.p.438.*
Quinam bic Simon? *num.1.p.438.*
Quonam ille munere fiunctus? *num.3.p. 438.*
Simon ſiue obediens portat Crucem Ieſu. *num.9.p.439.*
Non ſolum Ieſus baiulat Crucem, ſed nos requirit coadiutores.*num.15.p.440.*
Vide *Paneg. Moral. Syllabum Fructu* 11.

D

*Damnatio.*

D*Amnationis* ſignum agilitas ad flagitia. *lib.8.ſect.4. num. 15.p.350.*
Er abuſio inſtrumenti pacis. *num.21. p.350. 351.*
Er hîc ſolui reum. *lib.10. ſect.3. n.18.p.408.*

*Defectus.*

*Defectus* proximi, qui non videntur, non credantur. *lib.6.ſect.7.num.10.p.264.*

*Deliberatio.*

Deliberatio Paſtorum vt Ieſu nato obſequiom exhibeant.
Vide *Paſtores* 1.

*Deſcriptio.*

Orbis *deſcriptio* In Natiuitate Ieſu.
Vide *Natiuitas* 1.

*Deſpectus.*

Qoi à mundo deſpicicitur, ſpeciali à Deo excipitur affectus.*lib.2.ſect.4.num.26.p.76.77.*

*Detractio.*

Detrahens Prælatis taxatur. *lib.4.ſect.3.num. 89.pag.55 4.*
Vel ipſi diſcordes ad detractionem vnanimes redduntur.*lib.10.ſect.2.num. 26.p.405.*
Vide *Murmuratio.*

*DEVS*

*Deus* à diligentibus, non à deſidibus inuenitur.*lib.3.ſect.2. num.22.p.105.*
Munificentia diuioa inſcia moræ, *lib.4.ſect. 1.num.42.p.126.*
Ex vno collato nobis beneficio ad alterum conferendum excitatur, *lib.4 ſect.2.num.35.p. 538.*
Imò quaſi debitor aliud conferendi exſurgit.*lib.6.ſect.2.num.37.p.218.*
Seſe noſtræ capacitati accommodat. *lib. 4. ſect.4.num.80.p.168.*
Solius Dei eſt Sanctos liberare ab iniqui tyrannide Principis. *lib. 6. ſect.1.n. 34. p.206.*
In noſtro imperans corde nunquam non tyrannum excludit.*num.48.p.208.*
Ad homines longè recedentes epiſtolas inſpirationum immittit, vt reuocet. *num. 62. p.220.*
Eius affectus ad ſalutem hominum velociſſim.*num.65.p.211.*
Eius cura paterna circa ſingulos filios. *lib. 6.ſect.2.num.13.p.214.*
Ipſum quærens ab omoi periculo liberatur.*num.26.p.216.*
Qui Deum obiiciunt menti iudiciali hæreotem throno, Principes non timent humanos.num.30.*p.*217.
Vna in ſede Deus ac Diabolus minimè commorantur.*lib.6.ſect.5.num.37.p.250.*
Deus eleuatioribus eleuatior apparet. *lib.7. ſect.2.num.18.p.282.*
Eius increatus ſplendor non obſcurat humanum.*lib.7.ſect.4 num.26.p.301.*
Deus putaberis Dei verba faciens. *num.42. p.303.*
Si Deus Dominus tuus, oihil pro libito exequaris.*lib.7.ſect.5.num.25 p.307.*
Amat oon materiale tabernaculum, ſed hominum præcordia.*num.30.p.308.*
Solus Deus alienis periculis affert opem. *lib.7.ſect.6.num.35.p.314.*
Sileotes protegit innocentes. *lib.9. ſect. 2. num.19.p.370.371.*
Com tacet inter peccatores, eis debet horribilem timorem ingerere.*num.34.p.372.*
Grauiſſimom Deo, hominem ſpecialiter beneficij obæratum deperire.*lib.9.ſect.4.num.22. p.382.*
Tam ſumos peccatis addicti, vt Deus infinitè ſapiens quodammodo noſtras delinquendi inuentiooes ignorare videatur *lib.10. ſect. 5.num.34.p.418.*
Mira Dei erga peccatores tolerantia. *num. 39.p.418.*
Sed quædam grauiſſima crimioa quodammodo punit prius quam machioentur. *ibid p. 418.*
Dei benignitas mirabilis, dum peccatorum vuloerantium ictus oleum miſerationis faciant effluere.*lib.10.ſect.5.num.48.p.420.*
Dei in mediis flagitiis ſuſpecta tolerantia. *lib.10.ſect.6.num.10.p.422.*
Ipſe patientia muodum debellauit. *num.13. p.422,423.*

Noſtrorum criminum ſpinas conſumit. *n.* 30.*p.*425.

Obediens Deum quantum in ſe eſt liberat à cruciatu.*lib.* 11.*ſect.*2.*num.*9.*p.*439.

Nunquam Deus magis Iudex, quam cum amplius benignus. *lib.* 11. *ſect.* 3. *num.* 23. *p.* 444.

Vnus fidelis ſubditus Deo poteſt auguſtum Regnum conſtituere. *lib.* 11. *ſect.* 4. *num.* 13. *p.*449.

Noſtra Deus ſitiens confeſſione potatur. *lib.*11.*ſect.*8.*num.*13.*p.*465.

Cum prouocatus ſpecialiter, tunc ad veniam inuitat.*lib.*11.*ſect.*9.*num.*25.*p.*471.

Non permiſit Ieſu oſſa vulnerari ne filij adoptiui percuterêtur.*lib.*12.*ſect.*2.*n.*28.*p.*479.

Vide *Verbum diuinum.*

*Diabolus.*

Aduerſus Diabolum ex humanitate Ieſu roboramur.*lib.*1.*ſect.*4.*num.*50.*p.*39.40.

Diabolus pater peccatorum *lib.*4. *ſect.*3. *n.* 53.

Ex Ieſu inuocatione debellatur.*lib.*5.*ſect.*2. *num.*43 *p.*194.

Nam tremit nomine Ieſu audito. *num.*72. *p.*198.

Diabolus habeberis eius idiomate vſus. *l.*7. *ſect.*3.*num* 42.*p.*303.

Diabolus mendax. *lib.* 8. *ſect.* 1. *num.* 30. *p.* 328.

Quod non poteſt implere promittit. *num.* 35.*p.* 329.

Oratione frangitur.*lib.*8.*ſect.*2. *n.* 84.*p.*340.

Diabolus malleus iuſtorũ Ieſum flagellauit. *lib.*10 *ſect.*5.*num.*19. *p.*415.416.

*Difficile.*

*Difficilia* quæque facilia reſurrectionis memoria redduntur.*lib.*4 *ſect.*1.*num.*27 *p.*123.

*Diligentia.*

*Diligentia* circa ſpiritualia illuſtratur. *lib.*3. *ſect.*1.*num* 4.*p.*97.98.

A diligentibus inuenitur non à deſidibus. *lib.*3.*ſect.*2.*num.*22.*p.*105.

Dilectionis effectus diligens obſequium eſt. *num.*30.*p.*106.

*Diſcordia*

Diſcordes ad proximi detractionem ſæpe adnnantur.*lib.*10.*ſect.*2.*n.*26.*p.*405.

*Diuinitas.*

Ad *Diuinitatis* faſtigium nos voluntaria laborum tolerantia quodammodo attollit. *lib.*11. *ſect.*1.*num.* 25. *p.*436.

Diuina Chriſti natura. Vide *Verbum diuinum* 1.

*Diuiſio.*

*Diuiſio* duriſſima amicorum. *lib.* 4. *ſect.* 4. *num.*38.*p.*161.

*Diuitiæ, Diues.*

*Diues* copioſius tributum Regi ſoluat, ac pauper. *lib.*2.*ſect.*1. *num.* 34. *p.*54.

Diuitiæ ſuiſmet funibus flagellandæ, ſuffocandæ. *lib.*6 *ſect.*3.*num.*78. *p.*233.

Viam ad Deum diuitiæ turbant. *lib.* 6.*ſect.*5. *num.*44.*p.*251.

Earum inſtabilitas ponderatur. *lib.* 6. *ſect.*6. *num* 37.*p.*259.

Malè partæ diuitiæ ſacris inutiles, & profanis. *lib.* 10. *ſect.*1.*num.* 6.*p.*393.

Laudabiles quæ templis exornandis impenduntur. *lib.* 12.*ſect.* 3. *num.*26.

*Dominus.*

Seſe Domini famulis munificos, & gratos oſtentent.*lib.*4.*ſect.*3. *num.* 83.*p.*153.

*Dux.*

Dux ſaluus apte pro aliorum ſalute decertat.*lib.*5.*ſect.*1.*num.*51.*p.*177.

E.

*Eccleſia.*

Eccleſia totam corpus Ieſu ſanguine dilutum. *lib.*8.*ſect.*3.*n.* 37.*p.* 347.

*Eleemoſyna.*

Bonorum ſerenitas apud eleemoſynæ largitores.*lib.*2.*ſect.*4.*num.* 48.*p.* 80.

Eleemoſyna bonæ voluntatis celebratur.*lib.* 2.*ſect.*5.*num.* ... *p.* 93.

Apud Diuinum tribunal eleemoſyna præſidium.*lib.*6.*ſect.*4.*num.*34.*p.*239.

Præcens rationem eam reddit efficaeem *lib.ſect.*6 *num.*29.*p.*258.

Nunom non ſedet eleeemoſynarum largitor.*lib ſect.* 1 *num.* 8.*p.*274.

EPIPHANIA.

Epiphanb.6 per totum Paraphr. ſub initio.

*Epiphania* 1.

*rum ex Oriente profectio.*

Cur I...oluerit in Bethleem naſci? *lib.*6. *ſect.*1.*num.* 202.

Natus ...ethleē Ieſus appoſitè. *n.*3.*p.*202.

In dotanis naſcitur, qui panis futurus erat.*num.* 03.

In domis naſcitur qui leges erat Ieroſorymis la.*num*,12.*p.*203.

Quinar...odes Rex.*num.*16 *p.*204.

Quinan...? *num.*19.*p.*104.

Num R... *num.*24.*p.*205.

Quo...*num.*28.*p.*205.

Vndena...*m.*31.*p.*205.

Quare v... Ieroſolymam? *n.*37. *p.*206.

Quem ...eoa adorar Chaldæa, patria perſecution...fficit Ieroſolyma. *num.* 41. *p.*206.

In diebu...dis tyranni Chriſtus adeſt ſubditos lib...*n.* 34.*p.*206.

Rex Chr... noſtro imperans corde, nunquam ...udit tyrannum *n.*48.*p.*208.

Nam & ſuperbiam expellit. *num.* 49. *p.*208.
Auaritiam ablegat. *num.* 51. *p.*208.
Voluptares propulſat. *num.* 53. *p.*209.
Si Reges Ieſu adoratores cõuenienter Magi, ſiue Sapientes appellantur. *num.* 55. *p.*209.
Magi accepta à Ieſu epiſtola, eum quæſituri proficiſcuntur. *n.*62. *p.*210.
Spiritus Sancti alis velociſſimis collocati tam citò venire potuerunt. *num.*65. *p.*211.

*Epiphania.* 2.

*Magorum quærentium Ieſum conſtantia.* Quæſtio Mgorum apud Ieroſolymam. *lib.* 6. *ſect.* 2. *num.*1. *p.*212.
Magi antequam ex præſepis faſciatúmque vilitate Chriſtum Deum cognoſcerent ſu[illegible] confeſſores effecti. *num.*4 *p.*212.
Quid Rex oatus? *num.*7. *p.*213.
Magi taxant Iudæos, quod ſint ame[illegible]ores boue, & aſino Deum reuerentibus. *n.* 9[illegible] *p.*213.
Quam conuenienter natus Ieſus [illegible]tilibus (tunc improbis) illico manifeſtatu[illegible]eſt. *num.* 13. *p.*214.
Cum Magi à Iudæis exquiru[illegible] conſilium, illuminanti fulgore priuantur. *n*[illegible] 18. *p.*215.
Magi cœleſtem Regem req[illegible]entes, nulla poſſunt corripi formidine. *num*[illegible]6. *p.*216.
Dum Magi Regem futu[illegible] conſiderant iudiciciali hærentem throno [illegible] timent præſentem. *num.* 30. *p.* 217.
Miraculosè ab ſtella ducti crdiderunt fore, vt à nullis hoſtibus impeteretur. *num.* 37. *p.*218.
Rex natus Chriſtus. *num.*47. 210
*Qui quidem ideò ſuorum illiò ſtud[illegible]t protectioni. num.*48. *p.*20.
*Et ſubditorum onera portat. num.* 5[illegible]*p.*220.

*Epiphania.* 3.

*Magorum ſtella.* Stellæ materi[illegible], locus, ſplendor, motor. *lib.* 6. *ſect.* 3. *num.* 1[illegible] 221.
Non quod magis rutilat magis [illegible]lgidum eſt. *num.* 4. *p.*222.
Num Spiritus Sanctus, vel An[illegible]us ſtellæ ſpecie Magis apparuerit? *num.* 9. *p.*2[illegible]
Ex eo quod ſtella Magorum vo[illegible]tati ſeruiebat, benè arguitur Angelum fuiſ[illegible] *num.* 12. *p.* 223.
Stellæ apparitio. *num.* 18. *p.*224.
Num toto itinere conſpecta? Il[illegible]s occubitus. *num.*22. *p.*224.
Stella hæc nunc ſpiritualiter vi[illegible]tur ab iis, qui virginitatem colunt. *num.*26. *p.*[illegible]5.
Cur eius ſtella dicatur? *num.* 3[illegible] 226.
Cur Dominicam Natiuitate[illegible] Magi per ſtellam edocerentur. *num.*33. *p.*22[illegible]
Per ſtellam Magi docentur, [illegible]x illorum mundiali exercitio ſalutarem c[illegible]ſtis Magiſter eliceret doctrinam. *num.*36. [illegible]7.
Et vt veritatis doctrina audie[illegible]m capacitati accommodaretur. *num.*43. *p.* [illegible]
Stella Magorum Spiritus S[illegible] vmbra. *num.*48. *p.*229.
Stella Deipara. *num.* 54. *p.*229. 230.
Stella Chriſti paupertas. *num.*62. *p.*231
Stella Magos ſeduxerat, Stella duxit ad ſalutem *num.*68. *p.*231. 232.
*Et nos quadam iuſta animi e[illegible]tione vanitatem olim ſeductricem vincamus. num.* 69. *p.*232.
*Luxuriei ignem tartareis flammis ſuffocari curemus.* n. 73. p. 232.
*Diuitiáſque ſuiſmet funibus flagellare, ſuffocare. n.*79. *p.* 233.

*Epiphania* 4.

*Herodis ac Ieroſolymæ turbatio.* Vudenam Herodes turbatus. *lib.*6. *ſect.*4. *num.* 1. *p.*234.
Quare turbata Ieroſolyma? *num.*3. *p.*235.
Sacerdores & ſcribæ aduocantur. *num.* 9. *p.*235.
Prophetiam Michææ de Dominico aduétu expendo, ac cum Matthæi textu compono. *num.*12. *p.*236.
Quid ſignificet, *In Principibus Iuda* ſiue *in millibus*? Herodes & quia Rex, & quia tyrannus in Ieſu conſpectu turbatur. *num.*21. *p.*237.
Turbatus, quia Magos noui Regis præcone neceſſariò ſequitur iudicij formido. *num.* 28. *p.*238. 239.
Docent Herodem Magi muneribus exhibitis iudicem emollire. *num.* 34. *p.*239.
Turbatur Ieroſolyma audito noui Regis aduentu. *num.* 41. *p.*240.
Turbato Herode ſubdita Ieroſolyma incidit in turbationem. *num.*48 *p.*241.
Sacerdotum circa Domini natalitia non fidelis reſponſio. *num.*53. *p.*242.
*Nam & de proditione, ſiue arcani in iuſta reuelatione arguuntur. n.* 54 *p.* 242.
*Et carpuntur propter ignorantiam. num.*59. *p.*243.
Et eos taxabiles effecit malitia. *n.* 67. *p.*244.

*Epiphania* 5.

*Magorum in Bethleemum immiſſio.*
Cur Magi ſunt clam ab Herode vocati? *lib.*6. *ſect.* 5. *n.* 1. *p.* 145.
Herodes Rex clam Magos aduocauit. *n.* 4. *p.* 245.
A Magis tempus diſcit ſtellæ eóſque deuotionis prætextu callidus in Bethleemum immittit. *num.*9. *p.* 246.
Inter deuotionis obſequia facilius aduerſus Ieſum gladium exacuit. *num.* 14. *p.*246.
De Stellæ temeantis obiectu. *num.* 19. 247.
Conuenienter ſuadet Herodes Magos diligenter, ſiue ſæpe de Ieſu interrogare. *num.* 26. *p.*248.
Iubentur illi interrogare de *Puero* non de viro. *num.*31. *p.*249.
Ad annunciatum Saluatorem accedentes neceſſario Herodi Satanæ reounciant. *num.* 37. *p.*250
Herodis in vrbe via cœleſtis operitur, Chriſti pauperis aperitur in domo. *num.* 44. *p.*251.
Magna valdè Magorum lætitia, Ieſum Stella oſtendente. *num.*53. *p.*252.

*Epiphania* 6.

*Adoratio, & oblatio Magorum.*
Num Ieſus in præſepio, an in domo aliqua adoratus à Magis? *lib.*6 *ſect.* 6. *n* 2. *p.*254.
Puer eum ſola Maria inuentus eſt, abſente Ioſepho. *num.*6. *p.*155.
Num Deipara timuerit? *num.* 9. *p.*255.
De Magorum muneribus. *num.* 11. *p.*256.

Reges

Reges erant procul dubio, qui procidentes Infantem adorant. *num.*20.*p.*257.

Magi præmiſſis orationis ac eleemoſynæ muneribus, vacuos taxant adoratores. *num.*29. *p.*258.

Myſtica Ieſuitarum oblatio. *num.*36.*p.*259.

*Aurum Magorum ſiue Societatis Ieſu Paupertas. num.*37.*p.*259.

*Thus Magorum, ſeu Societatis Caſtitas, num.* 46.*p.*260.

*Myrrha Magorum, ſiue Societatis Obedientia. n.* 56.*p.*262.

*Epiphania.* 7.

*Magorum reditus.*

De reſponſo à Magis accepto. *lib.*6.*ſect.*7.*n.* 1.*p.*263.

De reuerſione per aliam viam. *num.*6.*p.*264.

Magi illuſtres Regis nati præcones, quia quod viderant peruulgarunt. *num.*10.*p.*264.

Deum Magi de reditu interrogant. *num.*14 *p.*265.

*Inde oſtendo orationis mentalis Magorum efficaciam. num.*15 *p.*265.

*Quæ quidem eos aduerſus Herodem armauit, num.*21.*p.*266.

*Et Ieſum dedit Regionibus. num.*28.*p.*267.

Per aliam viam Magi reuertuntur. *num.*34 *p.*268.

*Pœnitens autem ſequens Magos viam iniquitatis mēte percurrat, vt greſſus lacrymis abluat. num.*35.*p.*268.

*Per aliámque omnino viam incedat, nouum viuendi morem inſtituat. num.*42.*p.*269.

*Epiſcopus.*

Epiſcopo à grege diſcedenti celer ad ipſum reditus indicitur: contra Epiſcopos aulicos. *lib.*3.*ſect.*3.*num.*9.*p.*113.

*Epiſtola.*

Epiſtola à Deo ſcribitur, vt diſſitos longè reuocet peccatores. *lib.*6.*ſect.*1.*num.*52.*p.*210.

*Euangelium.*

*Euangelij* diſpoſitio & commendatio in ſacræ doctrinæ præconium. Obſer. procemi. panegyr. *n.*1.*p.*3.

Flumen eſt aquæ vitalis è Dei ſede profluens. *Vbi illa adnoto, quæ ſic Euangelio conueniunt, vt ei cum reliquis ſacris voluminibus ſint communia. num.*4.*p.*4.

Flumen eſt aquæ vitalis ex Agni tabernaculo. *Vbi proprias Euangelij laudes enuncio. num* 12. *p.*5.

De quatuor iuxta fluuium animantibus. *Vbi de Euangeliſtis nonnulla prælibo. num.*19.*p.*7.

De duobus vitalibus ex vtraque fluminis ripa arboribus. Vbi de totius Euangelij diſpoſitione. *num.*36.*p.*8.

Sermonis Euangelici contemptores taxantur. *lib.*6.*ſect.*4.*num.*28 *p.*238.239.

*Euchariſtia.*

Chriſti caro luxuriei ablegat cæcitatem. *lib.* 1.*ſect.*4.*num.*29.*p.*36.

Mortem carni noſtræ inſitam propellit. *n.* 34.*p.*37.

Stultitiam hominum relegat. *num.*40.*p.*38.

Corruptæ humanitatis pondus leuat. *num.* 46.*p.*39.

Contra Diabolum roborat. *num.*50.*p.*39.40.

Actualibus criminibus adhibet medicamen. *num.*54.*p.*40.

Superbiam propulſat. *num.*59.*p.*41.

Diſpoſitio ad Euchariſtiam recipiendam, receptioniſque dignæ fructus. *lib.*1.*ſect.*4.*num.* 71.*p.*43.

Domum ad proprium vſum conuertit. *n.*75. *p.*43.

Gratiis Domum facit ornari. *num.*79.*p.*44.

Transfert nos in patriam. *num.*84.*p.*45.

Mores immutat. *lib.*2. *ſect.*3.*num.*59.*p.*71.

Mundialia contemnat Euchariſtiam ſuſcepturus. *lib.*3.*ſect.*1.*num.*21.*p.*100.

Dei immenſitas noſtræ exilitati commenſuratur. *lib.*4.*ſect.*3.*num.*71.*p.*151.

ſeſe Deus exinaniuit, & quaſi diuiſit vt eum capiamus. *lib* 4.*ſect.*4.*n.*80.*p.*168.

Indignè recipientes inſtar Herodis gladium inter obſequia deuotionis exacuunt. *lib.*6.*ſect.* 5.*num* 14 *p.*246.

[D]amnationis eſt ſignum tanto beneficio abſti. *lib.*8.*ſect.*4.*num.*21.*p.*350.351.

[E]uchariſtiæ dignè recipiendæ norma ex Ieſu ſepultura. *lib.*12.*ſect.*3.*num.*18.

Gratis hic panis accipiendus. *num.*29.

*Exaggeratio.*

*Exaggeratio* alieni criminis reprehenditur. *lib* 4.*ſect.*2.*num.*20.*p.*135.

*Exemplum.*

Exemplum Ieſu iter agentis matris peditia [...]tris leuia reddit onera. *l.*2. *ſect.*1.*n.*34 *p.*54.

Exemplum vnius alios ad eandem virtu[tem] adfert. *lib.*3.*ſect.*3.*n.*31.*p.*117.

[E]ius magna vis ad mouendum. *lib.* 4.*ſect.*3. *n.*8.*p.*141.

[P]ræſulis exemplum reddit leuia onera ſub[ditorum]. *num.* 55.*p.*149.

[Ex]emplum Principum probum prauumve [ſ]equuntur. *lib.*6.*ſect.*4.*num.*48.*p.*241.

[Vi]de *Societas.*

F

*Faber.*

Fi fabrilia tractent. *lib.*8. *ſect.*3.*num.*37. 7.

*Facies.*

F[aci]es Ieſu obuelatio. *lib.*9.*ſect.*4.&c.*p.*379.

In[iu]ria recenſentur. *num.*1.*p.*379.

T[o]tum cædebatur Ieſus, percutientium vulne[ra] medebatur. *num.*9.*p.*380

To[t]is nocte percutitur, imò æternum quodam[m]odo paſſus eſt, *num.*12.*p.*380.

Quam manes in Ieſum, qui eius occulos velari, [q]ue prophetiam inanem eſſe exiſtimabant. *n.*18.*p.*381.

Quæ ue Ieſu, prophetare, ſe à Iudæis eſſe vultum. *num.*22.*p.*382.

Vide Syr. *Moral. Syllabum Fructu* 9. *Paneg.*4.

*Fama.*

# INDEX
# RERVM, BREVITATE
# COPIOSVS.

## *LECTORI.*

INDEX; me autore, longum compendioſa ſententia indicat tractatum,non tranſcribit: nec lectorem ad lautum conuiuium parturientibus verbis inuitat, quod eùm velit mire, nil aliud apud menſam poſt foliorum numerum euolutum inuenit, quàm eadem inuitantia verba, quæ legerat in ſyllabo. Quare nihil meorum Operum Index offeret, cui non integrum punctum morale pluribus ſacræ Scripturæ ac Patrum ſententiis(quarum in margine ſummarium) illuſtratum reſpondeat. Vt autem copioſus breuitate, aut copia breuis appareat, haud puncto vnicuique ſententias margini hærentes ſpeciatim attribuet: ideo enim inibi adnotantur, vt ab Indice monitus requiras cuncta quæ expoſitæ materiæ adeò conueniunt illuſtrationi,vt vix aliis communia videantur.


### A.

*Adoleſcens.*

*ADoleſcentia* virtuti litanda. *lib.* 4. *ſect.* 4. *num.*73.*p.*167.

Adoleſcentiæ rectè inſtituendæ norma.*n.*7.*p.*157.

Adoleſceos ſub præceptore.*n.*8 *p.*157.

*Aduentus.*

Aduentus Chriſti. Vide *Verbum incarnatum* 3.*p.*157.

Aduentus Paſtorum ad præſepium. Vide *Paſtores* 2.

*Aulator.*

*Adulator* odit medicamen,vnde incurabilis. *lib.*6.*ſect.*4.*num.*41.*p.*240.

*Ætas.*

*Ætas puerilis circumciſi Ieſu.* Vide *Circumciſio* 4.

*Æternitas.*

Æterniras clareſcit hebdomadæ ſæcularis tranſacta.*lib.*4.*ſect.*1.*num.*10.*p.*121.

*Affectus.*

*Affectus* pij, aut impij vis ad quæque, aut extollenda, aut deprimenda illuſtratur. *lib.*11. *ſect.* 1.*num.*11.*p.*434.

Affectu cum impiis non conuenias, etiam ſi actiones externæ ſint neceſſariò communes. *lib.*8.*ſect.*4.*num.*35.*p.*352.353.

*Agilitas.*

*Agilitas* ad flagitia ſignum damnationis, ſicut ad virtutes prædeſtinationis documentum eſt.*lib.*8.*ſect.*4.*num.*15.*p.*350.

*Agricola.*

*Agricolas* vt alleuet Ieſus exoritur.*lib.*2.*ſect.* 4.*num.* 44 p.78.

Agricola fingere neſcit. *lib.* 3. *ſect.* 3. *num.* 38.p.118.

*Alapa.*

*Alapa* impacta Ieſu.*lib.*9.*ſect.*3.&c.*p.*373.

Cur miniſter alapam Chriſto impegerit? *num.*1.*p*373.

Percuſſa facies Ieſu, vt à facie noſtra dedecus ruboris auferatur *num.*5.*p.*374.

De Ieſu humili reſponſione.*num.*11.*p.*374.

Alapa percuſſus Dominus non præbuit alteram maxillam diuerberandam, quia primum vulnus hoſtium crudelitatem abundè exſatiauiſſe videbatur.*num.*15.*p.*375.

Patientia Ieſu idem fuit, ac alteram præbere maxillam.*num.*20.*p.*376.

Suſtinens patienter alapam Ieſus ſe ſanctiſſimum oſtendit.*num.*24.*p.*376.

Dum Ieſus ſe puerum reſpondendo dulciter oſtendit, ſe virum fortiſſimum manifeſtat. *n.* 28 *p.*377.

Si non alteram maxillam præbuit percuſſori, alteram ipſi alapam impegit.*num.*32.*p.*377.


Reſpondit

Reſpondit Ieſus percoſſori, non vt conqueratur de propria iniuria, ſed de iniuriaotis incommodo.*num.*37.*p.*378.

*Ambiguitas.*

Ambiguitas & certitudo Circuncifiooiz Ieſu. Vide *Circuncifio.*2.

*Ambitio.*

*Ambitio* expetit inania.*lib.*10.*ſect.*6.*num.*25. *p.*424.

*Amor, Amicus.*

Ieſum feſtinanter requirunt qui ardenter amant *lib.* 3.*ſect.*2.*num.*30 *p.* 106.

Veræ dilectionis indicamentum pati. *lib.*8. *ſect.*3.*num.*30.*p.*346.

Amoris immanis tortura. *lib.*12. *ſect.*4. *n.*9.

Amanti Deum omnia cedunt in bonum.*lib.* 1.*ſect.*1.*num.*59.*p.*12.

Non omnibus amicis ſecretum tuum committas *lib.*7,*ſect.*2.*num.*41.*p.*287.

Duriſſima amicorum diuiſio. *lib.* 11. *ſect.*4. *num.* 38.

Amantem vulnerat compaſſio dilecti patientis.*lib.*12.*ſect.*4.*num.*48.

*Amor inimicorum.*

Verè pœnitens diligit inimicos. *lib.* 7. *ſect.* 3. *num.*20.*p.*194

Inimicis benefacere regalis virtus. *l.*11.*ſect.* 7.*num.*16.*p.*461.

Fideli glorioſum, quod potens vindicari, abſtineat à vindicta. *lib.*8. *ſect.*6. *num.* 19.*p.* 361.

Inimicus tuo amore, eiuſque effectibus, patientia ſcilicet verberatur. *lib.*9.*ſect.*... *n.*32. Vide *Auerſi.*

*Angelus.*

Angelus cuſtos fortiſſimè aduerſus hominum hoſtes belligerans. *lib.*2. *ſect.*5. *num.*24. *p.*89.

Seſe rectæ hominis volontati accommodat, ideò ſtellæ comparatur Magorum duci. *lib.* 6. *ſect.*3.*num.*12.*p.*223.

Pacem euolgaturi Angeli militari habitu pugnaces deſcendunt. *lib.*2. *ſect.* 5. *num.* 26.*p.* 90.

Angeli pacem hominibus concinentes, eos ſimul potiri gloria affirmant. *num.*40.*p.*92.

Eleemoſynam bonæ voluntatis concelebrant.*num.*54.*p.*93.

Hominibus ex Ieſu ortu conciliantur. *num.* 61.*p.*94.95.

Grati ipſi gratitudinem homines docuere. *lib.*3.*ſect.*3.*num.*31.*p.* 117.

Nomen Ieſo ſalutare ſibi venerantur. *lib.*5. *ſect.*2.*num.*64. *p.*197.

Angelus ad Paſtores natioitatis die. Vide *Natiuitas* 4.

*Animus.*

*Animi* potentiæ circa ſimiles exterius proximi actiones iudicandas ſeducuntur. *lib.* 4. *ſect.*2. *num.*49.*p.*140.

Animi proprij contemptor auarus. *lib.* 10. *ſect.*1.*num.*13. *p.*394.395.

Anima Ieſu Deipara eſt. *lib.* 12.*ſect.*4.*n.*22. Ideo tota io tota, & tota in qualibet Dominici corporis particula patiebatur. *num.*27.

*Arundo.*

*Arundine* Ieſus, dum tacet, noſtra crimina ſcribit, aliquando punienda. *lib.*10.*ſect.*6.*n.*10. *pag.* 412.

Signat mundialis Regni inanitatem. *lib.*10. *ſect.*6. *num.*25.*p.*424.

Triomphat in manu patientis Ieſu. *num.* 13. *pag.*422.423.

*Aſſumptio.*

*Aſſumptio* Diſcipulorum ad Thabor aſcenſum. Vide *Transfiguratio* 1.

*Auaritia.*

Auaritia ad Dei ingreſſum excluditur. *lib.*6. *ſect.* 1. *num.*51. *p.*208.

Torquet auarum.*lib.*6. *ſect.*3. *n.*78. *p.*233.

Planè eſt cæca & ſtulta. *lib.*8.*ſect.*1.*num.*15. *pag.* 314.

Gratis accipiendus, Ieſus non pretio comparandus. *num.*40.*p.*321.

Cuſtodit pecuniam accuratius, quam proprium animum auarus. *lib.*10. *ſect.*1. *num.*13. *pag.* 394.395.

Auaritia eſt auari ſupplicium. *nu.*24 *p.*396.

Auaritia immaniſſima Ieſum flagellauit. *lib.* 10.*ſect.*5. *num.*14. *p.*415.

Dedecet Iudices, & Sacerdotes. *lib.* 12. *ſect.*3. *num.* 29.

*Auerſi.*

Auerſi ex Ieſu paſſione conglutinantur, quia Paſſio domini meditationi obiecta nos ad inimicorum amorem allicit. *lib.*10.*ſect.*2. *num.*9. *pag.* 402.

*Aula.*

*Aula* ad Deum via minimè ſecura. *lib.* 6. *ſect.* 5. *num.*44.*p.*251.

*Aures.*

Falluntur aures circa proximi delicta. *lib.*6. *ſect.*7.*num.*10. *p.*264.

*Auxilium.*

*Auxilij* diuini ad bene operandum neceſſitas. *lib.*11. *ſect.*1. *num.*20. *p.*435.

Ne nimium auxilio cœleſti fidas, ſed te ei exhibe coadiutorem. *lib.*11.*ſect.*2. *n.*15.*p.*440.

B.

*Baptiſmus.*

Per Baptiſmum nobis poteſtas circa adoptionem in ſtatu gratiæ exhibetur.*lib.*1. *ſect.*3.*num.*90.*p.*32.

Et in ſtatu gloriæ.*num.*98.*p.*52.

*Barabbas.*

*Barabba* dimiſſio damnato Ieſu, *lib.*10.*ſect.* 3.&c.*p.*405.

Pilati propoſitio.*n.*1.*p.*405.

Iudæos Romani arctius beneficiis ſeruituti illigabant.*n.*3.*p.*405.

Populi reſponſio,*n.*7.*p.*406.

Laudabiliter Iudæi ex Ægyptiis vinculis liberati, vincti cuiuſdam liberatione Paſchalem ſolemnitatem colebant.*n.*11.*p.*407.

Maximo ſupplicio Barabbas à vinculis abſoluitur.*n.*18.*p.*408.

Ingenti beneficio Chriſtus vinculis illigatur. *n.*23.*p.*408.

*Bellum.*

*Bello* pax & ſpiritualis, & temporaria acquiritur.*lib.*2.*ſect.*5.*n.*26.*p.*90.

Bellum pacis,ſeu potentiſſimum pacis præſidium.*n.*35.*p.*91.

Bella ab inobedientia legum exoriuntur.*l.*2. *ſect.*1.*n.*44.*p.*56.

*Beneficium.*

*Beneficij* cuiusvis natalitium profuſis gratiis proſequi debemus.*lib.*2.*ſect.*5.*n.*12.*p.*88.

Apud Deum vnum beneficium excitat alterum.*l.*4 *ſ.*2.*n* 35.*p.*138.

Ex vnius beneficij collatione Deus quaſi debitor alterius conferendi exſurgit. *lib.*6. *ſect.*2. *n.*37.*p.*218.

Beneficium diuinum iudicij formido ſequitur.*l.*6.*ſ.*4.*n.*28.*p.*238.239.

Quàm lacrymabile,te tot beneficiis obæratum deperire! *l.*9 *ſ.*4.*n.*22.*p.*382

Beneficia ſeruos efficiunt,*lib.*10. *ſect.*3. *n.*3. *p* 406

Beneficij morem gratitudo gerat, *num.*11. *pag* 407

Beneficium magnum,te hîc laboribus agitari.*n.*23. *p.*408

*Benignitas.*

*Benignitas* Dei nobis incutiat horrorem,*lib.* 11.*ſect.*3.*num.*23.*p.*444

Benigniſſimus Deus noſtris ſitit potari peccatis.*l.*11.*ſ.*8.*n.*13.*p.*465

Imo & tormentis, quæ pati debebamus, *n.*24.*p.*466

Cùm percutitur, ipſo morientis habitu ex hominum iniuria, ad veniam allicit,*lib.*11.*ſ.*9. *n.*2. *p.*468

Vide *Miſericordia.*

*Bonum.*

*Bona* cæleſtia gratis accipienda,*lib.*8.*ſect.*1. *n.*40.*p.*321

*Brutum.*

*Bruta* Euchariſtici vi panis conuertuntur in homines,*l.*2 *ſ.*3.*n.*59.*p.*71

Brutalis animi eſt dare ſcandalo occaſionem. *lib.*4.*ſect.*3.*num.*42.*p.*147

Homo (heu) ediſcit à brutis reuerentiam dominatori exhibere,*lib.*6.*ſect.*2.*n.*10.*p.*213

C.

*Calix.*

C*Alicem* poſtulat Ieſus à ſe tranſire, non vt non hauriat, ſed vti ſeruorum curam gerat.*lib.*8.*ſect.*2.*num.*91.*p.*341. 342

*Calumnia.*

*Calumnia* Iudæorum aduerſus Ieſum. *lib.*9. *ſect.*1.&c.*p.*364

Cur Sacerdotes & omne conſilium falſa teſtimonia requirebant,*n.*1.*p.*364

Num inuenerint hi falſa teſtimonia à ſe requiſita? *n.*3.*p.*364

Iudices ſi teſtes effecti & actores, populo vniuerſo exitiale. *n.*6.*p.*365

Principes iniqui requirunt falſos teſtes,falſi teſtes Principibus aſſident iniquis, *num.*9. *p.*366

Ieſu innocentiam nec falſa teſtimonia poterant obſcurare,*n.*12.*p.*366

Quærentes falſum teſtimonium in mediis falſis teſtibus non inuenerunt, *numero* 17. *pag.*367

Inter calumnias obticere, virtus egregia eſt, *lib.*9.*ſect.*2.*num.*30.*p.*372

*Caro.*

*Caro* & ſpiritus vnà in ſede minimè commorantur,*lib.*4.*ſect.*1.*num.*10.*p.*121

*Caſtigatio.*

Ad Caſtigationem propriam nos excitant aliis inflicta ſupplicia, *lib.* 4. *ſect.* 3. *num.*12. *pag.*142

*Caſtitas.*

*Caſtitas* ex literarum ſtudio conſeruatur,*lib.* 4.*ſect.*4.*num.*49 *p.*163

Caſtitas ortum ducere debet à pueritia, *num.*63.*p.*165

Ab vtero,*n.*67.*p.*166

Imo à lumbis parentum,*n.*70.*p.*166

Ei gloria præparata illuſtratur, *lib.*5.*ſect.*1. *num.*14.*p.*172

Caſtitas eſt fœcunditatis parens. *num.*45. *pag.*176.

Angelica caſtitas miniſtros Euangelij decet, *num.*120.*p.*187

Angelica præcipuè Religioſorum caſtitas confirmatur,*lib.*6.*ſect.*6.*num.*46.*p.*260

*Cauſa.*

Cauſæ circumciſionis Ieſu.

Vide *Circumciſio* 3.

*Cayphas.*

*Cayphas*, ſiue Paſſio Chriſti ex Caypha, *lib.* 9. *per totum.*

Vide *Iudæorum calumnia, Silentium, Alapa, Faciei obuelatio, Petri negatio.*

*Certitudo.*

*Certitudo* & ambiguitas Circunciſionis. Vide *Circunciſio* 2.

*Charitas.*

Charitatis incrementum ex Ieſu vulneribus. *lib.11.ſect.3.num.44.p.446.*

Charitas proximi peccata operiat, ad pacis tuitionem.*lib.2.ſect.5.num.49.p.93.*

*Chriſtus.*

*Chriſtus.* Vide *Ieſus.*

*Circunciſio.*

Circunciſio Ieſu.lib.4.per totum.

Paraphraſis ſub initio.

Circunciſio I.

*Temporis Circumciſionis conſummatio.*

Quid Circunciſio, & quare inſtituta? *lib.4.ſect.1.num.1.p.119.*

Vndenam hi dies conſummati? *n.5.p.120.*

Quare octaua die ſolita Circunciſio celebrari? *num.8.p.120.*

Tranſacta hebdomade ſeculari, dies æternitatis eluceſcit.*num.10.p.121.*

Circunciſio incidit iuſtè figurato Reſurrectionis die.*num.16.p.122.*

Dum vita eſt incerta, ſeu peccandi varium propoſitum, non adeſt ſpirituali Circunciſioni opportunitas. *n.22.p.123.*

Carnis ac ſpiritus Circunciſionem cum Reſurrectionis memoria Ieſus copulauit, quia quidquid in Circunciſione amittis, in Reſurrectione recipies.*num.27.p.123.*

Actionis Dominicæ Circunciſionis intentio ſub initio totum opus conſummatum efficit. *n.34.p.125.*

Vt circumciſus puer nos omnibus donet, impatiens conſummationis temporis oſtentatur. *num.42.p.126.*

Ieſus antè diei terminationem circunciſus, illico curauit à ſe peccati indicamenta proiicere.*num.49.p.127.*

Docet maturè circunciſus pœnitentiæ maturitatem *num.60.p.129.*

Circunciſio propera antè præcepti anguſtias cogit nos vt ſaltem debito tempore promptè obediamus.*num.66.*p.130.

Circũciſionis Ieſu pererogatoria ſiuè ex abũdantia maturitas cogit nos ad operum huiuſcemodi exercitamenta.*num.72.p.131.*

Circunciſio II.

*Circunciſionis Ieſu certitudo, & ambiguitas.*

An conſtet ex Luca Ieſum circunciſum? *lib.4.ſect.2.num.1.p.133.*

Vbinam Puer circunciſus? *num.5.p.133.*

Nullus Circunciſioni locus aſſignatus. *num.9.p.133.*

Quiſnam Circunciſionis Ieſu miniſter? *num.14.p.134.*

Num culter lapideus? *num.16 p.135.*

Quidnam de pelicula ex Circunciſionis vulnere reliqua? *num.18.p.135.*

Quaſi per tranſennam magis innuit, quam exprimit Euangeliſta *Ieſu* circunciſionem. *n.20.p.135.*

Expreſsè aſſerit Lucas Puerum fuiſſe circunciſum, dum eum Ieſum appellatum affirmat. *num.26.p.136.*

*Nam appellari Ieſum, vulnerari eſt.num.27.pag.136.137.*

*Hinc in noſtrã Societatem hoſtium conſpiratio propter nomen Ieſu, ob idémque illius parta victoria.num.31.p.137.*

Mirum eſſet, ſi ſe Circunciſionis vulneri negaret qui pro nobis eſt infans effectus. *num.35.p.138.*

Impeccabilis Ieſus hodie ex vulnere Circunciſionis peccator apparet.*num.41.p.139.*

*Hinc conſtat ſenſus corporeos in errorem circa proximi obiectas actiones capi.num 42.p.139.*

*Imo & animi potentias per errorem, dum de actionibus hominum ſententiam preferunt, dilabi.num.49.p.140.*

Circunciſio III.

*Dominicæ Circunciſionis cauſæ.*

Decem innuo cauſas Circunciſionis. *lib.4.ſect.3.num.1.p.141.*

Percuſſus infans pro peccatis alienis, vt nos ad propriorum caſtigationem moueat. *num.8.p.142.*

Peccator apparens celat Diabolo Diuinæ filiationis Sacramentum *num.13.p.143.*

Docet Circunciſionem linguæ ad luxuriei infrænationem.*num.19.p.143.*

Omnimoda hominis ſpiritualis Circunciſio ex Ieſu.*num.25.p.144.*

Sapiens Conſiliarius Ieſus Circunciſioni traditur ne paruulos ſcandalizet.*n.38.p.146.*

Paruulos dixi; nam ſicut *prudentia prædicti viri eſt, ſcandalum vitare num.39.p.146.*

*Iuſcy paruuli, imo brutalis animi eſt, dare ſcandalo occaſionem.num.42.p.147.*

Circunciditur, vt communitatis bona commendet, ſingularitatem damnet. *n.46.p.147.*

*Communitatis hinc exprimo bona. num.47.p.148.*

*Singularitatis mala recenſeo.n.50.p.148.*

Aptè hominum Princeps legi ſubditorum obtemperat.*num.55.p.149.*

*Nam legi parens ille ſubditorum onera leniora reddit.num.56.p.149.*

*Et ſubditis emolumento maximè aſſimilatur. num.60.p.149.*

Circunciditur, Circunciſionem de medio ablaturus.*num.66.p.150.*

Circunciditur Chriſtus, vt Deitas indiuiſibilis, quæ in toto Saluatoris corpore continetur, minori in particula includatur, exiguæ noſtræ capacitati amplius accommodanda.*n.71.p.151.*

Legi Circunciſionis paret, vt eam à Deo vtiliter inſtitutam fuiſſe confirmaret.*num.77.p.152.*

Et vt famulantem aduentui ſuo Circunciſionem honore cumularet.*num.83.p.153.*

Princeps Ieſus Circunciſionis legi ſubiicitur, vt prælapſi legiſlatoris gubernationem approbare videatur.*num 89.p.154.*

Onere experto ab eius obligatione Ieſus ſubditos abſoluit.*num.*95.*p.*155.

## Circunciſio 4.

### *Ætas pueriles circunciſi Ieſu.*

Appoſitè pueri vocabulo vſus Euangeliſta. *lib.*4.*ſect.*4.*num.*1.*p.*156.

Cur ætas teneritudine tanta laborans Circunciſioois ſignaculo initietur? *num.*3.*p.*157.

Ieſus *Puer* Circunciſioni traditur. *num.*7. *p.*157.

Vt oſtendat puerum ſub præceptore. *num.* 8.157.

*Et infantem ab vtero, imo nondum natum ſub præceptore quodammodo conſtituendum.num.* 17.*p.*158.

*Nam puer non diſcens difficile vir legis iugum importat.num.*21*p.*159.

*Fructibus opimis ex tradita præceptori iuuenta exurgentibus.num.*26.*p.*160.

Incommodis autẽ magnis ex nõ tradita,31.

Circuncıſus Puer ſuis Ieſuitis puerorum inſtitutionem committit.*num.*37.*p.*161.

*Vnde Societatis Ieſu Schola pueros literas edocet, vt illi ſimul virtutum exercitamenta exhauriant,num.*38.*p* 161.

*Pueros mutat in ſenes.num.*43.*p.*162.163.

*Senes dierum malorum efformat in pueros. n.* 4(.*p.*163.

*Eſt magiſtra caſtitatis,num.*49.*p.*163.

*Suos alumnos ad Deipara aliceis Sodalitium. n.* 53.*p.*164.

Puer Circunciſus nos edocet, ægritudini libidinis medendum priùſquam illius motus erumpant.*num.*62.*p.*165.

Quia caſtitas à pueritia.*num.*63 *p.*165.

*Ab vtero.n.*67 *p.*166.

*Imò à lumbis parentum.num.*70.*p.*166.

Oſtendit Puer Ieſus Circuncilioni traditus puerilem ætatem apriorem ad regulare inſtitutum iucundum.*num.*73.*p.*163.

Se effectum Puerum Ieſus adhuc circuncidi patitur, vt ipſa puerilis ætas propter nos amplius minorari videatur.*num.*80.*p.*168.

*Cupiens legere Panegyricos ſuis moralitatibus cohærentes.*

Vide *Panegyr.Moral.Syllabum,Fruct.*4.

### *Claui.*

*Clauorum encomium. lib.*11.*ſect.*3.*num.*18 *p.* 443.

### *Cœlum.*

Cœleſtis ſuauitas mel in ore. *lib.*5.*ſect.*2. *num.*19 *p.*191.

In aure melos.*num.*24.*p.*191.

In corde iubilus.*num.*29.*p.*192.

Cœleſtia bona ſunt verè bona, mũdialia minimè, *lib.*5.*ſect.* 2 *n.*57. *p.* 196.

Cœleſtia bona magna valde magnã excitant voluptatem,*lib.* 6.*ſect.* 5.*n.*53.*p.*252.

Cœlum vim patitur, & à violentis rapitur, *lib.*11.*ſect.*7.*num.*10.*p.* 460.

### *Communitas.*

*Communitatis* menſæ perennis abundantia. *lib.* 2.*ſect.*4. *num.* 48.*p.* 80.

Communitas fons bonorum, ſicut ſingularitas ſcaturigo malorum eſt. *lib.* 4.*ſect.* 3. *n.* 46. *p.*147.

In communitate virtute præſtantior ſingulari gratia eſt à prælato proſequendus. *lib.*7.*ſect.* 1. *n.*51.*p.*280.

Vt pax ſeruetur, omnes communitatis leges cuſtodiant.*lib.*2.*ſect* 5.*num.*49.*p.*93.

### *Compaſſio.*

*Compaſſio* hominum in paſſione Ieſu.*lib.* 8. Panegyr. procemiali.*pag.*317.

Compaſſio dilecti patientis amantem vulnerat. *lib.*12.*ſect.* 4. *num.* 48.

### *Comprehenſio.*

*Comprehenſio* Ieſu apud hortum. *lib.*8.*ſect.* 6 *p.*359.*&c.*

Nom principes Sacerdotum, Magiſtratus, & Seniores ad comprehenſionem Ieſu venerint? *num.*2.*p.*359.

An Ioannes adoleſcens ſindone amictus? *num.*4.*p.*360.

Principes, & Magiſtratus, & Seniores perſonaliter ad Ieſu comprehenſiooem progrediuntur, ex crudelitate vileſcentes. *num.*6.*p.* 360.

Chriſtus apud hortum, non apud templum, vbi docebat, illigatur,*num.*10.*p.*361.

Magnum Chriſto properanti ad paſſionem, & mundi redemptionem opprobrium, vi comprehendi *num.*18.*p.*362.

Vide *Panegyr.Syllabum,Fruc.*8.*Paneg.*6.

### *Commercium.*

*Commercium* hominum & Angelorum. *lib.* 2.*ſect.*5.*num.*61*p.*94.

### *Concionator.*

*Concionator* adſumendus, immittendus, non vltro muneri ingerendus eſt, aut percuſſurus. *lib.*1.*ſect.*2.*num.*26.*p.*17.

Propriæ ſaluti prius incumbens, appoſitè poſtmodum pro ſalute proximorum decertat. *lib.*5.*ſect.*1.*num.*51.*p.*177.

Sub ſeculari aut materiali, aut myſtico indumento proximo ſalutaris.*num.*66.*p.*179.

Angelus puritate exiſtat. *num.*120.*p.* *p.*187.

Ex ſeculari ſermone ad ſecularis reductionem documenta eliciat. *lib.*6. *ſect.*3. *num.*36.*p.* 227.

Concionator ſubtilis, & criticus captum ſequitur auditoris,*num.*43.*p.*228.

Indignis arcana cœleſtia non reuelet. *lib.*6. *ſect.*4.*num.*54.*p.*242.

Sileat concionator ignorans. *num* 59.*p.*243.

Scripturæ teſtimonia non detruncet. *num.* 67.*p.*244.

Eius initia ſupprimenda, nemo enim propheta in patria.*lib.*7.*ſect.*4 *num* 31.*p.*302.

Haud coram indignis diuinum profundat eloquium.*lib.*9.*ſect.*2. *n.*5.*p.*369.

### *Confeſſio.*

*Confeſſionis* facilitas ponderatur.*lib.*4.*ſect.*2. *num.*9.*p.*133.

Inanis confeſſio non accedit ad Deum ſuffixũ,cuius obiectu dolor excitatur. *lib.10.ſect.1.num.36.p.397.*
Serò fit.*num.41.p.398.*
Ineptum requirit miniſtrum.*num.44.p.398.*
Sine præparatione. *num.* 47. *p.* 399.
Non integra.*num.55.p.400.*
Bonæ confeſſionis proprietates ex his argue à *num.35.p.397.*
Humili confeſſione Ieſum potamus noſtram ſalutem ſitientem. *lib.11.ſect.8.num.13.p.465.*
Confeſſarius ineptus animi exitium.*num.44.p.467.*

*Coniugium.*

Ex coniugum caſtitate increſcit poſteritas. *lib.5.ſect.1. num.45.p.176.*

*Conſcientia.*

*Conſcientia* condemnat peccatores. *lib.* 10.. *ſect.1.num.19.p.435.*

*Conſilium.*

*Conſilia* perſectionis ex Ieſu. *lib.5.ſect.2.num.38.p.194.*
Probos tibi conſiliarios adhibe, ne in errorem inducaris.*lib.6.ſect.2.num.*18.*p.215.*

*Conſtantia.*

*Conſtantia* Magorum quærentium Ieſum. Vide *Epiphania* 2.

*Conſuetudo.*

Ex *conſuetudine* induratus peccator odit medicamen.*lib.6.ſect.4.num* 41 *p.140.*
Praua conſuetudo in partes ſecanda, vt per partes facilius repellatur, quæ tota ſimul difficilè vincitur,*lib.7.ſect.6.num.24 p.312.*

*Conſummatio.*

*Conſummatio* temporis Circuncisionis. Vide *Circuncisio* 1.

*Contemplatio.*

Quod in contemplatione loquimur, poſt ipſam euulgamus, quia conuerſatio noſtra ſpirituali exercitamento reſpondet. *lib.* 1.*ſect.* 2. *num.33.p.18.19.*
Ad contemplationis exercitium accommodatiſſima paupertas.*lib* 1.*ſect.4.num.41.p.38.*

*Conuerſatio.*

*Conuerſationis* qualitas ex orationis exercitio dimanat.*lib.1.ſect.2.n.* 33.*p.18.19.*

*Conuerſio.*

*Conuerſio* ad Deum ſi fieri poſſet cum auerſione ipſa copulari deberet. *lib.4.ſect.1. num.*60 *p.129.*
Conuerſio peccatoris ex veſtimentorum modeſtia arguitur contra profanum pœnitentium indumentum. *l.7.ſect.3.n.25.p.194.295.*

*Conuerſio.*

*Cor* hominis incarnati Verbi hoſpitium eſt.*lib.1.ſect.4.num.70.p.45.*
Humanum ergo Cor Deo præpara domicilium.*lib.7.ſect.5.num.30.p.308.*

*Corona* Vide *ſpina.*

*Creatio.*

*Creationis* beneficium noſtram exigit gratitudinem. *lib.1.ſect.* 3. *num.* 19. *p.* 22.

*Creatura.*

*Creatura* epiſtola eſt, quam Deus ad peccatorem immittit, admonens ſe Deum ſolum, illam minimè.*lib.6.ſect.1.num.62.p.210.*
Creaturarum motio in morte Ieſu. *lib.* 12. *ſect.1.&c. p.* 473.
Veli diſruptio.*num.* 1. *p.* 473.
Terræ concitatio. *num.* 4.*p.473.*
Cæterarum creaturarum commotio.*num.8.p.474.*
Velum ſcinditur, vt à Iudæis fidelium ex gentibus diuiſionem oſtentet. *num.11.p.* 474.
Terra contremiſcit, delicti Iudæorum pondus immenſum non ſuſtinens. *num.16.p.* 476.
Petræ ſcinduntur, vt obmuteſcentibus hominibus, fiant veritatis præcones. *num.* 19. *p.475.*
Monumenta reſerantur, vt innuant mortem à morte Dominica interemptam. *num.22.p.476.*

*Crudelitas.*

*Crudelitas* Reges efficit mancipia. *lib.8.ſect.6.n.6 p.360.*
Nunquam proximi malis ſatiatur. *lib.* 10. *ſect.5.num.23 p.416.*

*Crux.*

Crucis baiulatio *lib.11.ſect.1.p.433.&c.*
Ieſu ſuffigendi pompa, proceſſus, luctus. *num.1.p.433.*
Quare Dominicis humeris Crucis onus impoſitum? *num.5.p.433.*
Grande Ieſu Crucis baiulatoris ſpectaculum *num.11.p.434.*
*Pio quidem affectui.num.12.*
Impio enim affectui grande ludibrium,*num.16.p.435.*
Crux in humeris Ieſu nos donat & armis, & triumpho. *n.20.p.435.*
Sibi Ieſus Crucem baiulat, quia ſuam portans Crucem Diuinitatem oſtentat. *num.25.p.436.*
Sibi baiulat, ſic fertur ad labores, ac ſi propriæ vtilitati, non alienæ operam exhiberet. *num.30.p.437.*
Vide *Paneg.moral.ſyllabum, Fructu* 11. *Paneg.1.*

*Cruci ſuffixio. lib.11.ſect.3.&c.p.441.*
De latronum confixione.*num.11.p.442.*
Ieſus medius inter latrones in Crucem adigitur,vt eis ſimilis haberetur.*num.16.p.443.*
Quam amabilis hominibus Ieſu crucifixi ſpecies,*num.17.p.443.*

Horribilis impœnitētibus Ieſu Cruci ſpecies affixi.*num.*23.*p.*444.

Ieſu clauorum encomium. *num.* 28. *p.*444.

Ieſu vulnerum commendatio. *num.* 36. *p.* 445.

*E vulneribus enim fidei robur. num.* 37. *p.* 445.

*Spe firmitas.num* 40.*p.*446.

*Charitatis incrementum.num.*44 *p.*446.

Vide *Panegyr. Moral. Syllabum Fructu* 11. *Paneg.*3.

*Crux* neceſſariò tolleoda ad ſalutem. *lib.*11. *ſect.*2.*num.*15.*p.*440.

Crocis caluaria, ſiue tempotatiorum bonorum è Crucis ſocietate exigentia. *lib.*11.*ſect.*5. *num.* 14.*p.*452.

Omnes neceſſariò cruciferi. *lib.* 11. *ſect.*7. *num.*32*p.*462.

A Cruce præcipuè benigniſſimus Saluator. *lib.*11.*ſect.*9.*num.*25.*p.*471.

Crux ſiue paſſio Crucis.

Vide *lib.*11.*per totum.*

*Cyreneus*

*Cyrenei* coactio, vti Crucem Domioi baiularet.*lib.*11.*ſect.*2.*&c.p.*438.

Quinam hic Simon? *num.*1.*p.*438.

Quonam ille muoere fiunctus? *num.*3.*p.* 438.

Simon ſiue obediens portat Crucem Ieſu. *num.*9.*p.*439.

Non ſolum Ieſus baiulat Crucem, ſed nos requirit coadiutores.*num.*15.*p.*440.

Vide *Paneg. Moral. Syllabum Fructu* 11.

D

*Damnatio.*

D*Amnationis* ſignum agilitas ad flagitia. *lib.*8.*ſect.*4. *num.* 15.*p.*350.

Et abuſio inſtrumenti pacis. *num.*21. *p.*350. 351.

Et hîc ſolui teum. *lib.*10. *ſect.*3. *n.*18.*p.*408.

*Defectus.*

*Defectu* proximi, qui non videntor, non credaotur. *lib.*6.*ſect.*7.*num.*10.*p.*264.

*Deliberatio.*

Deliberatio Paſtorum vt Ieſu nato obſequium exhibeant.

Vide *Paſtores* 1.

*Deſcriptio.*

Orbis *deſcriptio* in Natiuitate Ieſu.

Vide *Natiuitas* 1.

*Deſpectus.*

Qoi à mundo deſpicicitur, ſpeciali à Deo excipitur affectus.*lib.*2.*ſect.*4.*num.*26.*p.*76.77.

*Detractio.*

Detrahens Prælatis taxatur. *lib.*4.*ſect.*3.*num.* 89.*pag.*154.

Vel ipſi diſcordes ad detractiooem vnanimes redduntur.*lib.*10.*ſect.*2.*num.* 26.*p.*405.

Vide *Murmuratio.*

*DEVS*

*Deus* à diligentibus, non à deſidibus inuenitur.*lib.*3.*ſect.*2. *num.*22.*p.*105.

Munificentia diuina inſcia moræ, *lib.*4.*ſect.* 1.*num.*42.*p.*126.

Ex vno collato nobis beneficio ad alterum conferendum excitatur, *lib.*4 *ſect.*2.*num.*35.*p.* 138.

Imò quaſi debitor aliud conferendi exſurgit.*lib.*6.*ſect.*2.*num.* 37.*p.*218.

Sese noſtræ capacitati accommodat. *lib.* 4. *ſect.*4.*num.*80.*p.*168.

Solius Dei eſt Sanctos liberare ab iniqui tyrannide Principis. *lib.* 6. *ſect.* 1. *n.* 34. *p.*206.

In noſtro imperans corde nunquam noo tyrannum excludit.*num.*48.*p.*208.

Ad homines longè receedentes epiſtolas inſpirationum immittit, vt reuocet. *num.* 62. *p.*220.

Eius affectus ad ſalutem hominum velociſſimus.*num.*65.*p.*221.

Eius cura paterna circa ſingulos filios. *lib.* 6.*ſect.*2.*num.*13.*p.*214.

Ipſum quærens ab omni periculo liberatur.*num.*26.*p.*216.

Qui Deum obiiciunt menti iudiciali hærentem throno, Principes non timent humanos.num.30.*p.*217.

Vna in ſede Deus ac Diabolus minimè commorantur.*lib.*6.*ſect.*5.*num.*37.*p.*250.

Deus eleuatioribus eleuatior apparet. *lib.*7. *ſect.*2.*num.*18.*p.*282.

Eius increatus ſplendor non obſcurat humanum.*lib.*7.*ſect.*4 *num.*26.*p.*301.

Deus putaberis Dei verba faciens. *num.*42. *p.*303.

Si Deus Dominus tuus, nihil pro libito exequaris.*lib.*7.*ſect.*5.*num.*25.*p.*307.

Amat oon materiale taberoaculum, ſed hominum præcordia.*num.*30.*p.*308.

Solus Deus alienis periculis affert opem. *lib.*7.*ſect.*6.*num.*35.*p.*314.

Silentes protegit innocentes. *lib.*9. *ſect.* 2. *num.*19.*p.*370.371.

Cum tacet inter peccatores, eis debet horribilem timorem ingerere.*num.*34.*p.*372.

Grauiſſimum Deo, hominem ſpecialiter beneficij obæratum deperire.*lib.*9.*ſect.*4.*num.*22. *p.*382.

Tam ſumus peccatis addicti, vt Deus infinitè ſapiens quodammodo noſtras delinquendi inuentiones ignorare videatur. *lib.*10. *ſect.* 5.*num.*34.*p.*418.

Mira Dei erga peccatores tolerantia. *num.* 39.*p.*418.

Sed quædam grauiſſima crimioa quodammodo punit prius quam machioentur. *ibid.p.* 418.

Dei benignitas mirabilis, dum peccatorum vulnerantium ictus oleum miſerationis faciant effluere.*lib.*10.*ſect.*5.*num.*48.*p.*420.

Dei in mediis flagitiis ſuſpecta tolerantia. *lib.*10.*ſect.*6.*num.*10.*p.*422.

Ipſe patientia mundum debellauit. *num.*13. *p.*422, 423.

*Noſtro*

Noſtrorum criminum ſpinas conſumit. *n.* 30.*p.*425.

Obediens Deum quantum in ſe eſt liberat à cruciatu.*lib.*11.*ſect.*2.*num.*9.*p.*439.

Nunquam Deus magis Iudex, quam cum amplius benigous. *lib.*15. *ſect.*3. *num.* 23. *p.* 444.

Vnus fidelis ſubditus Deo poteſt auguſtum Regnum conſtituere. *lib.*11. *ſect.*4. *num.* 13. *p.*449.

Noſtra Deus ſitiens coofeſſione potatur. *lib.*st.*ſect.*8.*num.*53.*p.*465.

Cum prouocatus ſpecialiter, tunc ad veniam inuitat.*lib.*15.*ſect.*9.*num.*25.*p.*471.

Non permiſit Ieſu oſſa vulnerari ne filij adoptiui percuterétur.*lib.*12.*ſect.*2.*n.*28.*p.*479.

Vide *Verbum diuinum.*

*Diabolus.*

Aduerſus Diabolum ex humanitate Ieſu roboramur.*lib.*1.*ſect.*4.*num.*50.*p.*39.40.

Diabolus pater peccatorum *lib.*4. *ſect.*3. *n.* 53.

Ex Ieſu inuocatione debellatur.*lib.*5.*ſect.*2. *num.*43 *p.*194.

Nam tremit oomioe Ieſu auditto. *num.*72. *p.*198.

Diabolus habeberis eius idiomate vſus. *l.*7. *ſect.*3.*num.*42.*p.*303.

Diabolus mendax. *lib.* 8. *ſect.* 1. *num.* 30. *p.* 328.

Quod noo poteſt implere promittit. *num.* 35.*p.*329.

Oratione frangitur.*lib.*8.*ſect.*2. *n.* 84.*p.*340.

Diabolos malleus iuſtorũ Ieſum flagellauit. *lib.*10.*ſect.*5.*num.*19. *p.*415.416.

*Difficile.*

*Difficilia* quæque facilia reſurrectionis memoria redduntur.*lib.*4 *ſect.*1.*num.*27 *p.*123.

*Diligentia.*

*Diligentia* circa ſpiritualia illuſtratur. *lib.*3. *ſect.*1.*num.*4.*p.*97.98.

A diligentibus inuenitur non à deſidibus. *lib.*3.*ſect.*2.*num.*22.*p.*105.

Dilectionis effectus diligens obſequium eſt. *num.*30.*p.*106.

*Diſcordia*

Diſcordes ad proximi detractionem ſæpe adunaotur.*lib.*10.*ſect.*2.*n.*26.*p.*405.

*Diuinitas.*

Ad *Diuinitatis* faſtigium nos voluntaria laborum tolerantia quodammodo attollit. *lib.*11. *ſect.*1.*num.* 25. *p.*436.

Diuina Chriſti natura. Vide *Verbum diuinum* 1.

*Diuiſio.*

*Diuiſio* duriſſima amicorum. *lib.* 4. *ſect.* 4. *num.*38.*p.*161.

*Diuitiæ, Diues.*

*Diues* copioſius tributum Regi ſoluat, ac pauper. *lib.*2.*ſect.*5.*num.* 34.*p.*54.

Diuitiæ ſoiſmet funibus flagellandæ, ſuffocandæ. *lib.*6 *ſect.*3.*num.*78.*p.*233.

Viam ad Deum diuitiæ turbant. *lib.* 6.*ſect.*5. *num.*44.*p.*255.

Earum ioſtabilitas ponderatur. *lib.* 6.*ſect.*6. *num* 37.*p.*259.

Malè partæ diuitiæ ſacris inutiles, & profanis. *lib.* 10.*ſect.*1.*num.* 6.*p.*393.

Laudabiles quæ templis exornandis impenduntur. *lib.* 12.*ſect.* 3. *num.*26.

*Dominus.*

Seſe Domini famulis munificos, & gratos oſtentent.*lib.*4.*ſect.*3. *num.* 83.*p.*153.

*Dux.*

*Dux* ſaluus aptè pro aliorum ſalute decertat.*lib.*5 *ſect.*1.*num.*51.*p.*177.

E.

*Eccleſia.*

E*ccleſiæ* toum corpos Ieſu ſanguine dilutum.*lib.*8*ſect.*3.*n.* 37.*p.* 347.

*Eleemoſyna.*

Bonorum perenoitas apud eleemoſynæ largitores.*lib.*2.*ſect.*4.*num.* 48.*p.* 80.

Eleemoſyna bonæ voluotatis celebratur.*lib.* 2.*ſect.*5.*num.*54 *p.* 93.

Apud Diuinum tribunal eleemoſyoa præſidium.*lib.*6.*ſect.*4.*num.*34.*p.*239.

Præcedeos oratiooem eam reddit efficacem *lib.*6.*ſect.*6 *num.*29.*p.*258.

Nunquam non ſedet eleeemoſynarum largitor.*lib.*7.*ſect.*1.*num.*8.*p.*274.

EPIPHANIA.

Epiphania lib.6 per totum Paraphr. ſub initio.

*Epiphania* 1.

*Magorum ex Oriente profectio.*

Cur Ieſus voluerit in Bethleem naſci? *lib.*6. *ſect.*1.*num.* 1.*p.* 202.

Natus in Bethleẽ Ieſus appoſitè. *n.*3.*p.*202.

Io domo paois naſcitur, qui panis futurus erat.*num.*8.*p.*203.

In domo panis naſcitur qui leges erat Ieroſorymis laturus.*num.*12.*p.*203.

Quinam Herodes Rex.*num.*16.*p.*204.

Quioam Magi? *num.*19.*p.*204.

Num Reges? *num.*24.*p.*205.

Quotnam? *num.*28.*p.*205.

Vndenam? *num.*31.*p.*205.

Quare veniunt Ieroſolymam? *n.*37.*p.*206.

Quem alienigena adorat Chaldæa, patria perſecotionibus afficit Ieroſolyma. *num.* 45. *p.*206.

In diebus Herodis tyranni Chriſtus adeſt ſobditos liberaturus. *n.* 34.*p.*206.

Rex Chriſtus io noſtro imperans corde, nunquam non excludit tyrannum *n.*48.*p.*208.

Nam & ſuperbiam expellit. *num.* 49. *p.*208.
Auaritiam ablegat. *num.*51.*p.*208.
Voluptates propulſat. *num.*53.*p.*209.
Si Reges Ieſu adoratores cõuenienter Magi, ſiue Sapientes appellantur. *num.* 55.*p.*209.
Magi accepta à Ieſu epiſtola, eum quæſituti proficiſcuntur. *n.*62.*p.*210.
Spiritus Sancti alis velociſſimis collocati tam citò venire potuerunt. *num.*65.*p.*211.

*Epiphania.* 2.

*Magorum quærentium Ieſum conſtantia.* Quæſtio Mgorum apud Ieroſolymam. *lib.* 6. *ſect.*2.*num.*1.*p.*212.
Magi antequam ex præſepis faſciatúmque vilitate Chriſtum Deum cognoſcerent ſui confeſſores effecti. *num.*4.*p.*212.
Quid Rex natus? *num.*7.*p.*213.
Magi taxant Iudæos, quod ſiot amentiores boue,& aſino Deum reuerentibus. *n.*9.*p.*213.
Quam conuenienter natus Ieſus Gentilibus (tunc improbis) illico manifeſtatus eſt. *num.* 13.*p.*214.
Cum Magi à Iudæis exquirunt conſilium, illuminanti fulgore priuantur. *num.* 18.*p.*215.
Magi cœleſtem Regem requirentes, nulla poſſunt corripi formidine. *num.*26.*p.*216.
Dum Magi Regem futurum conſiderant iudicieiali hærentem throno non timent præſentem. *num.*30.*p.*217.
Miraculosè ab ſtella ducti crediderunt fore, vt à nullis hoſtibus impeterentur. *num.* 37. *p.*218.
Rex natus Chriſtus. *num.*47.*p.*220.
*Qui quidem ideò ſuorum illicò ſtudet protectioni. num.*48.*p.*20.
*Et ſubditorum onera portat. num.*53.*p.*220.

*Epiphania.* 3.

*Magorum ſtella.* Stellæ materia, locus, ſplendor, motor. *lib.*6.*ſect.*3.*num.*1.*p.*221.
Non quod magis rutilat magis fulgidum eſt. *num.*4.*p.*222.
Num Spiritus Sanctus, vel Angelus ſtellæ ſpecie Magis apparuerit? *num* 9.*p.*223.
Ex eo quod ſtella Magorum voluntati ſeruiebat, benè arguitur Angelum fuiſſe. *num.* 12. *p.* 223.
Stellæ apparitio. *num.*18.*p*224.
Num toto itinere conſpecta? Illius occubitus. *num.*22.*p.*224.
Stella hæc nunc ſpiritualiter videtur ab iis, qui virginitatem colunt. *num.*26.*p.*225.
Cur eius ſtella dicatur? *num.*30.*p.*226.
Cur Dominicam Natiuitatem Magi per ſtellam edocerentur. *num.*33.*p.*226.
Per ſtellam Magi docentur, vt ex illorum mundiali exercitio ſalutarem cœleſtis Magiſter eliceret doctrinam. *num.*36. *p.*227.
Et vt veritatis doctrina audientium capacitati accommodaretur. *num.*43.*p.*228.
Stella Magorum Spiritus Sancti vmbra. *num.*48.*p.*229.
Stella Deipara. *num.* 54.*p.*229.230.
Stella Chriſti paupertas. *num.*62.*p.*231
Stella Magos ſeduxerat, Stella duxit ad ſalutem. *num.*68.*p.*231.232.
*Et nos quadam iuſta animi elatione vanitatem olim ſeductricem vincamus. num.* 69. *p.*232.
*Luxuriei ignem tartareis flammis ſuffocari curemus.* n. 73.p. 232.
*Diuitiáſque ſuiſmet funibus flagellare, ſuffocare. n.*79.*p.* 233.

*Epiphania* 4.

*Herodis ac Ieroſolymæ turbatio.* Vndenam Herodes turbatus. *lib.*6.*ſect.*4. *num.* 1. *p.*234.
Quare turbata Ieroſolyma? *num.*3.*p.*235.
Sacerdotes & ſcribæ aduocantur. *num.* 9. *p.*235.
Prophetiam Michææ de Dominico aduentu expendo, ac cum Matthæi textu compono. *num.*12.*p.*236.
Quid ſignificet, *In Principibus Iuda* ſiue *in millibus*? Herodes & quia Rex, & quia tyrannus in Ieſu conſpectu turbatur. *num.*21.*p.*237.
Turbatus, quia Magos noui Regis præcone neceſſariò ſequitur iudicij formido. *num.* 28.*p.*238.239.
Docent Herodem Magi muneribus exhibitis iudicem emollire. *num.*34.*p.*239.
Turbatur Ieroſolyma audito noui Regis aduentu. *num.*41.*p.*240.
Turbato Herode ſubdita Ieroſolyma incidit in turbationem. *num.*48.*p.*241.
Sacerdotum circa Domini natalitia non fidelis reſponſio. *num.*53.*p.*242.
*Nam & de proditione, ſiue arcani in iuſta reuelatione arguuntur. n.*54 *p.* 242.
*Et carpuntur propter ignorantiam. num.*59. *p.*243.
Et eos taxabiles effecit malitia. *n.* 67.*p.*244.

*Epiphania* 5.

*Magorum in Bethleemum immiſſio.*
Cur Magi ſunt clam ab Herode vocati? *lib.*6. *ſect.*5. *n.*1. *p.* 245.
Herodes Rex clam Magos aduocauit. *n.* 4. *p.* 245.
A Magis tempus diſcit ſtellæ eóſque deuotionis prætextu callidus in Bethleemum immittit. *num.*9. *p.* 246.
Inter deuotionis obſequia facilius aduerſus Ieſum gladium exacuit. *num.* 14.*p.*246.
De Stellæ remeantis obiectu. *num.* 19.247.
Conuenienter ſuadet Herodes Magos diligenter, ſiue ſæpe de Ieſu interrogare. *num.* 26. *p.*248.
Iubentur illi interrogare de *Puero* non de viro. *num.*31.*p.*249.
Ad annunciatum Saluatorem accedentes neceſſario Herodi Satanæ renunciant. *num.* 37.*p.*250
Herodis in vrbe via cœleſtis operitur, Chriſti pauperis aperitur in domo. *num.* 44. *p.*251.
Magna valdè Magorum lætitia, Ieſum Stella oſtendente. *num.*53.*p.*252.

*Epiphania* 6.

*Adoratio, & oblatio Magorum.*
Num Ieſus in præſepio, an in domo aliqua adoratus à Magis? *lib.*6 *ſect.*6.*n.* 1.*p.*254.
Puer cum ſola Maria inuentus eſt, abſente Ioſepho. *num.*6.*p.*155.
Num Deipara timuerit? *num.*9.*p.*255.
De Magorum muneribus. *num.*11.*p.*256.

Reges

Reges erant procul dubio, qui procideutes Infantem adorant. *num.20.p.257.*

Magi præmiſſis orationis ac eleemoſynæ muneribus, vacuos taxant adoratores. *num.29. p.258.*

Myſtica Ieſuitarum oblatio. *num.36.p.259.*

*Aurum Magorum ſiue Societatis Ieſu Paupertas. num.37.p.259.*

*Thus Magorum, ſeu Societatis Caſtitas, num. 46.p.260.*

*Myrrha Magorum, ſiue Societatis Obedientia. n. 56.p.262.*

*Epiphania. 7.*

*Magorum reditus.*

De reſponſo à Magis accepto. *lib.6.ſect.7.n. 1.p.263.*

De reueſſione per aliam viam. *num.6.p.264.*

Magi illuſtres Regis nati præcones, quia quod viderant peruulgarunt. *num.10.p.264.*

Deum Magi de reditu interrogant. *num.14 p.265.*

*Inde oſtendo orationis mentalis Magorum efficaciam. num.15 p.265.*

*Quæ quidem eos aduerſus Herodem armauit, num.21.p.266.*

*Et Ieſum dedit Regionibus. num.28.p.267.*

Per aliam viam Magi reuertuntur. *num.34 p.268.*

*Pœnitens autem ſequens Magos viam iniquitatis mēte percurrat, vt greſſus lacrymis abluat. num.35.p.268.*

*Per aliámque omnino viam incedat, nouum viuendi morem inſtituat. num.42.p.269.*

*Epiſcopus.*

Epiſcopo à grege diſcedenti celer ad ipſum reditus indicitur: contra Epiſcopos aulicos. *lib.3.ſect.3.num.9.p.113.*

*Epiſtola.*

Epiſtola à Deo ſcribitur, vt diſſitos longè reuocet peccatores. *lib.6.ſect.1.num.52.p.210.*

*Euangelium.*

*Euangelij* diſpoſitio & commendatio in ſacræ doctrinæ præconium. Obſer. procemi. panegyr. *n.1.p.3.*

Flumen eſt aquæ vitalis è Dei ſede profluens. *Vbi illa adnoto, quæ ſic Euangelio conueniunt, vt ei cum reliquis ſacris voluminibus ſint communia. num.4.p.4.*

Flumen eſt aquæ vitalis ex Agni tabernaculo. *Vbi proprias Euangelij laudes enuncio. num 12. p.5.*

De quatuor iuxta fluuium animantibus. *Vbi de Euangeliſtis nonnulla prælibo. num.29.p.7.*

De duobus vitalibus ex vtraque fluminis ripa arboribus. Vbi de totius Euangelij diſpoſitione. *num.36.p.8.*

Sermonis Euangelici contemptores taxantur. *lib.6.ſect.4.num.28 p.238.239.*

*Eucharistia.*

Christi caro luxuriei ablegat cæcitatem. *lib. 1.ſect.4.num.29.p.36.*

Mortem carni noſtræ inſitam propellit. *n. 34.p.37.*

Stultitiam hominum relegat. *num.40.p.38.*

Corruptæ humanitatis pondus leuat. *num. 46.p.39.*

Contra Diabolum roborat. *num.50.p.39.40.*

Actualibus criminibus adhibet medicamen. *num.54.p.40.*

Superbiam propulſat. *num.59.p.41.*

Diſpoſitio ad Euchariſtiam recipiendam, receptioniſque dignæ fructus. *lib.1.ſect.4.num. 71.p.43.*

Domum ad proprium vſum conuertit. *n.75. p.43.*

Gratis Domum facit ornari. *num.79.p.44.*

Transfert nos in patriam. *num.84.p.45.*

Mores immutat. *lib.2. ſect.3.num.59.p.71.*

Mundialia contemnat Euchariſtiam ſuſcepturus. *lib.3.ſect.1.num.21.p.100.*

Dei immenſitas noſtræ exilitati commenſuratur. *lib.4.ſect.3.num.71.p.151.*

ſeſe Deus exinaniuit, & quaſi diuiſit vt eum capiamus. *lib 4.ſect.4.n.80.p.168.*

Indignè recipientes inſtar Herodis gladium inter obſequia deuotionis exacuunt. *lib.6.ſect. 5.num 14.p.246.*

Damnationis eſt ſignum tanto beneficio abuti. *lib.8.ſect.4.num.21.p.350.351.*

Euchariſtiæ dignè recipiendæ norma ex Ieſu ſepultura. *lib.12.ſect.3.num.18.*

Gratis hic panis accipiendus. *num.29.*

*Exaggeratio.*

*Exaggeratio* alieni criminis reprehenditur. *lib 4.ſect.2.num.20.p.135.*

*Exemplum.*

Exemplum Ieſu iter agentis matris peditis oris leuia reddit onera. *l.2. ſect.1. n.34 p.54.*

Exemplum vnius alios ad eandem virtutem adfert. *lib.3. ſect.3. n.31.p.117.*

Eius magna vis ad mouendum. *lib. 4.ſect.3. n.8.p.142.*

Præſulis exemplum reddit leuia onera ſubditorum. *num. 55.p.149.*

Exemplum Principum probum pravumve conſequuntur. *lib.6.ſect.4.num.48.p.241.*

Vide *Societas.*

F

*Faber.*

Fi fabrilia tractent. *lib.8. ſect.3.num.37. 7.*

*Facies.*

Faciei Ieſu obuelatio. *lib.9.ſect.4.&c.p.379.*

Iniuria recenſentur. *num.1.p.379.*

Tum cædebatur Ieſus, percutientium vulnera medebatur. *num.9.p.380*

Totis nocte percutitur, imò æternum quodammodo paſſus eſt, *num.12.p.380.*

Quàm inanes io Ieſum, qui eius oculos velarunt, ue propheriam inanem eſſe exiſtimabant. *num.18.p.381.*

Quamque Ieſu, prophetare, ſe à Iudæis eſſe volutum. *num.21.p.382.*

Vide *Panegyr. Moral. Syllabum Fructu 9. Paneg.4*

*Fama.*

*Fama* ſiniſtræ noia propellenda. *lib.* 4.*ſect.*1.*n.*49.*p.*127.
Mala fama ex pœnitentia aboletur. Confeſſioni operam dedit? Iam procul dubio alter eſt. *lib.*4 *ſect.*4.*num.*36.*p.*161.
Malus ſocius iuſti famam videtur deturpare. *lib.*11.*ſect.*6.*num.*28.*p.*457.

*Famulus.*

Famuli antiqui non ſolùm ære ſed & honoribus cumulandi. *lib.*4.*ſect.*3.*num.*83.*p.*153.
Haud facilè è dominorum domo dimittendi. *lib.*8 *ſect.*2.*num.*91.*p.*341.342.

*Faſcia.*

Faſciæ Ieſu miraculis clarent. *lib.*2.*ſect.*[illegible] *num.*43. *p.*69.
Halant Deitatem. *lib.*2. *ſect.*4.*num.*42.*p.*[illegible]9.

*Feruor.*

Feruens operis inchoatio quaſi perfectio eſt. *lib.*4 *ſect.*1.*num.*34.*p*125.

*Feſtum.*

*Feſtorum* perfectus cultor à ſeruilibus vacat, ſpiritualibus incumbit. *lib.*7. *ſect.*1. *num.*[illegible]3. *p.*276.
Perfectè ſic colent ſolemnia, laborum ſuorum commendat perfectionem. *num.*30. *p.*277.

*Fides.*

*Fidei* robur è vulneribus Ieſu. *lib.* 11. *ſect.*3. *num.*37.*p.*445.

*Filius.*

*Filij* ac parentis mores aſſimilantur. *lib.*1.*ſect.* 1.*n.*44.*p.*9.10.
Poteſtas hominis ad Dei filiationem exprimitur. *lib.*1.*ſect.*3.*num.*32.*p.*24.
Data poteſtas hominibus circa adoptionem in ſtatu gratiæ. *num.*90.*p.*31.
Et circa adoptionem conſummatam in ſtatu gloriæ *num.* 98.*p.*32.
Poſt Ieſu incarnationem cognoſcimus nos in Dei filios poſſe eleuari. *lib.* 1.*ſect.*4.*num.*[illegible]7. *p.*42.
Dei filij ex Ieſu Primogenito ſignamur. *lib.* 2.*ſect.*3. *num.*30.*p.*167.
Filiatio Dei & peccatum implicat. *lib.* [illegible] *ſect.* 3.*num.*13.*p.*143.
Id aſſolet eſſe filius quod domus vbi educatur. *lib.*6.*ſect.*1.*num.*8.*p.*203.
Filij ac parentis quaſi vna eſſentia. [illegible]. 12. *ſect.*4 *num.*16.
Bonus filius amiſſus ſauciat merito parentem. *num.*44.
Mariæ filij peccatores. *num.*53.

*Flagella.*

*Flagella* Ieſu. *lib.*10.*ſect.*5.*&c.p.*[illegible]3.
Num Pilatus ſuis manibus flagellarit Ieſum? *num.* 1.*p.*413.
Pilatus omninò dedeceret propriis manibus vulnerare Saluatorem *num.*3.*p.*413.
Quare iuſſerit Chriſtum flagellari? & num bis diuerberatur? *num.*7.*p.*413.414.
De numero flagellorum Ieſu? *num.* 10. *p.*414.
Verbera Ieſu ex auaritiæ crudelitate effluxère. *num.*14.*p.*415.
In Pilato & militibus omnes Ieſum Dæmones diuerberarunt. *num.*19. *p.* 415.
Vapulauit Ieſus vſque ad Iudaicæ crudelitatis, & inuidiæ ſatietatem. *num.*23 *p.*416.
Patientiſſimus Ieſus voluntatis paternæ memor erat, vt illigari, & flagellari permitteret. *num.*29.*p.*417.
Quodammodo Ieſus ignorabat fore, vt poſſet diuerberari. *num.*34 *p.*418.
Ingens admodum flagellationis opprobrum, quod Deus patiens redditor quodammodo puniuit ex parte priuſquam machinaretur. *num.*39 *p.*418.
Numerus flagellorum Ieſu quodammodo peccatoris verberum numerum adæquauit. *num.* 44.*p.*419.
Ex petra Dominica flagellis contuſa oleum noſtri medicaminis profluxit. *num.* 48. *p.*420.

Vide Panegyr. Moral. Sillabum Fructu. 1b.Paneg.5.

*Fœlicitas.*

*Fœlicitas* ex diuinæ voluntatis executione. *lib.*7.*ſect.*5.*n.*21.*p.*306.

*Fœmina.*

*Fœmina* è domo non egrediatur, niſi ex præcepto, aut neceſſitate *lib.*2*ſect.*2.*num.*29.*p.*62.

Vide *Mulier.*

*Formido.*

*Formido* nulla, vbi à te Deus requiritur; hæc enim à peccato habet exortum. *lib.*6.*ſect.* 2. *num.*26.*p.*216.
Maior poteſtas maiori formidini ſubiecta eſt. *lib.*6.*ſect.*4.*num.*21.*p.*237.
Iudicij formido ſequitur prædicationem. *lib.*6.*ſect.*4.*num.*18 *p.*238.239.
Iudicij finalis ſalutaris formido. *lib.*6.*ſect.*2. *num* 30 *p.*217.
Formidabilis peccatori medicina. *lib.*6.*ſect.* 4.*num.*41.*p.*240.241.

*Fructus.*

*Fructus* laborum ſemper tuus. *lib.*11.*ſect.*1. *num.*30.*p.*437.

*Fulgor.*

*Fulgor* increatus humanum creatum non obſcurat. *lib.*7.*ſect.*4.*num.*36.*p.*301.

*Funera.*

*Funera* Ieſu morti addicti. *lib.*12.per totum.
Vide *Creaturarum motio, lancea, ſepultura, Maria Martyrum, & luctus*

*Gabriel*

G

*Gabriel.*

GAbriel apud Paſtores. Vide *Natiuitas* 4.

*Gaudium.*

*Gaudium* hominibus non ex loci ſublimitate, ſed ex Societate Domini obuenit. *lib.*1. *ſect.*3.*num.* 53.*p.*70.

Fontrum gaudium ex Ieſu aduentu inducitur in ſaluationis ſignum. *lib.*2. *ſect.*4.*num.*36. *p.*78.

Gaudium patiendi pro Ieſu illuſtratur. *lib.*8. *ſect.*3.*num.*24.*p.*345.

*Gloria.*

*Gloria* Dei eſt, hominis pace colligati. *lib.* 2.*ſect.* 5.*num.*35.*p.*91.

Vbi pax, ibi gloria neceſſum eſt cōmorari. *lib.*2.*ſect.*5.*num.*40.*p.*92.

Qualis futura poſt reſurrectionem gloria. *lib.*7.*ſect.*2.*num.*23.*p.*184.

Cuius fulgor non intermoritur: vbi qoæ lux extinguitur, gloriæ minimè dos. *lib.*7 *ſect.* 3.*num.*6.*p.*291. 292.

Quænam fuerit Ieſu gloria ab Apoſtolis aſpectata? *lib* 1.*ſect.*4.*num.*12.*p.*34.

*Gratia.*

*Gratia* & veritas pariter aſſolent incedere. *lib.*1.*ſect.*.4.*num.*97.*p.*47.

*Gratitudo.*

*Gratitudinem* exigit humanam creationis beneficium. *lib.*1.*ſect.*3.*num.*19.*p.*22.

Natiuitatem Chriſti noſtræ decet gratitudinis modulatiu *lib.*2.*ſect.*5.*num.*12.*p.*88.

Gratitudo Angelorū concinētium homines edocuit gratitudinem.*lib.*3.*ſect.*3. *n.*31.*p.*117.

Ea gratitudo ſpecialiter commendatur, quæ morem beneficij gerat.*lib.*10.*ſect.*3.*num.*11.*p.* 407.

*Greſſus.*

*Greſſus* iuſtorum admodum pretioſi. *lib.*8. *ſect.*1.*num.*45.*p.*330

*Gubernatio.*

Ad *gubernationem* inepti incipientes. *lib.*6. *ſect.*1.*num.*55.*p.*209.

H

*Habitus.*

HAbitus flagitij virtutum exercitamentis abolendus eſt, *lib.*9.*ſect.*5. *n.*50.*p.*389.

Ieſu transfigurati habitus.

Vide *Transfiguratio* 3.

*Hebdomada.*

Contra hebdomadæ pœnoſæ profanatores. *lib.*12.*ſect.*2.*num.*23.*p.*479.

*Ant. de Eſcob. & Mendoz.* de Sanctis Tom.I.

Tranſacta hebdomade ſeculari dies æternitatis eluceſcit.*lib.*4.*ſect.*1.*num* 10.*p.*121.

*Helias.*

*Heliæ* ac Moſis oſtenſio in Transfiguratione. Vide *Transfiguratio* 4.

*Herodes.*

Herodes & quia Rex, & quia Tyrannus in Ieſu conſpectu turbatur. *lib.*6. *ſect.*4. *num.* 21.*p.*237.

Et quia Magos noui Regis præcones neceſſariò ſequitur iudicij formido. *num.*28.*p.*238.

Eum docent Magi muneribus exhibibitis iudicem emollire.*num.*34.*p.*239.

Turbatus Herodes ſubditam Ieroſolymam arripuit in turbationem. *lib.*6. *ſect.*4. *num.*48. *p.*241.

Inter deuotionis obſequia facilius aduerſus Ieſum gladium exacuit. *lib.*6.*ſect.*5. *num.*14. 246.

Conuenienter ſuadet Magos ſæpe de Ieſu interrogare.*num.*26.*p.*248.

Ad annociatum Saluatorē neceſſario peccator Herodi renunciat.*num.*37.*p.*250.

Herodis in vrbe via cœleſtis operitur. *n.*44. *p.*251.

*Herodis* illuſio.*lib.*10.*ſect.*2.&c.*p.*401.

Ieſus Herodis ſiſtitur tribunali.*num.*1.*p.*401.

Illuditur Ieſus.*num.*5.*pag.*401.

Pilatus & Herodes in conſpectu Dominicæ paſſionis in amicitiam copulantur. *num.*9. *p.* 402.

In ſplendenti, & pretioſa veſte illuditur Ieſus.*num.*13.*p* 403.

Herodes illudens Ieſum rectè ſui nominis, quod ſylueſter ſonat impleuit ſignificationem. *num.* 18 *p.*403.

In candido veſtimento Ieſus Euangelicæ virginitatis martyrium præſignauit. *num.*22. *p.*404.

Coit amicitia inter Herodem & Pilatum, vt vnanimes Ieſum perſequerentur. *num.* 26. *p.* 405.

Vide *Panegyr. Moral. Syllabum.Fructu* 10. *Paneg.*2.

Herodis turbatio. Vide *Epiphania* 4.

*Homo.*

*Homo* ex terra in mundum ſiue de nihilo in nihilum adueniens. *lib.*1. *ſect.*3. *num.*75.*p.*29.

Veniens in mundum, non in mundo ſiſtens oſtentantati debet mundo in altero moraturus. *num.* 86.*p.* 30.31.

Diſcat à brutis Deum reuereri. *lib.*6.*ſect.*2. *num.*9.*p.*213.

Vni homuncioni totus ſanguis Ieſu. *lib.*8. *ſect.*3.*num.*17.*p.*344.

Vnus homo fideliter ſubditus potentiſſimum Ieſo Regnum eſt. *lib.*11.*ſect.*4.*num.*13. *p.*449.

Homini amabilis admodum Chriſti ſuffixi cruci ſpecies.*lib.*11.*ſect.*3.*num* 17.*p.*343.

Ecce Homo. *lib.*10.*ſect.*7.&c.*p.*427.

Oſtenditur Ieſus.*num.*1.*p.*427.

Clamant Iudæi.*num.*3.*p.*427.

Tot tantiſque Ieſu doloribus nullum aptius nomen potuit excogitari, quam *Homo. num.6.p.*428.

Ieſum hominem id eſt virilem labores oſtentant.*num.*10.*p* 418.

Non iam homo opprobriis actus, ſed patientiæ corona redimitus Rex Saluator apparet.*num.* 16.*p* 429.

*Hoſtis.*

*Hoſtis* ſpiritualis proprio mucrone configendus.*lib.6.ſect.*3. *num.*68.*p.*231:232.

Hoſtis à ruis arcendus arcanis. *lib.7.ſect.*1. *num.* 36.*p.*278.

Oratione hoſtis inuiſibilis frangitur. *lib.*8. *ſect.* 2.*num* 84.*p.* 340.

Sepultus cum Ieſu eum ſuperas inuincibilem. *lib.*12.*ſect.* 3. *num.* 38.

*Hortus.*

*Hortus*, ſiue paſſio in Horto.*lib.*8.per totum.

*Humanitas.*

*Humanitati* Chriſti reuerētia exhibēda. *lib.*1. *ſect.*4.*num.*24.*p.*36.

Noſtræ humanitatis ærumnæ.*lib.*10.*ſect.*7. *num.*6.*p.*428.

Contra corruptæ humanitatis pondus leuamen.*lib.*1.*ſect.*4.*num.*46.*p.* 39.

Humanitatis Chriſti fulgor. *n.* 89.*p.*45.46.

Humanæ vitæ breuitas.*num.*84.*p.*45.

*Humilitas.*

*Humilitatis* mirabiles effectus. *lib.*2.*ſect.*3. *num* 43.*p.*69.

Inclinatus.Deus, vt iacentes eleuaret ex innata humilitati eleuatione.*num.*49.*p* 70.

Humilitas nos ad Deum vel hic aſpiciendum ducit.*lib.*3.*ſect.*1 *num.*33.*p.*102.

Humilibus copulantur auguſta, in humilitatéque Diuininitas eluceſcit. *l.*3 *ſ.*3. *n.*18. *p.*115.

Eligit humilis quod ſibi vilius & aliis honoratius.*lib.*6.*ſect.*1.*num.*3.*p.*202.

Deū humilitas manifeſtat.*l* 6.*ſ.*2.*n.*4.*p.* 212.

Eſt cognata Regibus, & nobilibus. *lib.* 6. *ſect.*6.*num.*20.*p.*257.

*Hymnus.*

*Hymnus* Angelicus Natiuitatis die. Vide *Natiuitas* 5.

*Hypocriſis.*

Non quod magis rutilat magis fulgidum eſt.*lib.6.ſect.*3.*num.*4. *p.*222.

Hypocriſis gladium inter obſequia exacuit. *lib.*6.*ſect.*5.*num.*14. *p.*246.

I.

*Iacobus.*

IAcobus maior dignior, potiori præmio afficitur.*lib.*7.*ſect.*1.*num.*51.*p.*280.

Præditus intellectu cognouit laborum gloriam. *n.* 57.*p.* 281.

IESVS CHRISTVS.

Omnes voluminis tituli Chriſti halant magnalia. Breuitatis ſtudioſus ſolummodo & librorum & ſectionum nomina indicabo.

LIB. I.

*Verbum incarnatum.*

*Sect.* 1. Chriſti diuina natura.
*Sect.* 2. Verbi præconium.
*Sect.* 3. Chriſti aduentus.
*Sect.* 4. Incarnatio.

LIB. II.

*Chriſti natiuitas.*

*Sect.* 1. Orbis deſcriptio.
*Sect.* 2. Mariæ ac Ioſephi profeſſio.
*Sect.* 3. Virgineus partus.
*Sect.* 4. Angelus apud Paſtores.
*Sect.* 5. Hymnus Angelicus.

LIB. III.

*Paſtores Bethleemitici.*

*Sect.* 1. Paſtorum deliberatio.
*Sect.* 2. Eorum aduentus.
*Sect.* 3. Reditus ad ouile.

LIB. IV.

*Ieſu Circunciſio.*

*Sect.* 1. Temporis Circunciſionis conſummatio.
*Sect.* 2. Certitudo & ambiguitas Circunciſionis.
*Sect.* 3. Circunciſionis cauſæ.
*Sect.* 4. Ætas puerilis circunciſi Ieſu.

LIB. V.

*Nomen Ieſu.*

*Sect.* 1. Nominis impoſitio.
*Sect.* 2. Nominis Ieſu magnalia.

LIB. VI.

*Epiphania Domini.*

*Sect.* 1. Magorum profectio.
*Sect.* 2. Magorum quærentium Ieſum conſtantia.
*Sect.* 3. Stella.
*Sect.* 4. Herodis ac Ieroſolymæ turbatio.
*Sect.* 5. Magorum in Bethleemū immiſſio.
*Sect.* 6. Adoratio & Oblatio Magorum.
*Sect.* 7. Reditus eorundem.

LIB. VII.

*Transfiguratio Chriſti.*

*Sect.* 1. Diſcipulorum aſſumptio.
*Sect.* 2. Transfigurationis myſteria.
*Sect.* 3. Transfigurati habitus.
*Sect.* 4. Moſis & Heliæ oſtenſio.
*Sect.* 5. Tria tabernacula.
*Sect.* 6. Patris teſtimonium.

LIB. VIII.

*Paſſio Ieſu in Horto.*

*Sect.* 1. Iudæ proditio.
*Sect.* 2. Chriſti oratio.
*Sect.* 3. Sudor.
*Sect.* 4. Iudæ oſculum.
*Sect.* 5. Petri gladius.
*Sect.* 6. Comprehenſio.

LIB. IX.

*Paſſio Ieſu ex Caypha.*

*Sect.* 1. Iudæorum calumniæ.
*Sect.* 2. Silentium Ieſu.
*Sect.* 3. Alapa.
*Sect.* 4. Faciei obuelatio.
*Sect.* 5. Negatio Petri.

LIB.

LIB. X.

*Paſſio Ieſu apud Pilatum.*

*Sect.* 1. Pœnirentia Iudæ.
*Sect.* 2. Herodis illuſio.
*Sect.* 3. Barrabbæ dimiſſio.
*Sect.* 4. Pilati ablotio.
*Sect.* 5. Flagella Ieſu.
*Sect.* 6. Spinæ.
*Sect.* 7. Ecce homo.

LIB. XI.

*Paſſio Crucis.*

*Sect.* 1. Crucis baiulatio.
*Sect.* 2. Cyrenæi coactio.
*Sect.* 3. Suffixio Ieſu.
*Sect.* 4. Titulus Crucis.
*Sect.* 5. Nuditas Chriſti.
*Sect.* 6. Impius Latro.
*Sect.* 7. Bonus Latro.
*Sect.* 8. Sitis Ieſu.
*Sect.* 9. Mors.

LIB. XII.

*Chriſti funera.*

*Sect.* 1. Creaturarum motio.
*Sect.* 2. Lancea.
*Sect.* 3. Sepultura.
*Sect.* 4. Deiparæ martyrium,& luctus.
Vide *totum Panegyr. moral. ſyllabum.*

*IESV NOMEN.*

IESV NOMEN. Lib. 5. per totum Paraphr. ſub initio.

*Ieſu Nomen.* 1.

*Nominis Ieſu impoſitio.*

Cur Hæbreis circuncisionis die nomina imponerentur? *lib.5.ſect.1. num.1.p.* 171.

Si inchoanti Dei obſequium nomen imponitur, iuſtè priuatur nomine, qui à diuino obſequio recedit. *num. 6.p.*171.

Nomina eorum, qui ſpirituali circunciſioni traditi caſtitatem colunt, in cœlis ſcribuntur. *num.*14.*p.* 172.

Num Ieſu nomen puero impoſitum fuerit ex euentu? *num.*19.*p.* 173.

Etymon & ſignificatio nominis Ieſu. *num.* 21 *p.*173.

An nomen Ieſu ſit tetragrámaton Iehouah? *num.*16.*p.*173.

Vtrum ſit nouum? *num.* 30. *p.*174.

Nomen Ieſu vocatum ab Angelo. *num.*32. *p.*174.

Ieſus Circunciſionis die nomen nouum acquirit. *num.*36.*p.*175.

Dum in homine ſpiritualiter circunciſo minuitur carnalis voluptas, increſcit poſteritas. *num.*45.*p.*176.

Saluus Dux appoſitè pro aliorum ſalute decertat. *num.*51.*p.*177.

*Quia non prius Infans appellatur Saluator, quam vulnus ſuſtineat. num.* 52.*pag.*177.

*Hinc probo Ieſuitas propria ſaluti vacare, vt proximorum ſaluationi incumbant. num.*59.*p.*178.

Quare hodie Ieſus ſub peccatoris habitu appareat? *Certè ſub peccatoris habitu potentiam* ... *Ant. de Eſcob.& Mendoz.* de Sanctis Tom.I. *diſſimulans mundum ſaluat. num.*67.*p.*179.

*Hinc memoro Ieſuitas apud hæreticos & gentiles ſeculari indumento vti, vt hæreſes, & idololatriam extinguant. num.*73.*p.*180.

Ieſu nomen minimè inane *num.*78.*p.*181.

*Ipſum namque nomen, perſona inſtar, merito Ieſus appellatur. n.*79. *p.*181.

*Mox recenſeo Societatis noſtræ ex nomine Ieſu perſona vices gerenti magnalia. num.*84.*p.*182.

Perfectiſſimè Ieſus nominis implet ſignificationem. *n.*89. *p.*183.

*Ieſus námque à ſalute hominibus impertienda. num.*90 *p.*183.

*Inde Ieſuita ab effectibus mundo ſalutaribus. num.*99.*p.*184.

Quare nomen Ieſu fuerit cum vulnere copulatum? *n.*103.*p.*185.

*Certè quia non eam ex nomine quam ex operibus amat agnoſci. n.*104.*p.*185.

*Vndè Ieſuita magis operibus, quam nomine nituntur. n.*109. *p.*186.

Nomen Ieſu inuocaturis puritas neceſſaria. *num.*115.*p.*187.

*Quia ab Angelis proferendum. n.*116.*p.*187.

*Conſequenter Ieſuita Angelica puritate nitere debent, vt nomen Ieſu ore proferant. n.* 120.*p.*187.

*Ieſu Nomen* 2.

*Nominis Ieſu magnalia.*

Nomen Ieſu oleum effuſum. *lib.5.ſect.* 2. *num.*1. *p.* 188.

*Eſt enim ex ſui inſumptione relucens. n.*2.*p.*188.

*Paſcens & induens fideles. n.*8.*p.*189.

*Inungens & ſanans ægrotantes. n.* 14.*p.*190.

Ineffabilis Ieſu nominis dulcedo. *num.*19. *p.*191.

*Eſt enim mel ſuauiſſimum, diffluens miſericordia. num.*20.*p.*191.

*Melos in aure, omnem è corde ablegans triſtitiam. n.* 24. *p.*191.192.

*Cordiſque iubilatio. num.*29.*p.*192.

Nomen Ieſu cognomina Chriſti complectens. *num.*32.*p.*193.

*Eſt quippe admirabilis. num.*33.*p.*193.

*Conſiliarius. num.*38.*p.*194.

*Fortis. num.*43.*p.*194.

*Pater futuri ſæculi. num* 47.*p.* 195.

*Princeps pacis. num.*51.*p.*195.

Nomen Ieſu ſuper omne nomen Cœleſtibus, Terricolis, ac Infernis venerabile. *num.*56. *p.*196.

*Super omne nomen eſſe oſtendo. num.*57.*p* 196.

*A Cœleſtibus venerari. num.*64.*p.*197.

*Adorari à Terricolis. num.*68.*p.*198.

*Audito hoc nomine Inferna prouolui illuſtro. num.*72.*p.*198.

Chriſtum vocari Ieſum idem eſt, ac vulnerari. *lib.*4 *ſect.*2.*num.* 26.*p.*136.

Vide *Panegyr. Moral. Syllabum. Fructu* 5. *Paneg.*1.

*Ieroſolyma.*

*Ieroſolyma* turbatio ſub Magorum aduentu. Vide *Epiphania* 4.

*Ignis.*

*Ignis* tartareus luxuriei flammas comminuit. *lib.6.ſect.4.num.*73.*p.*244.

*Immiſſio.*

Immiſſio Magorum in Bethleem ab Herode. Vide *Epiphania* 5.

*Impius.*

*Impius* hîc claritate donatur, quæ verè tenebræ. *lib.7. ſect.3. num.42. p.* 297. Vide *Peccator.*

*Incarnatio.*

*Incarnationis* cauſæ recenſentur & confirmantur. Vide *Verbum* 4.

*Infamia.*

*Infamia* per pœnitentiam aboletur. *lib.7. num.30 p.*277.

Infamia vnius ſocij bonos non afficit ignominia. *lib.8. ſect.1. num.4. p.*325.

*Infernus.*

*Infernus* duplex peccatorum. *lib. 11. ſect.6. num.12. p.*456.

*Ingratus.*

*Ingratus* horribili ſupplicio afficitur. *lib.1. ſect.3. num.*19. *p.*22.

*Inimicus.*

*Inimicus* ſeſe vulnerat iniuriam irrogando. *lib.9. ſect.3. num.37. p.* 378. Vide *Amor inimicorum.*

*Iniuria.*

*Iniuriam* patienter ſuſtinere perfectiſſimum eſt. *lib.9. ſect.3. num.24. p.*376.

Homines acceptis iniuriis quaſi ſeneſcunt. *lib.9. ſect.4. num.*12. *p.*380.

*Inobedientia.*

*Inobedientia* bellorum origo eſt. *lib. 2. ſect.1. num.44. p.*56.

*Innocentia.*

*Innocentia* falſis teſtimoniis non obſcuratur. *lib.9 ſect.1. num.12. p.366.*

In eius protectionem opera clamant. *num.* 13 *p.*366.

Ex ſilentio aperitur. *num.25. p.*360.367.

Innocentem hîc premi, ſignum eſt ſalutis. *lib.10. ſect.3. num.*23. *p.*408.

*Inſpiratio.*

*Inſpiratio* vices gerit epiſtolæ ſcriptæ à Deo, vt diſcedentes reuocet peccatores. *lib. 6. ſect.1. num.62. p.*210.

*Integritas.*

*Integritas* Confeſſionis confirmatur. *lib.*10. *ſect.1. num.*55 *p.*400.

*Intenſio.*

*Intenſio* inchoationis operis quaſi totum conſummat. *lib.4. ſect.4. num.34. p.* 161.

*Interceſſor.*

*Interceſſor* cœleſtis potentiſſimus moribundo neceſſarius. *lib.11. ſect.9. num.*20. *p.*470.

*Inuidia.*

*Inuidia* non parcit. *lib.10. ſect.5. num.7. p.*413. 414.

Difficilè noſtris malis exſatiatur. *num* 23. *p.*416.

*Ioannes Baptiſta.*

*Ioannes* à Deo immiſſus. *lib. 1. ſect.2. num.* 1. *p.*15.

Pluribus vtitur Euangeliſta, vt Ioannes homo purus non habeatur. *num. 6. p.*15.

Quam aptus, vt teſtimonium de lumine proferret. *num.*21. *p p.*17.

Miniſtrum hunc Euangelicum à Deo aſſumi, ac immitti illuſtratur. *num.26. p.*17.

Quod in contemplatione loquitur, hoc contemplationem colligat. *num.*33. *p.*18. 19.

Fide dignum vnius Ioannis illuſtriſſimi teſtimonium. *num.* 39. *p.*19.20.

*Ioannes Euangeliſta.*

*Ioannes* dignior, potiori à Domino præmio donatur. *lib.7. ſect.1 num.51. p.*280.

Ob virtutis præſtantiam tribulationes loco præmij accipit. *num.57. p.*281.

Perfectiori Ioanni auguſtiora myſteria reuelantur. *lib.7. ſect.2. num.*18. *p.*283.

*Ioſephus Maria Sponſus.*

*Ioſeph* obediens edicto Cæſareo aſcendit in Bethleem. *lib.2. ſect.2. num.*16. *p.*60.

Quia ex domo regia Dauid, promptius edicto obediuit Auguſti. *num.23. p.*61.

Prudens Mariæ ac Ioſepho ſimul libat obſequium, qui Ieſu inueniendo dat operam; dilecti enim ſponſi apud Deiparam, patris apud Ieſum interceſſio potentiſſima. *lib. 3. ſect. 2. num* 44. *p.*108.

*Ira.*

*Ira* Reges efficit ſeruos. *lib.8. ſect. 6. num. 6. p.*360.

Locus dandus irato. *lib.9. ſect.2. num.2. p.* 368.

*Irriſor.*

*Irriſor* aliorum ſtultus. *lib.10. ſect.2. num.* 18. *p.*405.

*Iudas.*

Ob *Iudæ* conſortium Apoſtolorum plures ad Transfigurationis gloriam non admoueantur. *lib.7. ſect.1. num.44. p.* 279.

Iudæ

Iudæ proditio. *lib.* 8.*ſect.*1.*&c.p.*324..

Num particula *Tunc* pertineat ad Magdalenæ vocationem, an ad Concilium? *num.*4.*p.* 325.

Excidit Iudas vous è doodecim. *num.*4.*p.* 325.

Iudæ diſceſſio. *num.*10.*p.*325.

De Argenteis.*num.*13.*p.*325.

Contra prodiroris auaritiam ſtultam. *num.* 16.*p.*326.

Tunc diſceſſit Apoſtolus Iudas, quando peccatrix acceſſit Magdalena.*num.*14.*p.*327.

Iudas Diabolus.*num.*29.*p.*328.

*Mendax vtique. num.*30. *p.*328.

Et qui non valet implere quod promittit. *num.*35.*p.*329.

Veteri in Teſtamento viginti argenteis, in Euangelio autem Ieſus triginta venditur.*num.* 40.*p.*319.

Triginta argenteis venditur Ieſus, vt eius pretioſus oſtendatur inceſſus. *num.* 45. *pag.* 330.

Vide *Panegyric.moral.ſyllabum, Fructu* 8. *Panegyr.* 1.

Iudæ oſculum.*lib.*8.*ſect.*4.*&c.p.*348.

Quaro Iudas ſigno fuerit vſus ad Chriſti tradirionem? *n.* 1.*p.*348.

Quare oſculi potius vſus eſt ſigno? *num.*4. *p.*348.

Stultè Iudas conatur diſſimulare proditionem.*num.*8.*p.*349.

Statim reprobus Iudas irruit in oſculom, illieo damnandus.*num.*15.*p.*350.

Pacis inſtrumento tam hominibus ſalutari abuſus Iudas, illicò damnatur. *num.*21.*p.*350. 351.

Num ſalutare Iudæ oſculum ſi addidiſſet amplexum, id eſt perſeuerantiam? *num.* 30. *p.*352.

Ieſus in actione externa eum oſculaote Ioda, non in affectu conueniebat. *num.*35.*p.* 352.353.

*Iudæ pœnitentia.lib.*10.*ſect.*1. *&c. p.*393.

Proditoris pœnitentis coofeſſio, & reſtitotio.*num.*1.*p.*393.

Iudæ iniuſtè acquiſita pecunia nec profeſſori deſeruit, nec à Deo accipitur. *num.*6.*p.* 393.

Iudæ ſuſpendium.*num.*9.*p.*394.

Accuratior peeuniæ cuſtos Iudas quàm ſui. *num.*13.*p.*394.395.

Sacrilegus Iudas à ſoa conſcientia ſententia propria, condemnatur.*num.*19.*p.*395.

Iudas auaritiæ fune ſuffocatus. *num.*23.*p.* 396.

Congruit pœna Iudæ flagitio. *num.* 28.*p.* 396.

Inanis Iudæ pœoitentia illuſtratur. *num.*35. *p.*397.

*Nec enim expectauit ille, donec Ieſus ſuffigeretur, num.* 36.*p.* 497.

*Sero pœnituit.num.*41.*p.* 398.

*Inepti extitêre miniſtri. num.*44.*p.*398.

Fuit ſine præparatione confeſſio. *num.* 47. *p.* 399.

Et noo integra. *num.*55.*p.*400.

*Iudæi.*

*Iudæi* immaniſſimi Dominici ſanguinis profuſores.*lib.*10.*ſect.*5.*num.*23.*p.*416.

Iudæorum à gentibus diuiſio figurata. *lib.* 12.*ſect.*1.*num.*11.*p.*474.

Iudæorum calumniæ in Ieſum.

Vide *Calumnia.*

*Iudicium finale.*

*Iudicium* finale formidabile ad ſalutem. *lib.* 6.*ſect.*2.*num.*30.*p.*217.

Prædicatio ſeu quoduis beneficium excitat iodicij formidinem. *lib.*6.*ſect.*4. *num.*21.*p.*237.

Eleemoſynâ hoc horribile mollitur iudicium.*num.*34.*p.*239.

Apud nouiſſimi iudicij tribunal reſpondet Ieſus, in præſenti obticens. *lib.*9.*num.*2.*n.*34.*p.* 372.

Hoc iudicium à iudicibus expectandum.*lib.* 10.*ſect.*5.*n.*19.*p.*415.416.

Tunc Ieſus magis apod illud tribunal iratus iudex oſtentandus innoitur, eum hic amplius beoigous apparet.*lib.*11.*ſect.*3.*n.*23.*p.*444.

*Iudicium temerarium.*

*Iudicium temerarium* fugiendum, cum ſenſus & potentiæ animi nobiliores circa obiecta proximi crimina ſeducuntur. *lib.*4.*ſect.*2. *n.*41. *p.*139.

Ex pio affectu iodicij benignitas, ex impio crudelitas exoritur. *lib.*11. *ſect.*1.*n.*11.*p.*434.

*Iudex.*

*Iudex* rectus in ſpiritum transformandus. *lib.*7.*ſect.*2.*n.*31.*p.* 285.

Spiritus factus ab homine oon recedat, ſed homo ſpiritus perſeueret.*num.*34.*p.*286.

Solis in morem omnibus ſalutaris exiſtat. *n.*40.*p.*287.

Iudex effectus haud ab humanitate recedat *n.* 43.*p.*287.

Iudex actor & teſtis ipſe effectus populo eſt exitialis.*lib.*9.*ſect.*2.*n.*6.*p.*365.

Iodex improbus falſa teſtimonia aduerſum ionocentem quærit.*num.*17.*p.*367.

Non Iudex, qui procurator accuſatorom aſſeritur, debet enim rectitudine pollens huc illuc non deflectere. *lib.*10.*ſect.*4.*n.*5.*p.*410.

Iudex cedens timori contaminatur. *lib.*10. *ſect.*5.*n.*13.*p.*414.

Dei iudicium ſpectare debet, vt rectè proferat ſententiam .*n.*19.*p.*415.416.

Indecent ipſi reos propriis manibus vulnerare.*n.*3.*p.*413.

Digerat prius ſententiam ne cogatur mutare.*lib.*11.*ſect.*4.*n.*9.*p.*448.

Eum dedecet auaritia. *lib.*12.*ſect.*3.*n.*29.

*Iuramentum.*

Puritas ad inuocationem diuini nominis vel laudandi neceſſaria, contra impudicitiam illorum, qui paſſim nomen Dei blaſphemandum vſurpant.*lib.*5.*ſect.*1.*n.*116.*p.*187.

*Iuſtus.*

Iuſto omnia cedunt in bonum. *lib.*1.*ſect.*5. *num.* 59.*p.*12.

Iuſtus adſumendus in teſtem, non improbus.*lib.*1.*ſect.*2.*num.*39.*p.*19.20.
Iuſtè viuimus ex humanitatis Ieſu ope.*lib.*1.*ſect.*4.*num.*54.*p.*40.
Semper iuſtè fulgor manifeſtatur.*num.*89.*p.*45.46.
Plerumque verax.*num.*97.*p.*47.
Curet famam malam propulſare.*lib.*4.*ſect.*1.*num.*49.*p.*127.
Plus quam debet, efficiat, quia id Deo plus quam debet facienti debetur.*num.*72.*p.*131.
Tribulatur iuſtus ob Ieſum. *lib.*4.*ſect.*2.*num.*26.*p.*136.
Eligit quod ſibi vilius, & vtilius proximo. *lib.*6.*ſect.*1.*num.*3.*p.*202.
Non poteſt duobus dominis inſeruire.*num.*48.*p.*208.
Loco præmij laboribus honneſtatur. *lib* 7.*ſect.*1.*num.*57.*p.*281.
Hic non ſplendet, ſed quæ videntur tenebræ lux eſt.*lib.*7 *ſect.*3.*num.*42.*p.*297.
Eius greſſus pretioſi. *lib.*8 *ſect.*1.*n.*45.*p.*330.
Bonum reddat pro malo. *lib.*9 *ſect.*4. *num.*9.*p.*380.
Moriturus eleuat vocem. *lib.*11.*ſect.*9. *num.*11.*p.*469.
Regnum conſtituit. *lib* 11.*ſect.*4.*num.*13.*p.*449.
Neceſſario crucifer, licet innocentia polleat, *lib.*11.*ſect.*8.*num.*32.*p.*467.

*Iuuentus.*

*Iuuentutis* rectè inſtituendæ norma. *lib.*4.*ſect.*4.*num.*37.*p.*161.
Vide *Circumciſio* 4.

L

*Labores.*

*Labores* hominibus præditis intellectu loco præmij ſunt. *lib.*7.*ſect.*1.*num.*57.*p.*281.
Spe præmij cœleſtis imminuuntur. *lib.* 7.*ſect.*2.*num.*28.*p.*284.
Labores iuſtorum dulcedine diffluunt, vnde non ſunt labores vocitandi, ſed gloria. *lib.*7.*ſect.*6.*num.*19 *p.*311.
Eorum præſidium oratio.*lib.*8.*ſect.* 2. *num.*84 *p.*340.
Lætitia pro Deo patiendi illuſtratur. *lib.*8.*ſect.*3.*n.*24.*p.*345.
Te hîc laboribus fatigari ſignum ſalutis eſt. eſt.*lib.*10.*ſect.*3.*n.*23.*p.*408.
Labores peccatorum innumeri. *lib.*10.*ſect.*5.*num.*44.*p.*419.
Regnum Ieſu laborioſum ſubditis ſalutare. *lib.*10.*ſect.*6.*num.*35.*p.*425.426.
Laborum tolerantia viros efficit.*lib.*10.*ſect.*7.*n.*10.*p.*428.
Labores voluntarij nos ad Diuinitatis faſtigium quodammodo attollunt. *lib.*11.*ſect.*1.*n.*25.*p.*436.
Patienter eos tolerabis, ſi te tibi fructificare conſideres.*num.*30.*p.*437.
Labores neceſſariò ſubeundi feliciter quidem à bonis, miſerè à malis.*lib.*11.*ſect.*7.*num.*32.*p.*462.
Oculis obiecti labores nimiùm ſauciant.*lib.*12.*ſect.*4.*num.*32.
A laboribus impios liberari, ſignum damnationis.*lib.*10.*ſect.*3.*num.*18.*p.*408.
Labores ex obedientia minuũtur.*lib.*11.*ſect.*2.*num.*9.*p.*439.
Nullus liber à cruciatu laborum.*lib.*11.*ſect.*8.*num.*32.*p.*467.

*Lacryma*

*Lacrymæ* hominum in Paſſione Ieſu ita ad Ieſum patientem dirigantur, vt peccata curent abluere. *lib.*8. Panegyr. procœmiali. *num.*15.*p.*319.
Lacrymæ cum fortitudine agglutinantur, nec enim ſemper ex infirmitate effluunt. *lib.*12.*ſect.*4.*num.*4.

*Lætitia.*

*Lætitia* vera ex cœleſtibus veris bonis emanat.*lib*6.*ſect.*5.*num.*53.*p.*252.
Lætitia affici ex rerum ſpiritualium contemplatione prædeſtinationis ſignum. *l.*2.*ſect.*4.*num.*36.*p.*78.

*Lancea.*

*Lanceâ* perforatus Ieſus. *lib.*12.*ſect.*2.*&c.* *p.*477.
Dominici lateris reſeratio .*num.*1.*p.*477.
Sanguinis & aquæ profluxio.*n.*10.*p.*478.
Profluentis ſanguinis & aquæ myſterium. *num.*15.*p.*478.
Milites infideles mortuum Ieſum vulnerare non audent.*num.*23.*p.*479.
Non permittit Ieſus ſua oſſa vulnerari, ne filij percuterentur.*num.*28 *p.*479.480.
Lanceæ encomium. *n.*33.*p.*480.
Vide *Panegyr.Moral.Syllabum. Panegyr.*2.

*Latro malus.*

Impius latro.*lib.*11.*ſect.*6.*p.*454.
Num ambo latrones in blaſphemias effuſi? *num.*1.*p.*454.
Nec arti furandi confidas poſt malum latronem, qui vſque ad mortis angustias profers pœnitentiam.*num.*5.*p.*455.
Miſerrimus latro, qui è cruce deturbatur in tartarum.*num.*12.*p.*456.
Vno latrone improbo pereunte, Deo quaſi omnes Adæ filij periêre.*num.*19.*p.*456.
Malus latro famam boni videtur deturpare. *num.*28.*p.*457.
Vide *Panegyricor. Moral. Syllabum. Fructu* 11.*Paneg.*6.

*Latro bonus.*

Latro pius.*lib.*11.*ſect.*7.*p.*458.
Latronis conuerſio.*num.*1 *p.*458.
Dominica ad latronem reſponſio. *num.*7.*p.*459.
Arte furandi bonus latro Regnum cœlorum acquiſiuit.*n.*10.*p.*460.
Latro Ieſum Regem eſſe cognouit, quia eum pro inimicis exorantem audiuit. *num.*16.*p.*461.



Digitized by Google

Tenens dexteram confitetur, dum alter apud ſiniſtram periit obduratus. *num. 26. p. 461.*

Latro infimi gradus à Deo adſumitur, vt Latro ſupremi ordinis magis taxetur, ac diſcerpatur. *num. 19. p. 462.*

Innocens, pœnitens, & impœnitens neceſſariò cruciferi. *num. 32. p. 462.*

Vide *Panegyr. moral. ſyllabum Fructu 11. Paneg. 7.*

*Lectio.*

*Lectio* ſpiritualis orationi præmittenda illuſtratur. *lib. 3. ſect. 2. num. 62. p. 111.*

*Lex.*

Nullum à communis legis obſeruatione eximi, pacis eſt argumentum. *lib. 2. ſect. 1. n. 44. p. 56.*

Cum lex nimium à Præſule obſeruatur, à ſubdito iuſtè cuſtoditur. *lib. 4. ſect. 1. num. 66. p. 130.*

Si legem non obſeruas, an non inutiliter tibi præſcripta? *lib. 4. ſect. 3. num. 77. p. 152.*

Difficile legis iugum vir portat, quod non ſuſtinuit à pueritia. *lib. 4. ſect. 4. num. 21. p. 159.*

Ad legis obſeruationem præmium excitat. *lib. 7. ſect. 2. num. 23. p. 284.*

Lex paterna facilè, ſed fortiter illigat. *lib. 10. ſect. 5. num. 29. p. 417.*

*Lingua.*

*Lingua* infrænanda, ad caſtimoniæ puritatem cuſtodiendam. *lib. 4. ſect. 3. num. 19. p. 143.*

Ex locutione Moſes & Elias magnæ eſſe authoritatis dignoſcuntur. *lib. 7. ſect. 4. num. 42. p. 303.*

Opera qualiber lingua diſertius loquuntur. *lib. 3. ſect. 1. num. 29. p. 101.*

*Locus.*

*Locus* ſuſpectus exhibet delicto occaſionem. *lib. 9. ſect. 5. num. 33. p. 387.*

Latro bonus quonammodo ex loci dexteritate conuerſus ſocio apud ſiniſtrum locum pereunte? *lib. 11. ſect. 7. num. 26. p. 462.*

*Lux.*

*Lux* ſpiritualis animorum vita eſt. *lib. 1. ſect. 1. num. 68. p. 13.*

Lux inſtitiæ ſeſe illico manifeſtat. *lib. 1. ſect. 4. n. 89. p. 45. 46.*

Lucis ſpiritualis ſeu magiſterij neceſſitas ad virtutis viam. *lib. 1. ſect. 1. num 68. p. 13.*

*Luxuries.*

*Luxuriei* cæcitas Verbi carne ablegatur. *lib. 1. ſect. 4. num. 29. p. 37.*

Luxuries plerúmque laxata lingua effrænatur. *lib. 4. ſect. 3. num. 19. p. 143.*

Medicanda priuſquam eius motus erumpant. *lib. 4. ſect. 4. num. 62. p. 165.*

Luxuriæ tyrannis ad Dei ingreſſum propulſatur. *lib. 6. ſect. 1. num. 53. p. 209.*

Ad cœleſtia intuenda neceſſariò cæcutit. *lib. 6. ſect. 3. num. 26. pag. 225.*

Ignis tartarei meditatione extinguitur. *n. 73. pag. 232.*

M.

*Magiſter.*

*Magiſtri* cœleſtis, ſeu ſpiritualis magiſterij neceſſitas ad viam ſpiritus percurrendam. *lib. 1. ſect. 1. num. 68. p. 13.*

Magiſter ſe ſe debet diſcipulo aſſimilare, & vt eius defectus corrigat, ſe lapſui obnoxium profiteri. *lib. 4. ſect. 3. num. 66. p. 150.*

Magiſter puerorum viriliter, imò neceſſariò inſtituendus. *lib. 4 ſect. 4. num. 7. p. 157.*

Spiritualis magiſter ex mundiali ſermone ſalutaria ipſi ſeculari loquenti eliciat documenta. *lib. 6. ſect. 3. num. 36. p. 227.*

*Magiſtratus.*

*Magiſtratus* prudens præcedentis gubernationem non taxet. *lib. 4. ſect. 3. num. 89. p. 154.*

Eius proprietates recenſentur, & confirmantur. *lib. 7. ſect. 2. num. 30. p. 285.*

Illius initia ſupprimenda, vnde propria in patria ad gubernationem non debet aſſumi. *lib. 7. ſect. 4. num. 31. p. 302.*

*Magus.*

Magi Ieſu adoratores. *lib. 6.* per totum.
Eorum profectio. *ſect. 1. p. 202.*
Conſtantia. *ſect. 2. p. 212.*
Stella. *ſect. 3. p. 221.*
Immiſſio in Bethleem. *ſect. 5. p. 245.*
Oblatio. *ſect. 6.*
Reditus. *ſect. 7. p. 263.*
Vide *Epiphania.*

*Malitia.*

*Malitiæ* hominis incrementa id audentis, quod Dei quodammodo effugit cognitionem. *lib. 10. ſect. 5. num. 34. p. 418.*

*MARIA DEIPARA.*

*Maria* edicto coacta ſe tradidit in viam clanſulam fœminas edocens. *lib. 2. ſect. 2. num. 29. p. 62.*

Peperit nobis Ieſum Primogenitum, vt per ipſam matrem noſtram noſter frater exurgeret. *lib. 2. ſect. 3. num. 30. p. 67.*

Filium ſuum parit, qui è tanta exortus Virgine ſe ſe Dei Filium manifeſtat. *num. 38. p. 68.*

Sapientiſſima Maria à paſtoribus diſcit profundiſſimæ humilitatis exhibens documenta. *lib. 3. ſect. 2. num. 17. p. 104. 105.*

Taciturnitatis exhibens exemplum, verba conſeruabat, & in corde conferebat. *num. 51. p. 109.*

Mirabili ſilentio oris clauſtra cuſtodiens virginalis pudicitiæ clauſulam commendat. *num. 56. p. 110.*

Præmiſſâ Prophetarum lectione ſedulæ meditationi ſecreta cuſtodienda committit. *num. 62. p. 111.*

Mariæ

Mariæ potentiſſima interceſſio ad Ieſum inueniendum, præcipuè ſi Ioſephus ſponſus apud ipſam mediator exſurgat. *lib.3.ſect.2. num.44. p.* 108.

Quam tutè ſub eius ſodalitio pueri educentur. *lib.4.ſect.4.num.* 53.*p.*164.

Eius puritas in lumbis parentum præparata. *num.*7.*p.* 157.

Maria fuit myſticè Magorum ſtella, vbi eius erga nos munificentia illuſtratur. *lib. 6. ſect.*3. *num.* 54.*p.*229. 230.

Magis ſolus puer cum Maria oſtenditur abſente Ioſepho, vt ſuſpicionis de communi natalitio occaſionem tolleret. *lib.6.ſect. 6.num.6. p.*254.255.

Mariæ interceſſio fideli moribundo neceſſaria. *lib.*11.*ſect.*9.*num.*20 *p.*470.

Mariæ martyrium, & luctus. *lib.* 12.*ſect.* 4. *&c.*

Iuxtà Crucem Maria commoratur. *num.*1.

Eius iuxta Crucem conſtantia. Martyrium Deiparæ ex dilectione in Ieſum. *num.*9.

Ex identitate cum Ieſu. *num.* 16.

Præſtantiſſimum hoc martyrium quia ipſa erat anima Ieſu. *num.* 22.

*Vndè quodammodo accidentarij omnium Martyrum cruciatus, ſicum vulnere Deiparæ componantur. num.*23.

*Ipſa enim quaſi anima Ieſu tota in toto, & tota in qualibet Dominici corporis parte paſſa eſt. num.*27.

Martyrium Deiparæ, quia non audiuit, ſed vidit horribilem Filij necem. *num.* 32.

Luctus Mariæ relictæ in valle lacrymarum poſt Ieſum. *num.*38.

Luctus Deiparæ Filio innocentiſſimo, pulcherrimo, & ſapientiſſimo orbatæ. *num.*44.

Luctus Deiparæ aſpectu ſuo Filium vulnerantis. *num.*48.

Luctus Deiparæ loco Ieſu matris effectæ fidelium, & peccatorum. *num.*53.

*Maria Magdalena.*

*Magdalena* acceſſit tunc ad Chriſtum, cum Iudas diſceſſit, quaſi Apoſtolatus locum occupatura. *lib.8.ſect.*1. *num.*24 *p.*327.

*Martyrium.*

*Martyrium* virginitatis Euangelicæ illuſtratur. *lib.*10.*ſect.*2.*num.*22.*p.*404.

Martyrium dilectionis. *lib.*12.*ſect.*4. *num.* 9.

Identitatis cum dilecto. *num.*16.*&* 22.

Et viſi dilecti patientis. *num.* 32.

Martyrum accidentarij quodammodo cruciatus Virginei doloris reſpectu. *num.*23.

*Matrimonium.*

Puritas coniugalis parens eſt fœcunditatis. *lib.*5.*ſect.* 1.*num.*45.*p.*576.

*Maturitas.*

*Maturitas* pœnitentiæ commendatur. *lib.*4. *ſect.*1.*num.*60.*p.*129.

*Meditatio.*

Lectio ante meditationem præmittenda illuſtratur. *lib.* 3. *ſect.*3. *num.* 62.*p.* 152.

*Mendacium.*

*Mendacij* patria aula eſt. *lib.* 3. *ſect.* 3. *num.* 38. *p.* 118.

Peccator mendax. *lib.* 1.*ſect.*4 *num.*97.*p.*47.

Mendacium à mendaci Diabolo duxit exortum. *lib.8.ſect.* 1. *num.* 29.*p.* 328.

*Militia.*

*Milites* Chriſtiani Deum ſæpe non reuerentur. *lib.*15.*ſect.*2 *num.* 23. *p.*479.

Cœleſtes milites Angeli. *l.*2.*ſect.*5.*n.*1.*p.*86.

Quàm fortis! *num.* 21.*p.*89.

*Miniſterium.*

*Miniſteria* maiorum qui imitantur, à Domino ſpeciali alliciuntur affectu. *lib.* 2.*ſect.* 4. *num.* 67. *p.*83.

Miniſterium quod non didiciſti, non exerceas. *lib.8.ſect.*5. *num.*37.*p* 358.

*Miraculum.*

*Miracula* Dominicæ natiuitati præcedentia. *lib.*2.*ſect.*1.*num.*11.*p.*51.

Vtilia miracula è Ieſu. *lib.* 5.*ſect.*2. *num.* 34. *p.* 193.

*Miſericordia.*

*Miſericordia* Dei noſtra inter crimina eluceſcit. *lib.*1.*ſect.*1.*num.*75.*p.*14.

Nunquam non miſericors ſedet. *lib.* 7.*ſect.*1. *num.*8.*pag.*274.

*Miſſio.*

*Miſſio* Magorum in Bethleem. Vide *Epiphania* 5.

*Monumentum.*

*Monumenti* reſerati myſterium. *lib.*12.*ſect.*1. *n.*25.*p.*476.

*Moribundus.*

*Moribundus* difficilem peragit pœnitentiam. *lib.*11.*ſect.*6.*num.*5.*p* 455.

Ad potentem interceſſorem præcipuè ad Deiparam confugiat. *lib.*11.*ſect.* 9.*n.*20.*p.*470.

Eleuatiori voce Deum exoret. *n.* 57.*p.*470.

*Mors.*

*Mors* inſita carni noſtræ carne Ieſu interficitor. *lib.*1.*ſect.*4.*num.*34.*p.*37.

Mortis memoria ſpiritualis vita conſeruatur. *lib.*7.*ſect.*4.*num.*37.*p.*303.

Iuſtus moriturus eleuat vocem, peccator obmuteſcit. *lib.*11.*ſect.*9.*num.*11.*p.*469.

Mortis poſt Ieſum iacula infirma. *lib.* 12. *ſect.* 5. *num.*22.*p.*476.

Mors filij viſa nimium ſauciat parentem. *lib.*12.*ſect.*4.*num.*32.

Mors filij pulchri, ſapientis, ſeu innocentis deflenda. *n.* 44.

In mortuum non deſæuias. *lib.* 12. *ſect.* 2. *num.*23 *p.*479.

Mors Chriſti.*lib.*11.*ſect.* 9.*&c.p.*468.
Clamor morientis Ieſu. *num.* 1.*p.*468.
Capitis inclinatio,& ſpiritus receſſus.*num.*6.*p.*468.
Chriſtus exaltata voce expirat, nos exili. *num.*11.*p.*469.
Auxit Ieſus vocem migraturus. *num.* 17.*p.* 470.
Inclinato capite ex parte Matris accumbit. *num.*20.*p.*470.
Inclinat caput, vt peccatores alliciat. *n.* 25.*p.*471.
Vide *Paneg. moral.ſyllabum.*
*Fructu* 11. *Paneg.*9.

*Mortificatio.*

Quidquid mortificatio aufert, reſtituit reſurrectio. *lib.*4.*ſect.* 1.*num.* 27.*p.* 123.
Mortificatio linguæ ad virtutem neceſſaria. *lib.*4.*ſect.*3.*num.* 19.*p.*143.
Eius exercitamenta vitalia. *lib.* 12. *ſect.* 3. *num.* 34.
Eius omnibus in membris neceſſitas. *lib.* 4. *ſect.* 3.*num.* 25.*p.* 144.

*Moyſes.*

*Moſis* & Heliæ oſtenſio. Vide *Transfiguratio* 4.

*Mundus.*

*Mundi* cuncta bona nihil.*lib.*1.*ſect.*3.*n.*75.*p.* 19.
Veniens homo in hunc mundum, non ſiſtens in ipſo debet oſtentari, ſolummodo mũdo in altero moraturus.*num.* 86.*p.*30.31.
Mundialia ab eis contemnenda, qui vitæ ſpirituali hæreſcere curant.*lib.* 3.*ſect.*1.*num.* 15.*p.* 99.
Mundi inanitas adhuc illuſtratur. *lib.*5.*ſect.* 2.*num.* 57.*p.*196.
Muodus alienis periculis opem non affert. *lib.*7.*ſect.*6.*num* 35.*p.*314.
Guttula Dominici ſanguinis mũdo toti ſufficit, ſed totus ei præſtatur, imò vni homuncioni.*lib.*8.*ſect.*3.*num.*17.*p.*344.
Mundialis Regni pungentes curæ. *lib.* 10. *ſect.*6.*num.*18.*p.*423.
Eius vlteriùs confirmatur inanitas. *num.* 25. *p.* 424.
Mondi filij ſæpe Religioſum confundunt, plus ipſo perfectioni vacantes, cum conuertuntur. *lib.*11.*ſect.*7.*num.*29.*p.*462.

*Munus.*

*Munera* iudices emolliunt. *lib.* 6. *ſect.* 4. *num.* 34 *p.*239.
Præcedant tuas ad Deum preces. *lib.*6.*ſect.*6. *num.*29.*p.*258.
Munera à Principe miniſtro tribuenda iuxta recipientis capacitatem, ſeu meritum. *lib.*7. *ſect.*3.*num.*30.*p.*295.

*Murmuratio.*

Ad murmurationem ſæpe etiam diſcordes agglutinantur.*lib.*10.*ſect.*2.*num.*26.*p.*405.
Vide *Detractio.*
*Ant de Eſcob.& Mendoz.*de Sanctis Tom.I.

*Myſterium.*

*Myſteria* Transfigurationis. Vide *Transfiguratio* 2.
Perfectioribus auguſtiora myſteria reuelantur.*lib.*7.*ſect.*2.*num.*18.*p.*283.

N.

*Natiuitas.*

NATIVITAS IESV. lib. 2. per totum. Paraph. ſub initio.

*Natiuitas* 1.

*Orbis deſcriptio.*

Quanam mundi ætate Chriſtus fuerit exortus? *lib.* 2. *ſect.* 1. *num.* 1.*p.*50.
Quonam anni tempore? quonam die? *n.*6. *p.* 50.51.
De pace. *num.* 9.*p.*51.
De ſignis Chriſti Natiuitatis.*num.*11.*p.*51.
De edicto Cæſareo.*num.*21.*p.*52.
De Cyrino. *num.*27.*p.* 53.
De ſerie deſcriptionis.*num.*31.*p.*53.
Orbis deſcribitur, vt vnuſquiſque ciuis iuxta facultatem cenſum,ſeu tributum Cæſari exhibeat.*num.*34.*p.*54.
Paci tutandæ iuſtè Auguſtus tributa præſcribit.*num.*33.*p.*54.
Omoes deſcribi, ſiue nullom à communis legis obſeruatione eximi, pacis argumentum. *n.* 44. *p.* 56.
Mundum tunc Chriſtus inuiſit, cum homines pace colligabantur. *num.* 51.*p.*57.

*Natiuitas* 2.

*Mariæ ac Ioſephi profeſſio.*

Mariæ & Ioſephi in Bethleem aſcenſus. *lib.*2.*ſect.*2.*num.*1.*p.*58.
Cauſa profectionis. *num.*4.*p.*59.
Profeſſio. *num.*6.*p.*59.
De Deiparæ itinere.*num.* 11.*p.*59.
De Bethleemitica Vrbe.*num.*14.*p.*60.
Obediens edicto Ioſephus verè aſcendit in Bethleem.*num.*16.*p.*60.
Quia de domo Dauid promptius obediuit edicto.*num.*23.*p.*61.
Maria edicto coacta ſe tradidit in viam. *num.*29.*p.*62.
Ieſu in vtero iter agentis exemplum Matris peditis euntis leuia reddidit onera. *num.* 34. *pag.* 63.

*Natiuitas* 3.

*Virgineus partus.*

De Infantis exortu.*lib.*2.*ſect.*3.*num.*1.*p.*64.
Cur primogenitus appellatur? *num.*5.*p.*65.
De Faſciis.*num.* 7.*p.*65.
De Præſepio, & ſtabulo. *num.* 10.*p.*65.
Dominici exortus nonnullæ circunſtantiæ. *num.*19.*p.*66.
Voigenitus Patris Mariæ Primogenitus Chriſtus exoritor. *num.*30.*p.*67.
Filium ſuum parit Maria, qui ex Virgine exortus ſe Dei Filium eſſe manifeſtat.*n.* 38.*p.*68.

Mirifica Faſciarum. *num.* 43 *p.* 69.
Dei ioclinatio, vt iacentes eleuet homines. *num.* 49.*p.*70.
Stabulum ac Præſepium cœlo eleuatius. *num.*53.*p.*70.
Puer vitalis panis in præſepio apponitur, vt bruta conuertat in homines.*num.* 59.*p.* 71.
A pueritia ediſce cum Ieſu in via oato, effecto via, quidquid vir, aut ſenex præſtare velis. *num.*66.*p.*72.

*Natiuitas* 4.

*Apud Paſtores Angelus.*

Paſtorum vigiliæ.*lib.* 2.*ſect.*4. *num.*1.*p.*73.
Cur Paſtoribus Ieſu Natiuitas reuelatur? *num.*5 *p.*74.
Angeli apparitio.*num.*11.*p.*74.
Proloquium. *num.*17.*p.*75.
Præcipuè Paſtoribus natum Ieſum Angelus euulgat. *num.* 26.*p.*76.77.
Paſtoribos naſcitur. *num.* 27.*p.*77.
Agricolis exoritur.*num.*33.*p.*78.
Futurũ populo gaudium magnũ ex Ieſu natalitio indicitur in pignus ſaluationis.*n.* 36.*p.*78.
Faſciæ & præſepium balant Deitatem.*n.*42. *p.*79.
De communi præſepio Angelus ſigoum exhibet.*num.*48. *p.* 80.
Natalis Ieſu non Phariſæis, ſed paſtoribus merito reuelatur. *num* 54.*p.*81.
*Verſutis Phariſæis Ieſu non reuelatur natalitium. num.* 55.*p.*82.
*Sincerus paſtoribus annunciatur. num.* 61. *p.* 83.
*Paſtoribus qui veterum Patriarcharum viuendi morem apprehenderant Ieſu natiuitas indicitur. num* 67.*p.*83.
*Paſtoris Ieſu natiuitas congruè reſeratur paſtoribus.num.*73.*p.* 84.
Paſtoribus animarum primò diuina teſſerantur myſteria. *num.*79.*p.* 85.

*Natiuitas* 5.

*Hymnus Angelicus.*

De cœleſti militia.*lib.*2.*ſect.*5. *num.* 1.*p.*86.
Deum laudant Angeli, glotiam, quam habet in cœlo, prædicantes.*num.*5 *p.*87.
Et pacem quam fecit io terra cum hominibus, proferentes.*num.*9.*p.*87.
Natiuitatem Chriſti ooſtræ decet gratitudinis modulatio.*num.* 12.*p.*88.
Cœleſtis militiæ fortiſſimum præſidium. *num.*21.*p.*89.
Pacem Angeli euulgatori militari habitu pugnaces deſcendunt. *num.* 26.*p.*90.
*Nam temporaria pax pugnâ eſt comparanda. num.*27.*p.*90.
*Et ſpiritualis etiam pugna acquirenda eſt. num.*31.*p.*90.
Dei gloria eſt homines pace colligari. *n.*35. *p.* 91.
Aogeli pacem hominibus coocineotes, ſimul eos potiri gloriâ affirmant.*num.*40.*p.*92.
Pax eſt bona voluntate conſeruanda. *n.* 49. *p.* 93.
Eleemoſyna bonæ voluntatis Angelico Hymoo celebratur. *num.* 54. *pag.* 93.
Exortus Ieſus homines Angelis reddens amicos, diſſidium abſtulit.*num.*61. *p.*94.
Vide *Panegyr. moral. ſyllabum Fruct.* 2.

*Nobilitas.*

*Nobilitati* adoata obedientia. *lib.* 2. *ſect.* 2. *num.* 23.*p.*61.
Peccator caret nobilitate. *lib.*5.*ſect.* 1. *n.* 6. *p.* 172.

*Nomen.*

*Nomine* caret peccator. *lib.* 5.*ſect.* 1. *num.*6. *p.* 202.203.
Nomeo qood opera oon molitur quaſi perſona, inane eſt.*num.*75.*p.* 180.
Illuſtre oomen operibus condecotandum, & impleodum. *num.* 89. *p.* 183.
Nomen ſit, & res. 101.*p.*184.
Nobilia nomina ſine operatione mendacia. *num.*103.*p.*185.
Nomen Ieſu. Vide *Ieſu nomen.*

*Nubes.*

*Nubes* obumbrans Diſcipulos docet prauæ conſuetudinis ablegandæ ratiooem.*lib.*7.*ſect.*6. *num.*24.*p.*312.

*Nuditas.*

Nuditas Ieſu *lib.*11.*ſect.*5.*&c.p.*450.
De Chriſti veſtibus.*num.*1.*p.*450.
De Diuiſione, & ſorte.*n.*4.*p.*450.451.
Cauſa diuiſionis veſtiom.*num.*7.*p.*451.
Nuditas fidelium in indiuiſa inconſutili tunica ſulgurabat.*num.*9 *p.*451.
De Ieſo denudatione.*num.*12.*p.*451.
Ieſus Cruci addictus conſequenter veſtimenta deponit.*num.*14.*p.*452.
In Ieſo ineffabilem nuditatem. *num.* 19. *p.* 453.
Vide *Panegyricor. moral. ſyllabum Fructu* 11. *Panegyr.* 5.

*Nuptia.*

*Nuptia* Ieſu & Eccleſiæ apud Crucem ſanguine & aqua profluente. *lib.* 12.*ſect.*2. *n.*33. *p.* 480.

O.

*Obedientia.*

O*Bedientia* pacis, ioobedientia bellorum otigo eſt.*lib.*2.*ſect.*1.*num.*44.*p.*56.
Obedientia cæca ad eleuatiſſimum thronũ euehitur.*lib.*2.*ſect.*2.*num.*16.*p.*60.
Nobilibus adnata.*num.*23 *p.*61.
Religioſa obedientia inſtar cadaueris illuſtratur.*lib.*6.*ſect.*6.*num.*56.*p.*262.
Obediens Deum aſpicit imperantem. *lib.*7. *ſect.*3.*num.* 36.*p.*296.
Felicitatem veram hîc ſtabilit. *lib.* 7. *ſect.* 5. *num.* 21.*p.*306.
Obedientiæ vberrimi fructus. *lib.* 8.*ſect.* 2. *num.*12.*p.*333.

Verus obediens Deum de qualibet actione exequenda interroget, & nullam exequatur, donec à Deo reſponſionem Prælatorum præſcriptione, ſeu inſpiratione accipiat. *lib. 8. ſect. 5. num 4. p.* 354.

Obediens Deum à quocumque cruciatu liberat. *lib. 2. ſect. 2. num 9. p.* 59.

### *Oblatio.*

*Oblatio* Magorum. Vide *Epiphania 6.*

### *Obſtinatio.*

*Obſtinatus* peccator ex multiplicatione delictorum, ſæpe grauiora perpetrat. *lib. 9. ſect. 5. num. 27. p.* 386.

### *Occaſio.*

*Occaſio* ſuſpicandi aliis à iuſto non exhibenda. *lib. 6. ſect. 6. num. 6. p.* 254. 255.

Pœnitens occaſionem declinandi ad mundiales illecebras fugiat. *lib. 7. ſect. 1. num. 4. p.* 273.

Occaſio peccandi ad manum potentiſſima. *lib. 8. ſect. 5. num. 26. p.* 357.

In occaſione proxima delinquendi pœnitentia peragi non poteſt. *lib. 9. ſect. 5. num. 26 p.* 386.

### *Oculi.*

*Oculis* obiecta mala nimium ſauciant. *lib. 1. ſect. 4. num.* 32.

### *Oleum.*

*Olei* proprietates Regi, Præſuli, ac Magiſtro aptantur. *lib. 5. ſect. 2. num. 1. p.* 212.

Oleum medicaminis ex Dominica petra vulneribus noſtris contuſa profluxit. *lib. 10. ſect. 5. num. 48. p.* 420.

### *Onus.*

*Onus* imponendum ſubdito prius Præſules eleuent. *lib. 4. ſect. 3. num. 95. p.* 155.

Onus Regis, eſt ſubditi pondus. *lib. 6. ſect. 2. num. 56. p.* 220. 221.

### *Opprobrium.*

*Opprobrium* vincit quorumlibet vim tormentorum. *lib. 9. ſect. 3. num. 15. p.* 375.

### *Opus.*

*Opera* noſtra loquuntur. *lib. 3. ſect. 1. num. 29. p.* 101.

Opus inchoari feruenter quaſi perfici eſt. *lib. 4. ſect. 1. num. 34. p.* 125.

Opera ex abundantia in Præſule ſubditorum exiguos pererogatorias actiones. *num. 72. p.* 131.

Opus noſtrum bonum tacentibus nobis protegens nos vociferatur. *lib. 9. ſect. 2. num. 13. p.* 370.

Opera à fideli nunquam non exhibenda. *lib. 12. ſect. 3. num.* 38.

### *Oratio.*

*Oratio* neceſſaria ad conuerſationis vtilitatem. *lib. 1. ſect. 2. num. 33. p.* 18. 19.

Ante orationem te ſacra lectione præparare cura. *lib. 3. ſect. 2. num. 62. p.* 111.

Inuocato te in oratione nomen Chriſti miracula excitantur. *lib. 5. ſect. 2. num. 34. p.* 193.

Tibi oranti ſalutaria conſilia traduntur. *n. 38. p.* 194.

A Deo fortiſſimo orans protegeris. *num. 43. p.* 194.

Patrem Deum adipiſceris. *num. 47. p.* 195.

Vera pace potiris. *num. 51. p.* 195.

Orans præcedenti munere exorat. *lib. 6. ſect. 6. num. 29. p.* 258.

Oratio mentalis efficaciſſima eſt. *lib. 6. ſect. 7. num. 15. p.* 265.

Aduerſus Diabolum armat. *num. 21. p.* 266.

Ieſum reddit animo. *num. 28. p.* 267.

Eius exercitamentum efficit hominem in alterum mutari. *lib. 7. ſect. 2. num. 49. p.* 288.

Oratio efficax ex ſanguine, ſeu labore, aut pœnitentia. *lib. 8. ſect. 3. num. 3. p.* 343.

*Oratio* Ieſu in horto. *lib 8. ſect. 2. & c. p.* 331.

Orantis Domini abſtractio, habitus, locus. *num. 1. p.* 331.

Orantis Ieſu verba. *num. 4. p.* 332.

Quamnam Ieſus hîc abneget voluntatem? *num. 9. p.* 332.

Docet Ieſus voluntatem hominis, etiam retrahente appetitu, Deo eſſe ſubiiciendam. *n. 12. p.* 333.

Ieſu oratio illuſtratur. *num. 16. p.* 333.

*Fuit certe ab externis abſtracta curis. num. 17. p.* 33.

*Solitaria. num. 22. p.* 334.

*Nocturna. num. 26. p.* 334.

*In communitate. num. 34. p.* 335.

*Clauſa. num. 41. p.* 335.

*In habitu pœnali. num. 46. p.* 336.

*Humilis, obſeruans. num. 52. p.* 336.

*Attenta. n. 56. p.* 337.

*Affectuoſa. num. 60. p.* 337.

*A Dei laude exorſa. num. 63. p.* 338.

*Breuis, & frequens. num. 68. p.* 338.

*Importuna. num. 73. p.* 339.

*Obediens. num. 80. p.* 340.

Pugnaturus Ieſus ſe munit oratione, vt tribus Apoſtolis oſtendat, quemnam ſit eis viribus innitendum. *num. 84. p.* 340.

Poſtulat Ieſus calicem à ſe tranſire, vt ſerui antiqui curam agat. *num. 91. p.* 341. 342.

Vide *Panegyricor. moral. ſyllabum. Fructu* 8. *Paneg.* 2.

### *Orbis.*

*Orbis* deſcriptio ſub Domini natalitia. Vide *Natiuitas* 1.

### *Oſculum.*

*Oſculum* Iudæ. Vide *Iudas.*

## P.

### *Parens.*

P*Arentis* ac filij mores aſſimilantur. *lib. 1. ſect. 1. num. 44. p.* 9. 10.

Parentes ſpirituales ſpecialiter à Domino

diriguntur. *lib.* 2. *ſect.* 4. *num.* 79. *p.* 85.
Parens caſtus generat filios. *lib.* 4. *ſect.* 4. *num.*62.*p.*165.
Parens verus officia pietatis confert io filios. *lib.*5.*ſect.*2.*num.*47.*p.*195.
Parentum cura circa ſiugulos filios illuſtratur. *lib.* 6.*ſect.*2.*num.*13.*p.*214.
Paternis legibus facile illigamur, ſed fortiter.*lib.*10.*ſect.*5.*num.*29.*p.*417.
Rurſum de parentum in filios pietate. *lib.* 12.*ſect.*2.*num.* 28. *p* 479. 480.
Parentis ac filij quaſi vnica eſſentia. *lib.* 12. *ſect.* 4.*num.*16.
Parentes ex obiecta ocolis morte, aut calamitate filiorum oimium ſauciantur. *num.* 32.
Eis grauiſſimum, bono filio priuari.*n.*44.
Patris æterni de Ieſu teſtimooium Transfigurationis die. Vide *Transfiguratio* 6.

*Partus.*

*Partus* Mariæ. Vide *Natiuitas* 3.

*Paſtores.*

PASTORES BETHLEEMITICI. Lib.3. per totum. Parapht. ſub initio.

*Paſtores* 1.

*Paſtorum deliberatio.*

Feſtinant paſtores. *lib.* 3.*ſect.*1. *num.*1.*p.*97
Salutis negotio ſeduli paſtores incumbunt *num.* 4. *p.*97.98.
De quonam verbo à paſtoribus videndo hîc ſermo procedat? *num.* 9.*p.*98.
Tranſeunt neceſſario paſtores, vt Ieſum apud Bethleemum intueantur. *num.* 15 *p.*99.
*Nam vt hæreas Christo debes mundialia dimittere.num.*16.*p.*99.
*Vtque ad domum panis Euchariſtici accedas, tibi à mundiali auaritia recedendum. num.* 21. *p.* 100.
Quonam modo paſtores Verbum factum adſpexerint? *num.*28.*p.*101.
Profecto non verbis. fed actionibus infantem profantem intuentur. *num.*29 *p.*101.
Ad videndum item Verbum, quod erat apud Deum, ſeſe paſtores excitant. *num.* 33. *p.* 102.

*Paſtores* 2.

*Paſtorum aduentus.*

Se ſe in viam, quæ ducit ad præſepium, dedêre paſtores. *lib.*3.*ſect.*2.*num.*1 *p.*102.
Veritatem Angelicæ prædictioois comperêre.*num.*6.*p.*103.
A paſtoribus enarata audientes io admirationem abripiunt. *num.* 10.*p.*103.104.
Quænam verba Deipara conſeruaret, & apud præcordia conferret? *num.*13.*p.*104.
Deipara diſcit à paſtoribus ſapieotiſſima. *num.*17.*p.*104.105.
Chriſtum non deſides,ſed feſtinantes, ac ſoliciti inueoiunt. *num.*22.*p.*105.
Paſtores puerum feſtinaoter requirunt,quia ardenter amant. *num.*30.*p.*106.
Exultant de totius mundi ſalute. *num.* 38. *p.*107.
Quàm prudens Mariæ ac Ioſepho ſimul præſtibat obſequium qoi Ieſu inueniendo dat operam.*num.* 44.*p.*108.
Conſeruans, & conferens verba Deipara illuſtratur.*num.*51 *p.*109.
Mirabili ſilentio oris clauſtra coſtodiens virginalis pudicitiæ clauſulam commeodat. *num.*56.*p.*110.
Præmiſſa Prophetarum lectione, Maria ſedulæ meditationi committit myſteria coſtodienda. *num.* 62.*p.*111.

*Paſtores* 3.

*Paſtorum reditus.*

Quare de paſtorum reuerſione memoria peragitur? *lib.*3.*ſect.*3.*num.*1.*p.*112.
De glorificatione, ac laude Deo à Paſtoribus exhibita.*num.*5.*p.*113.
Paſtoribus à grege diſcedentibus celer ad oues tutandas reditus indicitur. *num.*9 *p.*113.
In natiuitate Ieſu (videntibus paſtoribus) parua magnit, humilibus copulantur auguſta. *num.*18 *p* 115.
Angelorum concinentium gratitudo paſtores gratitudinem edocuit. *num.*31.*p.*117.
Paſtorum fingere neſcientium de nato poero merito ab omnibus fides teſtimonio adhibetur. *num.*38.*p.*118.
Vide *Panegyr. moral. ſyllabum Fructu* 3.
Paſtorum vigiliæ.*lib.*2.*ſect* 4. *num.* 1.*p.*73.
Cur Ieſu natiuitas paſtoribus reuelatur? *n.*5. *p.* 74.
Præcipuè eis natum Ieſum Angelus euulgat,quia deſpecti,& paruuli ſpeciali affectu à Domino excipiuntur.*num.*26.*p.*76.77.
Paſtoribus, non Phariſæis natalis Domini reuelatur.*num.*54.*p.*81.
Quia non verſutis.*num.*55 *p.*82.
Sed ſynceris.*num.*61.*p.*83.
Quia veterum Patriarcharum viuendi morem, ſeu miniſterium apprehenderant.*n.*67.*p.*83.
Et quia Ieſu Paſtoris referebant imaginem. *num.*73 *p.*84.
Et quia paſtoribus animatum prius diuioa myſteria referantur. *num.*74.*p.* 84.

*Paſſio.*

*Paſſionis* Dominicæ acerbitas *lib.*8.Panegyr. prooemiali toto poſt Paraphraſim.*p.*317.
Chriſtus patiens lapis fuit ad ſuſtinendum, oculorum pupilla ad ſenſationem.*num.*2.*p.*317.
Septem Spiritus ſancti munetibus ſe plenum manifeſtat. *num.*7.*p.*318.
Lapis percuſſus ad ſe arripit oculos compaſſionis humanæ. *num.*15.*p.* 319.
Primus luctus in Ieſu à Maria receſſu.*n.*23. *p.* 320.
Secundus planctus de Iudæ venditione. *num.*25.*p.*320.
Tertia lacrymarum profuſio ob horti orationem *num.*28.*p.*320.
Quarta illacrymatio ſuper Ieſu vincula. *num* 36.*p.*321.
Quintus fletus apud domum Pontificum. *num.*39.*p.*321.

Sexta

Google

Sexta deploratio ex Pilati iudicio. num.43. p. 322.
Septimus eiulatus pro ſuffixione. num. 49. p. 323.
Paſſio Ieſu auerſos conglutinat.lib. 10.ſect.2. num.9. p. 402.
Paſſionis memoria fidelium præſidium, frænatio vitiorum,lib.11.ſect.3.num. 28.p.444.
Vide lib.8.9.10.11.12.

*Patientia.*

*Patientia* opus perfectiſſimum eſt, etiam cum inchoatur.lib.9.ſect.3.num.20.p.376.
Perfectiſſimum eſt, patienter iniurias ſuſtinere. num.24.p.376.
Patientia robuſtiſſima.num.28.p.377.
Verberat inimicum. num.32.p.377.
Semper triumphum agit. lib.10.ſect.6. n.13. p.422.423.
Patientiæ regnum. lib. 10. ſect. 7. num. 16. p.429.

*Pauper, Paupertas.*

*Paupertas* ad diuinarum rerum contemplationem accommodatiſſima.lib.2.ſect.4.num.42. p. 79.
Pauper noſtro ſubleuatur affectu, cum effectus non adeſt.lib.2.ſect. 5. num.54.p.93.
Paupertas Deum manifeſtat.lib.6.ſect.2.n.4. p. 212.
Stella eſt ad Ieſum alliciens homines. lib.6. ſect. 3.num.62. p.231.
Viam ad Deum aperit.lib.6 ſect.5.num.44. p. 251.
Religioſa paupertas firma exædificatio eſt, inſtar muri. lib.6.ſect.6.num. 37.p. 259.
Vide *Eleemoſyna.*

*Pax.*

*Pax* tempore natiuitatis Chriſti.lib.2.ſect.1. num.9.p.51.
Paci tutandæ ciuium facultates Principi debentur.num.38 p. 55.
Exoritur ex communi ſine exemptionibus legis obſeruatione.num.44.p.56.
Vbi pax, ibi Dominus amat ſibi hoſpitium præparari. num.51.p.57.
Pacem Angeli euolgaturi pugnaces deſcendunt, quia vera pax bello acquiritur. lib.2.ſect. 5.num. 16 p.90.
Abuti hominem pacis inſtrumento ad bellum inferendum aut diuis, aut hominibus, lethale eſt. lib 8 ſect.4.num.21.p.350.351.

*Peccator.*

*Peccator* haud ſumendus in teſtem. lib. 1. ſect.2.num.39.p.19.20.
Pleramque mendax. lib. 1.ſect.4. num. 97. p. 47.
Diaboli filius. lib.4.ſect. 3. num. 13.p.143.
Nomine caret. lib.4.ſect.4.num.6 p.157.
Vnus peccator pluribus inſtis exitialis eſt. lib.7.ſect.1.num. 44.p.279.
Splendet hîc,ſed quæ eius videtur lux tenebræ ſunt. lib.7.ſect.3.num.42.p.297.
Peccator ſtultus eſt, cuius apud infernum ſtultitiæ pœna adnata reſpondet. lib. 8. ſect. 4. num.8.p.349.
Agilis qui ad flagitia, ſignum exhibet damnationis. num. 15.p.350.
Se ipſum peccator delinquendo vulnerat. lib.9.ſect.3.num. 37.p.378.
Dei oculos fugere non valet. lib. 9.ſect. 4. num.18.p.381.
E crimine graui in grauius fertur.lib.9.ſect.5. num.27.p.386.
Minus grauiter delinquit cadens in pugna. num. 33.p.387.
Ex pudore poſt culpam commendatur.n.43. p. 389.
Peccatorem hîc abſolui, ſignum eſt damnationis.lib.10.ſect.3.num.18.p.408.
Peccator magiſter aut auctor alicuius flagitij quodammodo punitur antequam inueniet. lib. 10.ſect.5.num. 39.p.418.
Innumera peccatoris flagella.n. 44.p.419.
Suſpectam habeat Dei tolerantiam. lib.10. ſect.6.num.10.p. 422.
Duplici inferno addicitur,dum è laboribus vitæ præſentis detrubatur in tartarum. lib. 11. ſect.6. num.12.p.456.
Eius ſocietate bonus deturpatur. num. 28. p. 457.
Quam impium eſt, noſtris flagitiis, tormentis etiam ea ſitientem Dominum potare.lib.11. ſect.8.num.24.p.466.
Peccator moribundus obmuteſcit. lib. 11. ſect.9.num.12.p.469.
Induratus odit medicamen.lib.6.ſect.4.n.41. p. 240.
Ad Ieſum accedens Satanæ renunciet. lib.6. ſect.5.num. 37.p.250.
Vnius peruerſitate multi ſocij iuſti haud ignominia afficiendi. lib.8.ſect.1.num.4.p.325.
Non deſerat virtuoſa exercitamenta reuerſurus.lib.8 ſect.4.num.30.p.352.
Impiè & inaniter Dei fugit aſpectum. lib.9. ſect.4.num. 18.p.381.
A ſuffixo Domino allicitur. lib. 11. ſect. 3. num.17.p. 443.
Maximum eius ſolatium, Deiparam matrē habere.lib.12.ſect.4.num.53.
Vno pereunte quaſi omnes peccatores Deo benigniſſimo periēre. lib.11.ſect.6. n.19.p.456.

*Peccatum.*

*Peccatum* ſine Verbo factum redigit homines in nihilum lib.1.ſect.1.num.51.p.11.
Peccatum bellorum origo. lib.2.ſect.1.n.44. p. 56.
Peccati indicamenta illico à te proiicienda. lib.4 ſect.1.num.49.p.127.
Alienum peccatum ponderandum, aut exaggerandum non eſt.lib.4 ſect.2.num.20.p.135.
Fluxum peccandi fluxus affectuosè pœnitendi ſequatur.lib.6.ſect.5. num. 26.p. 248.
Peccatum vnius non debet ſocios ignominia afficere.lib.8.ſect.1.num.4 p.325.
Peccatum gladius eſt animum internecans. lib.8.ſect.5.num.32.p.358.
Ruborem excitat lib 9 ſect.3.num.5.p.374.
Graue peccatum ad grauius impellit. lib.9. ſect.5.num.27.p.386.
Quædam grauiſſima quodammodo punit Deus priuſquā machinētur l.10.ſ.5.n.30.p.418.

Peccata ſpinæ. *lib.* 10 *ſect.* 6. *num.* 30. *p.* 425.
Eorum pondus grauiſſimum. *lib.* 12. *ſect.* 1. *num.* 16. *p.* 475.
Inter peccata diuina miſericordia magis eluceſcit. *lib.* 1. *ſect.* 1. *num.* 75. *p.* 14.
Contra actualia crimina remedium. *lib.* 1. *ſect.* 4. *num.* 54. *p.* 40.
Peccatum ſui ſupplicium eſt. *lib.* 10. *ſect.* 1. *num.* 23. *p.* 396.
Sæpe peccato pœna reſpondet. *num.* 28. *p.* 396.

*Pererogatio.*

*Pererogationis* opera gerere nos edocet Ieſus. *lib.* 4. *ſect.* 1. *num.* 61. *p.* 129.

*Perfectus.*

*Perfectioribus* auguſtiora myſteria prædicanda. *lib.* 7. *ſect.* 2. *num.* 18. *p.* 283.

*Periculum.*

*Periculum* nullum Deum quærenti. *lib.* 6. *ſect.* 2. *num.* 26. *p.* 216.

*Perſeuerantia.*

*Perſeuerantia* circa exercitamenta virtuoſa licet in peccato exiſtas, vtilis ad reuerſionem. *lib.* 8. *ſect.* 4. *num.* 30. *p.* 252.

*Petrus.*

*Petrus* dignior, potiori præmio à Domino donatur. *lib.* 7. *ſect.* 1. *num.* 51. *p.* 280.
Præſtans meritis loco præmij ad ardua ducitur, quia præditus ſapientia laborum gloriam penetrauit. *num.* 57. *p.* 281.
Ei item perfectiori auguſtiora myſteria reſerantur. *lib.* 7. *ſect.* 2. *num.* 18. *p.* 283.
Petit tria extruenda Tabernacula. Vide *Transfiguratio* 5.
Petri gladius. *lib.* 8. *ſect.* 5. *&c. p.* 353.
Num diſcipuli Dominum circa gladios acquirendos intellexiſſent? *num.* 1. *p.* 353.
Simon bene interrogauit, ſed malè non expectauit reſponſionem. *num.* 4. *p.* 354.
Num percuſſerit Petrus Malchum ante Ieſu comprehenſionem, vel poſteaquam illigatus eſt? *num.* 7. *p.* 354.
Num deliquerit Petrus? *num.* 10. *p.* 354.
De auriculæ abſciſſione. *num.* 13. *p.* 355.
Increpatio Ieſu *num.* 15. *p.* 355.
Iubet Ieſus, Diſcipulos acquirere gladios, ſed non vt hoſtes percutiant. *num.* 19. *p.* 356.
Percuſſit Petrus Malchum, quia gladium ad manum habebat. *num.* 26. *p.* 357.
Qui alium gladio occidit, gladio perit. *num.* 32. *p.* 358.
Petrus iubetur in locum ſuum gladium addocere, vt tractent fabrilia fabri. *n.* 37. *p.* 358.
Vide *Panegyr. Moral. Syllabum. Fructu* 8. *Paneg.* 5.
Petri negatio. *lib* 9. *ſect.* 5. *&c. p.* 383.
Petrus Ieſum ſequitur vſque ad atrium. *n.* 1. *p.* 383.
Tres Petri negationes. *num.* 3. *p.* 385.
Quid de negatione Patres? *num.* 12. *p.* 384.
Excidit Petrus, vt cadentibus miſereatur, ex iis quæ paſſus eſt. *num.* 16. *p* 385.
Tepiditate ille laborans à timore corripitur, vt abneget Magiſtrum. *num* 21. *p.* 386.
Semel abnegans Petrus, deinde, & tertiò, ſe grauioribus criminibus illigauit. *num.* 27. *p.* 386.
Excuſatum quodammodo habeo Petrum, quia in domo Cayphæ abnegauit. *num.* 33. *p.* 387.
Foras egreditur, quia in domo Cayphæ pœnitentiam agere nequibat. *num.* 37. *p.* 388.
Petrus obuelato capite deplorat. *num.* 43. *p.* 389.
Trinam negationem trino amoris compenſauit affectu. *num.* 50. *p.* 389.
Vide *Panegyr. moral. ſyllabum, Fructu* 9. *Panegyr.* 5.

*Pharmacopolium.*

Hominum ægritudinibus ſpiritualibus pharmaca ex Verbi incarnatione ſcribuntur. *lib.* 1. *ſect.* 4. *num.* 28. *p.* 160.

*Pigritia.*

*Pigritia* noſtræ reprehenſio eſt, Chriſtum ad paſſionem pro noſtra ſalute properate. *lib.* 8. *ſect.* 6. *num.* 18. *p.* 362.

*Pilatus.*

Paſſio Domini apud Pilatum. Vide *lib.* 10. per totum.
Pilati ablutio. *ſect.* 4. *&c. p.* 409.
De manuum ablutione. *num.* 1. *p.* 409.
Pilatus rectè Procurator, non Iudex aſſeritur, quia voluntati ſubditorum ſeruiebat. *n.* 5. *p.* 410.
Cecidit ab ſpe liberandi Ieſum, quia cognoſcebat illum per inuidiam traditum. *n.* 7. *p.* 410.
Abluit Pilatus manus; ſed non culpam. *n.* 13. *p.* 411.
Peruersè iudicauit Pilatus, quia ipſe non videbat, quod videndum Iudæis prædicabat. *num.* 19. *p.* 412.
Vide *Panegyr. moral. ſyllabum. Fructu* 10. *Paneg.* 4.

*Petra.*

*Petrarum* fragoris myſterium. *lib.* 12. *ſect.* 1. *num.* 19. *p.* 475.

*Pænitentia.*

Per pœnitentiam datur homini poteſtas circa adoptionem in ſtatu gratiæ. *lib.* 1. *ſect.* 3. *num* 90. *p.* 31.
Et in ſtatu gloriæ. *num.* 98. *p.* 32.
Ne poſt pœnitentiam, rurſum moriaris. *lib.* 4. *ſect.* 1. *num.* 16. *p.* 122.
Dum pœnitendi eſt varium propoſitum, nō adeſt pœnitentiæ opportunitas. *lib.* 4. *ſect.* 1. *num.* 22. *p.* 123.
Si fieri poſſet eodem tempore peragi deberet pœnitentia, ac peccatum. *lib.* 4. *ſect.* 1. *num.* 60. *p.* 129.
Homo ex pœnitentia alter priorem famam exuit,

exuit vnde iam probus habeodus. *lib.4.ſect.4. num.36.p.161.*

Qui ſæpe grauiter deliquit , ſæpe curet affectuoſè pœnitere.*lib.6.ſect.5.num.26.p.248.*

Pœnitentiæ ſaluraris maturitas, lethalis dilatio confirmatur. *num. 31.p.249.*

Pœnitens viam iniquitatis mente percurrat, vt greſſus lachrymis abluat. *lib. 6. ſect. 7. num. 35. p. 268.*

Per aliam omninò viam incedat, nouum viuendi morem inſtituat. *num. 42. p. 269.*

Mundi declinet illecebras. *lib. 7. ſect. 1. n. 4. p. 273.*

Pœoitentia coram illis peragenda, qui teſtes criminis extitêre.*lib.7.ſect.2. num.55.p.289.*

Veræ pœnitentiæ indicium, inimicos diligere. *lib.7.ſect.3.num.20.p.294.*

Et externis veſtibus modeſtis vti. *num. 25. p. 294. 295.*

Pœnitentia noo ſolum Deo peccatorem recoociliat, ſed & præteritam crimioum iofamiã abolet.*lib.7.ſect.6. num.30.p.313.*

Pudor pœniteotiam allicit. *lib.9.ſect.5.num. 93.p.390.*

Pœnitentia ſera taxatur.*lib.10.ſect.1.num.41. p. 398.*

Difficillima agonizanti. *lib. 11. ſect. 6. n.5. p. 455.*

Pœnitentia perfectè hominem tranſformat. *lib.7.ſect.3.num.14.p.293.*

Pœoitens crucifer neceſſariò. *lib. 11. ſect.8. num. 32. p. 467.*

*Poſteritas.*

*Poſteritas* abuodans ex coniugum caſtimonia exoritur. *lib.5.ſect.1.num.45.p.176.*

*Prædeſtinatio.*

*Prædeſtinationis* ſignum eſt , in Ieſu exultare.*lib.2.ſect.4.num. 36 p.78.*

Et hîc innocentem premi. *lib. 10. ſect. 3. num. 23. pag. 408.*

*Prædicatio.*

*Prædicationis* laudes. *lib. 1. ſect. 1. num.29. pag. 7.*

Prædicationis libertas. *lib.8.ſect.6.num. 10. pag. 361.*

*Prælatus.*

*Prælatus* adſumendus , immittendus , oon vltrò ad munus progreſſurus.*lib. 1 ſect. 2. num. 26.p.17.*

Prælatorum laborantium exemplum leuia reddit onera ſubditorum. *lib. 2. ſect.1.num. 34. pag. 54.*

Eorum eſt, omnium ſubditorum ſaluti inuigilare.*lib.3.ſect.2.num. 38.p.107.*

Prælati ac ſubditi ideotitas illuſtratur. *lib.6. ſect.4.num. 17.p.236.*

Prælati affectus & comitas ad ſe arripit ſubditum.*num.48.p.241.*

Virtute præſtantiores ſubditos ſingulari gratia proſeqoatur.*lib.7.ſect.1.num. 51.p.280.*

Prælati illuſtris proprietates recenſeo, & confirmo.*lib.7.ſect.2.num. 30.p.285.*

Prælatus ad ſpiritualia exercitamenta eleuandus, ſeu abſtrahendus à commuoitate , debet ſuæ innocentiæ teſtes adducere.*num.62.p.290.*

Ex propria infirmitate ſciat aliis fragilibus miſereri.*lib.9.ſect.5.num.16.p.385.*

Non debet immediatè ſubditos punire. *lib. 10.ſect. 5.num. 3.p. 413.*

Iogens prælaturæ oous. *lib. 10. ſect. 6. num. 18. p. 423.*

*Præmium.*

*Præmium* laborandi ipſi labores. *lib.7.ſect.1. num. 57.p.281.*

Virtuti reſpondet. *lib. 4. ſect. 1. num. 27. p. 123.*

Maius iuſtiori. *lib.7.ſect.1.num.51.p.280.*

Spes illius labores imminuit.*num.43.p.276.*

*Præparatio.*

*Præparatio* ad confeſſiooem illuſtratur. *lib. 10.ſect.1.num.47.p.399.*

*Præſepium.*

De *Præſepio* Ieſu. *lib.2.ſect.3.num.10.p.65.*

Cœlo eſt eleuatius.*num. 53. p.70.*

Panis vitalis in præſepio appooitur, vti bruta in homines conoertat. *num. 59.p.71.*

Præſepium halat Deitatem. *lib. 2. ſect. 4. num.42.p.79.*

De communi præſepio Angelus meritò exhibet ſignum.*num.48.p. 80.*

*Princeps.*

*Princeps* egregius abiectis ſubditis manum porrigit.*lib.2.ſect.3.num. 49.p.70.*

Pluſquam obediens legis Princeps excitat ſubditos, vt iuſtus obſeruator exſurgat. *lib.4. ſect.1.num.66.p.130.*

Opera pererogatoria in ipſo exigunt ſubditorum imitatiooem. *num. 72.p.131.*

Ne Princeps ſcandalizet ſe, ſe legi à ſe latæ, & mioimè obliganti vltrò ſubiiciat.*lib.4 ſect.3. num.38.p.146.*

Aptè ſubditorum legi obtempera, quia legi pareos leuia reddit onera ſubditorum.*num.56. p. 149.*

Eiſque emolumento maximo aſſimilatur. *num.60.p.149.*

Se debet lapſui obnoxium profiteri, vt ſubditum cadentem conſolatione afficiat. *num.66. p. 150.*

Princeps pacificus ſalutaris reipublicæ. *lib.5. ſect.2.num. 51.p.195.*

Miniſtris iuxta capacitatem, & meritum munera largiatur,*lib. 7.ſect. 2. num. 30.p.285.*

Princeps iniquus falſos teſtes requirit. *lib.9. ſect.1.num. 9.p.366.*

Vide *Prælatus, Rex.*

*Profectio.*

*Profectio* Magorum ab Oriente in Bethleem. Vide *Epiphania* 1.

*Profeſſio.*

*Profeſſio* Mariæ & Ioſephi. Vide *Natiuitas* 2.

*Prodi*

*Prodigalitas.*

Ne prodigi ſanguinem Chriſti profundamus.*lib.8 ſect.3.num.37.p.347.*

*Propoſitum.*

*Propoſitum* non ſit varium in pœnitente. *lib. 4.ſect.1.num.22.p.123.*

*Proximus.*

De *Proximi* ſalute exulta. *lib. 3.ſect.2. num. 38.p.107.*

Proximi delicta non ponderanda etiam cum aperienda ſunt.*lib.4.ſect.2.num.20 p.135.*

Minimè proximus à te iudicandus.*num.41. p. 139.*

*Pudor.*

*Pudor* poſt delictum peccatori eſt ſalutaris. *lib.9.ſect.5.num.43 p.389.*

*Pugna.*

Minus grauiter delinquit, qui cadit in pugna. *lib.9.ſect.5.num.33.p.387.*

*Puer.*

A pueritia diſce quidquid vir præſtare velis. *lib.2.ſect.3.num.66.p.72.*

Puer ſub præceptore. *lib. 4. ſect. 4. num. 8. p. 157.*

Ab vtero, imò nondom conceptus quodammodo ſub pædagogo conſtituendus. *n.17. p. 158.*

Non diſcens, difficile vir cum ſit legis iugum importat,*num.21.p.159.*

Fructus ex tradita præceptori iuuenta. *n.26. p. 160.*

Incommoda ob non commiſſam. *num. 31. p.160.161.*

Puerilis ætas aptior ad inſtitutum regulare ineundum. *num.73.p.167.*

Vide *Societas Ieſu.*

*Puritas.*

*Puritatem* iuſtitiæ Ieſu ſanguine comparatam conſeruare procura. *lib.8.ſect.4. num. 57. pag. 353.*

R.

*Recidiuum.*

CAue ad crimina rurſum prolabi. *lib. 4. ſect.1.num.16.p.122.*

Rurſum recidiuom in crimina reprehenditur. *lib.10.ſect.6.num.30.p.425.*

*Reditus.*

*Reditus* Paſtorum poſt Ieſum adoratum. Vide *Paſtores 3.*

Reditus Magorum. Vide *Epiphania 7.*

*Religioſus.*

Ad regulare inſtitutum puerilis ætas aptior. *lib. 4. ſect.4. num. 73. pag. 167.*

Religioſi paupertas allicit ſeculares. *lib. 6. ſect. 3.num.62.p.231.*

Trium Religioſi inſtituti votorum perfectionem illuſtro.*lib. 6.ſect. 6.num.36.p.259.*

Religioſa communitas non debet affici ignominia ob vnius ſocij caſum.*lib.8.ſect. 1.n.4. p.325.*

Religioſus confundatur ex conuerſione, & perfectione peccatoris properantis ad virtutem. *lib.11.ſect.7.num.29 p.462.*

*Reprobatio.*

*Reprobationis* ſignum eſt ad crimina agilitas.*lib. 8.ſect.4.num.15.p.350.*

Et à laboribus hîc liberari. *lib. 10.ſect. 3. num. 18. p. 408.*

*Reſpublica.*

*Reipublicæ* vtiles diſciplinati ex pueritia ciues. *lib.4.ſect.4.num. 26.p.160.*

Qui à pueritia non diſcunt, eidem ſunt exitiales.*num. 31.p. 160.161.*

*Reſurrectio.*

*Reſurrectio* incidit figuratè Circunciſionis die, quia quidquid mortificatio ſcindit, reſurrectio reſtituit. *lib.4 ſect. 1.num.27.p.123.*

Qualis poſt reſurrectionem futura beatorum gloria.*lib.7.ſect.2.num. 26.p.284.*

*Reuelatio.*

*Reuelationes* minimè euulgandæ. *lib. 7.ſect. 6. num.40. pag. 315.*

*Reuerentia.*

*Reuerens* audita Verbi incarnatione procide.*lib. 1.ſect.4. num.24.p.36.*

Quânam ſit Dei nomen reuerentia ore ſumendum? *lib.5.ſect.2.num. 48.p.195.*

Reuerentia circa Delubra. *lib. 8. ſect. 6. num. 10.pag. 361.*

*Rex.*

*Regis* eſt quidquid ex facultatibus ciuium paci tutandæ eſt neceſſarium.*lib.2.ſect.1. n.38. pag.55.*

Legi parens Rex eam firmius ſtabilit. *lib.4. ſect.3.num 77.p.152.*

Prudenter prælapſorum Regum defendit, vel excuſat actiones. *num.89.p.154.*

Prius eleuet onus ſubditis imponendum. *num.95.p.155.*

Paſcere debet prius ſubditos, quam legibus onerare.*lib.6.ſect. 1.num.11.p.203.*

Sui inſumptione luceat. *lib. 5.ſect.2. num.2. p. 189.*

Suos paſcat. *num.8.189.*

Eorum vulneribus medeatur. *n.14.p.190.*

Rex ſit ſapiens, quia inſipiens indignus imperio.*lib.6.ſect.1.num.55.p.209.*

Conſiliarios ſibi probos adhibeat. *lib.6.ſect. 2.num.18.p. 215.*

Regem temporarium non timet, qui meditatur æternum,*num.30.p.217.*

Rex illico ſuorum ſtudet protectioni. *n.*48. *p.* 220.
Subditorum onera portat. *num.* 53.*p.*220.
Maior Regis poteſtas maiori timori ſubiicitur.*lib.* 6.*ſect.*4.*num.* 21.*p.*237.
Rex conſequenter ſecreti cuſtos.*lib.* 6. *ſect.* 4.*num.*4.*p.*235.
Humilitas Regibus cognata. *lib.* 6.*ſect.* 6. *num.*20.*p.*257.
Idem eſt Regem eſſe, ac pro ſubditis morti addici debere. *lib.* 11.*ſect.*4.*num.*19.*p.*449.
Regalis virtus inimicis benefacere. *lib.* 11. *ſect.*7.*num.*16.*p.*461.
Vide *Princeps, Prælatus.*

*Rubor.*

*Rubor* ex crimine ſalutaris. *lib.* 9. *ſect.* 3. *num.* 5. *p.* 374.

S.

*Sacerdos.*

*Sacerdos* (heu) ſæpe minoris habet Deum, quàm ſecularis.*lib.*6.*ſect.*1.*num.* 41.*p.*206.
Taxabilis eſt aut quando indignis cœleſtia reuelat arcana, aut quando ignorans loquitur, aut quando ſcripturæ teſtimonia malitioſè detruncat.*lib.*6.*ſect.*4.*num.*53.*p.*242.
Ex profano indumento taxatur.*lib.*10.*ſect.*2. *num.*13.*p.*403.
Sacerdotem dedecet auaritia. *lib.* 12. *ſect.* 3. *num.* 29.
Eius creſcit malitia ex ſecularis pœnitentis pietate. *lib.*8.*ſect.*1.*num.*24.*p.*327.
Eum ſceleratum vel ſeculares delinquentes confundit. *lib.* 11.*ſect.*7.*num.*29.*p.*462.

*Sacrilegium.*

*Sacrilegium* durior hominis tortor, quam mors. *lib.*10.*ſect.*1.*num.*19.*p.*395.
Sacrilegij præproperum ſupplicium. *lib.* 8. *ſect.*4.*num.* 21.*p.*350.351.

*Salus.*

*Salutis* negotio ſedulò eſt incumbendum. *lib.*3.*ſect.*1.*num.*4.*p.*97.98.

*Sanctus.*

*Sanctus* ex tepiditate ſæpe deturbatur. *lib.*9. *ſect.*5.*num.* 22.*p.*386.

*Sanguis.*

*Sanguis* Ieſu nos ad veram confeſſionem excitat *lib.* 10.*ſect.*2.*num.* 36.*p.*397.
Sufficiens infinitis orbibus totus vni homuncioni præſtatur.*lib.*8.*ſect.* 3.*n.*17.*p.* 344.

*Sapiens.*

*Sapiens* à rudibus ſumit documenta. *lib.* 3. *ſect.* 2.*num.*17.*p.*104.105
Labores præmia reputat. *lib.*7.*ſect.* 1. *n.* 57. *p.*281.
De tollēdo ſcandalo curat.*l.*4.*ſ.*5.*n.*39.*p.*162.
*Ant.de Eſcob.& Mendoz.* de Sanctis Tom.I.

*Satisfactio.*

De ſatisfactionis vbertate. *lib.* 1. *ſect.* 4. *num.* 63. *p.* 42.

*Scandalum.*

Prudentis eſt, non ſcandalizare: ſtulti præbere ſcandali occaſionem.*lib.*4.*ſect.* 3.*num.* 39. *p.*146.
Quos ob crimen ſcandalo affeciſti, ædificare pœnitentia procura. *lib.* 7. *ſect.* 2. *num.* 55. *p.*289.

*Secretum.*

*Secretum* cuſtodire virtus regalis.*lib.*6.*ſect.*4. *num.*4.*p.*235.
Paucis id amicorum, hoſtium nulli committendum eſt. *lib.*7.*ſect.*1.*num.* 35.*p.*278.
Secretum ſeu ſilentium circa reuelationes. *lib.*7.*ſect.*6.*num.*40.*p.*315.

*Secularis.*

*Secularis* ſæpe non tam effrænatur, quam malus ſacerdos.*lib.*6.*ſect.*1.*num.*41.*p.*206.
Seculares alliciuntur ex religioſa paupertate. *lib.*6.*ſect.*3.*num.*62.*p.*231.

*Senectus.*

*Senectutis* ſpiritualiter innouandæ norma. *lib.*4.*ſect.*4.*num.*6.*p.*162.
Vt ſeneſcat homo ex iniuriæ acceptione? *lib.*9.*ſect.*4.*num.* 12.*p.*380.

*Senſus.*

*Senſus* corporei circa proximi actiones iudicandas ſeducuntur.*lib.*4.*ſect.* 2.*n.*42.*p.*139.

*Sententia.*

*Sententia* à iudice dirigenda eſt, ne mutare cogatur. *lib.* 11.*ſect.*4.*num.*9.*p.*448.

*Seruilia.*

A *Seruilibus* vacare debet, qui feſto cuſtodiendo dat operam.*lib.*7.*ſect.* 1. *n.*23.*p.*276.

*Sepultura.*

*Sepultura* Ieſu.*lib.* 12.*ſect.* 3.*&c.*
Miniſtri funeris Ieſu. *num.* 1.
Funeris præparatio. *num.* 5.
Corpus Ieſu petitur, deponitur, ſepelitur. *num.*8.
Myſtica Chriſti ſepoltura. *num.* 18.
Diues Ioſeph Dominico corpori ornando dat operam. *num.* 26.
Ex corpore Dominico aut pretio redempto, aut gratis exhibito taxantur auari Iudices, aut Sacerdotes.*num.* 29.
Cum Ieſu ſepeliamur viuentes, vt vita donemur ſtabiliori.*num.*34.
Sepultus cum Chriſto hoſtes inuiſibiles omnino ſuperabis.*num.*38.
Vide *Panegyr. moral. ſyllabum Fructu* 12. *Paneg.*3.

*Silentium.*

*Silentium* virginitati affine eſt. *lib.3. ſect.2. num.56.p.110.*
*Silentium* Ieſu.*lib.9.ſect.2.&c.p.368.*
Ieſu ſilentium apud Caypham. *num. 1. p.368.*
Tacet Ieſus, ne exaſperato Iudæorum vulnere, ad alia flagitia excitarentur. *num.2.p.368.*
Tacet, ne coram indignis diuinum eloquiū profunderetur. *num.5.p.369.*
Ieſu apud Pilatum taciturnitas. *num.9.p.369.*
Tacente Ieſu, eius opera vociferabantur. *num.13.p.370.*
Eum tacentem Pater protegebat. *num. 19. p. 371.*
Silentium Ieſu innocentiam apertè manifeſtabat. *num.25.p.371.*
Silentium Diuinitatis Ieſu præco. *num. 30. p. 372.*
Tacebat ſibi Ieſus, in nouiſſimo iudicio reſponſurus. *num.34.p.372.*
Vide *Panegyr. Moral. Syllabum. Fructu 9. Panegyr. 2.*

*Singularitas.*

*Singularitatis* incommoda recenſentur. *lib. 4.ſect.3.num.50. p.148.*

*Sitis.*

*Sitis* Ieſu ſuffixi.*lib.11.ſect.8. &c.p.464.*
Quænam hic ſcriptura conſummanda eſſet? *num.1.464.*
Quænam ſitis Ieſu. *num.4.p.464.*
Quorſum apud Caluariæ montem acetum, calamus, ſpongia? *num.8.p.465.*
Ieſus noſtra ſitit peccata. *num.13.p.465.*
Sua ſitit tormenta. *num.24.p 466.*
Vide *Panegyr. moral. ſyllabum. Fructu 11. Panegyr. 8.*

*Societas.*

*Societatis* bonæ commoda, prauæ incommoda recenſentur. *lib.1.ſect.1. num.35.p.8.*
*Nam Deo hæreſcens, quaſi Deus exurgis. num.36.p.8.*
*Dæmonis ſocius quaſi Dæmon euadis. n.40. pag. 9.*
Ex Dei ſocietate gaudium hominibus, *lib.2. ſect.3.num.53.p.70.*
Vnus malus ſocius pluribus exitialis eſt. *lib.7.ſect. 1.num. 44.p.279.*
Ob vnius tamē ſocij caſum iniuſtè boni ignominiā afficiuntur. *lib. 8.ſect. 1.num.4.p.325.*
Non conuenias cum impiis affectu, etiamſi neceſſum ſit in externis actionibus, victu, inceſſu ſic conuenire. *lib.8.ſect.4.num. 30.p.352.*
Id reputaris quod ille, cui ſocius hæreſcis. *lib.11.ſect.3.num.14.p. 442.*
Prauos ſocios fuge, ex eorum moribus, bonus licet ſis, iudicandus. *lib.11 ſect.6.num.28. p.457.*
Sæpe ob malum ſocium peris. *lib.11.ſect.7. num.26.p.462.*
Prauos ſocios fugiendos velum ſciſſum ſuadet. *lib.12.ſect.1. num.51.p.474.*

*Societas Ieſu.*

In *Societatem* Ieſu conſpiratio hoſtium ob nomen Ieſu, ex quo parta victoria *lib.4.ſect. 2. num.31. p.137.*
Optima eſt puerorum, adoleſcentiumque magiſtra. *lib.4.ſect.4.num.37.p.161.*
*Eius enim ſchola pueros literas edocet, vt ſimul hi virtutum exercitamenta exhauriant. num. 38.p.161.*
*Pueros mutat in ſenes. num.43.p.162. 163.*
*Senes dierum malorum efformat in pueros. num.46.p.163.*
*Eos edocet caſtitatem. num.49.p.163.*
*Suos alumnos ad Deipara allicit ſodalitium. num.53.p.164.*
Propriæ Societas noſtra ſaluti vacat, vt proximorum ſaluti incumbat. *lib.5.ſect.1. num.59. p.178.*
Seculari apud hæreticos, & gentiles vtitur indumento, vt hæreſes, & idololatriam extinguat. *num.73.p.180.*
Eius ex nomine Ieſu magnalia. *num. 84. p. 182.*
Ieſuitæ ab effectibus mundo ſalutaribus. *num. 99.p. 184.*
Magis operibus, quam nomine nituntur. *num.109.p.186.*
Angeli ſunt, vt nomen Ieſu ore proferant. *num.120.p.187.*
Ieſuitarum myſtica coram Regibus Ieſu manifeſtatō votorum oblatio. *lib. 6.ſect.6.num. 36.p.259.*
Aurum ſiue ſocietatis Paupertas. *num. 37. p. 259.*
Thus, ſeu Societatis caſtitas. *num.46.p.260.*
Myrrha, ſeu Societatis obedientia. *num. 56. p.261.*

*Sodalitium.*

*Sodalitium* Deiparæ apud Societatis Ieſu ſcholam ad puerorum tectam informationem commendatur. *lib. 4.ſect.4.num.53.p. 164.*

*Sol.*

*Sol* omnibus exortus Præſulis exprimit proprietates. *lib. 7.ſect. 2. num. 40. p. 287.*
Solem in ſimulacrum obedientiæ Ieſus aſpicit. *lib.7.ſect.3.num.36.p.296.*

*Solatium.*

*Solatium* peccatorum, Mariam noſtram exiſtere parentem. *lib. 12.ſect. 4. num. 13.*

*Sollicitudo.*

*Sollicita* cura Chriſtum inuenit. *lib.3.ſect.2. num. 22. p.105.*

*Spes.*

*Spes* præmij labores imminuit. *lib.7.ſect.2. num.23.p.284.*
Spei noſtræ firmitas ex vulneribus Ieſu. *lib. 11. ſect.3.num.4.p.441.*

*Spina.*

*Spina* ſiue ſpinea corona Ieſu. *lib.10.ſect.6. &c.p.421.*

Ieſus à militibos coronatur. *num.*1.*p.*421.
Huiuſce Regni inſignia.*num.*5.*p.*421.
Dum tacer Ieſus iniuriis affectus, tunc calamo illo ſcribit noſtra crimina punienda. *n.* 10. *p.* 422.
Spinis punctus Dominus, calamo vulneratus Dux eſt patientia mundum debellaos. *nnm.*13.*p.*422.423.
Mundialis Regni pungentes cotæ ex Spinis Ieſu.*nnm.*18.*p.*423.
Mundialis Priocipatus inanitas ex Ieſu arūdine.*nnm.*25.*p.*424.
Ieſus peccatorum noſtrorum ſpinas ſuper venerabile caput conſumpſit omoinò. *n.* 30. *p.*425.
Chriſti Regnum ſpincum ſubditis omoino ſalutare. *num.*35.*p.*425.426.
Vide *Panegyr.moral.ſyllabnm. Fructu.* 10. *Paneg.*6.

*Spiritus.*

Ex *Spiritnalibus* rebus gaudium percipere prædeſtinationis eſt ſignum. *lib.* 2.*ſect.*4.*n.*36. *p.* 78.
Spiritus & caro vna io ſede oon commorantur.*lib.*4.*ſect.*1.*n.*10.*p.*121.
Spiritualibus iocumbat feſta cuſtodiens. *lib.*7.*ſect.*1.*n.*23.*p.*276.
Spiritus ſit Præſul.*lib.*7.*ſect.*2.*n.*31.*p.*285.
Spiritualis effectus, omnino ab humanitate oon recedas, ne intractabilis habearis. *n.* 43. *p.*287.

*Spiritus ſanctus.*

*Spiritus ſanctus* velociſſimis vtitur alis, vt ſubueniat bomioibus. *lib.*6.*ſect.*1.*n.*65.*p.*211.
In ſtella figoratur, vndè eius effectus mirabiles illuſtrantur. *lib.*6.*ſect.*3.*num.*48.*p.*229.

*Splendor.*

*Splendor* cœleſtis non obſcurat terrenum. *lib.*7.*ſect.*4.*num.*26.*p.*301.

*Sponſus.*

*Sponſus* Ieſus charitate vulneratus: Sponſa Eccleſia ſanguine dilota. *lib.*12.*ſ.*2.*n.*33.*p.*480.

*Stella.*

*Stella* Magorum. Vide *Epiphania* 3.

*Stultitia.*

Homo *Stnltitia* preſſus a Ieſu humano edocetur.*lib.*1. *ſect.*4.*num.*40 *p.*38.
Stultitia peccatoris confirmatur. *lib.*8.*ſect.*4. *num.*8.*p.*349.
Stultus plerumque aliorum eſt irriſor. *lib.* 10.*ſect.*2 .*num.*18.*p.*403.

*Subditus.*

*Subditus* iuſtus obſeruator legis exiſtit Principe pluſquam obſeruatore.*l.*4.*ſ.*1.*n.*66.*p.*130.
Eius leoia ooera reddit exemplum, ac ſimilitudo præſulis.*lib.*4.*ſect.*3.*num.*55.*p.*149.
Peccare deſiſtit, cum præſulem videt propriam fragilitatem præferentem, ne deſperet ægrotus.*num.*66.*p.*150.
Subditi ac Prælati identitas coofirmatur. *lib* 6.*ſect.*4.*num.*17 *p.*236
Turbatur ſubditus præſulem turbatione affectum ſecutus. *lib* 6.*ſect.*4.*n.*48.*p.*241.

*Sudor.*

*Sudor* ſanguinis Chriſto orante. *lib.*8.*ſect.*3. *&c.p.* 342.
Quanam io oratione ſudorem emiſerit? *n.*1. *p.* 342.
Quotiens orat, ſanguinem emittit. *n.*3.*p.*343.
Num Ieſus verè ſanguinis emiſerit ſodorem? *nnm.*7.*p* 343.
An ſanguineus hic ſudor naturalis? *num.*12. *p.*343.344.
Quænam huiuſce ſudoris cauſæ? *num.* 14. *p.* 344.
Quælibet Dominici ſudoris guttula ſanguinis globus, globo mundiali ſufficiens. *nnm.*17. *p.*344.
Ex ingenti patiendi gaudio ſanguinis hic ſudor duxit exortum.*num.*24.*p.*345.
Inauditus hic ſudor ignei amoris effectus. *num* 30.*p.*346.
Vniuerſum Eccleſiæ corpus Ieſus ſudore ſanguinis diluebat.*n.*37.*p.*347.
Vide *Panegyr. moral. ſyllabnm. Fructn* 8. *Paneg.*.3.

*Snperbia.*

*Snperbi* bumiliantur ex obiectu Ieſu ad infimum gradum deſcendente. *lib.*1.*ſect.*4. *n.*59. *p.*41.
Soperbia ad Dei euaneſcit ingreſſum. *lib.*6. *ſect.*1.*n.*49.*p.*208.
Vincitur quadam iuſta quodammodo elatione.*lib.*6.*ſect.*3.*n.*69.*p.*232.

*Supplicium.*

*Snpplicium* Ieſu pro peccato alieno oos debet ad pœnitentiam excitare.*l.*4.*ſ.*3.*n.*8.*p.*142.
Supplicium culpæ reſpondet. *lib.* 8. *ſect.*4. *n.*8.*p.*349.
Qui gladio percutit, gladio perit. *lib.*8.*ſect.* 5.*n.*32.*p.*358.
Adhuc ſupplicium peccato reſpondens confirmatur.*lib.*10.*ſect.*1.*n.*28.*p.*396.

*Suſpicio.*

*Snſpicionis* occaſiones non exhibeas præſertim fœmina *lib.*6.*ſect.*6.*n.*6.*p.*254.255.

*Synceritas.*

*Synceris* cœleſtia arcana reuelantur. *lib.* 2. *ſect.*4.*num.*61.*p.*83.

T.

*Tabernaculum.*

T*Abernaculum* transferendum homo. *lib.* 1.*ſect.*4.*n.*84 *p.*169.
Dei tabernaculum hominum præcordia. *lib.*7.*ſect.*6.*n.*30.*p.*313.
Tria Petri tabernacula. Vide *Transfiguratio* 5.

*Taciturnitas.*

*Taciturnitatis* ſalutaris laudes. *lib. 3. ſect. 2. num. 51. pag.* 109.
Tacente te inter calumnias Deus reſpondet. *lib. 9. ſect. 2. num.* 19. *p.* 370. 371.

*Templum.*

*Templum* deturpare ſignum damnationis. *lib. 8. ſect. 4. num. 21 p.* 350. 351.
Apud templum vel ab impiis Dominus non illigatur; væ Chriſticolis templi profanatoribus! *lib 8. ſect. 6. num.* 10. *p.* 361.
Diuitiæ exornando templo laudabiliter impenduntur. *lib. 11. ſect. 3. num.* 26.

*Temporalia.*

*Temporalium* bonorum exigentia comes crucis. *lib. 11. ſect. 5 num.* 14. *p.* 452.

*Tempus.*

*Temporis* Circuncifionis Ieſu conſummatio. Vide *Circuncifio* 1.

*Tepiditas.*

*Tepiditas* ſpiritualem virum deturbat. *lib. 9. ſect. 5. num.* 22. *p.* 386.
Noſtra tepiditas ex feruore Domini ad paſſionem properantis reprehenditur. *lib. 8. ſect. 6. num.* 18. *p.* 362.

*Terra.*

*Terra* nihil. *lib. 1. ſect. 3. num.* 76. *p.* 29.
Tremoris terræ myſterium. *lib. 12. ſect. 1. num.* 16. *p.* 475.

*Teſtis.*

In teſtem iuſtus adſumendus, non ſceleratus. *lib. 1. ſect. 2. num.* 39. *p.* 19. 20.
Teſtimonio ruſtici ſynceri credendum. *lib. 3. ſect. 3. num.* 38. *p.* 118.
Populi exitium, cum iudex teſtem agit. *lib 9. ſect. 1. num.* 6. *p.* 365.
Vbi iniqui Proceres, falſi teſtes reperiuntur. *num.* 9. *p.* 366.
Teſtis falſus innocentiam minimè obſcurat. *num.* 12. *p.* 366.
Nec à peruerſo iudice creditur. *n.* 17. *p.* 367.

*Timor.*

*Timorem* magnum Dei ſilentium & patientia indicit. *lib. 9. ſect. 2. num.* 34. *p.* 372.

*Titulus.*

*Titulus* Crucis. *lib. 11. ſect. 4. &c. p.* 447.
Tituli inſcriptio. *num.* 1. *p.* 447.
Quare huiuſcemodi titulus appoſitus? *n.* 4. *p.* 447.
Curant Iudæi honorificum Ieſu titulum immutari. *num.* 7 *p.* 447.
Prudenter Pilatus primum ſcripſit mente, quod mox calamo ſcripſit, ne ſententiam delere cogeretur. *num.* 9. *p.* 448.
Nullum tam puſillum Regnum, cuius Ieſus non dignetur Rex appellari. *num.* 13. *p.* 448.

Sufficiens cauſa mortis Ieſu, Regem eſſe, *num.* 19. *p.* 449.
Vide *Panegyricor. mora l. ſyllabum. Fructu* 11. *Paneg.* 4.

*Tolerantia.*

*Tolerantia* Dei mediis in flagitiis noſtris ſuſpecta. *lib.* 10. *ſect. 6. num.* 10. *p.* 422.

*Transfiguratio.*

TRANSFIGVRATIO IESV lib. 7. per totum. Paraphr. *Sub initio.*

*Transfiguratio* 1.

*Trium Diſcipulorum aſſumptio.*

De ſexti diei mentione. *lib. 7. ſect. 1. num.* 1 *p.* 273.
Transfigurandus cum Ieſu ſex dierum opera tranſcendat. *num.* 4. *p.* 273.
Poſt ſex miſericordiæ opera Transfigurationis ſedes ſtabilitur. *num.* 8. 274.
Cur Chriſtus coram paucis, iiſque tribus Apoſtolis Petro, Ioanne, Iacobo eſt transfiguratus? *num.* 13. *p.* 274.
Cur in monte, & quoniam? *n.* 19. *p.* 275.
Perfecta diei Transfigurationis ſolemnis obſeruantia. *num.* 22. *p.* 270.
*Obſeruat equidem Ieſu ſolemnem Transfigurationis diem à ſeruilibus vacans, ſpiritualibus incumbens. num.* 23. *p.* 276.
*Colens perfectè Ieſus Transfigurationis diem laborum ſuorum perfectionem commendat. n.* 30. *p.* 277.
Tres ſolummodo Diſcipulos Dominus ad Transfigurationis ſecretum admittit. *num.* 35. *p.* 278.
*Quia à ſecretis hoſtis arcendus. n.* 36. *p.* 278.
*Ad ſecreta pauci amicorum vocandi. num.* 41. *p.* 278.
Ob Iudæ conſortium Apoſtolorum plures ad Transfigurationis gloriam non aduocantur. *num.* 44. *p.* 279.
Petro, Iacobo, ac Ioanni dignioribus præmia potiora Dominus præparauit. *n.* 51 *p.* 280.
Præſtantes meritis Apoſtoli ad mõtis ardua loco præmij à Domino ducũtur. *n.* 57. *p.* 281.

*Transfiguratio* 2.

*Transfigurationis myſteria.*

Huiuſmodi Transfiguratio quid? *lib. 7. ſect. 2. num.* 1. *p.* 282.
Transfigurationis Dominicæ cauſas recenſeo. *num.* 4. *p.* 282.
Quare Ieſus in Diſcipulorum conſpectu transfiguratur? *num.* 15. *p.* 283.
Petro, Iacobo, & Ioanni in monte conſtitutis Ieſus eleuatior apparet. *n.* 18. *p.* 283.
Transfiguratur Ieſus vt oſtendat, qualis futura gloria beatorum poſt reſurrectionem. *n.* 23. *p.* 284.
Hodie Ieſus illa oſtenditur forma, qua iudicij tempore eſt obiiciendus. *num.* 30 *p.* 285.
*Vnde colligo hominem Iudicem in Spiritum eſſe transformandum. n.* 31. *p.* 285.
*Iudicem ſpiritum ab homine non deceſſurum, ſed hominẽ ſpiritũ perſeuerare debere. n.* 34 *p.* 286.

Salis

*Solis item in morem, omnibus exiſtere ſalutarem. num.40.p.287.*
Chriſtus transfiguratus corpus humanum non dimiſit.*n.45.p.287.*
Transfiguratus eſt in oratione. *n.49.p.288.*
Ante illos transfiguratur, in quorum conſpectu deformatus inceſſit. *num.55.p.289.*
A Diſcipulorum cœtu abſtractus, non omninò ſolitarius ſed coram tribus transfiguratur. *num.62.p.290.*

*Transfiguratio 3.*

*Transfigurati Ieſu habitus.*

Faciei Dominicæ ſplendor.*l.7.ſ.3.n.1.p.291.*
Claritas hæc dos gloriæ non erat. *num. 6. p.291.292.*
Veſtimentorum immutatio. *n.10.p.292.*
Non ſola facies Ieſu, ſed totum corpus ſplendore coruſcat.*n.14.p. 293.*
Transfiguratus Dominus Solis radios emittit.*num.20.p.294.*
Niuea oſtentat indumenta.*n.25.p.294.295.*
Sicut Sol fulgens Diſcipulis ſicut Sol rutilantibus apparet. *n.30.p.295.*
Sol hodie conſiſtens in obedientis ſimulacrum Ieſum aſpectat. *n.36.p.295.*
Veſtimenta ſua, id eſt iuſtos Chriſtus non vult in terra claritate donare. *n.42.p.297.*

*Transfiguratio 4.*

*Moyſis & Eliæ oſtenſio.*

Num verus Moyſes & Elias in Transfiguratione? *lib. 7.ſect.4 num.1.p.298.*
Cur Moyſes & Elias apparuerint?*n.7.p.299.*
Quandonam Apoſtolis apparuerint, quonammodo, quid colloquerentur?*n.17.p.299.*
Duplex Sol in Thaboris vertice conſpicitur. *num.26.p.301.*
Moyſis & Eliæ aduentum non viderunt Apoſtoli.*num.31.p.302.*
Transfiguratus Ieſus inter viuum & mortuum oſtenditur.*n.37.p.303.*
Ex locutione Moyſes & Elias maximæ eſſe auctoritatis dignoſcuntur.*n.42.p.303.*

*Transfiguratio 5.*

*Tria tabernacula.*

Tabernaculorum exædificationem curat Apoſtolus.*lib.7.ſect.5.num.1.p.304.*
Cur Petri ſententia à Luca taxetur, & Marco? *n. 6. p.305.*
Errat Petrus, volens fęlix diu permanere, non præmiſſa Dei voluntate.*n.21.p.306.*
Errat Ieſum Dominum appellans, & pro libito de conſtruendo tabernaculo deliberans. *num.25.p.307.*
Errat, curans Chriſto materiale tabernaculum ædificare.*n.30 p.308.*

*Transfiguratio 6.*

*Patris teſtimonium.*

De nube fulgenti.*lib. 7.ſect.6. num.1.p.309.*
De voce è nube exaudita. *n. 7.p.310.*
Lapſus diſcipulorum, ſilentium indictum. *n.13.p.310.*
Laboranti Petro, & non laboranti æternum tabernaculum obiicitur.*n.19 p.311.*
Nubes obumbrans illuſtratur.*n.24.p.312.*
Chriſtus dum gerens peccatoris perſonam ad Deum reuertitur, ab ipſo excipitur, & honoratur.*num.30.p.313.*
Solus Ieſus à tribularis Apoſtolis ſubleuator aſpicitur.*n.35.p.314.*
Viſionem Chriſtus imperat obuelari ſilentio.*n 40.p.315.*
Vide *Paneg.moral.ſyllab.Fruct.7.*

*Transformatio.*

Transformatur homo ex orationis exercitamento. *lib.7.ſect.2.n.49.p.288.*
Verè pœnitens in alterum virum mutatur. *lib.7.ſect.5.n.14.p.305.*

*Tributum.*

*Tributum* haud æqualiter à diuitibus & pauperibus exhibendum, ſed iuxtà facultatem. *lib.2.ſect.1.num.34.p.54.*
Pacis tutandæ non datur Regi tributum, ſed debitum redditur, quia ipſius eſt. *n.38.p.55.*

*Tribulatio.*

*Tribulatio* iuſtorum ex Ieſu. *lib. 4. ſect.2. num.31. p.137.*
Vide *Labores.*

*Turbatio.*

*Turbatio* Herodis ac Ieroſolymæ ſub Magorum aduentu.
Vide *Epiphania* 4.

*Tyrannis.*

Solius Dei eſt ſanctos ab iniqui Principis tyrannide liberare.*lib.6.ſect.1.n.34.p. 206.*
Tyrannus in Regis conſpectu turbatur.*lib.6. ſect.4.num.21.p.237.*

V.

*Vanitas.*

*Vanitas* vincitur iuſtâ quodammodo animi elatione.*lib.6.ſect.3.n.69 p.232.*

*Velum.*

*Veli ſciſſi* myſterium.*lib.12.ſect.1.n.11.*

*Verbum.*

*Verbi* ſacri laudes. Obſeru. moral. procem. totâ.
Verbum ſacrum æterno Verbo affine. *lib. 1. ſect.1.num.29.p.7.*
Ex verbis quis magnus, aut paruus dignoſcitur: Dei verba faciens, Deus putaberis; Diabolus, eius vtens idiomate. *l.7.ſ.4.n.42.p.303.*

*Verbum diuinum.*

VERBI INCARNATIO. Lib. 1. per totum. Paraphr. ſub initio.

*Verbum 1.*

*Chriſti diuina natura.*


Verbi antiquitas reuelatur. *lib.1.ſect.1.n.1. pag. 3.*

Subſtantiæ verbi quædam differentiæ deſcribuntur. *n.7.p.4.*

Natura & ſubſtantia Verbi manifeſtatur. *n.11.p.5.*

Primus Verbi ſtatus deſcribitur. *n.15.p.5.*

Secundus Verbi ſtatus exponitur. *n.17.p.5.*

De hominis, quæ in ipſo Verbo effecta eſt, reparatione. *n.22 p.6.*

Verbum Euangelicum æterno Verbo affine. *n.29.p.7.*

Verbum fungens Dei ſocietate, quid niſi Deus eſſet? *n.35.p.8.*

*Nam Deo hereſcens quaſi Deus exurgit.n.36. pag 8.*

*Dæmonis ſocius, quaſi Dæmon euadis. n.40. pag 9.*

Verbum diuinum eadem opera molitur, ac Pater.*n.44.p.9.*

Peccatum ſine Verbo factum. *n.51.p.11.*

Omnia in iuſto vita ſunt, quia in ipſo Deus, in quo vita ſunt omnia, commoratur. *num.59. p.12.*

Spiritualis lux vita eſt animorum.*n.68.p.13.*

Verbi lux in erroris mediis tenebris emicat. *n.75.p. 14.*


*Verbum 2.*

*Verbi præconium.*


Ioannes à Deo immiſſus. *lib.1.ſect.2.num.1. pag. 15.*

Pluribus vtitur verbis Euangeliſta, vt Ioannes homo purus habeatur. *n.6.p.15.*

Chriſtus Ioannis vſus eſt teſtimonio. *n. 13. pag. 16.*

Num particula. *Per illum* ad Ioannem ſit, an ad Verbum referenda? *num.17. p.16.*

Quam aptus Ioannes, vt teſtimonium de lumine ferret. *n.21.p.17.*

Ioannes miniſter Euangelicus à Deo aſſumptus immittitur. *n.26.p.17.*

Quod Ioannes in contemplatione loquitur, hoc poſt contemplationem euulgat. *num. 33. p.18.19.*

Fide admodum dignum vnius Ioannis ſanctiſſimi teſtimonium. *n.39 p.19.20.*


*Verbum 3.*

*Chriſti aduentus.*


Num lux in præſenti Verbum, an Chriſtus? *lib.1.ſect.3.n.1.p.20.*

Chriſtus lux vera omnem hominem illuminans,*n.6.p.21.*

Chriſtus in mundo habitans, mundique conditor à mundo non cognitus. *num.16.p.22.*

Creationis beneficium hominum exigit gratitudinem.*n.19.p.22.*

Quid, Ieſum in propria veniſſe? *n. 28.p.2*

De poteſtate hominibus credentibus exhibita, vt filij Dei fierent.*n.32.p.24.*

Quare huiuſmodi credentes in Chriſtum filij Dei fiant? *n.47.p.25.*

Tam Verbum humanitate exutum, quam Chriſtum lucem eſſe confirmo. *n.52.p.25.26.*

*Verbum certè lux eſt hominis ſalutaris. n.53. pag. 26.*

*Chriſtus lux hominum illuminatrix. num.62. pag. 27.*

Homo ex terra in mundum, ſiue ex nihilo in nihilum adueniens *n.75.p.29.*

*Quia terra nihil.n.76.p.29.*

*Nil etiam mundus eſt. n 80.p.30.*

*Vnde veniens homo in hunc mundum, non in hoc mundo, ſiſtens debet oſtentari, ſolummodo mundo moraturus in altero.n.86.p.30 31.*

Data hominibus poteſtas circa adoptionem in ſtatu gratiæ.*n 90.p.31.*

Et circa adoptionem conſummatam in ſtatu gloriæ.*n.98.p.32.*


*Verbum 4.*

*Incarnatio.*


Modum aduentus Verbi Ioannes expendit. *lib.1.ſect.4.num.1.p.33.*

De Verbi hominis facti apud nos commoratione.*n.9.p.34.*

Quænam gloria Ieſu fuerit ab Apoſtolis aſpectata? *n.12.p.34.*

Duplex effectus incarnationis Verbi oſtenditur *n.15.p 35.*

Cur potius Verbum, quam Pater, vel Spiritus ſanctus carne induitur? *n. 20. p. 35.36.*

Cum Verbi incarnati ſit memoria, procidit omnis creatura.*n.24.p.36.*

Incarnationis Verbi cauſas recenſeo, & illuſtro.

*Verbum certè incarnatum carnis medetur cæcitati.n.25.p.36.*

*Vitam præſtat ægrotis. n. 34.p.37.*

*Homini rudi exhibet magiſterium. n.40.p.38.*

*Nos efficit Deos.n.46.p.39.*

*Nobis Diabolum reddit facilem ſuperatu. num.50 p.39.40.*

*Homines ab actuali corruptione præſeruat. num.54.p.40.*

*Ad infimum propter nos gradum deſcendiſſe dignoſcitur.n.59.p.41.*

*Superabundans medicamen ægritudini edocet exhibendum.n.63.p.42.*

*Oſtendit denique homines in Dei filios poſſe eleuari.n.67.p.42.*

Incarnati Verbi hoſpitium hominis præcordia. *n.70.p.43.*

*Verbum enim pectoris noſtri amat hoſpitium. n.71.p.43.*

*Habitans autem in nobis ſub Euchariſtia velamine ad proprium vſum domum conuertit.n.75. pag.43.*

*Gratiis, ac virtutibus domum facit ornari. num. 79. p. 44.*

*In nobiſque transferendo tabernaculo commoratur n.84.p.45.*

Vidimus Ieſum vnigenitum à Patre ex ſtella, ex Angelis, ex Paſtoribus, ex Simeone, ex Gabriele, ex Virgine, ex Patre ipſo, & Spiritu ſancto. *n. 89. p.45.*

Gratia & veritas cum Ieſu pariter incedunt, *n.97.p.47.*

Vide *Panegyric. moral. ſyllabum. Fructu. 1.*


*Perecun*

*Verecundia.*

*Verecundia* immanis tortura caſtis. *lib.* 11. *ſect.5.num.*19.*p.*453.

*Veritas.*

*Veritas* inibi,vbi iuſtitia commoratur. *lib.*1. *ſect.*4.*num.*97.*p.*47.
Veritatis patria tugurium. *lib.*3.*ſect.*3. *num.* 38.*p.*118.
Ex ſilentio veritas aperitur.*lib.*9.*ſect.* 2.*num.* 23.*p.*371.
Nunquam non prodit in lucem. *lib.* 12.*ſect.* 1.*num.*19.*p.*473.

*Verſutia.*

*Verſutia* hand cœleſtia teuelantur.*lib.*2.*ſect.* 4. *num.* 65.*p.*83.

*Veſtis.*

*Veſtes* modeſtæ internam conuerſionem manifeſtant.*lib.*7.*ſect.*3.*num.* 23. *p.*294.295.
Veſtem ſuam, id eſt, iuſtos non vult Deus hîc claritate donare.*num.*42.*p.*291.
Veſtes profanæ Sacerdotum taxabiles. *lib.* 10.*ſect.*2.*num.*13.*p.* 403.
In veſtimento candido Ieſus Euangelicæ virginitatis martyrium præſignauit. *num.* 22. *p.*404.

*Vindicta.*

Tibi glorioſum potenti vindicari à vindicta abſtinere. *lib.*8.*ſect.*5.*num.*19.*p.*336.
Robuſtius nihil, quam non vindicari. *lib.*9. *ſect.*3.*num.*28.*p.*377.
Patienter ſufferre iniurias vindicari eſt.*n.*32. *p.* 377.

*Vir.*

*Virorum* eſt non ſumere ab hoſte vindictã. *lib.* 9.*ſect.*3.*num.* 28.*p.*377.
Viros efficit laborum tolerantia. *lib.* 10.*ſect.* 7.*num.*10.*p.*428.

*Virginitas.*

*Virginitas* fœcundiſſima Dei parent eſt. *lib.* 2.*ſect.*3.*num.*38.*p.*68.
Eſt affiois ſilentij.*lib.*3.*ſect.*2.*num.*36.*p.*110.
Ad cœleſtium intuitum eſt accommodata. *lib.*6.*ſect.*3.*num.* 26.*p.*225.
Virginitatis martyrium illuſtratur. *lib.* 10. *ſect.*2.*num.*22.*p.*404.

*Virtus.*

*Virtutum* pennæ à Domino dirigendæ ſunt. *lib.* 1.*ſect.*3.*num.*98.*p.*32.
Virtus à cunabulis.*lib.*2.*ſect.*3.*num.*66.*p.*72.
Virtus vnius alios ad eadem allicit exercitamenta.*lib.*3.*ſect.*3.*num.* 31.*p.*117.
Sæpe ſub vitij ſpecie virtus oſtentatur. *lib.* 4 *ſect.*2.*num.*41.*p.*139.
Virtutes edoceatur ſimul qui literas edocetur. *lib.* 4.*ſect.*4.*n.*38.*p.*161.
Virtuti litanda pueritia.*num.*73.*p.*167.
Haud vna in ſede cum peccato virtus. *lib.*6. *ſect.* 3.*num* 37.*p.*250.
Non deſerendæ virtuoſæ actiones à peccatore, vt facilius exitus reuerſioni præparetur. *lib.*8.*ſect.*4.*num.*30.*p.* 332.
Virtus diuina eſt, quem inter calumnias obticere.*lib.* 9.*ſect.*2.*num.* 30.*p.*372.
Virtutum exercitamentis habitus flagitiorum eſt abolendus. *lib.*9.*ſect.*5.*num.*50.*p.*389.
Virtutis ſtabilimentum è Ieſu vulneribus. *lib.*11.*ſect.*3.*num.*36.*p.*445.

*Vita.*

Omnia ſunt vita ei, in quo Deus commoratur.*lib.*1.*ſect.*1.*num.*59.*p.*12.
Humanæ vitæ breuitas.*lib.*1.*ſect.* 4.*num.*84. *p.* 43.
Vita mortis memoria conſeruatur.*lib.*7.*ſect.* 4.*num.*37.*p.*303.
Vita donabimur ſtabili, ſi ſepeliamur cum Ieſu.*lib.*12.*ſect.*3.*num.*34.

*Vnio.*

*Vnionis* perturbator ſcindit Ieſu veſtimenta. *lib.*11.*ſect.*3.*num.*1. *p.*441.*ſect.*5.*num.*9.*p.*431.

*Voluntas.*

*Voluntas* bona pacem conſeruat.*lib.*2.*ſect.*5. *num.*49.*p.*93.
Voluntate bona, ſeu deſiderio ſuccurrendi, ſeu oratione, aut deprecatione inops ſatiatur. *lib.*2.*ſect.*3.*num.*54.*p.*93.
Dęi voluntáti ſubeſſe, feliciſſimum. *lib.* 7. *ſect.*5.*num.*21.*p.*306.
Voluntas propria Dei imperium curat euertere.*num.*25.*p.*307.
Deo eſt, etiam retrahente appetitu, ſubiicienda, magno obedientis fructu. *lib.* 8. *ſect.*2. *num.*12.*p.* 333.

*Volubilitas.*

*Volubilitas* animi pœnitentiæ obeſt, *lib.* 4. *ſect.*1.*num.*22.*p.*123.

*Voluptas.*

*Voluptas* carnalis decreſcat, vti creſcat poſteritas. *lib.*5.*ſect.*1.*num.*43.*p.*176.

*Vtilitas.*

*Vtilitas* humana Dei gloria eſt. *lib.*1.*ſect.* 3. *num.*52 *p.*25.26.

*Vulnus.*

*Vulnera* Ieſu laudantur.*lib.*11.*ſect.*3.*num.*36. *p.* 445.
Vulnus ſpirituale corporeum ſuperans. *lib.* 12.*ſect.*4.*num.*22.

Z.

*Zizania.*

Contra ſeminatores zizaniorum, ſiue vnionis perturbatores.*lib.*11.*ſect.*5.*n.*9.*p.*431.

F I N I S.

1-6-3

Digitized by Google